

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS,

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRÆ, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,
OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM.

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD TEMPORA CONCILII TRIDENTINI (ANNO 1545) PRO LATINIS
ET CONCILII FLORENTINI (ANN. 1439) PRO GRÆCIS FLORUERUNT :

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIMA
ECCLESIAE SÆCULA ET AMPLIUS,

IUSTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA ; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA ; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DERENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA ; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUIUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA ; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTANQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA : OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA :

DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS, STATISTICIS SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ulla EXCEPTIONE ; SED PRÆSERTIM

INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR ; ALTERO SCRIPTURÆ

SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBIVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETTII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA,

SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES LATINA PRIOR,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIAE LATINÆ
A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ cleri universæ.

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA, AD INSTAR IPSIUS ECCLESIAE, IN DUAS PARTES DIVIDITUR, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. LATINA, JAM PENITUS EXANATA, QUOAD PRIMAM SERIEM VIGINTI-QUINQUE ET DUCENTIS VOLUMINIBUS MOLE SUA STAT, MOXVE POST PERACTOS INDICES STABIT, AC QUINQUE-VIGINTI-CENTUM ET MILLE FRANCIS VENIT. GRÆCA DUPLICI EDITIONE TYPIS MANDATA EST. PRIOR GRÆCUM TEXTUM UNA CUM VERSIONE LATINA LATERALIS AMPLECTITUR, ET AD NOVEN ET CENTUM VOLUMINA PERVENIT, SED SINE INDICIBUS ; POSTERIOR AUTEM HANC VERSIONEM TANTUM EXHIBET, IDEOQUE INTRA QUINQUE ET QUINQUAGINTA VOLUMINA RETINETUR. UTRAQUE VIGESIMA QUARTA DIE DECEMBRIS 1860 OMNINO APPARUERAT. UNUMQUODQUE VOLUMEN GRÆCO-LATINUM OCTO, UNUMQUODQUE NERE LATINUM QUINQUE FRANCIS SOLUMMODO EMITUR : UTROBIQUE VERO, UT PRETTII HUIUS BENEFICIO FRUATUR EMPTOR. COLLECTIONEM INTEGRAM, SIVE GRÆCAM SIVE LATINAM, 526 VOLUMINIBUS PRO AMPLIORI EDITIONE ET 272 PRO MINORI ABSQUE INDICIBUS CONSTANTEM, COMPARET NECESSE ERIT ; SECUS ENIM CUIUSQUE VOLUMINIS AMPLI-TUDINEM NECNON ET DIFFICULTATES VARIA PRETTIA ÆQUABUNT. ATTAMEN, SI QUIS EMAT INTEGRE ET SEORSIM COLLECTIONEM GRÆCO-LATINAM, VEL EAMDEM EX GRÆCO-LATINE VERSAM, TUM QUODQUE VOLUMEN PRO NOVEN VEL PRO SEX FRANCIS OBTINEBIT. ISTÆ CONDITIONES SERIEBUS PATROLOGIÆ NONDUM EXCUSIS APPLICANTUR.

PATROLOGIÆ LATINÆ TOMUS CLXXXIII.

S. BERNARDUS, CLARÆ-VALLENSIS ABBAS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, OLIM PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO D'ENFER
NOMINATAM, SEU PETIT-MONTROUGE, NUNC VERO INTRA MŒNIA PARISIINA.

1862

AVIS IMPORTANT.

D'après une des lois providentielles qui régissent le monde, rarement les œuvres au-dessus de l'ordinaire se trouvent sans contradictions plus ou moins fortes et nombreuses. Les *Ateliers Catholiques* ne pouvaient guère échapper à ce cachet divin de leur utilité. Tantôt on a nié leur existence ou leur importance; tantôt on a dit qu'ils étaient fermés ou qu'ils allaient l'être. Cependant ils poursuivent leur carrière depuis 21 ans, et les productions qui en sortent deviennent de plus en plus graves et soignées: aussi paraît-il certain qu'à moins d'événements qu'aucune prudence humaine ne saurait prévoir ni empêcher, ces Ateliers ne se fermeront que quand la *Bibliothèque du Clergé* sera terminée en ses 2,000 volumes in-4°. Le passé paraît un sûr garant de l'avenir, pour ce qu'il y a à espérer ou à craindre. Cependant, parmi les calamités auxquelles ils se sont trouvés en butte, il en est deux qui ont été continuellement répétées, parce qu'étant plus capitales, leur effet entraînait plus de conséquences. De petits et ignares concurrents se sont donc acharnés, par leur correspondance ou leurs voyages, à répéter partout que nos Editions étaient mal corrigées et mal imprimées. Ne pouvant attaquer le fond des Ouvrages, qui, pour la plupart, ne sont que les chefs-d'œuvre du Catholicisme reconnus pour tels dans tous les temps et dans tous les pays, il fallait bien se rejeter sur la forme dans ce qu'elle a de plus sérieux, la correction et l'impression; en effet, les chefs-d'œuvre même n'auraient qu'une demi-valeur, si le texte en était inexact ou illisible.

Il est très-vrai que, dans le principe, un succès inouï dans les fastes de la Typographie ayant forcé l'Editeur de recourir aux mécaniques, afin de marcher plus rapidement et de donner les ouvrages à moindre prix, quatre volumes du double *Cours d'Écriture sainte et de Théologie* furent tirés avec la correction insuffisante donnée dans les imprimeries à presque tout ce qui s'édite; il est vrai aussi qu'un certain nombre d'autres volumes, appartenant à diverses Publications, furent imprimés ou trop noir ou trop blanc. Mais, depuis ces temps éloignés, les mécaniques ont cédé le travail aux presses à bras, et l'impression qui en sort, sans être du luxe, attendu que le luxe n'aurait dans des ouvrages d'une telle nature, est parfaitement convenable sous tous les rapports. Quant à la correction, il est de fait qu'elle n'a jamais été portée si loin dans aucune édition ancienne ou contemporaine. Et comment en serait-il autrement, après toutes les peines et toutes les dépenses que nous subissons pour arriver à purger nos épreuves de toutes fautes? L'habitude, en typographie, même dans les meilleures maisons, est de ne corriger que deux épreuves et d'en confier une troisième avec la seconde, sans avoir préparé en rien le manuscrit de l'auteur.

Dans les *Ateliers Catholiques* la différence est presque incommensurable. Au moyen de correcteurs blanchis sous le harnais et dont le coup d'œil typographique est sans pitié pour les fautes, on commence par préparer la copie d'un bout à l'autre sans en excepter un seul mot. On lit ensuite en première épreuve avec la copie ainsi préparée. On lit en seconde de la même manière, mais en collationnant avec la première. On fait la même chose en tierce, en collationnant avec la seconde. On agit de même en quarte, en collationnant avec la tierce. On renouvelle la même opération en quinte, en collationnant avec la quarte. Ces collationnements ont pour but de voir si aucune des fautes signalées au bureau par MM. les correcteurs, sur la marge des épreuves, n'a échappé à MM. les correcteurs sur la marbre et le métal. Après ces cinq lectures entières contrôlées l'une par l'autre, et en dehors de la préparation ci-dessus mentionnée, vient une révision, et souvent il en vient deux ou trois; puis l'on cliché. Le clichage opéré, par conséquent la pureté du texte se trouvant immobilisée, on fait, avec la copie, une nouvelle lecture d'un bout de l'épreuve à l'autre, on se livre à une nouvelle révision, et le tirage n'arrive qu'après ces innombrables précautions.

Aussi y a-t-il à Montrouge des correcteurs de toutes les nations et en plus grand nombre que dans vingt-cinq imprimeries de Paris réunies! Aussi encore, la correction y coûte-t-elle autant que la composition, tandis qu'ailleurs elle ne coûte que le dixième! Aussi enfin, bien que l'assertion puisse paraître téméraire, l'exactitude obtenue par tant de frais et de soins, fait-elle que la plupart des Editions des *Ateliers Catholiques* laissent bien loin derrière elles celles même des célèbres Bénédictins Mabillon et Moutaillon et des célèbres Jésuites Petau et Sirmond. Que l'on compare, en effet, n'importe quelles feuilles de leurs éditions avec celles des nôtres qui leur correspondent, en grec comme en latin, on se convaincra que l'in vraisemblable est une réalité.

D'ailleurs, ces savants éminents, plus préoccupés du sens des textes que de la partie typographique et n'étant point correcteurs de profession, lisaient, non ce que portaient les épreuves, mais ce qui devait s'y trouver, leur haute intelligence suppléant aux fautes de l'édition. De plus les Bénédictins, comme les Jésuites, opéraient presque toujours sur des manuscrits, cause perpétuelle de la multiplicité des fautes, pendant que les *Ateliers Catholiques*, dont le propre est surtout de ressusciter la Tradition, n'opèrent le plus souvent que sur des imprimés.

Le R. P. De Buch, Jésuite Bollandiste de Bruxelles, nous écrivait, il y a quelque temps, n'avoir pu trouver en dix-huit mois d'étude, une seule faute dans notre *Patrologie latine*. M. Denzinger, professeur de Théologie à l'Université de Wurzburg, et M. Reissmann, Vicaire Général de la même ville, nous mandaient, à la date du 19 juillet, n'avoir pu également reprendre une seule faute, soit dans le latin soit dans le grec de notre double *Patrologie*. Enfin, le savant P. Pitra, Bénédictin de Soleme, et M. Bonetty, directeur des *Annales de philosophie chrétienne*, mis au défi de nous convaincre d'une seule erreur typographique, ont été forcés d'avouer que nous n'avions pas trop présumé de notre parfaite correction. Dans le Clergé se trouvent de bons latinistes et de bons hébraïstes, et ce qui est plus rare, des hommes très-positifs et très-pratiques, eh bien! nous leur promettons une prime de 25 centimes par chaque faute qu'ils découvriront dans n'importe lequel de nos volumes, surtout dans les grecs.

M'agré ce qui précède, l'Editeur des *Cours complets*, sentant de plus en plus l'importance et même la nécessité d'une correction parfaite pour qu'un ouvrage soit véritablement utile et estimable, se livre depuis plus d'un an, et est résolu de se livrer jusqu'à la fin à une opération longue, pénible et coûteuse, savoir, la révision entière et universelle de ses innombrables clichés. Ainsi chacun de ses volumes, au fur et à mesure qu'il les remet sous presse, est corrigé mot pour mot d'un bout à l'autre. Quarante hommes y sont ou y seront occupés pendant 10 ans, et une somme qui ne saurait être moindre d'un demi million de francs est consacrée à cet important contrôle. De cette manière, les Publications des *Ateliers Catholiques*, qui déjà se distinguaient entre toutes par la supériorité de leur correction, n'auront de rivales, sous ce rapport, dans aucun temps ni dans aucun pays; car quel est l'éditeur qui pourrait et voudrait se livrer APRES COUP à des travaux si gigantesques et d'un prix si exorbitant? Il faut certes être bien pénétré d'une vocation divine à cet effet, pour ne reculer ni devant la peine ni devant la dépense, surtout lorsque l'Europe savante proclame que jamais volumes n'ont été édités avec tant d'exactitude que ceux de la *Bibliothèque universelle du Clergé*. Le présent volume est du nombre de ceux révisés, et tous ceux qui le seront à l'avenir porteront cette note. En conséquence, pour juger les productions des *Ateliers Catholiques* sous le rapport de la correction, il ne faudra rendre que ceux qui porteront en tête l'avis ici tracé. Nous ne reconnaissons que cette édition et celles qui suivront sur nos planches de métal ainsi corrigées. On croyait autrefois que la stéréotypie immobilisait les fautes, attendu qu'un cliché de métal n'est point élastique; pas du tout, il introduit la perfection, car on a trouvé le moyen de le corriger jusqu'à extinction de fautes. L'Hébreu a été revu par M. Drach, le Grec par des Grecs, le Latin et le Français par les premiers correcteurs de la capitale en ces langues.

Nous avons la consolation de pouvoir finir cet avis par les réflexions suivantes: Enfin, notre exemple a fini par ébranler les grandes publications en Italie, en Allemagne, en Belgique et en France, par les *Canons grecs* de Rome, le *Gerdil* de Naples, le *Saint Thomas* de Parme, l'*Encyclopédie religieuse* de Munich, le recueil des *déclarations des rites* de Bruxelles, les *Bollandistes*, le *Swirez* et le *Spicilège* de Paris. Jusqu'ici, on n'avait su réimprimer que des ouvrages de courte haleine. Les in-4°, où s'engloutissent les in-folio, faisaient peur, et on n'osait y toucher, par crainte de se noyer dans ces abîmes sans fond et sans rives; mais on a fini par se risquer à nous imiter. Bien plus, sous notre impulsion, d'autres Editeurs se préparent au *Bullaire universel*, aux *Décisions* de toutes les Congrégations, à une *Biographie* et à une *Histoire générale*, etc., etc. Malheureusement, la plupart des éditions déjà faites ou qui se font, sont sans autorité, parce qu'elles sont sans exactitude; la correction semble en avoir été faite par des aveugles, soit qu'on n'en ait pas senti la gravité, soit qu'on ait reculé devant les frais; mais patience! une reproduction correcte surgira bientôt, ne fût-ce qu'à la lumière des écoles qui se sont faites ou qui se feront encore.

SÆCULUM XII. ANNUS 1153.

S. BERNARDI,

CLARÆ-VALLENSIS ABBATIS PRIMI,

OPERA OMNIA

SEX TOMIS IN QUADRUPlici VOLUMINE COMPREHNSA,

POST HORSTIUM DENUO RECOGNITA, AUCTA ET IN MELIOREM DIGESTA
ORDINEM, NECNON NOVIS PRÆFATIONIBUS, ADMONITIONIBUS, NOTIS ET
OBSERVATIONIBUS INDICIBUSQUE COPIOSISSIMIS LOCUPLETATA

TERTIIS CURIS

D. JOANNIS MABILLON

PRESBYTERI ET MONACHI BENEDICTINI E CONGREGATIONE S. MAURI :

EDITIO NOVA :

ACCESSERE APPENDICES AMPLISSIMÆ VITAM SANCTI DOCTORIS ET EJUS ÆTATEM ILLUSTRANTES;

ACCURANTE ET DENUO RECOGNOSCENTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSE,

SIVE

CURSUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.



VOLUMEN SECUNDUM

BERNARDI OPERUM TOMUM III ET IV COMPLECTENS.



VENEUNT QUATUOR VOLUMINA 28 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDERATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, OLIM PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO D'ENFER
NOMINATAM, SEU PETIT-MONTROUGE, NUNC VERO INTRA MOENIA PARISIENSIA.

1862

ELENCHUS

OPERUM QUÆ IN HOC VOLUMINE CLXXXIII CONTINENTUR.

S. BERNARDUS, CLARÆ-VALLENSIS ABBAS.

OPERUM TOMUS III.

| | |
|------------------------------------|--------|
| <i>Præfatio in tomum tertium.</i> | col. 9 |
| Sermones de Tempore *. | 35 |
| — de Sanctis. | 359 |
| — de Diversis. | 537 |
| Sententiæ. | 747 |
| Parabolæ. | 757 |
| Confessionis privatæ Formula. | 773 |
| Officium de S. Victore Confessore. | 775 |

OPERUM TOMUS IV.

| | |
|---|------|
| <i>Præfatio in tomum quartum.</i> | 779 |
| Sermones in Cantica canticorum. | 785 |
| Flores seu Sententiæ ex S. Bernardi Operibus depromptæ. | 1197 |
| <i>Indices Rerum.</i> | 1203 |

* Inter Sermones de Tempore leguntur B. Bernardi Homiliæ quatuor super *Missa est*, seu de Laudibus Virginis Matris, col. 55-87.

SANCTI BERNARDI

ABBATIS CLARÆ-VALLENSIS

OPERUM TOMUS TERTIUS,

COMPLECTENS

SERMONES DE TEMPORE ET DE SANCTIS,

AC DE DIVERSIS

(Collati sunt ad codices Dionysianos, Cistercienses, Majoris-Monasterii, Alborum-Mantellorum, Cœlestino-
rum Fulienſium Pariſienſium.)

PRÆFATIO IN TOMUM TERTIUM.

I. Cum in sanctorum Patrum scriptis ea pars, quæ homillas seu sermones complectitur, minus elaborata passim et accurata, quam reliqua eorum ingenii monumenta, videatur: hanc sibi laudem præ cæteris, aut certe in paucis, vindicat sanctus Bernardus, quod ejus sermones non minori verborum acumine, varietate sententiarum, cogitationumque sublimitate, nec dispari affectuum pietate præditi sint, quam alix ejus lucubrationes. Mihi vero hujus rei causam meditati occurrit, non modo ingenii ejus solertia, celeresque animi motus, ad res explicandas et affectus commovendos faciles; sed etiam auditorum diversitas, quorum in gratiam sermones ejusmodi condebantur. Nam cum veteres illi Patres sanctissimi informandis christiane religionis doctrina ac pietate populis sermones sacros exponerent, eos ad vulgi captum et ad communes fere locos, auditorum utilitati consulentes, humili stylo prudentes componebant. At Bernardus ad homines in rebus spiritualibus, atque in scientia Scripturarum instructos, plerosque in sæculo quondam eruditione et dignitate præstantes, sermones habebat suos, quorum doctrinæ et perfectioni accommodanda erat oratio (1). Unde accidit ut non modo eximii sermones illi in Cantica qui majori studio conscripti sunt, sed etiam alii, sive de annis festis ac diebus, seu de diversis argumentis, quos hoc in tomo exhibemus, vulgaribus Patrum hominibus ac sermonibus a virtus cum piis, tum doctis præferri soleant.

II. Neque enim privata aut singularis mea hæc de Bernardi sermonibus opinio, sed illustrium in re litteraria virorum, qui suum hac de re judicium, seu verbó, seu scripto protulerunt: ex quibus duos tantum honoris causa appello, quorum auctoritas haud minor, quam doctrina et eruditio est. Primus Justus Lipsius in epistola 49, ad Aubertum Miræum, ubi de concionibus sacris agens: « Inter Latinos, » inquit, « Bernardus me rapit, et usum habet excitandi, ob acrimoniam ubique et calorem; tum etiam docendi atque imprimendi, ob sententiarum acumen, quas crebro et salubriter miscet. » Ita vir doctissimus, cum eximium ex Patribus exemplar, quod efformando sacro oratori proponeret, sedulo perquisisset, non aliud magis accommodum invenisse sibi visus est, quam Bernardum, quem cæteris Latinis anteponendum existimavit. Atqui mirum sit, si palma hæc Bernardo itidem præ Græcis Patribus, qui in eo dicendi genere excelluerunt, tribuatur: cujus sane sententiæ auctorem me profiteri non ausus essem, nisi eam suffragio

(1) Vide lib. III Vitæ, cap. 3, n. 4.

suo ante comprobasset Henricus Valesius, vir summus, de quo Adrianus Valesius, germanus ejus tanto fratre dignus, in ejus vita hoc memoriæ prodit. « Ante annos tres vel quatuor quam decederet, quoties, festis diebus, morbo vexatus, domi se continere cogebatur, Bernardi Claræ-Vallensis abbatis sermones ab anagnoste suo sibi legi jubebat, attenteque eos audiebat, et avidis auribus hauriebat. Quippe existimabat, et amicis etiam dicere consueverat, dies Dominicos ac festos Dei laudibus, non studiis litterarum impendi oportere: sermones autem Bernardi quibuslibet veterum Patrum, cum Græcorum, tum Latinorum, homiliis ac sermonibus multo esse ad excitandam in animis nostris accendendamque pietatem aptiores. » Hoc testimonium eo lubentius refero, quod et ad commendandos Bernardi sermones plurimum valeat tanti viri auctoritas, et quod animo meo jucundissima sit hujus viri recordatio, qui me quondam sua et amicitia, et familiaritate dignatus est.

III. His duobus recentiorum virorum testimoniis, quæ cæterorum instar esse possunt, facile esset adjungere suffragia auctorum nostra ætate superiorum, qui de Bernardo non secus ac de concionatore vere apostolico locuti sunt: quos inter non mihi prætermittendus videtur Erasmus, in convicia cæteroquin quam in laudes profusior, ita de Bernardo loquens in libro secundo de Ratione concionandi: « Bernardus concionabundus est, natura magis quam arte, festivus et jucundus, nec segnis in movendis affectibus. » Sed vereor ne si rem minime dubiam pluribus demonstrare voluero, ab aliarum rerum, quæ magis usui esse possint, tractatione impeliar aut retarder. Quapropter ad alia festinanti jam inquirendum incumbit: Primum, cur Bernardus sæpius, quam ordinis sui institutum ferat, verba faceret ad suos; deinde, quo tempore, id est quibus diebus, quibusve diei horis id præstaret; tertio, quo idiomate; ac demum, quæ Christianæ ac religiosæ vitæ principia suis potissimum inculcaret. Ad hæc, nonnulla tum ad exponenda quædam ejus doctrinæ capita, tum ad discernendos a notis et supposititiis genuinis ejus sermones disseremus.

IV. Quibus diebus sermones « in capitulo » apud Cistercienses quondam haberi mos erat, declarant Usus Cistercienses in capite 67: nempe dies « Natalis Domini, Apparitionis, in Ramis palmarum, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, omnium solemnitatum sanctæ Mariæ, Nativitatis sancti Joannis Baptistæ, Natalis apostolorum Petri et Pauli, in Solemnitate sancti Benedicti, et omnium Sanctorum, atque in Dominica 1 Adventus. » Nulla usquam, quod quidem sciam, mentio de privatis ac feriatis diebus, in quibus tamen Bernardus sæpissime conciones habebat. Unde in sermone 1 de Septuagesima, n. 2: « Sæpius loquor vobis, » inquit, « etiam præter consuetudinem ordinis nostri. »

V. Cur vero id faceret vir religiosissimus et disciplinæ regularis studiosissimus, invenio causas omnino duas. Una est mandatum primorum ordinis Patrum, qui Bernardo, laborem corporis vix sustinenti, in compensationem id spiritualis operis imposuerant. Hanc rationem in fine sermonis 10 in psalmum xc ipse exponit his verbis: « Quod aliquoties vobis loquimur præter consuetudinem ordinis nostri, non nostra id agimus præsumptione, sed de voluntate venerabilium fratrum et coabbatum nostrorum, qui id nobis etiam injungunt: quod tamen sibi quidem passim nolunt omnino licere... Neque enim modo loquerer vobis, si possem laborare vobiscum. Illud forte vobis efficacius verbum foret, sed et conscientiæ meæ magis acceptum. Cæterum quando id mihi, peccatis meis exigentibus, et onerosi hujus, ut ipsi scitis, tam multiplici infirmitate corporis, et ipsa quoque temporis necessitate negatur, utinam, dicens et non faciens, in regno Dei vel minimus merear inveniri! » Hæc causa et occasio fuit exponendi per seriales Quadragesimæ dies psalmi nonagesimi, quem continuis sermonibus prosequeretur, quatenus ingruentium negotiorum et adventantium hospitem sinebat importunitas. Utrumque hoc impedimentum identidem eum a concionibus avocabat, ad quas frequentandas eum urgebat non modo coabbatum auctoritas, sed etiam (quæ altera causa est) ardens de suorum profectu charitas et studium: Unde in sermone 5 de Quadragesima, n. 1: « Charitas qua pro vobis sollicitus sum, fratres mei, cogit ut loquar vobis; et urgente ea multo sæpius loquerer, nisi tam multis occupationibus impediret. » Et sermone 8 in psalmum xc, statim ab initio: « Brevius quidem vobis aliquando, dilectissimi, loqueremur, si crebrius id liceret... Cæterum quoties, ipsa diei præoccupante malitia, pluribus forte diebus molestissimum sustinimus a vestra exhortatione et consolatione silentium, neminem vestrum reor oportere mirari, si tempus ipsum redimere cupientibus nobis, sermo rarior interdum protractor videatur. » Dei malitiam vocat negotiorum et hospitem turbam, de qua non semel conqueritur in sermonibus super Cantica, ut in præfatione sequentis tomi videbimus. At quantumvis a frequentandis concionibus sacris Bernardus impediretur, non tamen ita infrequentes erant, ut a spiritualium rerum fastidio suis non timeret. « Unum timeo, » ait ille sermone 2 de sanctis Petro et Paulo, n. 1, « ne toties audita verba salutis vilescere nobis incipiant tanquam verba. » Quippe idem sanctus doctor observat sermone 33 in Cantica, n. 9, « Si corporis citus, cum absque appetitu et satiatus illum sumis, non modo non prodest, sed et nocet plurimum, multo magis panis animæ cum fastidio sumptus, non scientiæ nutrimentum, sed magis tormentum conscientiæ importabit. »

VI. Jam vero quo tempore hæc spiritualium rerum tractatio fieret, indicat ipse Bernardus variis in locis. Nullum fere diem ab his collationibus vacuum, si modo aliunde non detineretur, abire permittebat. Id probant sermones de tempore et de sanctis tam multi, de diversis tam varii, in Cantica tam eximii, ne quid dicam de parvis ac sententiis, quæ sermonum primæ delineationes erant. Cum enim ejus animo

spirituales obversarentur cogitationes, nec eas statim plena oratione explicare posset; sacros ejusmodi partus tabulis cereis commendabat, quos pro tempore et otio perficeret. Ita quippe de eo nobis scriptum reliquit Ernaldus in libro II de ejus Vita, n. 51: « Dictabat vir Dei, et nonnunquam scribebat in tabulis cereis, et non patiebatur perire inspirata sibi divinitus. »

VII. Horas declamandis sermonibus insumebat aliquando Matutinas post Primam ante laborem communitatem, seu ante Missam; aliquando vespertinas. Primum tempus indicat sermone 10 in psalmum xc, n. 6: « Vereor deprehendi. Nempe horam hanc magnus ille et communis abbas noster et vester non vacationi sermonum, sed operi manuum nostratur assignasse. » Missarum lumen tempus notat sermone 1 in festo sancti Michaelis, in fine: « Sed jam præterit hora, ad Missas nobis eundum est. » Et sermone 1 in festo Omnium Sanctorum n. 3: « Nunc quidem cibari habemus factis ejus et verbis; post hæc etiam illibatam Domini corporis sacramentum in altaris mensa sacrosancta, ipso propitio, percepturi. » Ad hæc in fine sermonis secundi: « Sed jam sermo claudendus est: vocant enim nos Missarum adhuc celebranda solemnitas. » Verum serotinas horas eisdem concionibus adhibitas fuisse probat sermo 1 de sancto Malachia, n. 3: « Inclinata est jam dies, et longius quam speraveram sermo processit. » At signantius in sermone 38 de diversis n. 3: « Eundum nobis est: jam enim campanam audivimus, jam vespertinæ tempus orationis advenit. » Idem probant sermones in Cantica, ut suo loco videbimus.

VIII. Nunc ex ordine inquirendum est, Bernardus sermones suos latina, an vulgari lingua eloqueretur. Nec levis sane difficultas. Istitis enim concionibus interfuisse videntur fratres laici, illitterati, linguæ Latinæ prorsus ignari, quibus in usu erat sola vulgaris lingua, quæ « Romana » corrupte dicebatur passim apud illorum temporum auctores, Nithardum in Historia, Gerardum in libro de Vita Adalardi abbatis, et apud Chronographum Sancti Trudonis, ubi « corrupte Romana, Teutonice Vallonica » vocatur. Hinc Petrus, Ludovici Junioris Francorum regis clericus, in epistola ad abbatem Latiniacensem: « Quidam puer, inquit, consanguineus meus, missus est mihi de Anglia ad discendam Romanam linguam (2), » id est Gallicam vulgarem. Qui vero hanc callebant, non continuo Latinam intelligebant, nequidem sæculo nono, nedum undecimo, ut patet ex libello de visione Flotildæ seu Chlotildæ, in quo arguuntur quidam presbyteri, « qui ipsas quoque litteras ignorarent quas legebant (3). » Si ergo Bernardi sermonibus fratres illitterati intererant, haudquam verisimile est, hos sermones Latine pronuntiatos fuisse. Sane Bernardi sermones de Tempore in conventu Patrum Fuliensium apud Parisios habentur Gallice scripti ab ipso, ut videtur, sancti Bernardi tempore: quod et codicis elementa, et idiomatis arguit antiquitas. Accedit quod Bernardus in initio epistolæ 47, ad Petrum diaconum cardinalem, sermones suos « stylo » discipulorum exceptos testatur: quasi diceret, non eo modo quo pronuntiatum fuerant, sed alieno stylo fuisse donatos. Ejus epistolæ hæc verba sunt: « Aliqui fratres nonnulla ex his quæ me coram audire loquentem, suo stylo exceperunt. » Eadem fere verba sunt in fine epistolæ 48, ubi addit: « Et penes se retinent. » Ex quibus fortasse quis inferat, Bernardum nativa seu patria dictione, ut fratribus laicis sese accommodaret, verba fecisse, quæ discipuli ejus in Latinum converterant.

IX. Fratres autem laicos penitus illiteratos, et linguæ latinæ ignaros fuisse multa demonstrant. Er. ut isti fratres choro sociati, sed tonsuræ clericalis expertes, a conversis omnino distincti. De his agit in libro VII de Vita sancti Bernardi, capite 23: « Hanc divinæ scientiæ formulam, » nempe, *Non gloriatur in sapientia sua* (Jer. ix, 25), etc., perfectius imitati sunt hi, qui sub beato Patre nostro Bernardo in Clara-Valle cœlestis philosophiæ disciplinis imbuebantur, non solum litterati et in mysteriis sacre legis eruditi viri multi, verum etiam laici et illitterati quam plures: qui etsi humanæ scientiæ fabricam, per quam ad perfectionis culmen niterentur, minime consecuti sunt, habebant tamen gratiam illuminantem et Spiritum vivificantem, qui de omnibus, quæ oportebat, sæculari scientia incomparabiliter efficacius eos docebat. Talium quidam monachus laicus, non littera doctus, sed spiritu, » etc. En qualis erat status ejusmodi laicorum, qui penitus analphabeti et linguæ latinæ inscii erant, teste Joanne Eremita in epistola ad Petrum Tusulanum de Vita sancti Bernardi, n. 2: « Monachus quidam, » inquit, « venerandi abbatis verax dilector et sincerus, forte cum quodam laico fratre, Humberto nomine, per virgultum adjacens monasterio Claræ-Vallensi deambulabat, librum miraculorum sancti Patris tenens in manibus, exponens ea secundum idioma Romanæ linguæ, tam suæ, quam illius ædificationis causa. » Cur enim ea exponebat Romana lingua seu Gallica, nisi quia frater iste laicus Latinam ignorabat? Talis erat laicus alter, mox ab ipso Joanne laudatus, n. 3, qui cum nec « alphabetum » antea nosset, « Deo tamen illuminante ejus intelligentiam, et quibusdam fratrum suffragantibus, in brevi ad hoc profecit, ut non solum legere, verum etiam cantare satis decenter et convenienter sciret. Exinde tam usu quam gratia cooperante, dictionum significationes aliquantum intelligere cœpit, et in hujusmodi scientia paulatim proficere: » quod de lingua Latina dictum esse nemo non videt. Neque solum apud Cistercienses, sed etiam apud alios monachos id genus fratres

(2) Chesnii tomo IV, pag. 742.

(3) Ejusdem tom. II, pag. 625.

laici admittebantur: qualiter erat ille apud Goffridum abbatem Vindocinensem, in lib. III, epistola 8; qui, « quia laicus erat, non Latina, quam non didicerat, sed materna lingua loquebatur. » De fratribus conversis hic non agimus, tametsi eadem argumenta, quæ pro fratribus laicis militant, eisdem etiam conversis conveniunt, probantque eos itidem linguæ Latinæ intelligentia caruisse. Quod confirmatur testimonio Herberti in libro 1 De miraculis Claræ Vallensium, cap. 16, ubi agit de quodam converso, « qui cum devenisset ad mortem, cœpit loqui Latino eloquio, cum nunquam Latinas litteras didicisset. » Itaque universim pronuntiare licet, linguæ Latinæ usum promiscuum non fuisse penes vulgus, etiamsi passim acta publica Latine conderentur. Sane Petrus Venerabilis in lib. IV, epistola 18, ad Cœlestinum papam scribit, se epistolam de ejus electione accepisse, atque in capitulo lectam, « tam litteratis, quam illitteratis, quos conversos vocamus, » inquit, « exposuisse, » id est lingua vernacula explicasse: quod inutile fuisset, si omnes Latinam linguam calluissent. Denique singulis Galliarum provinciis suos fuisse, uti et modo, idiotismos, arguit Bernardi epistola 67, ad monachos Flaviacenses agri Bellovacensis: ubi ipsos, et suos Claræ-Vallenses « dissimilibus linguis » usos asserit.

X. Et quidem ita res tum se habebant: sed nihilominus Bernardi sermones in Latina lingua natos, Latine prolatos, atque eodem prorsus modo ab ejus discipulis exceptos fuisse indubitanter existimamus. Primo enim id arguit perpetuus nativusque verborum usus in vocibus Latinis. Deinde ejusdem styli in sermonibus et in aliis ejus libris, et tractatibus æqualitas. Ad hæc Carthusienses per ea tempora, qui et fratres laicos admittebant, in publicis ad fratres concionibus Latine dicebant, eumque usum retinent etiam nunc. Præterea idem de aliis Bernardi sermonibus, ac de expositione in Cantica censendum est: cujus expositionis sermones eodem prorsus modo scripti sunt, quo pronuntiati, ex sermone 54, num. 1, in hæc verba: « Scripta sunt ut dicta sunt, et excepta stylo, sicut et sermones cæteri, ut facile recuperetur quod forte exciderit. »

XI. Ex hoc loco explicatur superius testimonium ex epistola 18 objectum, ubi quidam fratres ex his qui Bernardum coram loquentem audire solebant, ejus sermones stylo excepisse memorantur, id est calamo seu scriptione, non propria oratione. Sic Nicolaus Claræ-Vallensis in epistola 39: « Nec sufficit manus ad tenendum stylum. » Eodem sensu intelligenda est hæc vox in fine epistolæ 304: « Qui legit, agnoscat stylum, quia ipse dictavi. » Ubi et stylus pro scriptura idiographa, et dictare pro scribere indubie usurpatur. Sic in fine epistolæ 310: « Hæc ipse dictavi, sic me habens, ut per notam vobis manum agnoscatis affectum. » Nihil clarius. Neque enim orationis stylus manum indicat, sed propria scriptio. His accedit Guillelmi auctoritas in libro 1 de Bernardi Vita, num. 70: « Testantur hoc scripta ejus, quæ vel ipse scripsit, vel alii scripserunt, sicut ex ore ejus exceperunt. » Hæc sane nos movent, ut Bernardi sermones non alio stylo seu dicendi genere, quam quo ab ipso prolati sunt, ad nos pervenisse existimemus; et in codice Fuliensi non nativam eorum linguam, sed Latinæ translationem contineri. Et quidem codex iste, quem autographum esse putamus, non ante Bernardi obitum scriptus fuit: id quod probat inscriptio, in qua Bernardus sanctus appellatur, ut postea videbimus. Sane auditores suos in litteris sacris eruditos dicit non semel, ut sermone tertio de Petro et Paulo, num. 6: « Meministis credo, scientibus enim legem loquor, » etc., et sermone 7 in psalmum xc, num. 5: « Balaam dico, recolite qui historias nostis. » Ad hæc sermone in festo Paschæ, num. 10: « Apocalypsis verba sunt: discant qui non legerunt, recolant qui noverunt. » Apertius sermone 4 de Nativitate Domini, num. 1: « Scientibus Scripturas loquor. » Confer sermonem 10 in psalmum xc, num. 2. Ex his omnibus intelligitur, Bernardi auditores litteratos, ac Latine scientes fuisse.

XII. Nec nos ab hac sententia revocare valet objectio ex fratribus laicis, ad quos forsitan sermones alii habebantur magis familiares, si non cum conversis privato capitulo (quod singulis Dominicis diebus in horum gratiam ex usu ordinis cum vernaculo sermone fiebat) intererant. Nonnihil tamen negotii facessit Nicolai Claræ-Vallensis epistola 24, de qua inferius agendum.

XIII. In his porro exhortationibus, quas sive ad conversos, seu ad extraneos et sæculares homines faciebat vir sanctus, vulgari idiomate procul dubio utebatur. Ad priores pertinet dictum conversi cujusdam animam agentis, qui a Bernardo ad spem Christianam animatus, respondit se de Christi misericordia securum esse. Tum ab eodem repressus: « Si vera est, » inquit, « illa prædicatio vestra, quam nobis sæpius inculcastis, quod scilicet regnum Dei non carnis nobilitate, non terrenis divitiis possidetur, sed sola obedientiæ virtute acquiritur; hanc unam sententiam, tanquam verbum abbreviatum a Domino, sedula commemoratione apud me continui (4), » etc. Bernardus itaque ad conversos prædicationem faciebat, et quidem diebus Dominicis in privato eorum capitulo, ut Cisterciensium antiquæ definitiones præcipiunt, distinctione 14, cap. 4.

(4) Vita S. Bern., lib. VII, cap. 26.

XIV. Neque etiam sæcularibus et exteris, si quando charitas aut occasio postulare videbatur, sanctus, doctor deerat, teste Gaufrido in lib. III de ipsius Vita cap. 3, n. 8 : « Populo Dei semper prodesse studuit, nunquam præesse sustinuit. Raro tamen, nisi forte ad loca proxima, ut prædicaret exivit. Sed quoties eum necessitas aliqua traheret seminabat super omnes aquas, publice et privatim annuntians verbum Dei. Quod tamen ipsum ex mandato summi pontificis acitabat : ad nutum quoque præsulum cæterorum, ubicunquæ eorum aliquem contingebat adesse. » Quid in partibus Germanicis cum expeditionem sacram præcipiente Eugenio tertio publicaret, ipsi contigerit, eodem libro idem Gaufridus tradit, n. 7 : « Mel et lac sub lingua ejus... Inde erat quod Germanicis etiam populis loquens, miro audiebatur affectu; et ex sermone ejus, quem intelligere, utpote alterius linguæ homines non valcbant, magis quam ex peritissimi cujuslibet post eum loquentis interpretis intellecta locutione, ædificari illorum devotio videbatur, et verborum ejus magis sentire virtutem : cujus rei certa probatio tunsio pectorum erat, et effusio lacrymarum. » Quod ejus sermonem intelligere Germani, « utpote alterius linguæ homines, » non valerent, inde conficitur, eum nativæ seu Gallica locutione usum fuisse. Et quidem Philippus monachus in libro VI De ejus miraculis, num. 16, ait, eum, « Romana lingua, » id est Gallica, apud Germanos locutum fuisse. Ekkehardus Junior in libro de Casibus monasterii Sancti Galli, agens de quodam sæculo noni monacho illitterato, scribit, Tutilonem « latialiter, quo illum, qui nihil intelligebat, lateret, » compares suos allocutum fuisse. Idem de Anglis, ut alios mittamus, dicendum : quorum in gratiam Alfredus sæculo IX, Pastorale Gregorii Magni et Bedæ Historiam Saxonice verti curavit. Hinc eodem tempore versiones Evangeliorum, et Regulæ S. Benedicti in Germanicam linguam.

XV. Sed fortasse his diutius immoramur, quam sit operæ pretium; nec tamen nos pœnitet, quando ius apostolicum sancti viri commendat zelum et officium. Porro in concionibus suis, testante Gaufrido in loco mox laudato, « usebatur sane Scripturis tam libere commodeque, ut non tam sequi illas, quam præcedere crederetur, et ducere ipse quo vellet, auctorem earum ducem Spiritum sequens.

XVI. Jam vero quæ maxime vitæ religiosæ principia ex sacris litteris in suis ad monachos sermonibus inculcare solet, non ab re erit paulisper considerare. Unum ex præcipnis est, ex apostolo, ut se in hoc sæculo peregrinos reputarent, cujus rei argumentum suppeditant loca duo : unus locus ex sermone I de Epiphania, num. 1, « Super his sæpius vos admonere curamus, ut nunquam mente excidat, peregrinos nos esse, longe factos a patria, pulsos hæreditate. Quisquis enim desolationem non novit, nec consolationem agnoscere potest. Quisquis consolationem ignorat esse necessariam, superet ut non habeat Dei gratiam. » Alter locus est in sermone 7 de Quadragesima, num. 1 : « Felices qui se præsentis sæculo nequam, advenas et peregrinos exhibent, immaculatos se custodientes ab eo, » etc.

XVII. Alterum Bernardi effatum erat, id in primis expedire monachis, imo omnibus ad virtutem contendentibus, ut, apostoli exemplo, præteritorum oblitæ, ad anteriora se extendant. « Porro profectus noster, » ait sermone 2 in Purificatione, num. 3, « in eo consistit, ut sæpius me dixisse memini, ut nunquam arbitremur nos apprehendisse; sed semper extendamur ad anteriora, incessanter conemur in melius, et imperfectum nostrum divinæ misericordiæ obtutibus jugiter exponamus. » Eadem est sententia in sermone 4 in psalmum XC, num. 3 : « Et hæc est utique magna virtus et summa securitas, quando et pie vivis, et tamen plus attendis quæ desunt tibi quam quæ obtinuisse videris, oblitus quæ retro sunt, et extendens te in anteriora. » Affine est quoque ibidem legitur, multum interesse ad perfectionem, ut nos, cum omnes religionis et officii nostri partes impleverimus, servos inutilis profiteamur : quod idem est atque anteriorum esse immemorem.

XVIII. Tertium axioma est, ut semper timeamus, ne videlicet a gratia nos excidere contingat. « Tota interim beatitudo nostra est, » inquit sermone 5 de omnibus Sanctis, num. 3, « timere Deum. » Et sermone 1 post octavam Epiphaniæ, num. 5, præmisso duplicem esse timorem, « ne forte trudi in gehennam, ne forte ab æterna vita contingat excludi, » subdit : « Bonum est adhibere et tertium, qui utique spiritualibus notus est... Timent enim qui noverunt spirituales cibum, ne quando forte fraudentur eo. Cibo siquidem, forte egent qui manum miserant ad fortia... Hæc est metreta tertia, quam sub disjunctione signanter posuit, eo quod non omnium sit : quia nec omnibus centuplum repromissum, sed solis qui omnia reliquerunt. » Tertius iste timor, addit sermone sequenti, n. 8, 9, « replet animam omni sollicitudine timidam, ne forti deseratur a gratia... ne forte contingat amittere gratiam, ut sibi derelictus homo labatur quotidie de malo in pejus, de peccato minori in graviorem culpam: » Hæc latius persequitur sermone 54 in Cantica, num. 9, ubi hæc verba : « In veritate didici, nil æque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inveniaris non altum sapere, sed timere. »

XIX. His Bernardi effatis quartum addere licet, ab ipso magnopere ac sæpissime commendatum, nempe ut ingrati in Deum animi vitium toto animo effugientes, gratos quam maxime se præstare satagant ii quos Deus e sæculi turbibus eduxit. Exponit id argumenti in sermone secundo de septem misericordiis pro Dominica sexta post Pentecosten, ubi ait n. 2 : « Oportet proinde gratum esse hominem et devotum, qui, percepta gratiæ munera non modo manere sibi desiderat, sed et multiplicari... Sed nos maxime, quos segregavit sibi, et assumpsit ad serviendum sibi soli, » etc. Illud ipsum urget in sermone 27 De diversis, qui.

est : Contra pessimum vitium ingratitude, » inter alia ita scribens num. 6 : « Quam multos enim videmus et plangimus fratres, qui dummodo maneant habitus et tonsura, salva sibi omnia arbitrantur : non considerantes miseris, quemadmodum ingratitude vermis interiora corrodens, ob hoc tantum corticem quem vident, transforare dissimulet, ne forte recogitent et erubescant, ipsaque verecundia emendentur. » Et infra : « Vides ergo non omnibus prodesse, quod a lepra sæcularis conversationis, cujus peccata manifesta sunt, emundantur : sed nonnullis pejus in occulto ingratitude ulcus oriri, quod tanto periculosius sit, quanto interius. » Nimius sim, si id genus argumenti, quoad liceret, pertractare velim : hæc in specimen et piorum lectorum adjumentum sufficiant.

XX. Doctrina horum sermonum non modo pietate referta est, sed etiam plana, facili et absque offendiculo. Si qua tamen lectorem minus eruditum remorari possunt, ea locis suis explicabuntur. Unum hic explanare juvat, nempe qualis fuerit Bernardi de statu animarum sanctarum corpore solutarum opinio in tribus sermonibus, secundo, tertio, et quarto in festo Omnium Sanctorum, et in sermone quarto in Dedicatione ecclesiæ, et alibi. Principio sanctus doctor ita suam hac de re mentem aperit, ut non leviter ac perfunctorie, imo data opera et præmissa oratione eam expendat, sed « sine præiudicio sane, si cui forte aliter fuerit revelatum, » tametsi « super hoc sensum » Dei habere se putet, ut ipse dicit in sermone 4 de sanctis, n. 1 et 2. Deinde præmisso triplici animarum statu, « in corpore corruptibili, sine corpore, » et « in corpore jam glorificato, » de medio statu disserens, sententiam suam in quatuor capitibus constituit. Primo in eo quod sanctæ illæ animæ corpore solutæ statim admittuntur in cælum, ex eodem sermone 4, n. 1, adeoque « in consortium angelorum, » ut de sancto Malachia scribit sermone secundo, n. 5. Secundo istæ versantur « in luce multa, » ut in eodem sermone 4, n. 1. Tertio vident Christi humanitatem, ibidem n. 2; sed non divinitatem, quod non nisi post resurrectionem sit ipsis concedendum. « Interim » sub altari, id est « sub Christi humanitate, feliciter sancti quiescunt, in quam nimirum desiderant etiam angeli ipsi prospicere. » Quarto denique « gaudium habent in spiritu suo, lætitiâ multam in corde suo, licet non plenam » sermone secundo de sanctis num. 4 : adeoque non sine ruga, sermone tertio, n. 2, nempe ob desiderium resumendi corpora. « Adeo siquidem viget in illis desiderium hoc naturale, ut necdum tota earum affectio libere pergat in Deum : sed contrahatur quodam modo, et rugam faciat, dum inclinatur desiderio ejus. » Eadem sententia est in libro de Diligendo Deo, n. 32. Hæc fere Bernardi doctrina est, quam sub opinione duntaxat exposuit, ut patet ex libro v De consideratione, cap. 4, n. 9, ubi animas sanctas martyrum considerat in sinu Abrahæ « et sub altari, quodcumque illud est, in prima stola secundam patientissime exspectantes. »

XXI. Cum ista fuerit Bernardi opinio, in quibusdam tamen locis sanctis animabus tribuit visionem Dei, ut cum Malachiam « pari cum angelis gloria et felicitate » lætari dicit sermone 2 de eo, n. 5; et quosdam sanctos jam meruisse introduci in sancta sanctorum, « ubi vident faciem stantis, id est claritatem incommutabilis Dei, » sermone quodam in Cantica : ad hæc martyres « immersos » esse « immenso pelago æterni luminis et luminis æternitatis, » in libro De diligendo Deo sub finem. Clarius in sermone secundo de sancto Victore, n. 4 : « Jam cælos ingressus, quos et ante apertos beatis oculis suspiciebat, vere nunc revelata facie speculatur gloriam Dei, absorptus quidem, sed non oblitus clamorem pauperum. Beata visio, qua in eandem imaginem transformatur de claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu. » At quomodo hæc cum superiori Bernardi sententia componi possunt, cum disertis verbis asserat sermone quarto de sanctis, n. 2, ubi hoc argumentum ex professo tractat, Filium electis suis post resurrectionem ministraturum, « novas utique, et usque ad tempus illud penitus inexpertas delicias manifestæ suæ contemplationis ? » An forte hanc sententiam postea retractavit et emendavit ? At id affirmare in promptu non est, cum tempus, quo sermones in speciem pugnantes habiti sunt, non liceat accurate definire.

XXII. Hic nobis occurrit Thomas Anglus in libello De medio animarum statu, Demenso 4, ubi censet Bernardum e Patribus primum beatorum animabus solutis sedem in cælo tribuisse, quam Patres alii antiquiores non nisi post extremum iudicium beatis tribuerint : Divinitatis visionem eisdem denegasse ante resurrectionem, quam visionem isti ipsis concesserint. In priori capite Thomam allucinari certum est, ejusque errati tres tantum testes proferimus, Cyprianum, Alcuinum, et Florum diaconum Ecclesiæ Lugdunensis, omnes Bernardo ætate longe superiores. Cyprianus sub finem libri de Exhortatione martyrii, cap. 12 : « Quanta est dignitas, » inquit, « et quanta securitas... claudere in momento oculos, quibus homines videbantur et mundus; et aperire eosdem statim, ut Deus videatur Christus? Terris repente subtraheris, ut in regnis cælestibus reponaris. » Brevius in libro de Laude martyrii : « Cælo martyres gaudent. » Neque vero solos martyres, sed et patriarchas ac prophetas cum apostolis cæli jam possessores esse asserit in priori loco. Alcuinus vero in epistola 81 testatur suo tempore dubitationem quidem ea de re apud nonnullos fuisse, sed occultam, non manifestam: quasi isti errorem suum, qui contra omnium sententiam erat, prodere vererentur. « Est quoque, » inquit, « in quibusdam clancula dubitatio, an animæ sanctorum apostolorum, et martyrum, aliorumque perfectorum, ante diem iudicii in cæleste recipiantur regnum : a quam opinionem improbat, atque inter hæreses Hispanicas computat Alcuinus. At luculentior est Flori sententia in expositione Missæ, ad illa Canonis verba : « Memento etiam, Domine, famularum, » etc., ubi

Florus ita commentatur: « Luce clarius constat, quia perfectorum justorum animæ, mox ut hujus claustra carnis exeunt, in cœlestibus sedibus recipiuntur. » Nihil his testimoniis clarius adversus Thomam Anglum pro Bernardi, imo Ecclesiæ sententia.

XXIII. De secundo capite, id est de visione Dei : qui beatorum animas in cœlo nonnisi post extremum judicium, sed in abditis recessibus collocant veteres, haud mihi constat, an eisdem ante illud tempus divinæ essentiae visionem concedant. At ne in supervacaneam quæstionem digrediamur, Bernardus quidem solius Christi humanitatis manifestam contemplationem solutis animabus tribuit: sed vel in hoc ab vulgata Joannis XXII ejusque sequacium opinione dissidet. Imo ne ab ipsis quidem, qui divinitatis intuitum beatis tribuunt, sed minus perfectum quam post resurrectionem, re ipsa discedere videtur; quando tota ratio, quæ Bernardum movet, ea ipsa est, cur isti non ita perfectam Dei visionem solutis animabus tribuant, nempe vehemens corpora resumendi desiderium: rati cum Bernardo, perfectam Dei contemplationem ejus case vis ac virtutis, ut omnes affectus absorbeat, penitusque extinguat; quod nonnisi post resurrectionem ipsis etiam sanctis competet. Lege Augustinum in sermone 280, n. 5, et 318, n. 5 et 6. Observatione digna sunt Bernardi verba in sermone 19 De diversis, n. 3, ubi beatorum prærogativas explicans: « Hoc jam tertio, » ait, « hauriunt aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, et nudis, ut ita dicam, oculis divinitatis intuentur essentiam, nulla corporeorum phantasmatum imaginatione decepti. » Si enim de statu præsentis, ut quidem videtur, id dicit, haud dubie sanctis ante resurrectionem hoc in loco tribuit intuitivam divinæ essentiae visionem.

XXIV. Sed his tandem dimissis, ad postremum hujus præfationis caput, quod censuram genuinorum Bernardi sermonum spectat, veniendum est. Neque ejus rei disputatio admodum prolixa futura est, cum de plerisque certa et explorata sit sententia. Ex sermonibus De tempore, quos Horstius admiserat, inter spurios rejecimus sermonem secundum in Cœna Domini in illud, *Sedisti ad mensam divitis*, qui nec Bernardi genium sapit, nec in ullis reperitur, quos quidem viderim, vetustis codicibus; imo nec in veteri editione Lugdunensi anni 1514.

XXV. Hunc sermonem sequebatur Meditatio in vitam seu passionem Domini, incipiens ab his verbis, « Jesum Nazarenum, » etc., quæ itidem in eisdem codicibus et in editione Lugdunensi deest, rectiusque S. Anselmo sub titulo « Stimulus amoris » a Trithemio et Bellarmino tribuitur.

XXVI. Sermo de pugna Davidis cum Golia (ita scribebant) pro Dominica 4 post Pentecosten, Nicolai Claræ-Vallensis sermonibus subjicitur in eo codice, quo usus est religiosus vir Bertrandus Tisserius Bibliothecæ Cisterciensis auctor. At cum sermo iste in plerisque etiam bonæ notæ codicibus, puta Claræ-Vallensi, Aquiscinctensi, Parisiensi Albo-Mantellorum reperitur, laudeturque in Floribus Bernardi ante annos quadringentos compilatis; Bernardo eum subducere non visum est.

XXVII. Et quandoquidem de Nicolai Claræ-Vallensis sermonibus mentio huc incidit, observare juvat, Nicolaum hunc ex Arremarensi monacho Claræ-Vallensem factum, ac sancti Bernardi notarium, dein desertiorem, novemdecim sermones ab se conditos nuncupasse Henrico Trecensium comiti Palatino, qui typis vulgati sunt in prælaudatæ Bibliothecæ Cisterciensis tomo tertio cum Præfatione ejusdem Nicolai ad Henricum comitem, in qua hæc verba: « De cætero mitto gloriæ tuæ decem et novem sermones a festivitate sancti Joannis Baptistæ usque ad festivitatem sancti Joannis evangelistæ, aliosque sermones, et quosdam Psalterii versus meo sensu inventos, meo stylo dictatos: nisi quod paucis in locis de censibus alienis accepi: » nempe de censu Bernardi magistri sui, cujus stylum prope assecutus erat. De eo enim ita habet in sermone de Nativitate Domini. « Totus autem sententiæ census ex illius arca mutuabitur, cujus consilium quasi consilium Dei. Ille ipse est, cujus religio et discretio, sapientia et eloquentia, vita et fama, per totam Latinitatem non immerito percurrit. » Egregium sane Bernardi elogium. Verum quod tam frigide ejusdem in superiori præfatione meminit Nico. aus, inde contigit quod illa post ipsius Nicolai desertionem Henrico Trecensium comiti directa est. Cæterum illis undeviginti sermonibus in manuscripto codice subjiciuntur sermones quatuor, quos idem Nicolaus non obscure indicat in sua præfatione: primus, « de verbis sapientiæ, *Justum deduxit Dominus*, » etc. (*Sap. x, 10*); secundus, « de quinque lapidibus contra Goliath; » tertius, « de carne, cute et ossibus; » quartus, « de triplici gloria, in illud Apostoli, *qui gloriatur, in Domino gloriatur* (*II Cor. x, 17*) »: qui omnes Bernardo tribuuntur, secundus quidem, ut mox dicebam, pro Dominica 4 post Pentecosten, tres alii inter diversos collocati, non solum in prima editione Lugdunensi, sed etiam in omnibus, aut fere omnibus manuscriptis: quos proinde Bernardo abjudicare incongruum duxi, maxime cum eos sibi tribuere potuerit Nicolaus ejus notarius, in aliis haud satis religiosus, uti observatum in notis ad epistolam 298.

XXVIII. In sermonibus de sanctis, sermo secundus in conversione sancti Pauli deest in plerisque manuscriptis, etiam in Gallico Fuliensi. Habetur tamen in Vaticano, n. 663, eumque vere Bernardi esse nullatenus dubito. Sermo in festo sanctæ Magdalenæ, qui unus est ex novemdecim Nicolai sermonibus, rejectus in tomum VI, cum in tomo V omissus fuisset, ubi cum quibusdam aliis Nicolai sermonibus habentur et sermo 5 in Assumptione, et sermo panegyricus de beata Virgine, qui antehac inter Bernardinos collocati erant. Porro consulto prætermisimus sermones haud paucos Bernardo ascriptos, tum in nova editione

Coloniensi, tum in Supplemento Patrum Homeyano, tum in nonnullis codicibus manuscriptis, utpote a Bernardi stylo et genio alienos: nec visum est operæ pretium eos in spuriorum classem referre.

XXIX. Ex sermonibus diversis, qui « Exceptiones ex dictis sancti Bernardi » in nonnullis codicibus inscribuntur, quidam Guerrico Igniacensi abbati, quidam Nicolao Claræ-Vallensi tribuuntur. Nicolao quidem tres, de quibus superius diximus, nempe sextus, septimus, et vigesimus primus. Guerrico vero sermones sex, scilicet 8, 28, 71, 75, 76 et 79. Verum cum hi sermones in codice Coloniensi, teste Horstio, non exsint inter Guerrici sermones, habeanturque in plerisque Bernardi exemplaribus; eos inter sermones diversos retinere visum est: maxime cum ex Bernardi fonte omnes isti rivuli profluxerint, ut legitur in fine codicis regii Navarrensis collegii apud Parisios, Bernardi Sermones de tempore et de sanctis exhibentis, in cujus calce hæc clausula legitur, « Postea sequitur sermo de conversione ad clericos, qui habet 31 numero sectiones. Hunc librum sequuntur quædam Exceptiones abbreviatæ ex diversis ipsius sancti sermonibus, quos ipse fecit diversis locis ac temporibus, collectæ breviter et utiliter ab eis, qui ejus lateri nocte et die inseparabiliter adhærebant. Postmodum autem sequitur tractatus domni Gaufridi notarii, quem composuit et transmisit ad D. Henricum episcopum et cardinalem supra *Dixit Simon Petrus ad Jesum*. Ultimo sequuntur epistolæ sancti Bernardi, quas scripsit ad diversas personas. Hæc autem scripta, etsi per aliam manum quam per ipsum tradita, de ejus (fonte) omnes isti rivuli profluxerunt. » Exceptiones illæ sunt sermones de diversis, quorum plures quidem sermonum potius compendia sunt quam justis sermones.

XXX. Ex Parabolis quinque Bernardo ascriptis, quæ exstant post sermones de diversis, prima genuina est; secunda et tertia ad primæ imitationem confictæ videntur: quarta et quinta in antiquis editionibus inter spuria opera locum habent. Carmen paræneticum ad Rainaldum Bernardo prorsus indignum videtur. Vulgati etiam rhythmus de nomine Jesu, aliique eidem abjudicandi, ob rationes quas in fine tomi quinti, ubi modo habentur, exposui.

XXXI. Quæ de sancti Patris sermonibus diximus, auctoritatem etiam habeat tum ex libris Florum, quos Willelmus Tornacensis Sancti-Martini monachus ante annos fere quingentos composuit, atque « Bernardinum » inscripsit, ut in primi tomi præfatione dictum est: tum ex codice Gallico, quem Nicolaus Faber, Ludovici Justi præceptor, reverendis Patribus Fuliensibus conventus Sancti-Bernardi Parisiensis concessit. Quippe in Bernardino memorantur sermones de tempore et de sanctis fere omnès, plerique ex diversis et parvis, quos suis locis designabimus. In Cæna Domini unicus laudatur sermo, unicus item de Passione Domini pro feria quarta, iidem scilicet, quos genuinos esse constat; non alii duo, quos rejecimus. De conversione sancti Pauli semel et iteram fragmenta referuntur ex sermone primo: quæ primi designatio secundum subindicat, tametsi nulla fragmenta ex eo adducuntur.

XXXII. Attamen in codice Fuliensi unicus habetur sermo de ipsa conversione, scilicet primus. Omnes in eo contenti numero 44, quos hic recensere juvat propter codicis singularitatem et antiquitatem, quæ Bernardi tempus attingit. Sunt autem sex de Adventu, totidem de Vigilia Nativitatis Domini, quinque de ipsa Nativitate, unus de sanctis Stephano, Joanne, et Innocentibus; tres de Circumcisione, de Epiphania tres, unus de Octava, duo pro Dominica post Octavam, unus de Conversione sancti Pauli, tres de Purificatione, de Septuagesima duo, de Quadragesima sex, quorum quatuor primi eodem ordine, quo in editis; quintus de Peregrino, mortuo et crucifixo. Post hunc inseritur sermo de sancto Benedicto, et post eum sextus de Quadragesima, de triplici oratione, quintus in editis, omissio sermone de oratione Dominica, qui sextus est in vulgatis. Deinde sequitur sermo unus, qui dicitur Communis, qui est sermo 35 de diversis, ad abbates. Item sermo Communis unus, qui est præfatio expositionis in psalmum xc, ac denique sermones tres de Annuntiatione.

XXXIII. Hos omnes aliosque tertii tomi sermones, duobus voluminibus contentos, ad Petrum Cellensem transmisit Nicolaus Claræ-Vallensis, testante ejus epistola 24: « Ego qui stylum abjuraveram, dignus laboris et solitudine, postquam aviditatem vestram præseni et perseni, quam habetis de verbis et pro verbis hominis illius, cujus eloquentia et sapientia, vita et fœma non immerito per totam Latinitatem decurrit; accepi tabulas, et quod habui et feci. » Eadem verba leguntur apud eundem Nicolaum in sermone de Nativitate Domini.

XXXIV. Observatione digna sunt verba quæ sequuntur in superiori epistola. « At dicitis: Hæc omnia in silentio, et magis cum silentio operari potuistis. Mirum si hoc ex sententia dicitis. Quis enim magis in turba est, quam ille qui faciendis dictaminibus implicatur? Perstrepunt enim, ut digne inveniri possit sensuum veritas, verborum varietas; quid melius ad consequentiam, denique quid, quando, ubi et quomodo proferri oporteat. Hoc ergo vos judicabitis silentium et quietem, maxime homini imperito, cui et sensus nullus adest, vel sermo non est venustus et facilis ad sententias vestiendas? » Nicolaus his verbis non obscure indicare videtur, se multum locasse operæ in dictando, stylo componendo, argumentis ex ordinæ digerendis eorum sermonum, quos transmittit. At quos sermones transmittit? Utique Bernardi; ita

enim subdit post pauca : « Coegi tamen me contra me, et duo volumina sermonum hominis Dei mitto vobis, in uno quorum ego dictavi, quod ita incipit : Solet apostolus Paulus in verbis esse brevis, in sententiis densus. Aliud vero volumen jam pridem dictatum est, et rosum, et rasum. Sed quærite quis diligenter et sapienter illud scribat : multis enim sensibus plenum est. » Sane si bene istorum verborum sensum capio, inde colligi posse videtur, Nicolaum suis verbis, id est Latinis, dictasse sermones in altero volumine contentos : quod volumen incipiebat ab his verbis, « Solet Apostolus, » etc., quod exordium est sermonis 19 de diversis. Id si ita est, recurrunt argumenta, quæ superius dilucere conati sumus, eo spectantia, ut Bernardus non Latina, sed Gallica lingua sermones suos pronuntiaverit, quos postea ejus discipuli Latinitate donaverint. Et quidem magna est aliquando varietas in sermonibus maxime de diversis : quæ varietas inde nata esset, quod alii aliter hos sermones in Latinum eloquium converterint. Ad hæc Gaufridus, sancti viri notarius, opusculum de colloquio Simonis et Jesu, « ex multis, » inquit, « sermonibus Patris nostri » composuit. Quidni etiam alii notarii id præstiterint? At si ita esset, cur hi etiam sermones istos non sibi tribuissent?

XXXV. At mihi rem attentius consideranti, illa Nicolai in scribendo et dictando perplexitas, non ad Bernardi sermones referenda videtur, sed ad epistolas, a quarum scriptatione sese excusare hoc verborum circuitu conatur Nicolaus. Huic interpretationi favet epistolæ titulus, ad « Abbatem Cellensem excusativa scribendi vel dictandi. » Aut potius utrunque exprimere voluit, et litteras scribendi, et sermones ex codice dictandi officium cupiens a se amoliri, aut certe in utroque operam suam venditare. Denique Nicolaus hæc totidem fere verbis ex Bernardi epistola 89, ad Ogerium, n. 1, mutuatus est, quibus Bernardus a scriptandis litteris se excusat : nec in alium usum hoc loco Nicolaus adhibere censendus est. Mendosum Nicolai contextum restituere licet ex illa Bernardi epistola, quæ ante annos viginti, quam Nicolaus ad Claræ-Vallenses migraret, a Bernardo scripta est. Sic porro Nicolaus Bernardi verba in usus suos transferre solet, ut alias observavimus. Quoniam vero Nicolai hujus notitia non parum conducit ad illustrandam Bernardi historiam; hominem suis coloribus hoc loco depingere quoddam operæ pretium fuerit.

PRÆFATIONIS ALTERA PARS

DE NICOLAO, S. BERNARDI NOTARIO.

XXXVI. Erat Nicolaus natione Francus, ab ineunte ætate monachus in monasterio Arremarensi diocesis Trecentis, quatuor ab ipsa civitate leucis. Vir fuit ingenii facilis, versatilis, facile in aliorum affectus influens, litteris pro tempore apprime excultus, aliis erudiendis apud suos Arremarenses præfectus; charus viris ea ætate præcipuis, Attoni Trecenti episcopo, Petro Venerabili abbati Cluniacensi, Petro Cellensi, Henrico Ludovici Junioris fratri, aliisque.

XXXVII. Is Bernardi fama et ingenio non minus quam sanetitate captus, Claram-Vallem adit, monachorum religionem probat, seniorum affectus pulsat, se admittant in ipsorum cœtura, laxioris vitæ pertæsum, arctioris perquam cupidum. Rem fere uno congressu evincit et obtinet. Reversus ad suos negotium urget : priorem et seniores Claræ-Vallis, Bernardo absente, litteris convenit, quæ est ejus epistola 7, « Dominis et Patribus reverendis priori R., » id est Rualeno, « et consilio suo » inscripta. In ea se in omnes formas et affectus versat. Claræ-Vallensium religionem dilaudat, suum eos revisendi, eisque sese conjungendi studium insinuat. « Omnem mihi, » inquit, « fiduciam suggerit et humilitas vestra, et necessitas vestra; et illud tertium, in quo mihi spem dedistis, nostræ pusillitatis susceptio. » Tempus, quo eam epistolam scribebat, paulo post designat his verbis : « Quale mihi gaudium erit, qui in tenebris sedeo, qui lumen cœli, lumen Claræ-Vallis non video! O lumen descendens a Patre lumen! ubi lucent luminaria in firmamento cœli, unde assumptum est, videlicet Eugenius papa, luminare majus quod illuminet terram. » Itaque id factum Engenio pontifice, et quidem anno ejus pontificatus primo : cum Rualenus ex priore Claræ-Vallensi in regimen Romani ad Aquas-Salvias monasterii, cui Eugenius ante pontificatum abbas præsterat, eodem anno successus sit, Nicolao jam in Claram-Vallem admissa, ut ejus epistola 43 probat. Quanquam hæc verba, « videlicet Eugenius papa, » e margine in textum videntur irrepsisse.

XXXVIII. Præter superiorem ad priorem et seniores Claræ-Vallenses epistolam, binas subinde addidit : unam ad fratrem Gaucherium Claræ-Vallensem, cujus in amore irrepsit; aliam ad Fromundum hospitalem ejusdem loci, id est epistolas 44 et 46. In priori vota sua fusius et ardentius explicat, atque tanto se concepti propositi desiderio teneri, ut « diem pro anno » computet sibi : se ad terminum præstitutum non

defuisse, sed a suis Arremarensibus multa passum, qua importunitate, qua blanditiis, qua minis, vix ut tandem se ex eorum cœtu proriperit : at tandem de manibus eorum elapsum, « sine pannis, sine nummis, sine famulis, sine equis, vix apud Aripatorium, » quod Cisterciensium cœnobium est in agro Tricasino, « appulisse, » ac deinde in Claram-Vallem. Verum inde extractum se dicit « in fines terræ, » reclamante scilicet abbate Arremarensi (Guido is erat; cujus rogatu officium de sancto Victore Bernardus composuit) qui ipsum forte in quemdam prioratum retrusit : unde has litteras scripsit Nicolaus impatientis voti plenas; atque alias ad Fromundum, quas per quemdam clericum, qui secum eodem se receperat, transmisit. In priori ad Gaucherum epistola depingit sese in hunc modum. « Sub pannis humilitatis Christi intrans et exiens, in voluptatum gurgitem saliebam, et de patrimonio Crucifixi, de pretio vulnerum Domini mei, non solum intra sanctuarium, sed etiam intra sancta sanctorum, monachum sine regula, presbyterum sine reverentia exhibebam. Ad Romanam enim curiam curiosius iens et rediens (5), feceram mihi nomen grande, juxta nomen magnorum qui sunt in terris : et in omni vita mea nec una die vixisse me memini. » Hæc ille modeste quidem, si ex animo protulit.

XXXIX. Demum concordia (sic titulus et argumentum est epistolæ 40) cum albate suo inita, admissus in Claram-Vallem est una cum Theobaldo priore, quem postea inde egressum frustra revocare conatur epistola 6. Conversio hæc Brocardum seu Burchardum, Balernensem Cisterciensium instituti abbatem, ad sibi congratulandum excitavit, scripta hac de re epistola, apud Nicolaum nona, in qua hæc leguntur : « Gratias ago Deo, nova facienti omnia, pro novo mirabili de immutatione nova innovati Nicolai. Qui fecit album de nigro, novum quid fecit et mirabile : sed hoc mirabilius inter omnia nova, quod de tali nigro tale album factum est. » Hi nimirum Cisterciensium plausus erant de tali proselyto.

XL. Vix in eorum sodalitie confirmatus erat, cum notarii officium ipsi commissum est. Plures erant Bernardi notarii ob varia quæ subinde in ipsum referebantur negotia. Principuus erat Gaufridus, cui adjunctus fuit Nicolaus. Hic de munere sibi demandato, an sincere, conqueritur epistola 15, ad quemdam socium Arremarensium : « Tu scis quia inter homines sum, in quibus viget disciplinæ censura, morum gravitas, maturitas consiliorum, auctoritatis pondus, taciturnitatis insigne. Nolo autem argui singularitatis, ut cum illi vacent, et vileant quoniam ipse est Deus, ego stylum et tabulas revolvam, ut revolem ad phaleras gloriamque verborum. Tamen a custodia matutina usque ad noctem nihil aliud facio. Non illis impuletur, qui mihi hoc oneris imposuerunt, et posuerunt me multa scribere et rescribere multis. »

XLI. In alia epistola, nempe 35, ipse « scriptoriorum » suum describit hoc modo. « Est mihi scriptoriorum in mea Clara-Valle, vallatum undique officinis cœlestibus et celantibus illud. Ostium ejus aperitur in cellam novitorum, ubi frequens numerositas tam nobilium, quam litteratorum, novum hominem in novitate vitæ parturiunt.... A dextra parte claustrum monachorum excrescit, ubi floridior ille conventus obambulat.... Ibi divinatorum eloquiorum libros sub castigatissima disciplina singillatim aperiunt, non ut eventulent thesauros scientiæ suæ, sed ut dilectionem, compunctionem eliciant, et devotionem. A læva prominet domus et deambulatorium infirmorum, ubi corpora disciplinis regularibus lassata atque quassata, cibis lautioribus refoventur : donec vel sanata, vel meliorata revolent ad laborantium et orantium gregem, qui vim faciunt regno cœlorum, et violenter rapiunt illud. Nec contemnendam putes domunculam meam : quia et desiderabilis est ad affectum, et delectabilis ad aspectum, et reclinabilis ad secessum. Plena est libris electissimis et divinis; ad quorum jucundam inspectionem, despectionem mundanæ hujus vanitatis agnosco, considerans quia vanitas vanitatum, et omnia vanitas; et quia nihil est vanius vanitate. Hæc mihi tradita est ad legendum, ad scribendum, ac dictandum, ac meditandum, ad orandum et adorandum Dominum majestatis. » Neque vero solum libris describendis, sed etiam transigendis negotiis vacabat Nicolaus, testante epistola 49, ad Petrum Cellensem, cui inter alia ita scribit : « Hæc tibi, amicorum dulcissime, saltem saltatim dictavi, qui continuatim non potui, trahentibus et retrahentibus negotiis multis : sed et manibus meis scripti. Omnes enim qui habent negotia veniunt ad nos : sed et ego solus cum sancto Jacob dicere possum : *In me hæc omnia mala reciderunt* (Gen. XLII, 36).

XLII. Ex his intelligitur, Nicolaum etiam sub se notarios habuisse, quorum unus erat Girardus de Perona, amicus ejus singularis, « individuus comes, » inquit in epistola 10, « scriptitationum mearum, » in pluribus aliis epistolis ab ipso laudatus. Eidem Girardo atque Henrico regiæ stirpis monacho epistolas suas Nicolaus ipse nuncupavit.

XLIII. Librorum commercium cum Petro Cellensi aliisque frequens habebat. Ejus generis est epistola 34, ad Amedeum episcopum Lausanensem, in qua hæc verba : « Mitto tibi librum magistri Anselmi de Spiritu sancto, bene punctatum, nisi fallor, et emendatum. » Eo autem pacto librorum exemplaria transmittere solebat, ut remisso exemplari, aliud sibi exemplum gratis remitteretur. Ita enim postulat a Petro Cellensi epistola 24 : cui cum duo Bernardi volumina transmisisset, « Festinate, » inquit, « et hæc festinanter rescribere, et exemplaria remittite mihi : et sic ad opus meum secundum pactum meum rescribi facite.

(5) Vide Petr. Vener. lib. II, epist. 49, et lib. III, epist. 2.

Sed et illa quæ misi vobis, et rescripta illorum, secundum quod dictum est, mittite mihi, et videte ut ne unum iota perdam. » Hæc ille ad Petrum. Ab aliis etiam subinde libros mutuo exposcebat, ut a Petro decano Trecensi epistola 17 : « Epistolas domini Cenomanensis remitte nobis, quia volumus eas transcribere » Quin etiam ad Philippum, Coloniensis Ecclesiæ præpositum atque imperatoris cancellarium, scribens in persona fratris Philippi, atque ipsi de itinere Jerosolymitano congratulans, ejus bibliothecam, sane locupletem, postulat his verbis epistolæ 29 : « Sed et illum singulariter thesaurum tuum, nobilem bibliothecam loquor, quam utique tam mirabiliter quam incomparabiliter congesisti, vide ut relinquis pauperibus Christi; qui pro te orent et plorent, ut prosperum iter faciat Deus salutarium nostrorum. »

XLIV. Atque ut se religiosum præstaret Nicolaus, non solum versus exemplo Claræ-Vallensium suorum legere detrectat, sed etiam tunicam sibi ab amico transmissam, quasi parum ordinis suo convenientem, remittit. De versibus hoc habet in epistola 15 : « Versus Galteri mei, imo et tui, nondum habui. Sed etsi vidissem, non perlegissem; quia nos nihil recipimus quod metricis legibus coercetur. » Tunicam ipsi in amicitiae signum dederat Odo Pulteriensis abbas e numero Nigrorum : sed eam Nicolaus reddit cum multa gratiarum actione epistola 27, nimirum quod « nimis esset speciosa et pretiosa; « hoc solo, » inquit, « non bona, quia nimium bona. » Tum subdit. « Nec volo, nec valeo, imo non debeo induere illam. Inter eos qui panniculis et semicinctiis vestiuntur, nec purpuratus, nec non tunicatus incedam. Absit, absit, ut peccatrici carni vestis iterum splendida coaptetur, ne raptetur ad ineptias suas. Propterea remitto eam vobis, cum non sit inter nos qui vel audeat, vel debeat illam induere. Vos induite illam, domine Pater, cui et ex ordine licet, et ex dignitate. Cum enim tunicam induitis, ultra consuetudinem vestram facitis. Sed scitis quis dixerit : Si quid supererogaveris, ego cum rediero reddam tibi (Luc. x, 35).

XLV. Tria in his verbis observatione digna sunt. Primum est de semicinctiis, ubi si vocabuli proprium usum retinuit Nicolaus, inde semicinctiis usos fuisse Cistercienses colligimus. Quid sit autem semicinctium intelligitur ex Herberti libro 1 De miraculis Cisterciensium, capite 6, ubi is de Schocelino agri Trevirensis eremita agens, ita rem explicat : « Habebat quoque vir ille locupletissimus circumligatam renibus semicinctiam vilem atque brevissimam, quæ verecundas solummodo corporis partes operire vix poterat, cum eum hominibus apparere compelleret ista tam inevitabilis causa. » Lumarium veteres appellabant. Et quidem Cistercienses ejusmodi semicinctiis principio usos fuisse verisimillimum est : maxime cum tunicam solam carni adhærentem gestarent; idque necessarium videretur ad honestatem, cum abjecta cuculla labori manuum vacabant. Alterum notatu dignum est, cur tunicam induere dicat Nicolaus esse ultra consuetudinem et ordinem abbatis Pultariensis. Is quippe professor erat sancti Benedicti Regulam, qui monachis suis inter alia tunicam concedit capite 55. Id quidem verum : at illis temporibus in usu erat apud monachos toga talaris, non tunica, quæ vix ad mediam tibiam defluebat, qualem gestabant Cistercienses. An vero tunicam illam, haud dubie candidam, quam Odo abbas Nicolao transmiserat (quod tertio loco notandum), Odoni abbati induere licebat, uti scribit Nicolaus, « et ex ordine, et ex dignitate? » Quid enim? an tunc monachi Nigri candidis utebantur? Cur ergo tanta inter eos et Cistercienses de veste pulla et alba disceptatio? Verum candida, saltem quibusdam in locis, Benedictini tunica utebantur, sed cuculla atra, cum albam gestarent Cistercienses. Sane in Cæremoniali Anianensi, quod illa ætate in usu erat pro monachis Nigris, depicti cernuntur non uno in loco monachi toga candida induti, at cuculla subatra : quod utrumque etiam observavimus in aliis picturis, maxime in libro Rabani Mauri de Cruce, ubi is cum tunica alba depingitur. Quanquam non solum de cucullæ, sed etiam de tunicæ colore Cluniacenses inter ac Cistercienses erat disceptatio, ut colligitur ex Petri Venerabilis epistola hic 229, n. 22 : verum hic usus apud nostros haudquaquam uniformis erat. Postquam autem usus apud eos, qui alba tunica inducebantur, invaluit, ut tunicæ toga adjiceretur, et deposita extra chorum cuculla, quod olim ne in lecto quidem licebat, toga sola cum scapulari sufficere visa est ad retinendum monachi insignis : tum demum toga ex nigro etiam panno ubique facta est, et tunicæ color albus servatus : cui staminea successit, superinducta postmodum tunica, quæ nostro tempore etiam in nigrum colorem mutavit. Cistercienses vero primis temporibus, sola tunica et cuculla, aut cucullæ loco scapulari contenti, togas, sive simplices, stamineasque rejecerunt.

XLVI. Revertamur ad Nicolaum, qui quos in priori monasterio suo Arremarensi amicos sibi conciliaverat, litterarum officiis sibi retinere satis egit, præsertim Petros duos, Cluniacensem et Cellensem abbates. Binas tantum ad Cluniacensem ejus epistolas habemus in illis, quas ante suam ab Ordine Cisterciensi defectionem scripsit, nempe duas postremas : at longe plures ad Petrum Cellensem. Prima est epistola 20, in persona Adæ monachi, qui ex Cellensi monasterio ad Claræ-Vallenses migraverat. Altera est 24, « inter amicos amicissimo domino Petro Cellensi abbati » ipsius Nicolai nomine inscripta, qua litteras frequentandi officium deprecatur. Consimilis est titulus epistolæ 28 : « Speciali et pene singulari amico Petro Cellensi abbati. » Itemque epistolæ 48. Brevior sed familiarior epistolæ sequentis, « Suo suus : » et (ut epistolam 51 omittamus) epistolæ 52, « Suo Cellensi suus Claræ-Vallensis, quod suus. » Hæc quam ob rem diligentius observem, ex inferius dicendis apparebit, ut scilicet Nicolaum ante suam desertionem Petro Cellensi probe cognitum, atque familiarem existisse asseram : ac proinde alium esse a Nicolao illo Anglo, in quem

Petrus Cellensis, tanquam in hominem sibi facie ignotum, vindicias pro Bernardo jam mortuo scripsit.

XLVII. Dum apud Claram-Vallem moratur Nicolaus Francus, varias aliorum nomine epistolas scripsit, nempe nomine ipsius Bernardi, Rualeni prioris, et aliorum monachorum, omnes numero quinque supra quinquaginta, quas « dilectissimis fratribus Girardo et Henrico » nuncupavit, id est Girardo de Perona, et Henrico Ludovici Grossi filio, Junioris germano, tunc monachis apud Claram-Vallem : quorum in persona etiam nonnullas literas scripsit. Inter illas quas Rualeni nomine composuit, mendosum est unius lemma, nempe epistolæ 23, cujus inscriptio his verbis concepta est : « Domino et digne reverendo Hugoni Turonensi archiepiscopo frater R. » Qui lemma epistolæ apposuit, ita illud concinnavit : « In persona Rivallis prioris ad archiepiscopum Turonensem. » Et Joannes Picardus ad marginem adnotat, Rivallem esse abbatiam Cisterciensis ordinis in Anglia et diocesi Eboracensi. Recte quidem : sed quid archiepiscopo Turonensi cum Rievalle? At certum est epistolam scriptam esse nomine Rualeni prioris, cujus nomen in epistolæ inscriptione decurtatum, errandi occasionem auctori lemmatis dedit. Idem erratum in epistola 23.

XLVIII. Petro Venerabili abbati Cluniacensi, ut jam diximus, ad delicias usque amicus erat Nicolaus, quem identidem Bernardus ad eum mittebat, ut mutua cordium arcana et reciproci affectus apud hunc sequestrum deponerentur : qua de re legenda Petri epistola, quæ est ordine 264 inter Bernardinas. Sed tandem accidit, o mortalium infelix conditio ! ut Nicolaus Bernardi indulgentia et facilitate abusus, sigillum ejus in malos usus adulteraverit, demum in horrendam prolapsus defectionem, quam dubium est an unquam serio emendarit. De sigillo vitiato Bernardus, tacito Nicolai nomine, quæ sancti viri charitas erat, Eugenio significavit epistola 284 : « Periclitati sumus in falsis fratribus, et multæ littoræ falsatæ sub falso sigillo nostro in manus multorum exierunt ; et, quod magis vereor, etiam usque ad vos dicitur falsitas pervolasse. » Eiusdem funestum casum deplorat in epistola 298, ad eundem Eugenium, non jam dissimulato (quod publicum crimen erat) auctore. « Nicolaus ille exiit a nobis, quia non erat ex nobis : exiit autem fœda post se relinquens vestigia. Et ego longe ante hominem noveram : sed expectabam ut aut Deus eum converteret, aut instar Judæ ipse se proderet : » vide sanctissimi viri longanimitatem ! « quod et factum est. Præter libros, denarios et aureos multos, in ipso exitu inventa sunt super eum sigilla tria, unum ejus proprium, alterum prioris, tertium nostrum... De turpitudinibus ejus, quibus terra sordet, et factæ sunt omnibus in parabolam, supersedeo polluere labia mea et vestras aures. » Addit Bernardus, eum si ad curiam Eugenii, uti is jactaverat, pergere audeat, dignum esse, si quis alius, « perpetua inclusione. » Accidit vero iste lapsus in annum 1151, ut patet ex memorata Bernardi epistola 298, ad Eugenium eo anno scripta ; et ex epistola 388, quæ est Petri Venerabilis de electione Gratianopolitana eodem anno facta, qua in epistola Nicolaus, uti Bernardo et Petro adhuc charus ac fidelis amborum internuntius, laudatur.

XLIX. Omnes existimant, ipsum profugisse in Angliam, ac se recepisse in Sancti-Albani monasterium ; eumque esse Nicolaum, qui Bernardi jam demortui de Conceptione Deiparæ sententiam traduxit impugnavitque, atque Petrum Cellensem adversarium habuit. Et Nicolaus quidem vocabatur iste : sed Anglum fuisse constat ex duabus ad illum Petri epistolis, quæ sunt libri sexti epistola 23, et noni epistola 10. In priori epistola, « Nec indignetur, » ait Petrus noster, « Anglica levitas, si ea solidior sit Gallica maturitas... Certe expertus sum somniores plus esse Anglicos, quam Gallos : » et in posteriori epistola, « In cavernis suis Anglum Francigena conclisum et ligatum... tenebit. » Hæc Nicolaum illum Anglum fuisse probant ; sed Petro facie ignotum innuunt extrema epistolæ verba : « Utinam facie ad faciem viderem te, quem scriptorum tuorum bene ornatus habitus non semel præstitit audire. » Mitto styli discrimen inter Nicolaum Anglum et Claræ-Vallensem, qui stylus in Anglo durior et asperior ; in Claræ-Vallensi nitidior, humanior, politiorque est. Atqui ex superioribus constat, Nicolaum Claræ-Vallensem ante suam fugam Petro maxime notum ac familiarem, nec Anglum existuisse, sed Gallum aut Francum : ac proinde ab illo Anglo distinguendum.

L. Sed quo ergo, inquis, Nicolaus Francus se recepit? Post varios hinc inde discursus, constitit tandem in suo Arremarensi monasterio, cum Bernardo e vivis erepto ibi tuto sibi vivere licuit, ac securo. Id constat tum ex epistola 59 Arnulfi Lexoviensis episcopi ad ipsum Nicolaum, tum ex ipsius Nicolai epistola ad Willelmum Remorum antistitem scripta, quam vir clarissimus Stephanus Baluzius nuper vulgavit in *Miscellaneorum* tomo secundo. Hæc epistola non ante annum 1176, quo Willelmus Remensem cathedram obtinuit, scripta fuit : in qua eum laudat, quod ipsum receperit intra « sacrarium » suæ familiaritatis, et quod susurrioni et detractori (hæc quippe timebat Nicolaus) locum non daret. Deinde se excusat, quod ab ejus conspectu tandiu abstinuerit ; ubi in rem nostram faciunt hæc verba : « Excusabo me de difficultate itineris, de longinquitate regionis, quæ est inter Remensem urbem et Arremarensis ecclesiam? » Ergo ibi tum degebat Nicolaus. « Sed iter breve est, et via plana, et plena in circuitu amicorum meorum. »

LI. Quid rei, quamve personam in Arremarensi monasterio ageret, in consequentibus indicat : ex quibus id tantum notamus. « Adjiciam quia licentiam veniendi habere non potui ? cum vadam et veniam, eam et redeam tota die. Hæc dicerem, si ita essem sub potestate constitutus, ut neci ipsius potestatem habere non possem. » Ita ergo apud Arremarenses agebat Nicolaus, ut esset sui juris. Misera sane conditio hominis, qui Bernardi discipulus ac notarius fuerat ! Sed quis miretur, cum angeli ex cælo ipso decide-

rini ? In hoc vero maxime vanitatem suam prodit, quod de multitudine amicorum, uti alias etiam solebat, gloriatur. Sic in epistola quadam ad Henricum Campanie comitem, quæ in eodem Miscellaneorum volumine edita est, eodem fere tempore scripta ac superior. « Ab ineunte ætate mea placui magnis et summis principibus hujus mundi : sed tibi singulariter ex dominio nature debeo quidquid sum, et ex officio amicitie quidquid possum. » Hinc colligitur, Nicolaum ex Campania, quæ Henrici dominio subiacebat, ortum fuisse : sed lapsus ejus causam non aliunde quam ex gloriola et superbia, quæ plerosque dementat, repetendam. Sane Henricus Campanie seu Trecentium comiti eum addictissimum fuisse intelligitur ex duabus Nicolai ad comitem epistolis : quarum una, qua sermones suos ei dedicat, editos in tomo tertio Bibliothecæ Cisterciensis, inscripta est « singulari domino et benefactori suo Henrico, » etc., altera eidem « serenissimo principi et charissimo domino suo, » qualis exstat in tomo secundo Baluziano, ubi hæc verba : « Mitto Sublimitati tuæ quasdam epistolas, quas ad dominum papam, et cancellarium, aliosque personatos viros, intra hoc biennium memini aliquantulum studiosus dedicasse. » Verum ejusdem principis auctoritate abusus videtur ex epistola 59 Arnulfi Lexoviensis « ad Nicolaum monachum de monasterio Arramato » (Arremaro legendum est), qua in epistola agitur de quodam mala frugis canonico, Nicolai discipulo, quem Nicolaus ait se « in ulteriorem gratiam » recepisse pro intercessione Arnulfi, quam iste negat.

LII. Ex his omnibus apparet quis fuerit Nicolai genius ; nempe vanus, inconstans, iniquus, de qualibus vix unquam quidquam boni sperare liceat. Cæterum qualis ejus exitus fuerit ignoramus. Superest ut, quod superius pollicitus sum, hoc loco in specimen exhibeam fragmentum sancti Bernardi sermonis primi, Gallice redditum in vetusto Patrum Fuliensium Parisiensium exemplari, cujus hic titulus atque hoc initium est :

CI ENCOMENCEMENT LI SERMON SAINT BERNAVT

KIL FAIT DE LAVENT ET LES ALTRES FESTES PARMEI LAN.

1. Nos faisons ui, chier freire, len comencement de lavent, cuy nons est assez renomeiz et conuz al monde, si cum sunt li nom des autres sollempnitez, mais li raisons del nom nen est mies par aventure si conue. Car li chaitif fil d'Adam nen ont cure de veriteit, ne de celes choses ka lor sulveteit apartienent, anz quierent... les choses... saillanz et trespassaules. A quel gent... nos semblans... les homes de ceste generation, ou a quei gent everons nos ceos cui nos veons estre si ahers et si enracineiz ens terriens solaz, et ens corporeiens kil repartir ne sen puyent ? Certes semblant sunt a ceos ki plongiet sunt en ancune grant aue, et ki en peril sunt de noier. Tu varoyes kil ceos tienent, kes tienent, ne kil par nule raison ne vuelent deverpir ceu ou il premier puyent mettre lor mains quels chose ke ce soit, ancor soit ceu tels choses ke ne lor puist nient aidier, si cum sunt racines derbes ou autres tels choses. Et si ancune gent vient a ols por ols asoscor, si plongent ensemble ols ceos kil puyent aggrapper : ensi kil a ols nen a ceos ne puyent faire nule ajud. Ensi perissent li chaitif en ceste grant mer ke si est large, quant il les choses ki perissent ensevent et les estaules layent aleir, dont il poroyent estre delivreit del peril ou il sunt... prennoyent et salveir lor airmes. Car de la veriteit est dit, et ne mies de la vaniteit, Vos la conessereiz, et ele vos deliverrat. Mais vos, chier freire, a cuy Deus revelet, si cum a ceos ki petit sunt celes choses, ke receleis sunt as saige et as seneiz, vos soiez entenduit cus encenousement envor celes choses, ke vrayement apartienent a vostre salveteit : et si penseiz di merrement a la raison de cest avenement, quareiz et encerchiez ki cest soit ki vient, et dont il vient, ou il vient, et por kai il vient, quant il vient, et par quel voie il vient. Certes molt fait aloer ceste curiositeit, et molt est saine. Car to'e sainte Eglise ne celeberrait mies si devotement cest avenement, sauencus grant Sacrement no estoit en lui receleis.

2. Tot a premiers sesvu... des ensemble lapostle ki ce cest avenement est toz embaky, etc.

3. Por Deus, chier freire, fuyez orgoil, et forment lo fuyez. Orgoilz est commencement de toz pechiez, ki si hieusement abateit en parmenant... Luciferum, ki reluisoit plus cler ke totes les estoiles, ki un engele ne muat mies en diaule, mais nes to prince des Engeles, qui aparmemes ot envie de lomme, et si mist en lui la felonie, kil avoit conceut en lui mismes, quant il li semonut kil seroit si cum Deus saichanz bien et mal,

sil maingievot de larbre ki defenduz li estoit. Chaitif malaurous ke promes tu, cum ce soit ke li Fils del haltisme ait la cleif de science. Anz est il mismes li cleif David qui clot, et nule ne aurret. En lui sunt reponuit tuit li tressor de sapience et de science. Embleras les tu dons por doneir a lomme. Or puez vor ke menteires est rist et ses peires selonc la sentence de nostre Signur. Il fut menteires quant il dist kil semblanz seroit al haltisme : et peires just de la menzonge, quant il lenvelimeie semence de la falseteit gittat assi.. en lomme, quant il dit quil seroient si cum Deus. Et tu assi o tu homme tu vois lo lairon, et si cours ensemble lui. Vos avez oil, chier freire, ceu cum leist anuit en Ysuaie la profete, lai ou nostre Sires dist, Li prince de ton peule sunt inobedient et compaignon de lairons.

4. Por veriteit nostre Prince furent inobedient et compaignons de lairons. Cest Adam et Eve ki furent li encomencement de nostre lignieie, ki par lo conseil del serpent, mais del diaule par lo sergent vorrent malement traire en ols ceu kapartient solement al Fil de Deus. Nen a ceste feite ne mist mies li peires en respit la torture cum faisoit al fil. Car li Peires aiment lo Fil, anz lo venut aparmemes assi de lome, et si apoiset sor noz toz sa... Car nos pchames tuit en Adam ; et en lui receumes tuit la sentence de dampnation. Et ke seroit li Fil... il por luy avengier veoit si enment lo Peire kil a nule creature nen espargnievet, assi cum il desist. Por mi port mes (Peires) totes ses creatures. Li premiers Engeles se volt eslevoir a ma haltesce, et si ot grant compaignie ki a lui consentit : mais li amors ke li Peires at vers mi prist u parmemes vengeance de luy, ensi kil luy et toz les siens ferit de cruyer chastement : et de pluie ke saneie ne puet estre. La science ke meye est aussi volt aussi entreprendre li hom : et il de lui nen ot mies assi pitiet, ne ne lespargnat ses ois. At dons Deus cure des bezaies ? Il n'en avoit fait mais ke dous nobles creatures ke resnaules estoient, et ke devoient estre bienaurouses, cest Lengele et lomme. Mais por mi at parduit une grant partie dengeles et toz les homes. Donkes por ceu kil saichent ke ju ainme aussi le Peire, si est drois quil rezoivet parmi ceos quil at parduit assi cum en une maniere parmi. Si por mi est leveiz cist tempez, si cum dist Jonas, prenez me, et si me gittiez en la meir. Tuit ont de mi envie : mais ju envois, et si me demosterray teil a ols, ke tuit cil qui lor envie acuyseront et ensevre me vorront, seront bien aurret, etc.

SANCTI BERNARDI

ABBATIS CLARÆ-VALLENSIS

SERMONES DE TEMPORE.

IN ADVENTU DOMINI.

703-717 SERMO I.

De Adventu Domini, et sex circumstantiis ejus.

1. Hodie, fratres, celebramus Adventus initium; cujus utique, sicut et cæterarum solemnitatum nomen quidem celebre satis, et notum mundo, sed ratio nominis forte non ita. Infelices enim filii Adam, omissis veris et salutaribus studiis, caduca potius et transitoria quæerunt. Quibus assimilabimus homines generationis hujus, aut quibus comparabimus illos, quos videmus a terrenis et corporalibus consolationibus avelli separarique non posse? Perfecto similes sunt his qui submersi periclitantur in aquis. Nimirum videas eos tenentes tenere, nec ulla ratione deserere quod primum occurrerit manibus, quidquid sit illud, licet tale sit aliquid, quod omnino prodesse non possit, ut sunt radices herbarum, cæteraque similia. Nam et si qui ad eos forte veniant ut subveniant, nonnunquam solent apprehensos involvere secum: adeo ut jam nec sibi, nec illis auxilium ferre prævaleant. Sic pereunt in hoc mari magno et spatioso, sic pereunt miseri; dum peritura sectantes, amittunt solida, quibus apprehensis emergere et salvare possent animum suas. Neque enim de vanitate, sed de veritate, dicitur: *Cognoscetis eam, et liberabit vos (Joan. viii, 32)*. Vos igitur, fratres, quibus tanquam parvulis revelat Deus quæ abscondita sunt a sapientibus et prudentibus; circa ea quæ vere salutaria sunt, sedula cogitatione versamini, et diligenter pensate rationem Adventus hujus, quærentes nimirum quis sit qui veniat, unde, quo, ad quid, quando, et qua. Laudabilis sine dubio curiositas ista est et salubris: neque enim tam devote Ecclesia universa presentem celebraret Adventum, nisi lateret in eo magnum aliquod sacramentum.

2. Primo igitur loco cum Apostolo stupente et admirante intueamini et vos, quantus sit iste qui ingreditur: ipse enim est secundum Gabrielis testimonium, Altissimi Filius (*Luc. 1, 32*), ac proinde coalitissimus ipse. Neque enim fas est Dei Filium degenerem suspicari: sed æqualis fateri necesse est altitudinis, et ejusdem penitus dignitatis. Nam et filios principum principes, et filios regum reges esse quis nesciat? Verumtamen quid sibi vult quod e

A tribus personis, quas in summa Trinitate credimus, confitemur et adoramus, non Pater, non Spiritus sanctus advenit, sed Filius? Minime quidem ego id factum esse arbitror sine causa. Sed quis cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? (*Rom. xi, 34*.) Neque enim sine altissimo Trinitatis consilio factum est, ut Filius adveniret: et si consideramus exsiliis nostri causam, fortassis advertere possumus vel ex parte, quam congruum fuerit a Filio nos maxime liberari. Lucifer enim ille, qui mane oriebatur, pro eo **718** quod Altissimi similitudinem usurpare tentavit, et rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo (quod utique Filii est), præcipitatus illico corruit, quoniam zelavit pro Filio Pater et opere dixisse videtur: *Mihi vindictam, et ego retribuam (Rom. xii, 19)*. Continuo videbam Satanam tanquam fulgur cadentem de cælo (*Luc. x, 18*). Quid tu igitur superbis, terra et cinis? Si superbientibus angelis Deus non peperit; quanto magis tibi, putredo et vermis? Nihil ille fecit, nihil operatus est: tantum cogitavit superbiam; et in momento, in ictu oculi, irreparabiliter præcipitatus est; quia juxta evangelistam: *In veritate non stetit (Joan. viii, 44)*.

3. Fugite superbiam, fratres mei; quæso, multum fugite. Initium omnis peccati superbia: quæ tam velociter ipsum quoque sideribus cunctis claris micantem æterna caligine obtenebravit Luciferum: quæ non modo angelum, sed angelorum primum in diabolum commutavit. Unde et protinus invidens homini, quam conceperat in semetipso, in eo peperit iniquitatem; suadens ut lignum vetitum gustans fieret sicut Deus, sciens bonum et malum. Quid enim polliceris, quid promittis, miser: cum Filius Altissimi scientiæ clavem habeat, imo et ipse sit *clavis David, qui claudit, et nemo aperit (Apoc. iii, 7)*. In eo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi (*Coloss. 1, 3*): tunc eos, ut homini præstes, inique furaberis? Videtis quia juxta Domini sententiam *mendax iste est, et pater ejus (Joan. viii, 44)*. Nam et mendax fuit, dicens: *Similis ero Altissimo (Isai. xiv, 14)*; et mendacii pater, cum in hominem quoque venenatum suæ falsitatis seminarium effudit, dicens: *Eritis sicut dii (Gen. iii, 5)*. Tu quoque, o homo, si vides furem, curris cum eo. Audistis, fra-

tres, quid hac nocte lectum est in Isaia, dicente Domino : *Principes tui infideles* ; vel, ut alia translatio habet, *inobedientes, socii furum* (Isa. 1, 23).

4. Revera enim principes nostri Adam et Eva, principia nostræ propaginis, inobedientes et socii furum ; qui quod filii Dei est, serpentis, imo diaboli per serpentem consilio subripere tentant. Nec dissimulat injuriam Filii Pater (Pater enim diligit Filium [Joan. v, 20]), sed continuo et in ipsum hominem vindictam retribuit, et aggravat super nos manum suam. Omnes enim in Adam peccavimus, et in eo sententiam damnationis accepimus omnes. Quid agat Filius, videns pro se zelare Patrem, et nulli penitus parcere creaturæ ? Ecce, inquit, occasione mei creaturas suas Pater amittit. Altitudinem meam primus angelus affectavit, et populum qui sibi crederet, habuit : sed continuo Patris zelus graviter vindicavit in illum, percutiens eum pariter cum omnibus suis plaga incurabili, castigatione crudeli. Scientiam quoque, quæ nihilominus mea est, subripere voluit homo : et ne illi quidam misertus est, nec pepercit oculus ejus. *Nunquid de bobus cura est Deo ?* (I Cor. ix, 9.) Duas tantum fecerat nobiles creaturas rationis participes, capaces beatitudinis, angelum videlicet, atque hominem : sed ecce propter me angelos perdidit multos, homines universos. Ergo ut sciant quia et ego diligo **719** Patrem ; per me recipiat, quos quodammodo propter me amisisse videtur. *Si propter me tempestas hæc orta est*, ait Jonas, *tollite me, et mittite in mare* (Jonæ. 1, 12). Omnes invident mihi. Ecce venio, et talem eis exhibeo memetipsum, ut quisquis invidere voluerit, quisquis gestierit imitari, fiat ei æmulatio ista in bonum. Novi tamen in affectum malitiæ et nequitiae transisse angelos desertores, nec ex ignorantia aliqua seu infirmitate peccasse ; ideoque perire necesse est pœnitere nolentes. Patris enim amor, et honor Regis judicium diligit.

5. Propter hoc enim et ipse creavit homines ab initio, qui supplerent locum illum, et ruinas Jerusalem restaurarent. Sciebat enim nullam angelis patere redeundi viam. Nempe novit *superbiam Moab, quod superbus est valde* (Isa. xvi, 6) : et superbia ejus pœnitentiæ remedium non admittit, ac per hoc nec veniæ. At vero hominis vice nullam postea condidit creaturam, innuens ex hoc ipso redimendum adhuc hominem : quippe quem supplantavit aliena malitia ; ideoque prodesse ei potest charitas aliena. Ita, Domine, obsecro, complacere tibi, ut eruas me, quoniam ego infirmus sum : quoniam de terra mea furtim sublatus sum, et hic innocens in lacum missus sum (Gen. xl, 15). Non penitus quidem innocens : sed quantum ad eum qui me seduxit, innocens aliquatenus. Mendacium mihi persuasum est, Domine : veniat Veritas, ut possit falsitas deprehendi, et cognoscam veritatem, et veritas liberabit me ; si tamen deprehensæ falsitati penitus renuntiavero, et cognitæ adhæsero veritati. Alioquin non humana erit tentatio, nec humanum peccatum, sed obstina-

atio diabolica. Nam perseverare in malo diabolicum est : et digni sunt perire cum illo, quicumque in similitudinem ejus permanent in peccato.

6. Ecce, fratres, audistis quis sit qui veniat ; considerate jam unde veniat, et quo. Venit utique de corde Dei Patris in uterum virginis Matris ; venit a summo cœlo in inferiores partes terræ. Quid ergo ? nonne et nobis in terra est conversandum ? Est, si tamen in ea perstitit ille. Ubi enim bene erit sino illo ? aut ubi male esse poterit cum illo ? *Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram ? Deus cordis mei, et pars mea, Deus in æternum* (Psal. lxxxii, 25). *Nam et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala*, si tamen tu mecum es (Psal. xxii, 4). Nunc autem, ut video, et ad terras, et ad ipsum quoque descendit infernum ; non tanquam vinculus, sed tanquam inter mortuos liber : sicut lux quæ in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Unde nec relinquitur anima in inferno, nec sanctum corpus in terra videt corruptionem. Christus enim qui descendit, ipse est et qui ascendit ut adimpleret omnia ; de quo scriptum est : *Qui pertransiit benefaciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo* (Act. x, 38) : et alibi : *Exsultavit ut gigas ad currendam viam : a summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus* (Psal. xviii, 6) Merito proinde clamat Apostolus, dicens : *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens* (Coloss. iii, 1). Incassum laboraret erigere corda nostra, nisi collocatum in cœlis salutis nostræ doceret auctorem. Sed videamus jam quæ sequuntur. Nam etsi materia quidem copiosa invenitur et uberrima valde, sed angustiae temporis tantam sermonis longitudinem non admittunt. Considerantibus ergo quis veniat, magna omnino et ineffabilis majestas innotuit. Suspicientibus unde veniat, grandis plane patuit via, secundum ejus testimonium qui prophetico præventus spiritu, *Ecce, inquit, nomen Domini venit de longinquo* (Isa. xxx, 27). Porro quo veniat intuentibus, apparuit inæstimabilis dignatio et penitus inexcogitabilis, quod in carceris hujus horrorem tanta descendere dignata est celsitudo.

7. Jam quis dubitet magnum aliquid in causa fuisse, ut majestas tanta, de tam longinquo, in locum tam indignum descendere dignaretur ? Plane magnum aliquid, quia misericordia magna, quia miseratio multa, quia charitas copiosa. Ad quid enim venisse credendus est ? Hoc namque est quod juxta propositum ordinem **720** oporteat jam perscrutari. Nec sane laborandum est in hac parte, cum manifeste adventus ejus causam et verba ipsius, et opera clament. Ad quærendam quippe ovem centesimam, quæ erraverat, de montibus properavit ; et ut consiteantur manifestius Domino misericordiae ejus, et mirabilia ejus filiis hominum, propter nos venit. Mira quærentis Dei dignatio, magna dignitas hominis sic quæsitæ ! In qua si gloriari voluerit, non erit insipiens : non quod aliquid esse videatur tan-

quam a seipso; sed quoniam tantum fecerit ipse qui fecit. Omnes enim divitiæ, omnis gloria mundi, et quicquid in eo concupiscitur, minus est ad hanc gloriam: imo nec est aliquid in comparatione ejus. Domine, quid est homo quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?

8. Attamen velim nosse, quid sibi voluerit, quod ad nos venit ille, aut quare non magis iuvimus nos ad illum. Nostra enim erat necessitas: sed nec est consuetudo divitum ut ad pauperes veniant, nec si præstare voluerint. Ita est, fratres, nos magis ad eum venire dignum fuit; sed duplex erat impedimentum. Nam et caligabant oculi nostri: ille vero lucem habitat inaccessibilem (*I Tim. vi, 16*); et jacentes paralytici in grabato divinam illam non poteramus attingere celsitudinem. Propterea benignissimus Salvator et medicus animarum descendit ab altitudine sua, et claritatem suam infirmis oculis temperavit. Induit se laterna quadam, illo utique glorioso et ab omni labe purissimo corpore quod suscepit. Hæc est enim illa levissima plane et præfulgida nubes, supra quam ascensurum eum propheta prælixerat, ut descenderet in Ægyptum (*Isa. xix, 1*).

9. Tempus est jam ipsum quoque considerare tempus, quo Salvator advenit. Venit enim (quod et vos credimus non latere) non in initio nec in medio temporis, sed in fine. Nec incongrue factum est, sed vere sapienter disposuit Sapientia, ut cum magis esset necessarium, tunc primo ferret auxilium, pronos ad ingratitude Adæ filios non ignorans. Vere enim advesperascebat et inclinata erat jam dies, recesserat paulo minus sol justitiæ: ita ut exiguus nimis splendor ejus aut calor esset in terris. Nam et lux divinæ notitiæ parva admodum erat, et abundante iniquitate fervor refrigerat charitatis. Jam non apparebat angelus, non loquebatur propheta; cessabant velut desperatione victi, prænimia utique duritia hominum et obstinatione: at ego, ait Filius, tunc dixi: Ecce venio (*Psal. xxxix, 8*). Sic, sic dum medium silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu iter perageret (*Sap. xviii, 14*), omnipotens sermo tuus, Domine, a regalibus sedibus venit. Quod et Apostolus immens aiebat: Quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum (*Galat. iv, 4*). Nimirum plenitudo et abundantia temporalium oblivionem et inopiam fecerat æternorum. Opportune ergo tunc advenit æternitas, quando magis temporalitas prævalebat. Nam ut cætera sileam, ipsa quoque pax temporalis illo in tempore tanta fuit, ut ad hominis unius edictum de cribaretur universus orbis (*Luc. ii, 1*).

10. Habetis jam et personam venientis, et locum utrumque, id est, a quo, et ad quem venit: causam quoque et tempus non ignoratis. Unum restat, via scilicet per quam venit: et hæc quoque diligenter requirenda; ut possimus, sicut dignum est, ei occurrere. Verumtamen sicut ad operandam salutem in medio terræ venit semel in carne visibilis, ita quo-

tidie ad salvandas animas singulorum in spiritu venit et invisibilis, sicut scriptum est: Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus. Et ut noveris occultum esse spiritualem hunc adventum: In umbra ejus, inquit, vivemus inter gentes (*Thren. iv, 20*). Propterea dignum est, ut si non valet infirmus incursum tanti medici procedere longius, saltem conetur erigere caput, aliquatenus assurgere venienti. Non te oportet, o homo, maria transfretare, non penetrare nubes, non transalpinare necesse est. Non grandis, inquam, tibi ostenditur via: usque ad te ipsum occurre Deo tuo. Prope est enim **721** verbum in ore tuo, et in corde tuo (*Rom. x, 8*). Usque ad cordis compunctionem et oris confessionem occurre, ut saltem ex eas de sterquilino miseræ conscientie; quoniam in lignum est illuc auctorem puritatis intrare. Et hæc quidem de eo adventu dicta sunt, quo singulorum mentes invisibili dignatur illustrare presentia.

11. Libet autem manifesti adventus viam considerare: quoniam viæ ejus, viæ pulchræ; et omnes sententiæ ejus pacificæ (*Prov. iii, 17*). Ecce, inquit sponsa, venit is saliens in montibus, transiliens colles (*Cantic. ii, 8*). Venientem vides, o pulchra, sed cubantem videre ante non poteras. Dixisti enim: Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes (*Cant. i, 6*). Cubans pascit angelos in illas perpetuas æternitates, quos satiat visione æternitatis et immutabilitatis suæ. Sed ne ignores te, o pulchra: quoniam mirabilis facta est visio illa ex te; confortata est, et non poteris ad eam. Verumtamen ecce egressus est de loco sancto suo: et qui cubans pascit angelos, ipse cepit, sicut somnabit nos; et videbitur veniens et pascus, qui cubans et pascens ante videri non poterat. Ecce venit hic saliens in montibus, transiliens colles. Montes et colles, patriarchas et prophetas accipe; et quemadmodum venerit saliens et transiliens, in libro generationis lege: Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob (*Matth. i, 2*), etc. Ex his montibus prodiit, ut invenies, radix Jesse, unde juxta prophetam, egressa est virga, et exinde flos ascendit, super quem requievit Spiritus septiformis (*Isa. xi, 1-3*). Quod manifestius alio in loco aperiens idem propheta: Ecce, inquit, virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur, Nobiscum Deus (*Isa. vii, 14*). Quem enim prius florem, ipsum deinde Emmanuelem; et quam dixerat virgam, manifestius exprimens, virginem nominavit. Sed necesse est altissimi hujus sacramenti considerationem diei alteri reservare: digna est enim proprio sermone materia, præsertim quod in longum jam hodiernus sermo processerit.

SERMO II.

De verbis Isaie ad Achaz: «Pe'te tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra, » etc. (*Isa. vii, 11-16*).

1. Audivimus suadentem regi Achaz Isaiam, petere signum a Domino, sive in profundum

inferni, sive in excelsum supra. Audivimus re-
sponsonem ejus, formam quidem habentem
pietatis, sed non virtutem. Propter hoc denique
ab eo qui intuetur cor, et cui constiterit hominis
cogitatio meruit reprobari. *Non petam, inquit, et
non tentabo Dominum.* Elatus erat Achaz fastigio solii
regalis, astutus humanæ sapientiæ verbis. Audierat
igitur Isaias a Domino: Vade, dic vulpi illi, petat
sibi signum a Domino in profundum. Habet enim
vulpes foream, sed in infernum quoque si descende-
rit, adest qui comprehendat sapientes in astutia sua.
Item: Vade, ait Dominus, dic volucris isti, petat sibi
signum in excelsum supra. Habet enim volucris ni-
dum; sed et si in cœlum ascenderit, illic est, qui
superbis resistens, propria calcat virtute superbo-
rum et sublinium colla. Veruntamen dissimulat
ille potestatis excelsæ, seu incomprehensibilis
profunditatis sapientiæ quærere signum: et pro-
pterea signum bonitatis et charitatis domui David
ipse Dominus promittit, ut quos nec potestas,
nec sapientia terruit, alliciat saltem exhibitio
charitatis. Potest tamen in eo quod ait, *In pro-
fundum inferni, etiam charitas ipsa, qua majorem
nemo habuit, ut in infernum quoque pro amicis mori-
endo descenderet, non immerito designari: ut
præcipiatur Achaz vel in excelsum regnantis expa-
vescere majestatem, vel descendantis ad inferos am-
plexi charitatem. Molestus est ergo non solum ho-
minibus, sed etiam Deo, quisquis nec majestatem
cogitat in timore, nec charitatem cum amore* **722**
meditatur. Propter hoc, inquit, dabit Dominus ipse **C**
*vobis signum, in quo manifeste et majestas, et cha-
ritas innotescat. Ecce virgo concipiet et pariet filium,
et vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod interpreta-
tur, Nobiscum Deus. Noli fugere Adam, quia nobis-
cum Deus. Ne timeas, o homo, nec audito Dei no-
mine terrearis, quia nobiscum Deus. Nobiscum
carnis similitudine, nobiscum unitate [alias, utili-
tate]. Propter nos venit, tanquam unus ex nobis,
similis nobis, passibilis.*

2. Denique, *Butyrum, inquit, et mel comedet.* Ac
si dicat: Parvulus erit, et vescetur infantilibus ali-
mentis. *Ut sciat, inquit, reprobare malum, et eligere
bonum.* Etiam hic bonum et malum audis, sicut in
arbore vetita, sicut in ligno transgressionis. Sed
multo melius a primo Adam secundus iste partitur.
Eligens enim bonum, malum reprobatur, non sicut ille
qui dilexit maledictionem, et venit ei; noluit bened-
ictionem, et elongata est ab eo (*Psal. cviii, 18*).
Nunc et in eo quod præmisit, *Butyrum et mel come-
det, advertere poteris parvuli hujus electionem.*
Tantum adsit ejus gratia, ut quod præstat, utcumque
sentire dignè, et accomodate ad intelligentiam pro-
ferre concedat. Duo sunt in lacte ovis: butyrum et
caseus. Butyrum pingue et humidum; caseus econ-
tra aridus et durus. Bene ergo parvulus noster eli-
gere novit, qui butyrum comedens, caseum utique
non comedit. Quæ est enim ovis centesima, quæ er-
ravit (*Matth. xviii, 12*), et in Psalmo loquitur: *Er-*

ravi sicut ovis quæ periit (*Psal. cxviii, 176*). Utique
genus humanum quod benignissimus pastor quæ-
rit, aliis sane nonaginta novem ovibus in montibus
derelictis. In hac igitur ove duo reperies, naturam
dulcem, naturam bonam, et bonam valde, tanquam
butyrum: et peccati corruptionem, ut caseum. Vide
ergo quam optime puer noster elegit, qui naturam
nostram sine ulla peccati corruptione suscepit. Nam
de peccatoribus legis, *Coagulatum est sicut lac cor
eorum* (*ibid. 70*); in quibus utique lactis puritatem
corruerat fermentum malitiæ, coagulum iniqui-
tatis.

3. Sic et apis habet mellis dulcedinem, habet
etiam aculei punctionem. Apis vero est, quæ pascit
inter lilia, quæ florigeram inhabitat patriam an-
gelorum. Unde et civitatem Nazareth, quod in-
terpretatur *flos*, advolavit, et ad suave olentem
perpetuæ virginitatis florem advenit: illi insedit,
illi adhæsit. Hujus apis mel et aculeum non ignorat,
qui misericordiam ei et judicium cum Propheta de-
cantat (*Psal. c, 1*). Attamen ad nos veniens solum
mel attulit, et non aculeum, id est misericordiam
et non judicium; ita ut suadentibus quandoque di-
scipulis, ut civitatem, quæ suscipere eum noluit,
præciperet igne consumi, responderit, Filium homi-
nis non venisse ut judicaret, sed ut salvaret mun-
dum (*Luc. ix, 54-56*). Non habebat aculeum apis
nostra: quodammodo deposuerat illum, quando
tanta indigna patiens, misericordiam exhibebat, et
non judicium. Sed nolite sperare in iniquitate, no-
lite peccare in spe. Habet enim apis nostra quan-
doque assumere aculeum suum, et acriter nimis in-
figere illum in medullas hominum peccatorum:
quoniam Pater non judicat quemquam, sed Filio
dedit omne judicium (*Joan. v, 22*). Nunc autem par-
vulus noster butyrum et mel comedit, et quod bo-
num naturæ humanæ, divinæ misericordiæ sic univit
in semetipso, ut esset homo verus, et peccatum non
habens: Deus misericors, et judicium non exhibens.

4. Ex his manifestum jam arbitror, quænam sit
virga de radice Jesse procedens, quis vero flos super
quem requiescit Spiritus sanctus. Quoniam Virgo
Dei genitrix virga est, flos Filius ejus. Flos utique
Filius Virginis, flos candidus et rubicundus, electus
ex millibus (*Cantic. v, 10*); flos in quem prospicere
desiderant angeli, flos ad cujus odorem reviviscunt
mortui, et sicut ipse testatur, flos campi est (*Cant.
ii, 1*), et non horti. Campus enim sine omni humano
floreit adminiculo, non seminatus ab aliquo, non
defossus sarculo, non impinguatus limo. Sic omnino,
sic Virginis alvus floruit, sic inviolata, integra et
casta Mariæ viscera, tanquam pascua æterni viroris
florem protulere; cujus pulchritudo **723** non videat
corruptionem, cujus gloria in perpetuum non mar-
cescat. O Virgo, virga sublimis, in quam sublime
verticem sanctum erigis! usque ad Sedentem in
throno, usque ad Dominum majestatis. Neque enim
id mirum, quoniam in altum nititis radices humili-
tatis. O vere cœlestis planta, pretiosior cunctis,

sanctorum universis! O vere lignum vitæ, quod solum fuit dignum portare fructum salutis! Deprehensa est, maligne serpens, versutia tua, nudata est plane falsitas tua. Duo imponeras Creatori; mendacii et invidiæ infamaveras eum: sed in utroque convictus es esse mentitus. Siquidem et ab initio moritur cui dixeras: *Nequaquam morieris* (Gen. iii, 4): et veritas Domini manet in æternum (Psal. cxvi, 2). Sed et nunc responde, si potes, quam ei arborem, cujus arboris fructum invidere potuit, qui ne hanc quidem virgam electam, et fructum sublimem negavit? Etenim qui proprio Filio non pepercit, quomodo non omnia simul cum illo donavit? (Rom. viii, 32.)

5. Sed jam advertistis, ni fallor, quoniam Virgo regia ipsa est via, per quam Salvator advenit, procedens ex ipsius utero, tanquam sponsus de thalamo suo. Tenentes ergo viam, quam priore, si meministis, cœpimus investigare sermone, studeamus et nos, dilectissimi, ad ipsum, per eam ascendere, qui per ipsam ad nos descendit: per eam venire in gratiam ipsius, qui per eam in nostram miseriam venit. Per te accessum habeamus ad Filium, o benedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ, mater salutis: ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis, et humilitas Deo grata nostræ veniam impetret vanitati. Copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, et fecunditas gloriosa fecunditatem nobis conferat meritum. Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo nos Filio representa. Fac, o benedicta, per gratiam quam invenisti, per prærogativam quam meruisti, per misericordiam quam peperisti [*alias*, percipisti], ut qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis et miseriæ nostræ, te quoque intercedente participes faciat nos gloriæ et beatitudinis suæ, Jesus Christus Filius tuus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO III.

De triplici Domini adventu, et de septem columnis quas in nobis erigere debemus.

1. In Adventu Domini quem celebramus, si personam venientis intueor, non capio excellentiam majestatis. Si attendo ad quos venerit, dignationis magnitudinem expavescō. Stupent certe angeli de novo, videntes infra se, quem supra se semper adorant, manifeste jam ascendentes et descendentes ad Filium hominis. Si considero propter quid venerit, amplector quoad possum inæstimabilem latitudinem charitatis. Si modum cogito, exaltationem agnosco humanæ conditionis. Venit siquidem universitatis Creator et Dominus, venit ad homines, venit propter homines, venit homo. Sed dicet aliquis: Quomodo venisse dicitur, qui semper ubique fuit? Erat quidem in mundo, et mundus per ipsum factus est, sed mundus eum non cognovit (Joan. i, 10). Non ergo venit qui aberat, sed apparuit qui latebat. Unde et

A humanam, in qua agnosceretur, induit formam, qui nimirum in divina lucem habitat inaccessibilem (1 Tim. vi, 16). Nec sane inglorium majestati apparere in propria similitudine sua, quam fecerat ab initio, nec indignum Deo, a quibus in substantia sua non poterat agnosci, in imagine exhiberi: ut qui fecerat hominem ad imaginem et similitudinem suam, ipse hominibus innotesceret factus homo.

2. Hujus ergo adventus tantæ majestatis, tantæ humilitatis, tantæ charitatis, tantæ etiam glorificationis nostræ ab universa Ecclesia semel in anno solemniter memoria celebratur. Sed utinam ita semel ageretur, ut semper! id quippe dignius. Quantæ enim insanix est, ut post tanti Regis adventum, aliis quibuslibet negotiis homines velint, seu audeant occupari; et non magis, ommissis omnibus, soli ejus cultui vacent, nec in ejus præsentia cujusquam meminissent cæterorum? Sed non omnium est quod ait Propheta: *Memoriam abundantix suavitatis tuæ eructabunt* (Psal. cxliv, 7): siquidem nec omnes hæc memoria pascit. Sane nemo quod non gustavit, sed neque quod tantum gustavit, eructat. Ructus quippe non nisi de plenitudine et satiæ procedit. Propterea quorum sæcularis est mens et vita, memoriam hanc etsi celebrant, non tamen eructant sine devotione et affectione dies istos arida quadam consuetudine observantes. Denique, quod damnabilis est, ipsa quoque inæstimabilis hujus dignationis memoria datur in occasionem carnis, ut videas eos tanta sollicitudine diebus istis vestium gloriam, ciborum parare delicias, ac si hæc et hujusmodi quærat in nativitate sua Christus, et ibi suscipiatur dignius, ubi hæc accuratius exhibentur. Sed ipsum audi dicentem: *Superbo oculo et insatiabili corde, cum hoc non edebam* (Psal. c, 5). Quid tanta ambitione vestes paras in Natalo meo? detestor ego superbiam, non amplector. Quid tanta sollicitudine ciborum copias reponis in tempus illud? damno ego carnis delicias, non accepto. Plane insatiabilis es corde, tanta parans, et ex tam longo; nam corpori utique et pauciora sufficerent, et quæ possent opportunius inveniri. Celebrans ergo adventum meum, labiis me honoras, sed cor tuum longo est a me. Non me colis, sed deus tuus venter est, et gloria in confusione tibi. Infelix omnino, qui voluptatem corporis, et sæcularis colit gloriæ vanitatem. Beatus autem populus, cujus est Dominus Deus ejus (Psal. cxliii, 15).

3. Fratres, nolite æmulari in malignantibus, neque zelaveritis facientes iniquitatem (Psal. xxxvi, 4). Intelligite magis in novissima eorum, et compatimini eis ex animo, et orate pro eis qui præoccupati sunt in delicto. Hæc enim faciunt miseri, quia ignorantiam Dei habent. Nam si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ tanta adversum se insaniam provocarent. Nos autem, dilectissimi, excusationem de ignorantia non habemus. Plane nosti eum, quisquis hic es, et si dixeris: Quia non novi eum eris similis sæcularibus, mendax. Denique si eum

non nosti, quis te huc adduxit, aut quomodo huc venisti? Alioquin quando tibi persuaderi posset charorum affectibus, corporis voluptatibus, sæculi vanitatibus sponte abrenuntiare, et jactare cogitatum tuum in Domino, et omnem sollicitudinem in eum projicere; de quo nihil bene, imo tam male, conscientia teste, merueras? Quis tibi, inquam, persuadere id posset, si nescires, quia bonus Dominus sperantibus in se, animæ quærenti ipsum; nisi cognovisses et tu, quia suavis est Dominus, et mitis, et multæ misericordiæ, et verax? Hæc autem unde nosti, nisi quia non solum ad te, sed etiam in te venit?

4. Triplicem enim ejus adventum novimus; ad homines, in homines, contra homines. Ad omnes quidem indifferenter, non autem ita in omnes, aut contra omnes. Sed quia primus et tertius noti sunt, utpote manifesti; de secundo, qui spiritualis et occultus est, ipsum audi dicentem: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (Joan. xiv, 23). Beatus, apud quem mansionem facies, Domine Jesu. Beatus, in quo Sapientia ædificat sibi domum, excidens columnas septem. Beata anima, quæ sedes est Sapientiæ. Quænam est illa? Anima utique justæ. Merito plane, quia justitia et judicium præparatio sedis tuæ. Quis in vobis est, fratres, qui desiderat in anima sua sedem parare Christo? Ecce quænam illi serica, quæ tapetia, quod pulvinar oporteat præparari. *Justitia, inquit, et judicium præparatio sedis tuæ* (Psal. lxxxviii, 15). Justitia virtus est, quod suum est unicuique tribuens. Tribue ergo **725** tribus quæ sua sunt. Redde superiori, redde inferiori, redde æquali cuique quod debes, et digne celebra ad adventum Christi, parans ei in justitia sedem suam. Redde, inquam, reverentiam prælato, et obedientiam; quarum altera cordis, altera corporis est. Nec enim sufficit exterius obtemperare majoribus nostris, nisi ex intimo cordis affectu sublimiter sentiamus de eis. Quod etsi tam manifeste innotuerit indigna prælati alicujus vita, ut nihil omnino dissimulationis, nihil excusationis admittat; propter eum tamen a quo est omnis potestas, ipsum quem modo talem novimus, excelsum reputare debemus, non præsentibus personæ meritis, sed ordinationi divinæ, et dignitati ipsius officii deferentis.

5. Sic et fratribus nostris, inter quos vivimus, ipso jure fraternitatis et societatis humanæ consilii sumus et auxilii debitores. Hæc enim volumus ut et ipsi nobis impendant: consilium, quo erudiatur ignorantia nostra; auxilium, quo juvetur infirmitas nostra. Sed forte erit inter vos qui tacitus respondeat, dicens: Quod ego consilium dabo fratri, cui nec unum quidem dicere verbum fas est absque licentia? quod ei auxilium impendere est, cum nec minimum aliquid agere liceat absque obedientia? Ad quod ego: Non decrevit certe quod facias, tantummodo charitas fraterna non desit. Nullum ego con-

silium melius arbitror, quam si exemplo tuo fratrem docere studeas, quæ oporteat, quæ non oporteat fieri; provocans eum ad meliora, et consulens ei, non verbo neque lingua, sed opere et veritate. An vero utilius aut efficacius auxilium aliquid est, quam ut ores devote pro eo, ut non dissimules redarguere culpas ejus: ut non modo nullem ei offendiculum ponas, sed et sollicitus sis, quantum prævalens, tanquam angelus pacis de regno Dei scandala tollere, et occasiones scandalorum penitus dimovere? Si talem te fratri auxiliarium et consiliarium exhibes, reddis ei quod debes, nec habet unde causetur.

6. Porro si cui forte prælatus es, huic sine dubio teneris debitor sollicitudinis amplioris. Exigit a te et ipse custodiam et disciplinam. Custodiam quidem ut possit cavere peccatum, disciplinam vero, ut quod minus cavet, minime maneat impunitum. Quod cisi nemini fratrum præesse videris, habes tamen sub te, cui custodiam hanc et disciplinam oporteat exhiberi. Dico autem corpus tuum, quod sine dubio regendum accepit spiritus tuus. Debes ei custodiam, ut non regnet in eo peccatum, nec membra tua arma fiant iniquitati. Debes et disciplinam, ut dignos faciat pœnitentiæ fructus, castigatus et subditus servituti. Longe tamen graviore et periculosiori debito tenentur astricti, qui pro multis animabus reddituri sunt rationem. Quid ego infelix! quo me vertam, si tantum thesaurum, si pretiosum depositum istud, quod sibi Christus sanguine proprio pretiosius judicavit, contigerit negligentius custodire? Si stillantem in cruce Domini sanguinem collegissem, essetque repositus penes me in vase vitreo, quod et portari sæpius oporteret, quid animi habiturus essem in discrimine tanto? Et certe id servandum accepi, pro quo mercator non insipiens, ipsa utique Sapientia, sanguinem illum dedit. Sed et habeo thesaurum istum in vasis fictilibus, et quibus multo plura quam vitreis imminere pericula videantur. Accedit sane ad sollicitudinis cumulum et pondus timoris, quod cum et meam, et proximi conscientiam servare necesse sit, neutra mihi satis est nota. Utraque abyssus est imperscrutabilis, utraque mihi nox est: et nihilominus exigitur a me utriusque custodia, et clamatur: *Custos, quid de nocte? custos, quid de nocte?* (Isa. xxi, 11.) Non est mihi dicere cum Cain: *Nunquid custos fratris mei sum ego* (Gen. iv, 9)? sed est fateri humiliter cum Propheta, *quia nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam* (Psal. cxxvi, 1). In eo tamen excusalis ego vidcor, si, ut prædixi, debitam exhibeo custodiam pariter et disciplinam. Quod si priora quoque quatuor non defuerint, dico autem erga prælatos **726** reverentiam et obedientiam, consilium et auxilium erga fratres, quod ad justitiam pertinet, non imparatam sedem iaveniet Sapientia.

7. Et fortassis hæc videantur sex columnæ, quas excidit in ipsa domo, quam ædificavit sibi: et septima quoque quærenda est, si forte et eam nobis notam facere ipsa dignetur. Quid vero prohibet sicut

sex Injustitia, septimam quoque intelligi in iudicio? Neque enim iustitia sola, sed *iustitia*, inquit, et *iudicium præparatio sedis tuæ* (Psal. lxxxviii, 15). Denique si prælatis, et æqualibus, et inferioribus reddimus quod oportet, nihilne accipiet Deus? At ei plane quod debet retribuere nemo potest, quod tam copiose accumulaverit super nos misericordiam suam, quod tam multa deliquerimus ei, quod tam fragiles et nihil simus, quod tam plenus et sufficiens ille sibi, et honorum omnium nostrorum non egens. Audivi tamen dicentem eum, cui incerta et occulta sapientiæ suæ revelaverat, quia *honor regis iudicium diligit* (Psal. xcvi, 4). Nihil quod in se est a nobis exigit amplius; tantum dicamus iniquitates nostras, et justificabit nos gratis, ut gratia commendetur. Diligit enim animam quæ in conspectu ejus et sine intermissione considerat, et sine simulatione dijudicat semetipsam. Idque iudicium non nisi propter nos a nobis exigit, quia si nosmetipsos iudicaverimus, non utique iudicabimur. Propterea sapiens veretur omnia opera sua, scrutatur, discutit et dijudicat universa. Honorat quippe veritatem, qui et se, et sua omnia in eo statu, quo veritas habet, et agnoscit veraciter, et humiliter confitetur. Audi denique manifestius a te iudicium exigi post iustitiam. *Cum feceritis*, inquit, *omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutilis sumus* (Luc. xvii, 10). Hæc plane, quoad ad hominem, est digna sedis præparatio Domino majestatis ut et iustitiæ mandata studeat observare, et semper indignum sese et inutilem arbitretur.

SERMO IV.

De duplici adventu, et studio verarum virtutum [alias, De duplici adventu, et pennis deargentatis].

1. Dignum est, fratres, ut tota cum devotione Domini celebretis Adventum, delectati tanta consolatione, stupefacti tanta dignatione, inflammati tanta dilectione. Nec vero solum cogitatis adventum, quo venit quærare et salvum facere quod perierat, sed et illum nihilominus, quo veniet et assumet nos ad seipsum. Utinam circa hos duos adventus jugi meditatione versemini, ruminantes in cordibus vestris, quantum in priore præstiterit, quantum promiserit in secundo! Utinam certe dormiatis inter medios clericos! Hæc sunt enim duo brachia sponsi, inter quæ sponsa dormiens aiebat: *Læva ejus sub capite meo, et dextera ejus amplexabitur me* (Cantic. ii, 6). Nam *in sinistra* quidem *ejus*, sicut alibi legitur, *divitiæ et gloria: in dextera longiturnitas vitæ* (Prov. iii, 16). *In sinistra ejus*, inquit, *divitiæ et gloria*. Filii Adam, genus avarum et ambitiosum, audite. Quid vobis cum terrenis divitiis et gloria temporali, quæ nec veræ, nec vestræ sunt? Aurum et argentum. Nonne terra est rubra et alba, quam solus hominum error facit, aut magis reputat pretiosam? Denique si vestra sunt hæc, tollite ea vobiscum. Sed homo, cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus.

2. Veræ ergo divitiæ non opes sunt, sed virtutes:

A quas secum conscientia portat, ut in perpetuum dives fiat. De gloria quoque dicit Apostolus: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (II Cor. i, 12). Hæc est utique vera gloria, quæ est a spiritu veritatis. *Ipse enim Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quod filii Dei sumus* (Rom. viii, 16). Gloria vero, quam ab invicem accipiunt, qui gloriam quæ est a solo Deo non requirunt, vana est, quoniam vani filii hominum. Insiptens tu, qui merces congregas in sacco pertusum, qui thesaurum tuum alieno in ore constituis! ignoras quod arca ista **727** non clauditur, nec seras habet? Quanto melius sapiunt, qui thesaurum suum ipsi servant, aliis non committunt? Verum nunquid semper servabunt? Nunquid semper abscondent?

B Veniet cum manifesta erunt abscondita cordis; quæ vero fuerint ostentata, non comparebunt. Hinc est quod veniente Domino fatuarum virginum lampades extinguuntur (Matth. xxv, 1-12): et qui receperunt mercedem suam (Matth. vi, 16), a Domino nesciuntur. Propterea dico vobis, charissimi, utile est abscondere magis quam ostentare, si quid habemus boni; sicut et mendici cum elemosynam petunt, non pretiosas vestes ostendunt, sed seminuda membra, aut ulcera, si habuerint, ut citius ad misericordiam videntis animus inclinetur. Quam regulam Publicanus ille servavit multo melius Phariseo, et ideo *descendit justificatus ab illo* (Luc. xviii, 14) id est præ illo.

C 3. Tempus est, fratres, ut iudicium incipiat a domo Dei. Quis finis eorum qui non obediunt Evangelio? quod iudicium his qui in hoc iudicio non resurgunt? Quicumque enim iudicari dissimulant eo iudicio quod nunc est, in quo princeps hujus mundi ejicitur foras, iudicem expectent, vel magis timeant, a quo cum ipso principe suo foras ejiciantur et ipsi. Nos autem si perfecte iudicamur nunc, securi Salvatorem expectemus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ (Philipp. ii, 21). Tunc fulgebunt justi, ita ut videri possint docti pariter et indocti: fulgebunt enim sicut sol in regno Patris eorum (Matth. xiii, 43). *Erit autem claritas solis septemplex* (Isa. xxx, 26), id est, sicut lux septem dierum.

D 4. Adveniens enim Salvator reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ; si tamen prius fuerit cor reformatum, et configuratum humilitati cordis ipsius. Propter quod et dicebat: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (Matth. xi, 29). Considera sane in his verbis, quoniam humilitas duplex est: altera cognitionis, altera affectionis, quæ hic dicitur cordis. Priore cognoscimus quod nihil sumus; et hanc discimus a nobis ipsis, et ab infirmitate propria: posteriore calcamus gloriam mundi, et hanc ab illo discimus, qui exinanivit semetipsum, formam servi accipiens (Philipp. ii, 7), qui etiam quæsitus in regnum, fugit; quæsitus ad tanta probra et ignominiosum

supplicium crucis, sponte obtulit semetipsum. Sint ergo, si dormire volumus *inter medios clericos*, id est duos adventus, *pennæ nostræ deargentatæ* (*Psal. LXXII, 14*): ut illam scilicet virtutum formam teneamus, quam verbo et exemplo commendavit Christus præsens in carne. In argento siquidem non incongrue intelligitur humanitas ejus, sicut in auro divinitas.

5. Omnis itaque virtus nostra tam longe est a vera virtute, quam longe est ab ea forma: et omnis penna nostra ad nihilum valet, si non fuerit deargentata. Magna quædam penna est paupertatis, qua tam cito volatur in regnum cœlorum. Nam in aliis virtutibus quæ sequuntur, promissio futuro tempore indicatur: paupertati non tam promittitur, quam datur. Unde et præsentem tempore enuntiatum est: *Quoniam ipsorum est regnum cœlorum*: cum in cæteris dicatur: *Hæreditabunt, consolabuntur*, et similia (*Matth. v, 3-9*). Videmus autem pauperes aliquos, qui si veram habent paupertatem non adeo pusillanimes invenirentur et tristes, utpote reges, et reges cœli. Sed hi sunt qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto, ut nihil eis desit, et sic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patiantur. Sunt et alii mites, sed quandiu nihil dicitur, vel agitur nisi pro eorum arbitrio; patebit autem quam longe sint a vera mansuetudine, si levis oriatur occasio. Hæc mansuetudo quomodo hæreditabit, quæ ante hæreditatem deficit? Alios quoque lugentes video: sed si de corde procederent illæ lacrymæ, non tam facile illico solverentur in risum. Nunc autem cum abundantius otiosa verba et scurrilia profluant, quam prius lacrymæ; lacrymas hujusmodi de his esse non arbitror, quibus **728** consolatio divina promittitur, quandoquidem post illas tam facile consolatio vilis admittitur. Alii tam vehementer contra aliorum delicta zelantur ut videri possent esurire et sitire justitiam, si esset apud eos de suis quoque peccatis idem judicium; sed nunc pondus et pondus, utrumque abominatio est apud Deum (*Prov. xx, 23*). Nam contra alios tam impudenter quam inaniter æstuant: seipsum tam insipienter quam inutiliter palpant.

6. Sunt alii misericordes de his quæ ad ipsos non pertinent; qui scandalizantur, si non datum omnibus abundanter, sic tamen, ut ipsi ne in modico quidem graventur: qui si misericordes essent, de suo facere deberent misericordiam; si non possent de terrena substantia, de voluntate bona darent his qui forte contra eos peccare viderentur, indulgentiam; darent dulce signum, verbum bonum, quod est super datum optimum, ut eorum mentes ad pœnitentiam provocarent. Denique et his, et omnibus quos in peccato esse cognoscerent, compassionem impenderent, et orationem. Alioquin misericordia eorum nulla est, et misericordiam consequuntur nullam. Item sunt qui peccata sua sic confitentur ut videri

A possent ex desiderio mundandi cordis id agere (omnia enim in confessione lavantur), nisi quod ea, quæ ipsi sponte dicunt aliis, ab aliis patienter audire non possunt: qui si vere mundari desiderarent, ut videntur; non irritarentur, sed haberent eis gratiam, qui suas illis maculas demonstrarent. Sunt et alii qui si viderint quempiam vel leviter scandalizatum, valde solliciti sunt quomodo eum in pacem reducere possint; et viderentur pacifici, nisi quod eorum commotio, si forte quidquam contra eos factum dictumve videbitur tardius universis poterit difficilisque sedari: qui nimirum si vere pacem diligenter, haud dubium quin eam quærerent sibi-ipsis.

7. Deargentemus ergo pennas nostras in Christi conversatione, sicut et martyres sancti laverunt stolas suas in ejus passione. Imitemur, quoad possumus, eum qui sic dilexit paupertatem, ut, quamvis in ejus manu essent fines terræ, tamen non habuit ubi caput reclinaret (*Luc. ix, 58*); ita ut discipulos adhærentes ei legamus fame compulsos spicas manibus confricasse, cum per sata transirent (*Luc. vi, 1*): quique tanquam ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se obmutuit, et non aperuit os suum (*Isa. LIII, 7*): quem et super Lazarum et super civitatem flevisse (*Joan. xi, 55*; *Luc. xix, 41*), et in orationibus pernoctasse legimus (*Luc. vi, 12*); risisse vero aut jocasse (6) nusquam: qui sic esurivit justitiam, ut cum propria non haberet, tantam pro peccatis nostris a seipso exegit satisfactionem. Unde in cruce nihil aliud quam justitiam sitiebat, qui pro inimicis mori non dubitavit, et oravit pro crucifixoribus suis: qui peccatum non fecit, et imposita sibi ab aliis patienter audivit, qui pro reconciliandis sibi peccatoribus tanta sustinuit.

SERMO V.

De medio adventu, et triplici innovatione.

1. Diximus nuper his qui deargentaverunt pennas suas, dormiendum inter medios clericos, duos significantes adventus: sed ubi sit dormiendum non diximus. Tertius enim quidam adventus est medius inter illos; in quo delectabiliter dormiunt qui eum norunt. Hi enim duo manifesti sunt, sed non iste. In priori quidem in terris visus, et cum hominibus conversatus est; quando, sicut ipse testatur, *et viderunt, et oderunt* (*Joan. xv, 24*). In posteriore vero *videbit omnis caro salutare Dei nostri* (*Luc. iii, 6*); *et videbunt in quem transfuserunt* (*Joan. xix, 37*). Medius occultus est, in quo soli eum in seipsis vident electi, et salvæ sunt animæ eorum. In primo ergo venit in carne et infirmitate; in hoc medio, in spiritu et virtute; in ultimo, in gloria et majestate. Per virtutem **729** enim pervenitur ad gloriam: quia *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ* (*Psal. xxiii, 10*). Et item alibi ait idem propheta: *Ut vide-*

(6) Alias, *jocatum*. Sed manuscripti habent, *jocasse*: licet enim *joco* pro *jocor* non facile quis hoc

revo dixerit, in superioribus tamen sæculis sæpius se offert, inquit Vossius.

rem virtutem tuam, et gloriam tuam (Psal. Lxii, 3). Adventus siquidem iste medius, via quædam est, per quam a primo venit ad ultimum. In primo Christus fuit redemptio nostra: in ultimo apparebit vita nostra: in isto ut dormiamus inter medios clericos, requies est et consolatio nostra.

2. Sed ne cui forte inventitia videantur quæ de hoc adventu medio dicimus, ipsum audite. Si quis diligit me, inquit, sermones meos servabit: et Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus (Joan. xiv, 23). Sed quid est, Si quis diligit me, sermones meos servabit? Legi enim alibi: Qui timet Deum, faciet bona (Eccli. xv, 1); sed plus aliquid dictum sentio de diligente, quia sermones Dei servabit. Ubi ergo servandi sunt? Haud dubium quin in corde, sicut ait Propheta: In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi (Psal. cxviii, 11). Sed quomodo in corde servandi? an sufficit sola eos servare memoria? At vero sic servanti dicit Apostolus: Quoniam scientia inflat (I Cor. viii, 1). Denique et memoriam facile delet oblivio. Sic serva sermonem Dei, quomodo melius servare potes eilum corporis tui. Nam et ille panis vivus est, et cilus mentis. Panis terrenus dum in arca est, potest a fure tolli, potest a mure carrodi, potest vetustate corrumpi. Ubi vero comederis illum, quid horum timeas? Hoc modo custodi verbum Dei: beati enim qui custodiunt illud (Luc. xi, 28). Ergo trajiciatur in viscera quædam animæ tuæ; transeat in affectiones tuas, et in morea tuos. Comede bonum, et delectabitur in crassitudine anima tua. Ne obliviscaris comedere panem tuum, ne exarescat cor tuum, sed adipe et pinguedine repleatur anima tua.

3. Si sic verbum Dei servaveris, haud dubium quin ab eo serveris. Veniet enim Filius ad te cum Patre, veniet Propheta magnus, qui renovabit Jerusalem, et ille nova faciet omnia. Hoc enim faciet hic adventus, ut, sicut portavimus imaginem terreni, sic portemus et imaginem celestis (I Cor. xv, 49). Sicut fuit vetus Adam effusus per totum hominem, et totum occupavit, ita modo totum obtineat Christus, qui totum creavit, totum redemit, totum et glorificabit, quique totum hominem salvum fecit in Sabbato. Erat in nobis aliquando vetus homo: prævaricator ille erat in nobis, tam in manu quam in ore, et in corde. In manu dupliciter, per facibus et flagitium. In ore similiter per arrogantiam et detractionem. In corde quoque per desideria carnis, et desideria gloriæ temporalis. Nunc autem si quo nova creatura in ipso, vetera transierunt, et contra facinus in manu, innocentia; contra flagitium, continentia est. In ore contra arrogantiam, verbum confessionis; contra detractionem, verbum ædificationis, ut recedant vetera de ore nostro. In corde vero contra carnis desideria, caritas; humilitas contra gloriæ temporalem. Et vide si non in his tribus Christum Dei Verbum recipiant singuli electorum, quibus dictum est: Pone me signaculum super brachium tuum, signum super cor tuum (Cantic. viii, 6):

et alibi: Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo (Rom. x, 8).

SERMO VI.

De triplici adventu, et carnis resurrectione.

1. Nolo vos, fratres, ignorare tempus visitationis vestræ; sed ne illud quidem, quid hoc tempore visitetur in vobis. Animabus enim hoc tempus est, non corporibus assignatum, quod videlicet longe dignior anima corpore, priorem sibi sollicitudinem naturali vindicet dignitate. Sed et prior reparanda est, quam constat corruisse priorem. Anima siquidem, corrupta in culpam, fecit ut corpus quoque corrumpetur in pœnam. Denique si Christi membra volumus inveniri, sequendum nobis est sine dubio caput nostrum: ut videlicet prima nobis reparandarum sit sollicitudo animarum, pro quibus ipse jam venit, et quarum prius 730 mederi studuit corruptioni. Corporis vero curam illi tempori magis reservemus, et differamus in illum diem quo reformandi corporis gratia est venturus, sicut meminit Apostolus, dicens: Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ (Philipp. iii, 19, 20). In priore siquidem adventu tanquam præco, vel magis vere præco ipsius Joannes Baptista clamat: Ecce, inquit, Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi (Joan. i, 29). Non dicit, Morbos corporis; non, Molestias carnis; sed, peccatum, quod est morbus animæ et corruptio mentis. Ecce qui tollit peccata mundi. Unde? Utique a manu, ab oculo, a collo, denum etiam a carne ipsa, cui altius infixum est.

2. Tollit peccatum e manibus, commissa peccata delens: tollit ab oculo, purgans mentis intentionem: tollit a collo, violentiam removens dominationem, sicut scriptum est: Sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian (Isa. ix, 4); itemque, Computrescet jugum a facie olei (Isa. x, 27). Et Apostolus loquitur, dicens: Ut non regnet peccatum in vestro mortali corpore (Rom. vi, 12). Si quidem alio in loco ait idem apostolus, Scio, inquit, quod non est in me bonum, hoc est, in carne mea (Rom. vii, 18); et alibi: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? (Ibid. 24.) Sciebat nimirum non prius liberandum se esse a pessima illa radice quæ carni infixæ est, a lege peccati quæ est in membris nostris, donec et ab ipso corpore solveretur: unde et cupiebat dissolvi, et cum Christo esse (Philipp. i, 23), sciens quod peccatum, separans inter nos et Deum, penitus auferri non poterit, donec liberemur a corpore. Audistis de quodam, quem Dominus curavit a dæmonio, quoniam collidens et multum discerpens eum dæmon, jussu Domini exivit ab illo (Marc. ix, 16-25). Itaque dico vobis, genus illud peccati quod toties conturbat nos (concupiscentias loquor et desideria mala), reprimi quidem debet et potest per gratiam Dei, ut non regnet in nobis, nec

demus membra nostra arma iniquitatis peccato (*Rom. vi, 13*), et sic nulla damnatio est his qui sunt in Christo Jesu : sed non ejicitur nisi in morte, quando sic discernitur ut anima separetur a corpore.

3. Habes ad quid venerit Christus, et cui intendere debeat Christianus. Propterea noli, o corpus, noli præripere tempora : potes enim impedire animæ tuæ salutem, tuam ipsius operari non potes. Omnia tempus habent (*Eccle. iii, 1*). Patere ut nunc anima pro se laboret, magis autem etiam collabora ei, quoniam si compateris, et conregnabis. Quantum ejus impedis reparationem, tantum impedis tuam ; quod nimirum ante reparari non poteris, donec suam in ea Deus imaginem videat reformatam. Nobilem hospitem habes, o caro, nobilem valde, et tota salus tua pendet de ejus salute. Da honorem hospiti tanto. Tu quidem habitas in regione tua : anima vero peregrina et exsul apud te est hospitata. Quæro te, quis rusticus, si forte nobilis et præpotens quispiam apud eum voluerit hospitari, non libenter in angulo domus suæ, aut sub gradibus suis, vel in ipsis cineribus accubabit, cedens hospiti suo locum (sicut dignum est) potiorem ? Et tu ergo fac similiter. Injurias vel molestias tuas ne reputaveris, tantum ut hospes tuus honorifice possit apud te demorari. Honor tibi est, ut pro eo interim te exhibeas inhorum.

4. Ac ne forte despicias aut parvipendas hospitem tuum, pro eo quod peregrinus tibi videtur et advena, diligenter attende quid hospitis hujus tibi præsentia largiatur. Ipse enim est qui tribuit oculis visum, auditum auribus præstat ; ipse est qui linguæ vocem, palato gustum, motum membrorum omnibus subministrat. Si quid vitæ, si quid sensus, si quid in te decoris est, hujus hospitis beneficium recognosce. Denique discessus ejus probat quid præsentia conferebat. Protinus enim anima discedente, lingua silebit, oculi nihil videbunt, obsurdescent aures, corpus omne rigebit, facies expallescet. In brevi quoque totum cadaver putridum simul et putidum fiet, et decor omnis in saniem convertetur. Utquid ergo pro temporali qualibet **731** delectatione contristas et lædis hospitem istum, quam nec sentire quidem ullo modo poteris nisi per ipsum ? Ad hæc si tantum tibi confert exsul, et inimicitiarum causa a facie Domini sui ejectus, quantum tibi præstabit reconciliatus ? Noli, o corpus, noli impedire reconciliationem illam, quoniam gratias tibi exinde gloria præparatur. Patienter, ino et libenter temetipsum expone ad omnia : nihil dissimules quod huic videatur reconciliationi posse prodesse. Dic hospiti tuo : Quia recordabitur Dominus tui, et restituet te in gradum pristinum, et tu memento mei (*Gen. xl, 13*).

5. Omnino enim mæmor erit in bonum, si bene servieris illi, et cum pervenerit ad Dominum suum, suggeret ei de te, et loquetur bonum pro bono hospite, dicens : Cum in ultionem culpæ suæ exsularet servus tuus, pauper quidam, apud quem hospi-

tatus sum, fecit mecum misericordiam ; et utinam retribuatur pro me Dominus meus. Primo siquidem omnia sua, dehinc etiam semetipsum exposuit utilitatibus meis, non parcens sibi propter me, in jejuniis multis in laboribus frequenter, in vigiliis supra modum, in fame et siti, etiam in frigore et nuditate. Quid igitur ? Profecto non mentietur Scriptura, qua dicitur : *Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet* (*Psal. cxliv, 19*). O si forte gustare dulcedinem hanc, si forte gloriam istam valeas æstimare ! Mira enim dicturus sum, sed tamen vera et omnino indubitata fidelibus. Ipse Dominus Sabaoth, Dominus virtutum et rex gloriæ, ipse descendet ad reformanda corpora nostra, et configuranda corpori claritatis suæ. Quanta erit illa gloria, quam ineffabilis exsultatio, quando Creator universitatis, qui pro animabus justificandis humilis ante venerat et occultus, pro te glorificanda, o misera caro, sublimis veniet et manifestus, non jam in infirmitate, sed in gloria et majestate sua ! Quis cogitabit diem adventus illius, quando descendet cum plenitudine luminis, præcurrentibus angelis, et tubæ concentu excitantibus de pulvere corpus inops, et rapientibus illud obviam Christo in aera ?

6. Quousque igitur caro misera, insipiens, cæca, demens et prorsus insana caro, transitorias et caducas quærit consolationes, imò desolationes, si forte contingat repelli, et indignam judicari hac gloria, magis autem nihilominus ineffabili in æternum excruciaci pœna ? Non sic, obsecro, fratres mei, non sic : quin imo delectetur in hujusmodi meditationibus anima nostra ; quin etiam caro nostra requiescat in spe, Salvatorem expectans Dominum nostram Jesum Christum, qui reformabit illam, configuratam corpori claritatis suæ. Sic enim ait Propheta : *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.* (*Psal. lxxii, 2*). Desiderabat siquidem anima prophetalis adventum priorem, quo se noverat redimendam ; sed multo amplius caro desiderabat adventum posteriorem et glorificationem suam. Tunc enim implebuntur desideria nostra, et plena erit majestate Domini omnis terra. Ad quam gloriam, ad quam beatitudinem, ad quam denique pacem, quæ exsuperat omnem sensum, ipse sua nos misericordia perducet, nec confundat nos ab expectatione nostra Salvator, quem expectamus, Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia beatus in sæcula.

SERMO VII.

De triplici utilitate Adventus Domini.

1. Si devote celebramus Adventum Domini, id facimus quod oportet : siquidem non modo ad nos, sed et propter nos venit, qui bonorum nostrorum non eget. Verum nostræ quidem indigentia quantitate manifestius ipsa dignationis ejus indicat magnitudo. Nec modo periculum aegritudinis ex ipso pretio medicaminis innotescit, sed et valetudinum numerus ex multitudine remediorum. Utquid enim divisiones gratiarum sunt, si non videtur necessita-

tum ulla diversitas? **732** Et quidem difficile est A universas uno sermone prosequi indigentias quas experimur; sed occurrunt mihi interim tres communes omnibus, et quodammodo principales. Nemo enim repetitur in nobis, qui non interim et consilii, et auxilii, et præsidi indigus videatur. Nimirum generalis est humano generi miseria triplex; et quotquot degimus in regione umbræ mortis, in infirmitate corporis, in loco tentationis, si diligenter advertimus, triplici hoc incommodo miserabiliter laboramus. Nam et faciles sumus ad seducendum, et debiles ad operandum, et fragiles ad resistendum. Si discernere volumus inter bonum et malum, decipimur; si tentamus facere bonum, deficimus; si conamur resistere malo, dejicimur et superamur.

2. Necessarius proinde Salvatoris adventus; nec- B cessaria sic præoccupatis hominibus præsentia Christi. Atque utinam sic veniat, ut copiosissima dignatione sua, et in nobis per fidem habitans illuminet cæcitate nostram, et nobiscum manens adjuvet

infirmi-
tatem nostram, et pro nobis stans fragilitatem nostram protegat et propugnet. Si enim ille in nobis, quis jam decipiat nos? Si ille nobiscum, quid de cætero non possumus in eo qui confortat nos? Si ille pro nobis, quis contra nos? (Rom. viii, 31). Fidelis consiliarius est, qui neque falli omnino, neque fallere queat: fortis auxiliarius, qui non lassescat: patronus efficax, qui et ipsum Satanam sub pedibus nostris velociter conterat, et omnia ejus machinamenta confringat. Nimirum ipse est Dei sapientia, cui semper in promptu sit iustruere ignorantes: ipse Dei virtus, cui facile sit et deficientes reficere, et eripere periclitantes. Ad hunc ergo tantum eruditorem, fratres mei, in omni deliberatione curramus: hunc tam strenuum adiutorem in omni operatione invocemus: huic tam fido propugnatori in omni collocatione committamus animas nostras: qui ad hoc ipsum venit in mundum, ut habitans in hominibus, cum hominibus, pro hominibus, et tenebras nostras illuminaret, et labores levaret, et pericula propulsaret.

MONITUM IN SEQUENTES HOMILIAS.

Sequentes quatuor homiliæ, quod unum est ex primis Bernardi operibus, etsi vulgo inscribantur « Super Missus est; ex mente tamen auctoris, ipsius inquam Bernardi, inscribendæ, « De Laudibus Virginis matris. » Nam sic ipse in præsentis Præfatione, et in epistola 18 ad Petrum diaconum cardinalem: « Scio, » inquit, « me scripsisse quatuor Homilias in laudibus Virginis matris; nam hunc habent titulum, » etc. Et iterum epistola 89, ad Ogerium: « Alium libellum a me nuper editum in Laudibus Virginis matris tibi transmittito. » Porro videndus Bernardus tractatu de Baptismo, ad Hugonem, cap. 5, ubi sententiam quamdam primi hujus sermonis explicat et a calunnia vindicat.

DE LAUDIBUS VIRGINIS MATRIS.

Super verba Evangelii: « Missus est angelus Gabriel, » etc. C

HOMILIÆ QUATUOR. PRÆFATIO.

Scribere me aliquid et devotio jubet, et prohibet occupatio. Verum tamen quia præpediente corporali modestia, fratrum ad præsens non valeo sectari conventum; id tantillum otii, quod vel mihi de somno fraudans in noctibus interciperet sinor, non sinam otiosum. Libet ergo tentare id potissimum aggredi, quod sæpe animum pulsavit; loqui videlicet aliquid in laudibus Virginis matris, super illa lectione evangelica, in qua, Luca referente, Dominicæ Annuntiationis continetur historia. Ad quod sane opus faciendum etsi nulla fratrum (quorum me profectibus deservire necesse est) vel necessitas urgeat, vel utilitas moveat [alias moneat]; dum tamen ex hoc non impediatur, quo ad quæque ipsorum necessaria minus paratus inveniar, non arbitror eos debere gravari, si propriæ satisfacio devotioni.

733 HOMILIA I.

Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David: et nomen Virginis Maria (Luc. 1, 26, 27).

1. Quid sibi voluit evangelista, tot propria nomina rerum in hoc loco tam signanter exprimere? Credo

quia noluit nos negligenter audire, quod tam diligenter studuit enarrare. Nominat siquidem nuntium qui mittitur, Dominum a quo mittitur, Virginem ad quam mittitur, sponsum quoque virginis: amborumque genus, civitatem ac regionem propriis designat nominibus. Ut quid hoc? Putasne aliquid horum supervacue positum sit? Nequaquam. Si enim nec folium de arbore sine causa, nec unus ex passeribus sine Patre cælesti cadit super terram (Math. x, 29); putem ego de ore sancti Evangelistæ superfluum diffuere verbum, præsertim in sacra historia Verbi? Non puto. Plena quippe sunt omnia supernis mysteriis, ac cælesti singula dulcedine redundantia; si tamen diligentem habeant inspectorem, qui noverit sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Nempe in illa die stillarunt montes dulcedinem, et colles fluxerunt lac et mel (Joel iii, 18), quando rorantibus cælis desuper, nubibusque pluentibus justum, aperta est terra læta germinans Salvatorem (Isa. xlv, 8): quando Domino dante benignitatem, et terra nostra reddente fructum suum, super illum montem montium, montem coagulatum et pinguem misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt (Psal. lxxxiv, 11). Illo quoque in tempore unus iste inter cæteros montes non modicus, beatus hic videlicet evangelista, dum desideratum nobis nostræ salutis exordium suo mel-

liffuo commendavit eloquio, veluti perflante austro, A atque e vicino sole radiante justitiæ, quædam ex eo spiritualia profluxerunt aromata. Utinam et nunc Deus emittat verbum suum, et liquefaciat ea nobis; perfleret spiritus ejus, et fiant nobis intelligibilia verba evangelica: fiant in cordibus nostris desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, fiant et dulciora super mel et favum!

2. Ait itaque: *Missus est angelus Gabriel a Deo.* Non arbitror hunc angelum de minoribus esse, qui qualibet ex causa, crebra soleant ad terras fungi legatione: quod ex ejus nomine palam intelligi datur, quod interpretatum *fortitudo Dei* dicitur; et quia non ab alio aliquo forte excellentiori se (ut assolet) spiritu, sed ab ipso Deo mitti perhibetur. Propter hoc ergo positum est, *a Deo*; vel ideo dictum est, *a Deo*, ne cui vel beatorum spiritum suum Deus, antequam Virgini, revelasse putetur consilium, excepto duntaxat archangelo Gabriele, qui utique tantæ inter suos inveniri potuerit excellentiæ, ut tali et nomine dignus haberetur, et nuntio. Nec discordat nomen a nuntio. Dei quippe virtutem Christum quem melius nuntiare decebat, quam hunc, quem simile nomen honorat? Nam quid est aliud fortitudo, quam virtus? Non autem dedecens aut incongruum videatur, dominum et nuntium communi censeri vocabulo; cum similis in utroque appellationis, non sit tamen utriusque similis causa. Aliter quippe Christus fortitudo vel virtus Dei dicitur, aliter angelus. Angelus enim tantum nuncupative, Christus autem etiam substantive Christus Dei virtus (I Cor. 1, 24) et dicitur et est, quæ forti armato, qui suum atrium in pace custodire solebat, fortior superveniens, ipsum suo brachio debellavit; et sic ei vasa captivitatis potenter eripuit. Angelus vero fortitudo Dei appellatus est, vel quod hujusmodi meruerit prerogativam officii, quo ejusdem nuntiaret adventum virtutis: vel quia virginem natura pavidam, simplicem, verecundam, de miraculi novitate ne expavesceret, confortare deberet: quod et fecit, *Ne timeas*, inquit, *Maria, invenisti gratiam apud Deum.* Sed et ipsius sponsum, hominem utique nihilominus humilem ac timoratum, non irrationabiliter forsitan idem angelus confortasse 734 creditur, quanquam tunc ab evangelista non nominetur. D *Joseph*, inquit, *fili David, ne timeas accipere Mariam conjugem tuam* (Matth. 1, 20). Convenienter itaque Gabriel ad hoc opus eligitur: imo quia tale illi negotium injungitur, recte tali nomine designatur.

3. Missus est ergo angelus Gabriel a Deo. Quo? *In civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.* Videamus si, ut ait Nathanael, *a Nazareth potest aliquid boni esse* (Joan. 1, 46). Nazareth interpretatur *flos*. Videntur autem mihi quoddam semen fuisse divini cognitionis, tanquam e cælo jactatum in terras, allocutiones et promissiones factæ cœlitus ad patres, Abraham scilicet, Isaac et Jacob; de quo semine scriptum est: *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma fuissimus; et quasi Gomorrha*

similes essemus (Isa. 1, 9). Floruit autem hoc semen in mirabilibus, quæ ostensa sunt in exitu Israel de Ægypto, in figuris et ænigmatibus per totum iter in deserto usque in terram promissionis, et deinceps in visionibus et vaticiniis prophetarum, in ordinatione quoque regni ac sacerdotii usque ad Christum. Christus autem hujus seminis et horum florum non immerito fructus esse intelligitur, dicente David: *Dominus dabit benignitatem: et terra nostra dabit fructum suum* (Psal. LXXXIV, 13); et iterum: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (Psal. CXXXI, 11). In Nazareth ergo nuntiatur Christus nasciturus; quia in flore speratur fructus processurus. Sed prodeunte fructu, flos decidit, quia veritate apparente in carne, figura pertransiit. Unde et Nazareth civitas Galilææ dicitur, id est *transmigrationis*: quia nascente Christo, omnia illa transierunt quæ superius enumeravi, quæ, ut ait Apostolus, *in figura continebant illis* (I Cor. x, 11). Hos ergo flores et nos qui jam fructum tenemus, pertransisse videmus: et dum adhuc florere videbantur, transitori prævidebantur. Unde David: *Mane sicut herba transeat, mane floreat et transeat: vespere decidat, induret et arescat* (Psal. LXXXIX, 6). Vespere etenim, id est, quando venit plenitudo temporis, in quo misit Deus Unigenitum suum, factum ex muliere, factum sub lege (Galat. 1v, 4), dicente ipso: *Ecce nova facio omnia* (Apoc. XXI, 5); vetera transierunt et disparuerunt, quomodo in novitate succrescentis fructus flores decidunt et arescunt. Unde rursus scriptum est: *Fenum aruit, et flos decidit; verbum autem Domini manet in æternum.* Credo, non ambigis quin verbum fructus sit; Verbum autem Christus est.

4. Bonus itaque fructus Christus, qui manet in æternum. Sed ubi est fenum quod aruit? ubi est flos qui decidit? Propheta respondeat. *Omnis caro fenum; et omnis gloria ejus, tanquam flos feni* (Isa. XL, 8). Si omnis caro fenum; ergo carnalis ille populus Judæorum ut fenum aruit [alias, fuit]. Annon fenum aruit, dum idem populus ab omni spiritus pinguedine vacuus, siccæ litteræ adhæsit? Annon etiam flos decidit, quando gloriatio, quam habebant in lege, non remansit? Si flos non decidit, ubi ergo regnum, ubi sacerdotium, ubi prophetæ, ubi templum, ubi denique magnalia illa, de quibus gloriari solebant, et dicere: *Quanta audivimus et cognovimus ea, et patres nostri narraverunt nobis?* et iterum: *Quantum mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis?* (Psal. LXXVII, 3.) Et hæc dicta sunt pro eo quod positum est: *In Nazareth civitatem Galilææ.*

5. In illam ergo civitatem missus est angelus Gabriel a Deo. Ad quem? *Ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph.* Quæ est hæc Virgo tam venerabilis, ut salutetur ab angelo; tam humilis, ut desponsata sit fabro? Pulchra permissio virginis et humilitatis: nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua et humilitas commendat virginitatem, et virginitas exornat humilitatem. Sed

quanta putas veneratione digna est, in qua humilitatem exultat fecunditas, et partus consecrat virginitatem? Audis virginem, audis humilem: si non potes virginitatem humilis, imitare humilitatem virginis. Laudabilis virtus virginitas, sed magis necessaria humilitas. Illa consulitur, ista præcipitur. Ad illam invitaris, ad istam cogaris. De illa dicitur: *Qui potest capere, capiat* (Matth. xix, 12); de ista dicitur: *Nisi quis efficiatur sicut parvulus iste, non intrabit in regnum* 735 *cælorum* (Matth. xviii, 3). Illa ergo remuneratur, ista exigitur. Potes denique sine virginitate salvari; sine humilitate non potes. Potest, inquam, placere humilitas, quæ virginitatem deplorat amissam; sine humilitate autem (audeo dicere) nec virginitas Mariæ placuisset. *Super quem*, inquit, *requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum?* (Isai. lxvi, 2.) *Super humilem*, dixit, non, *super virginem*. Si igitur Maria humilis non esset, super eam Spiritus sanctus non requievisset; si super eam non requievisset, nec imprægnasset. Quomodo enim de ipso sine ipso conciperet? Patet itaque, quia ut de Spiritu sancto conciperet, sicut ipsa perhibet, *respexit humilitatem ancillæ suæ Deus* (Luc. 1, 48), potius quam virginitatem. Et si placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit. Unde constat, quia etiam ut placeret virginitas, humilitas procul dubio fecit.

6. Quid dicis, virgo superbe? Maria virginem se oblita gloriatur de humilitate: et tu negligendo humilitatem, blandiris tibi de virginitate? *Respexit*, ait illa, *humilitatem ancillæ suæ*. Quæ illa? Virgo utique sancta, virgo sobria, virgo devota. Nunquid tu castior illa? nunquid devotior? Aut nunquid tua forte pudicitia gratior castitate Mariæ; ut tu scilicet sine humilitate placere sufficias ex tua, quod illa non potuit ex sua? Denique quanto honorabilior es ex singulari munere castimonie, tanto tibi tu majorem injuriam facis, quod ejus in te decorem fœdas permistione superbiæ. Alioquin expedit tibi virginem non esse, quam de virginitate insolescere. Non omnium quidem est virginitas: multo tamen pauciorum est cum virginitate humilitas. Si igitur virginitatem in Maria non potes nisi mirari, stude humilitatem imitari, et sufficit tibi. Quod si et virgo, et humilis es, quisquis es, magnus es.

7. Est tamen majus aliquid quod mireris in Maria: scilicet cum virginitate fecunditas. A sæculo enim non est auditam, ut aliqua simul mater esset et virgo. O si [alias, quod si] et cujus est mater attendas! quo te tua super ejus mirabili celsitudine ducet admiratio? Nonne ad hoc, ut te videas nec satis posse mirari? Nonne tuo, imo Veritatis judicio, illa quæ Deum habuit filium, super omnes etiam choros exaltabitur angelorum? Annon Deum et Dominum angelorum Maria suum audacter appellat filium, dicens: *Fili, quid fecisti nobis sic?* (Luc. 11, 48.) Quis hoc audeat angelorum? Sufficit eis, et pro magno habent, quod cum sint spiritus ex conditione, ex gratia facti sunt et vocati angeli, testante David: *Qui facit*, inquit,

angelos suos spiritus (Psal. ciii, 5). Maria vero matrem se agnoscens, majestatem illam, cui illi cum reverentia serviunt, cum fiducia suum nuncupat filium. Nec dedignatur nuncupari Deus quod esse dignatus est. Nam paulo post subdit evangelista: *Et erat*, inquit, *subditus illis* (Luc. 11, 51). Quis, quibus? Deus hominibus, Deus, inquam, cui angeli subditi sunt, cui principatus et potestates obediunt, subditus erat Mariæ, nec tantum Mariæ, sed etiam Joseph propter Mariam. Mirare ergo utrumlibet, et elige quid amplius mireris, sive Filii benignissimam dignationem, sive Matris excellentissimam dignitatem. Utrinque stupor, utrinque miraculum. Et quod Deus feminæ obtemperet, humilitas absque exemplo; et quod Deo femina principetur, sublimitas sine socio. In laudibus virginum singulariter canitur, quod sequuntur Agnum quocunque ierit (Apoc. xiv, 4). Quibus ergo laudibus judicas dignam, quæ etiam præit?

8. Disce, homo, obedire; disce, terra, subdi; disce, pulvis, obtemperare. De auctore tuo loquens evangelista, *Et erat*, inquit, *subditus illis*; haud dubium, quin Mariæ et Joseph. Erubescere, superbe cinis! Deus se humiliat, et tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, et tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis auctori? Utinam mihi aliquando, tale aliquid cogitanti, Deus respondere dignetur, quod et suo increpando respondit apostolo: *Vade*, inquit, *post me, Satana, quia* 736 *non sapies ea quæ Dei sunt* (Matth. xvi, 23). Quoties enim hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo: et tunc vere non sapio ea quæ Dei sunt. De ipso namque dictum est: *Et erat subditus illis*. Si hominis, o homo, imitari dedignaris exemplum, certe non erit tibi indignum sequi Auctorem tuum. Si non potes forsitan sequi eum quocunque ierit, dignare vel sequi quo tibi condescendit. Hoc est, si non potes sublimem incedere semitam virginitatis, sequere vel Deum per tutissimam viam humilitatis: a cujus rectitudine si qui etiam de virginibus deviaverint, ut verum fatear, nec ipsi sequuntur Agnum quocunque ierit. Sequitur quidem Agnum coinquinatus humilis, sequitur et virgo superbus; sed neuter quocunque ierit: quia nec ille ascendere potest ad munditiam, Agni, qui sine macula est; nec is ad ejusdem mansuetudinem descendere dignatur, quia scilicet non coram tondente, sed coram occidente, se obmutuit. Attamen salubriorem elegit sequendi partem in humilitate peccator, quam in virginitate superbus: cum et illius immunditiam sua humilis satisfactio purget, et hujus pudicitiam superbia inquinet.

9. Sed felix Maria, cui nec humilitas defuit, nec virginitas. Et quidem singularis virginitas, quam non temeravit, sed honoravit fecunditas: et nihilominus specialis humilitas, quam non abstulit, sed extulit secunda virginitas: et incomparabilis prorsus fecunditas, quam virginitas simul comitatur et humilitas. Quid horum non mirabile (7)? quid non

inecomparabile? quid non singulare? Mirum vero si non hæsit in eorum ponderatione, quid tua iudices dignius admiratione, utrum videlicet potius stупenda sit secunditas in virgine, an in matre integritas; sublimitas in prole, an cum tanta sublimitate humilitas: nisi quod indubitanter horum singulis præferenda sunt simul cuncta, et incomparabiliter excellentius est atque felicius, omnia percepisse, quam aliqua. Et quid mirum si Deus, qui mirabilis legitur et cernitur in sanctis suis (*Psal. LXXII, 56*), mirabiliorem se exhibuit in Matre sua? Veneramini ergo, conjuges, in carne corruptibili carnis integritatem: miramini etiam, vos sacræ virgines, in virgine fecunditatem: imitamini, omnes homines, Dei Matris humilitatem. Honorate, sancti Angeli, vestri Regis Matrem, qui nostræ adoratis Virginis Prolem, ipsum utique nostrum pariter ac vestrum regem, nostri generis reparatorem, vestræ civitatis instauratorem. Cujus apud vos tam sublimis, inter nos tam humilis, a vobis pariter, et a nobis detur et dignitati debita reverentia, et dignationi honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II.

In *Luc. I, 26, 27.*

1. Novum quidem canticum illud, quod solis dabitur in regno Dei cantare virginibus, ipsam virginum Reginam cum cæteris, imo primam inter cæteras esse cantaturam, nemo est qui anbigat. Puto autem illam, præter illud quod solis licet, cum omnibus tamen virginibus ei, ut dixi, commune erit, dulciori quodam atque elegantiori carmine lætificatorem esse civitatem Dei. Cujus nique dalcisonas depromere vel exprimere modulos ne ipsarum quidem virginum ulla digna invenietur; quia soli merito decantandum servabitur, quæ sola de partu, et partu divino gloriatur. Gloriatur dixerim de partu, non in se, sed in ipso quem peperit. Deus siquidem (Deus enim est quem peperit). Matrem suam singulari in cælestibus donaturus gloria, singulari in terris prævenire curavit et gratia, qua videlicet ineffabiliter et intacta conciperet, et pareret incorrupta. Porro Deo hujusmodi decebat nativitas, qua non nisi de Virgine nasceretur: talis congruebat et Virgini partus, ut non pareret nisi Deum. Proinde factor hominum ut homo fieret, **737** nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere, imo condere matrem, qualem et se decere sciebat, et sibi noverat placituram. Voluit itaque esse virginem, de qua immaculata immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus: voluit et humilem, de qua mitis et humilis corde prodiret, harum in se virtutum necessarium omnibus saluberrimumque exemplum ostensurus. Dedit ergo Virgini partum, qui ei jam ante et virginitalis inspiraverat votum, et humilitatis prærogaverat meritum. Alioquin quomodo angelus

A eam: in sequentibus gratia plenam pronuntiat, si quidpiam vel parum boni, quod ex gratia non esset, habebat?

2. Ut igitur quæ Sanctum sanctorum conceptura erat pariter et paritura, sancta esset corpore, accepit donum virginitalis: ut esset et mente, accepit et humilitatis. His nimirum Virgo regia gemmis ornata virtutum, geminoque mentis pariter et corporis decore præfulgida, specie sua et pulchritudine sua in cælestibus cognita, cæli civium in se provocavit aspectus, ita ut et Regis animum in sui concupiscentiam inclinaret, et cælestem nuntium ad se de supernis educeret. Et hoc est quod nobis hic Evangelista commendat, cum angelum perhibet a Deo destinatum ad Virginem: *A Deo, inquit, ad virginem*: id est, a celso ad humilem, a Domino ad ancillam, a Creatore ad creaturam. Quanta dignatio Dei! quanta Virginis excellentia! Currite, matres; currite, filiæ; currite, omnes quæ post Evam, et ex Eva, et parturimini cum tristitia, et parturitibus. Adite virginalem thalamum, ingredimini, si potestis, pudicum sororis vestræ cubiculum. Ecce enim Deus mittit ad Virginem, ecce affatur angelus Marianam. Apponite aurem parieti, auscultate quid nuntiet ei, si forte audiatis unde consolemini.

3. Lætare, pater Adam, sed magis tu, o Eva mater, exsulta, qui, sicut omnium parentes, ita omnium fuistis peremptores; et, quod infelicius est, prius peremptores, quam parentes. Ambo, inquam, consolamini super filia, et tali filia; sed illa amplius, de qua malum ortum est prius, cujus opprobrium in omnes pertransiit mulieres. Instat namque tempus, quo jam tollatur opprobrium, nec habeat vir quid causetur adversus feminam: qui utique dum se imprudenter excusare conaretur, crudeliter illam accusare non cunctatus est, dicens, *Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, et comedi* (*Gen. III, 12*). Propterea curre, Eva, ad Mariam; curre, mater, ad filiam; filia pro matre respondeat, ipsa [*alias, ita*] matris opprobrium auferat, ipsa patri pro matre satisfaciat: quia ecce si vir cecidit per feminam, jam non erigitur nisi per feminam. Quid dicebas, o Adam? *Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, et comedi*. Verba malitiæ sunt hæc, quibus magis D augeas quam deleas culpam. Verumtamen Sapientia vicit malitiam, cum occasionem veniæ, quam a te Deus interrogando elicere tentavit, sed non potuit, in thesauro indeficientis suæ pietatis invenit. Redditur nempe femina pro femina, prudens pro fatua, humilis pro superba; quæ pro ligno mortis gustum tibi porrigat vitæ, et pro venenoso cibo illo amaritudinis dulcedinem pariat fructus æterni. Muta ergo iniquæ excusationis verbum in vocem gratiarum actionis, et dic: Domine, mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, et comedi; et dulce factum est super mel ori meo, quia in ipso vivificasti

quibus juncta simul prima et secunda homilia, tres tantum inveniuntur homiliae super *Missus est*.

(7) Ab hisce verbis finis hujus homiliae, et totum initium sequentis ad verba, « His nimirum, » num. 2, desiderantur in plerisque antiquis codicibus, in

me. Ecce enim ad hoc missus est angelus ad Virginem. O admirandam et omni honore dignissimam Virginem! o feminam singulariter venerandam, super omnes feminas admirabilem, parentum reparatricem, posteriorum vivificatricem!

4. *Missus est, inquit, angelus ad Virginem.* Virginem carne, virginem mente, virginem professione, virginem denique, qualem describit Apostolus, mente et corpore sanctam (*I Cor. vii, 34*); nec noviter, nec fortuito inventam, sed a sæculo electam, ab Altissimo præcognitam et sibi præparatam, ab angelis servatam, a patribus præsignatam, a prophetis promissam. Scrutare **738** Scripturas, et proba quæ dico. Visne ut et ego aliqua ex his testimonia hic inseram? Ut pauca loquar de pluribus, quam tibi aliam prædixisse Deus videtur, quando ad serpentem ait: *Inimicitias ponam inter te et mulierem?* Et si adhuc dubitas quod de Maria non dixerit, audi quod sequitur: *Ipsa conteret caput tuum* (*Gen. iii, 15*). Cui hæc servata victoria est, nisi Mariæ? Ipsa procul dubio caput contrivit venenatum, quæ omnimodam maligni suggestionem tam de carnis illecebra, quam de mentis superbia deduxit ad nihilum.

5. Quam vero aliam Salomon requirebat, cum dicebat: *Mulierem fortem quis inveniet?* Noverat quippe vir sapiens hujus sexus infirmitatem, fragile corpus, lubricam mentem. Quia tamen et Deum legerat promississe, et ita videbat congruere ut qui vicerat per feminam, vinceretur per ipsam, vehementer admirans aiebat: *Mulierem fortem quis inveniet?* Quod est dicere: Si ita de manu feminæ pendet et nostra omnium salus, et innocentiae restitutio, et de hoste victoria: fortis omnino necesse est ut provideatur [*alias, prævideatur*], quæ ad tantum opus possit esse idonea. Sed mulierem fortem quis inveniet? At ne hoc quæsisse putetur desperando, subdit prophetando, *Procul et de ultimis finibus pretium ejus* (*Prov. xxxi, 10*): hoc est non vile, non parvum, non mediocre, non denique de terra; sed de cælo, nec de cælo proximo terris pretium fortis hujus mulieris, sed a summo cælo egressio ejus. Quid deinde rubus ille quondam Mosauicus portendebat, flammam quidem emittens, sed non ardens (*Exod. iii, 2*), nisi Mariam parientem, et dolorem non sentientem? Quid, rogo, virga Aaron florida (*Num. xvii, 8*), nec humectata, nisi ipsam concipientem, quamvis virum non cognoscentem? Hujus magni miraculi majus mysterium Isaias edisserit, dicens, *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet* (*Isa. xi, 1*): virgam, virginem; florem, virginis partum intelligens.

6. Sed si tibi quod nunc in flore Christus intelligi dicitur, superiori videtur adversari sententiæ, qua non virgæ flore, sed floris fructu designari dicebatur; noveris in eadem Aaronica virga (quæ non solum floruit, sed et fronduit, et fructum emisit) non solum flore vel fructu, sed ipsis etiam frondibus eundem significari. Noveris et apud Moysen nec fructu virgæ, nec flore, sed ipsa virga demonstrari;

A illa utique virga, qua feriente, aqua vel dividitur transituris (*Exod. xiv, 16*), vel de petra excutitur bibituris (*Exod. xvii, 6*). Nullum autem inconveniens est, diversis rebus diversis ex causis Christum figurari; et in virga quidem potentiam, in flore vero fragrantiam, in fructu autem saporis dulcedinem, in frondibus quoque sedulam ejus intelligi protectionem, qua videlicet parvulos ad se confugientes sub umbra alarum suarum protegere non desinit, sive ab æstu carnalium desideriorum, sive a facie impiorum, qui eos affixerunt. Bona et desiderabilis umbra sub alis Jesu, ubi tutum est fugientibus refugium, gratum fœsis refrigerium. Miserere mei, Domine Jesu, miserere mei; quoniam in te confidit anima mea, et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas (*Psal. lvi, 2*). In hoc tamen Isaiæ testimonio, florem Filium, virgam intellige Matrem; quoniam et virga floruit absque germine, et virgo concepit non ex homine. Nec virgæ virorem floris læsit emissio, nec virginis pudorem sacri partus editio.

7. Proferamus et alia Virgini Matri, Deoque Filio congrua de Scripturis testimonia. Quid illud Gedeonis vellus significat, quod utique de carne tonsum, sed sine vulnere carnis in area ponitur, et nunc quidem lana, nunc vero area rore perfunditur (*Jud. vi, 37-40*), nisi carnem assumptam de carne Virginis, et absque detrimento virginitatis? Cui utique distillantibus cælis tota se infudit plenitudo divinitatis: adeo ut ex hac plenitudine omnes acceperimus [*alias, acciperemus*], qui vere sine ipsa non aliud quam terra arida sumus. Huic quoque Gedeonico facto propheticum dictum pulchre satis convenire videtur, ubi legitur: *Descendet sicut pluvia in vellus.* Nam per hoc quod sequitur, *et sicut stillicidia stillantia super terram* (*Psal. lxxi, 6*), idem datur intelligi, quod per inventam **739** rore madidam aream. Pluvia nempe voluntaria, quam segregavit Deus hæreditati suæ, placide prius et absque strepitu operationis humanæ, suo se quietissimo illapsu [*alias, elapsu*] virgineum demisit in uterum: postmodum vero ubique terrarum diffusa est per ora prædicatorum, non jam sicut pluvia in vellus, sed sicut stillicidia stillantia super terram, cum quodam utique strepitu verborum, ac sonitu miraculorum. Siquidem recordatæ sunt nubes illæ, quæ portabant pluviam, præceptum sibi fuisse cum mitterentur: *Quod dica vobis in tenebris, dicite in lumine; et quod in aure auditis, prædicate super tecta* (*Matth. x, 27*). Quod et fecerunt: etenim *in omnem terram exiit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal. xviii, 4*).

8. Audiamus et Jeremiam nova veteribus vaticinantem, et quem præsentem monstrare non poterat, venturum et ardentem desiderantem, et fidenter promittentem: *Novum, inquit, creavit Dominus super terram: femina circumdabit virum* (*Jerem. xxxi, 22*). Quæ est hæc femina? quis vero iste vir? Aut si vir, quomodo a femina circumdatus? aut si a femina circumdari potest, quomodo vir? Et ut apertius

dicam, quomodo potest simul et vir esse, et in utero matris? hoc est enim virum a femina circumdari, Novimus [*alias*, dicimus] viros, qui scilicet infantiam, pueritiam, adolescentiam atque juventutem transeunt, ad gradum usque senectuti proximum pervenerunt. Qui ergo jam adeo grandis est, quomodo a femina circumdari potest? Si dixisset, Femina circumdabit infantem; vel, Femina circumdabit parvulum; nec novum videretur, nec mirum. Nunc autem quia nil tale posuit, sed dixit *virum*, quærimus quæ sit hæc novitas, quam Deus fecit in terra, ut femina circumdaret virum, et vir intra feminei unius corpusculi membra sese cohiberet? quid est hoc miraculi? *Nunquid potest homo, ut ait Nicodemus, in ventrem matris suæ iterato introire, et renasci?* (Joan. iii, 4.)

9. Sed verto me ad conceptum partumque virginalem, si forte inter plurima nova ac mira, quæ ibi profecto inspicit qui diligenter inquirat, etiam hanc, quam de Propheta protuli, reperiam novitatem. Porro ibi agnoscitur longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita; profunditas plana [*alias*, plena]. Ibi agnoscitur lux non lucens, verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens. Videas, si attendas, potentiam regi, sapientiam instrui, virtutem sustentari: Deum denique lactentem, sed angelos refluentem; vagientem, sed miseros consolantem. Videas, si attendas, tristari lætitiâ, pavere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari. Sed, quod non minus mirandum est, ipsa ibi cernitur tristitia lætificans, pavor confortans, passio salvans, mors vivificans, infirmitas roborans. Cui jam illud quoque non occurrat, quod quærebam? Nunquid non facile tibi est inter hæc feminam agnoscere virum circumdantem, cum Mariam videas virum approbatum a Deo Jesum suo utero circumplectentem? Virum autem dixerim fuisse Jesum, non solum jam cum diceretur *vir propheta, potens in opere et sermone* (Luc. xxiv, 19), sed etiam cum tenera adhuc infantis membra Dei mater blando vel foveret in gremio, vel gestaret in utero. Vir igitur erat Jesus necdum etiam natus, sed sapientia, non ætate; animi vigore, non viribus corporis; maturitate sensuum, non corpulentia membrorum. Neque enim minus habuit sapientiæ, vel potius non minus [*alias*, minor] fuit sapientia Jesus conceptus, quam natus; parvus, quam magnus. Sive ergo latens in utero, sive vagiens in præsepio, sive jam grandiusculus interrogans doctores in templo, sive jam perfectæ ætatis docens in populo, æque profecto plenus fuit Spiritu sancto. Nec fuit hora in quacunque ætate sua, qua de plenitudine illa quam in sui conceptione accepit in utero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adjiceretur: sed a principio perfectus, a principio, inquam, plenus fuit spiritu sapientiæ et intellectus, spiritu consilii et fortitudinis, spiritu scientiæ et pietatis, spiritu timoris Domini (Isa. xi, 2, 3.).

10. Nec te moveat, quod de ipso legis in alio

A loco: **740** *Jesus autem proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum et homines* (Luc. ii, 52). Nam quod de sapientia et gratia hic dictum est, non secundum quod erat, sed secundum quod apparebat, intelligendum est: non quia videlicet aliquid ei novum accederet, quod ante non haberet; sed quod accedere videretur, quando volebat ipse, ubi videretur [*alias*, ut videretur]. Tu, homo, cum proficis, non quando, nec quantum vis proficis: sed te nesciente tuus moderatur profectus, tua vita disponitur. At vero puer Jesus, qui disponit vitam [vitam *deest aliis*] tuam, ipse disponebat et suam, et quando volebat, et quibus volebat sapiens apparebat, quando et quibus volebat sapientior; quando et quibus volebat sapientissimus: quanquam in se nunquam esset nisi sapientissimus. Similiter et cum semper omni gratia plenus fuisset, sive quam apud Deum, sive quam apud homines habere deberet, pro suo tamen arbitrio eam nunc plus, nunc minus ostendebat, prout cernentium vel meritis congruere, vel saluti expedire sciebat. Constat ergo quia semper Jesus virilem animum habuit, etsi semper in corpore vir non apparuit. Cur denique dubito virum fuisse in utero, quem inibi Deum fuisse non ambigo? Minus quippe est esse virum, quam esse Deum.

11. Sed vide si non etiam hanc Jeremiæ novitatem Isaias lucidissime aperit, qui et novos superius Aaronicos flores exposuit. *Ecce, inquit, virgo concipiet, et pariet filium. En habes, feminam, scilicet Virginem. Vis et de viro audire quis scit? Et vocabitur, ait, nomen ejus Emmanuel, id est, Nobiscum Deus* (Isa. vii, 14). Femina itaque circumdans virum, Virgo est concipiens Deum. Vides quam pulchre et concorditer sanctorum mira facta et mystica dicta sibi invicem concinant. Vides quam stupendum sit hoc unum de Virgine et in Virgine factum miraculum, quod tot miracula prævenerunt, tot oracula promiserunt. Unus nimirum fuit spiritus prophetarum, et licet diversis modis, signis et temporibus; eandem rem diversi, non diverso spiritu et præviderunt, et prædixerunt. Quod Moysi monstratum est in rubo et igne, Aaroni in virga et flore, Gedeoni in vellere et rore; hoc aperte Salomon prædixit in forti muliere et ejus pretio; apertius Jeremias præcinnuit de femina et viro, apertissime Isaias declaravit de Virgine et Deo, Gabriel tandem exhibuit ipsam Virginem [Virginem *deest aliis*] salutando. Ipsa namque est, de qua nunc Evangelista: *Missus est, ait, angelus Gabriel a Deo ad Virginem, desponsatam Joseph.*

12. *Ad Virginem, inquit, desponsatam.* Quare desponsatam? Cum esset, inquam, virgo electa, et, ut ostensum est, virgo conceptura, virgo paritura, mirum cur desponsata fuerit, non nuptura. Nunquid vel hoc casu factum quis dixerit? Non est casu factum, quod rationabilis causa commendat, causa valde utilis et necessaria, et divini prorsus adventionem consilii digna. Dicam quod mihi, imo quod ante me Patribus visum fuit. Illa utique fuit ratio

desponsationis Mariæ, quæ et dubitationis Thomæ. Mos siquidem Judæorum erat, ut a die desponsationis suæ, usque ad tempus nuptiarum, sponsis sponsæ traderentur custodiendæ: quatenus earum ipsi eo sibi pudicitiam curiosius servarent, quo sibi ipsi fideiores existerent. Sicut ergo Thomas dubitando, palpando, constantissimus factus est Dominicæ confessor resurrectionis, ita et Joseph Mariam sibi desponsando ejusque conversationem in tempore custodiæ studiosius comprobando, factus est pudicitie fidelissimus testis. Pulchra utriusque rei convenientia: et dubitatio Thomæ, et desponsatio Mariæ. Poterant quidem similis erroris laqueum nobis injicere, fidei videlicet in illo, castitatis in illa, veritatem in suspicionem adducere: sed valde prudenter et pie factum est per contrarium, ut unde metuebatur suspicio, firma sit certitudo. Nam et de Filii resurrectione citius quidem ego, qui infirmus sum, crediderim Thomæ dubitanti et palpanti, quam Cephæ audienti et credenti: et de Matris continentia facilius sponso ejus custodiendi et experienti, quam ipsi quoque Virgini de sola sua conscientia se defendenti. Dic, quæso, quis **741** eam videns non desponsatam et gravidam, non potius diceret meretricem [*alias*, corruptam] quam virginem? Non autem decebat hoc dici de Matre Domini. Tolerabilius vero atque honestius fuit putari ad tempus Christum de conjugio fuisse natum, quam de fornicatione.

13. Sed non poterat, inquis, Deus apertum aliquid ostendere signum, quo videlicet fieret ut ejus nec ortus infamaretur, nec mater criminaretur? Poterat utique; sed non poterat latere dæmones, quod scirent homines. Oportebat autem a principe mundi aliquandiu celari divini consilii sacramentum: non quod Deus, si palam opus suum facere vellet, impediri posse ab illo metueret: sed quia ipse, qui non solum potenter, sed etiam sapienter quæcunque voluit fecit, sicut in omnibus operibus suis quasdam rerum vel temporum congruentias propter ordinis pulchritudinem servare consuevit, ita in hoc quoque tam magnifico opere suo, nostræ videlicet reparationis, non tantum potentiam suam, sed et prudentiam ostendere voluit. Et quanquam illud aliter, quomodo vellet, perficere potuisset; placuit ei tamen eo potius et modo, et ordine hominem sibi reconciliare, quo noverat cecidisse: ut, sicut diabolus prius seduxit feminam, et postmodum virum per feminam vicit, ita prius a femina virgine seduceretur, et post a viro Christo aperte debellaretur: quatenus malitiæ fraudi dum ars pietatis illuderet, ac maligni fortitudinem Christi virtus contereret, diabolo Deus et prudentior appareret et fortior. Ita quippe decuit incarnatam Sapientiam spiritualem vincere malitiam, quo non solum attingeret a fine usque ad finem fortiter, sed et disponderet omnia suaviter (*Sap. viii, 1*). Attingit autem a fine usque ad finem, id est a cælo usque ad infernum. Si *ascendero*, inquit, *in cælum, tu illic es: si*

descendero in infernum, ades (*Psal. cxxxviii, 8*). Utroque vero fortiter, quando et de supernis expulit superbum, et apud inferos spoliavit avarum. Conveniens ergo erat ut suaviter quoque omnia, cælestia scilicet et terrena, disponderet: quatenus et illinc dejiciens inquietum, reliquos in pace firmaret, et hic debellaturus invidum, nobis prius suæ humilitatis et mansuetudinis valde necessarium exemplum relinqueret: sicque mirabili fieret moderamine sapientiæ, ut et suis suavis, et hostibus fortis appareret. Quid enim prodesset diabolum a Deo vinci, nobis manentibus superbis? Necessario igitur desponsata est Maria Joseph, quando per hoc et a canibus sanctum absconditur, et a sponso virginitas comprobatur, et Virginis tam verecundiæ pareitur, quam famæ providetur. Quid sapientius, quid dignius divina providentia? Uno tali consilio secretis cælestibus et admittitur testis, et excluditur hostis, et integra servatur fama Virginis matris. Alioquin quando pepercisset justus adulteræ? scriptum est autem: *Joseph autem vir ejus, cum esset justus et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam* (*Matth. i, 19*). Bene, cum esset justus, noluit eam traducere: quia sicut nequaquam justus esset, si cognitam ream consensisset; sic nihilominus justus non esset, si probatam innoxiam condemnasset. Cum ergo justus esset et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.

14. Quare voluit dimittere eam? Accipe et in hoc non meam, sed Patrum sententiam. Propter hoc Joseph voluit dimittere eam, propter quod et Petrus Dominum a se repellebat, dicens: *Exi a me, Domine, quia homo peccator sum* (*Luc. v, 8*): propter quod et Centurio a domo sua eum prohibebat, cum diceret: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum* (*Matth. viii, 8*). Ita ergo et Joseph indignum et peccatorem se reputans, dicebat intra se, a tali et a tanta non debere sibi ultra familiare præstari contubernium, cujus supra se mirabilem expavecebat dignitatem. Videbat et horrebat divinæ præsentia certissimum gestantem insigne: et quia mysterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam. Expavit Petrus potentiæ magnitudinem, expavit Centurio præsentia majestatem. Exhorruit nimirum et Joseph, sicut homo, hujus tanti miraculi novitatem, mysterii profunditatem: et ideo occulte voluit dimittere eam. **742** Miraris quod Joseph prægnantis sese consortio Virginis judicabat indignum, cum audias et sanctam Elisabeth ejus non posse ferre præsentiam, nisi cum tremore quidem et reverentia? Ait namque: *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* (*Luc. i, 43*.) Ideo itaque Joseph voluit dimittere eam. Sed quare occulte, et non palam? Ne videlicet divortii causam inquireretur, exigeretur rationem. Quid enim vir justus responderet populo duræ cervicis, populo non credenti et contradicenti? Si diceret quod sentiebat, quod de illius puritate comprobaverat, nonne mox increduli et crudelis Judei subsanna-

rent illum, lapidarent illam? Quando namque Veritati crederent tacenti in utero, quam postea contentempserunt clamantem in templo? Quid facerent necdum apparenti, qui postmodum impias manus iniecerunt etiam miraculis coruscanti? Merito ergo vir justus, ne aut mentiri, aut diffamare cogereetur innoxiam, voluit occulte dimittere eam.

15. Sin vero aliter quis sentiat, et Joseph sicut hominem dubitasse contendat, sed quia justus erat, noluisse quidem habitare cum ea propter suspicionem, nec tamen (quia pius erat) traducere voluisse suspectam, et ideo voluerit occulte dimittere eam, breviter respondeo, etiam sic dubitationem illam Joseph fuisse necessariam, quæ divino meruit certificari oraculo. Sic quippe scriptum est: *Hæc autem eo cogitante*, scilicet quod occulte dimitteret eam, *apparuit ei angelus in somnis, dicens: Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est (Matth. 1, 20)*. Itaque propter istas rationes desponsata est Maria Joseph, vel potius, sicut ponit evangelista, *viro, cui nomen erat Joseph*. Virum nominat, non quia maritus, sed quod homo virtutis erat. Vel potius quia, juxta alium evangelistam, non vir simpliciter, sed vir ejus dictus est, merito appellatur quod necessarie putatur. Debit ergo vir ejus appellari, quia necesse fuit et putari: sicut et pater Salvatoris non quidem esse, sed dici meruit, ut putaretur esse, dicente hoc ipso evangelista: *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph (Luc. 3, 23)*. Nec vir ergo matris, nec filii pater existit, quamvis certa (ut dictum est) et necessaria dispensatione utrumque ad tempus et appellatus sit et putatus.

16. Conjice tamen ex hac appellatione, qua, licet dispensatoria, meruit honorari a Deo, ut pater Dei et dictus, et creditus sit: conjice et ex proprio vocabulo (quod *augmentum* non dubitas interpretari) quis et qualis homo fuerit iste Joseph. Simul et memento magni illius quondam patriarchæ venditi in *Ægypto (Gen. xxxvii, 27)*: et scito ipsius istum non solum vocabulum fuisse sortitum, sed et castimoniam adeptum, innocentiam assecutum et gratiam. Siquidem ille Joseph, fraterna ex invidia venditus et ductus in *Ægyptum*, Christi venditionem præfiguravit: iste Joseph Herodianam invidiam fugiens, Christum in *Ægyptum* portavit (*Matth. 11, 14*). Ille domino suo fidem servans, dominæ noluit commisceri (*Gen. xxxix, 12*): iste dominam suam, Domini sui matrem, virginem agnoscens, et ipse continens fideliter custodivit. Illi data est intelligentia in mysteriis somniorum (*Gen. xl, xli*): isti datum est conscium fieri atque participem cælestium sacramentorum (*Matth. 1, 20*). Ille frumenta servavit non sibi, sed omni populo (*Gen. xl, xli*): iste panem vivum e cælo servandum accepit tam sibi quam toti mundo. Non est dubium quin bonus et fidelis homo fuerit iste Joseph, cui Mater desponsata est Salvatoris. Fidelis, inquam, servus et prudens,

A quem constituit Dominus suæ matris solatium, suæ carnis nutritium, solum denique in terris magni consilii coadjutorem sibi fidelissimum. Huc accedit quod dicitur fuisse de domo David. Vere enim de domo David, vere de regia stirpe descendit vir iste Joseph, nobilis genere, mente nobilior. Plane filius David, non degenerans a patre suo David. Prorsus, inquam, filius David, non tantum carne, sed fide, sed sanctitate, sed devotione: quem tanquam alterum David Dominus invenit secundum cor suum, cui tuto committeret secretissimum atque sacratissimum sui cordis arcanum: cui tanquam **743** alteri David incerta et occulta sapientiæ suæ manifestavit, et dedit illi non ignarum esse mysterii, quod nemo principum hujus sæculi agnovit: cui denique datum est quod multi reges et prophætæ, cum vellent videre, non viderunt; audire, et non audierunt; non solum videre et audire, sed etiam portare, deducere, amplecti, deosculari, nutrire et custodire. Non tantum autem Joseph, sed et Maria descendisse credenda est de domo David. Alioquin non fuisset desponsata viro de domo David, si non esset et ipsa de domo David. Ambo igitur erant de domo David; sed in altera completa est veritas, quam juravit Dominus David, altero tamen conscio et teste adimpletæ promissionis.

17. In fine autem versus, *Et nomen, inquit, Virginis Maria*. Loquamur pauca et super hoc nomine, quod interpretatum *maris stella* dicitur, et matri Virgini valde convenienter aptatur. Ipsa namque aptissime sideri comparatur; quia, sicut sine sui corruptione sidus suum emittit radium, sic absque sui læsione virgo parturit filium. Nec sideri radius suam minuit claritatem, nec Virgini Filius suam integritatem. Ipsa est igitur nobilis illa stella ex Jacob orta, cujus radius universum orbem illuminat, cujus splendor et præfulget in supernis, et inferos penetrat: terras etiam perlustrans, et calefaciens magis mentes quam corpora, fovet virtutes, excoquit vitia. Ipsa, inquam, est præclara et eximia stella, super hoc mare magnum et spatiosum necessario sublevata, micans meritis, illustrans exemplis. O quisquis te intelligis in hujus sæculi profluvio magis inter procellas et tempestates fluctuare, quam per terram ambulare; ne avertas oculos a fulgore hujus sideris, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam. Si jactaris superbiam undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis; respice stellam, voca Mariam. Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis, respice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conscientie fœditate confusus, judicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abyssos; cogita Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat a corde; et ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum

Ipsam sequens non devias : ipsam rogans non desperas : ipsam cogitans non erras. Ipsa tenente non corrui ; ipsa protegente non metuis ; ipsa duce non fatigaris ; ipsa propitia pervenis : et sic in temetipso experiris quam merito dictum sit, *Et nomen Virginis Maria*. Sed jam modice pausandum est, ne et nos in transitu claritatem tanti luminis intueamur. Ut enim verbis apostolicis utar, *Bonum est nos hic esse* (*Matth. xvii, 4*) : et libet dulciter contemplari in silentio, quod laboriosa non sufficit explicare locutio. Interim autem ex devota scintillantibus sideris contemplatione, ferventior reparabitur in his quæ sequuntur, disputatio.

HOMILIA III.

In Luc. cap. i, 28-32.

1. Libenter, ubi mihi congruere video, verba sanctorum assumo, quo vel vasculorum pulchritudine gratiora fiant quæcunque in eis lectori apposuerim. Ut autem nunc a propheticis verbis incipiam : *Væ mihi*, non quidem, sicut prophetæ, *quia tacui*, sed quia locutus sum, *quoniam vir pollutus labiis ego sum* ! (*Isa. vi, 5*.) Heu ! quot vana, quot falsa, quot turpia per hoc ipsum spurcissimum os meum evomuisse me recolo, in quo nunc cælestia revolvare verba præsumo ! Vehementer timeo, ne jamjam audiam ad me dictum : *Quare tu enarras iustitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum* ? (*Psal. xlii, 16*.) Utinam et mihi de superno altari, non quidem carbo unus, sed ingens globus igneus afferatur, qui videlicet multam et inveteratam prurientis **744** oris mei rubiginem ad plenum excoquere sufficiat ! quatenus angeli ad Virginem, et Virginis ad ipsum grata invicem ac casta colloquia Jignus habeat meo qualicunque replicare sermone. Ait igitur evangelista : *Et ingressus Angelus ad sam*, haud dubium quin ad Mariam, *dixit : Ave, gratia plena, Dominus tecum*. Quo ingressus ad eam ? Puto in secretarium pudici cubiculi, ubi illa fortassis clauso super se ostio orabat Patrem suum in abscondito. Solent angeli astare orantibus, et delectari in his quos vident levare puras manus in oratione : holocaustum sanctæ devotionis gaudent se offerre Deo in odorem suavitatis. Mariæ autem orationes quæntum placuerint in conspectu Altissimi, angelus indicavit, qui ingressus ad eam, tam reverenter salutavit. Nec fuit difficile angelo per clausum ostium penetrare ad abdita Virginis, qui utique ex subtilitate substantiæ suæ hoc habet in natura, ut nec seris ferreis ejus arceatur ingressus, quocunque suus eum impetus ferat. Angelicis enim spiritibus parietes non obsistunt, sed cuncta illis visibilia cedunt, cuncta æque corpora, quantumlibet solida vel spissa, penetrabilia sunt eis ac pervia. Suspiciandum igitur non est, quod apertum inveniit angelus ostiolum Virginis, cui nimirum in proposito erat hominum fugere frequentias, vitare colloquia ; ne vel orantis perturbaretur silentium, vel continentis castitas tentaretur. Clauserat itaque etiam illa hora suum super se habitaculum Virgo

A prudentissima, sed hominibus, non angelis. Proinde etsi ad eam potuit intrare Angelus, sed nulli hominum facilis patebat accessus.

2. Ingressus ergo Angelus ad eam dixit : *Ave, gratia plena, Dominus tecum*. Legimus in Actibus apostolorum, et Stephanum plenum gratia (*Act. vi, 5*), et apostolos fuisse repletos Spiritu sancto (*Act. ii, 4*) ; sed longe dissimiliter a Maria. Alioquin nec in illo habitavit plenitudo divinitatis corporaliter, quemadmodum in Maria : nec illi conceperunt de Spiritu sancto, quomodo Maria. *Ave*, inquit, *gratia plena, Dominus tecum*. Quid mirum si gratia plena erat, cum qua Dominus erat ? Sed hoc potius mirandum, quomodo qui Angelum miserat ad Virginem, ab Angelo inventus est esse cum Virgine. Itane velocior Angelo fuit Deus, ut festinantem nuntium celerior ipse præveniret ad terras ? Nec mirum. Nam cum esset Rex in accubitu suo, nardus Virginis dedit odorem suum, et ascendit in conspectu gloriæ ejus fumus aromatis, et invenit gratiam eorum oculis Domini, clamantibus qui circumstabant : *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula sumi, ex aromatis myrrhae et thuris* ? (*Cantic. iii, 6*.) Statimque Rex egrediens de loco sancto suo, exsultavit ut gigas ad currendam viam ; et licet a summo cælo egressio ejus (*Psal. xviii, 6, 7*), nimio tamen pervolans desiderio prævenit suum nuntium ad Virginem quam amaverat, quam sibi elegerat, cujus decorem concupierat. Quem prospiciens a longe venientem gratulans et exsultans ait Ecclesia : *Ecce venit is saliens in montibus, transiliens colles* (*Cantic. ii, 8*).

3. Merito autem concupivit Rex decorem Virginis. Fecerat enim quicquid longe antea præmonita fuerat a patre suo David, dicente sibi : *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum patris tui*. Et si hoc feceris, *concupiscet rex decorem tuum* (*Psal. xlii, 11, 12*). Audivit quippe et vidit, non ut quidam, qui audientes non audiunt, et videntes non intelligunt ; sed audivit et credidit, vidit et intellexit. Et inclinavit aurem suam ad obedientiam, et cor suum ad disciplinam, et oblita est populum suum, et domum patris sui : quia nec populum suum augere prolis successione, nec domui patris sui relinquere curavit hæredem ; sed quicquid honoris in populo, quicquid de paterna domo rerum terrenarum habere potuisset, omnia arbitrata est ut stercora, ut Christum lucrifaceret. Nec sefellit eam intentio, quando et Christum sibi filium vindicavit, nec propositum pudicitiae violavit. Bene igitur gratia plena, quæ et virginitatis gratiam tenuit, et insuper fecunditatis gloriam acquisivit.

745 4. *Ave*, inquit, *gratia plena, Dominus tecum*. Non dixit, Dominus in te ; sed, *Dominus tecum*. Deus enim qui ubique æqualiter totus est per suam simplicem substantiam, aliter tamen in rationalibus creaturis quam in cæteris ; et ipsarum aliter in bonis quam in malis est per efficaciam. Ita sane est

in irrationalibus creaturis, ut tamen non capiatur ab ipsis. A rationalibus autem omnibus quidem capi potest per cognitionem, sed a bonis tantum capitur etiam per amorem. In solis ergo bonis ita est, ut etiam sit cum ipsis propter concordiam voluntatis. Nam dum suas voluntates ita justitiæ subdunt, ut Deum non dedeant velle quod ipsi volunt: per hoc quod ab ejus voluntate non dissentiunt, Deum sibi specialiter jungunt. Sed cum ita sit cum omnibus sanctis, specialiter tamen cum Maria: cum qua utique tanta ei consensio fuit, ut illius non solum voluntatem, sed etiam carnem sibi conjungeret; ac de sua Virginisque substantia unum Christum efficeret, vel potius unus Christum fieret: qui, etsi nec totus de Deo, nec totus de Virgine; totus tamen Dei, et totus Virginis esset; nec duo filii, sed unus utriusque filius. Ait itaque: *Ave, gratia plena, Dominus tecum.* Nec tantum Dominus Filius tecum, quem carne tua induis; sed et Dominus Spiritus sanctus, de quo concipis; et Dominus Pater, qui genuit quem concipis. Pater, inquam, tecum, qui Filium suum facit et tuum. Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile sacramentum, miro modo et sibi reserat genitale secretum, et tibi servat virginale signaculum. Spiritus sanctus tecum; qui cum Patre et Filio tuum sanctificat uterum, Dominus ergo tecum.

5. *Benedicta tu in mulieribus.* Libet adjungere quod Elisabeth, cujus hæc verba sunt, prosecuta subjunxit: *Et benedictus fructus ventris tui* (Luc. 1, 42). Non quia tu benedicta, ideo benedictus fructus ventris tui: sed quia ille te prævenit in benedictionibus dulcedinis, ideo tu benedicta. Vere etenim benedictus fructus ventris tui, in quo benedictæ sunt omnes gentes, de cujus plenitudine tu quoque accepisti cum cæteris, etsi differentius a cæteris. Ac propterea quidem benedicta tu, sed in mulieribus; ille vero benedictus non in hominibus, non inter angelos, sed, *qui est*, ut ait Apostolus, *super omnia benedictus Deus in sacula* (Rom. ix, 5). Dicitur benedictus vir, benedictus panis, benedicta mulier, benedicta terra, vel, si quid tale in creaturis benedictum esse memoratur; sed singulariter benedictus fructus ventris tui, cum sit *super omnia benedictus Deus in sacula.*

6. *Benedictus ergo fructus ventris tui.* Benedictus in odore, benedictus in sapore, benedictus in specie. Hujus odoriferi fructus fragrantiam sentiebat qui dicebat: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus* (Gen. xxvii, 27). Annon vere benedictus, cui benedixit Dominus? De sapore hujus fructus quidam qui gustaverat [alias, quod gustaverat], taliter eructabat, dicens: *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus* (Psal. xxxiii, 9); et alibi: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus tē* (Psal. xxx, 20). Et alius quidam: *Si tamen, inquit, gustastis quoniam dulcis est Dominus* (I Petr. ii, 3). Et ipse Fructus de se, invitans nos ad se: *Qui edit me, ait, adhuc*

esuriat; et qui bibit me, adhuc sitiet (Eccli. xxiv, 29). Utique propter saporis dulcedinem hoc dicebat, qui semel gustatus magis excitat appetitum. Bonus fructus, qui animarum esurientium et sitiētium justitiam, et esca, et potus est. Audisti de odore, audisti de sapore: audi et de specie. Si enim fructus ille mortis non solum suavis fuit ad vescendum, sed etiam, teste Scriptura, *delectabilis aspectus* (Gen. iii, 6); quanto magis hujus vitalis fructus vivillum decorem debemus inquirere, *in quem*, teste alia Scriptura, *desiderant etiam angeli prospicere?* (I Petr. i, 12.) Cujus pulchritudinem in spiritu videbat, et in corpore videre cupiebat, qui dicebat: *Ex Sion species decoris ejus* (Psal. xlix, 2). Et ne mediocre tibi videatur commentasse decorem, recole quod in alio psalmo legis: *Speciosus forma præ filiis hominum: diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum* (Psal. xlii, 3).

7. *Benedictus ergo fructus ventris tui*, cui benedixit Deus in æternum: ex cujus benedictione benedicta etiam tu in mulieribus; quia non potest mala arbor fructum facere bonum. *Benedicta*, inquam, *tu in mulieribus*, quæ illam generalem maledictionem evasisti, qua dictum est, *In tristitia paries filios* (Gen. iii, 16); et nihilominus illam, qua secutum est, *Maledicta sterilis in Israel* (Exod. xxiii, 26; Deut. vii, 14): ac singularem consecuta es benedictionem, ut nec sterilis maneat, nec cum dolore parturias. Dura necessitas, et grave jugum super omnes filias Evæ! Et si parturiunt, cruciantur: et si non parturiunt, maledicuntur. Et dolor prohibet parere, et non parere maledictio. Quid facies, Virgo, quæ hæc audis, quæ hæc legis? Si parturis, angustiaris: si sterilis maneat, malediceris. Quid eliges, Virgo prudens? Angustiæ, inquit, mihi sunt undique: melius est tamen mihi maledictum incurrere, et castam manere, quam prius quidem concipere per concupiscentiam, quod merito post eum dolore parturiam. Hinc etenim etsi video maledictum, sed non peccatum: illinc vero et peccatum simul et cruciatum. Denique hæc maledictio quid aliud est, quam hominum exprobratio? Neque ob aliud sanc dicitur sterilis maledicta, nisi quod opprobrio et contemptui sit habenda, tanquam inutilis et infructuosa, et hoc in Israel tantum. Mihi autem pro minimo est quod hominibus displiceo, dum me possim virginem castam exhibere Christo. O Virgo prudens, o Virgo devota, quis te docuit Deo placere virginitatem? Quæ lex, quæ justitia, quæ pagina Veteris Testamenti vel præcipit, vel consulit, vel hortatur in carne non carnaliter vivere, et in terris angelicam ducere vitam? Ubi legeras, beata Virgo: *Sapientia carnis mors est* (Rom. viii, 6); et: *Curam carnis ne perfeceritis in desiderio* (Rom. xiii, 14)? Ubi legeras de virginibus, *quia cantant canticum novum, quod nemo alius cantare potest, et sequuntur Agnum quocunque ierit?* (Apoc. xiv, 4.) Ubi legeras laudatos esse, *qui se castraverunt propter regnum*

cœlorum? (Matth. xix, 12.) Ubi legeras : *In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus* (II Cor. x, 3) ; et : *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit ; et qui non jungit, melius facit?* Ubi audieras : *Volo vos omnes esse sicut et me ipsum?* et *Bonum est homini, si sic permoneat secundum meum consilium?* De virginibus, inquit, *præceptum non habeo, consilium autem do* (I Cor. vii, 38, 7, 40, 25). Tu vero non dicam præceptum, sed nec consilium, nec exemplum : nisi quod unctio docebat te de omnibus ; ac sermo Dei vivus et efficax, ante tibi factus magister quam filius, prius instruxerit mentem, quam induerit carnem. Christo ergo devoves te exhibere virginem ; et nescis quod ipsi exhiberi te oporteat etiam matrem. Eligis in Israel esse contemptibilis, et ut illi placeas cui te probasti, maledictum incurere sterilitatis : et ecce maledictio benedictione commutatur, sterilitas fecunditate recompensatur.

8. Aperi, virgo, sinum, expande gremium, præpara uterum : quia ecce facturus est tibi magna qui potens est, in tantum ut pro maledictione Israel, beatam te dicant omnes generationes. Nec suspectam habeas, prudens Virgo, fecunditatem, quia non auferet integritatem. Concipies, sed sine peccato, gravida eris, sed non gravata ; paries, sed non cum tristitia : nescies virum, et gignes filium. Qualem filium? Illius eris mater, cujus Deus est Pater. Filius paternæ claritatis [al., charitatis ; al., majestatis] erit corona tuæ castitatis. Sapientia paterni cordis erit fructus uteri virginalis. Deum denique paries, et de Deo concipies. Confortare ergo, Virgo secunda, casta Puerpera, Mater intacta ; quia non eris in Israel ultra maledicta, neque inter steriles deputata. Et si adhuc malediceris ab Israel secundum carnem, non quia sterilem vident, sed quia fecundam invident : memento quod et Christus maledictum pertulit crucis, qui te suam matrem benedixit in cœlis : sed et in terris ab angelo benedicta, et a cunctis generationibus terræ merito beata prædicari. Benedicta ergo tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

9. *Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat* 747 *qualis esset ista salutatio.* Solent virgines, quæ veræ virgines sunt, semper pavidæ, et nunquam esse securæ ; et ut caveant timida, etiam tanta pertimescere, scientes se in vasis fictilibus thesaurum portare pretiosum, et nimis arduum esse vivere angelice inter homines, et in terris more cœlestium conversari, et in carne cœlibem agere vitam. Ac proinde quidquid novum, quidquid subitum fuerit ortum, suspectas habent insidias, totum contra se æstimant machinatum. Idecirco et Maria turbata est in sermone angeli. Turbata est, sed non perturbata. *Turbatus sum*, inquit, *et non sum locutus* ; sed, *cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui* (Psal. lxxvi, 5, 6). Ita ergo et Maria turbata est, et non est locuta, sed cogitabat qualis esset ista salutatio. Quod turbata est, verecundiæ

A fuit virginis : quod non perturbata, fortitudinis : quod tacuit et cogitavit, prudentiæ. *Cogitabat autem qualis esset ista salutatio.* Sciebat prudens virgo, quod sepe angelus Satanæ transfiguratur se in angelum lucis : et quia nimirum humilis et simplex erat, nihil tale penitus a sancto angelo sperabat ; et ideo cogitabat qualis esset ista salutatio.

10. Tunc angelus intuitus Virginem, et varias secum volvere cogitationes facillime deprehendens, pavidam consolatur, confirmat dubiam, ac familiariter vocans ex nomine, Lenigne ne timeat persuadet. *Ne timeas*, inquit, *Maria, invenisti gratiam apud Deum.* Nihil hic doli, nihil hic fallaciæ est. Nullam circumventionem, nullas hic suspiceris insidias. Non sum homo, sed spiritus ; et Dei angelus, non Satanæ. *Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Deum.* O si scires quantum tua humilitas Altissimo placeat, quanta te apud ipsum sublimitas maneat ! angelico te indignam nec alloquio judicares, nec obsequio. Ut quid enim indebitam tibi dixeris gratiam angelorum, quæ invenisti gratiam apud Deum ? Invenisti quod quærebas, invenisti quod nemo ante te potuit invenire, invenisti gratiam apud Deum. Quam gratiam ? Dei et hominum pacem, mortis destructionem, vitæ reparationem. Hæc est ergo gratia, quam invenisti apud Deum. Et hoc tibi signum : *Ecce concipies et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum.* Intellige, prudens Virgo, ex nomine Filii promissi, quantam et quam specialem gratiam inveneris apud Deum. *Et vocabis*, ait, *nomen ejus Jesum.* Rationem hujus vocabuli alius evangelista ponit, angelo sic interpretante : *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* (Matth. i, 21).

11. Duos Jesus lego in typo hujus, quem nunc in manibus habemus, præcessisse, ambos populis præfuisse : quorum unus populum suum de Babylone eduxit (Agg. i ; III Esdr. v, 5), alter suum in terram promissionis introduxit (Josue, i, 14) : Et illi quidem illos, quibus præerant, ab hostibus defendebant ; sed nunquid salvabant a peccatis eorum ? Is autem noster Jesus et a peccatis salvat populum suum, et introduxit in terram viventium. *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Quis est hic qui etiam peccata dimittit ? Utinam et me peccatorem digneur Dominus Jesus annumerare populo suo, ut salvum me faciat a peccatis meis ! Vere enim beatus populus cujus iste Jesus Dominus Deus ejus, quia ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Vereor autem ne multi se profiteantur esse de populo ejus, quos tamen ipse non habeat pro populo suo. Vereor ne plerisque, qui quasi in populo ejus religiosiores esse videntur, ipse aliquando dicat : *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* (Matth. xv, 8). Novit enim Dominus Jesus qui sunt ejus (II Tim. ii, 19) ; novit et quos elegit a principio. *Quid me vocatis*, ait, *Domine, Domine, et non facitis quæ dico?* (Luc. vi, 46.) Vis scire an pertineas ad populum ejus, vel potius vis esse de populo ejus ? Fac quæ dicit Jesus ; et computabit te in populo

suo; fac quæ jubet in Evangelio Dominus Jesus, A factus est parvulus. *Parvulus*, ait, *natus est nobis, et filius datus est nobis (Isai. ix, 6)*. Nobis, inquam, non sibi, qui utique ante tempora multo nobilior natus ex Patre, nasci temporaliter non indigebat ex matre. Non angelis quoque, qui, cum magnum haberent, parvulum non requirebant. Nobis ergo natus, nobis et datus, quia nobis necessarius.

12. Sed audiamus quid idem angelus sentiat de illo, cui necdum concepto tale indidit nomen. Ait namque : *Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur*. Bene magnus, qui *Filius Altissimi* merebitur appellari. An non magnus, *cujus magnitudinis non est finis? (Psal. cXLIV, 3)*. Et quis magnus, ait, *sicut Deus noster? (Psal. LXXVI, 14)*. Plane magnus, qui tam magnus, quam Altissimus, quia et ipse Altissimus. Neque enim Altissimi Filius rapinam arbitrabitur esse se æqualem Altissimo (*Philipp. II, 6*). Ille merito arbitrandus est cogitasse rapinam, qui cum de nihilo in angelicam formam factus fuisset, factori suo se comparans, usurpavit sibi quod Filii Altissimi proprium est, qui utique in forma Dei a Deo non factus, sed genitus est. Altissimus enim Deus Pater, quamvis omnipotens sit, non potuit tamen vel æqualem sibi condere creaturam, vel inæqualem gignere filium. Fecit itaque angelum magnum, sed non quantus ipse : et ideo nec altissimum. Solum autem Unigenitum, quem non fecit, sed genuit Omnipotens omnipotentem, Altissimus altissimum, Æternus coeternum; ipsum sibi per omnia comparari, nec rapinam æstimat, nec injuriam. Recte ergo hic erit magnus, qui Filius Altissimi vocabitur.

13. Sed quare hic erit, et non potius est magnus, qui semper æqualiter magnus, non habet quo crescat, nec major post conceptum futurus sit, quam ante vel sit, vel fuerit? An forte propterea dixerit, *erit*, quia qui magnus Deus erat, magnus homo futurus sit? Bene ergo, *Hic erit magnus*. Magnus homo, magnus doctor, magnus propheta. Sic enim dicitur de eo in Evangelio: *Quia propheta magnus surrexit in nobis (Luc. VII, 16)*. Et a minori quodam propheta magnus itidem propheta venturus promittitur: *Ecce, inquit, veniet propheta magnus, et ipse renovabit Jerusalem*. Et tu quidem, o Virgo, parvulum paries, parvulum nutries, parvulum lactabis: sed videns parvulum, cogita magnum. Erit enim magnus, quia magnificabit eum Deus in conspectu regum, adeo ut adorent eum omnes reges, omnes gentes serviant ei. Magnificet ergo et anima tua Dominum, quia *hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur*. Magnus erit, et magna faciet tibi qui potens est, et sanctum nomen ejus. Quod enim sanctius nomen, quam quod *Filius Altissimi vocabitur*? Magnificetur et a nobis parvulis magnus Dominus, quos ut faceret magnos,

factus est parvulus. *Parvulus*, ait, *natus est nobis, et filius datus est nobis (Isai. ix, 6)*. Nobis, inquam, non sibi, qui utique ante tempora multo nobilior natus ex Patre, nasci temporaliter non indigebat ex matre. Non angelis quoque, qui, cum magnum haberent, parvulum non requirebant. Nobis ergo natus, nobis et datus, quia nobis necessarius.

14. Jam de nobis nato et dato faciamus ad quod natus est et datus. Utamur nostro in nostram utilitatem, de Salvatore salutem operemur. Ecce parvulus in medio statuitur. O parvulus, parvulis [*M.*, parvulus] desideratus! O vere parvulus, sed malitia, non sapientia! Studeamus effici sicut parvulus iste; discamus ab ipso, quia mitis est et humilis corde: ne magnus videlicet Deus sine causa factus sit homo parvus, ne gratis mortuus, ne in vacuum crucifixus. Discamus ejus humilitatem, imitemur mansuetudinem, amplectamur dilectionem, communicemus passionibus, lavemur in sanguine ejus. Ipsum offeramus propitiationem pro peccatis nostris; quoniam ad hoc ipse natus et datus est nobis. Ipsum oculis Patris, ipsum offeramus et suis: quia et Pater proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum (*Rom. VIII, 32*), et ipse filius semetipsum exinanivit formam servi accipiens (*Philipp. II, 7*). Ipse tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est; et ipse peccata **749** multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit ut non perirent (*Isa. LIII, 12*). Non possunt peire pro quibus Filius rogat ne peirent, pro quibus Pater tradidit Filium in mortem ut vivant. Æqualiter ergo ab utroque speranda est venia, quibus æqualis est in pietate misericordia, par in voluntate potentia, una in deitate substantia, in qua unus cum eis Spiritus sanctus vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IV.

In *Luc. cap. I, v. 32-38*.

1. Non est dubium, quidquid in laudibus Matris proferimus, ad Filium pertinere; et rursum, cum Filium honoramus, a gloria Matris non recedimus. Nam, si juxta Salomonem, *Filius sapiens gloria est patris (Prov. x, 1)*; quanto magis gloriosum est matrem ipsius effici Sapientiæ? Sed quid ego tento in ejus laudibus, quam laudabilem prædicant prophetæ, perhibet angelus, narrat evangelista? Non ergo laudo, quia non audeo; sed tantum replico devotus, quod jam explicavit per os evangelistæ Spiritus sanctus. Sequitur namque, et ait: *Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris sui*. Verba sunt angeli ad Virginem de promisso Filio, promittentis quod debeat possidere regnum David. Quod de stirpe David duxerit originem Dominus Jesus, nemo dubitat. Quæro autem, quomodo dederit ei Deus sedem David patris sui, cum ipse in Jerusalem non regnaverit, quin imo turbis enim volentibus constitueret regem, non acquieverit (*Joan. VI, 15*), sed et ante faciem Pilati protestatus sit: *Regnum meum non est de hoc mundo (Joan. XVIII, 36)*. Denique quid ma-

gnum promittitur ei qui sedet super Cherubim (Psal. LXXIX, 2), quem propheta vidit sedentem super solium excelsum et elevatum (Isai. VI, 1), sedere in throno David patris sui? Sed novimus quamdam aliam Jerusalem ab ea quæ nunc est, in qua regnavit David, significatam, multo ista nobiliorem, multo ditiozem. Hanc igitur potò hic fuisse significatam, illo videlicet usu loquendi, quo sæpe reperis in Scripturis significans poni pro significato. Tunc sane dedit illi Deus sedem David patris sui, quando constitutus est rex ab eo super Sion montem sanctum ejus (Psal. II, 6). Sed hic propheta de quo regno dixerit, expressius aperuisse videtur, in eo quod non in Sion posuit, sed super Sion. Nam Ideo fortassis dictum est, *super*, quia in Sion quidem regnavit David: super Sion vero regnum est illius, de quo dictum est ad David: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (Psal. CXXXI, 11): de quo et dictum est per alium prophetam, *Super solium David, et super regnum ejus sedebit* (Isai. IX, 7). Vides quia ubique reperis, *super? Super Sion, super sedem, super solium, super regnum*. Dabit ergo ei Dominus Deus sedem David patris sui, non typicam, sed veram; non temporalem, sed æternam; non terrenam, sed cælestem. Quæ idcirco, ut jam dictum est, memoratim fuisse David, quia hæc, in qua temporaliter sedit, æternæ illius gerebat imaginem.

2. *Et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis*. Hic quoque, si domum Jacob temporalem accipimus, quomodo in illa, quæ æterna non est, in æternum regnaturus est? Quærenda est ergo domus æterna Jacob, in qua regnet in æternum, cujus regni non erit finis. An non denique domus illa Jacob exasperans impie abnegavit eum, et insipienter respuit ante faciem Pilati, quando illo perhibente, *Regem vestrum crucifigam?* uno ore respondendo clamavit: *Non habemus regem nisi Cæsarem?* (Joan. XIX, 15.) Require itaque Apostolum, et discernet tibi eum qui in occulto Judæus est, ab illo qui in manifesto; et quæ in spiritu est circumcisio, ab ea quæ sit in carne (Rom. II, 28): spiritualem Israel a carnali, et filios fidei Abraham a filiis carnis. *Non enim, inquit, omnes qui ex Israel, hi sunt Israelitæ: neque qui semen sunt Abraham, hi filii* (Rom. IX, 6, 7). Sequere ergo et dic: Similiter non omnes qui ex Jacob, hi reputandi sunt in domo Jacob. Jacob quippe ipse est qui Israel. Solos igitur qui in fide Jacob perfecti inveniendi sunt, reputa **750** in domo Jacob, vel potius ipsos noveris fore spiritualem et æternam domum Jacob, in qua regnabit Dominus Jesus in æternum. Quis ex nobis est, qui juxta interpretationem nominis Jacob, supplantet diabolus de corde suo, luctetur cum vitis et concupiscentiis suis, ut non regnet peccatum in suo mortali corpore, sed regnet in eo Jesus, et nunc quidem per gratiam, et in æternum per gloriam? Beati in quibus Jesus regnabit in æternum, quia et ipsi cum eo regnabunt, et regni hujus non erit finis. O quam gloriosum est regnum illud, in quo reges congregati

sunt, convenerunt in unum, ad laudandum scilicet et glorificandum eum qui super omnes est Rex regum, et Dominus dominantium: de cujus splendissima contemplatione fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum (Matth. XIII, 43). O si et mei peccatoris meminerit Jesus in beneplacito populi sui, cum venerit in regnum suum! O si me in illa die, quando traditurus est regnum Deo et Patri, visitare dignabitur in salutari suo, ad videndum scilicet in bonitate electorum suorum, ad lætandum in lætitia gentis suæ, ut laudetur etiam a me cum hæreditate sua! Veni interim, Domine Jesu, auter scandala de regno tuo, quod est anima mea, ut regnes tu (qui debes) in ea. Venit enim avaritia, et vindicat in me sibi sedem; jactantia cupit dominari mihi; superbia vult mihi esse rex. Luxuria dicit: Ego regnabo; ambitio, detractor, invidia et iracundia certant in me ipso de me ipso, cujus ego potissimum esse videar. Ego autem quantum valeo resisto; renitor quantum juvor. Dominum meum Jesum reclamo; ipsi me defendo; quia ipsius me juris agnosco. Ipsum mihi Deum, ipsum mihi Dominum teneo, et dico: Non habeo regem nisi Dominum Jesum. Veni ergo, Domine, disperge illos in virtute tua, et regnabis in me, quia tu es ipse Rex meus, et Deus meus, qui mandas salutes Jacob.

3. *Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco*. Primo quidem prudenter tacuit, cum adhuc dubia cogitabat qualis esset ista salutatio; malens nimirum humiliter non respondere, quam temere loqui quod nesciret. Jam vero confortata et bene præmeditata, angelo quidem foris loquente, sed Deo intus persuadente (erat enim Dominus cum illa, dicente angelo: *Dominus tecum*); ita ergo confirmata, fide scilicet depellente timorem, lætitia verecundiam, dixit ad angelum: *Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco*. Non dubitat de facto, sed modum requirit et ordinem. Nec enim quærit an fiet istud, sed quomodo. Quasi dicat: Cum sciat Dominus meus, testis conscientie meæ, votum esse ancillæ suæ non cognoscere virum; qua lege, quo ordine placebit ei ut fiat istud? Si oportuerit me frangere votum, ut pariam talem filium; et gaudeo de filio, et doleo de proposito: fiat tamen voluntas ejus. Sin vero virgo concipiam, virgo et pariam, quod utique si placuerit ei, impossibile non erit; tunc scio vere quia respexit humilitatem ancillæ suæ. *Quomodo ergo fiet istud? quoniam virum non cognosco. Et respondens angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Superius dicta est fuisse *gratia plena*: et nunc quomodo dicitur, *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*? Nunquid potuit repleri gratia, et necdum habere Spiritum sanctum, cum ipse sit dator gratiarum? Si autem jam Spiritus sanctus in ea erat, quomodo adhuc tanquam noviter superventurus repromittitur? An forte ideo non dixit simpliciter, *veniet in te*, sed addidit *super*, quia et prius quidem in ea fuit per

multam gratiam, sed nunc supervenire nuntiatur, A propter abundantioris gratiæ plenitudinem, quam effusus est super illam? At vero cum plena jam sit, illud amplius quomodo capere poterit? Si autem plus aliquid capere potest, quomodo et ante plena fuisse intelligenda est? An prior quidem gratia ejus tantum repleverat mentem, sequens vero etiam ventrem perfundere debet: quatenus scilicet plenitudo divinitatis, quæ ante in illa, sicut et in multis sanctorum, spiritualiter 751 habitabat, etiam sicut in nullo sanctorum corporaliter in ipsa habitare incipiat?

4. Ait itaque: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Quid est, et virtus Altissimi obumbrabit tibi?* Qui potest capere, capiat. Quis enim, excepta fortassis illa quæ hoc sola in se B felicitissime meruit experiri, intellectu capere, ratione discernere possit, qualiter splendor ille inaccessibilis virginis sese visceribus infuderit; et ut illa inaccessibilem accedere ad se ferre potuisset, de portiuncula ejusdem corporis, cui se animatæ contemperavit, reliquæ massæ umbraculum fecerit? Et fortasse propter hoc maxime dictum est, *obumbrabit tibi*, quia res nimirum in sacramento erat, et quod sola per se Trinitas in sola et cum sola Virgine voluit operari, soli datum est nosse, cui soli datum est experiri. Dicatur ergo, *Spiritus sanctus superveniet in te*, qui utique sua potentia fecundabit te. *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi*: hoc est, illum modum quo de Spiritu sancto concipies, Dei virtus, et Dei C sapientia Christus, sic in suo secretissimo consilio obumbrando conteget et occultabit, quatenus sibi tantum notus habeatur et tibi. Ac si angelus respondeat ad Virginem: Quid a me requiris, quod in te mox experieris? Scies, scies, et feliciter scies, sed illo doctore, quo et auctore. Ego autem missus sum nuntiare virginalem conceptum, non creare. Nec potest doceri nisi a donante: nec potest addisci nisi a suscipiente. *Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Quod est dicere: Quoniam non de homine, sed de Spiritu sancto concipies [Al. Quoniam non est de homine, sed de Spiritu sancto, quod concipies], concipies autem Altissimi virtutem, hoc est Filium Dei; *Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*: id est, non solum D qui de sinu Patris in uterum tuum veniens obumbrabit tibi, sed etiam id quod de tua substantia sociabit sibi, ex hoc jam vocabitur Filius Dei, quemadmodum et is qui a Patre est ante sæcula genitus, tuus quoque amodo reputabitur filius. Sic autem et quod natum est ex ipso Patre, erit tuus, et quod nascetur ex te, erit ejus; ut tamen non sint duo filii, sed unus. Et licet aliud quidem ex te, aliud ex illo sit; jam non tamen cujusque suus, sed unus utriusque erit filius.

5. *Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Attende, quæso, quam reverenter dixerit, *quod nascetur ex te Sanctum.* Ut quid enim ita simpliciter *Sanctum*, et absque additamento? Credo quia

non habuit quid proprie digne nominaret illud eximium, illud magnificentum, illud reverendum, quod de purissima videlicet Virginis carne cum sua anima Unico Patris erat unienatum. Si diceret, sancta caro, vel sanctus homo, vel sanctus infans; quidquid tale poneret, parum sibi dixisse videretur. Posuit ergo indefinite, *Sanctum*: quia quidquid illud sit quod Virgo genuit, sanctum procul dubio ac singulariter sanctum fuit, et per Spiritus sanctificationem, et per Verbi assumptionem.

6. Et adjecit angelus: *Et ecce Elisabeth, cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua.* Quid fuit necesse etiam hujus sterilis Virgini nuntiaro conceptum? Nunquid forte dubiam adhuc et incredulam oraculo, recentiori voluit confirmare miraculo? Absit! Legimus et Zachariæ incredulitatem ab hoc ipso angelo fuisse castigatam: Mariam autem in aliquo reprehensam non legimus; quin potius fidem ipsius Elisabeth prophetante laudatam agnovimus. *Beata, inquit, quæ credidisti, quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi a Domino (Luc. 1. 45).* Sed ideo sterilis cognatæ conceptus Virginis nuntiatur, ut, dum miraculo miraculum additur, gaudium gaudio cumuletur. Porro necesse erat non modico lætitiæ et amoris præveniente inflammari incendio, quæ Filium paternæ dilectionis cum gaudio Spiritus sancti mox fuerat conceptura. Neque enim nisi in devotissimo corde atque hilarissimo tanta se capere poterat dulcedinis et alacritatis affluentia. Vel ideo conceptus Elisabeth nuntiatur Mariæ, quia profecto 752 decebat ut verbum mox divulgandum ubique prius sciret Virgo per angelum, quam audiret ab homine: ne Mater videlicet Dei a consiliis Filii videretur amota, si eorum quæ in terris tam prope gererentur, remansisset ignara. Vel ideo potius conceptus Elisabeth Mariæ nuntiat est, ut dum nunc Salvatoris, nunc præcursoris edocetur adventum, rerum tempus et ordinem tenens, ipsa melius postmodum scriptoribus ac prædicatoribus Evangelii reseraret veritatem, quæ et plene de omnibus a principio cœlitus fuerit instructa mysteriis. Vel ideo adhuc nuntiat Mariæ conceptus Elisabeth, ut audiens cognatam vetulam et gravidam, cogitet juvenula de obsequio: sicque illa properante ad visitandum, parvulo prophetæ locus et occasio detur, quo minori adhuc Domino suo officii valeat exhibere primitias; et dum ad se invicem occurrit matrum, infantumque ab alterutra excitata devotio, mirabilis fiat miraculum de miraculo.

7. Vide autem ne hæc tam magnifica, quæ ab angelo audis prænuntiata, ab ipso speres perficienda. A quo ergo si quæris; ipsum audi Angelum. *Quia non erit, inquit, impossibile apud Deum omne verbum*; tanquam diceret: Hæc quæ ego tam fideliter promitto, non de mea, sed de illius qui me misit, virtute præsumo. *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Quale enim illi verbum impossibile poterit esse, qui omnia fecit in Verbo? Movet me et hoc in verbis angelicis, quod signanter non ait.

Quia non erit impossibile apud Deum omne factum; sed, omne verbum. An idcirco posuit verbum, quia quam facile possunt homines loqui quod volunt, etiam quod nullatenus facere possunt; tam facile, imo incomparabiliter facilius valet Deus opere implere, quidquid illi verbo valent exprimere? Dicam apertius. Si hominibus tam facile esset facere quam dicere quod volunt; et ipsis quoque non esset impossibile omne verbum. Nunc autem quoniam vulgaris et vetus sermo est, multum interesse inter loqui et facere, sed apud homines, non apud Deum: soli Deo quia idem est facere quod loqui, idem loqui quod velle; merito non erit impossibile apud Deum omne verbum. Verbi gratia: potuerunt prævidere et prædicere prophetæ Virginem vel sterilem concepturam ac parituram; sed nunquid facere ut conciperet et pareret? Deus autem, qui dedit eis posse prævidere, quam facile potuit tunc quod voluit, per illos prædicere, tam facile potuit nunc quanto voluit, per se ipsum quod promisit implere. Siquidem apud Deum nec verbum dissidet ab intentione, quia veritas est; nec factum a verbo, quia virtus est; nec modus a facto, quia sapientia est: ac per hoc non erit impossibile apud Deum omne verbum.

8. Audisti, Virgo, factum; audisti et modum: utrumque mirum, utrumque jucundum. Jucundare, filia Sion; et exulta satis, filia Jerusalem (*Zach. ix, 9*). Et quoniam auditui tuo datum est gaudium et lætitia, audiamus et nos a te responsum lætitiæ quod desideramus, ut jam exsulent ossa humiliata. Audisti, inquam, factum, et credidisti: crede et de modo quod audisti. Audisti quia concipies, et paries filium: audisti quod non per hominem, sed per Spiritum sanctum. Expectat angelus responsum: tempus est enim ut revertatur ad Deum qui misit illum. Expectamus et nos, o Domina, verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis. Et ecce offertur tibi pretium salutis nostræ: statim liberabimur si consentis. In sempiterno Dei Verbo facti sumus omnes, et ecce morimur: in tuo brevi responso sumus reficiendi, ut ad vitam revocemur. Hoc supplicat a te, o pia Virgo, flebilis Adam cum misera sobole sua exsul de paradiso, hoc Abraham, hoc David. Hoc cæteri flagitant sancti Patres, patres scilicet tui, qui et ipsi habitant in regione umbræ mortis. Hoc totus mundus tuis genibus provolutus expectat. Nec immerito quando ex ore tuo pendet consolatio miserorum, redemptio captivorum, liberatio damnatorum: **753** salus denique universorum filiorum Adam, totius generis tui. Da, Virgo, responsum festinanter. O Domina, responde verbum, quod terra, quod inferi, quod expectant et superi. Ipse quoque omnium Rex et Dominus quantum concupivit decorem tuum, tantum desiderat et responsionis assensum: in qua nimirum proposuit salvare mundum. Et cui placuisti in silentio jam magis placebis ex verbo, cum ipse

tibi clamet e cælo: O pulchra inter mulieres, fac me audire vocem tuam. Si ergo tu eum facias audire vocem tuam, ipse te faciet videre salutem nostram. Nunquid non hoc est quod quærebas, quod gemebas, quod diebus et noctibus orando suspirabas? Quid igitur? tu es cui hoc promissum est, an aliam expectamus? Imo tu ipsa, non alia. Tu, inquam, illa promissa, illa expectata, illa desiderata, ex qua sanctus pater tuus Jacob jam morti appropinquans vitam sperabat æternam, cum dicebat: *Expectabo salutare tuum, Domine* (*Gen. xlix, 18*). In qua denique, et per quam Deus ipse rex noster ante sæcula disposuit operari salutem in medio terræ. Quid ab alia speras, quod tibi offertur? quid per aliam expectas, quod per te mox exhibebitur, dummodo præbeas assensum, respondeas verbum? Responde itaque citius angelo, imo per angelum Domino. Responde verbum, et suscipe Verbum: profer tuum, et concipe divinum: emitte transitorium, et amplectere sempiternum. Quid tardas? quid trepidas? Crede, confitere, et suscipe. Sumat humilitas audaciam, verecundia fiduciam. Nullatenus convenit nunc ut virginalis simplicitas obliviscatur prudentiam. In hac sola re ne timeas, prudens Virgo, præsumptionem: quia, etsi grata in silentio verecundia, magis tamen nunc in verbo pietas necessaria. Aperi, Virgo beata, cor fidei, labia confessioni, viscera Creatori. Ecce desideratus cunctis gentibus foris pulsat ad ostium. O si te morante pertransierit, et rursus incipias dolens quære quem diligit anima tua! Surge, curre, aperi. Surge per fidem, curre per devotionem, aperi per confessionem (8).

9. Ecce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Semper solet esse gratiæ diviniæ familiaris virtus humilitas. Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Humiliter ergo respondet, ut sedes gratiæ præparetur. Ecce, inquit, ancilla Domini. Quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non novit honoribus, inolescere gloria nescit? Mater Dei eligitur, et ancillam se nominat. Non mediocris revera humilitatis insigne, nec oblata tanta gloria oblivisci humilitatem. Non magnum est esse humilem in abjectione; magna prorsus et rara virtus, humilitas honorata. Si me miserum hominum cionem meis decepta simulationibus ad aliquem vel mediocre honorem provexerit Ecclesia, Deo nimirum hoc vel propter mea, vel propter subditorum peccata permittente; nonne statim oblitus qui fuerim, talem me puto, qualis ab hominibus (qui cor non vident) putatus sum? Credo fanæ [alias, sane], conscientiam non attendo; et reputans non honorem virtutibus, sed virtutes honori, eo sanctiorem, quo superiorem me aestimo. Videas plerosque in Ecclesia de ignobilibus nobiles, de pauperibus divites factos, subito intumescere, pristinae oblivisci abjectionis; genus quoque suum erubescere, et infimos dedignari parentes. Videas et homines pecuniosos

(8) Similia invenies in Append. toni V S. Augustini, serm. 120, n. 7.

[at. perniculosos] ad honores quosque ecclesiasticos pervolare; moxque sibi applaudere sanctitatem, vestium duntaxat mutatione, non mentium; et dignos se æstimare dignitate ad quam ambiendo pervenerunt; quodque (si audeo dicere) adepti sunt nummis, attribnere meritis. Omitto autem de his quos exæcat ambitio, et honor ipse superbiendi eis materia est.

10. Sed video (quod magis doleo) post spretam sæculi pompam nonnullos in schola humilitatis superbian magis addiscere, ac sub alis mitis humilisque magistri gravius insolescere, et impatientes amplius fieri in claustro, quam fuissent in sæculo. Quodque magis **754** perversum est, plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in sua nonnisi contemptibiles esse potuerunt: ut quia videlicet, ubi a pluribus honores appetuntur, ipsi locum habere non meruerunt, saltem ibi honorabiles videantur, ubi ab omnibus honores contemnuntur. Video et alios (quod non sine dolore videri debet) post aggressam Christi militiam, rursus sæcularibus implicari negotiis, rursus cupiditatibus terrenis immergi: cum magna cura erigere muros, et negligere mores: sub prætextu quoque communis utilitatis, verba vendere divitibus, et matronis salutationes: sed et contra Imperatoris sui edictum concupiscere aliena, et sua cum lite repetere; non audientes apostolum ex imperio Regis tubicinantem: *Hoc ipsum, inquit, delictum est in vobis, quod causas habetis. Quare non magis fraudem patimini?* (I Cor. vi, 7.) Itane mundum sibi, et se mundo crucifixerunt, ut qui antea vix in suo vico vel oppido cogniti fuerant, modo circumeuntes provincias et curias frequentantes, regum notitias, principumque familiaritates assecuti sint? Quid de ipso habitu dicam, in quo jam non calor, sed color requiritur; magisque cultui vestium, quam virtutum insistitur? Pudet dicere! vincuntur in suo studio mulierculæ, quando a monachis pretium affectatur in vestibus, non necessitas: nec saltem forma religionis retenta, in habitu ornari, non armari appetunt milites Christi: qui, dum se præparare ad prælium, et contra aereas potestates prætereundæ paupertatis insigne debuerant (quod utique adversarii valde formidant), in mollitie vestimentorum pacis potius præferentes indicium, ultro se hostibus sine sanguine tradunt inermes. Nec aliunde hæc omnia mala contingunt, nisi quod illam, qua sæculum deseruimus, deserentes humilitatem, dum per hoc cogimur inepta denuo sectari studia sæcularium, canes efficiamur revertentes ad vomitum.

11. Audiamus itaque, quotquot tales sumus, quid illa responderit, quæ Dei mater eligebatur, sed humilitatem non obliviscebatur. *Ecce, ait, ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Fiat est desiderii signum, non dubitationis indicium. Et nec hoc quod dicit, fiat mihi secundum verbum tuum, magis intelligenda est affectum exprimere desiderantis, quam effectum requirere in ore dubitantis.*

Quamquam nil obstat intelligi, *fiat*, esse verbum orantis. Nemo quippe orat, nisi quod credit et sperat. Vult autem a se requiri Deus etiam quod pollicetur. Et ideo forte multa quæ dare disposuit, prius pollicetur, ut ex promissione devotio excitetur: sicque quod gratis daturus erat, devota oratio promereatur. Sic pius Dominus, qui omnes homines vult salvos fieri, merita nobis extorquet a nobis: et dum nos prævenit tribuendo quod retribuatur, gratis agit, ne gratis tribuat. Hoc utique prudens Virgo intellexit, quando prævenienti se muneri gratuita promissionis, junxit meritum suæ orationis: *fiat*, inquam, *mihi secundum verbum tuum*. Fiat mihi de Verbo secundum verbum tuum. Verbum quod erat in principio apud Deum, fiat caro de carne mea secundum verbum tuum. Fiat, obsecro, mihi verbum, non prolatum quod transeat, sed conceptum ut maneat, carne videlicet indutum, non aere. Fiat mihi non tantum audibile auribus, sed et visibile oculis, palpabile manibus, gestabile humeris. Nec fiat mihi verbum scriptum et mutum, sed incarnatum et vivum: hoc est, non nutis figuris, mortuis in pellibus exaratum: sed in forma humana meis castis visceribus vivaciter impressum: et hoc non mortui calami depictione, sed sancti Spiritus operatione. Eo videlicet modo fiat mihi, quo nemini ante me factum est, nemini post me faciendum. Porro multifariam multisque modis olim Deus locutus est Patribus in prophetis; et aliis quidem in aure, aliis in ore, aliis etiam in manu factum esse verbum Domini memoratur: mihi autem oro ut in utero fiat juxta verbum tuum. Nolo autem ut fiat mihi aut declamatorie prædicatum, aut figuraliter significatum, aut imaginatorie somnium; sed silenter **755** inspiratum, personaliter incarnatum, corporaliter invisceratum. Verbum igitur, quod in se nec poterat fieri, nec indigebat, dignetur in me, dignetur et mihi fieri secundum verbum tuum. Fiat quidem generaliter omni mundo, sed specialiter fiat mihi secundum verbum tuum.

Excusatio S. Bernardi, quod locum istum Evangelii post alios expositores tractandum sumpserit.

Lectionem evangelicam exposui, sicut potui: nec ignoro quod non omnibus placebit, sed scio me ob hanc rem multorum fore indignationi obnoxium; et aut judicabor superfluum, aut præsumptor, quod videlicet post Patres, qui hunc ipsum locum plenissime exposuerunt, rursus in eodem novus expositor ausus fuerim mittere manum. Sed si quid dictum est post Patres quod non sit contra Patres; nec Patribus arbitror, nec cuiquam displicere debere. Ubi autem dixi quod a Patribus accepi, dum sic absit typhus præsumptionis, ut non desit fructus devotionis, patienter audiam de superfluitate causantes. Noverint tamen qui me tanquam de otiosa et non necessaria explanatione suggillant, non tam intendisse exponere Evangelium, quam ex Evangelio sumere occasionem loquendi quod loqui delectabat. Si vero peccavi, quod propriam magis ex hoc exci-

tarim devotionem, quam communem quasierim utilitatem: potens erit pia Virgo apud suum misericordem Filium hoc meum excusare peccatum, cui hoc A meum quaecumque opusculum devotissime destina-
navi.

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.

SERMO I.

De pronuntiatione Martyrologii. « Jesus Christus, Filius Dei, nascitur in Bethlehem Judæ (9). »

1. Sonuit vox letitiæ in terra nostra, vox exultationis et salutis in tabernaculis peccatorum. Auditu est verbum bonum, verbum consolatorium, sermo jucunditate plenus, dignus omni acceptione. Jubilate, montes, laudem; et omnia ligna silvarum, plaudite manibus ante faciem Domini, quia venit. Audite, cæli; et auribus percipe, terra; obstupesce et lauda, universitas creaturæ, sed tu magis, o homo: « Jesus Christus, Filius Dei, nascitur in Bethlehem Judæ. » Quis tam lapidei cordis, cujus anima non liquefacta sit in hoc verbo? Quid annuntiari dulcius poterat? quid delectabilius commendari? Quid tale unquam auditum est, aut quid simile aliquando mundus accepit? « Jesus Christus, Filius Dei, nascitur in Bethlehem Judæ. » O breve verbum de Verbo abbreviato, sed cælesti suavitate refertum! Laborat affectio mellifluæ dulcedinis copiam latius effundere gestiens, nec inveniens verba. Tanta siquidem est gratia sermonis hujus, ut continuo incipiat minus sapere, si unum iota mutavero. « Jesus Christus, Filius Dei, nascitur in Bethlehem Judæ. » O nati-
vitas illibata sanctitate, honorabilis mundo, amabilis hominibus collati magnitudine beneficii, investigabilis etiam angelis sacri profunditate mysterii, et in his omnibus admirabilis singulari excellentia novitatis! utpote quæ nec primam similem visa est, nec habere sequentem. O partus solus sine dolore, solus nescius pudoris, corruptionis ignarus; non reserans, sed consecrans virginalis uteri templum! O nati-
vitas supra naturam, sed pro natura; miraculi excellentia superans, sed reparans virtute mysterii! Fratres, generationem istam quis enarrabit? Angelus nuntiat, virtus obumbrat Altissimi, supervenit Spiritus: Virgo credit, fide concipit virgo, parturit virgo, manet virgo: quis non miretur? Nascitur Altissimi Filius, Deus de Deo genitus ante sæcula; nascitur Verbum
infans: quis vel satis miretur?

2. Nec sane otiosa natiivitas, aut infructuosa dignatio 756 majestatis. « Jesus Christus, Filius Dei, nascitur in Bethlehem Judæ. » Vos qui in pulvere estis, expergiscimini et laudate. Ecce Dominus venit cum salute, venit cum unguentis, venit cum gloria. Neque enim sine salute Jesus, neque sine unctione Christus, nec sine gloria venit Dei Filius: siquidem ipse salus, ipse unctio, ipse gloria, sicut scriptum est, *Gloria patris, filius sapiens* (Prov. x, 1). Felix anima, quæ gustato salutis fructu trahitur et currit in odore unguentorum, ut videat gloriam ejus, gloriam quasi

unigeniti a Patre. Respirate, perdit; venit Jesus quærere et salvum facere quod perierat. Morbidi, convalescite; venit Christus, qui contritos corde sanat unctione misericordiæ suæ. Exsultate, quicumque estis grandia concupiscentes; descendit ad vos Filius Dei, ut regni sui faciat coheredes. Ita, obsecro, sana me, Domine, et sanabor: salvum me fac, et salvus ero: glorifica, et ero gloriosus. Sic nempe benedicit anima mea Domino, et omnia quæ intra me sunt, homini sancto ejus, cum propitiatus fueris omnibus iniquitatibus meis, sanaveris omnes infirmitates meas, repleveris in bonis desiderium meum (Psal. cii, 1, 3, 5). Hæc tria, dilectissimi, sapit mihi quod audio nasci Jesum Christum Filium Dei. Quare enim vocamus nomen ejus Jesum, nisi quia ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum? (Matth. 1, 21.) aut quare Christus nominari voluit, nisi quia *computrescere faciet jugum a facie olei*? (Isa. x, 27.) Quare Filius Dei factus est homo, nisi ut homines faciat filios Dei? Voluntati autem ejus quis resistit? Jesus qui justificat, quis est qui condemnet? Christus qui sanat, quis est qui vulneret? Filius Dei qui exultat, quis est qui humiliet?

3. Nascitur ergo Jesus; gaudeat quisquis ille est, quem perpetuæ damnationis reum adjudicabat conscientia peccatorum. Excedit quippe pietas Jesu omnem criminum quantitatem seu numerositatem. Nascitur Christus; lætetur quicumque vitii impugnabatur antiquis. Siquidem ante faciem unctionis Christi nullus omnino stare poterit morbus animæ, quamlibet inveteratus. Nascitur Filius Dei; exsulet qui magna solet desiderare, quia magnus munerator advenit. Fratres, hic est hæres; devote suscipiamus eum, sic enim et hæreditas nostra erit. Qui enim proprium Filium dedit, quomodo non omnia nobis simul cum Filio donavit? (Rom. viii, 32.) Nemo discredat, nemo hæsitet; habemus testimonium
credibile nimis: *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (Joan. 1, 14). Fratres habere voluit Unigenitus Dei, ut esset in multis fratribus primogenitus ipse. Utque nihil hæsitet ipsa pusillanimitas fragilitatis humanæ, prius ipse factus est hominum frater, factus est hominis filius, factus est homo. Si et hoc homo judicat incredibile, fidem astruunt oculi.

4. « Jesus Christus natus est in Bethlehem Judæ. » Et vide dignationem. Non in Jerusalem, civitate regia; sed in Bethlehem, quæ minima est in millibus Juda. O Bethlehem parva, sed jam magnificata a Domino! magnificavit te qui factus est in te parvus ex magno. Lætare, Bethlehem, et per omnes vicus

(9) Hæc verba leguntur in Usuardi Martyrologio, quo Ecclesiæ Gallicanæ omnes, aut fere omnes tunc— utebantur, imo etiam Romana.

tuos festivum hodie Alleluia cantetur. Quæ tibi civitas, si audiat, non invidet pretiosissimum illud stabulum, et illius præsepium gloriam? In universa siquidem terra jam celebre est nomen tuum, et hanc te dicunt omnes generationes. Ubiq[ue] gloriosa d'cuntur de te, civitas Dei : ubiq[ue] psallitur, quia homo natus est in ea, et ipse fundavit eam *Altissimus* (Psal. lxxxvi, 5). Ubiq[ue], inquam, prædicatur, ubiq[ue] clamatur, quia « Jesus Christus, Filius Dei, nascitur in Bethlehem Judæ. » Nec otiosum quod additur « Judæ, » siquidem admonet nos ejus quæ ad patres facta est repromissio. *Non auferetur*, inquit, *sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est; et ipse erit expectatio gentium*. Salus quippe ex Judæis, sed salus usque ad fines terræ. *Juda, ait, te laudabunt fratres tui. Manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum, et cætera quæ de Juda illo nusquam legitur, sed in Christo videmus impleta. Ipse est enim Leo de tribu Juda, de quo et additur: Catulus leonis Juda; ad prædam, inquit, fili mi, ascendisti* (Gen. xlix, 8, 10). **757** Magnus prædator Christus, qui priusquam sciat vocare patrem aut matrem, *Samariæ spolia diripit* (Isa. viii, 4). Magnus prædator Christus, qui ascendens in altum, captivam duxit captivitatem : nec tamen abstulit quidquam, sed magis ipse dedit dona hominibus. Has itaq[ue], et cæteras similes prophetias impletas in Christo (de eo siquidem et prædictas) ad mentem revocat, quod dicitur, « Bethlehem Judæ : » nec omnino quærere est, utrum a Bethlehem possit aliquid boni esse.

5. Sane quod ad nos spectat, discimus etiam ex hoc quemadmodum suscipi velit, qui in Bethlehem voluit nasci. Erat enim qui forte ei sublimia quærenda arbitraretur esse palatia, ubi cum gloria Rex gloriæ susciperetur : sed non propter hoc a regalibus illis sedibus venit. *In sinistra ejus divitiæ et gloria, in dextera longivitas vitæ* (Prov. iii, 16). Horum omnium æterna in cœlis affluentia suppetebat, sed paupertas non inveniebatur in eis. Porro in terris abundabat et superabundabat hæc species, et nesciebat homo pretium ejus. Hanc itaq[ue] Dei Filius concupiscens descendit, ut eam eligat sibi, et nobis quoque sua æstimatione faciat pretiosam. Adorna thalamum tuum, Sion; sed humilitate, sed paupertate. In his enim pannis complacet sibi, et Maria testimonium perhibente, his sericis delectatur involvi. Abominat[i]ones Ægyptiorum immola Deo tuo.

6. Considera denique quod in Bethlehem Judæ nascitur, et sollicitus esto quomodo Bethlehem Judæ inveniaris; et jam ne in te quidem suscipi dedignatur. Bethlehem quippe *domum panis*, Juda sonat *confessionem*. Tu ergo si divini verbi pabulo repleas animam tuam, fideliterque, etsi non digna, certe quanta potes devotione suscipias panem illum qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo, Dominicum videlicet corpus Jesu, ut veterem utrem corporis tui nova illa resurrectionis caro reficiat et sustineat, quatenus novum quod intus est vinum, hoc solidatus glutino,

A valeat continere : si denique ex fide vivas, et nequaquam gemere oporteat, quia oblitus sis comedere panem tuum : Bethlehem factus es, dignus plane susceptione Dominica, si tamen confessio non defuerit. Sit proinde Judæa sanctificatio tua : confessionem et decorem induere, quom maxime stolam in ministris suis Christus acceptat. Denique breviter tibi utrumque commendat Apostolus : *Corde, inquit, creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (Rom. x, 10) : Justitia siquidem in corde, panis in domo. Est enim justitia panis. Et, *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturantur* (Math. v, 6). Sit ergo in corde justitia, et justitia quæ ex fide est. Hæc enim sola habet gloriam apud Deum. Sit etiam in ore confessio ad salutem : et securus jam suscipe eum qui in Bethlehem Judæ nascitur, Jesum Christum Filium Dei.

SERMO II.

De eo quod scriptum est, *O Juda et Jerusalem, nolite timere; cras egrediemini, et Dominus erit vobiscum*. II Par. cap. xx, §. 17.

1. Veros alloquimur Judæos, non littera, sed spiritu : semen Abraham, cujus multiplicatio, sicut promissa legitur, sic videtur impleta. Neque enim filii carnis, sed filii promissionis deputantur in semine (Rom. ix, 8). Sed nec illi Jerusalem dicimus, quæ occidit prophetas. Unde enim illam consolemur, super quam Dominus flevit (Luc. xix, 41), quæ data est in subversionem? Illi dicimus, quæ de cœlo nova descendit : *Nolite timere, o Juda et Jerusalem. Nolite timere, veri confessores, qui non solum ore, sed toti pariter, et ex omni parte Domino confitemini, induti confessionem sicut vestimentum; imo quorum omnia interiora Domino confitentur, et omnia ossa dicunt, Domine, quis similis tibi, (Psal. xxxiv, 10)? non sicut hi qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (Tit. i, 16). Vera confessio est, si omnia opera vestra, fratres, opera ejus sint, et confiteantur ei. Confiteantur autem gemina quadam confessione, ut duplicibus **758** vestiamini, id est confessione peccatorum vestrorum, et confessione laudis divinæ. Tunc enim veri Judæi eritis, si omnis vita vestra confiteatur vos peccatores, et dignos multo majoribus pœnis : Deum vero summum bonum, qui pro his levibus et transitoriis pœnis, æterna condonat supplicia, quæ meruistis. Quisquis enim ardentem non desiderat penitentiam, videtur operibus dicere, non indigere se penitentia; et ita suam non confitetur culpam : aut non posse prodesse ei penitentiam; et sic divinam non confitetur bonitatem. Vos autem estote veri Judæi, sed et Jerusalem vera, ut nihil jam timeatis. Est enim Jerusalem *visio pacis*; visio, non possessio, cujus fines Dominus posuit pacem, non initium sane, nec medium. Si ergo pacem non habetis, imo quia perfectam in hoc sæculo habere non potestis, saltem videte eam, intuemini, considerate et desiderate eam. Illuc sint oculi cordis vestri, ad pacem sese dirigat intentio vestra, ut omnia quacumque facitis, hujus pacis,

quæ exsuperat omnem sensum (*Philipp.* iv, 7), de desiderio faciatis; in omnibus hoc intendatis, ut reconciliati pacem habeatis ad Deum.

2. His dicimus, *Nolite timere*, hos consolamur, non eos qui viam pacis non cognoverunt. Nam si illis dicitur, *Cras egrediemini*; comminatio, non consolatio erit ista. Soli nimirum dissolvi desiderant, et egredi concupiscunt, qui pacem vident, et sciunt, si terrestres domus eorum hujus habitationis dissolvantur, quoniam ædificationem habent ex Deo, et non illi qui in insaniam versi suis compedibus delectantur. Denique hi tales moriendo non tam egressi dicendi sunt, quam ingressi: qui non in lucem, non in libertatem vadunt, sed in carcerem, sed in tenebras, sed in infernum. Vobis autem dicitur: *Nolite timere, cras egrediemini*, et jam non erit timor in finibus vestris. Multos quidem habetis hostes: carnem, qua nullus potest esse vicinior hostis; præsens sæculum nequam, quod undique circumfusum est vobis; principes tenebrarum, qui viam vestram obsident in aere collocati. Attamen nolite timere, cras egrediemini, id est in proximo. Cras enim in proximo est. Unde et sanctus Jacob ait: *Cras respondebit mihi justitia mea* (*Gen.* xxx, 33). Tres enim dies sunt, de quibus etiam legimus: *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos* (*Osee* vi, 3). Unus sub Adam, aliter in Christo, tertius cum Christo. Unde et ibi subditur, *Sciemus, sequemurque, ut cognoscamus Dominum*: et hic dicitur, *Cras egrediemini, et Dominus erit vobiscum*. His enim dicitur qui dimidiaverunt dies suos, in quibus periit dies in qua nati sunt, quæ est dies Adæ, dies peccati, cui Jeremias quoque maledicebat, dicens: *Maledicta dies in qua natus sum* (*Jerem.* xx, 14). Omnes enim in illa nascimur. Utinam pereat in nobis omnibus dies illa, dies nebulæ et caliginis, dies tenebrarum et turbinis, quam nobis fecit Adam, quam fecit inimicus, qui dixit: *Aperiantur oculi vestri* (*Gen.* iii, 5).

3. Ecce vero illuxit nobis dies redemptionis novæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ. Hæc est dies quam fecit Dominus; exsulemus et lætemur in ea (*Psal.* cxvii, 24), quia cras egrediemur. Unde, nisi de conclavi hujus sæculi, de ergastulo hujus corporis, de compedibus necessitatis, curiositatis, vanitatis et voluptatis, quæ etiam invitis nobis pedes tenent affectionis? Quid enim spiritui nostro cum terrenis? Cur non spiritualia desiderat, spiritualia quærit, spiritualia sapit? O spiritus, qui desursum estis, quid vobis cum infimis? *Quæ sursum sunt querite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram* (*Coloss.* iii, 1, 2). Sed corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (*Sep.* ix, 15). Necessitates multæ miseri hujus corporis detinent nos. Viscus quidam pravi desiderii et delectationis terrenæ volare non patitur, et citius retrahit meatem, si forte aliquando sublevetur. Sed nolite timere, cras egrediemini de lacu miseriæ et de luto facis. Nam ut inde vos educeret, infixus est

ipse quoque in limo profundi. Nolite ergo timere, cras egrediemini de corpore mortis, 759 et de omni corruptione peccati. Agite diem istum in Christo, ut ambuletis sicut et ipse ambulavit. *Qui enim dicit se in Christo manere, debet, sicut ipse ambulavit, et ipse ambulare* (*I Joan.* ii, 6); *Nolite ergo timere, quia cras egrediemini, et sic semper cum Domino eritis*. Vel quia signanter dictum, et *Dominus erit vobiscum*, sic intelligamus, ut, dum sumus in corpore, possimus nos esse cum Domino, id est, adhærere ejus voluntati; sed non ille nobiscum, ut consentiat voluntati nostræ. Vellemus enim jam liberi esse, concupiscimus dissolvi, egredi desideramus: sed adhuc differt ille certa ex causa. Cras egrediemur, et Dominus erit nobiscum: ut quidquid voluerimus velit, et in nullo a nostra voluntate discordet.

4. Itaque, Juda et Jerusalem, nolite timere, si perfectionem, quam desideratis, nondum potestis adipisci: sed quod minus habet imperfectio conversationis, suppleat humilitas confessionis: et imperfectum vestrum viderunt oculi Dei. Propterea enim mandata sua mandavit custodiri nimis (*Psal.* cxviii, 4), ut videntes imperfectionem nostram deficere, et non posse implere quod debet, fugamus ad misericordiam, et dicamus, *Quoniam melior est misericordia tua super vitas* (*Psal.* lxi, 4), et qui non possumus in vestitu innocentisæ seu justitiæ, appareamus vestiti confessione. *Confessio enim et pulchritudo in conspectu Domini* (*Psal.* xcvi, 6), si tamen sit (ut diximus) non oris tantum, sed etiam totius hominis, ut omnia ossa nostra dicant, *Domine, quis similis tibi?* idque solius pacis intuitu, et desiderio reconciliationis ad Deum. Talibus enim dicitur, *O Juda et Jerusalem, nolite timere; cras egrediemini*: id est quam cito a corpore exierit anima, omnes simul affectiones, omnia desideria, quibus per universum interitum mundum dispersa et ligata tenebatur, dissolvantur, et egredietur de visco hoc; et *Dominus erit vobiscum*. Nimis id quidem vobis videri potest, si tamen ad vos respicitis, et non ad ea quæ expectant vos. Nonne hoc universus mundus expectat? Creatura enim subjecta est vanitati: et cadente homine, quem constituerat Dominus dominum domus suæ, et principem omnis possessionis suæ; tota simul hæreditas corrupta est. Inde distemperatus aer, terra in operibus. Adæ maledicta, et omnia subdita vanitati.

5. Nec sane reparabitur hæreditas, donec reparentur hæredes. Unde et, juxta Apostoli testimonium, *ingemiscit quoque, et parturit usque adhuc* (*Rom.* viii, 22). Nec soli utique huic mundo, sed et angelis et hominibus spectaculum facti sumus. *Me, inquit, expectant justi, donec retribuas mihi* (*Psal.* cxli, 8). Et martyres, cum judicii diem postularent, non tanquam vindictæ cupidi, sed perfectionem desiderantes beatitudinis quam tunc habituri sunt, acceperunt divinum responsum: *Sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus*

fratrum vestrorum (Apoc. vi, 11). Acceperunt quidem jam singulas stolas : sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur et nos. Vadia tenemus et obsides ipsa eorum corpora, sine quibus consummari non possunt, nec ea recipient sine nobis. Unde de patriarchis et prophetis ait Apostolus : *Deo melius aliquid providente pro nobis, ut non sine nobis consummarentur* (Hebr. xi, 40). O si cognosceremus et nos quomodo expectant et quantum desiderant adventum nostrum ! quam sollicitè quærent, quam libenter audiant bona de nobis !

6. Quid tamen de his loquor qui didicerunt, ex his quæ passi sunt, compassionem, quando et ipsi nos angeli sancti desiderant ? Nonne de vermiculis istis, et de pulvere isto restaurandi sunt muri cælestis Jerusalem ? Putatis quantum desiderant cives cælestes instaurari civitatis suæ ruinas ? Quomodo solliciti sunt ut veniant lapides vivi, qui cœdificentur eis ? quomodo discurrunt mellii inter nos et Deum, fidelissime portantes ad eum gemitus nostros, et ipsius nobis gratiam devotissime reportantes ? Plane non dedignabuntur ut sinus eorum socii, quorum facti sunt jam ministri. Nonne enim omnes administratorii sunt spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem **760** capiunt salutis ? (*id.* i, 14). Festinemus, obsecro, dilectissimi, festinemus : tota nos multitudo cælestis curiæ expectat. Exsultare angelos fecimus, quando conversi sumus ad pœnitentiam ; proficiamus, et festinemus complere de nobis eorum lætitiã. Væ tibi, quicumque es qui deliberas redire ad lutum, reverti ad vomitum ! Putasne placatos habebis in iudicio, quos tanto et tam sperato privare vis gaudio ? Exsultaverunt cum nos ad pœnitentiam venimus, tanquam super his quos ab ipsa inferi porta cernerent revocari. Quid nunc erit, si ab ipsa paradisi janua reverti viderint, et abire retrorsum eos qui jam pedem alterum in paradiso posuerunt ? Nam etsi corpora inferius, sed corda sursum.

7. Currite, fratres, currite ; non soli angeli, sed et ipse angelorum vos Creator expectat. Nuptiæ paratæ sunt, sed nondum plena domus ; adhuc expectantur de quibus nuptiæ impleantur. Expectat vos Pater et desiderat, non solum propter nimiam charitatem suam qua dilexit vos (unde et Unigenitus, qui in sinu Patris est, ipse et enarravit, *Pater, inquit, amat vos* (Joan. xvi, 27) ; sed propter semetipsum, sicut loquitur per prophetam : *Propter memetipsum ego faciam, non propter vos* (Ezech. xxxvi, 22). Quis enim implendum dubitet quod promisit Filio, dicens : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam* (Psal. ii, 8). Et alibi, *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?* (Psal. cix, 1). Non contententur omnes inimici ejus, dum nos, qui sumus membra ejus, aliquatenus impugnabunt. Non impletur hæc promissio, donec novissima inimica destruat mors. Nam de Filio quis nesciat quantum desideret fructum nativitatæ, et totius vitæ quam

gressit in carne, denique fructum crucis et mortis suæ, prætium sanguinis pretiosi ? Nonne traditurus est regnum Deo et Patri, quod acquisivit ? Nonne ei restauraturus est creaturas suas, pro quibus Pater illum misit in terras ? Expectat nos et Spiritus sanctus. Est enim charitas et benignitas, in qua prædestinati sumus ab æterno : nec dubium quin prædestinationem suam velit impleri.

8. Ergo quia paratæ sunt nuptiæ, et omnis nos curiæ cælestis frequentia desiderat et expectat ; curramus non quasi in incertum ; curramus desiderii et profectu virtutum. Proficere, proficisci est. Dicamus singuli : *Aspice in me, et miserere mei, secundum iudicium diligentium nomen tuum* (Psal. cxviii, 132). Non sicut ego merui, sed sicut illi decreverint, miserere. Dicamus item, *Sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat* : itemque, *Fiat voluntas tua* (Matth. vi, 10). Scimus quoniam scriptum est, *Si Deus pro nobis, quis contra nos ? Ant quis accusabit adversus electos Dei ?* (Rom. viii, 31, 33). *An non licet, inquit, mihi facere quod volo ?* (Matth. xx, 15). Hæc sit interim consolatio nostra, charissimi, donec egrediamur, et Dominus sit nobiscum. Qui magna sua misericordia ad beatam illam egressionem, et ad clarum illud *cras* nos perducit, et in hoc quoque proximo *cras* visitare nos, et nobiscum esse dignetur : ut si quis forte in tentatione qualibet detinetur, ipso miserante qui prædicare venit clausis apertionem, *cras* egredietur ; ut cum gaudio salutari suscipiamus coronam parvuli Regis nostri, ipso præstante, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

In illud : *Hodie sciatis quia venit Dominus, et mane videbitis gloriam ejus*. Exod. cap. xvi, 7. 6, 7.

1. Quique terrigenæ, et filii hominum, audite. Vos qui in pulvere estis, expergiscimini et laudate : quia venit medicus ad ægrotos, redemptor ad venditos, ad errantes via, ad mortuos vita. Venit quippe qui projiciat in profundum maris omnia peccata nostra, qui sanet omnes infirmitates nostras, qui nos propriis humeris ad propriæ dignitatis reportet **761** originem. Magna est ista potentia : sed plus est miranda misericordia, quod sic venire voluit, qui potuit subvenire. *Hodie, inquit, sciatis quia venit Dominus*. Verba hæc quidem suo loco et tempore in Scriptura posita sunt : sed non incongrue illa Vigiliæ Dominicæ Nativitatæ Ecclesia mater aptavit. Ecclesia, inquam, illa quæ secum habet consilium et spiritum Sponsi et Dei sui, cui dilectus inter ubera commoratur, ipsam cordis sui sedem principaliter possidens et conservans. Nimirum ipsa est quæ vulneravit cor ejus, et in ipsam abyssum secretorum Dei oculum contemplationis immersit, ut et illi in suo, et sibi in ejus corde perennem faciat mansionem. Cum ergo ipsa in Scripturis divinis verba vel alterat vel alternat ; fortior est illa compositio, quam positio prima verborum : et fortassis tanto fortior,

quantum distat inter figuram et veritatem, inter lucem et umbram, inter dominam et ancillam (10).

2. *Hodie sciatis quia veniet Dominus.* Secundum æstimationem meam duo in verbis istis dies nobis expressius commendantur. Primus, qui a primi hominis lapsu labitur usque ad finem mundi; dies, cui sancti sæpius maledixisse noscuntur. Ab illa enim lucidissima die, in qua conditus fuerat Adam, eiectus est; et in has rerum contritus angustias, diem tenebrosam incurrit, et pene a lumine veritatis extinctus. In hac die nascimur universi, si tamen dies debet et non potius nox vocari: nisi quod lumen rationis quasi quamdam scintillulam nobis insuperabilis illa misericordia dereliquit. Secunda vero dies erit in splendoribus sanctorum in perpetuas æternitates, cum inclauerit illud serenissimum mane, qui est misericordia repromissa, et absorpta erit mors in victoria: cum dimotis umbræ et tenebris, splendor veræ lucis sursum et deorsum, intus et exterius cuncta pariter occupabit. *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, ait sanctus (Psal. cxlii, 8); et, Repleti sumus mane misericordia tua (Psal. lxxxix, 14, 9).* Sed ad nostrum diem revertamur, qui tanquam custodia in nocte pro sua brevitate dicitur, qui tanquam nihilum et inane ab illo familiari Spiritus sancti organo nominatur, cum dicit, *Quoniam omnes dies nostri defecerunt: et, Defecerunt sicut fumus dies mei: et, Dies mei sicut umbra declinaverunt (Psal. ci, 4, 12). Parvi et pessimi sunt omnes dies vite meæ (Gen. xlvii, 9),* ait ille sanctus patriarcha, qui vidit Dominum facie ad faciem, qui cum eo tam familiariter loquebatur. Et quidem in hac ipsa die homini Deus rationem præstat, tribuit intelligentiam: sed necesse est ut excurrentem de hoc mundo illuminet lumine scientiæ suæ, ne, si de domo carceris et umbra mortis extinctus exierit, illuminari non valeat in æternum. Ideo quippe Unigenitus Dei, sol justitiæ, tanquam immensi et præclari luminis cereus, in hujus mundi carcerem illuminatus est et accensus; ut omnes qui illuminari voluerint, ad illum accedant, illique jungantur, ut nihil medium inter illos sit et ipsum. Peccata enim nostra separant inter nos et Deum. Sed illis sublati, vero lumini illuminandi et quasi concorporandi connectimur in idipsum: sicut lumen extinctum lumini lucenti et ardenti sine aliquo medio conjungitur ut illuminetur, quatenus per exemplum visibilium, effectus rerum invisibilium cognoscamus.

3. Ad hoc igitur tam magnum et præfulgidum sidus, juxta prophetam, illuminemus nobis lumen scientiæ (*Osee, x, 12, juxta LXX.*), priusquam de mundi hujus tenebris exeamus, ne de tenebris trans-eamus ad tenebras, et tenebras sempiternas. Quæ est autem ista scientia? Profecto scire quia veniet Dominus, etsi quando veniet, scire non possumus. Hoc est illud totum quod postulatur a nobis. At in-

(10) Quanti Bernardus faciebat Ecclesiæ universæ decreta, qui tantam ejus auctoritatem etiam in ac-

quis, ista scientia omnium est. Quis enim nesciat, vel nomine tenus fidelis, quia veniet Dominus; quia venturus est judicare vivos et mortuos, et reddere unicuique juxta opera sua? Non omnium ista est scientia, fratres mei, sed nec multorum: Paucorum **762** est, quia revera pauci sunt qui salvantur. Putasne quia illi qui, cum male fecerunt, lætantur et exsultant in rebus pessimis (*Prov. ii, 14.*), vel sciunt, vel recogitant quia veniet Dominus? Si dixerint ipsi, tu noli credere: quia *qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est (1 Joan ii, 4.).* *Confitentur, ait Apostolus, se nosse Deum, factis autem negant (Tit. i, 16.): quia fides sine operibus mortua est (Jac ii, 20).* Non enim se ita omni impuritate polluerent, si Dominum venturum scirent vel formidarent; sed vigilarent utique, et non sine-
rent tam graviter perfodi conscientias suas.

4. Scientia autem ista in primo gradu operatur pœnitentiam et dolorem, ut risum in luctum, cantum in planctum, gaudium in mœrorem convertat, et incipiant tibi displicere quæ vehementer ante placuerant; et illa specialiter horreas quæ specialiter appetebas. Sic enim scriptum est, *Quia qui addit scientiam, addit et dolorem (Eccl. i, 18.),* ut veracis et sanctæ scientiæ sit dolor subsequens argumentum. In secundo vero gradu operatur correctionem, ut jam non exhibeas membra tua arma iniquitatis peccato, sed coerceas gulam, jugules luxuriam, superbiam deprimas, et facias servire corpus sanctitati, quod iniquitati ante servierat. Pœnitentia enim sine correctione non proderit, sicut Sapiens ait: *Unus ædificans, et unus destruens; quid prodest eis nisi labor? Unus orans, et unus maledicens; cujus vocem exaudiet Deus? Qui enim baptizatur a mortuo, et iterum tangit eum, nihil proficit lavatio ejus (Eccl. xxxiv, 28-30.),* sed, juxta Salvatoris sententiam, verendum est ne ei aliquid deterius contingat (*Joan. v, 14.*). Sed quia hæc diutius haberi non possunt, nisi circa se multa circumspectione mens indefessa vigilet et attendat; in tertio gradu operatur sollicitudinem, ut jam sollicitus incipiat ambulare cum Deo suo, et ex omni parte scrutetur, ne vel in levissima re tremendæ illius majestatis offendat aspectus. In pœnitentia accenditur, in correctione ardet, in sollicitudine luget, ut interius et exterius renovetur.

5. Hic jam respirare incipit a tribulatione malorum et dolore, et timoris magnitudinem spirituali lætitia temperare, ne suorum enormitate scelerum abundantiori tristitia absorbeat. Hinc etsi timet a Juce, sperat a Salvatore; cum jam in animo ejus timor et lætitia obsequant et obviant sibi; plerumque timor lætitiæ superet, lætitiæ sæpius timorem excludat, et intra sui gaudii concludat arcana. Felix conscientia, in qua luctamen hujusmodi indesinenter conficitur, donec quod mortale est absorbeat a vita, donec evacuetur timor qui ex parte commodatio Scripturæ sensu agnoscebat, qualem certe nec ipsa exigit!

est, et succedat lætitia, quod perfectum est; quia non timor sempiternus, sed lætitia sempiterna erit ei. Jam vero sic ardens et lucens, nondum in domo se esse confidat, ubi sine omni timore ventorum accensum lumen soleat deportari; sed meminerit se esse sub dio, et utraque manu studeat operire quod portat; nec credat aeri, etiam si videat esse tranquillum. Repente enim, et hora qua non putaverit, mutabitur; etsi vel ad modicum manus remiserit, lumen exstinguetur. Quod si etiam ardor portantis manus (ut quandoque fieri solet) adusserit, eligat potius pati quam retrahere manus suas; quia in momento, in ictu oculi poterit exsufflari. Si essemus in domo illa non manufacta, æterna, in cœlis, ubi nullus inimicus intrat, nullus exit amicus, nihil esset timendum. Nunc vero tribus malignissimis et validissimis ventis expositi sumus, carni, diabolo et mundo, qui conscientiam illuminatam moliuntur exstinguere, insufflantes in cordibus nostris desideria mala, motus illicitos, et ita te repente turbantes, ut vix prænoscere valeas unde venias aut quo vadas. Ex quibus, etsi duo sæpius intermittunt, a tertio tamen nemo unquam sufflandi inducias extorsit. Ideo utrisque manibus, et cordis, et corporis, anima est tegenda, ne forte quæ jam illuminata fuerat, exstinguatur; nec cedendum vel recedendum, **763** etiamsi gravis tentationum fervor utriusque hominis statum vehementer affligerit; sed dicendum cum sancto: *Anima mea in manibus meis semper* (*Psal. cxviii, 109*). Eligamus potius ardere, quam cedere. Et sicut quod in manibus nostris tenemus, non facile obliviscimur, sic nunquam obliviscamur negotium animarum nostrarum, et illa cura principaliter vigeat in cordibus nostris.

6. Cum ergo sic lumbi nostri præcincti fuerint, et lucernæ ardentes, custodiendæ sunt vigilæ noctis supra gregem cogitationum et actionum nostrarum: ut si in prima vigilia, vel secunda, vel tertia Dominus venerit, paratos nos inveniat. Prima vigilia est rectitudo operis, ut ad hanc quam jurasti Regulam, omnem vitam exæquare coneris, nec transgrediaris terminos quos posuerunt patres tui in omnibus vitæ et vitæ hujus exercitiis, non declinans ad dexteram neque ad sinistram. Secunda, puritas intentionis, ut simplex oculus totum corpus lucidum faciat: quatenus quidquid feceris, propter Deum facias, et ad locum unde exeunt gratiæ revertantur, ut iterum fluant. Tertia est custodia unitatis, ut, in congregatione positus, voluntates aliorum tuis voluntatibus anteponas; ut non solum sine querela, sed et cum gratia inter fratres maneas, portans, omnes, orans pro omnibus, ut et de te quoque dicatur: *Hic est fratrum amator, et populi Israel, hic est qui multum erat pro populo et pro sancta civitate Jerusalem* (*II Machab. xv, 14*). Ita ergo in hac die adventus Unigeniti nobis veram scientiam accendit, scientiam inquam illam, quæ nos doceat quia veniet Dominus, quæ sit morum nostrorum perpetuum et stabile fundamentum.

7. *Et mane, inquit, videbitis gloriam ejus. O ma-*

ne! o dies, quæ melior es in atriis Domini super millia, quando erit mensis ex mense, et Sabbatum ex Sabbato, cum splendor lucis et fervor charitatis usque in altissima illa magna terra incolas illustrabit! Quis de te cogitare, nedum aliquid præsumat recitare? Interim tamen ædificemus, fratres, fidem nostram, ut si mirabilia illa, quæ nobis reservantur, videre non possumus, saltem mirabilia quæ propter nos in terris facta sunt, aliquantulum contemplemur. Tria opera, tres mixturas fecit omnipotens illa Majestas in assumptione nostræ carnis, ita singulariter mirabilia, et mirabiliter singularia, ut talia nec facta sint, nec facienda sint amplius super terram. Conjuncta quippe sunt ad invicem Deus et homo, mater et virgo, fides et cor humanum. Admirabiles istæ mixturæ, et omni miraculo mirabilius, quomodo tam diversa, tamque divisa ab invicem, invicem potuere conjungi.

8. Et primo quidem intuere creationem, positionem et dispositionem rerum: quanta sit videlicet in creatione potentia, quanta in positione sapientia, in compositione quanta benignitas. In creatione vide quam multa et quam magna potenter creata sunt; in positione, quam sapienter cuncta locata sunt; in compositione, quam benigne suprema et infima connexa sunt, tam amabili quam admirabili charitate. Illic enim limo terreno vim vitalem miscuit, ut in arboribus, unde surgit venustas in foliis, in floribus pulchritudo, sapor in fructibus et medicina. Nec hoc contentus, adjecit etiam vim sensibilem limo nostro, ut in pecoribus, quæ non solum vitam habeant, sed et sentiant quinquepertita sensificatione vigentes. Addidit adhuc honorare limum nostrum, et ei vim rationalem immisit, ut in hominibus, qui non solum vivunt, sentiunt, sed et discernunt inter commodum et incommodum, inter bonum et malum, inter verum et falsum. Voluit quoque infirmiora nostra abundantiori gloria sublimare, et contraxit se Majestas: ut quod melius habebat, videlicet seipsum, limo nostro conjungeret, et in persona una sibi invicem unirentur Deus et limus, majestas et infirmitas, tanta vilitas et sublimitas tanta. Nihil enim Deo sublimius, nil vilius limo: et tamen tanta dignatione Deus descendit in limum, tantaque dignitate limus ascendit **764** in Deum, ut quidquid in eo Deus fecit, limus se esse crederetur; quidquid limus pertulit, Deus in illo pertulisse dicatur tam ineffabili quam incomprehensibili sacramento. Et attende, quia sicut in illa singulari divinitate trinitas est in personis, unitas in substantia; sic in ista speciali commistione trinitas est in substantiis, in persona unitas: et sicut ibi personæ non scindunt unitatem, unitas non minuit Trinitatem; ita et hic persona non confundit substantias, nec substantiæ ipsæ personæ dissipant unitatem. Summa illa Trinitas hanc nobis exhibuit trinitatem, opus mirabile, opus singulare inter omnia, et super omnia opera sua! Verbum enim, et anima, et caro in unam convenere personam; et hæc tria unum,

et hoc unum tria, non confusione substantiæ, sed A unitate personæ. Hæc est prima et superexcellens mistura; et hæc prima inter tres. Adverte homo quia limus es, et non sis superbus; quia Deo conjunctus es, et non sis ingratus.

9. Secunda mistura est, Virgo et mater, admirabilis plane et singularis. A sæculo non est auditum quod virgo esset quæ peperit, quod mater esset quæ virgo permansit. Nunquam juxta rerum ordinem virginitas est, ubi fecunditas prædicatur; nec fecunditas, ubi virginitas integra conservatur. Sola hæc est, in qua virginitas et fecunditas obviaverunt sibi. Ibi semel factum est quod factum non fuerat, nec fiet in æternum, quia nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Tertia est fides et cor humanum; et hæc quidem prima et secunda inferior, sed non minus forsitan fortis. Mirum enim est, quomodo cor humanum his duobus fidem accommodavit, quomodo credi potuit quod Deus homo esset; quod virgo manserit quæ peperisset. Sicut ferrum et testa jungi non possunt, sic et hæc duo nequeunt commisceri, si non misceat glutinum Spiritus Dei. Ergone credendum est quod iste Deus sit qui ponitur in præsepio, qui vagit in cunis, qui omnium infantilium necessitatum injurias patitur, qui flagellatur, qui conspuitur, qui crucifigitur, qui ponitur in sepulcro, et inter duos lapides concluditur, excelsus et immensus? Illane virgo erit, quæ lactat puerum, cui maritus continuus comes est, in convivio, in thalamo; qui ducit illam in Ægyptum, C reducit ab Ægypto, et solus cum sola tam longinquam, tam secretam conficit viam? Quomodo potuit hoc persuaderi generi humano, universo orbi terrarum? Et tamen tam facile, tam potenter persuasum est, ut mihi id credibile faciat credentium multitudo. Juvenes et virgines, senes cum junioribus elegerunt mille mortibus mori, quam vel ad momentum ab ista fide deficere.

10. Et hæc quidem mistura excellens, sed excellentior est secunda, tertia vero excellentissima est. Primam auris audivit, sed oculus non vidit: quia auditum est et creditum usque in fines terræ magnum illud pietatis sacramentum; sed tamen oculus, Deus, non vidit absque te, quomodo te intra virginei ventris angustias humano corpori conjunxisti. D Secundam oculus vidit, quia se secundam et virginem illa singularis Regina conspexit, quæ conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo: cognovit et Joseph non minus testis, quam custos tantæ virginitatis. Tertia in cor hominis ascendit, cum quod factum est, sicut factum est creditum est: cum magis oraculo quam oculo credimus, cum quæ dicta vel facta sunt, tenemus firmissime, nullatenus dubitantes. In prima vide quid, in secunda per quid, in tertia propter quid Deus dederit tibi. Dedit tibi Christum per Mariam propter sanitatem. In prima remedium est, quia ex Deo et homine cataplasma confectum est, quod sanaret omnes infirmitates tuas. Contusæ sunt autem et commistæ

hæc duæ species in utero Virginis, tanquam in mortariolo; sancto Spiritu, tanquam pistillo, illas suaviter commisceat. Sed quia indignus eras cui donaretur, datum est Mariæ, ut per illam acciperes quicquid haberes: quæ per hoc quod mater est, genuit 765 tibi Deum: per hoc quod virgo est, exaudita est pro reverentia sua in causa tua et totius generis humani. Si sola mater esset, sufficeret ei ut salvaretur per filiorum generationem: si sola virgo, sufficeret sibi; nec benedictus fructus ventris ejus, mundi pretium esset. Cum ergo in prima sit remedium, in secunda adiutorium est; quia nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non transiret. In tertia autem meritum est, quia cum hæc firmiter credimus, jam meritum habemus: et in fide sanitas est, quia qui crediderit, salvus erit (Marc. xvi, 16).

SERMO IV.

De medicina lævæ, et deliciis dexteræ Excelsi.

1. Hodiernum quidem sermonem Ordinis nostri consuetudo non exigit; sed crastina opus erit circa missarum solemniam diutius occupari, et hora brevis sermonis longitudinem non admittet. Propterea non abs re puto præparare hodie corda vestra tantæ solemnitati, præsertim cum sit profundissima sacramenti hujus et incomprehensibilis altitudo, et tanquam fons vitæ quo magis hauriatur, eo magis exuberans nunquam valeat exhauriri. Denique scio quemadmodum abundet pro Christo tribulatio vestra: et utinam abundet et consolatio vestra per ipsum? Nam mundialem quidem consolationem vobis offerre nec libet, nec licet. Vilis est, et ad nihilum utilis hujusmodi consolatio: et, quod magis est metuedum, etiam veræ ac salubris consolationis est impedimentum. Propterea qui delectatio est et gloria angelorum, ipse factus est salus et consolatio miserorum; qui in civitate sua magnus et sublimis valde beatificat cives, ipse in exilio parvulus et humilis valde lætificat exules; et qui in altissimis est gloria Patris, factus est in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Parvulus enim datus est parvulis, ut magnus detur magnis, et quos justificat parvulus, magnificet postmodum et glorificet magnus et gloriosus. Hinc sine dubio Vas electionis quod de plenitudine parvuli hujus acceperat (licet enim parvulus, sed plenus, plenus gratia et veritate, et in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter) (Coloss. ii, 9); hinc utique Paulus eructat verbum illud bonum, quod his diebus frequenter audistis: *Gaudete in Domino semper; iterum dico, gaudete* (Philipp. iv, 4). Gaudete, inquit, de exhibitione, iterum gaudete de promissione; quoniam et res plena gaudio, et spes plena gaudio est. Gaudete, quia jam percepistis dona sinistræ; gaudete, quia exspectatis præmia dexteræ. *Læva*, inquit, *ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me* (Cant. ii, 6). Læva quidem levat, dextera suscipit; læva medetur et justificat, dextera amplectitur et beatificat. In læva ejus merita, in dextera vero præmia continentur;



in dextera, inquam, deliciae, in sinistra sunt medicinae.

2. Sed attende pium medicum, attende medicum sapientem. Considera diligentius quam nova medicamina portet, vide quam non modo pretiosas, sed et speciosas attulerit medicinas; non solum perutiles ad sanitatis fructum, sed et delectabiles ad aspectum, et suaves ad gustum. Denique primam ejus medicinam, primum quod in sinistra portat, attende; et conceptum invenies sine semine. Intuere, obsecro, quale sit istud, quam novum, quam admirabile, quam amabile, quam jucundum! Quid enim pulchrius, quam generatio casta? quid gloriosius quam sancta et sincera conceptio, in qua nihil pudoris est, nihil sordis, nihil corruptionis? At quoniam minus fortassis detineret nos, grata licet, admiratio novitatis, nisi fructus quoque salutis et utilitatis consideratio animum delectaret; conceptus iste, non modo gloriosus in ipsa quasi exteriori specie, sed et pretiosus in interiori virtute: ut, secundum quod scriptum est, in sinistra Domini gloria simul et **766** divitiæ inveniantur (*Prov. III, 16*); divitiæ, inquam, salutis, cum gloria novitatis. Quis enim potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi qui solus sine omni illicita et immunda conceptus est voluptate? In ipsa radice et origine mea infectus et inquinatus sum: immunda est conceptio mea, sed est a quo tollatur ista confusio. Ipse eam tollit, in quem solum ipsa non cadit.

3. Divitiis salutis habeo, quibus redimam propriæ conceptionis impuritatem, Christi purissimam conceptionem. Adde adhuc, Domine Jesu, innova signa, immuta mirabilia; nam priora quidem ipsa consuetudine viluerunt. Plane enim solis ortus et occasus, terræ fecunditas, temporum vicissitudo, miracula sunt; et magna miracula: sed toties hæc vidimus, ut jam non sit qui attendat. Innova signa, et immuta mirabilia. Ecce, ait, *nova facio omnia*. Quis hoc ait? *Agnus utique qui sedebat in throno* (*Apoc. XXI, 5*). *Agnus plane totus suavis, totus delectabilis, denique totus unctus*. Hanc enim interpretationem habet nomen ejus, quod est Christus. Cui poterit asper aut durus videri, qui ne ipsi Matri in nativitate quidquam asperitatis, quidquam intulit læsionis? O nova vere miracula! Conceptus fuit sine pudore, partus sine dolore. Mutata est in Virgine nostra maledictio Evæ: peperit enim filium sine dolore. Mutata est, inquam, maledictio in benedictionem, et sicut prædictum est per angelum Gabrielem, *Benedicta tu in mulieribus* (*Luc. I, 28*). O beata, sola inter mulieres benedicta, et non maledicta; sola a generali maledicto libera, et a dolore parturientium aliena! Nec mirum, fratres, si dolorem non intulit Matri, qui dolores totius mundi tulit, secundum quod Isaias ait, quia *vere linguores nostros ipse tulit* (*Isa. LIII, 4*). Duo sunt quæ timeat humana fragilitas, pudor et dolor. Utrumque Christus tollere venit, unde et utrumque suscepit, quando (ut cætera sileam) morte, et morte turpissima condemnatus est ab iniquis. Itaque ut fidu-

am nobis daret quod tolleret hæc a nobis, prius Matrem suam immunem ab utroque servavit: ut nec in conceptu quidquam pudoris, nec in partu quidquam doloris existeret.

4. Accumulantur adhuc divitiæ, crescit gloria, innovantur signa, et miracula immutantur. Non solum sine pudore conceptus, et sine dolore partus; sed mater est sine corruptione. O vere novitas inaudita! Virgo peperit, et post partum inviolata permansit, fecunditatem prolis cum carnis integritate, et gaudium matris habens cum virginitatis honore. Jam securus exspecto promissam mihi gloriam incorruptionis in carne mea, quandoquidem conservata per eum est incorruptio etiam in Matre sua. Facile erit ei, per quem mater ipsa **B** incorruptionem non perdidit pariendo, ut et corruptibile hoc incorruptionem induat resurgendo.

5. Habes tamen adhuc majores divitias, habes gloriam amplioiorem. Mater est sine corruptione virginitatis, Filius sine omni labe peccati. Non cecidit in matrem Evæ maledictio, non cecidit in prolem generalis illa conditio, de qua dictum est per prophetam: *Nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram* (*Job. XIV, 4, 5* juxta **LXX**). Ecce infans sine sorde, solus inter homines verax, imo et veritas ipsa. *Ecce Agnus sine macula, Agnus Dei qui tollit peccata mundi* (*Joan. I, 29*). Quis enim peccata melius tolleret, quam is in quem peccatum non cadit? Iste sine dubio lavare me potest, quem constat inquinatum non esse. Hæc manus opertum luto detergat oculum meum, quæ sola sine pulvere est. Iste meo festucam educat de oculo, qui non habet trabem in suo: imo iste trabem educat de meo, qui nec exiguum pulverem habet in suo.

6. Vidimus certe divitiis salutis et vitæ; vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre. Queris, a quo Patre? *Et Filius Altissimi vocabitur*. Manifestum est quis Altissimus sit. Sed ne quis remaneat locus dissimulationis, *Quod ex te nascetur Sanctum*, ait angelus Gabriel ad Mariam, *vocabitur Filius Dei* (*Luc. I, 32, 35*). **767** O vere sanctum! Non dabis, Domine, Sanctum tuum videre corruptionem (*Psal. XV, 10*), quod nec Matri quidem abstulit incorruptionem. Crescunt miracula, multiplicantur divitiæ, thesaurus aperitur. Quæ generat, et mater et virgo est; qui generatur, et Deus et homo est. Sed nunquid dabitur sanctum canibus, aut margaritæ porcis? Abscondatur certe thesaurus noster in agro, et pecunia nostra in sacco reponatur. Operiatur conceptus sine semine Matris desponsatione, partus sine dolore, vagitibus parvuli, et mœrore. Abscondatur et parturientis incorruptio legali purificatione; infantis innocentia solita circumcisione. Absconde, inquam, absconde, Maria, novi solis fulgorem; pone in præsepio, involve pannis infantem: nam et ipsi panni divitiæ nostræ sunt. Pretiosiores siquidem panni Salvatoris omni purpura, et gloriosius hoc præsepe auratis regum solis; ditior denique Christi paupertas cunctis opibus, cuncta-

que thesauris. Quid enim humilitate ditius, quid pretiosus invenitur, qua nimirum regnum cœlorum emittitur, et divina gratia acquiritur? sicut scriptum est: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (Matth. v, 3); et apud apostolum: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (Jac. iv, 6). Habes commendatam a Deo humilitatem in nativitate. In hac enim exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo.

7. Vis adhuc pretiosiores divitias, et superexcellentem gloriam invenire? Habes charitatem in passionem. *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (Joan. xv, 13). Hæ divitiæ salutis, et gloria, sanguis pretiosus, quo redempti sumus; et crux Dominica, in qua cum Apostolo gloriamur: *Mihi autem, inquit, absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (Galat. vi, 14)! et dicebat: *Nihil arbitratus sum me scire inter vos, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum* (I Cor. ii, 2). Ipsa est læva Christus Jesus, et hic crucifixus; nam dextera quidem Christus Jesus et hic gloriosus. *Christum, inquit, Jesum, et hunc crucifixum*. Fortasse crux ipsa nos sumus, cui Christus memoratur infixus. Homo enim formam crucis habet: quam, si manus extenderit, exprimet manifestius. Loquitur autem Christus in Psalmo: *Infixus sum in limo profundi* (Psal. xxviii, 3). Limus quidem nos esse manifestum est, quoniam de limo plasmati sumus. Sed tunc quidem limus paradisi fuimus, nunc vero limus profundi. *Infixus sum, inquit, non pertransii, non recessi. Vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (Matth. xxviii, 20). Ipse est enim Emmanuel, *nobiscum Deus*. Nobiscum utique, sed per sinistram. Sic enim olim Thamar pariente, Zara prius solam protulit manum, quæ in sacramento Dominicæ passionis coccineo alligata est filo (Gen. xxxviii, 27).

8. Itaque jam quidem tenemus sinistram, sed adhuc clamare necesse: *Operi manuum tuarum porrige dexteram* (Job. xiv, 15); nam *delectationes in dextera tua usque in finem* (Psal. xv, 11). Domine, extende nobis dexteram [alias, ostende], et sufficit nobis. *Gloria, inquit, et divitiæ in domo ejus* (Psal. xv, 11), utique qui timet Dominum. Sed in domo tua, Domine, quid? Profecto gratiarum actio, et vox laudis. *Beati qui habitant in domo tua, Domine* (Psal. lxxxiii, 5), etc. *Oculus enim non vidit, auris non audivit, et in cor hominis non ascendit, quæ præparasti, Deus, diligentibus te* (I Cor. ii, 9). Lux est enim inaccessibleis, pax est quæ exsuperat omnem sensum; fons est qui ascensum nescit, sed descensum. Non vidit oculus lucem inaccessibleem, non audivit auris pacem incomprehensibilem. Speciosi quidem pedes evangelizantium pacem (Rom. x, 15); sed licet in omnem terram exierit sonus eorum; pax tamen quæ exsuperat omnem sensum, nec ab ipsis quanta erat potuit capi, nedum aliorum auribus tradi. Ait enim Paulus ipse: *Fratres, ego me non*

arbitror comprehendisse (Philipp. iii, 13). *Fides quidem ex auditu, auditus autem per verbum Dei* (Rom. x, 17): sed fides, non species; et promissio, non exhibitio pacis. Et quidem pax nunc est etiam in terra hominibus bonæ voluntatis: sed quid est pax ista ad illius plenitudinem et supereminentiam pacis? Unde et ipse Dominus ait: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo* **768** *vobis* (Joan. xiv, 27). Mæx siquidem, quæ exsuperat omnem sensum, et est pax super pacem, necdum capaces estis: propterea do vobis patriam pacis, et relinquo interim viam pacis.

9. Sed quid est quod diximus: *In cor hominis non ascendit*? Utique quia fons est, et ascensum nescit. Scimus enim quia fontium natura est rivus sectari convallium, montium ardua declinare, sicut scriptum est: *Qui emittit fontes in convallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ* (Psal. ciii, 10). Hoc autem est unde admonere sæpius studeo vestram charitatem, quia *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Fons enim ad altiora non ascendit, quam sit locus ejus unde procedit. Sed videri potest secundum hanc regulam non impediri a superbia vias gratiæ, præsertim quod ille primus superbus, qui, secundum Scripturam, *rex est super omnes filios superbiæ* (Job. xli, 25), dixisse non legitur, *Altior ero; sed, Ero, inquit, similis Altissimo* (Isai. xiv, 14). Attamen non mentitur apostolus, quoniam *ille extollitur supra omne quod creditur, aut quod colitur Deus* (II Thess. ii, 4). Horret humanus auditus verbum: sed utinam horreat similiter animus cogitatum malignum pariter et affectum. Dico enim vobis quod non tantum ille, sed et omnis superbus extollitur supra Deum. Vult enim Deus fieri voluntatem suam, et superbus vult fieri suam. Jam videtur æqualitas: sed attende male congruam proportionem. Deus quidem in his tantum quæ ratio approbat, suam vult fieri voluntatem: superbus vero et cum ratione, et contra rationem. Vides quoniam altitudo est, et non illuc perveniunt fluentia gratiæ. *Nisi conversi fueritis, inquit, et efficiamini sicut parvulus iste* (se autem dicit, qui est fons vitæ, in quo habitat et unde manat plenitudo omnium gratiarum), *non intrabitis in regnum cœlorum* (Matth. xviii, 3). Para proinde rivulos, aggeres terrenæ et elatæ cogitationis disperge, conformare Filio hominis, non primo homini: quia fons gratiæ in cor hominis, carnalis scilicet et terreni, non ascendit. Oculum quoque purga, ut videre possis merissimam lucem; et aurem tuam inclina ad obediendum, ut quandoque pervenias ad quietem perpetuam, et pacem super pacem. Lux enim est propter serenitatem, pax propter tranquillitatem, fons propter affluentiam et æternitatem. Fontem assigna Patri, ex quo nascitur Filius et procedit Spiritus sanctus; lucem Filio, qui est utique caudor vitæ æternæ, et lux vera illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum; pacem Spiritui sancto, qui nimirum super humilem et quietum requiescit. Nec hoc dico, tanquam propria

ista sint singulorum : nam et Pater lux est, ut sit A Filius lumen de lumine; et Filius pax est, pax nostra, qui fecit utraque unum; et Spiritus sanctus fons est aquæ salientis in vitam æternam.

10. Sed quando ad hoc pervenimus? Quando adimplebis me, Domine, lætitia cum vultu tuo? Gaudemus in te, quoniam visitasti nos oriens ex alto; iterum gaudemus, exspectantes beatam spem in adventu secundo. Sed quando veniet plenitudo lætitiæ, non de memoria, sed de præsentia; de exhibitione, non de expectatione? *Modestia vestra*, ait Apostolus, *nota sit omnibus hominibus; Dominus prope est (Philipp. iv, 5)*. Dignum est enim ut modestia nostra nota sit, sicut Domini Dei nostri modestia cunctis innotuit. Quid enim magis incongruum, quam ut immoderate agat homo, conscius propriæ infirmitatis, quandoquidem apparuit inter homines modestus Dominus majestatis? *Discite, inquit, a me quia mitis sum et humilis corde (Matth. xi, 29)*, ut possit etiam modestia vestra innotescere cæteris. Jam quod sequitur, *Dominus prope est*, de dextera debet intelligi. Nam de sinistra ipse loquitur: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi (Matth. xxviii, 20)*. Prope est Dominus, fratres mei, nihil solliciti sitis: in proximo est, et citius apparebit. Nolite deficere, nolite lassari: quærite eum dum inveniri potest, invocate eum, dum prope est. Prope est Dominus his qui tribulato sunt corde (*Psal. xxxiii, 19*): prope est exspectantibus eum, exspectantibus eum in veritate. Denique vis nosse quem prope **769** est? Audi sponsam de sponso canentem: Quoniam *ecce stat post parietem (Cantic. ii, 9)*. Parietem istum, corpus tuum intellege, quod obstaculum impedit, ut eum qui prope est, nondum valeas intueri. Propterea Paulus ipse dissolvi cupit, et cum Christo esse (*Philipp. i, 23*), et exclamans miserabilis: *Infelix, inquit, ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? (Rom. vii, 24)*. Sic et propheta in Psalmo: *Educ, inquit, de carcere animam meam, ad constituendum nomini tuo (Psal. cxli, 8)*.

SERMO V.

In illud, et Sanctificamini hodie, et estote parati: die enim crastina videbitis majestatem Dei in vobis. Respons. in vigilia Nativ. Dom.

1. Celebraturi Dominicæ Nativitatis ineffabile sacramentum, jure quidem monemur, fratres, in omni sanctificatione præparari. Adest enim Sanctus sanctorum, adest ipse qui dixit: *Sancti estote, qui et ego sanctus sum, dabitur Deus vester (Levit. xix, 2)*. Alioquin quomodo dabitur sanctum canibus, et margarita porcis, nisi prius illi ab iniquitate, isti ab illicita voluptate purgati, de cætero tota sollicitudine fugiant, illi quidem vomitum, isti volutabrum luti? Suscepturus olim divina mandata carnalis Israel, sanctificabatur in justitiis carnis, in baptismatibus variis, in muneribus et hostiis, quæ non poterant juxta conscientiam perfectum facere servientem. Verum hæc quidem omnia transiere, nimirum usque

ad tempus correptionis imposita, quod utique jam advenit. Opportune igitur ex hoc jam perfecta nobis indicitur sanctificatio, interna mandatur ablutio, exigitur munditia spiritualis, dicente Domino: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (Matth. v, 8)*. Ad hoc vivimus, fratres, ad hoc nati, ad hoc vocati sumus, ad hoc nobis dies hodiernus illuxit. Erat aliquando nox, quando nemo poterat hæc operari. Erat nox in universo orbe ante veri luminis ortum, ante Christi nativitatem. Erat nox etiam singulis quibuscumque nostrum ante suam cujusque conversionem et internam regenerationem.

2. An non profundissima nox, et densissimæ tenebræ erant super universam faciem terræ, cum olim patres nostri factitios colerent deos, et insano penitus sacrilegio ligna et lapides adorarent? An non etiam cuique nostrum caliginosa nox erat, cum tanquam sine Deo in hoc sæculo viveremus, cum ambularem post concupiscentias nostras, cum sectaremur carnis illecebras, cum obtemperarem desideriiis secularibus, cum exhiberemus membra nostra arma iniquitatis peccato, cum serviremus iniquitati ad iniquitatem, in quibus nunc merito erubescimus tanquam operibus tenebrarum? *Qui dormiant, nocte dormiunt*, Apostolus ait; *et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt (I Thess. v, 7)*. Et hæc quidem fuisitis, sed excitati estis, sed sanctificati estis, si tamen filii lucis estis et filii diei, non noctis neque tenebrarum. Si quidem præco diei est etiam qui clamat: *Sobrii estote, et vigilate (I Petr. v, 8)*. Et Judæis loquebatur in Pentecoste de discipulis: *Quomodo hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia? (Act. ii, 15)*. Ille enim est quod ait ejus coepostolus: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis; sic ut in die honeste ambulemus (Rom. xiii, 12, 13)*. Abjiciamus, inquit, opera tenebrarum, somnolentiam scilicet et ebrietatem (quoniam, ut supra meminimus, qui dormiunt, nocte dormiunt; et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt), ut, tanquam in die, non dormitemus, sed ambulemus; atque hoc quidem honeste, non temulente. Vides hominem, cujus ad omne bonum dormitat anima præ tædio? in tenebris est usque adhuc. Vides inebriatum absinthio, sapientem plus quam oportet, non ad sobrietatem; cujus nec oculus visu, nec auris impletur auditu: qui pecuniam aut simile aliquid diligens, non satiatur, longam instar hydropici sitim bibens? Illius noctis est et tenebrarum. Nec facile separantur hæc duo, dicente Scriptura, *Quoniam in desideriis est omnis otiosus; hoc est, in 770 ebrietate omnis somnolentus. Sanctificemur ergo hodie, et parati simus, parati quidem hodie nocturnum excutiendo soporem; porro sanctificati nihilominus tanquam in die ab ebrietate nocturna, cupidinis noxiæ frenando furorem. In his enim duobus mandatis tota lex pendet, et prophete, quæ sunt declinare a malo, et facere bonum.*

3. Verum hoc hodie: nam crastina nec in sancti-

ficatione erit, nec in præparatione, sed in visione A
utique majestatis. « Crastina, » inquit, « die vide-
bitis majestatem Dei in vobis. » Hoc est quod ait
patriarcha Jacob : *Cras mihi respondebit justitia mea*
(*Gen. xxx, 33*). Hodie enim justitia colitur, cras
respondebit : hodie exercetur, cras fructificabit.
Alioquin quod non seminaverit homo, nec metet.
Nec enim tunc videbit majestatem, qui contempserit
interim sanctitatem : nec oriatur ei Sol gloriæ, cui
Sol justitiæ ortus non fuerit : nec illucescet ei dies
crastina, cui non luxerit hodierna. Nimirum idem
ipse, qui hodie quidem nobis factus est a Deo Patre
justitia, apparebit cras vita nostra, ut et nos cum
eo appareamus in gloria. Hodie enim parvulus na-
scitur nobis, ut non apponat homo magnificare se
ipsum, sed convertamur magis, et efficiamur sicut
parvuli : cras exhibebitur magnus Dominus et lau-
dabilis nimis, ut ipsi quoque magnificemur in laude,
cum videlicet erit unicuique laus a Deo. Nimirum
quos hodie justificaverit, cras magnificabit, et con-
summationis sanctitatis succedet visio majestatis.
Nec inanis visio, quæ non nisi in similitudine con-
stat : similes enim ei erimus, quoniam videbimus eum
sicuti est. Unde et hic quoque non simpliciter dicitur :
« Videbitis majestatem Dei, » sed additur sig-
nanter, « in vobis. » Hodie nimirum, tanquam in
speculo, nos in eo videmus, dum nostra suscipit :
cras videbimus eum in nobis, quando jam sua do-
nabit, cum ostendet nobis se ipsum, et assumet nos
ad se ipsum. Hoc est quod transeuntem sese mini-
stratum fore promisit (*Luc. xii, 37*), de cujus inter-
im plenitudine accipimus : non sane gloriam pro
gloria, sed gratiam pro gratia, sicut scriptum est,
Gratiam et gloriam dabit Dominus (*Psal. lxxxiii, 12*).
Ne ergo contempnas priora munera, si sequentia
concupiscis : nec fastidias prius edulium, si vis ac-
cipere quæ sequuntur ; vel pro ipso ferculo in quo
apponitur, quod apponitur sumere non recuses.
Ferculum enim imputribile fecit sibi Pacificus nos-
ter, corpus incorruptibile aptans sibi : in quo salu-
tis epulas ministraret. *Non dabis, inquit, Sanctum
taum videre corruptionem* (*Psal. xv, 10*). Illud utique
de quo Gabriel ait Mariam : *Quod nascetur, ait, ex
ta Sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc. i, 35*).

4. Ab hoc igitur Sancto hodie sanctificemur, ut
majestatem ejus, ubi dies illa aspiraverit, videamus.
Siquidem dies sanctificatus illuxit nobis, dies salu-
tis, non gloriæ aut felicitatis. Denique donec passio
Sancti sanctorum annuntietur, qui nimirum in pa-
rasæve passus est, id est, in die præparationis, me-
rito omnibus dicitur : Sanctificamini hodie, et estote
parati. » Sanctificamini magis ac magis, de virtute
in virtutem proficiendo, et estote parati perseverando.
In quibus tamen sanctificabimur ? Legi de quodam,
dicente Scriptura, quoniam *in fide et lenitate ipsius
sanctum fecit illum* (*Eccli. xlv, 4*). Neque enim homi-
nibus sine lenitate, non plus quam Deo sine fide, pla-
cere possibile est. Merito sane in his monemur esse

parati, quibus et Deo conveniamus, cujus majesta-
tem visuri sumus, et nobis invicem, ut in nobis eam
pariter videamus. Propterea siquidem oportet nos
providere bona non solum coram Deo, sed etiam
coram hominibus, ut non tantum Regi nostro, sed
et concivibus nostris et commilitonibus nostris grati
esse possimus.

5. Et quidem ante omnia fides quærenda est, de qua
legitur : *Fide mundans corda eorum* (*Act. xv, 9*). Beati
enim mundo corde, quoniam ipsi majestatem Dei
videbant (*Matth. v, 8*). Crede ergo te Deo, committe
te ei, jacta in eum cogitatum tuum, et ipse te enutriet ;
ut fiducialiter dicas : *Dominus sollicitus est mei* (*Psa.
xxxix, 18*). Neque enim hoc sapiunt homines amantes se
ipsos, homines scioli, solliciti pro 771 se ipsis, cu-
ram carnis perficientes in desideriis, surdi ad vocem
dicentis : *Omnem sollicitudinem vestram projicien-
tes in eum : ipsi enim cura est de vobis* (*I Petr. v, 7*).
Nam sibi quidem ipsi fidere, non fidei, sed perfidiæ
est : nec confidentiæ, sed diffidentiæ magis, in semet-
ipso habere fiduciam. Is vere fidelis est, qui nec sibi
credit, nec in se sperat, factus sibi tanquam vas
perditum, sed sic perdens animam suam, ut in vitam
æternam custodiat eam. Porro id quidem sola facit
humilitas cordis, ut non sibi fidelis anima innotat :
sed deserens semetipsam ascendat jam de deserto,
inixta super dilectum, atque ideo deliciis affluens.

6. Sane ut perfecta sit sanctificatio, etiam man-
suetudinem et socialis vitæ gratiam a Sancto sanc-
torum discamus oportet, sicut ipse ait : *Discite a me
quia mitis sum et humilis corde* (*Matth. xi, 29*). Quid
enim hujusmodi hominem dicere prohibet deliciis af-
fluentem, qui suavis et mitis, et multæ misericordiæ,
omnibus omnia factus est, et universos perfudit
oleo quodam mansuetudinis et lenitatis, quo sic
infusus est, sic perfusus et superfusus, ut
stillare videatur undique ? Felix qui gemina hac
sanctificatione paratus dicere potest : *Paratum cor
meum, Deus, paratum cor meum* (*Psal. lvi, 8*).
Habet enim hodie quidem fructum suum in sancti-
ficationem, crastina die finem habiturus vitam æter-
nam. Videbit enim majestatem Dei, quod utique vita
æterna est, sicut et Veritas ait : *Hæc est vita æterna,
ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti
Jesum Christum* (*Joan. xvii, 3*). Reddet ei coronam
justitiæ justus Judex in illum diem, cui sane altera
non succedet. Tunc videbit et affluet, et mirabitur
et dilatabitur cor ipsius. Quousque dilatabitur ? Us-
que ad videndam in se majestatem Dei. Nolite arbi-
trari, fratres, quod illam vobis promissionem verbis
explicare possimus.

7. Sanctificamini hodie, et estote parati : cra-
stina die videbitis, et gaudebitis, et gaudium vestrum
implebitur. Quid enim majestas illa non impleat ?
Etiam superimplebit et supereffluet, quando mensu-
ram bonam, et confertam, et coagitatam, et super-
effluentem dabunt in sinus vestros (*Luc. vi, 38*). Us-
que adeo siquidem supereffluet, ut supra nos in

sublimitate excedat non modo merita, sed et vota, sicut vere potens est facere supra quam nos intelligere aut sperare possimus. Nam desideria quidem nostra in tribus maxime consituta videntur; quod deest, quod expedit, quod delectat. Hæc sunt quæ concupiscimus, omnes quidem omnia, sed alius magis hoc, alius illud. Ille sic deditus est voluptati, ut nec honestatem satis reputet, nec utilitatem: ille quæstui magis inculcans, et honestum dissimulat et jucundum: ille voluptatis pariter et utilitatis negligenter, solum vel maxime honorem sectatur. Nec vero reprehensibile desiderium horum: sed si ibi quæreremus ea, vere inveniremus. Hæc enim ubi vere sunt, unum sunt: atque ipsum utique summum bonum, summa utilitas, summa gloria, summa voluptas. Atque hæc quidem, quantum interim capere possimus, expectatio nostra est, et promissa nobis visio majestatis in nobis, ut Deus sit omnia in omnibus, omne jucundum, omne utile, omne honestum.

SERMO VI

De Annuntiatione Domini.

1. Auditum audivimus plenum gratia, dignum acceptione: « Jesus Christus, Filius Dei, in Bethlehem Judæ nascitur. » Anima mea liquefacta est in sermone isto, sed et spiritus meus in præcordiis meis æstuat, jucunditatem hanc et exultationem solito vobis desiderio eructare festinans. Jesus interpretatur Salvator. Quid tam necessarium perditis? quid tam optabile miseris? quid tam utile desperatis? Alioquin unde salus, unde vel tenuis aliqua spes salutis in lege peccati, in corpore mortis, in malitia hæc dici et loco afflictionis, nisi nova nobis et insperata nasceretur? At tu **772** forte salutem optas, sed curationis acerbiter, teneritudinis pariter et ægritudinis propriæ conscius, reformidas. Ne timeas: Christus est suavis plane, et mitis, et multæ misericordiæ, unctus oleo lætitiæ præ participibus suis, eis nimirum qui, licet non ipsam plenitudinem, de plenitudine tamen hujus accipiunt unctionis. Ne vero suavem audiens, inefficacem fore autumes Salvatorem, additur etiam, « Filius Dei. » Qualis enim Pater, talis Filius, cui subest, cum voluerit, posse. Aut forsitan utilitate salutis et jucunditate unctionis audita, nescio quid submurnuras, puto etiam de honestate sollicitus. Salvatorem tibi gratularis adesse, utpote jacens paralyticus in grabato, aut magis inter Jerusalem et Jericho semivivus in via. Amplius autem lætaris nec durum esse medicum, nec gravibus uti medicinis, ne tibi forsitan intolerabilior videatur brevis ipsa curatio, quam diuturna ægritudo. Sic nimirum, sic usque hodie multi pereunt medicum fugientes, quod Jesum quidem noverint, sed Christum nesciant, humano sensu de multitudine et malignitate morborum, paratæ sibi medelæ molestiam æstimantes.

2. Jam vero si certus es de Salvatore, et nihilominus Christum esse cognoscis, non utentem cautè, sed unguento; non ustione, sed unctione curan-

tem, unum adhuc arbitror ingeniam posse movere creaturam, ne forte (quod absit!) Salvatoris hujus non satis condigna videntur esse persona. Puto tamen, non usque adeo ambitiosus es et gloriæ cupidus, aut zelator honoris, ut ab uno quopiam e conservis tuis, si præstare posset, hanc gratiam suscipere detrectares. Nam si angelus aut archangelus esset, vel ex superiori quovis ordine spirituum beatorum, multo minus animositas tua, quod causaretur, haberet. Nunc autem tanto ampliore tibi devotione suscipiendus est iste Salvator, quanto differentius præ cæteris omnibus nomen hæreditavit Jesus Christus Filius Dei. Et vide si non evidentius hæc tria ad pastores loquens angelus commendavit, gaudium magnum, quod evangelizabat, exponens: *Quia, inquit, natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus* (Luc. II, 11.). Exsulemus igitur, fratres, in hac nativitate, et multipliciter gratulemur in ea, quam et salutis utilitas, et unctionis suavitas, et Filii Dei majestas tam eleganter illustrat, ut nihil desit ex omnibus quæ desiderantur, nec commodum, nec jucundum, nec honestum. Exsulemus, inquam, ruminantes intra nosmetipsos et invicem eructantes suave verbum, eloquium dulce: « Jesus Christus Filius Dei, nascitur in Bethlehem Judæ. »

3. Nec mihi quis ad ista respondeat indevotus, ingratus, irreligiosus: Non est hoc novum: olim auditum est, olim factum est, olim natus est Christus. Ego enim dico, olim et ante. Nec mirabitur, olim et ante, cui propheticum illud occurrerit: *In æternum et ultra* (Exod. xv, 18). Natus est ergo Christus, non modo ante hæc nostra tempora, sed ante tempora universa. Verum illa quidem nativitas posuit tenebras latibulum suum, imò vero lucem magis habitat inaccessibilem: latet in corde Patris in monte umbroso et condense. Ut ergo aliquatenus innotesceret, natus est; et in tempore natus ex carne, natus in carno factum est Verbum caro. Quid tamen mirum si usque hodie dicitur in Ecclesia, Christus Filius Dei nascitur, quando tam longo antea dicebatur, haud dubium quia de ipso: *Puer natus est nobis*? (Isa. ix, 6.) Olim cæpit audire verbum hoc, et nemo sanctorum aliquando fastidivit. Siquidem Jesus Christus Filius Dei, heri, et hodie, et in æternum. Hinc nimirum primus homo, omnium viventium pater, magnum eructans sacramentum, quod in Christo et in Ecclesia Apostolus postmodum evidentius commendavit, *Relinquet, ait, homo patrem et matrem, et adheret uxori suæ; et erunt duo in carne una* (Gen. II, 24; Ephes. v, 31, 32).

4. Hinc nihilominus Abraham, pater omnium credentium, exsultavit ut videret diem hunc, et vidit, et gavisus est (Joan. VIII, 56). Alioquin quando servum jurantem sibi per Deum cæli, sub femore suo manum ponere præcepisset (Gen. xxiv, 2, 3), **773** nisi ipsum utique Deum cæli ex eodem nasciturum femore prævidisset? Hoc quoque consilium cordis sui homini secundum cor suum revelavit Deus, qui juravit veritatem, et non frustrabitur

eum : *De fructu*, inquit, *ventris tui ponam super sedem tuam* (*Psal. cxxxi, 11*). Unde et in Bethlehem Judæ nascitur, sicut ait angelus, civitate David (*Luc. ii, 4, 11*), utique propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum. Hoc etiam multifarie multisque modis, cæteris revelatum est patribus et prophetis (*Hebr. i, 1*). Absit autem ut a diligentibus Deum aliquando fuerit negligent'er auditum! nisi forte negligere videbatur, qui dicebat : *Obsecro, Domine, mitte quem missurus es* (*Exod. iv, 13*) ; aut fastidire, qui clamabat : *Utinam dirumpere cælos* (*Isa. lxiiv, 1*), et *descenderes*, cæteraque similia. Ipsi deinde apostoli sancti viderunt et audierunt, et manus eorum tractaverunt de Verbo vitæ, quibus singulariter aiebat : *Beati oculi qui vident quæ vos videtis* (*Luc. x, 23*). Postremo hoc idem nobis quoque servatum est fidelibus, utique thesauris fidei commendatum, ipso æque dicente : *Beati qui non viderunt, et crediderunt* (*Joan. xx, 29*). Pars nostra hæc in verbo vitæ. Nec sane contemptibilis, ex qua nimirum vivitur, et qua vincitur mundus : quoniam justus ex fide vivit (*Habac. ii, 4*), et hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra (*IJoan. v, 4*). Hæc est quæ, velut quoddam æternitatis exemplar, præterita simul et presentia ac futura sinu quodam vastissimo comprehendit, ut nihil ei prætereat, nihil pereat, præcat nihil.

5. Merito proinde in testimonium fidei vestræ, ubi facta est vox annuntiationis hujus in auribus vestris, exsultastis in gaudio, egistis gratias, prostrati solo tenus adorastis, concurrentes, velut sub umbra alarum ejus, et sub pennis ejus sperantes. Nunquid non singuli nativitate Salvatoris audita, clamastis in cordibus vestris, dicentes : *Mihi autem adhærere Deo bonum est* (*Psal. lxxii, 28*) ; aut potius illud quod idem propheta ait : *Deo subjecta esto, anima mea?* (*Psal. lxi, 6*). Infelix nimirum quisquis fecte prostratus, corde rigido corpus humiliavit. Est enim qui humiliatur nequiter ; interiora autem ejus plena sunt dolo (*Eccli. xix, 23*). Quisquis enim necessitatem suam minus considerat, minus devote incommoda, minus pericula pavet, minus se devote confugit ad remedia ortæ salutis, minus affectuose se subjicit Deo, minus fideliter psallit : *Domine, refugium factus es nobis* (*Psal. lxxxix, 1*) : hujus adoratio minus accepta, hujus prostratio minus verax, hujus humiliatio minus habens, hujus etiam victoriosa minus, imo et minus vivida fides. Quid tamen dicit : *Beati qui non viderunt, et crediderunt?* quasi non videatur ipsum credere quodammodo jam videre. Sed advertite diligenter cui et quando dictum sit : ei utique qui arguebatur quod quia vidisset credidisset. Neque enim idipsum est vidisse, et ideo credidisse, quod credendo vidisse. Alioquin Abraham pater vester, quoniam modo Dominicum hunc vidisse diem, nisi credendo, credendus est? Sed et illud quomodo accipietur quod hac nocte cantatum est nobis, « Sanctificamini hodie, et estote parati : crastina enim die videbitis majestatem Dei in

vobis ; » si non mente vivere, est pia devotioe repræsentare et recolere fide non ficta magnum illud magnæ pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est mundo, assumptum est in gloria (*I Tim. iii, 16*)?

6. Semper igitur novum, quod semper innovat mentes ; nec unquam vetus, quod fructificare non cessat, quod in perpetuum non marcessit. Hoc est enim Sanctum, quod non datur videre corruptio-nem. Hic novus homo, qui, nullius unquam vetustatis capax, etiam eos quorum inveteraverunt omnia ossa, in veram vitæ transferat novitatem. Imò est quod etiam in præsentj tam jucundissima annuntiatione, si advertistis, congrue satis dicitur non tam natus esse quam nasci : « Jesus Christus, Filius Dei, nascitur in Bethlehem Judæ » Sicut enim quodam modo immolatur adhuc quotidie, donec mortem ejus annuntiamus : sic videtur et nasci, dum fideliter repræsentamus ejus nativitatem. Die igitur crastina videbimus majestatem Dei, sed sane 774 in nobis, non in seipso : utique majestatem in humilitate, virtutem in infirmitate, in homine Deum. Ipse est enim Emmanuel, quod interpretatur *nobiscum Deus*. Et evidentius audi : *Verbum*, inquit, *caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan. i, 14*). Denique extunc et deinceps vidimus gloriam ejus, sed gloriam quasi Unigeniti a Patre, utique plenum gratiæ vidimus et veritatis. Non enim gloriam potestatis aut claritatis, sed gloriam paternæ pietatis, gloriam gratiæ, de qua Apostolus : *In laudem*, inquit, *gloriæ gratiæ suæ* (*Ephes. i, 6*).

7. Sic ergo nascitur. Sed ubi putas? « In Bethlehem Judæ (*Luc. ii, 15*) : » neque enim decet nos ita Bethlehem præterire. *Transeamus usque Bethlehem*, dicunt pastores, non, Bethlehem pertranseamus. Quid enim si pauper viculus est? quid si videtur minima in Judæa? Ne id quidem incongruum ei, qui cum dives esset, propter nos factus est pauper : et cum esset magnus Dominus et laudabilis nimis, parvulus natus est nobis ; et dicebat : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum* (*Matth. v, 3*) : itemque : *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut puer iste, non intrabitis in regnum cælorum* (*Matth. xviii, 3*). Unde etiam stabulum elegit et præsepe, utique domum luteam, et diversorium jumentorum, ut huic esse scias, qui de stercore erigit pauperem, et salvos facit homines et jumenta.

8. Utinam autem inveniamur et nos Bethlehem Judæ, ut in nobis quoque dignetur nasci, et audire mereamur : *Quia vobis timentibus Deum orietur sol justitiæ!* (*Malach. iv, 2*). Forte enim est hoc quod supra meminimus, ad videndam in nobis Domini majestatem et sanctificatione opus esse, et præparatione. Nam et juxta prophetam : *Facta est Judæa sanctificatio ejus* (*Psal. cxxiii, 2*), quia videlicet omnia in confessione lavantur : et domus panis, quod Bethlehem sonat, ad præparationem fortasse vide-

bitur magno opere pertinere. Quomodo enim ille paratus est, ut excipere tantum hospitem possit, qui dicit: *Quia non est in domo mea panis?* (Isa. 11, 7.) Denique quia imparatus erat quidam, necesse habuit amici ostium clausum media nocte pulsare, et dicere: *Quia amicus meus venit ad me de via, et non habeo quod ponam ante illum* (Luc. 11, 6). *Paratum cor ejus sperare in Domino*, ait Propheta, haud dubium quin de justo loquens. *Confirmatum est cor ejus, non commovebitur* (Psal. cxi, 8). Non est paratum cor quod non est confirmatum. Scimus autem, ipso eodem teste propheta, quod *panis cor hominis confirmet* (Psal. ciii, 15). Non est ergo paratum, sed aridum et exsanguine cor ejus, qui oblitus est comedere panem suum. Est autem paratus et non turbatus, ut custodiat mandata vitæ, qui oblitus ea quæ retro sunt, in ea quæ ante sunt, se extendit. Vides quam fugienda quædam, quam sit quædam oblivio cupienda. Neque enim totus Manasses Jordanem transiit, sed nec totus citra sibi elegit mansionem (Josue 11). Est qui oblitus est Domini creatoris sui, et est qui providet eum in conspectu suo semper oblitus populum suum, et domum patris sui. Et ille quidem cælestia obliviscitur, hic vero quæ sunt super terram; iste præsentia, ille futura; iste quæ videntur, ille quæ non videntur; postremo iste quæ sua sunt, ille quæ Jesu Christi. Uterque Manasses, uterque obliviosus; sed alter quidem Jerusalem, alter Babylonis oblitus: quia alter eorum quæ nupediunt, et iste paratus; alter sane eorum magis quæ expediunt, et quæ non expedit oblivisci; atque hic penitus imparatus ad videndam in se Domini majestatem. Neque est domus panis, in qua Salvator oriatur; non est Manasses ille cui appareat, qui Israel regit, et super Cherubim sedet: *Appare, inquit, coram Ephraim, Benjamin et Manasse* (Psal. lxxix, 3). Ego arbitror istos tres esse qui salvantur, quos alius quidam propheta Noe, Danielem, et Job nominavit (Ezech. xiv, 14): eosdem quoque et tribus illis pastoribus designari, quibus nato Angelo magni consilii, gaudium magnum angelus evangelizavit.

9. Vide utrum ne forte ipsi sint et tres magi, venientes jam non modo ab Oriente, sed etiam ab Occidente, ut recumbant cum Abraham, Isaac, et Jacob. Forte enim non incongrue videtur ad Ephraim quidem 775 (quod fructificationem sonat) pertinere thuris oblationem: quod offerre incensum dignum in odorem suavitalis proprium sit eorum quos posuit Dominus ut eant et fructum afferant, id est Ecclesiæ prælatorum. Nam et Benjamin, filius dexteræ, offerat necesse est aurum, id est substantiam hujus mundi, ut videlicet fidelis populus, in parte dextera constitutus, a judice mereatur audire, quia *esuriri, et dedisti mihi manducare* (Matth. xxv, 35), etc. Porro, Manasses (si tamen is esse voluerit cui appareat Deus) myrrham offerat mortificationis, quam quidem a nostra specialiter arbitror professione requiri. Et hæc dicta sint, ne ad eam partem

A tribus Manasse, quæ citra Jordanem substitit, pertineamus, sed obliviscamur magis ea quæ retro sunt, extenti et intenti ad anteriora.

10. Nunc vero redeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus, et ostendit nobis. Domus panis est, ut jam diximus: bonum est nos illic esse. Ubi enim fuerit Verbum Domini, non deest utique panis qui confirmet cor, dicente Propheta: *Confirma me in verbis tuis* (Psal. cxviii, 28). Nimirum in verbo quod procedit de ore Dei, vivit homo; vivit in Christo, vivit in eo Christus. Ibi oritur, ibi apparet: nec omnino amat cor titubans aut vacillans, sed stabile et confirmatum. Si quis murmurat, si quis hæsitat, si quis nutat, si quis cogitat revolvi in lutum, reddere ad vomitum, deserere votum, mutare propositum suum; non est Bethlehem iste, non est domus panis. Sola enim fames, et fames valida, in Ægyptum eum descendere, porcos pascere, siliquas esurire compellit, utpote procul agentem a domo panis, a domo patris: in qua etiam mercenarii panibus abundare noscuntur. Non ergo in hujusmodi corde nascitur Christus, cui deest fidei fortitudo, utique panis vitæ, Scriptura teste, Quoniam *justus ex fide vivit* (Habac. 11, 4), quod videlicet animæ vera vita (quæ ipse est) non nisi per fidem interim habitet in cordibus nostris. Alioquin quomodo in illo nascitur Jesus, quomodo salus oritur illi, quandoquidem vera omnino certa que sententia est, quod is tantum qui perseveraverit usque in finem, *salvus erit?* (Matth. x, 22.) Nam quod minime invenitur in eo Christus, nec de eis sit quibus dicitur: *quia unctionem habetis a Sancto* (I Joan. 11, 20); ex eo vel maxime constat quod sine dubio etiam aruit cor illius, ex quo oblitus est comedere panem suum. Multo minus autem ad Filium pertinet Dei, qui hujusmodi est, quod non nisi super quietum et humilem, ac trementem verba sua requiescat Spiritus ipsius (Isa. lxvi, 2), nec sit ulla societas æternitati, et tanta mutabilitati; ei qui est, et ei qui nunquam in eodem permanet statu. Cæterum quamlibet firmi, quamlibet fortes in fide, quamlibet parati, quamlibet panibus abundantes, ipso quidem largiente, cui quotidie orantes dicimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*; necesse habemus addere consequenter: *Dimitte nobis debita nostra* (Matth. vi, 11, 12). Alioquin si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est (I Joan. 1, 8). Nimirum Veritas ipse est, qui non simpliciter in Bethlehem, sed in Bethlehem Judæ nascitur, Jesus Christus, Filius Dei.

11. Præoccupemus igitur faciem Domini in confessione, ut sanctificati pariter et parati inveniamur et nos Bethlehem Judæ, atque ita nascentem Dominum videre mereamur in nobis. Cæterum si qua anima eo usque profecerit (quod quidem est multum ad nos) ut sit secunda virgo, sit stella maris, sit plena gratia, et supervenientem habens in se Spiritum sanctum; puto quod non modo in ea, sed

ex ea quoque non dedignabitur nasci. Nemo sane id sibi arrogare præsumat, nisi quos ipse speciali designatione tanquam digito monstraverit, dicens: *Ecce mater mea, et fratres mei* (Matth. xii, 49). Enim vero audi unum ex istis: *Filioli mei*, ait, *quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (Galat. iv, 19). Si enim nasci videbatur in eis, cum formabatur Christus in eis; quomodo non etiam ab eo similiter nasci eum dicere quis præsumat, qui in ipsis quodammodo parturiebat? **776** Et tu quidem, impia Synagoga, hunc nobis filium peperisti, officio quidem matris, sed non matris affectu. Excussisti eum de sinu tuo, extra civitatem ejiciens, et elevans super terram, tanquam dicens Ecclesiæ gentium, pariter et Ecclesiæ primitivorum quæ est in cœlis: Nec mihi, nec vobis sit, sed di-

vidatur. Dividatur, inquam, non inter utraque, sed ab utrisque. Expulsum enim, et exaltatum, et elevatum, et quidem modice satis, tamen ut nec in tuis esset mœnibus, nec in terra, ferro undique coarctasti, ne forte vel hac vel illac excederet: ut videlicet a te separatus, ad neutram perveniret illarum. Sæva nimirum mater ita abortivum facere voluisti, dum non esset qui excipere posset excussum. Age ergo, quid profeceris, imo quam nihil profeceris intuere. Undique enim egrediuntur filiæ Sion, ut videant regem Salomonem in diademate quo coronasti eum. Relinquens matrem adhæret uxori suæ, ut sint duo in carne una; et civitate pulsus, atque exaltatus [*alias* levatus] a terra, omnia trahit ad se, quippe qui est super omnia benedictus Deus in sæcula. Amen.

IN NATIVITATE DOMINI.

SERMO I.

De fontibus Salvatoris.

1. Grandis quidem est, dilectissimi, hodierna Dominicæ Nativitatis solemnitas; sed dies brevis cogit brevare sermonem. Nec mirum, si facimus nos breve verbum, quando et Deus Pater Verbum fecit abbreviatum. Vultis nosse quam longum, quam breve fecit? *Cœlum*, inquit hoc Verbum, *et terram ego impleo* (Jerem. xxiii, 24). Nunc caro factum, in angusto locatum præsepio est. *A sæculo*, ait Propheta, *et in sæculum tu es Deus* (Psal. lxxxix, 2): et ecce factus est infans diei unius. Ad quid hoc, fratres, aut quæ necessitas fuit ut sic exinaniret, sic humiliaret, sic abbreviaret se Dominus majestatis, nisi ut vos similiter faciatis? Jam clamat exemplo, quod postmodum prædicaturus est verbo. *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (Matth. xi, 29): ut verax inveniat qui dicit: *Cœpit Jesus facere, et docere* (Act. i, 1). Obsecro proinde et plurimum rogo, fratres, non patiamini sine causa tam pretiosum exemplar vobis exhibitum esse, sed conformamini illi, et renovamini spiritu mentis vestræ. Studete humilitati, quæ fundamentum est custosque virtutum: sectamini illam, quæ sola potest salvare animas vestras. Quid enim magis indignum, quid detestandum amplius, quid gravius puniendum, quam ut, videns Deum cœli parvulum factum, ultra apponat homo magnificare se super terram? Intolerabilis impudentiæ est ut, ubi sese exinanivit majestas, vermiculus infletur et intumescat.

2. Hoc igitur est propter quod exinanivit se formam servi accipiens, qui in forma Dei Patriæqualis erat; sed exinanivit majestate et potentia, non bonitate et misericordia. Quid enim ait Apostolus? *Apparuit*, inquit, *benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei* (Tit. iii, 4) Apparuerat ante potentia in rerum creatione, apparebat sapientia in earum gubernatione; sed benignitas misericordiæ nunc maxime apparuit in humanitate. Innotuerat Judæis potestas in signis atque portentis, unde et in ca lege

B sæpius invenies: *Ego Dominus, Ego Dominus*. Philosophis quoque abundantibus in sensu suo majestas innotuit, quoniam juxta Apostoli verba, *quod notum est Dei, manifestum est in illis* (Rom. i, 19). Verumtamen et Judæi potestate ipsa premebantur, et philosophi scrutatores majestatis opprimebantur a gloria. Potestas subjectionem, majestas exigit admirationem, neutra imitationem. Appareat, Domine, bonitas, cui possit homo, qui ad imaginem tuam creatus est, conformari: nam majestatem potestatem, sapientiam nec imitari possumus, nec expedit æmulari. Quousque angusta est misericordia tua in sola angelorum parte, reliquam occupat judicium cum toto pariter humano genere? *Domine, in cœlo misericordia tua, et veritas tua usque ad nubes* (Psal. xxxv, 6), **777** terram universam condemnans, et aereas potestates. Dilatet misericordia terminos suos, extendat funes, expandat sinus, attingat a fine usque ad finem fortiter, disponens omnia suaviter. Restrictus est, Domine, iudicio sinus tuus; solve cingulum tuum, et veni miserationibus affluens, et supereffluens charitate.

3. Quid tu times, o homo? quid trepidas a facie Domini, quia venit? Venit non judicare, sed salvare terram. Olim tibi persuasum est ab infideli quodam servo, ut furtim tolleres et imponeres regium diadema capiti tuo. Deprehensus in furto, quidni timeres? quidni fugeres a facie ejus? Forte enim jam gladium vibrabat ignitum. Nunc in exsilio positus, in sudore vultus tui vesceris pane tuo: et ecce vox audita est in terra, quia Dominator advenit. Quo illis a spiritu ejus? et quo a facie ejus fugies? Noli fugere, noli timere. Non venit cum armis; non puniendum, sed salvandum requirit. Et ne forte dicas etiam nunc: *Vocem tuam audivi, et abscondi me* (Gen. iii, 10); ecce infans est, et sine voce. Nam vagientis vox magis miseranda est, quam tremenda: aut si cui forte terribilis, sed non tibi. Parvulus factus est, tenera membra Virgo mater pannis alligat; et adhuc timore trepidas? Vel in hoc scies quia non venit perdere te, sed salvare; eripere. et non

ligare. Jam adversus hostes tuos dimicat, jam superbiorum et sublimium colla tanquam Dei virtus et sapientia calcet.

4. Duo sint tibi hostes, peccatum et mors, id est mors corporis et animæ. Utrunque debellaturus advenit, et ab utroque salvabit te: noli timere. Et jam quidem peccatum in propria persona vicit, quando humanam naturam sine ulla contagione suscepit. Grandis enim peccato facta est violentia, et revera expugnatum esse cognoscitur, quando natura, quam se totam infecisse et occupasse gloriabatur, ab eo penitus aliena in Christo inventa est. Dehinc persequitur inimicos tuos, et comprehendit eos; nec convertitur donec deficiant. Contra peccatum dimicans in conversatione sua, verbis pariter et exemplis oppugnat; sed in passione sua alligat illud, alligat plane fortem, et diripit vasa ejus. Jam vero eodem ordine mortem quoque superat prius in se ipso, cum resurgit primitiæ dormientium, et primogenitus mortuorum: postmodum debellaturus eam pariter in omnibus nobis, quando videlicet suscitabit mortalia corpora nostra, et destruetur novissima inimica mors. Propterea enim resurgens decorem indutus est, non (sicut antea nascentis) pannis involutus est. Propterea qui prius sinu misericordiæ affuebat non judicans quemquam, resurgens præcinxit se, et justitiæ cingulo videtur quodammodo effluentem sinum misericordiæ collegisse: quoniam extunc præparatur ad iudicium, quod in nostra resurrectione futurum est. Nam et propterea parvulus antea venit, ut misericordiam prærogaret; et futurum in fine iudicium præcurreret, misericordia temperaret.

5. Licet enim parvulus ad nos venerit, non parum tamen attulit, non parum contulit nobis. Si quæris quid attulit: primo omnium attulit misericordiam, secundum quam, teste Apostolo, *salvos nos fecit* (Tit. III, 5). Neque enim his tantum profuit, quos tunc præsens invenit; sed fons est qui nunquam poterit exhauriri. Fons nobis est Christus Dominus unde lavemur, sicut scriptum est: *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris* (Apoc. I, 5). Verumtamen non iste solus aquarum est usus; nec tantum sordes abluunt, sed et sitim extinguunt. *Beatus vero, ait Sapiens, qui in sapientia morabitur, et qui in justitia meditabitur* (Eccli. XIV, 22); et post pauca: *Aqua, inquit, sapientiæ salutaris potabit illum* (Eccli. XV, 3). Bene sapientiæ salutaris, quoniam sapientia carnis mors est, et sapientia mundi etiam ipsa inimica est Deo. Sola quæ ex Deo est sapientia salutaris est, quæ secundum beati Jacobi definitionem *primum pudica, deinde pacifica est* (Jacob. III, 17). Nam sapientia carnis voluptuosa est, non pudica: sapientia mundi **778** tumultuosa est, non pacifica. Sapientia vero quæ ex Deo est, primum pudica est, non quærens quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, ut non suam quisque faciat volun-

tatem, sed consideret quæ sit voluntas Dei; deinde pacifica, non abundans in suo sensu, sed alieno magis acquiescens consilio vel iudicio.

6. Tertius aquarum usus est irrigatio, quam profecto maxime necessariam habent novellæ plantationes: alioquin aut minus proficient, aut ex toto peribunt præ siccitate. Quærat ergo devotionis aquas, quisquis seminaverit bonorum operum semina: ut irrigatus fonte gratiæ, bonæ conversationis hortus non arescat, sed in perpetua viriditate proficiat. Orat enim pro hujusmodi Propheta: *Et holocaustum tuum, inquit, pingue fiat* (Psal. XIX, 4). Sic et in laudibus Aaron legis, quoniam sacrificium ejus quotidianus ignis assumpsit. In quibus omnibus nihil aliud intelligendum videtur, nisi ut bona opera fervore devotionis et dulcedine spiritualis gratiæ condiantur. Putas inveniri poterit quartus fons, ut paradisum recuperemus quatuor fontium irrigatione amœnissimum? Nam si terrenum paradisum denuo nobis reddendum non speramus, quomodo regnum cœlorum sperabimus? *Si terrena, inquit, dixi vobis et non creditis; quomodo, si dixerero vobis cœlestia, creditis* (Joan. III, 12). Nunc autem, ut de exhibitione præsentium firma sit expectatio futurorum; paradisum habemus multo meliorem et longe delectabiliorem, quam prius parentes habuerunt, et paradisus noster Christus Dominus est. In quo tres quidem fontes jam invenimas: quartum quæramus. Habemus de fonte misericordiæ ad diluendas culpas, aquas remissionis; habemus de fonte sapientiæ ad potandam sitim nostram, aquas discretionis; habemus de fonte gratiæ ad irrigandas plantas bonorum operum, aquas devotionis: quæramus ad decoquendos cibos aquas ferventes, aquas æmulationis. Hæ nimirum condiunt et decoquunt affectiones nostras, et ebulliunt de fonte charitatis. Unde ait Propheta: *Concaluit cor meum intra me; et in meditatione mea exardescet ignis* (Psal. XXXVIII, 4); alibi quoque: *Zelus, inquit, domus tuæ comedit me* (Psal. LXXVIII, 10). Siquidem ex dulcedine devotionis diligens justitiam, ex fervore æmulationis odio habet iniquitatem. Et vide ne forte de fontibus istis prædixerit Isaias: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*. Nam ut promissionem hanc vitæ præsentis esse noveris, non futuræ, illud attende quod sequitur: *Dicetis in illa die: Confitemini Domino, et invocate nomen ejus* (Isai. XII, 3, 4). Invocatio quippe præsentis temporis est, sicut scriptum est: *Invoca me in die tribulationis* (Psal. XLIX, 15).

7. Porro ex his quatuor fontibus, tres quidem proprie convenire videntur tribus Ecclesiæ ordinibus, singuli singulis (10*). Nam primus quidem communis est omnibus. In multis enim offendimus omnes: et necessarium habemus misericordiæ fontem ad diluendas offensionum sordes. Omnes, inquam, peccavimus, et egemus gloria Dei (Rom. III, 23): et prælati, et continentes, et conjugati, si dixerimus

(10*) Confer sermonem 96 de Diversis, ubi hos fontes aliter explicat.

quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus (I Joan. 1, 8). Quia ergo nemo mundus a sorde, necessarius est omnibus fons misericordiæ, et pari voto debent ad hunc fontem Noe, Daniel et Job proferre. De cætero quidem Job maxime sapientiæ fontem quærat: quoniam ipse magis inter medios laqueos ambulat, ita ut magnum videatur, si a malo declinat. Danieli vero currendum est ad fontem gratiæ, cui nimirum pœnitentiæ opera et labores abstinentiæ devotionis gratia necesse est impinguare. Oportet enim ut nos maxime in hilaritate omnia faciamus; quoniam hilarem datorem diligit Deus (II Cor. 13, 7). Nam et terra nostra nequaquam fertilis est huiusmodi seminis, bonæ scilicet conversationis: ideoque facile exarescet, nisi crebris irrigationibus adjuvetur. Unde et in oratione Domiuca huiusmodi gratiam sub quotidiani panis nomine postulamus. Merito sane, ne forte cadat super nos terribilis illa maledictio propheticæ imprecationis: *Fiant sicut fenum tectorum, quod, priusquam evellatur, exaruit* (Psal. cxxviii, 6). Fons vero æmulationis Noe convenit **779** specialiter, quia maxime prælatos decet hic zelus.

8. Quatuor itaque fontes istos adhuc in carne viventibus nobis in semetipso Christus exhibet: quintum, qui est fons vitæ, post hoc sæculum repromittens, ad quem sitiebat Propheta cum diceret: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum* (Psal. xli, 2). Et fortassis etiam propter hos quatuor fontes, quatuor in locis vulneratus est Christus adhuc vivens in cruce: propter quintum, cum jam tradidisset spiritum, transforatus est in latere. Vivebat adhuc, quando foderunt ei manus et pedes, ut nobis adhuc viventibus quatuor fontes ex se ipso proferret: quintum pertulit vulnus cum jam exspirasset, ut in se nihilominus quintum nobis fontem post obitum aperiret. Sed ecce dum loquimur de mysteriis Nativitatis, ad scrutanda repente venimus sacramenta Dominicæ Passionis. Nec mirum tamen si quærimus in Passione, quid in Nativitate sua Christus attulerit. Tunc enim conscisso sacco pecuniam quæ latebat, in pretium nostræ redemptionis effudit.

SERMO II.

De tribus præcipuis Dei operibus, et triplici commistione.

1. *Magna opera Domini*, ait propheta David (Psal. cx, 2). Magna quidem omnia opera ejus, fratres, siquidem magnus et ipse: sed ad nos maxime spectant, quæ in eis maxima esse videntur. Hinc est quod psallit idem propheta, dicens: *Magnificavit Dominus facere nobiscum* (Psal. cxxv, 3). Denique quam magnifice nobiscum agat, specialiter tria quædam ejus opera clamant; primæ nostræ creationis, præsentis redemptionis, futuræ glorificationis. Quam magnificata sunt in singulis opera tua, Domine! Tuum est virtutem operum tuorum annuntiare populo tuo, nos ipsa saltem opera non silemus. Triplicem, fratres, commistionem in his tribus considerare est cœlestis plane operis, et divinæ virtutis.

A Nam in primo opere conditionis nostræ de limo terræ plasmavit hominem Deus, et inspiravit in faciem ejus spiritum vitæ. Qualis artifex, qualis unitor rerum, ad ejus nutum sic conglutinantur sibi limus terræ et spiritus vitæ! Limus quidem jam ante creatus erat, quando in principio creavit Deus cœlum et terram: at spiritus sane non communem, sed propriam habet conditionem; nec in massa creatur, sed singulari quadam excellentia inspiratur. Agnosce, o homo, dignitatem tuam, agnosce gloriam conditionis humanæ. Est enim tibi cum mundo corpus: sic enim decet eum qui constitutus est super universam hujus creaturæ corporeæ molem, aliqua ei similari ex parte. Sed est tibi etiam sublimius aliquid, nec omnino comparandum es cæteris creaturis. B Compacta et confederata sunt in te caro et anima; illa plasmata, hæc inspirata.

2. Sed cujus interest hæc commistio? cui hæc unione præstatur? Etenim juxta sapientiam filiorum hujus sæculi, ubi sociantur summis inferiora, prævalent qui potestatem habent, et humilioribus utuntur pro libito suo. Conculcat fortior minus fortem, ridet sapiens indoctum, simplicem fallit astutus, potens despicit imbecillum. Non sic in opere tuo, Deus, non sic in tua commistione; non ad hoc sociasti spiritum limo, sublimem humili, dignam et excellentem creaturam aljectæ et inutili massæ. Quis non videat, fratres, quantum corpori præstet anima? Nunquid non truncus esset insensibilis caro inanimata? Ab anima enim pulchritudo, ab anima incrementum, ab anima claritas visus et sonus vocis: denique sensus omnis ab anima est. Charitatem mihi conjunctio ista commendat, charitatem in hac ipsa conditionis propriæ pagina lego: charitatem in ipso statim principio non solum prædicat, sed ingerit mihi manus benignissima Creatoris.

3. Et quidem magna hæc conjunctio, dilectissimi, sed si stabilis permansisset. Nunc autem licet divino **780** fuerit munita sigillo (ad imaginem quippe et similitudinem suam creavit Deus hominem), heu! disruptum est sigillum, et unitas dissipata. Accedens pessimus ille latro recens adhuc sigillum fregit: et sic mutata similitudine divina, comparatus est miser homo jumentis insipientibus, et similis factus est illis (Psal. xlviii, 13). Rectum quippe fecit Deus hominem: atque hæc similitudo ejus, de quo scriptum est: *Quia rectus Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo* (Psal. xci, 16). Veracem quoque et justum fecit eum, sicut et ipse veritas et justitia est: nec unitas ipsa posset disjungi, dum sigilli hujus integritas permaneret. Verum supervenit falsarius, qui indoctis sigillum promittens melius, væ, væ! fregit quod erat manu divinitatis impressum. *Eritis, inquit, sicut dii, scientes bonum et malum* (Gen. iii, 5). O malevole! o maligne! ad quid eis hujus similitudo scientiæ? Sint certe sicut dii, recti, justi; veraces sint, sicut Deus, in quem peccatum non cadit. Hoc quippe sigillo stante, stabit unitas illa. Jam experimur miseri, quid nobis

persuaserit versutia diabolicæ fraudis. Fracto namque sigillo, sequitur amarum discidium, triste divortium. Ubi est quod dixisti, nequam, *Nequaquam moriemini?* Ecce enim morimur omnes, et non est homo qui vivat, et non videat mortem.

4. Sed quid erit, Domine Deus? nunquamne reparabitur opus tuum, et qui ceciderit non adjiciet ut resurgat? Non est qui reficiat, nisi qui fecit. Itaque propter miseriam inopum et genitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus: ponam in salutari, fiducialiter agam in eo (Psal. xi, 6). Nihil siquidem proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non apponet nocere ei (Psal. lxxxviii, 25.). Novam, inquit, ego facio commisturam, ubi et expressius, et robustius pono sigillum, eum qui non ad imaginem meam factus est, sed est ipsa imago, splendor gloriæ, et figura substantiæ, non factus, sed genitus ante sæcula. Et ne forte timeas esse frangendum, audi Prophetam: *Arui*, inquit, *tanquam testa virtus mea* (Psal. xxi, 16); sed talis testa, cui nec ipse malleus universæ terræ nocere ullo modo possit. Sane cum prima ex duobus facta sit, secunda jam conjunctio sit ex tribus, ut discas ex hoc ipso ad sacramentum accedere Trinitatis. Verbum, quod erat in principio apud Deum, et Deus erat; anima, quæ de nihilo creata est, et ante non erat, caro de massa corruptionis sine corruptione aliqua divino segregata artificio; qualis nulla jam caro erat; vinculo indissolubili in personæ coeunitatem. Habes in his triplex genus potentiæ: quod non erat, creatum; quod perierat, reparatum; quod super omnia erat, paulo minus ab angelis minoratum. Hæc sunt evangelica illa sata farinæ, quæ pariter fermentantur (Matth. xiii, 33), ut sit panis angelorum quem manducet homo, panis cor hominis confirmans. Felix mulier, benedicta in mulieribus, in cujus castis visceribus, superveniente igne sancti Spiritus, coctus est panis iste (al. vitæ). Felix, inquam, mulier quæ in hæc tria sata immisit fidei suæ fermentum. Siquidem fide concepit, fide peperit, et, ut ait Elisabeth, beata quæ credidit, quoniam perfecta sunt in ea quæ dicta sunt ei a Domino (Luc. i, 45). Nec mireris quod fide ejus mediante unitum dixerim Verbum carni, quandoquidem et carnem ipsam de ejus carne suscepit. Sane ne hoc quidem præsentis expositioni obviare potest, quod de cœlestis regni dicitur similitudine. Neque enim indignum videtur, si cœlorum regnum fidei Mariæ comparatur, qua et reparatur.

5. Hujus itaque vinculum unionis nulla omnino solvere poterit creatura: siquidem nec princeps hujus mundi habet in eo quidquam, nec ipse Joannes solvere dignus est corrigiam calceamenti. Quid tamen? Solvatur certe aliquatenus necesse est: alioquin quod dissolutum est, non resolidatur. Panis integer, thesaurus absconditus, sapientia occulta, quæ utilitas in his omnibus? Merito flebat Joannes non inveniri qui aperiret librum, et solveret signacula

(11) In manuscripto Gallico Fuliensi legitur, *tria*, et *rectius*.

ejus (Apoc. v, 4): dum enim clausus staret, nemo ex nobis divinam illam attingere sapientiam prævaleret. Aperi tu librum, Agne Dei, vera mansuetudo. Fodiendas expone Judæo 781 manus tuas et pedes, ut qui in eis latet procedat thesaurus salutis, et copiosa redemptio. Frange denique esurientibus panem tuum. Solus enim frangere potes, qui solus, ut contracta solides, stare potes: et in ipsa contractione solus potestatem habes ponendi animam, cum volueris, resumendam. Tua igitur miseratione solvatur aliquatenus hoc templum, sed non penitus dissolvatur. Separetur ab anima caro, sed Verbum sane et carnis servet incorruptionem, et animæ plenam conferat libertatem: ut sola inter mortuos libere agat, educens victos de domo carceris, sedentes in tenebris et umbra mortis. Ponat anima sancta carnem immaculatam, sed resumendam tertia die: ut moriens mortem perimat, et vita hominum cum resurgente resurgat. Ita factum est, dilectissimi, et ita factum esse gaudemus. Morte illa mors mortua est, et regenerati sumus in spem vitæ per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis.

6. Jam quid futurum sit in unione tertia, quis loquetur? Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se (I Cor. ii, 9). Consummatio erit illa, cum tradiderit Christus regnum Deo et Patri: et erunt duo non jam in carne una, sed in spiritu uno. Etenim si adhærens carni Verbum, factum est caro: multo magis qui adhæserit Deo, unus spiritus erit cum eo. Et in hac quidem unione, media humilitas exhibetur, et humilitas magna nimis: in ea vero quam exspectamus, ad quam suspiramus, perfecta nobis (si tamen nobis) reposita glorificatio est. Quod si meminimus in prima conjunctione, qua ex anima et carne compactus est homo, charitatem commendari; merito humilitas eminet in secunda, quia sola virtus humilitatis est læsæ reparatio charitatis. Porro quod unitur rationalis animæ creatura terreno corpori, omnino non est humilitati adscribere: siquidem non ex deliberatione propria carni miscetur, sed creando immittitur, immittendo creatur. Non sic sane summus ille Spiritus, qui cum esset magis bonus, ipso beneplaciti sui arbitrio accessit ad corpus incoinquinatum. Merito denique charitatem et humilitatem sequitur glorificatio, quia sine charitate nihil prodesse potest; et nemo, nisi qui se humiliat, exaltabitur (Luc. xiv, 11).

SERMO III.

De loco, tempore et aliis circumstantiis Nativitatis.

1. Duo (11) quædam rerum genera, fratres, in hæc Nativitate Domini considero, non solum diversa, sed et dissimilia valde. Siquidem et puer qui nascitur, Deus est; et mater de qua nascitur, virgo est; et partus ipse sine dolore est. Fulget in tenebris lux nova de cœlo; gaudium magnum angelus evangelizat; laudat multitudo cœlestis militiæ; datur gloria Deo, pax hominibus bonæ voluntatis; currunt pas-

tores, inveniunt quod ad eos dictum est verbum, **A** nuntiant aliis : quicumque audiunt, admirantur. Hæc et his similia, dilectissimi, divinæ virtutis sunt, non fragilitatis humanæ. Vasa sunt aurea et argentea, quibus pro tanta solemnitate in mensa Domini etiam egenis quibusque hodie ministratur. Non est nobis tollere ista, non nobis datur aureus discus aut scyphus, sed qui in eis est cibus et potus. *Diligenter considera*, ait Sapiens, *quæ tibi apponuntur* (*Prov. xxiii, 1*). Et ego certe agnosco mea esse Nativitatis hujus tempus et locum, infantilis corporis teneritudinem, parvuli vagitus et lacrymas; sed et ipsorum quibus primo annuntiatur nativitas Salvatoris, paupertatem pastorum atque vigiliis. Mea sunt hæc, pro me faciunt, mihi apponuntur, mihi proponuntur imitanda. Hieme natus est, nocte natus est Christus. Nunquid credimus casu factum ut in tanta æris inclementia et in tenebris nasceretur, cujus est hiems et æstas, dies et **782** nox? Non eligunt parvuli cæteri quando nascantur: quippe quibus adhuc vix incipientibus vivere, nullis subest rationis usus, nulla eligendi libertas, facultas nulla deliberandi. Christus, fratres, etsi homo non erat (**12**), erat tamen in principio apud Deum, et Deus erat, ejusdem, cujus nunc est, sapientiæ et potestatis, utpote Dei virtus, et Dei sapientia. Nasciturus itaque Dei Filius, cujus in arbitrio erat quodcumque vellet eligere tempus, elegit quod molestius est, præsertim parvulo, et pauperis matris filio, quæ vix pannos haberet ad involvendum, præsepe ad reclinandum. Et certe cum esset tanta necessitas, nullam audio pellium fieri mentionem. Primus Adam pelliceis vestitur tunicis, pannis secundus obvolvitur. Non est tale iudicium mundi: aut iste fallitur, aut mundus errat. Sed divinam falli impossibile est sapientiam. Merito proinde et carnis prudentia (mors siquidem et ipsa) inimica est Deo (*Rom. viii, 7*); et sæculi quoque prudentia stultitia nominatur (*I Cor. iii, 19*). Quid enim? Christus utique, qui non fallitur, elegit quod carni molestius est. Id ergo melius, id utilius, id potius eligendum: et quisquis aliud doceat vel suadeat, ab eo tanquam a seductore cavendum.

2. Jam vero etiam nocte voluit nasci. Ubi sunt qui tam impudenter ostentare gestiunt semetipsos? **D** Christus elegit quod salubrius iudicat: vos eligitis quod reprobat ille. Quis prudentior e duobus? cujus iudicium justius? cujus sententia sanior? Denique licet Christus, non se extollit, non magnificat, non prædicat: et ecce annuntiat eum angelus, laudat multitudo cœlestis exercitus. Et tu ergo qui Christum sequeris, inventum alacronde thesaurum. Ama nesciri, laudet te os alienum, sileat tuum. Adhuc autem in stabulo nascitur Christus, et in præsepio reclinator. Et nomen ipse est qui dicit: *Meus est orbis terræ, et plenitudo ejus?* (*Psal. xlix, 12.*) Quid ergo stabulum elegit? Plane ut reprobet gloriam

mundi, damnet sæculi vanitatem. Necdum loquitur lingua, et quæcumque de eo sunt, clamant, prædicant, evangelizant: ipsa quoque infantilia membra non silent. In omnibus mundi iudicium arguitur, subvertitur, confutatur. Quis enim hominum, si daretur optio, non magis eligeret robustum corpus et ætatem intelligibilem, quam infantilem? O Sapientia, quæ de occultis traheris? o vere incarnata et velata Sapientia! Et tamen, fratres, ipse est promissus olim per Isaiam parvulus, sciens reprobare malum, et eligere bonum (*Isai. vii, 15*). Malum ergo voluptas corporis, bonum vero afflictio est: siquidem et hanc eligit, et illam reprobat puer sapiens, Verbum infans. Verbum enim caro factum est, et caro infirma, caro infantilis, caro tenera, caro **B** impotens, omnis operis, omnis laboris impatiens.

3. Et vere, fratres, Verbum factum est caro, et sic habitavit in nobis. Dum esset in principio apud Deum (*Joan. i, 14*), lucem habitabat inaccessibilem (*I Tim. vi, 16*), et non erat qui caperet illud. Quis enim investigavit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? (*Isai. xl, 13*). Carnalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei (*I Cor. ii, 14*): sed jam capiat et carnalis, quia Verbum factum est caro. Si nihil præter carnem novit audire, ecce Verbum caro factum est: audiat illud vel in carne. O homo, in carne tibi exhibetur Sapientia: illa quondam occulta, ecce jam trahitur de occultis, et ipsis sese ingerit sensibus carnis tuæ. Carnaliter, ut ita dixerim, prædicatur tibi: Fuge voluptatem, quia posita est mors secus introitum delectationis; age poenitentiam, quia per hanc appropinquat regnum Dei (*Matth. iii, 2*). Hoc tibi prædicat stabulum istud hoc præsepe clamat, hoc membra illa infantilia manifeste loquuntur, hoc lacrymæ et vagitus evangelizant. Plorat quippe Christus, sed non sicut cæteri, aut certe non quare cæteri solent. In aliis sensus, in Christo prævalebat affectus. Patiuntur illi, non agunt, utpote nec ipsius adhuc usum voluntatis habentes. **783** Illi ex passione lugent, Christus ex compassione. Illi jugum grave, quod est super omnes filios Adæ: Christus filiorum Adæ peccata deplorat. Et certe pro quibus nunc lacrymas fundit, postea fundet et sanguinem. O duritia cordis mei! Utinam, Domine, sicut Verbum caro factum est, ita et cor meum carneum fiat! siquidem et hoc pollicitus es per prophetam: *Auferam, inquit, a vobis cor lapideum, et dabo vobis cor carneum* (*Ezech. xi, 19*).

4. Fratres, lacrymæ Christi mihi et pudorem pariunt, et dolorem. Ludebam ego foris in platea, et in secreto regalis cubiculi super me ferebatur iudicium mortis. Audivit hoc Unigenitus ejus: exiit posito diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput, nudus pedes, flens et ejulans, quod morte damnatus esset servulus ejus. Intueor illum subito procedentem, stupeo novitatem, causam percontor

¹² Aliis deest particula, non, sed retinenda omnino, ut sit sensus Christum non fuisse hominem ante hanc nativitatem, sed tantum Deum.

et audio. Quid facturus sum? adhuc ludam, et deludam lacrymas ejus? Plane si insanus sum et mentis inope, non sequar eum, nec simul cum lugente lugebo. Ecce unde pudor? Dolor et timor unde? Utique quia ex consideratione remedii, periculi mei aestimo quantitatem. Nesciebam, sanus mihi videbar: et ecce mittitur Virginis Filius, Filius Dei altissimi, et jubetur occidi; ut vulneribus meis pretioso sanguinis illius balsamo medeatur. Agnosce, o homo, quam gravia sunt vulnera pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, et mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei Filium moreretur. Pudet itaque, dilectissimi, propriam negligentem dissimulare passionem; cui tantam a majestate tanta exhiberi video compassionem. Compatitur Filius Dei, et plorat: homo patitur, et ridebit? Sic et medicinæ aestimatio, et doloris mihi et timoris exaggeratio est.

5. Verum si diligenter observem præcepta medici, erit etiam consolationis occasio. Sicut enim gravem agnosco morbum, cui tanta apponitur medicina; sic et ex hoc ipso non incurabilem esse conector. Neque enim pretiosissimas species frustra innumeret medicus sapiens, imo sapientia ipsa. Porro frustra insumi constat, non solum si absque eis facilis esset curatio, sed multo magis et si cum eis sit impossibilis. Animat itaque ad poenitentiam, et accendit vehementius desiderium spes concepta. Sane accedit ad consolationem ipsa quoque, quæ pastoribus vigilantibus exhibita est, visitatio et allocutio angelorum. Væ vobis, divites, qui habetis consolationem vestram, ut jam non mereamini habere cælestem! Quam multi enim nobiles secundum carnem, quam multi potentes, quam multi sapientes hujus sæculi, hora illa in stratis mollibus quiescebant; et nemo eorum dignus habitus est novam videre lucem, scire magnum illud gaudium, angelos audire cantantes: *Gloria in excelsis Deo* (Luc. xi, 14)! Agnoscant igitur homines, quia qui in labore hominum non sunt, visitari ab angelis non mereantur. Agnoscant quam placeat supernis civibus labor cujus spiritualis intentio est, quandoquidem et eos qui pro victu corporis, corporali urgente necessitate, laborant, suo dignantur alloquio, et alloquio tam felici. Nimirum humanum in eis agnoscunt ordinem [alias ordinationem], quo constituit Deus ut in sudore vultus sui vescatur Adam pane suo (Gen. iii, 19).

6. Obsecro vos, dilectissimi, considerate diligentius, quantum fecerit Deus pro vestra exhortatione et salute: ne infructuosus inveniatur in vobis sermo tam vivus et efficax, sermo fidelis et omni acceptione dignus; sermo non tam oris quam operis. Putatis, fratres, parum mihi molestum esse, si hoc ipsum verbum, quod nunc loquor ad vos, vacuum et sine aliqua utilitate deperire in cordibus vestris nossem? Et quis sum ego, aut quis est hic sermo meus? Si hunc tantillum vocis laborem inutilem esse doleret homo pusillus, imo et nihili, quam

justius indignabitur Dominus majestatis, si tantam ejus operam nostra aut duritia aut negligentia contingat evacuari? Avertat hoc a servulis suis, qui pro eorum salute induere dignatus est formam servi, Unigenitus Dei Patris, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula! Amen.

SERMO IV.

De eo quod pastores invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio.

1. Agnoscite, fratres dilectissimi, quanta sit hodierna solemnitas, cui et dies brevis, et terræ angusta est latitudo. Loco pariter et tempore dilatatur. Noctem præoccupat, cælum replet antequam terram. Nox enim ut dies illuminata est, cum intempeste noctis hora pastores circumfulsit lux nova de cælo. Et ut noveritis quo in loco solemnitatis hujus cœperint gaudia celebrari; quod jam angelis erat, futurum omni populo gaudium evangelizatur: sed et confestim adest divinis personans laudibus cælestis exercitus multitudo. Hinc est quod solemnitas ducitur nox ista præ cæteris, in psalmis, hymnis et canticis spiritualibus: et his potissimum in vigiliis sine ulla hæsitacione credendum est, cælestes illos principes prævenire conjunctos psallentibus, in medio juvenicularum tympanistriarum. Sed quam multa hodie gemmis et auro fulgent altaria! quanti ubique pallii parietes adornantur! Putas ad hæc divertent angeli, et pannosos homines declinabunt? Si ita est, cur pastoribus ovium magis apparuere, quam terræ regibus, quam sacerdotibus templi? Cur et ipse Salvator, cujus est aurum pariter et argentum, sacram in corpore suo dedit paupertatem? Aut certe, cur paupertas ipsa tam sollicitè enarratur ab angelo? Neque enim sine certi ratione mysterii pannis Salvator obvolvitur, et ponitur in præsepio, quando id manifeste in signum nobis commendatur ab angelo. *Hoc, inquit, vobis signum: invenietis infantem pannis involutum* (Luc. ii, 12). In signum positi sunt panni tui, Domine Jesu; sed in signum, cui a multis usque hodie contradicunt. Multi quippe vocati, sed non multi electi, et ideo nec signati. Agnosco certe, agnosco Jesum magnum sacerdotem sortidis operum vestibus, dum altercatur cum diabolo. Scientibus Scripturas loquor, et quibus non ignota est prophetica visio Zachariæ (Zach. iii). Ubi vero exaltatum est caput nostrum super inimicos nostros, ex hoc plane mutavit vestem, decorem induit, amictus lumine sicut vestimento, exemplum dedit nobis, ut et nos eadem faciamus, Utilior siquidem in conflictu lorica ferrea quam stola lineæ, licet oneri sit illa, hæc honori. Erit cum et membra sequentur caput, ut corpus jam universum uno psallat spiritu, et dicat: *Concidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia* (Psal. xxix, 12).

2. *Invenietis, inquit, infantem pannis involutum, et positum in præsepio.* Et post pauca: *Venerunt, ait evangelista, festinantes, et invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio* (Luc. ii, 16). Quid est quod sola ab angelo commendari videtur

humilitas, nec tamen sola a pastoribus inveniri? **A** Forte specialius commendat angelus humilitatem, quia ruentibus cæteris per superbiam, ipse in humilitate stetit. Aut propterea certe cœlitus annuntiat humilitas, quod hæc quasi propria virtus divitiæ exhibenda sit majestati. Sola tamen non potuit inveniri, quia semper gratia datur humilibus. Invenierunt ergo Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio. Sicut enim Salvatoris infantia manifestam præcedit humilitatem, sic per Virginem continentia, justitia per Joseph virum justum, cuius laus est in Evangelio, non incongrue designatur. Sane continentiam debere carni quis nesciat? Justitia vero virtus est, quod suum est cuique tribuens: e: hæc erga proximos est necessaria. Porro humilitas Deo nos reconciliat, Deo facit esse subjectos, **B** Deo placet in nobis; sicut ait Virgo beata: *Respexit humilitatem ancillæ suæ* (Luc. 1, 48). Itaque qui fornicatur, peccat in corpus suum; qui injuriosus est, in proximum; qui extollitur et inflatur, in Deum. Fornicator **785** semetipsum dehonestat; injuriosus molestat proximum; elatus, quod in se est, Deum inhonorat. *Gloriam meam*, Dominus ait, *alteri non dabo* (Isai. xlii, 8). Et superbus: Ego, inquit, mihi eam, licet non dederis, usurpabo. Nec enim placet ei angelica distributio, dans *gloriam Deo, pacem hominibus* (Luc. ii, 14). Non ergo colit Deum, sed adversus eum extollitur, impius plane et infidelis. Quæ est enim pietas, nisi cultus Dei? Quis vero Deum colit, nisi qui voluntarie ei subjectus est, et sicut oculi servorum in manibus Dominorum, suorum, sic oculi cordis ejus ad dominum Deum suum?

3. Ut ergo inveniat in nobis semper Maria, et Joseph, et infans positus in præsepio; sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo. Propter hoc enim apparuit gratia Dei erudiens nos, et per hoc quoque illius gloria apparebit. Sic enim habes. *Apparuit gratia Dei omnibus hominibus, erudiens nos; ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei* (Tit. ii, 11-13). Apparuit in parvulo gratia ad eruditionem: sed *hic erit magnus*, sicut de eo Gabriel locutus est (Luc. 1, 32); et quos parvulus erudierit ad humilitatem cordis et mansuetudinem, magnificabit postmodum et glorificabit magnus et gloriosus adveniens Jesus Christus Dominus noster, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO V.

De verbis Apostoli, « Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. » (II Cor. 1, 3, 4).

1. Benedictus, qui propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, misit nobis Filium suum dilectum, in quo ei bene complacuit, per quem reconciliati pacem habeamus ad eum, et idem sit in nobis reconciliationis hujus et mediator, et obses. Non est quod vereamur, fratres mei, sub tam pio mediatore; non est quod de tam fido obside dubite-

mus. Sed qualis mediator est, inquires, qui in stabulo nascitur, in præsepio ponitur, pannis involvitur sicut cæteri, plorat ut cæteri, denique infans jacet, ut cæteri consueverunt? Magnus plane mediator est, etiam in his omnibus, quæ ad pacem sunt, non perfunctorie, sed efficaciter quærens. Infans quidem est, sed Verbum infans, cujus ne ipsa quidem infantia tacet. *Consolamini, consolamini, dicit Dominus Deus vester* (Isai. xl, 1). Dicit hoc Emmanuel, *nobiscum Deus*. Clamat hoc stabulum, clamat præsepe, clamant lacrymæ, clamant panni. Clamat stabulum, curando sese homini, qui in latrones inciderrat (Luc. x, 30), præparari; clamat præsepe, eidem homini, qui jumentis comparatus fuerat (Psal. xlviii, 13), pabulum ministrari; clamant lacrymæ, clamant panni ejusdem ipsius cruenta jam vulnera abluere et detergi: siquidem nullo horum Christus eguit; nihil horum illi propter se, magis autem omnia propter electos. *Verebuntur Filium meum*, ait Pater misericordiarum (Matth. xxi, 37). Verum id quidem, Domine, reverentur eum: Sed qui? Non plane Judæi, ad quos missus, sed electi, propter quos missus.

2. Reveremur enim eum nos in præsepio, reveremur in patibulo, reveremur in sepulcro. Devote suscipimus tenerum propter nos, ruentem propter nos, pallidum propter nos, sepultum propter nos reveremur. Devote adoramus cum Magis, devote amplectimur cum Simeone sancto infantiam Salvatoris, suscipiens misericordiam tuam in medio templi tui: siquidem ipse est de quo legimus: *Misericordia Domini ab æterno* (Psal. cii, 17). Alioquin quid coæternum Patri, nisi Filius et Spiritus sanctus? Et uterque quidem non tam misericors, quam ipsa vere misericordia. Nihilominus etiam Pater misericordia est: atqui hi tres non nisi una misericordia, sicut una essentia, una sapientia, una divinitas, una majestas. In eo tamen quod *Pater misericordiarum* **786** dicitur Deus, quis non videat velut proprio nomine Filium designari? Et bene dicitur Pater misericordiarum, cui proprium est misereri semper et parcere.

3. Sed forte quis dicat: Quomodo illi proprium est misereri, cujus judicium abyssus multa? (Psal. xxxv, 7,) neque enim dicitur: *Omnes viæ ejus* sola misericordia; sed, *misericordia et veritas* (Psal. xxiv, 10). Non minus justus quam misericors est, cui misericordia et judicium decantatur (Psal. c, 1). Verum id quidem: Cui vult miseretur, et quem vult indurat (Rom. ix, 18); sed quod miseretur, proprium illi est. Ex se enim sumit materiam, et velut quoddam seminarium miserendi. Nam quod judicat et cõdemnat, nos eum quodammodo cogimus, ut longe aliter de corde ipsius miseratio quam animadversio procedere videatur. Ipsum audi dicentem: *Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus, et non magis ut convertatur et vivat?* (Ezech. xviii, 25.) Recte igitur non Pater judiciorum vel ultionum dicitur, sed *Pater misericordiarum*, non modo quod pater videatur misereri

potius quam indignari, et quemadmodum pater filiorum misereatur timentium se; sed eo magis quod miserendi causam et originem sumat ex proprio, iudicandi vel ulciscendi magis ex nostro.

4. Sed si propter hoc Pater misericordiae, quare Pater misericordiarum? Semel locutus est Deus, ait Propheta, duo haec audivi: quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia (Psal. Lxi, 12, 15). Ceterum Apostolus nobis in uno Verbo, in Filio uno ipsam quoque misericordiam duplicem commendat, Patrem dicens non unius tantum misericordiae, sed misericordiarum; et Deum non unius, sed totius consolationis, qui consolatur nos non modo in hac vel illa, sed in omni tribulatione nostra. Misericordiae Domini multae, ait quidam (Thren. iii, 52), videlicet quia multae tribulationes iustorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus. Unus est Dei Filius, unum Verbum; sed miseria nostra multiplex, non modo magnam misericordiam, sed et multitudinem quaerit miserationum. Forte tamen propter substantiam duplicem, qua subsistit humana conditio, cum sit utraque tam misera, non incongrue duplex hominum dicatur esse miseria, licet sit multiplex in utraque. Siquidem et corporis et cordis nostri tribulationes multiplicatae sunt; sed ab utrisque necessitatibus eruit, qui totum hominem salvum fecit. Cum ergo unus ille et unicus Dei Filius et jam nunc venerit propter animas, tollere scilicet peccata mundi, et secundo propter corpora sit venturus, ut ea resusciet, et configuret corpori claritatis suae; non incongruum fortasse videbitur ut, in eo quod Patrem misericordiarum bene dicimus, duplicem hanc misericordiam confiteamur. Suscipiens enim humanae naturae corpus simul et animam, non modo semel consolamini, sed (ut supra quoque meminimus) consolamini, consolamini, dicit Dominus Deus vester; ut videlicet certi simus quod utrumque

A sit salvaturus, qui neutrum suscipere est dedignatus.

5. Sed in quibus putas? Plane in populo suo. Ipse enim et nunc salvum faciet, non quoscunque, sed populum suum a peccatis eorum (Math. i, 21): et postmodum non omne corpus, sed corpus humilitatis configurabit corpori claritatis suae (Philipp. iii, 21). Denique populum suum consolatur, utique populum humilem, quem salvum faciet: nam oculos superborum humiliabit. Vis nosse populum ejus? Tibi derelictus est pauper (Psal. ix, 14), ait homo secundum cor Dei. Sed et ipse in Evangelio: Vae vobis, inquit, divites, qui habetis consolationem vestram! (Luc. vi, 24.) Utinam nos, dilectissimi, in eo populo inveniri semper optemus, non cui dicit: Vae! sed quem consolatur Dominus Deus suus.

B enim consoletur eos qui suam habent consolationem? Non consolatur Christi infantia garrulos, non consolatur Christi lacrymae cachinnantes, non consolantur panui ejus ambulantes in stolis, non consolantur praesepe et stabulum amantes primas cathedras in synagogis; sed aequanimiter forte universam hanc consolationem expectantibus in silentio Dominum, 787 lugentibus, pannosis pauperibus cedere videbuntur. Ceterum audiant quod et ipsi quoque angeli non alios consolantur. Vigilantibus enim pastoribus et custodientibus vigiliis noctis evangelizatur gaudium novae lucis, et eis natus dicitur esse Salvator. Pauperibus atque laborantibus, non vobis divitibus, qui vestram habetis consolationem, et vae divinum, inter ipsas vigiliis noctis dies sanctificatus illuxit; et nox sicut dies illuminata, imo in diem mutata est, dicente angelo: Quia natus est vobis Salvator, hodie (Luc. ii, 11) utique, non hac nocte. Siquidem nox praecessit, dies autem appropinquavit, verus utique dies ex die, salutare Dei, Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen.

IN NATIVITATE SS. INNOCENTII.

SERMO UNICUS.

De quatuor continuis solemnitatibus, scilicet Nativitatis Domini, ac SS. Stephani, Joannis, et Innocentium.

1. Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, et illuxit nobis (Psal. cxvii, 26, 27). Benedictum nomen gloriae ejus, quod laet sanctum (Dan. iii, 52). Neque enim otiose venit quod ex Maria natum est Sanctum; sed copiose diffundit et nomen et gratiam sanctitatis. Nimirum inde Stephanus sanctus, inde Joannes sanctus, inde sancti etiam Innocentes. Utili proinde dispositione [alias dispensatione] triplex ista solemnitas Natale Domini comitatur: ut non modo inter continuas solemnitates devotio continua perseveret, sed et fructus Dominicae Nativitatis exinde nobis velut ex quadam prosecutione evidenti innotescat. Siquidem advertere est in his tribus solemnitatibus triplicem quamdam speciem sanctitatis; nec facile praeter haec tria sanctorum genera, quartum aliud posse arbitror in hominibus reperiri. Habemus in beato

Stephano martyrii simul et opus et voluntatem; habemus solam voluntatem in beato Joanne; solum in beatis Innocentibus opus. Biberunt omnes hi calicem salutaris, aut corpore simul et spiritu, aut solo spiritu, aut corpore solo. Calicem quidem meum bibetis, ait Dominus Jacobo et Joanni (Math. xx, 23): nec dubium quin de passionis calice loqueretur. Demum cum Petro diceret: Sequere me, evidenter eum ad imitationem suae provocans passionis; conversus ille vidit discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem, non tam gressu corporis, quam promptae devotionis affectu. Et hic ita ergo Joannes calicem salutaris, et secutus est Dominum sicut Petrus, etsi non omni modo sicut Petrus. Quod enim sic mansit, ut non etiam passione corporea Dominum sequeretur, divini fuit consilii, sicut ipse ait: Sic eum volo manere donec veniam (Joan. xxi, 19-22); ac si dicat: Vult quidem et ipse sequi, sed ego sic eum volo manere.

2. An vero de Innocentium coronis quis dubitet? Ille pro Christo trucidatos infantes dubitet inter

martyres coronari, qui regeneratos in Christo non A credit inter adoptionis filios numerari. Alioquin quando cœvos sibi pueros puer ille qui natus est nobis, non contra nos, propter se pateretur occidi, quod utique solo nutu poterat prohibere, nisi melius aliquid eis provideret? ut, quemadmodum cæteris infantibus tunc quidem circumcisio, nunc vero baptismus sine ullo propriæ voluntatis usu sufficit ad salutem, sic nihilominus pro eo susceptum martyrium illis sufficeret ad sanctitatem. Si quæris corum apud Deum merita, ut coronarentur, quære et apud Herodem crimina, ut trucidarentur. An forte minor Christi pietas, quam Herodis impietas, ut ille quidem potuerit innoxios neci dare, Christus non potuerit propter se occisos coronare? Sit ergo Stephanus martyr apud homines, cujus voluntaria B passio evidenter apparuit in eo vel maxime, quod in ipso mortis articulo tam pro persequentibus, quam pro se ipso sollicitudinem gereret ampliolem, vinceretque in eo sensum corporeæ passionis internæ compassionis affectus; ut illorum magis scelera, quam sua vulnera plangeret. Sit Joannes apud angelos 788 martyr, quibus, tanquam spiritualibus creaturis, spiritualia devotionis ejus signa certius innotuerunt. Cæterum hi sunt plane martyres tui, Deus, ut in quibus nec homo nec angelus meritum invenit, singularis tuæ prærogativa gratiæ evidentiùs commendetur. Ex ore infantium et lactentium perfectisti laudem (*Psal. viii, 3*). *Gloria in excelsis Deo*, angeli dicunt, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (*Luc. ii, 14*). Magna quidem, sed, audeo dicere, necdum perfecta laus, donec veniat qui dicat: *Sinite parvulos ad me venire, quia talium est regnum cœlorum* (*Matth. xix, 14*); et pax hominibus, etiam sine voluntatis usu in sacramento pietatis.

3. Considerent hæc qui de opere et voluntate contentiosis solent disputationibus corrivari; consilient et advertant neutrum negligi oportere, ubi

non videtur deesse facultas, præsertim cum utrumque sine altero (ubi tamen facultas deest) non modo salutem conferre possit, sed etiam sanctitatem. Sed et hoc quoque firmiter teneant, prodesse quidem opus sine voluntate, non autem [*alias* tamen] contra voluntatem; ut unde salvantur infantes, inde magis damnentur fecte accedentes. Nihilominus sane in quibusdam voluntas sine opere sufficiens est, non autem contra opus. Verbi causa, rapitur quis in bona quidem voluntate, sed necdum perfecta, necdum idonea martyrium sustinere: quis illi audeat pro hac imperfectione negare salutem? Forte enim propterea non sinitur in illam gravem tentationem venire, ne deficiat et damnetur. Nimirum si in hac tam infirma voluntate induceretur in eam, quæ supra ipsum est, tentationem, nec voluntas roboraretur; quis illum dubitet defecturum, negaturum, et, si in eo mori contigerit, etiam periturum? *Qui enim erubuerit me coram hominibus, erubescam et ego eum*, ait Dominus, *coram angelis Dei* (*Luc. ix, 26*). In ea igitur imperfecta voluntate, in qua salvatur quis, ubi deest facultas operis, jam non salvari posset propter defectum operis, vel opus defectionis. Idem vero et in ignorantia posset accidere. Æmulemur proinde charitatem, et sectemur bona opera, fratres mei, nec infirmitatis, nec ignorantiae peccata ullo modo parvipendentes. Magis autem solliciti et timorati, agamus gratias benignissimo et largissimo Salvatore, qui humanæ salutis occasiones tam copiosa charitate perquirat, ut in his voluntatem et opus, in his sine opere voluntatem, in his etiam sine voluntate opus salutis invenire lætetur, qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem sui venire. Hæc est enim vita æterna, ut cognoscamus Patrem verum Deum, et quem misit Jesus Christus (*Joan. xvii, 3*), qui unus cum eo verus est Deus super omnia benedictus in sæcula. Amen.

IN CIRCUMCISIONE DOMINI.

SERMO I.

De lectione evangelica, « Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer, vocatum est nomen ejus Jesus. » (*Luc. ii, 21*).

1. Audivimus paucis expressum magnum pietatis sacramentum: audivimus congruam lectionem Verbo abbreviato quod fecit Dominus super terram. Abbreviatam enim in carne, amplius abbreviatur suscepta etiam carnis circumcisio. Minoratus paulo minus ab angelis Dei Filius, humanam naturam induit; sed jam nec ipsum respuens remedium humanæ corruptionis, plane multo minoratus ab eis. Habes igitur hic magnum fidei documentum, habes et manifestum humilitatis exemplum. Ad quid enim tibi circumcisio necessaria, qui peccatum non commisisti nec contraxisti? Quod ipse non feceris, ætas manifestat; quod non contraxeris,

D multo certius probat Patris divinitas, integritas matris. Summus sacerdos es, quem nec super patre, nec super matre contaminandum, prophetatum est in lege (*Levit. xxi, 11*) potius quam mandatum. Est enim tibi Pater ab æterno, sed Deus est, 789 in quem peccatum non cadit. Est et mater ex tempore, sed virgo; nec parere potuit incorruptio corruptelam. Super hæc omnia circumciditur Puer, Agnus sine macula: etsi non eguit, tamen voluit circumcidi. Nec vestigium quidem ullum vulneris habens, alligaturam non refugit vulneris. Non sic impii, non sic; non sic agit perversitas elationis humanæ. Erubescimus vulnerum ligaturam, qui de vulneribus interdum etiam gloriamur. Quem nemo potest arguere de peccato, ipse peccati remedium, et verendum pariter et austerum, sine ulla necessitate suscepit; nec repulit coltrum lapideum, in quo solo

velut illa quæ eraderetur rubigo non fuit. Nos **A** contra inverecundi ad obscenitatem culpæ, erubescimus agere pœnitentiam; quod extremæ dementiæ est: male proni in vulnera, pejus in remedia verecundi. Qui peccatum non fecit, non dedignatus est peccatorem reputari: nos et esse volumus, et nolumus æstinari. Itane sano opus est medicina, et non male habentibus? imo vero itane eget medicamine non æger, sed medicus? Quis hominum tantæ sibi non dicam gloriæ, sed vel innocentie conscius, æquanimitè circumcidentis manum admitteret? Christus vero patienter quæ non rapuit exsolvit [*alias* exsolvebat], qui venerat purgationem facere, non suscipere, delictorum. Sed dicas: Quidni susciperet parvulus? Imo vero, quidni susciperet humilis et mansuetus? Quidni obmutesceret coram circumcidente, qui coram tondeute obtulit, coram crucifigente siluit? Alioquin non erat illi difficile carnem suam integram conservare ne scinderetur, qui fecerat ne virginalis uteri porta in exitu suo aperiretur. Non erat difficile parvulo prohibere ne caro illa circumcideretur, quando nec mortuo fuit difficile custodire ne corrumperetur.

2. *Postquam ergo consummati sunt dies octo ut circumcideretur Puer, vocatum est nomen ejus Jesus.* Magnum et mirabile sacramentum! Circumciditur puer, et vocatur Jesus. Quid sibi vult ista connexio? Circumcisio nempe salvandi potius, quam Salvatoris case videtur; et Salvatorem circumcidere decet, quam circumcidi. Sed agnosce meliorem Dei et hominum, qui ab ipso nativitate sue exordio divinis humana sociat, ina summis Nascitur ex muliere, sed cui fecunditatis fructus sic accedat, ut non decidat flos virginitatis; pannis involvitur, sed panni ipsi angelicis laudibus honorantur; absconditur in præsepio, sed proditur radiante stella de cœlo. Sic et circumcisio veritatem susceptæ probat humanitatis; et nomen, quod est super omne nomen, gloriam indicat majestatis. Circumciditur tanquam verus Abrahæ filius; Jesus vocatur tanquam verus Filius Dei. Neque enim ad instar priorum mens iste Jesus, nomen vacuum aut inane portat. Non est in eo magni nominis umbra, sed veritas. Cœlitus siquidem inditum nomen evangelista testatur, *quod vocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur.* Et attende verbi profunditatem. Postquam natus est Jesus, Jesus vocatur ab hominibus, quo nomine vocatus est [*alias* qui vocatus est] ab angelo, priusquam in utero conciperetur. Idem quippe et angeli Salvator, et hominis; sed hominis ab incarnatione, angeli ab initio creaturæ.

3. *Vocatum est, ait, nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab angelo.* In ore ergo duorum vel trium testium stat omne verbum: et ipsum quod in propheta abbreviatum, manifestius in Evangelio legitur caro factum. Nos, fratres mei, nos respicit hæc parabola. Christus enim nec angelico eguit testimonio, nec humano: sed, ut scriptum est, *omnia propter electos* (II Tim. II, 10). Triplex proinde

quærendum nobis salutis propriæ testimonium, ne forte videamur assumpsisse nomen Dei nostri in vanum. Et nos enim, fratres, circumcidi necesse est, et sic nomen salutis accipere; circumcidi sane non littera, sed spiritu et veritate; circumcidi non uno membro, sed toto corpore simul. Licet enim magis in ea parte, in qua mandata est Judæis circumcisio, regnet additamentum Leviathan, quod a malo est, et amputari **790** debet, universam tamen occupat carnem. A planta pedis usque ad verticem non est in nobis sanitas; nec est aliqua pars quæ non tabida sit hoc veneno. Propterea sicut parvulus adhuc in fide et dilectione populus congruum sibi mandatum exiguæ circumcisionis accepit: sic ubi crevit in virum perfectionem, toto jubetur corpore baptizari, quæ totius est hominis integra circumcisio. Hinc est quod Salvator noster et circumcidi octavo die, et post annum tricesimum dignatus est crucifigi, ubi in pœnam corpus omne distensum est: cujus similitudini mortis complantamur et nos, ut scribit Apostolus (Rom. VI, 5), nimirum quod novissime traditum est observantes.

4. Quæ est ergo moralis circumcisio nostra, nisi quam commendat idem apostolus: *Victum, inquiens, et vestitum habentes, his contenti simus?* (I Tim. VI, 8.) Optime prorsus circumcidit nos, et superflua resecat universa, voluntaria hæc paupertas, pœnitentiæ labor, regularis observatio disciplinæ. Cæterum in hac circumcisioe triplex nobis quærendum est salutis nostræ testimonium, ab angelo, et Maria, et Joseph. Oportet, inquam, ut ante omnia nobis magni consilii angelus salutis nomen imponat. Dehinc et ipsius quoque congregationis necessaria est attestatio, quæ tanquam mater est singulorum; mater, inquam, virgo, tanquam ea quam despondit Apostolus, *uni tiro virginem castam exhibere Christo* (II Cor. XI, 2). Sed nec ipsius ministri contemnendum est testimonium ei qui imitari quærit Salvatoris exemplum. Hic est Joseph, locum quidem obtinens sponsi, re autem vera servus et dispensator, qui sane pater vocatur, magis autem nutritus est.

5. Sed dico eadem manifestius. Et ab his qui foris sunt, fratres mei, et ab eo qui intus est, habere oportet testimonium bonum. Cujus enim omnibus grata, nemini onerosa est conversatio, huic sine dubio propria de salute universa fratrum congregatio attestatur. Frustra plane super his duntaxat quæ sunt in manifesto, nequissimus ille fratrum accusator trahat [*alias* trahit] in causam, quem excusat universitas fratrum. Habet et a prælatis testimonium, quisquis et peccata sæcularis vitæ, et hujus quoque temporis negligentias (quoniam in multis offendimus omnes) (Jacob. III, 2), nisi forte sanctiores nos arbitramur discipulo quem dilexit Jesus (I Joan. I, 8) humili eis et pura confessione judicanda semper exponit, et eorum satisfacere studet arbitrio. Jam ne in his quidem pessimi illius timenda est accusatio, quoniam non judicabit Dominus his

in idipsum. At forte criminari volet intentionem, et in ea parte calumniam struere machinabitur, in qua nec fratrum, nec ipsius patris testimonium satis efficax videatur. Necessè est ergo ut in hac parte optuletur nobis testis internus, qui magis cor quam faciem intuetur : a quo sane et incipiendum est, ut non prius quidquam concipiatur in animo, quam ab eo salutis nomen acceperit. Ubi vero in opus processerit manifestum, expedit jam exteriora quoque sibi testimonia conciliari, sicut ait Apostolus : *Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus* (11 Cor. viii, 21).

SERMO II.

De variis Christi nominibus.

1. Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer, vocatum est nomen ejus *Jesus* (Luc. ii, 21). Ab initio Deus modum acceptat, et nihil unquam immoderatum illi placuit æquitati. Hinc fuit quod non modo in pondere et mensura et numero condidit universa, sed et protinus ipsi homini modum præscripsit, mandatum contulit, dicens : *Ex omni ligno paradisi comedes, de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas* (Gen. ii, 16, 17). Levissimum plane mandatum, et larga omnino mensura ! Sed transgressas est homo præscriptum sibi modum, et constitutum sibi terminum prætergressus. Unde et avertens ab eo faciem suam Deus, vix tandem in diebus 791 Abrahæ amici sui placabilis fieri incipiens, rursus modum instituit, promulgavit legem, sed non priori similem usquequaque. Ea siquidem ad cautelam fuerat, hæc ad medelam ; ibi prohibitio facta, ne superfluitas subintraret ; hic jam indicta abscissio est, ut Sacramenti remedio, quæ subintraverat, tolleretur ; postremo illa quidem in arbore data est lex, ne fructu ejus vesceretur ; hæc in proprio corpore, ut caro præputii scinderetur. Nec dubium sane quin cætera quoque humani corporis membra additamentum illud Leviathan occuparet, venenum scilicet concupiscentiæ, et immoderatæ atque inordinatæ illecebra voluptatis, ut generalis quædam abscissio omnibus necessaria videretur.

2. Cæterum, quia singulorum membrorum abscissionem humanæ carnis fragilitas, et infantilis ætatis infirmitas nullatenus sustineret, pio moderamine dispositio superna providit ut in ea potissimum parte concupiscentia castigaretur in qua vehementius eam sævire constabat et violentius malignari. In omni siquidem contradicentium spiritui rebellionem membrorum, solum illud usque adeo contumax invenitur, ut contra omnem voluntatis deliberationem ad inhonestos et illicitos motus assurgat. Nam quod hæc circumcisio octava die fiebat, spem commendabat regni cœlestis, quod videlicet ad primum reflexus dierum circulus præferre quamdam coronæ speciem videretur. Hinc est quod octava potissimum dies post solemnitates præcipuas celebratur ; et in sermone Domini, primæ beatitudini copulatur octava (Matth. v, 3, 10), ut cœlestis regni demum iterata

A promissio, evidenter nobis coronam fabricaret [*alias fabricet*].

3. Merito sane dum circumciditur Puer qui natus est nobis, Salvator vocatur ; quod videlicet ex hoc jam cœperit operari salutem nostram, immaculatum illum pro nobis sanguinem fundens. Neque enim jam quærere est Christianis, cur voluerit Dominus Christus circumcidi. Propter hoc siquidem circumcisus est, propter quod natus, propter quod passus. Nihil horum propter se, sed omnia propter electos. Nec in peccato genitus, nec a peccato circumcisus, nec mortuus est pro peccato suo, magis autem propter delicta nostra. *Quod vocatum est*, inquit, *ab angelo priusquam in utero conciperetur*. Vocatum est plane, non impositum : nempe hoc ei nomen est ab æterno. A natura propria habet ut sit Salvator ; innatum est ei nomen hoc, non iudicium ab humana vel angelica creatura.

4. Sed quid dicimus, quod egregius ille propheta, hunc ipsum puerum multis nominibus appellandum fore prædicens, hoc unum tacuisse videtur quod solum (ut præmonuit angelus, et testatur Evangelista) *vocatum est nomen ejus* ? Exsultavit Isaias, ut videret diem hunc ; et vidit, et gavisus est. Denique et loquebatur gratulabundus et laudans Deum : *Puer natus est nobis, filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus ; et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis* (Isa. ix, 6). Magna quidem nomina ; sed ubi est nomen quod est super omne nomen, nomen Jesu, in quo omne genu flectatur ? Forte in his omnibus unum illud invenies, sed expressum quodammodo et effusum. Nempe ipsum est de quo sponsa in Cantico amoris : *Oleum*, inquit, *effusum nomen tuum* (Cantic. i, 2).

5. Habes ergo unum in his omnibus appellationibus Jesum ; nec omnino aut vocari posset aut esse Salvator, si forte quidpiam horum defuisset. Nunquid non vere admirabilem cum singuli sumus experti, in mutatione utique voluntatum nostrarum ? Hoc nempe est salvationis nostræ principium, cum incipimus respuere quod diligebamus, dolere unde lætabamur, amplecti quod timebamus, sequi quod fugiebamus, optare quod contemnebamus. Admirabilis plane qui hæc operatur mirabilia. Sed nihilominus et consiliarium sese exhibeat necesse est in electione pœnitentiæ et vitæ ordinatione, ne forte sit nobis 792 absque scientia zelus, et voluntati bonæ prudentia desit. Sane opus est ut Deum quoque probemus, in remissione videlicet priorum delictorum : quia nec sine hac salus nobis constare potest, et nemo potest dimittere peccata, nisi solus Deus. Verum ne id quidem sufficit ad salutem, nisi fortem quoque experiamur in expugnando impugnantem nos ; ne ab eisdem rursus concupiscentiis superemur, et fiant novissima nostra peiora prioribus. Videturne jam aliquid deesse Salvatore ? Plane deesset quod maximum est, nisi et pater esset futuri sæculi, ut per eum scilicet in immortalitatem

resurgeremus, qui per præsentis sæculi patrem generamur ad mortem. Neque hoc satis, si non etiam princeps pacis Patri nos reconciliaret, cui traditurus est regnum, ne forte sicut filii perditionis utique, non salutis, resurrecturi videremur ad pœnam. Multiplicabitur sane ejus imperium, ut merito Salvator dicatur etiam pro multitudine salvandorum; et pacis non erit finis, ut veram noveris esse salutem, quæ non possit timere defectum.

SERMO III.

De die octavo [alias, De octo diebus].

1. In Circumcisione Domini, fratres, habemus quod amemus et adiuveremur, habemus etiam quod imitemur. Patet in ea magnum dignationis beneficium, unde gratias agamus; latet aliquid clausum, quod in nobis implere debeamus. Venit namque Dominus propter nos non solum redimendos sanguinis effusione, sed et docendos verbis, et exemplis nihilominus instruendos. Sicut enim penitus erat inutile viam scire, si detineremur in carcere, ita redimi non prodesset, si viæ ignaros qui primus inveniret, primus reduceret in carcerem retrudendos. Itaque in majore quidem ætate, patientiæ et humilitatis, et super omnia charitatis, cæterarumque virtutum manifesta dedit Salvator exempla, in infantia vero figuris velata.

2. Sed antequam ad hæc discutienda veniamus delectat aliquid prius de tanta et tam manifesta dignatione loqui. Habent angeli gloriam puram et perfectam; sed nec nos erimus sine gloria. Videmus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, gloriam misericordiæ et affectus vere paterni, gloriam procedentis ex corde Patris et paterna plane viscera exhibentis. *Omnes enim peccaverunt*, ait Apostolus, *et egent gloria Dei (Rom. iii, 23)*. Et alio loco: *Mihi*, inquit, *absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi (Galat. vi, 14)*! Quid enim nobis gloriosius, quam quod tanti æstimavit nos Deus? Quæve major illi gloria, quam tanta dignatio et tanta benignitas, eo utique dulcissima, quod tam gratuita? nam pro impiis mortuus est. Videtis quantum fecit, et pro qualibus: pro qualibus, ut non superbiamus; quantum, ne desperemus. Propterea, ut inveniamini non spiritum habere hujus mundi, sed spiritum qui ex Deo est, et sciatis quæ a Deo data sunt vobis, nolite, obsecro, fieri sicut equus et mulus, sed sicut pium jumentum, quod ait: *Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum (Psal. lxxii, 23)*. Talia enim jumenta cognoscunt possessorem suum, et præsepe domini sui: in quo positum est eis piissimum fenum, ipse qui panis est angelorum. Ipse enim est panis vivus, de quo vivere debuit homo; sed quia homo jumentum factus est, et panis factus est fenum, ut vel sic vivat de eo.

3. Et hujus quidem mutationis sacramentum die Nativitatis celebratum est, quando Verbum caro factum est, cum sit omnis caro fenum. Ipsa ergo die minoratus est paulo minus ab angelis, et habitu

inventus ut homo: hodie vero mirabilius aliquid audio. Jam minoratus est multo minus angelis, qui non solum formam hominis, sed formam habet peccatoris, et infigitur velut quodam cauterio latronis. Quid est enim circumcisio, nisi superfluitatis et peccati indicium? In te, **793** Domine Jesu, quid est superfluum quod circumcidatur? Nonne tu verus Deus es de Deo Patre, homo verus sine omni peccato de Virgine matre? Quid facitis circumcidentes eum? Putatis quia super eum possit cadere illa sententia: *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit anima ipsius de populo suo (Gen. xvii, 14.)* Potest oblivisci Pater Filii uteri sui? aut non cognosceret eum, nisi signum circumcisionis haberet? Iuno vero si quo modo posset non agnoscere Filium, in quo ei bene complacuit, ex hoc maxime signo poterat ignorare eum, inventa in eo circumcisio quam peccatoribus ipse providerat, ob purgationem utique delictorum. Sed quid mirum si caput pro membris accepit curationem, quam tamen in se ipso non habuit necessariam? Nonne et in membris nostris sæpe pro unius infirmitate alteri adhibetur curatio? Dolet caput, et in brachio sit coctura; dolent renes, et sit in tibia: ita hodie pro totius corporis putredine cauterium quoddam infixum est in Capite.

4. Denique quid mirum si pro nobis dignatus est circumcidi, pro quibus dignatus est mori? Totus siquidem mihi datus, et totus in meos usus expensus est. Ego enim, audiens quia transit ante carcerem filius magni Regis, cœpi altius gemere, et miserabilius exclamare, dicens: Fili Dei, miserere mei. At ille, sicut benignissimus: Quisnam est, inquit, iste fletus et ululatus quem audio? Et dicunt ei: Ipse est Adam proditor ille, quem Pater vester trudi fecit in carcerem, donec cogitet quibus illum supplicis faciat interire. Quid ageret, cujus natura bonitas, cui proprium est misereri semper et parcere? Descendit in carcerem, venit ut educat vincitum de domo carceris. Judæi vero non immemores odii quo ode-rant Patrem, exercent illum in Filium: unde et ipse ait: *Quia oderunt me et Patrem meum (Joan. xv, 24)*. Quid ergo fecerunt impii, quibus gravis erat etiam ad videndum? *Hic est*, inquit, *hæres, venite, occidamus eum (Matth. xxi, 38)*. Sic ergo occiderunt Agnum Dei, in suam quidem perniciem, sed in salutem nostram. Illi enim sanguinem Agni fuderunt; nos accessimus, et bibimus illum. Accepimus calicem salutaris: et calix [alias calix noster] inebrians quam præclarus est! Ecce unde gratias agamus. Nam ante paucos dies celebravimus adventum ejus in carcerem hujus mundi, id est diem Natalis; hodie vero celebramus quod catenas et vincula nostra suscepit. Hodie enim qui peccatum non fecit, ut reos absolveret, innoxias manus eorum catenis inseruit; hodie sub lege factus est, qui legem dedit.

5. Sed dicendum est jam quid in hac circumcissione nobis spiritualiter indicetur agendum. Neque enim sine causa in lege præceptum, nec sine causa completum est in Domino, ut octava die fieret cir-

cuncisio (*Gen. xvii, 12*). Sed quis cognovit sensum A Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? (*Rom. xi, 36*.) Adsit nunc vestris desideriis advocatus Spiritus, qui scrutatur alta Dei, et edisserat nobis [*alias vobis*] sacramentum istud octavæ diei. Non ignoramus jam oportere hominem nasci denuo: nam propter hoc secundo natus est Dei Filius. In peccatis siquidem nascimur omnes, et necesse habemus renasci in gratia, quam in Baptismate quidem percepimus, sed heu! totum periit in sæculari vita. Nunc primum, miserante Deo, virtus gratiæ in nobis operatur, ut in novitate vitæ ambulemus. Ergo tunc nascitur homo, quando Sol justitiæ, ortus in animo, peccatorum illuminat tenebras, horrendumque Dei judicium Internis obtutibus offert, addens ad terroris vinculum brevem dierum numerum, et finem incertum. Hæc plane vespera est, ad quam demorabitur fletus; et necesse est addi matutini lætitiæ, ut auditam faciat nobis misericordiam suam. Sic enim fit vespere et mane dies unus. Est autem dies ista justitiæ, reddens unicuique quod suum est: nobis miseriam, misericordiam Deo. In hac die Puer nascitur, quando ex his quæ diximus, ad amorem pœnitentiæ et odium peccati animus excitatur.

794 6. Sed periculosum est si forte velit inter sæculi turbas agere pœnitentiam, ubi nimirum alii venenatis persuasionibus, alii undique exemplis peccatoribus ad peccatum alliciant, alii adulationibus in vanam gloriam, alii detractionibus in impatientiam animum ejus dejiciant. Procedat jam necesse est prudentiæ radius. Ostendat quantas et quam importunas, præsertim in hac generatione nequam, opportunitates et occasiones peccati offerat mundus et ingerat; quam debilis sit ad illas humanus animus, maxime qui in peccati consuetudine sit nutritus. In hac ergo die prudentiæ eligat de præsentibus sæculo nequam fugere, dicens cum propheta: *Odivi Ecclesiam malignantium, et cum impiis non sededo* (*Psal. xxv, 5*). Sed nondum sufficit hoc. Forte enim vult eligere solitudinem, non satis attendens propriam infirmitatem, et periculosam diaboli luctam. Quid enim periculosius quam solum luctari contra antiqui hostis versutias, a quo videatur, et quem videre non possit? Itaque jam habet necessariam fortitudinis diem, ut noverit custodiendam ad Dominum fortitudinem suam, et in acie multorum pariter pugnantium esse quærendam, ubi tot sunt auxiliarii quot socii, et tales qui dicere possint cum Apostolo: *Quia non ignoramus astutias inimici* (*II Cor. ii, 11*). Congregatio enim pro fortitudine sua terribilis est, ut castrorum acies ordinata. Væ autem soli! quia si ceciderit, non habet sublevantem (*Eccle. iv, 10*). Quod si cuiquam ex antiquis Patribus gratiam hanc concessam audivimus, non expedit temere se committere huic periculo, nec oportet tentare Deum, sicut et magister noster, de anachoretis loquens: « Qui non, inquit, conversionis fervore novitio (*Reg. S. Benedicti, cap. 1*), » etc. Itaque in hac fortitudinis die ad id quod jam cœperat, id est, *Odivi Ecclesiam*

malignantium, etiam addit quod sequitur: *Lavabo inter innocentes manus meas*.

7. Verum cum eligit esse in congregatione multorum, nunquid eliget esse magister, qui nondum discipulus fuit, et docere quod didicit nunquam? Et quomodo aut in se, aut in aliis motus irrationabiles poterit temperare? *Nemo unquam carnem suam odio habuit* (*Ephes. v, 29*). Quomodo ergo putatis, si jam magister suus fuerit iste, quin facile sibi aliquando, eo amplius quo familiaris, condescendat? Illucescat igitur dies temperantiæ, ut quærat quomodo temperari et refrenari possint incontinentes motus voluptatis, bestiales motus curiositatis, cervicosi motus elationis suæ. Eligat abjectus esse in domo Dei sui, et subjectus esse magistro, sub quo frangatur ejus voluntas, et obedientiæ freno concupiscentiæ reprimatur, sitque quod ait propheta: *Imposuisti homines super capita nostra* (*Psal. lxxv, 12*). Nec dedignandum servo, quod præcessit Domino; siquidem non est servus major domino suo (*Joan. xiii, 16*). Ille enim cum jam crevisset ætate, sapientia, et gratia apud Deum et homines; cum jam duodecim annorum esset, et remansisset in Jerusalem, inventus a beata Virgine et Joseph, cujus filius putabatur, in medio doctorum, audiens illos et interrogans: tamen descendit cum illis, *et erat subditus illis* (*Luc. ii, 42-51*). Et tu ergo subditus esto propter illum.

8. Sed jam tibi in ipsa obedientiæ via aliqua fortassis dura et aspera occurrere possunt, ut accipias interdum præcepta nonnulla, quæ, licet salubria sint, minus tamen suavia videantur. Hæc si moleste cœperis sustinere, si dijudicare prælatum, si murmurare in corde; etiamsi exterius impleas quod jubetur, non est hæc virtus patientiæ [*fortasse obedientiæ*], sed velamentum malitiæ. Necesse est ergo ut illucescat dies patientiæ, per quam omnia dura et aspera tacita amplectaris conscientia, te magis dijudicans et durius arguens, cui nimirum displicent quæ ad salutem sunt; et in cogitatione tua semper partem magistri, quoad potes, adversus semetipsum juvenis; te quidem in omnibus accusare, ipsum vero magis excusare laborans.

9. Porro in hoc loco jam cavendum tibi arbitror a superbia. Magnum est enim omnino sic vincere semetipsum. *Melior est*, ait Salomon, *patiens viro forti; et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium* (*Prov. xvi, 32*). Considera **795** denique quam manifeste propheta doceat necessariam esse humilitatem post patientiam, dicens: *Verumtamen Deo subjecta esto, anima mea, quoniam ab ipso patientia mea* (*Psal. lxi, 6*). Nonne videtur hic occasione patientiæ tentationem sensisse superbiæ? Necesse est ergo ut illuminet cor tuum radius humilitatiæ, et declaret quid a te sit, quid a Deo, ut non altum sapias: quoniam Deus superbiis resistit, humilibus dat gratiam (*Jac. iv, 6*).

10. Jam vero cum in his diutius fueris exercitatus, roga dari tibi devotionis lumen, diem serenissimam,

et Sabbatum mentis, in quo, tanquam emeritus miles, in laboribus universis vivas absque labore, dilatato nimirum corde currens viam mandatorum Dei; ut quod prius cum amaritudine et coactione tui spiritus faciebas, de cætero jam cum summa dulcedine peragas et delectatione. Hanc, ni fallor, gratiam petebat qui ait: *Remitte mihi ut refrigerer* (Psal. xxxviii, 14); ac si dicat, Quousque in sudore et dolore isto crucior, et morte afficior tota die? *Remitte mihi ut refrigerer*. Verum, et ad hanc quidem perfectionem pauci, ni fallor, perveniunt in hac vita. Neque enim si quis aliquando videtur hanc habere, continuo credat sibi necesse est, maxime si novitius est, nec [alias sed necdum] per præfatos ascendit gradus. Pius enim Dominus noster Jesus Christus pusillos corde blanditiis talibus solet allicere. Sed noverint qui hujusmodi sunt, gratiam hanc præstitam sibi esse, non datam, ut in die bonorum memores sint malorum, et in die malorum non immemores sint bonorum. Longe aliter qui exercitatos habent sensus, devotionis hujus felici fruuntur jucunditate. Sed multi tota vita sua ad hoc tendunt, et nunquam pertendunt; quibus tamen, si pie et perseveranter conati sunt, statim ut de corpore exeunt, redditur quod in hac vita dispensatorie est negatum, illuc perducente eos sola gratia, quo prius tendebant ipsi cum gratia, in consummati in brevi, expleant tempora multa.]

11. Illis vero qui ad hanc devotionis gratiam perveniunt, unum videtur restare periculum, et omnino timendum eis a dæmonio meridiano: *Ipse enim Satanæ transfiguratur se in angelum lucis* (II Cor. xi, 14). Hoc ergo timendum ei qui tanta delectatione omnia facit, ne, dum sequitur affectionem, corpus destruat per immoderatam exercitationem, ac deinde necesse habeat, non sine magno spiritualis exercitiæ detrimento, circa debilitati curam corporis occupari. Ergo ne incurrat qui currit, illuminari necesse est lumine discretionis, quæ mater virtutum est, et consummatio perfectionis. Hæc nimirum docet, ne quid nimis; atque hæc est octava dies in qua circumciditur puer: quia discretio vere circumcidit, ut non plus nec minus fiat. Nam et qui nimis est, fructum boni operis abscondit, non circumcidit; sicut qui tepidus est, si minus facit. In hac ergo die nomen imponitur, et nomen salutis; nec de eo qui sic conversatur dubitem dicere quod suam ipsius salutem operetur. Usque ad hunc enim diem dicere possunt angeli, qui norunt secreta cœlestia; sed ego nunc primum ei fiducialiter nomen salutis impono. At vero, quia omnino rara ista avis est in terris (JUVEN. sat. vi), hujus discretionis locum in vobis, fratres, suppleat virtus obedientiæ, ut nihil plus, nihil minus nihil aliter quam imperatum sit, faciatis.

IN EPIPHANIA DOMINI

SERMO I.

De verbis Apostoli, « Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei, » (Tit. iii, 4), et de tribus Christi apparitionibus.

1. Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei. Gratias Deo, per quem sic abundat consolatio nostra in hac peregrinatione, in hoc exsilio, 796 in hac miseria. Super his namque sæpius vos admonere curamus, ut nunquam mente excidat, peregrinos nos esse, longe factos a patria, pulsos hæreditate. Quisquis enim desolationem non novit, nec consolationem agnoscere potest. Quisquis consolationem ignorat esse necessariam, superest ut non habeat Dei gratiam (13). Inde est quod homines sæculi negotiis et flagitiis implicati, dum miseriam non sentiunt, non attendunt misericordiam. Vos quibus non frustra dictum est, *Vacate et videte quoniam suavis est Dominus* (Psal. xlv, 11); et de quibus idem propheta: *Virtutem, inquit, operum suorum annuntiavit populo suo* (Psal. cx, 6); vos, inquam, quos non detinet occupatio sæcularis, atten-

C dite quænam sit consolatio spiritualis. Vos qui non ignoratis exsilium, audite quia de cœlo venit auxilium. Apparuit enim benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei. Priusquam appareret humanitas, latebat benignitas; siquidem et prius erat: nam et misericordia Domini ab æterno est. Sed unde tanta agnoscere poterat? Promittebatur, sed non sentiebatur; unde et a multis non credebatur. Multifarie quippe multisque modis loquebatur Dominus in prophetis (Hebr. i, 1), *Ego, inquit, cogito cogitationes pacis, et non afflictionis* (Jerem. xxix, 11). Sed quid respondebat homo, afflictionem sentiens, pacem nesciens? Quousque dicitis, *Pax, pax, et non est pax* (Ezech. xiii, 10)? Propter hoc angeli pacis amare flebant (Isa. xxxiii, 7), dicentes: *Domine, quis credidit auditui nostro* (id. lxxi, 1)? Sed nunc credant homines vel visui suo, quia *testimonia Dei credibilia facta sunt nimis* (Psal. xcii, 5). Ut enim nec turbatum quidem oculum lateat, *in sole posuit tabernaculum suum* (Psal. xviii, 6).

2. Ecce pax non promissa, sed missa; non dilata,

(13) Id est, consequens est ut non habeat Dei gratiam, quæ non nisi petentibus, et miseriam suam agnoscentibus datur, nec servatur nisi iis qui timent ne eam amittant, infra sermone 1 post octavam Epiphaniæ, num. 5, et sermone 2, num. 8. Quibus adde sermonem 1 in psalmum xc, num. 4. Unde

sermone 5 in Dedicatione ecclesiæ, num. 8: « Excludit miseriæ dissimulatio miserationem, nec dignatio locum habet, ubi fuerit præsumptio dignitatis. » Confer librum de Vita Bernardi, num. 36 et 37.

sed data; non prophetata, sed præsentata. Ecce quasi saccum plenum misericordia sua Deus Pater misit in terram; saccum, inquam, in passione concidendum, ut effundatur quod in eo latet pretium nostrum; saccum utique, etsi parvum, sed plenum. Parvulus siquidem datus est nobis, sed in quo habitat omnis plenitudo divinitatis. Postquam enim venit plenitudo temporis, venit et plenitudo divinitatis. Venit in carne, ut vel sic carnalibus exhiberetur, et apparente humanitate benignitas agnosceretur. Ubi enim Dei innotescit humanitas, jam benignitas latere non potest. In quo enim magis commendare poterat benignitatem suam, quam suscipiendo carnem meam? Mean, inquam, non carnem Adam, id est non qualem ille habuit ante culpam. Quid tantopere declaret ejus misericordiam, quam quod ipsam suscepit miseriam? Quid ita pietate plenum, quam quod Dei Verbum propter nos factum est senum? *Domine, quid est homo quia reputas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?* (*Job. vii, 17.*) Hinc attendat homo quanta sit cura ejus Deo; hinc sciat quid de eo cogitet aut quid sentiat. Non interrogas, o homo, ea quæ pateris, sed quæ passus est ille. Quanti te fecit, ex his quæ pro te factus est, agnosce, ut appareat tibi benignitas ejus ex humanitate. Quanto enim minorem se fecit in humanitate, tanto majorem exhibuit in bonitate; et quanto pro me vilior, tanto mihi charior est. *Apparuit*, inquit Apostolus, *benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei.* Magna plane et manifesta benignitas Dei et humanitas! et magnum benignitatis indicium declaravit, qui humanitati addere nomen Dei curavit.

3. Et quidem ad Mariam missus Gabriel angelus Filium Dei loquitur, sed non nominat Deum. Benedictus Deus, qui talem nobis de nobis ipsis Angelum dedit, ut noster ipse suppleret quod ille non dixit. Nam et ipse spiritum Dei habuit, et ejus spiritu locutus est, quod nobis valde necessarium fuit. Quid enim sic instruit fidem, spem roborat, charitatem accendit, quomodo humanitas Dei? Sed Angelo nostro id reservatum est quod alii tacuerunt. Neque enim omnes **797** omnia dicere congruum erat, ut a diversis diversa colligere gratulemur, et debitas singulis gratias referamus. Attamen unum est in quo conveniunt Apostolus et angeli qui de Christi nativitate loquuntur, id est in nomine Salvatoris. Ad Mariam quidem, tanquam plenus edoctam per Spiritum, Gabriel loquens indicat nomen solum: *Et vocabis*, inquit, *nomen ejus Jesum* (*Luc. 1, 31*). Ad Joseph veniens angelus non solum nomen protulit, sed et causam ejus interpretatus edocuit, dicens: *Et vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* (*Matth. 1, 21*). Sed et pastoribus quoque annuntiatur gaudium magnum, natum illis Salvatorem Christum Dominum (*Luc. 2, 10, 11*). Simile aliquid Paulus loquitur: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei.* Bene dulce nomen nullus ex ipsis tacuit,

A qui hoc mihi maxime necessarium fuit. Alioquin quid agerem, audiens Dominum venientem? Nunquid non fugerem, sicut Adam cui a facie ejus fugit, sed non effugit? Nonne desperarem, audiens quia venit ille cuius legem sic prævaricatus sum, cujus patientia sic abusus sum, cujus beneficio tam ingratus inventus sum? Quæ vero major consolatio poterat esse, quam in dulci vocabulo, in nomine consolatorio? Propterea et ipse dicit quia *non venit Filius ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum* (*Joan. iii, 17*). Jam confidenter accedo, jam supplico fiducialiter. Quid enim timeam, quando Salvator venit in domum meam? Ei soli peccavi; donatum erit quidquid indulerit ille; utique enim licet ei quod vult facere. Deus est qui justificat, quis est qui condemnet? aut quis accusabit adversus electos Dei? (*Rom. viii, 33, 34.*) Propterea gaudere nos oportet, quod in nostra venerit; nunc enim facilis ad indulgentiam erit.

4. Denique parvulus est: leviter placari potest. Quis enim nesciat quia puer facile donat? Ecce si non fuerit nobis pro minimo, possumus reconciliari pro minimo. Pro minimo, inquam, non tamen sine pœnitentia; sed quia minimum quiddam sit nostra ipsa pœnitentia. Pauperes sumus, parum dare possumus; attamen reconciliari possumus pro parvo illo, si volumus. Totum quod dare possum, miserum corpus istud est; illud si dederò, satis est. Si quominus, addo et corpus ipsius: nam illud de meo est, et meum est. *Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis* (*Isai. ix, 6*). De te, Domine, suppleo, quod minus habeo in me. O dulcissima reconciliatio! o satisfactio suavissima! o vere reconciliatio facilis, sed perutilis! satisfactio parva, sed non parvipendenda! Etenim quam facilis modo, tam difficilis erit postea; et sicut modo nemo est qui reconciliari non possit, ita post paululum nemo qui possit: quoniam sicut benignitas apparuit ultra omnem spem, ultra omnem humanam æstimationem. similem expectare possumus iudicii districtiorem. Noli ergo contemnere Dei misericordiam, si non sentire vis justitiam, sed iram, sed indignationem, sed æmulationem, sed furem. Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Ut enim scires quanta districtio succedit, tanta illam mansuetudo prævenit. Ex magnitudine indulgentiæ, magnitudinem ultionis attende. Immensus est enim Deus et infinitus in justitia, sicut et in misericordia; multus ad ignoscendum, multus ad ulciscendum. Sed misericordia quidem priora sibi vindicat; ut, si voluerimus, districtio invenire non possit in quem sæviat. Propter hoc enim benignitatem prærogavit, ut per eam reconciliati severitatem videamus securi. Propterea voluit non solum ad terras descendere, sed etiam innotescere; non solum nasci, sed et agnosci.

5. Denique propter hanc agnitionem dies ista celebris habetur, et insignis dies apparitionis. Hodie enim magi ab Oriente venerunt, ortum Solem justitiæ requirentes, cum de quo legitur: *Ecce vir,*

Oriens nomen illi (Zach. vi, 12). Hodie adoraverunt novum Virginis partum, sequentes novi sideris ductum. Nonne et hic nobis est magna consolatio, sicut in illo, de quo locuti sumus, Apostoli verbo? Ille dixit Deum; isti non voce, **798** sed opere dicunt. Quid facitis, o Magi? Quid facitis? Lactentem puerum adoratis, in turgurio vili, in vilibus pannis! Ergone Deus est iste? Deus certe in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes ejus; et vos eum quæritis in vili stabulo, in matris gremio. Quid facitis, quod et aurum offertis? Ergo rex est ipse? Et ubi aula regia, ubi thronus, ubi curiæ regalis frequentia? Nunquid aula est stabulum, thronus præsepium, curiæ frequentia Joseph et Maria? Quomodo ita insipientes facti sunt viri sapientes, ut adorent parvulum despiciabilem tam sua ætate quam paupertate suorum? Insipientes facti sunt, ut fierent sapientes, et prædocuit eos Spiritus quod postea prædicavit Apostolus: *Qui vult sapiens esse, stultus fiat, ut sit sapiens* (I Cor. iii, 18). *Quia enim per sapientiam mundus in sapientia sua Deum cognoscere non poterat, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos fieri credentes* (I Cor. i, 21). Nonne timendum erat, fratres, ne scandalizarentur viri isti, et illusos se crederent, cum tanta indigna viderent? A regia civitate, ubi regem quærendum conjectabant, ad Bethlehem vilam parvulam diriguntur; ingrediuntur stabulum, inveniunt involutum pannis infantulum. Non illis sordet stabulum, non pannis offenduntur, non scandalizantur lactentis infantia; procidunt, venerantur ut regem, adorant ut Deum. Sed profecto qui illos adduxit, ipse et instruxit; et qui per stellam foris admonuit, ipse in occulto cordis edocuit. Hæc igitur Domini declaratio clarificavit hanc diem, et Magorum devota veneratio devotam fecit et venerabilem.

6. Nec sola hæc apparitio, sed altera quædam, sicut a patribus nostris accepimus, hodie celebratur; quæ, etsi longo post tempore, facta creditur hoc ipso die. Cum enim jam Christus triginta annorum tempus exegisset in carne, qui secundum divinitatem idem ipse est, et anni ejus non deficient, inter populares turbas ad baptismum Joannis advenit; venit tanquam unus e populo, qui solus erat sine peccato. Quis eum tunc crederet Filium Dei? quis putaret Dominum majestatis? Valde quidem humiliaris, Domine; in imis absconderis, sed Joannem latere non poteris. Nonne ipse est, qui per maternum uterum, te nondum natum nondum natus agnovit? Nonne ipse est qui per utriusque materni uteri parietes te agnovit; et, quia turbis clamare non potuit, saltem matrem suam motu exsultationis edocuit? *Luc. ii, 41.* Nunc autem quid? *Vidit eum Joannes, ait evangelista, venientem ad se, et ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (Joan. i, 29). Vere agnus, vere humilis, vere mansuetus. *Ecce*, inquit, *Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* En ipse qui purgationem faciat delictorum, ecce sentinam nostram purgaturus advenit: et tamen post hoc testi-

monium baptizari vult a Joanne. Tremat ille. Quid mirum? quid, inquam, mirum, si tremat homo, nec audet attingere sanctum Dei verticem, caput adorandum angelis, reverendum Potestatibus, tremendum Principatibus? Baptizari vis, Domine Jesu? Ut quid enim, aut quid tibi opus fuit baptismo? Nunquid sano opus est medicina, aut inundatione mundo? Unde tibi peccatum, ut baptisma sit necessarium? Nunquid a patre? At patrem quidem habes, sed Deum; et æqualis es illi, Deus de Deo, lumen de lumine. Nam in Deum peccatum cadere non posse quis nesciat? An vero de Matre? Nam et Matrem habes, sed virgo est. Quod ergo peccatum ex ea trahere potuisti, quæ te sine iniquitate concepit, et salva integritate peperit? Quam maculam habere potest Agnus sine macula? *Ego*, inquit Joannes, *te debeo baptizari, et tu venis ad me?* Magna utrimque humilitas, sed nulla comparatio. Quomodo enim non humiliaretur homo coram humili Deo? *Sine modo*, inquit Dominus: *deceat enim sic nos implere omnem justitiam* (Matth. iii, 14, 15). Acquivit Joannes, et obedivit: baptizavit Agnum Dei, et aquas lavit. Nos abluti sumus, non ille: quia nobis lavandis aquæ cognoscuntur ablutæ.

7. Sed fortassis minus credis Joannis testimonio, **799** quia et ipse homo est, et potes habere suspectum; cognatus ejus est cui testimonium perhibet. Ecce testimonium majus Joanne, testimonium advenientis columbæ. Nec incongrue ad indicandum Agnum Dei venit columba; quia nihil melius agno convenit quam columba. Quod agnus in animalibus, hoc columba in avibus est. Summæ utriusque innocentia, summæ mansuetudo, summa simplicitas. Quid enim sic alienum ab omni malitia, sicut agnus et columba? Nocere cuiquam nesciunt, lædere non noverunt. Sed ne fortuito casu id evenisse causeris, ecce testimonium Dei Patris. Ecce Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas (*Psal. xxviii, 3*), et Vox Patris audita est: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (Matth. iii, 17). Vere enim hic est, in quo non est quod Patri displiceat, quod oculos majestatis offendat. Unde et ipse ait: *Quia quæ placita sunt ei, facio semper* (Joan. viii, 29). *Ipsam*, inquit, *audite.* Ecce, Domine Jesu, vel jam nunc loquere. Quousque siles? quousque dissimulas? Diu tacuisti, et valde diu; sed jam nunc loquendi licentiam habes a Patre. Quandiu, Dei virtus et Dei sapientia, quasi infirmus aliquis et insipiens, lates in populo? Quandiu, nobilis Rex, et Rex cœli, fabri filium te pateris appellari pariter et putari? Etenim Lucas evangelista testatur quoniam *adhuc filius Joseph putabatur.* (*Luc. iii, 23.*) O humilitas, virtus Christi! o humilitatis sublimitas! quantum confundis superbiam nostræ vanitatis? Parum aliquid scio, vel magis scire mihi videor, et jam silere non possum, impudenter me et imprudenter ingerens et ostentans, promptus ad loquendum, velox ad docendum, tardus ad audiendum. Et Christus cum tanto tempore silebat cum se ipsum

abscondebat, nunquid inanem gloriam metuebat? Quid timeret ab inani gloria, qui est vera gloria Patris? Utiq̄ue timebat; sed non sibi. Nobis timebat ab illa, quibus noverat esse timendum; nobis cavebat, nos instruebat. Tacebat ore, sed instruebat opere; et quod postea docuit verbo, jam clamabat exemplo: *Dicite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth. xi, 29*). Nam de infantia Domini parum aliquid audio; extunc jam usque ad hunc tricesimum annum nihil invenio. Nunc vero jam latere non potest, qui tam manifeste demonstratur a Patre. Nam in prima quoque apparitione cum matre virgine voluit apparere, quod verecundia quædam in virginitate signaretur.

8. Tertia quoque apparitio ejus in Evangelio invenitur: et hæc nihilominus hodie celebratur. Invitatus enim ad nuptias Dominus, vino deficiente, compassus eorum verecundiæ, aquam mutavit in vinum. *Hoc etiam*, sicut ait evangelista, *signorum ejus fuit initium* (*Joan. ii, 11*). Itaque in prima apparitione homo verus innotuit, ubi inter ubera matris infans apparuit; in secunda vero, verum esse Dei Filium Patris indicat testimonium; in tertia vero, verus esse Deus demonstratur, ad cujus imperium natura mutatur. Tot testimoniis hodie confirmatur fides nostra, tot iudiciis roboratur spes nostra, tot incentivis inflammatur charitas nostra.

SERMO II.

*De Magis, ubi exponitur illud de Canticis, iii, 11, « Egre-
dimini, filiæ Sion, et videte regem Salomonem. »*

1. Tres apparitiones Domini legimus: una quidem die, sed non uno tempore factas. Et quidem mirabilis secunda, mirabilis tertia; sed prima apparitio mirabilis admiranda. Mirabilis aquarum mutatio, mirabilis Joannis et columbæ pariter et paternæ vocis attestatio; sed illud mirabile magis, quod agnitus est a Magis. Nam quod Deum agnoscant, indicat adoratio, indicat thuris oblatio. Nec solum Deum, sed et regem agnoscunt, quod designatur in auro. Et in his non latet eos magnum pietatis sacramentum: **800** unde et in myrrha indicant moriturum. Adorant Magi, et offerunt munera adhuc sugenti matris ubera. Sed ubi est, o Magi, ubi est purpura regis hujus? Nunquid viles panni isti, quibus est involutus? Si rex est, diadema ejus ubi est? Sed vos eum vere videtis in diademate, quo coronavit eum Mater sua, in sacco mortalitatis, de quo resurgens ait: *Quia conscidisti saccum meum, et circumdediti me laticia* (*Psal. xxix, 12*). *Egre-
dimini, filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua*, etc. Egre-
dimini, virtutes angelicæ, incolæ civitatis supernæ. Ecce rex vester, sed in corona nostra, in diademate, quo coronavit eum mater sua. Sed his deliciis usque modo caruistis, hanc hæcenus dulcedinem non gustastis. Habetis sublimitatem ejus, sed humilitatem ejus non vidistis. Egre-
dimini igitur, et vi-

detete regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua

2. Verumtamen non est opus illis nostra exhortatione, quoniam ipsi sunt qui desiderant in illum prospicere. Illis enim quanto sublimitas notior, tanto humilitas pretiosior et amabilior est. Unde, (licet nobis major sit causa lætitiæ: nobis enim natus est, et nobis datus,) tamen ipsi nos præveniunt, ipsi nos exhortantur. Probat hoc angelus, qui gaudium magnū evangelizat pastoribus, et quæ cum eo facta est multitudo cælestis exercitus (*Luc. ii, 10, 13*). Vobis ergo dicimus, filiæ Sion, animæ sæculares, debiles, delicatæ filiæ, et non filii, in quibus nihil est fortitudinis, nihil est virilis animi: *Egre-
dimini, filiæ Sion*. Egre-
dimini de sensu carnis ad intellectum mentis, de servitute carnalis concupiscentiæ ad libertatem spiritualis intelligentiæ. Egre-
dimini de terra vestra, et de cognatione vestra, et de domo patris vestri, *et videte regem Salomonem*; alioquin non erit tutum vobis videre eum Ecclesiasten. Idem enim qui Salomon, id est pacificus, in exsilio est (*14*), Ecclesiastes, id est concionator, erit in iudicio, *Idida*, id est dilectus Domini, in regno. In exsilio mansuetus et amabilis, in iudicio justus et terribilis, in regno gloriosus et admirabilis. Egre-
dimini igitur, et videte regem Salomonem: nam ubique rex est. Licet enim regnum ejus non sit de hoc mundo, tamen rex est etiam in hoc mundo. Interrogatus siquidem, *Ergo rex es tu?* *Ego*, inquit, *in hoc natus sum, et in hoc veni in mundum* (*Joan. xviii, 37*). Hic ergo rector est morum, in iudicio discretor meritorum, in regno distributor præmiorum.

3. Egre-
dimini proinde, filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua, in corona paupertatis, in corona miseriæ. Siquidem coronatus est et a noverca sua corona spinea, corona miseriæ; coronandus a familia sua corona justitiæ, quando exhibunt angeli, et tollent e regno ejus omnia scandala, quando veniet ad iudicium cum senioribus populi sui; cum pugnabit pro eo orbis terræ adversus insensatos. Coronat eum et Pater corona gloriæ, sicut ait Psalmista: *Gloria et honore coronasti eum, Domine* (*Psal. viii, 6*). Videte eum, filiæ Sion, in diademate, quo coronavit eum mater sua. Suscipite coronam parvuli propter vos regis vestri, et una cum Magis humilitatem ejus adorate, quorum fidei devotio vobis hodie proponitur in exemplum. Cui enim comparabimus, et cui similes æstimabimus viros istos? Si latronis fidem, si centurionis confessionem considero, in eo superexcellere videntur isti, quod jam tunc miracula multa fecerat, jam tunc a multis prædicatus fuerat, a multis adoratus. Attamen consideremus quid et illi dixerint. Clamabat latro de cruce: *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum* (*Luc. xxiii, 42*). Ergone per supplicium ille vadit in regnum? Quis indicavit tibi quoniam oportebat pati Christum, et sic intrare in gloriam suam? Tu quo-

(14) Quæ abhinc sequuntur ad finem sectionis, totidem verbis leguntur in sermone 50 de Diversis.

que, centurio, eum unde nosti? *Videns quod sic clamans exspirasset: Vere, inquit, hic homo Filius Dei erat (Marc. xv, 39).* Mira res, et omni admiratione digna!

SOI 4. Propterea, rogo vos, intuemini et videte quam oculata sit fides; quam lynceos oculos habeat, diligentius considerate. Cognoscit Dei Filium lactentem, cognoscit in ligno pendentem, cognoscit morientem: siquidem latro in patibulo, Magi in stabulo cognoscunt; ille clavis infixum, isti panis involutum; centurio vero vitam agnovit in morte. Isti Dei virtutem in teneri corporis infirmitate, ille summum Spiritum in expiratione. Isti Dei Verbum in infantia cognovere: siquidem quidquid illi sermonibus, isti muneribus confitentur. Latro regem, centurio Dei Filium simul et hominem pronuntiat. Et quid hæc tria ipsa magorum munera indicant, nisi quod in thure non tam Dei Filium monstravere, quam Deum? Obsecramus ergo, charissimi, prosit vobis tanta charitas, quam nobis Deus majestatis exhibuit; tanta humilitas, quam suscepit; tanta benignitas, quæ nobis per Christi humilitatem apparuit. Agamus gratias Redemptori et mediatori nostro, per quem nobis innotuit tam bona erga nos voluntas Dei Patris; siquidem talem jam novimus ejus animum, ut non immerito dicamus: Sic currimus, non quasi in incertum (*I Cor. ix, 26*). Profecto enim tale est erga nos cor Dei Patris, quale nobis expressit qui de ejus corde processit.

SERMO III.

De lectione evangelica, « Ubi est qui natus est Rex Judæorum? » (Matth. ii, 1-11).

1. Necessarium nobis videtur, fratres, juxta cæterarum solemnitatuum consuetudinem, etiam solemnitatis hodiernæ vobis exponere rationem. Interdum enim contra vitia loquimur, et genus illud sermonis perutile; sed diebus cæteris videtur opportunius convenire. Festivis autem, et maxime in præcipuis solemnitatibus, magis circa ea quæ solemnitatis sunt, immorandum videtur, ut pariter et erudiat animus, et excitetur affectus. Quomodo enim celebrabitis quod nescitis? aut quomodo scietis, nisi annuntietur vobis? Propterea non sit molestum his qui sunt in lege periti, si parum doctis morem gerimus, ut exigit ratio charitatis. Credo enim ne ipsos quidem suis epulis esse fraudandos, si minus eruditus, tanquam popularibus turbis, grossiores prius apposuerint cibos. Ita vero apponent, si fraternæ charitatis intuitu placuerint eis quæ necessaria sunt non satis intelligentibus, etsi fortasse minus necessaria videantur. Sic autem fragmenta postmodum recolligent sibi ipsis, si diligentius recogitantes subtiliora quæque, tanquam munda animalia ruminaverint quæ parum intelligibiles animos præ subtilitate effugerint.

2. Solemnitas igitur hodiernæ diei ab apparitione nomen accepit. Epiphania quippe apparitio est. Hodie ergo apparitio Domini celebratur, non tantum

una, sed trina, sicut a patribus nostris accepimus. Hodie enim parvulus rex noster, paucis a Nativitate diebus transactis, stella declarante primitiis gentium apparuit. Hodie quoque, cum jam triginta ferme in dispensatione carnis egisset annos (qui secundum divinitatem idem ipse est, et anni ejus non deficiunt), inter populares turbas absconditus, ad Jordanem baptizandus advenit; sed testimonio Dei Patris innotuit (*Matth. iii, 13-17*). Hodie nihilominus cum discipulis suis vocatus ad nuptias, deficiente vino, signo admirabili suæ potentiæ aquas in vinum mutavit (*Joan. ii, 1-11*). Sed delectat eam, quæ in infantia Salvatoris facta est, apparitionem diligentius intueri, quoniam et dulcissima est, et specialius hodie noscitur celebrari.

B 3. Hodie ergo, sicut audivimus in evangelica lectione, Magi Jerosolymam venerunt ab Oriente. Merito sane ab Oriente veniunt, qui Solis justitiæ novum nobis ortum annuntiant, qui lætis rumoribus totum mundum illuminant; nisi quod infelix Judæa, **SO2** quia lucem oderat, ad fulgorem novæ claritatis obtenebratur, et caligantes oculi ejus coruscante radio Solis æterni multo magis excæcantur. Venientes ergo ab Oriente Magi, quid dixerint audiamus: *Ubi est, qui natus est Rex Judæorum? Quam certa fides, et nihil penitus hasitans! Non quærunt utrum natus sit; sed fiducialiter loquuntur, et interrogant sine dubitatione, ubi sit qui natus est Rex Judæorum.* Porro, audito nomine regis, rex Herodes successorem suspicatus expavit. Nec mirum si turbatur Herodes; sed quod Jerusalem civitas Dei, quæ visio pacis est, cum Herode turbatur, quis non miretur? Videte, fratres, quantum noceat iniqua potestas; quomodo caput impij subjectos quoque suæ conformat impietati. Misera plane civitas, in qua regnat Herodes; quoniam Herodianæ sine dubio particeps erit malitiæ, et ad novæ salutis ortum Herodiana movebitur turbatione. Confido ego in Domino, quoniam inter nos minime regnabit, etiamsi adesse contingat; quod et ipsum Deus avertat! Nam Herodiana malitia et Babylonica crudelitas est, nascentem velle extinguere religionem, et allidere parvulos Israelis. Si quid enim ad salutem pertinens, si quid religionis oritur, quicumque resistit, quicumque repugnat, plane cum Ægyptiis parvulos Israelitici germinis necare conatur; imo cum Herode nascentem persequitur Salvatorem. Sed jam inchoatam prosequamur historiam. Credo, si quis conscius est hujus rei, studiosius sibi cavebit de cætero; et Herodianum execrabitur animum, ne similem exitum sortiatur.

4. Ergo quærentibus Magis Regem Judæorum, et sciscitante a Scribis Herode Dominicæ Nativitatis locum, illi juxta prophetam nomen civitatis edicunt. Cumque recessissent Magi, et reliquissent Judæos, *ecce stella quam viderant in Oriente, antecibat eos.* Hinc manifeste datur intelligi quoniam, humanum flagitantes consilium, divinum amiserunt ducatum; et conversos ad terrenum documentum, signum cœlestic

deseruit. Unde et relicto Herode, continuo gavisus est gaudio magno valde. Stella enim antecedebat eos, usque dum veniens staret supra ubi puer erat. *Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentem adoraverunt eum.* Unde vobis hoc, o alienigenæ? Neque enim tantam invenimus fidem in Israel. Sic vos non offendit vilis habitatio stabuli, non pauperes cunæ præsepîi? non vos pauperis matris præsentia, non lactentis infantia scandalizat?

5. Denique *apertis thesauris suis*, ait evangelista, obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham. Si solum obtulissent aurum, videri fortasse poterant paupertati matris voluisse consulere, ut haberet nimirum unde parvulum posset filium educare. Nunc autem offerentes pariter aurum, thus et myrrham; sine dubio spiritualis oblationis genus insinuant. Aurum enim inter divitias sæculi videtur excellere; quod per ejus gratiam omnes nos devote obtulimus Salvatori, cum pro ejus nomine ex integro derelinquimus substantiam hujus mundi. Jam vero necesse est ut, qui perfecte terrena contempsimus, flagranti desiderio cœlestia requiramus. Sic enim offerimus et thuris odoramentum; quo nimirum, ut in Apocalypsi beati Joannis legis, significantur orationes sanctorum (Apoc. v. 8). Unde et Propheta in psalmo: *Dirigatur, inquit, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo (Psal. cxi, 2).* Sic et in alio loco legis, quia *oratio justî cœlos penetrat (Eccli. xxxv, 21).* Oratio, inquam, non cujuslibet, sed justî. Nam qui avertit aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.

6. Porro si justus esse volueris, et non avertere aurem tuam a mandatis Domini, ne avertat et ipse suam a precibus tuis, necesse est ut non solum præsens sæculum contemnas, sed et ipsam carnem castiges, et subicias servituti. Nam qui dixit: *Nisi quis abrenuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus (Luc. xiv, 33),* et alibi: *Si vis esse perfectus, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me (Math. xix, 21),* idem ipse in alio loco ait: *Qui vult venire post me, **803** abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me (Luc. ix, 23).* Quod exponens Apostolus: *Quicumque, inquit, sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis (Galat. v, 24).* Duas igitur alas habeat oratio nostra, contemptum mundi, et afflictionem carnis; nec dubium quin cœlos penetret, et dirigatur sicut incensum in conspectu Dei. Erit enim gratum sacrificium, et acceptabilis oblatio nostra, in qua cum auro et thure fuerit etiam et myrrha; quæ, licet amara sit, tamen perutilis est, et conservat corpus quod mortuum est propter peccatum, ne defluens in vitium putrescat. Hæc breviter pro imitanda Magorum oblatione sint dicta.

7. Cæterum quoniam apparitionem hanc esse diximus, quid in ea appareat, dignum est ut quæramus. Utique secundum verba Apostoli: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei (Tit. iii,*

4). Ecce enim in evangelica lectione audivimus quoniam *intrantes domum Magi invenerunt puerum cum Maria matre ejus.* In infantili corpore, quod virgineo mater fovebat in gremio, quid nisi veritas susceptæ carnis apparuit? Quid in eo quod cum matre parvulus invenitur, nisi verus homo et verus hominis filius declaratur? Jam vero et in secunda apparitione vide si non manifeste vocis paternæ testimonio Dei Filius approbatur. Cœli namque aperti sunt super eum, et descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in illum, et vox Patris audita est: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui (Math. iii, 17).* Satis equidem manifestum est ex hoc ipso, satis evidens et indubitabile, quoniam Dei Filium necesse est Deum esse. Nam et filios hominum homines, et ipsorum quoque animalium fetus ex eodem cum eis genere esse nemo est qui dubitet. Veruntamen, ut nullus sacrilego errori remaneat locus, qui in prima apparitione verus homo et filius hominis est declaratus, et in secunda verus nihilominus Dei Filius, in tertia jam verus Deus et auctor naturæ probatur, ad cujus nutum natura mutatur. Nos ergo, dilectissimi, Christum Jesum diligamus ut verum hominem et fratrem nostrum, honoremus ut Dei Filium, adoremus ut Deum. Secure credamus in eum, secure credamus ei nos ipsos, fratres mei, cui nec potestas deest salvandi nos, cum sit verus Deus, et Dei Filius, nec bona voluntas, cum sit tanquam unus ex nobis verus homo, et hominis filius. Quomodo namque nobis erit inexorabilis, propter quos factus est similis nobis passibilis?

8. Jam si desideratis super his apparitionibus aliquid ad ædificationem morum audire, illud attendite, quod primo omnium Christus apparuit puer cum Virgine matre, ut simplicitatem et verecundiam ante omnia querendam nobis doceat esse. Nam et pueris simplicitas naturalis, et cognata virginibus verecundia est. Omnibus ergo nobis in conversionis nostræ initio nulla magis virtus necessaria est, quam simplicitas humilis, et gravitas verecunda. In secunda vero apparitione venit Salvator ad aquas baptismi, non quidem lavandus, sed magis a Patre testimonium accepturus. Hæc sunt lacrymæ devotionis, in quibus non indulgentia peccatorum, sed beneplacitum quæritur Dei Patris, cum descendit in nos spiritus adoptionis filiorum, testimonium perhibens spiritui nostro quod sumus filii Dei, ut mellifluam nobis vocem de cœlo videamur audire, quia vere Deus Pater in nobis complaceat sibi. Nec parum distat inter has lacrymas devotionis, et ætatis utique jam virilis, atque eas quas primæva ætas inter infantia vagitus emisit, lacrymas utique poenitentia et confessionis. Veruntamen longe amplius utrisque præcellunt aliæ quedam lacrymæ, quibus et infunditur sapor vini. Illas enim lacrymas vere in vinum mutari dixerim, quæ fraternæ compassionis affectu in fervore prodeunt charitatis; pro qua etiam ad horam tui ipsius immemor esse sobria quadam ebrietate videris

IN OCTAVA EPIPHANIE.

804 SERMO.

De circumcissione, baptismo, et verbo Domini ad Joannem. « Sic decet nos implere omnem justitiam. » (Math. III, 15.)

4. Populo duræ cervicis cultellus erat necessarius, et lapideis cordibus merito cultri lapidei debebantur, qualibus a Jesu Nave facta circumcissio memoratur (*Josue. v, 2, 3*). Noster autem Jesus, tanquam agnus mansuetus, omnem austeritatem abstulit. Domine, agnus es cum lana et lacte veniens : aufer a me, obsecro, cultellum istum. Durum enim videtur et crudele, parvulo recens nato cultrum lapideum adhibere. Sic agit misericors. Duritiam, duris bene congruam servis, filiis commutavit in mansuetudinem, ut rubiginem originalis peccati, quam vix cultellus eradere poterat, ex hoc jam cum unctione gratiæ facile lavet aqua. Nihil ergo mirum si pro diversitate temporum mutata sint sacramenta, ut daretur utrisque quod congruum erat eis. Ipse vero Christus utrumque suscepit, ut tanquam lapis angularis utrique parieti cohereret, ac si duarum capita corrigiarum consuecundo connecteret, sicut et Pascha figuratum ipse complevit, et verum protinus inchoavit.

2. Sed et propterea voluit circumcidi, ut ostenderet auctorem se esse veteris legis, sicut et Evangelii ; quoniam qui per se ipsum ait : *Nisi, quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum* (*Joan. III, 5*), ipse idem per servum suum prius dixerat, *Omnis anima cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo* (*Gen. XVII, 14*). Quod si solum baptisma suscepisset, videri poterat fugisse circumcissionem, tanquam nihil ad se pertinentem. Si vero circumcideretur et non baptizaretur, quando mihi persuaderi posset baptizari, circumcissione relicta ? Nunc itaque post circumcissionem baptisma suscipiens, illud mihi tenendum tradidit, quod ultimo suscepit.

3. Denique communitatis amator et commendator, qui habitare facit unius moris in domo (*Psal. LXVII, 7*), quomodo communitatem desereret, et alios scandalizaret ? Sic enim scandalizarentur videntes eum non circumcidi, sicut hodie scandalizaretur Ecclesia, si infantem videret non baptizari. Nec solum communitatis et unitatis bonum commendare, sed humilitatem voluit exhibere ; ut ligaturam vulneratorum susciperet, qui solus erat absque vulnere. Hinc enim Apostolus dicit : *Misit Deus Filium suum in mundum, natum ex muliere, factum sub lege* (*Galat. IV, 4*).

4. Verum ne quis forte diceret : Quod circumcissus est parente fecerunt (parvulus enim erat), jam triginta annorum ad baptismum ipse perrexit. Inclinat sub Baptistæ manibus caput tremendum potestatibus, et principatibus adorandum. Quid

A mirum si Baptista contremuit ? Quis vel ipsa cogitatione non contremiscat ? O quam altum erit in judicio caput, quod modo sic inclinatur ! et vertex qui modo tam humilis videtur, quam sublimis et et excelsus tunc apparebit ! *Sine*, inquit, *modo : sic enim decet nos implere omnem justitiam*. Siquidem qui in plenitudine temporis venit, et in quo habitat plenitudo divinitatis, nihil novit nisi plenum. Nam et legem non venit solvere, sed implere (*Matth. V, 17*). Est autem justitia quædam stricta et angusta valde, ita ut quam cito pedem verteris, in peccati foveam cadas : nec præponere se æquali, nec æquare præposito. Hujus definitio est, reddere unicuique quod suum est. Altera latior et amplior justitia, nec æquare se pari, nec inferiori præponere. Sicut enim grandis et gravis est superbia, præferre se æquali, aut æquare prælato, ita magnæ humilitatis est, inferiorem se exhibere æquali, aut æqualem inferiori. Maxima et plena justitia est, se inferiorem exhibere etiam ipsi inferiori. Sicut enim summa et intolerabilis superbia est, superiori se præponere, ita inferiori se supponere [*alias*, subdere], summa et plena justitia est. Quod **805** Joannes ait, *Ego a te debeo baptizari* (*Matth. III, 14*), de prima fuit, quia superiori se subdidit : quod autem Christus fecit, de plena justitia fecit, siquidem ille servuli sui manibus se inclinavit.

C 5. Videat nunc quisque quem imitetur, hunc, an eum qui extollitur super omne quod creditur Deus, aut quod colitur (*II Thes. II, 4*). Studeamus et nos, obsecro, fratres, adimplere omnem justitiam. Ipsa enim est via per quam ad lætitiã venit. Nam lætitiã præmium est, justitiã vero meritum et materia. Nam de ipsa justitiã erit lætitiã nostra, quando Christus apparebit vita nostra, et nos apparebimus cum ipso in gloria ; quoniam ipse est qui factus est nobis a Deo Patre justitiã. Beati vero, qui etiam nunc de justitiã lætantur, et exhilarantur in conscientiis suis, sugentes mel de petra, oleumque de saxo durissimo. Nunc enim [*alias* autem] videtur laboriosa justitiã : sed veniet quando in suavitate et jucunditate sine omni labore desideretur et habeatur, ametur et percipiatur, quando fruamur ipsa justitiã. Væ autem his qui prætergrediuntur viam, qui, relicta justitiã, vanam et transitoriã lætitiã quærunt ! Cum enim de transitoriis quærunt lætitiã, non poterit non transire, transeuntibus his de quibus erat. Sicut enim lignis deficientibus deficit ignis, sic mundus transit, et concupiscentia ejus ; haud dubium quin et lætitiã quoque.

DOMINICA PRIMA POST OCTAVAM EPIPHANIÆ

SERMO I.

De miraculo facto in nuptiis, (Joan. II, 4-11); et de eo quod Dominus ait, « Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis. » (Luc. XII, 36.)

1. In lectione sancti Evangelii fratres, hodie audivimus quia Dominus noster ivit ad nuptias. Faciamus ergo quod alibi monet, et studeamus similes fieri hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis. Nam tenenti carrucam in agro, et vendenti aliquid vel ementi in foro, non dicimus: Quid expectas? neque enim similes sunt expectantibus. Ei vero quem videmus stare ante januam, pulsare crebrius, sæpius suspicere ad fenestras; nihil mirum si dicitur: Quid expectas? Illi ergo sunt similes expectantibus, qui non surda aure audierunt: *Vocate, et videte quoniam ego sum Deus (Psal. XLV, 11)*. Veniet Dominus expectantibus eum in veritate, qualis erat qui dicit: *Expectans expectavi Dominum (Psal. XXXIX, 1)*. Veniet tanquam revertens a nuptiis, inebriatus vino charitatis, et inmemor iniquitatumstrarum. Veniet non expectantibus, tanquam revertens a nuptiis, tanquam potens crapulatus a vino. Vere [alias Veniet] ebrius, et inmemor miserationum earum. Tunc enim, quantum ad illos, obliviscetur misereri Deus. Veniet in ira et indignatione, tanquam furibundus; sed, o Domine, ne in furore tuo arguas me. Hæc modo non tam de presentibus nuptiis, quam pro earum occasione sint dicta.

2. Jam vero sequamur una cum discipulis ad nuptias euntem Dominum, ut, videntes quod facturus est, pariter credamus cum illis. *Deficiente vino, dixit Mater Jesu ad eum: Vinum non habent*. Compassa est enim eorum recruditiæ, sicut misericors, sicut benignissima. Quid de fonte pietatis procederet, nisi pietas? Quid, inquam, mirum, si pietatem exhibent viscera pietatis? Nonne qui pomum in manu sua tenuerit dimidia die, reliqua dici parte pomus servabit odorem? Quantum igitur viscera illa virtus pietatis affecit, in quibus novem mensibus requievit? Nam et ante mentem replevit, quam ventrem; et cum processit ex utero, ab animo non recessit. Durior fortasse et austerior videri posset responsio Domini: sed noverat ille cui loqueretur; et quis loqueretur illa non ignorabat. Denique ut scias quomodo responsum ipsum acceperit, aut quantum de Filii benignitate præsumpserit, ait **806** ministris: *Quæcumque præceperit vobis, servate, et facite*.

3. Erant autem ibi lapideæ hydræ sex positæ. Has nunc hydras purificandis veris Judæis non littera, sed spiritu, necesse habemus apponere, vel magis appositæ demonstrare. Quia enim nondum pervenit Ecclesia ad perfectam purificationem, quando eam sibi Christus exhibebit gloriosam, non habentem maculam neque rugam, aut aliquid hu-

A Jusmodi; multis interim purificationibus opus habet, quatenus sicut abundant peccata, abundet et indulgentia; sicut multiplicatur miseria, sic et misericordia: nisi quod non sicut delictum, ita et donum. Gratia enim non solum peccata lavat, sed et merita donat. Sex igitur hydræ sunt positæ his qui post baptismum in peccata labuntur: de his enim loquimur, quia de his sumus. Exuimus tunicam veterem; sed, heu! pejus reinduimus eam. Lavimus pedes nostros: sed pejus inquinavimus eos. Sicut ergo quod alius inquinaverat, lavit alius, sic inquinatos a nobis lavari opus est a nobis. Aliena lavit aqua, quos culpa inquinaverat aliena. Nec tamen sic alienam dixerim, ut negem nostram; alioquin nec inquinaret. Sed aliena est, quia in Adam omnes nescientes peccavimus; nostra, quia, etsi in alio, nos tamen peccavimus, et nobis justo Dei judicio imputabatur, licet occulto. Verumtamen, ut jam non sit quod causeris, o homo, contra inobedientiam Adæ datur tibi obedientia Christi, ut, si gratis venundatus es, gratis etiam redimaris; si nesciens in Adam periisti, nesciens virificeris in Christo. Nescisti quando ad lignum vetitum vetus Adam tendit manus noxias; nescisti nihilominus quando in ligno salutifero innoxias manus Christus extendit. A primo homine in te manavit macula qua inquinatus es: a Christi latere aqua qua mundatus es. Nunc jam inquinatus propria culpa, propria nihilominus aqua mundaberis, ab illo tamen et per illum, qui solus est purgationem faciens peccatorum.

4. Prima ergo hydra et prima purgatio in compunctione est, de qua legimus quoniam, *in quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor (Ezech. XVIII, 21, 22)*. Secunda vero, confessio est. Omnia siquidem in confessione lavantur. Tertia, eleemosynarum largitio. Hinc enim habes in Evangelio: *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis (Luc. XI, 41)*. Quarta, remissio injuriarum, secundum quod orantes dicimus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris (Matth. VI, 12)*. Quinta est afflictio corporis; unde et oramus, ut mundi per abstinentiam, Deo canamus gloriam (Hymn. Eccles. ad Prim.). Sexta est obedientia præceptorum, sicut audierunt discipuli (quod utinam audire mereamur et nos!): *Vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis (Joan. XV, 3)*. Nimirum quia non erant sicut hi quibus dicitur, *Sermo meus non capit in vobis (Id. VIII, 37)*; sed in auditu verbi obaudierant ei. Hæc sunt sex hydræ positæ in purificationem nostram, quæ vacuæ sunt et plenæ vento, si pro inani gloria observantur. Aqua replentur, si timore Dei custodiantur, quoniam timor Domini fons vitæ. Aqua, inquam, timor Domini est, etsi minus sapida, sed optime refrigerans animam noxiis desideriiis æstuantem. Aqua est, quæ jacula

inimici ignita possat extinguere. Nam nec illud dissonat, quod aqua semper ima petit, et timor ad ima cogitationem deducit, et in inferioribus immoratur, atque loca horrenda pavida mente colustrat, juxta illud : *Vadant ad portas inferi (Isai. xxxviii, 10)*. Sed divina virtute aqua mutatur in vinum, quando perfecta charitas foras mittit timorem.

5. Dicuntur autem lapideæ hydræ, non tam propter duritiam, quam propter stabilitatem. *Cipientes singulæ metretas binas vel ternas*. Duæ metretæ, duplex timor : ne forte trudi in gehennam, ne forte ab æterna vita contingat excludi. Sed quia de contingente futuro sunt ista, et blandiri potest sibi anima dicens, Postquam aliquandiu in voluptatibus tuis vixeris, ages pœnitentiam, nec ista jam cariturus, nec periturus in illa ; bonum est adhibere et tertium, qui utique spiritualibus notus est, eo utilior, quo de præsentibus **807** est. Timent enim qui noverunt spirituales cibum, ne quando forte fraudentur eo. Cibo siquidem forti egent qui manum miserunt ad fortia. Vivant de paleis Ægypti, qui deserunt in operibus luti et lateris ; nobis fortior cibus est necessarius, quoniam nobis grandis restat via, ut ambulemus in fortitudine cibi illius. Ipse est panis angelorum, panis vivus, panis quotidianus. Hic est de quo nobis promissum est quia centuplum accipiemus in hoc sæculo (*Matth. xix, 29*). Sicut enim mercenariis et quotidianus cibus datur in opere et merces servatur in fine, sic Dominus vitam æternam in fine reddet, et interim centuplum repromittit, et exhibet (15). Quid ergo mirum si timet ne perdat hanc gratiam, qui jam consecutus est eam ? Hæc est metreta tertia, quam sub disjunctione signanter posuit, eo quod non omnium sit ; quia nec omnibus centuplum repromissum, sed solis qui omnia reliquerunt.

SERMO II.

De spiritualibus nuptiis in evangelica historia designatis [Alias, De mutatione aquæ in vinum]. (Joan. ii, 1-11.)

1. In operibus Domini, fratres, et minus capaces animos exterior consideratio pascit, et qui magis exercitatos habent sensus, solidiorem intus cibum inveniant, et suaviorem, tanquam adipem medullamque frumenti. Sunt enim et exteriori specie delectabilia, et interiori virtute multo delectabiliora ; quemadmodum et ipse exterius quidem speciosus erat forma præ filiis hominum, interius autem tanquam candor lucis æternæ, etiam ipsis supereminens vultibus angelorum. Apparebat enim foris homo sine culpa, caro sine peccato, agnus sine macula. Quam speciosi pedes annuntiantis pacem, annuntiantis bona (*Isa. Lii, 7*) ! sed multo specio-

sus et pretiosus caput ejus : quoniam caput Christi Deus. Delectabilis aspectus hominis in quem peccatum non cadit, et beati oculi qui videntur ; sed multo magis beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth. v, 8*). Denique cum pervenisset ad nucleum, testam jam, licet decoram valde, non reputabat Apostolus, dicens : *Etsi cognovimus aliquando Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus (II Cor. v, 16)*. Nimirum quia Dominus ipse prædixerat : *Caro non prodest quidquam, spiritus est qui vivificat (Joan. vi, 64)*. Sed hæc est sapientia quam loquitur Paulus inter perfectos, non inter eos quibus legimus ab eodem dictum : *Nihil arbitratus sum me scire inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum (I Cor. ii, 6, 2)*. Totus suavis est, totus salubris est, totus delectabilis, totus denique secundum sponsæ vocem desiderabilis (*Cantic. v, 16*). Sicut autem in eo ostensum est, sic et in operibus ejus reperies. Nam et superficies ipsa, tanquam a foris considerata, decora est valde, et si quis fregerit nucem, intus inveniet quod jucundius sit, et multo amplius delectabile. Non sic apud Patres Veteris Testamenti reperies. Nam in operibus eorum decora et delectabilis est significatio mystica ; ipsa tamen si per se considerentur, invenientur aliquando minus digna, ut sunt facta Jacob, adulterium David, et multa similia. Pretiosa quidem sunt fercula, sed vasa non adeo pretiosa. Et fortasse propterea dictum est, *Tenebrosa aqua in nubibus aeris* ; quoniam tenebræ nubes illæ fuerunt : et sub junctum est de Domino, *Præfulgore in conspectu ejus nubes transierunt (Psal. xvii, 12, 13)*.

2. Credo, jam advertistis ad quid hæc dicere velim. Audistis enim hodie miraculum factum in nuptiis, initium utique signorum Domini ; cujus et historia satis est admirabilis, et significatio amplius delectabilis. Magnum enim divinæ majestatis indicium fuit, ad nutum Domini aquam in vinum converti ; sed est illa **808** multo melior mutatio dexteræ Excelsi, quam in ista præfiguravit. Omnes enim nos ad spirituales nuptias vocati sumus, in quibus utique sponsus est Christus Dominus ; unde canimus in Psalmo : *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo (Psal. xviii, 6)*. Sponsa vero nos ipsi sumus, si non vobis videtur incredibile, et omnes simul una sponsa, et animæ singulorum quasi singulæ sponsæ. Sed quando hoc sentire poterit fragilitas nostra de Deo suo, quod eo affectu se [*alias nos*] diligat, quo diligitur sponsa a sponso ? Multum enim hæc sponsa sponso suo inferior genere, inferior specie, inferior dignitate. Attamen propter Æthiopiissam istam de longinquo Filius æterni Regis advenit, et ut sibi desponsaret illam, etiam mori pro ea non timuit. Moyses quidem Æthiopi-

(15) Eadem verba in Declamationibus, quæ Bernardo hætenus ascriptæ sunt, refert Gaufridus num. 68, ubi hoc centuplum, quod Bernardus religiosus proprium asserit, gratiam devotionis, delicias charitatis, gloriam bonæ conscientie, et gaudium etiam in

tribulatione esse dicit num. 70. Ita fere Bernardus in sermone 4 in psalmum xc, num. 1 et 2. Confer sequentem sermonem 3 post octavam Epiphaniæ, num. 8.

sam duxit uxorem, sed non potuit Æthiopissæ mutare colorem: Christus vero quam adamavit ignobilem adhuc et sordidam, gloriosam sibi exhibebit Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam. Murmuret Aaron, murmuret et Maria, non nova, sed vetus; non Mater Domini, sed soror Moysi (Num. xii); non nostra, inquam, Maria; illa enim sollicita est, si quid forte deest in nuptiis. Vos autem, ut dignum est, murmurantibus sacerdotibus, murmurante Synagoga, toto affectu in gratiarum actione versamini.

3. Unde enim tibi, o humana anima, unde tibi hoc? Unde tibi tam inestimabilis gloria, ut ejus sponsa merearis esse, in quem desiderant angeli ipsi prospicere? Unde tibi hoc, ut ipse sit sponsus tuus, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur, ad cujus nutum universa mutantur? Quid retribuens Domino pro omnibus quæ tribuit tibi, ut sis socia mensæ, socia regni, socia denique thalami, ut introducat te Rex in cubiculum suum? Vide jam quid de Deo tuo sentias, vide quantum de eo præsumas, vide quibus brachiis vicariæ charitatis redamandus et amplectendus sit, qui tanti te æstimavit, imo qui tanti te fecit. De latere enim suo te reformavit, quando propter te obdormivit in cruce, et [alias additur ob hoc] somnum mortis excepit. Propter te a Deo patre exivit, et matrem Synagogam reliquit, ut adhærens ei, unus cum eo spiritus efficiaris. Et tu ergo audi, filia, et vide, et considera quanta sit erga te dignatio Dei tui; et obliviscere populum tuum, et domum patris tui. Desere carnales affectus, sæculares mores dedisce; a prioribus vitiis abstine, consuetudines noxias obliviscere. Quid enim putas? nonne stat angelus Domini qui secet te mediam, si forte (quod avertat ipse!) alterum admiseras amatorem?

4. Jam enim desponsata es illi, jam nuptiarum prandium celebratur; nam cœna quidem in cœlo et in aula æterna paratur. Verumlamen nunquid ibi vinum deficit? Absit! Inebriamur ibi ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis ejus potabimur (Psal. xxxv, 9). Paratum est profecto illis nuptiis flumen vini; vini, inquam, quod lætificat cor; siquidem fluminis impetus lætificat civitatem Dei (Psal. xlv, 5). Nunc autem quoniam grandis nobis restat via, prandium quidem accipimus hic, etsi non in tanta copia, quod plenitudo et satiety cœnæ reservetur æternæ. Illic ergo nonnunquam vinum deficit, gratia scilicet devotionis, et fervor charitatis. Quoties mihi necesse est, fratres, post lacrymosas querimonias vestras, exorare Matrem misericordiæ ut suggerat suo benignissimo Filio quoniam vinum non habetis? Et ipsa, dico vobis, charissimi, si pie a nobis pulsata fuerit, non deerit necessitati nostræ; quoniam misericors est, et mater misericordiæ. Nam si compassa est verecundiæ illorum a quibus fuerat invitata; multo magis compatietur nobis, si pie fuerit invocata. Placent enim illi nuptiæ nostræ, et perti-

nent ad eam multo amplius illis; nimirum de cujus utero tanquam e thalamo suo, cœlestis Sponsus processit.

509 5. Sed quem non moveat, quod in nuptiis illis respondit Dominus benignissimæ ac sanctissimæ matri suæ, dicens: *Quid mihi et tibi est, mulier?* Quid tibi et illi est, Domine? Nonne quod filio et matri? Quid ad illam pertinet [alias pertinet] quæris, cum tu sis benedictus fructus ventris ejus immaculati? Nonne ipsa est quæ salvo pudore concepit, et sine corruptione te peperit? Nonne ipsa est, in cujus utero novem mensibus moratus es, cujus virgineis uberibus lactatus es, cum qua jam duodecim annorum factus de Jerusalem descendisti, et eras subditus illi? Nunc ergo, Domine, quid molestus es illi, dicens, *Quid mihi et tibi?* Multum per omnem modum. Sed manifeste jam video quod non velut indignans, aut confundere volens virginis Matris teneram verecundiam, dixeris: *Quid mihi et tibi?* cum, venientibus ad te juxta Matris præceptum ministris, nihil cunctatus facias quod illa suggestit. Ut quid ergo, fratres, ut quid sic respondebat prius? Utique propter nos, ut conversos ad Dominum jam non sollicitet carnalium cura parentum, et necessitudines illæ non impediunt exercitium spirituale. Quandiu enim de mundo sumus, debitores nos constat esse parentibus. At postquam reliquimus nosmetipsos, multo magis ab eorum sollicitudine liberi sumus. Unde et legimus fratrem quendam in eremo conversantem, cum ad eum carnalis frater auxilii gratia adventasset, respondisse, ut adiret alterum fratrem eorum, cum ille utique jam obiisset. Cumque admiratus qui venerat responderet quia ille obiit eremita se quoque similiter obiisse respondit (16). Optime ergo nos docuit Dominus ne solliciti simus super propinquis carnis nostræ plus quam religio postulet, quando ipsi Matri, et tali Matri, respondit: *Quid mihi et tibi est, mulier?* Sic et in alio loco cum suggereret ei quidam quoniam foris staret cum fratribus Domini, quærens ei loqui, respondit: *Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei* (Matth. xii, 48)? Ubi modo sunt qui tam carnaliter inaniter super carnalibus propinquis suis solent esse solliciti, ac si adhuc viverent et ipsi cum eis?

6. Sed videamus jam quid sequitur. Erant, ait Evangelista, *hydriæ sex positæ secundum purificationem Judæorum*. Vel ex hoc potes manifestius advertere non plenitudinem, sed præparationem nuptiarum esse, ubi nimirum adhuc opus est purificatione. Desponsationis ergo nuptiæ istæ sunt, non copulationis. Absit enim ut credamus illis in nuptiis fore vasa purificationis, quando gloriosam sibi Christus Ecclesiam exhibebit, non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid hujusmodi! ubi enim [alias autem] non erit macula, quæ purificatio erit necessaria? Nunc utique lavandi tempus est, nunc purificationem patet esse necessariam, quando nemo

(16) Is fuit abbas Apollo. Vide Vitas Patrum.

mundus a sorde, nec infans cūjus est unius diei vita super terram. Nunc abluitur sponsa, nunc purificatur, ut in cœlestibus illis nuptiis sponso suo sine omni macula præsentetur. Quæramus ergo hydrias sex, in quibus hæc ablutio Judæorum, id est confidentium, purificatio fiat. Nam si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est, quæ sola liberat, sola salvat, sola lavat. Quod si confiteamur peccata nostra, non deerunt veris Judæis purificationis hydriæ; quoniam fidelis est Deus, qui dimittat nobis peccata, et emundet nos ab omni iniquitate (I Joan. 1, 8, 9).

7. Ego quidem sex hydrias, sex observantias arbitror esse, quas ad purificanda confidentium corda sancti patres instituerunt, et omnes illas, ni fallor, hic poterimus invenire. Prima siquidem hydria, continentia est castitatis, qua diluitur quidquid ante luxuria inquinavit. Secunda vero jejunium est, ut quod maculaverat crapula, nunc abstinencia mundet. Per segnitiam quoque et otiositatem, quæ inimica est animæ, multas contraximus sordes contra Dei sententiam, in sudore vultus alieni, non nostri, pane vescentes (Gen. 31, 19); propter hoc quoque tertia hydria nobis apponitur, ut sordes illæ in labore mantuum diluantur. Sic **810** et per somnolentiam cæteraque noctium et tenebrarum opera, multa deliquimus; ideo quoque quarta hydria vigiliarum observantia ponitur, ut nocte surgentes ad confitendum Domino, non bonas noctes præteriti temporis redimamus. Jam vero de lingua quis nesciat, quam multum inquinaverit nos per vaniloquia et mendacia, per detractiones et adulationes, per verba malitiæ et verba jactantiæ? Pro his omnibus necessaria est hydria quinta, silentium scilicet, custos religionis, et in quo est fortitudo nostra. Sexta quoque hydria disciplina est, qua non nostro arbitrio, sed alieno vivimus, ut deleatur quidquid indiscipline vivendo deliquimus. Lapidea sunt hæc, dura sunt, sed necesse habemus in his lavari, nisi forte volumus [alias volerimus] propter fœditates nostras a Domino accipere libellum repudii. Attamen in eo quod dicuntur lapideæ, non solum duritia, sed multo melius soliditas potest intelligi; quoniam non lavant hæc, nisi firma stabilitate permanserint.

8. Ait ergo Dominus ad ministros: *Implete hydrias aqua.* Quid sibi istud vult, Domine? Ministri solliciti sunt de vini penuria, et tu dicis: *Implete hydrias aqua.* Illi de poculis cogitant, et tu præcipis ut vasa purificationis impleant. Sic omnino, sic suspiranti

A Jacob ad Rachelis amplexus, Lia a patre supponitur (Gen. 29, 22-24). Nobis, fratres, qui ministri sumus et servi vestri, per Christum nobis præcipitur implere hydrias aqua, quoties deest vinum. Ac si dicatur: Illi devotionem desiderant, vinum requirunt, fervorem flagitant; sed nondum venit hora mea: implete hydrias aqua. Quæ est enim aqua sapientiæ salutaris, etsi non adeo suavis, nisi fons vitæ, et initium sapientiæ timor Domini? Dicitur ergo ministris: Incutite metum, et spiritu timoris non tam vasa quam corda replete; quia, ut ad charitatem perveniant, initiandi sunt a timore, ut dicant et ipsi, *A timore tuo concepimus, Domine, et parturivimus spiritum salutis* (Isai. 26, 18). Sed quomodo implebuntur hydriæ? Prædixerat enim B Evangelista: *Cipientes singulæ metretas binas vel ternas.* Quæ sunt duæ metretæ, quæve tertia? Utique duplex timor communis, et notus omnibus; at tertius quidem minus communis, et minus notus. Primus enim timor est, ne cruciemur in gehenna; secundus, ne exclusi a visione Dei privemur tam inæstimabili gloriâ; tertius replet animam omni sollicitudine timidam, ne forte deseratur a gratia.

9. Et quidem: omnis timor Domini, sicut aqua exstinguit ignem, sic exstinguit peccati concupiscentiam; sed is maxime cum ad omnem tentationem statim occurrit, ne forte contingat amittere gratiam, ut sibi derelictus homo labatur quotidie de malo in pejus, de peccato minori in graviores culpam; quales utique multos videmus cum in sordibus sunt, sordescentes adhuc. Nam adversus timorem istum non est unde sibi blandiatur anima sive de minori forte quantitate peccati, sive de emendatione futura. Talibus enim blandimentis impediuntur aliquatenus duo prima genera timoris. Præcipit ergo nobis Dominus, ut hac aqua hydrias impleamus. Sunt enim aliquando vacuæ, et plenæ vento, si quis tamen adeo insanus est ut in eo per vanitatis studium illæ, quas prædiximus, observantiæ mercede perpetua vacuentur, ut sunt fatuæ virgines, in quarum vasis oleum non habetur (Matth. 25, 3). Interdum autem (quod pejus est) plenæ quidem sunt, sed plenæ veneno, quod est invidia, murmur, rancor animi, et detractio. Propterea ne forte subintrent ista, dum D vinum deest, jubemur implere hydrias aqua, ut observentur mandata Domini in timore; quæ tunc mutatur in vinum, cum timor expellitur a charitate, et implentur omnia fervore spiritus et jucunda devotione (17).

IN SEPTUAGESIMA.

SERMO I.

1. Magna mihi consolatio est, fratres mei, in verbo illo Domini, *Qui ex Deo est, verba Dei audit* (Joan.

viii, 47) **811.** Propterea enim vos libenter auditis, quia ex Deo estis. Nec ignoro quod alio in loco dicit Scriptura: *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt*

(17) Confer sermonem 55 de Diversis. ubi eodem fere modo hydriæ istæ moraliter explicantur, et de metretis sermonem 57.

omnia (Rom. xi, 36). Sed multo aliter sunt ex eo, qui, secundum beati Joannis Evangelium, non ex voluntate carnis nati sunt, sed ex Deo (Joan. i, 13). Unde et invenies ab eodem Joanne in Epistola sua scriptum: *Omnis qui natus est ex Deo, non peccat; sed generatio cœlestis conservat illum* (I Joan. v, 18). Non peccat, inquit, id est non permanet in peccato; quia conservat illum, utique ut perire non possit, ea quæ falli non potest generatio cœlestis. Sive non peccat, id est, tantumdem est ac si non peccet, pro eo scilicet quod non imputatur ei peccatum: generatio enim cœlestis etiam in hac parte conservat illum (18). Sed generationem istam quis enarrabit? Quis potest dicere: Ego de electis sum, ego de prædestinatis ad vitam, ego de numero filiorum? Quis hæc, inquam, dicere potest? reclamante nimirum Scriptura, *Nescit homo si sit dignus amore an odio* (Eccle. ix, 1). Certitudinem utique non habemus; sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis hujus anxietate penitus cruciemur. Propter hoc data sunt signa quædam et indicia manifesta salutis, ut indubitabile sit eum esse de numero electorum, in quo ea signa permanserint. Propter hoc, inquam, quos præscivit Deus, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut quibus certitudinem negat causa sollicitudinis, vel fiduciam præstet gratia consolationis. Hoc enim est unde semper solliciti, et in timore et tremore humiliemur necesse est sub potenti manu Dei, quoniam quales sumus, nosse possumus vel ex parte; quales autem futuri simus, id nosse penitus nobis impossibile est. Itaque qui stat, videat ne cadat; et in ea forma quæ salutis indicium est, et argumentum prædestinationis, perseveret atque proficiat.

2. Porro inter ea quæ fiduciam præstant et materiam spei, unum illud maximum est, de quo nunc cœpimus loqui: *Qui ex Deo est, verba Dei audit*. Nonnullos enim sic interdum audientes invenies, ac si nihil omnino ad eos pertineant quæ dicuntur: non intrare cor suum, non discutere mores suos, non cogitare, ne forte quod audiunt dictum, sit propter eos. Magis autem si forte sermo Dei vivus et efficax, qui suo, et non ejus qui loquitur, arbitrio fertur quocumque voluerit; si, inquam, manifeste

(18) Hic locus, et si qui sunt apud Bernardum alii similes, neutiquam favent triplici hæreticorum errori. Primo, Joviniani ac Pelagii, qui justos sine ullis peccatis vitam agere contendebant. Secundo, Calvinii et sequacium, qui justificationem negant posse a charitate excedere. Tertio, eorumdem qui fideles justificari asserunt per meram non imputationem peccatorum.

Quod spectat ad primum. S. doctor mentem suam aperit sermone 23 in Cant., n. 15. Sed manifestius libro De gratia et libero arbitrio, cap. 9, explicans illud Joannis iii: *Omnis qui natus est ex Deo, etc.* « Hoc, » inquit, « dictum est de prædestinatis ad vitam: non quod omnino non peccent, sed quod peccatum ipsis non imputetur, quia vel punitur condigna pœnitentia, vel in charitate absconditur. » Vide etiam sermonem 4 de Diversis.

De secundo vero, scilicet quod charitas semel habita possit amitti, in epistola 42, ad Henricum

A adversus vitia illa processerit, quibus sese illi sentiunt obligatos, dissimulant, et avertunt oculos cordis, aut qualibet adinvencione palliant vitia [alias audita], et seducunt miseri semetipsos. In his ergo salutis signa non video, magis autem vereor ne forte propterea non audiant verbum Dei, quia non sunt ipsi ex Deo. In vobis, fratres, (Deo gratias) vere invenio aures audiendi; nimirum cum in emendatione vestra sine mora appareat fructus verbi, sed etiam inter loquendum, fateor, nonnunquam sentire mihi videor fervorem studii vestri. Etenim quanto abundantius sugitis, tanto amplius replet ubera mea dignatio Spiritus sancti; et tanto copiosus datur quod propinam vobis, quanto citius quod propinatur hauritis [alias hausistis]. Propterea sæpius loquor vobis, etiam præter consuetudinem Ordinis nostri. Scio enim quis dixerit: *Si quid supererogaveris, cum rediero, reddam tibi* (Luc. x, 35).

3. Initium Septuagesimæ, fratres, hodie celebratur, cujus nomen in universa Ecclesia celebre satia habetur. Jam vero dico vobis, charissimi, quia plurimum in hoc nomine compatiar mihi ipsi. Connuovetur enim intra me spiritus meus, suspirans nimirum ad patriam illam in qua nec numerus est nec mensura nec pondus. Quandiu enim in pondere et mensura et numero universa corporis et animæ bona recipio? Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereor! Nam de corporali cibo ad Adam dictum est, et pervenit usque ad me: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo* (Gen. iii, 19). Sed et cum laboravero, panis datur mihi in pondere, **812** potus in mensura, pulmenta in numero. Et de corporali quidem sic. Quid vero de spirituali? Utique antequam comedam, suspiro, atque utinam cum suspiravero et flevero, vel fragmentum exiguum merear de cœlesti convivio, et tanquam catellus edam de micis quæ cadunt de mensa dominorum meorum! O Jerusalem, civitas Regis magni, qui te ex adipe fruventi satiat, et quam fluminis impetus lætificat! in te nec pondus utique nec mensura, sed satietas est et affluentia summa. Sed nec habes numerum, quippe cujus participatio ejus in idipsum. Ego vero, qui totus sum in vicissitudine et numero, quando veniam ad unam

D Senonensem, cap. 4, de fide ficta agens, ita pronuntiat: « Recedunt ergo quidam a fide, quia Veritas asserit: consequenter et a salute, quia Salvator redarguit: inde nos colligimus quod et a charitate, sine qua salus esse non poterit, » etc. Vide Melchiorum Canum, lib. iv De locis theologicis, cap. ultimo, in respons. ad 8 argum. ac Guillelmum Estium in prædictum locum Joannis, ubi S. Bernardi sententiam expendunt.

Quod ad tertium atinet, justificationem non consistere in sola Dei non imputatione, sed in quadam supernaturali qualitate, manifeste docet S. doctor variis in locis, diserte vero epist. 11 ad Carthusienses, et ex ea in Tractatu de diligendo Deo, cap. ult. sic scribens: « Itaque charitas dat charitatem, substantiva accidentalem. Ubi dantem significat, nomen est substantiæ; ubi donum, qualitatis. » Vide sermonem 27 in Cant.

illam quam require? quando satiabor apparente gloria tua, Domine? quando inebriabor ab ubertate donus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis me? Nunc enim tam exigua sunt stillicidia stillantia super terram, ut nec glutire quidem possim salivam meam.

4. Sic omnino, sic verum est, fratres, quoniam modo omnia dantur in pondere et mensura et numero; sed veniet dies quando omnia sunt cessatura. Nam de numero quidem legimus, quoniam *sapientiæ illius non est numerus (Psal. cXLVI, 5)*. Et alio in loco apud eundem prophetam: *Delectationes in dextera tua usque in finem (Psal. xv, 11)*. Audi etiam apud Apostolum pondus sine pondere: *Supra modum, inquit, in sublimitate æternum pondus gloriæ (II Cor. iv, 17)*. Audi pondus æternum; sed attende quia præmiserit, *supra modum*. Sic et Christum audio mensuram sine mensura promittentem: *Mensuram, inquit, confertam, et coagitatam, et supereffluentem (Luc. vi, 38)*. Sed quando venient ista? Profecto in fine præsentis Septuagesimæ, quod est tempus captivitatis nostræ. Sic enim legimus, quod captivati a Babiloniis filii Israel, terminum acceperunt annorum septuaginta; quibus transactis redierunt in sua, cum instauratum est templum, et civitas reædificata (*Jerem. xxv, xxix, et I Esdr., etc.*). At vero captivitas nostra, fratres, quando finietur, quæ tot annis, ab initio utique mundi, protenditur? Quando liberabimur a servitute ista? quando restaurabitur Jerusalem, civitas sancta? Uti que completa hac Septuagesima, quæ ex denario et septenario constat, propter decem mandata quæ accepimus, et septem impedimenta quibus a mandatorum obedientia retardamur.

5. Primum enim impedimentum nostrum et occupatio gravis, est ipsa necessitas hujus miseri corporis, quod, dum modo somnum, modo cibum, modo vestem, cæteraque similia quærit, haud dubium quin frequenter impediatur nos ab exercitio spirituali. Secundo loco impediunt nos vitia cordis, ut est levitas, suspicio, impatientiæ aut invidiæ motus, laudis appetitus, et similia, quæ quotidie experimur in nobis. Tertium et quartum impedimentum accipe prosperitatem hujus sæculi et adversitatem. Sicut enim corpus quod corrumpitur, aggravat animam, sic deprimit etiam terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (*Sap. ix, 15*). Utrunque ergo cave a laqueo tentationis, et quære arma justitiæ a dextris et a sinistris. Quintum impedimentum gravissimum et periculosissimum ignorantia nostra est. In multis enim omnino incertum habemus quid agere debeamus, ita ut quid oremus, sicut oportet, nesciamus. Sextum impedimentum est adversarius noster, qui

(19) Ita quidem usus Ecclesiæ jam inde ab ævo Gregorii Magni ferebat, præterquam apud Cistercienses. Hi nempe Alleluia ante Quadragesimam (quod Bernardo Abælardus objicit epistola quinta) non intermittebant ex præscripto Benedictinæ Regulæ, cap. 15. Attamen longe ante Bernardum abbates in synodo Aquisgranensi anni 817 usum Roma-

A tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret (*I Petr. v, 8*). Atque utinam in istis sex tribulationibus liberemur, ut vel in septima non tangeret nos malum, nec apprehenderet nos periculum in falsis fratribus. Utinam soli impugnarent nos maligni spiritus cum suggestionibus suis, et nihil nocerent homines perniciosi exemplis, persuasionibus importunis, sermonibus adulationis vel detractionis, atque aliis mille modis. Videtis certe quam necessarium sit ut adversus hæc septem pericula, quibus impedimur, septiformis Spiritus sancti auxilio sublevemur. Pro his enim septem, quibus ab observantia Decalogi retardamur, in luctu poenitiæ Septuagesima præsens agitur. Unde et reticetur interim **813** Alleluia solemne (19), et humanæ transgressionis historia miserabilis ab exordio recensetur.

SERMO II.

De eo quod scriptum est, « Immisit Dominus soporem in Adam (Gen. ii, 21-24). »

1. *Immisit Dominus soporem in Adam*. Immisit et in se ipsum, factus nimirum secundus Adam; sed est distantia forte non parva. Ille enim soporatus videtur præ excessu contemplationis; Christus miseracionis affectu: ut in illum soporem immiserit veritas, in hunc charitas, cum utraque sit Dominus. Ait enim Joannes evangelista: *Deus charitas est (I Joan. iv, 16)*; et ipse Dominus: *Ego sum via, veritas et vita (Joan. xiv, 6)*. Sane soporem Christi solius charitatis fuisse nemo dubitat, vel nomine tenus Christianus. Siquidem accubuit (20) ut leo, non victus plane, sed victor, potestate propria ponens animam, somnum mortis excipiens propria voluntate. Cæterum qualis et ille sopor dicendus est fuisse vel credendus, quem Dominus immisit in Adam, in quo, sine sensu omnino doloris, in mulierem ædificandam costa sublata est de latere dormientis? Mihi quidem non nisi incommutabilis veritatis intuitu, et abysso divinæ sapientiæ, corporeis excedens sensibus obdormisse videtur; quod ex ejus verbis vel maximo conjici potest. Rediens nimirum indicat quo abiisset, dum, tanquam ebrius de cella vinaria veniens, et eructans illud magnum sacramentum quod tanto post in Christo et in Ecclesia Apostolus commendavit: *Hoc nunc, inquit, os ossibus meis; et: Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una (Ephes. v, 31, 32)*. An tibi penitus obdormisse videtur, qui in hanc vocem excitatus erupit, et non magis dicere potuisse: *Ego dormio, et cor meum vigilat (Cant. v, 2)*.

2. Verum id quidem sine præjudicio dixerim, si cui forte aliter visum fuerit, maxime si quid aliud

num prætulcrant, cap. 50. Is nondum obtinuerat tempore S. Benedicti, imo nec Septuagesimæ institutio. Veterem usum inculcat concilium IV Toletanum anni 633.

(20) Sic legendum, non *ocubuxi*, ut accubitus referatur ad soporem.

In sanctorum paginis invenitur. Neque enim communem arbitror fuisse soporem, aut nostris similem somnis, quos nec contemplationis excessus, nec miserationis affectus, sed infirmitatis defectus immittit; quos nec veritas, nec charitas, sed necessitas parit. Grave siquidem jugum super filios Adam (*Eccli. xl, 1*); non autem in principio super Adam, sed nunc jam super filios ejus. Quid non grave miseris, quibus et vivere labor est? quibus et (quod pauci videntur advertere, sentire penitus nemo) ipse quoque sensualitatis usus invenitur oneri, adeo ut nequeat sustineri, nisi alterna requie foveamur? Quid non labor, et dolor, et afflictio spiritus ex omnibus quæ sub sole sunt, quando et illud ei gravissimum est, quo potissimum delectatur, vegetatio scilicet et sensificatio carnis? Nimirum quam sit ei dulce consortium, triste divortium manifestat, dum vix tandem avelli potest, dum corruptio ipsa corporis penitus intolerabilis est vegetanti. Sane non simpliciter corpus, sed corpus quod corrumpitur, aggravat animam (*Sap. ix, 15*); ut immunem ab hoc gravamine primi parentis animam noveris existisse, donec adhuc corpus gereret [alias degeret] incorruptum. Nimirum in libertate posuit eum Deus, ut, inter summa et infima versans, et in illa excederet sine difficultate, et ad hæc sine illecebra aut necessitate descenderet; illa penetrans naturali vivacitate et puritate mentis, hæc auctoritate judicans præsentis. Denique adducta sunt animalia ad Adam, ut videret quid vocaret ea (*Gen. ii, 19*); non ipse aliqua curiositate ductus est ut videret ea.

3. Non sic in nobis libera ratio, sed undique ei luctandum est. Sic enim et ab infimis visco quodam captiva **814** tenetur, et a summis indigna repellitur: ut nec ab his sine dolore possit avelli, nec ad illa

A sine magno gemitu vel raro queat admitti. Hinc nempe vim faciunt qui quærunt animam meam, ut clamare necesse sit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom. vii, 24.*) Inde priusquam comedam suspiro, quia regnum cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud (*Matth. xi, 12*). Nihilominus tamen et illic unitas, et hic tenenda divisio est, sicut et Adam soporatus est in contemplatione, et animalia nominum impositione discrevit. Sic nimirum, sic et Abraham in sacrificio, non quidem volatilia, sed animalia legitur divisisse (*Gen. xv, 9, 10*). Et Martha erga multa turbatur, cum unum sit necessarium. Necessarium plane unum, et maxime necessarium, quoniam hæc pars optima, quæ non auferetur (*Luc. x, 41, 42*). Cessabit divisio cum venerit plenitudo, et erit totius sanctæ civitatis Jerusalem participatio in idipsum. Interim Spiritus sapientiæ non modo unicus, sed et multiplex est: interiora quidem in unitate solidans, sed sub judicio exteriora distinguens. Utrumque tibi in primitiva Ecclesia commendatur, quando *multitudinis credentium erat cor unum, et anima una*, ne volatilia scinderentur; *dividebatur autem singulis prout cuique opus erat* (*Act. iv, 32, 35*), ut animalia secarentur. Sit igitur etiam in nobis, charissimi, unitas animorum; unita sint corda, diligendo unum, quærendo unum, adhærendo uni, et idipsum invicem sentiendo. Sic nimirum exterior ipsa divisio et evadit periculum, et scandalum non incurrit; dum videlicet, etsi propria cuique tolerantia, propria quoque nonnunquam in terrenis agendis sententia, sed et diversa interdum dona gratiarum, nec membra omnia actum eundem videntur habere; unitas tamen interior et unanimitas ipsam quoque multipliciter colligat et constringat charitatis glutino, et vinculo pacis.

IN CAPITE JEJUNII.

SERMO I.

Quid sit ungere caput, et faciem lavare (*Matth. vi, 16, 17*).

1. Hodie, dilectissimi, sacrum Quadragesimæ tempus ingredimur, tempus militiæ Christianæ. Non nobis singularis est hæc observatio; una omnium est, quicumque in eadem fide conveniunt unitatem. Quidni commune sit Christi jejunium omnibus Christianis? quidni caput suum membra sequantur? Si bona suscepimus ab hoc capite, mala autem quare non sustineamus? An respuere tristitia volumus, et communicare jucundis? Si ita est, indignos nos capitis hujus participatione probamus. Omne enim quod patitur ille, pro nobis est. Quod si in opere salutis nostræ ei collaborare piget, in quo deinceps coadjutores nos exhibebimus illi? Non est magnum si jejuset cum Christo, qui sessurus est ad mensam Patris cum ipso. Non est magnum si compatitur membrum capiti, cum quo et glorificandum est.

Felix membrum, quod huic adhæserit per omnia capiti, et sequetur illud quocumque ierit. Alioquin si forte abscindi separarique contingat, privetur statim necesse est etiam spiritu vitæ. Quæcumque enim portio capiti non coheret, unde ei jam sensus aut vita? Nec sane deerit qui expositam occupet, ut ne tunc quidem sit absque capite. Germinabit rursum radix amaritudinis, venenatum caput iterum pullulabit; illud, inquam, caput, quod in eo contriverat ante fortis mulier, mater Ecclesia. Dico autem quando per eam regeneratus est in spem vitæ, quem natura filium iræ mater carnalis ediderat.

2. Videbit ergo jam, si fuerit qui revelatos habeat **815** oculos cordis, et spiritualiter intueatur, horrendum omnino monstrum, corpus quidem hominis, caput autem dæmonis habens. Non solum autem, sed etiam erunt sine dubio novissima hominis illius pejora prioribus, cum viperenum illud caput, quod prius fuerat amputatum, non absque septem nequo-

ribus se revertatur. Quis non solo contremiscat A auditu? Tollens membrum Christi, faciam membrum demoniorum? Abscissus a corpore Christi, Satanae miser incorporabor? Sit procul a nobis semper execranda ista commutatio [*alias*, communicatio], fratres mei. Mihi omnino adhærere tibi bonum est, o caput gloriosum et benedictum in sæcula, in quod et angeli prospicere concupiscunt. Sequar te quocunque ieris: si transieris per ignem, non avellar a te; non timebo mala, quoniam tu mecum es. Tu dolores meos portas, et pro me dolens: tu prius transis per angustum passionis foramen, ut latum præbeas sequentibus membris ingressum. Quis nos separabit a charitate Christi? (*Rom. viii, 35.*) Ipsa enim est, per quam omne corpus per nexus et juncturas crescit. Hoc glutinum bonum, cuius meminit Isaias (*Isa. xli, 7*). Hæc, per quam bonum est et jucundum habitare fratres in unum. Hoc unguentum, quod descendit a capite in barbam, a capite descendit et in oram vestimenti (*Psal. cxxxii, 2*), ut ne minima quidem simbria careat unctio:ne. In capite siquidem plenitudo gratiarum, de qua accipimus omnes; in capite universitas miserationis, in capite inexhaustus fons pietatis divinæ, in capite affluentia tota spiritualis unguenti, sicut scriptum est: *Unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis* (*Psal. xlii, 8*). Ipsum tamen, quod tam copiose Pater unxerat caput, Maria quoque ungere non veretur. Calumniantur quidem discipuli: sed respondet Veritas pro ea, quod bonum opus sit operata (*Math. xxvi, 7-10*).

3. Denique et nobis hodie quid præcipit in Evangelio? Tu, inquit, cum jejunaveris, unge caput tuum. Mira dignatio! Spiritus Domini super eum, eo quod unxerat eum; et nihilominus tamen evangelizans pauperibus ait: *Unge caput tuum!* Complacet sibi Pater in Filio, et dum vox sonat in æthere, descendit Spiritus in columba. Putatis, fratres, quia Christi baptismo chrisma defuerit? Manet Domini Spiritus super ipsum: et unctum ab eo quis dubitet? *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (*Math. iii, 17*). Hæc plane spiritualis unguenti fragrantia est. Unxit Pater Filium præ participibus suis, in quo præ cæteris singulariter complacet sibi. Pater enim diligit Filium, affectu utique divino, et inexperto omni creaturæ. Unxit, inquam, Pater Filium præ participibus suis, accumulans super eum universa charismata benignitatis, mansuetudinis et suavitatis, abundantius eum replens visceribus misericordiæ et miserationis. Unctum denique misit ad eos, quem nobis exhibuit plenum gratiæ et miserationis [*alias*, pietatis]. Sic unctum a Patre est caput nostrum, et nihilominus ungi postulat et a nobis. *Cum jejunaveris*, inquit, *unge caput tuum*. Itane aquam petit a rivulo fons indeficiens? Petit sine dubio, aut certe repetit magis. Ad fontem enim unde exeunt, flumina revertuntur, ut iterum fluant (*Eccle. i, 7*).

4. Non vero, ut minus habens, quod dederat

*PATROL. CLXXXIII.

Christus repetit: sed ne tibi pereat quidquid ad eum referre volueris. Siquidem etiam fluminis aqua, si stare cœperit, et ipsa putrescet, et inundatione facta superveniens, repellitur. Sic plane, sic gratiarum cessat decursus, ubi recursus non fuerit: nec modo nihil augetur ingrato, sed et quod acceperat, vertitur ei in perniciem. Fidelis autem in modico censetur dignus munere ampliori. Unge igitur caput tuum, refundens in eum qui supra te est, quidquid in te est devotionis, quidquid delectationis, quidquid affectionis. Unge igitur caput tuum, ut si qua in te est gratia, referatur ad ipsum: nec tuam quæras gloriam, sed ipsius. Ungit enim Christum, qui bonus ejus odor est in omni loco. Memento sane adversus hypocritas hunc processisse sermonem. *Nolite, inquit, fieri sicut hypocritæ tristes*. Non omnimodam nobis tristitiam interdicit, sed quæ in facie est coram hominibus. Alioquin, **Cor 816** *sapientis ubi tristitia* (*Eccle. vii, 5*): et Paulum quoque discipulos contristasse non piget, pro eo quod contristati sunt ad salutem (*II Cor. vii, 8*). Non est talis tristitia hypocritarum: non in corde, sed in facie est. *Exterminant enim facies suas*.

5. Nota proinde quod non dixerit: Nolite esse sicut hypocritæ tristes; sed: *Nolite fieri*, hoc est fingi. Sic quippe vulgo dicitur: *Tristem se facit*; aut: *Magnificat se*; et: *Qui beatificat te, in errorem te adducit* (*Isa. ix, 16*), et similia, quæ simulationis sunt, non veritatis. *Tu autem cum jejunaveris, unge caput tuum, et faciem tuam lava*. Exterminant illi faciem, tu autem lavare juberis. Est autem facies, quæ in facie est conversatio. Hanc fidelis Christi servus lavat, ne quod offendiculum præbeat intuitu: hypocrita magis exterminat, dum singularia magis et inusitata sectatur. Sed nec caput ungit, cuius affectio elongatur a Christo, et vanis favoribus delectatur. Ungit potius semetipsum, ut propriæ fragrantiam opinionis respergat. Aut certe quia manifestum est non esse caput hypocritæ Christum, nec suum tamen qualecunque caput ungere potest, cuius mens non propriæ testimonio conscientiæ, sed adulationibus demulceatur. *Date nobis, ait, fatuæ virgines, de oleo vestro* (*Math. xxv, 8*). Cur hoc? Quia in vasis suis oleum non habent. Sed non est prudentium hujusmodi oleum dare. Quod enim sibi fieri nolunt, quando ipsæ facient aliis? Audi vero Prophetam, cui incerta et occulta sapientiæ suæ revelaverat Deus. *Oleum, inquit, peccatoris non impinguet caput meum* (*Psal. cxi, 5*). Emunt oleum istud hypocritæ, sicut ait Dominus: *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Exterminant enim facies suas, ut appareant jejunantes*. Vides quam brevi sermone hypocritas et singularitatis notat, et arguit vanitatis. Vide etiam quam paucis et coram Deo suadeat bona, et coram hominibus providere. *Unge caput tuum, et faciem tuam lava*: hoc est, sic te irreprehensibilem foris exhibe, ut divinam tibi conciliare studeas gratiam; et ante oculos humanos non propriam quæras gloriam, sed auctoris.

6. Potest tamen et alio modo lota facies, conscientia pura; et unctum caput intelligi mens devota. Quod si id probas, adversus duplex vitium, quod maxime solent appetere jejunantes, hæc duo verba ablutionis et unctionis dicta videntur. Alius enim jejunit studio vanitatis, et huic dicitur: *Faciem tuam lava*. Alius jejunit cum impatientia et rancore, et huic opus est ut caput unget. Est autem caput istud, mens interior, quæ tunc ungitur in jejunio, cum spiritualiter delectatur in eo. An vero tibi novum videtur, ut dicamus caput ungi jejunio? Ego plus dico: etiam impinguatur. Nunquamne legisti quod scriptum est: *Ut alat eos in fame?* (*Psal.* xxxii, 19.) Est ergo jejunium corporis, capitis unctio; et carnis inedia, refectio cordis. Quidni dixerim unctionem, quæ et medetur vulneribus, et exasperatas conscientias lenit? Emat igitur hypocrita jejunio suo oleum peccatoris: ego meum interim non vendo jejunium, et ipsum mihi oleum est quo ungar. *Unge*, inquit, *caput tuum*, ne quid forte murmuris aut impatientiæ subeat. Non solum autem, sed et gloriare in tribulatione, sicut ait Apostolus (*Rom.* v, 3). Gloriare, inquam, sed absque omni studio vanitatis, ut sit etiam facies munda ab oleo peccatoris.

SERMO II.

Quomodo debeamus converti ad Dominum.

1. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et fletu, et planctu: et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra, ait Dominus omnipotens* (*Joel.* ii, 12, 13). Quid sibi vult, dilectissimi, quod præcipit Dominus, ut convertamur ad eum? Ubique enim est, et replet omnia, et nihilominus complectitur universa. Quo me vertam, ut convertar ad te, Domine Deus meus? Si ascendero in cælum, tu illic es: **817** si descendero in infernum, ades (*Psal.* cxxxviii, 8). Quid jubes? quo convertar ad te? Supra, an infra? ad dexteram, an ad sinistram? Consilium istud est, fratres mei; secretum est, quod solis credatur amicis. *Mysterium regni Dei est; Apostolis revelatur in aure, nam turbis nihil dicitur absque parabola. Nisi conversi fueritis, inquit, et efficiamini sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum cælorum* (*Matth.* xviii, 3). Agnosco plane quo velit ut convertamur. Ad Parvulum converti necesse est, ut discainus ab eo quia mitis est et humilis corde: ad hoc siquidem parvulus datus est nobis. Sane idem et magnus est, sed in civitate Domini, cui et dicitur: *Exsulta et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel* (*Isa.* xii, 6). Quid tu inflaris, o homo? quid extolleris sine causa? quid alta sapis, et oculi tui omne sublime vident, quod tibi non cedit in bonum? Sublimis quidem Dominus, sed non ita proponitur tibi: laudabilis magnitudo illius, non etiam imitabilis.

(21) Quatuor istas principes passiones, tanquam solas, assignare solent veteres, in his Bernardus, quod ex his cæteræ pendeant. Confer sermonem 14 in psalmum xc, num. 9; sermonem 50 de diversis,

A Elevata est magnificentia illius, et non poteris ad eam: nec si te ruperis, apprehendes. *Accedet, inquit, homo ad cor altum, et exaltabitur Deus* (*Psal.* lxxiii, 7, 8). Excelsus siquidem Dominus et humilia respicit, et alta a longe cognoscit (*Psal.* cxxxvii, 6). Humiliare, et apprehendisti. Hæc plane lex pietatis, et propter hanc legem sustinui te, Domine. Si forte sublimitatis esset via proposita, et illi iter quo ostenderetur salutare Dei, quanta facerent homines ut exaltarentur? Quam crudeliter invicem sternerent, invicem conculcarent! Quam impudenter reperent, manibusque et pedibus conarentur in altum, et imponerent sese homines super capita aliena! Et certe qui contendit supergredi [*alias, excedere*] proximos, multas inveniet difficultates, multos habebit æmulos, multos patietur contradictores, ascendentem equidem ex adverso: nihil vero facilius est volenti, quam humiliare semetipsum. Hoc verbum est, dilectissimi, quod omnino nos reddit inexcusabiles, ut ne tenue quidem nobis velamen prætereare liceat.

2. Sed jam ad hunc parvulum, ad mansuetudinis et humilitatis magistrum quoniam modo converti necesse sit, videamus. *Convertimini, inquit, ad me in toto corde vestro*. Fratres, si dixisset: *Convertimini*, nihil addens; esset nobis forsitan liberum respondere: Factum est, jam aliud proponere mandatum. Nunc autem spiritualis (ut audio) conversionis nos admonet, quæ non una die perficitur: utinam vel in omni vita, qua degimus in hoc corpore, valeat consummari! Corporis namque conversio, si sola fuerit, nulla erit. Forma siquidem conversionis est ista, non veritas, vacuum virtute gerens speciem pietatis. Miser homo, qui totus pergens in ea quæ foris sunt, et ignarus interiorum suorum, putans aliquid se esse, cum nihil sit, ipse se seducit! *Sicut aqua effusus sum, ait Psalmista in persona hominis hujuscemodi, et dispersa sunt omnia ossa mea* (*Psal.* xxi, 15). Et alius quidam propheta: *Comederunt, inquit, alieni robur ejus, et ignoravit* (*Osee.* vii, 9). Exteriorem quippe superficiem intuens, salva sibi omnia suspicatur, non sentiens verum occultum, qui interiora corrodit. Manet tonsura, vestis necdum mutata est, jejuniorum regula custoditur, statutus psallitur horis; sed *cor longe est a me, dicit Dominus* (*Marc.* vii, 6).

3. Attende solerter quid diligas, quid metuas; unde gaudeas, aut contristeris (21); et sub habitu religionis animum sæcularem, sub pannis conversionis invenies cor perversum. Totum enim cor in his quatuor affectionibus est; et de his accipiendum puto quod dicitur, ut in toto corde tuo convertaris ad Dominum. Convertatur proinde amor tuus, ut nihil omnino diligas nisi ipsum, aut certe propter ipsum. Convertatur etiam ad ipsum timor tuus;

num. 2 et 3; sermonem 85 in Cantica, num. 5; æ lib. v De consideratione, num. 9; necnon tractatum De diligendo Deo, num. 23.

quia perversus est timor omnis, quo metuis aliquid præter eum, aut non propter eum. Sic et gaudium tuum, et tristitia tua æque convertantur ad ipsum. Hoc autem ita fiet, si nonnisi secundum eum doleas, aut læteris. Quid enim perversam **818** magis, quam lætari cum male feceris, et in rebus pessimis exsultare? Sed et ea quoque quæ secundum carnem est tristitia, mortem operatur. Si pro tuo sive proximi peccato doles, bene facis, et hæc tristitia est ad salutem (*II Cor. vii, 10*). Si gaudeas ad munera gratiæ, hoc gaudium sanctum est, et securum gaudium in Spiritu sancto. Debes et in dilectione Christi fraternalis congaudere prosperitatibus, et adversitatibus condolare, sicut scriptum est: *Gaudere cum gaudentibus, flere cum fletibus* (*Rom. xii, 15*).

4. Verum ne ipsa corporalis quidem est parvipendenda conversio, quia spiritualis hujus adminiculum noscitur esse non parvum. Inde est quod in hoc loco Dominus cum dixisset: *In toto corde*, adjunxit protinus: *In jejunio*: quod utique corporis est. Volo tamen vos admonitos esse fratres meos, observandum illud non ad escis tantum, sed ab omnibus illecebris carnis, et universa corporis voluptate; imo vero jejunandum est longe amplius a vitis, quam a cibus. Sed est panis a quo vos jejunare nolo, ne forte deficiatis in via: et si nescitis, panem dico lacrymarum. Sequitur enim: *In jejunio, et fletu, et planctu*. Exigit enim planctum a nobis pœnitentiæ præteritæ conversationis; exigit fletum desiderium futuræ beatitudinis. *Factæ sunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte*, ait Propheta, *cum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?* (*Psal. xli, 4*). Parum ei placet hujus vite novitas, qui necdum vetera plangit, necdum plangit admissa peccata, necdum plangit tempus amissum. Si non plangis, plane non sentis animæ vulnera, conscientiæ lationem. Sed nec futura satis gaudia concupiscis, si non quotidie postulas ea cum lacrymis: minus tibi nota sunt, si non reuult consolari anima tua, donec veniant.

5. Addit deinde Propheta: *Et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra*. Quibus verbis manifeste prior ille populus Judæorum et duritiæ cordis, et vanæ superstitionis arguitur. Crebra siquidem apud eos scissio vestium, sed non cordium esse solebat. Quando enim scinderentur corda lapidea, quæ non poterant nec circumcidi? *Scindite*, inquit, *corda vestra, et non vestimenta vestra*. Quis in vobis est, cujus voluntas circa unum aliquid solet obstinatio inveniri? Scindat cor suum gladio spiritus, quod est verbum Dei: scindat illud, et in multas minutias

A festinet dispertiri. Alioquin non est converti ad Dominum in toto corde, nisi scisso corde. Donec enim illam unam accipias in Jerusalem, cujus est participatio in idipsum, multa interim tibi præcipiuntur; et si in uno offenderis, factus es omnium reus. *Spiritus Domini multiplex*, ait Sapiens (*Sap. vii, 22*), nec potest sequi multiplicem sine multiplici scissione. Audi denique hominem, quem secundum cor suum invenerat Deus. *Paratum*, inquit, *cor meum, Deus, paratum cor meum* (*Psal. lvi, 8*). Paratum ad adversa, paratum ad prospera; paratum ad humilia, paratum ad sublimia; paratum ad universa quæcumque præceperis. Vis pastorem ovium facere? vis constituere regem populorum? *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum*. Quis ut David **B** fidei ingrediens, et egrediens, et pergens ad imperium regis? Et dicebat de peccatoribus: *Coagulatum est sicut lac cor eorum; ego vero legem tuam meditatus sum* (*Psal. cxviii, 70*). Inde enim cordis duritia, inde mentis obstinatio, quia meditatatur quis non legem Domini, sed propriam voluntatem.

6. Scindamus itaque corda nostra, dilectissimi, quatenus integra proinde vestimenta servemus. Vestes enim nostræ virtutes sunt. Bona vestis, charitas; bona vestis, obedientia est. Beatus qui custodit vestimenta hæc, ut non ambulet nudus. Denique: *Beati quorum tecta sunt peccata* (*Psal. xxxi, 1*); et, *Charitas operit multitudinem peccatorum* (*I Petr. iv, 8*). Scindamus corda, sicut prædictum est, ut **819** hæc vestimenta integra servemus, quemadmodum integra salvata est tunica Salvatoris. Nec modo integram servat vestem scissio cordis, sed et talarem eam facit et polymitam, qualem a sancto patriarcha Jacob accepit filius, qui præ cæteris amabat: *Gen. xxxvii, 3*). Hinc nempe virtutum perseverantia, hinc conversationis pulchræ discolor unitas. Hinc illa est gloria regis filiæ in simbriis aureis, circumamicta varietatibus (*Psal. xlii, 14, 15*). Potest tamen et aliter hæc scissio cordis intelligi, ut si quidem pravum fuerit, scindatur ad compunctionem [*alias*, confessionem]; si durum, ad compassionem. Quidni scindatur ulcus, ut sanies effluat? Quidni scindatur cor, ut visceribus effluat pietatis? Utilis prorsus utraque scissio, ut nec clausum lateat peccati virus in corde, nec indigentem proximo claudamus viscera misericordiæ: ut et ipsi consequamur misericordiam a Domino nostro Jesu Christo, qui est super omnia Deus benedictus, in sæcula. Amen.

IN QUADRAGESIMA.

SERMO III.

De jejunio Quadragesimæ.

1. Rogo vos, dilectissimi, tota devotione suscipite quadragesimale jejunium, quod non sola abstinentia commendat, sed multo magis sacramentum. Nam si devote usque modo jejunavimus, nique sancto hoc

tempore jejunandum nobis est multo devotius. Si quid enim addit ad solitum abstinentiæ modum, nunquid non valde indignum est, ut nobis onerosum sit quod Ecclesia portat universa nobiscum? Inactenus usque ad nonam jejunavimus soli: nunc usque ad vesperam jejunabunt nobiscum pariter universi.

reges et principes, clerus et populus, nobiles et ignobiles, simul in unum dives et pauper. Itac ideo dixerim, fratres, ne quis forte turbetur a pusillanimitate spiritus, et jejuniū præsens minori devotione suscipiat, dum se fortassis meminert prioris quoque jejunii pondus satis difficile tolerasse. Hoc enim quantum potest laborat adversarius noster, ut holocaustum nostrum devotionis pinguedine vacuetur, ut et minus acceptum sit Deo, et conscientia nostra in spirituali gaudio minus exhilaretur: sicque de pusillanimitate tolerantie, etiam conscientie pusillanimitas generetur. Cujus astutias non ignorantes, tota, obsecro, adversus eum sollicitudine vigilemus: et quia hilarem datorem diligit Deus, et ipsa quoque conscientia nostra ampliori exinde fiducia sublevatur; ut devotiora sint nostra jejunia, sollicitè nobis totius Ecclesie proponamus exempla.

2. Sed quid de his loquor, quos habemus in hac jejunii observatione consortes? quasi non multo excellentiores habeamus in ea duces, imo et consecratores. Quanta devotione suscipiendum est nobis, quod a sancto Moyse tanquam hæreditario jure traditum (*Exod. xxxiv, 28*), cui speciali præ cæteris prophetis prærogativa, facie ad faciem Dominus loquebatur? (*Exod. xxxiii, 11.*) Quanto fervore amplectendum est, quod Elias ille commendat (*III Reg. xix, 8*), igneo curru raptus in cælum? (*IV Reg. ii, 11.*) Ecce enim quam multa milia a diebus illis generalis conditio mortis invasit: Elias tamen usque adhuc, conservante Domino, manus ejus evasit. Jam vero si commendant jejuniū præsens Moyses et Elias, quamvis magni, tamen conservi nostri; quantum commendat illud Jesus Dominus noster, qui et ipse diebus totidem jejunavit? (*Matth. iv, 2.*) Qualis ille est, non dicam monachus, sed Christianus, qui minus devote jejuniū suscipit, quod ei tradidit ipse Christus? Denique tanto devotius imitandum nobis est, dilectissimi, Christi jejunantis exemplum, quanto certius est propter nos eum jejunasse, non propter se ipsum.

3. Jejunemus ergo, charissimi, et devote jejune- mus sancto hoc Quadragesimæ tempore: ita sane ut noverimus quadragesimam nostram non solos quadraginta dies habere. Continuanda enim nobis est quadragesima **820** cunctis diebus miseræ hujus vitæ, dum per auxilium gratiæ (quæ in quatuor Evangeliiis commendatur) necesse est nos Decalogum legis implere. Errant plane qui paucissimos dies istos ad pœnitentiam sufficere credunt, cum certum sit totum vitæ hujus tempus nonnisi ad pœnitentiam institutum. *Quærite Dominum*, ait propheta, non solum quadraginta diebus, sed *dum inveniri potest; invocate eum, dum prope est* (*Isai. lv, 6*). Neque enim tunc erit invocandi tempus, quando nemini proximus erit Deus; sed aliis quidem præsens, aliis vero nimis valde remotus. Interim sane ex eo quod proximus dicitur, manifestum est quod non tam habetur: sed tamen haberi, et inveniri facile potest.

A Quis tibi videtur proximus fuisse illi qui in illo latrones? Utique qui fecit cum eo misericordiam (*Luc. x, 36, 37*). Ergo quia toto hoc tempore misericordie proximus est, *quærite Dominum, charissimi, dum inveniri potest; invocate eum, dum prope est.*

4. Veruntamen præsentī Quadragesima majore nobis est fervore quærendus, quæ non solum pars, sed et sacramentum est totius temporis hujus. Propterea si forte diebus cæteris studia nostra aliquatenus intepuerant, dignum est ut nunc in fervore spiritus recalescant. Quod si gula sola peccavit, sola quoque jejuret, et sufficit. Si vero peccaverint et membra cætera, cur non jejument, et ipsa? Jejuret ergo oculus, qui deprædatus est animam; jejuret auris, jejuret lingua, jejuret manus, jejuret etiam anima ipsa. Jejuret oculus a curiosis aspectibus et omni petulantia, ut bene humiliatus coerceatur in pœnitentia, qui male liber vagabatur in culpa. Jejuret auris nequiter pruriens a fabulis et rumoribus, et quæcunque otiosa sunt, et ad salutem minime pertinentia. Jejuret lingua a detractone et murmuratione, ab inutilibus, vanis atque scurrilibus verbis: interdum quoque, ob gravitatem silentii, et ab ipsis quæ videri poterant necessaria. Jejuret manus ab otiosis signis, et ab operibus omnibus, quæcunque non sunt imperata; sed et multo magis anima ipsa jejuret a vitiis, et propria voluntate sua. Etenim sine jejuniō hæc cætera a Domino reprobantur, sicut scriptum est, quia *in diebus jejuniorum vestrorum voluntates vestræ inveniuntur* (*Isai. lvi, 3*).

SERMO IV

De oratione et jejuniō.

1. Quia jejunii quadragesimalis tempus advenit, quod tota devotione suscipere moneo charitatem vestram; dignum reor aliquatenus exponere, quo fructu, et quemadmodum oporteat jejunare. Primum quidem, fratres, pro eo quod ab ipsis quoque licitis abstinemus, ea nobis, quæ prius commisimus, illicita condonantur. Quid vero est condonari commissa, nisi jejuniō, brevi jejunia redimi sempiterna? Gehennam enim meruimus, ubi nullus unquam cibus est, consolatio nulla, terminus nullus; ubi guttur aquæ dives postulat, et accipere non meretur (*Luc. xvi, 24-26*). Bonum ergo et salutare jejuniū, quo redimuntur jejunia sempiterna et supplicia, dum redimuntur [*alias, remittuntur*] hoc modo peccata. Non solum autem abolitio est peccatorum, sed extirpatio vitiorum; non solum obtinet veniam, sed et promeretur gratiam; non solum delet peccata præterita quæ commisimus, sed et repellit futura quæ committere poteramus.

2. Dicam et unum adhuc quod facile capiatis, sæpius, ni fallor, experti. Jejuniū orationi devotionem et fiduciam donat. Et vide quemadmodum sibi invicem jejuniū et oratio sociantur, sicut scriptum est: *Frater adjuvans fratrem, ambo consolabuntur* (*Prov. xviii, 19*). Oratio virtutem imperat jejunandi, et jejuniū gratiam promeretur orandi.

Jejunium orationem roborat, oratio sanctificat jejunium, et Domino representat. Quid enim jejunium nobis proderit, si relinquatur in terra? quod absit. Sublevetur ergo jejunium penna quadam **821** orationis. Verum huic, ne forte minus sufficiat, alteram quoque necesse est sociari. *Oratio justii*, ait Scriptura, *penetrat cœlos (Eccli. xxxv, 20, 21)*. Sint ergo jejunio nostro, ut facile cœlos penetret, alæ duæ, orationis scilicet atque justitiæ. Justitia vero quæ est, nisi quæ cuique reddit quod suum est? Noli ergo quasi solum attendere Deum. Debitor enim es etiam prelati, etiam fratribus tuis: nec vult Deus ut parvipendas, quos ipse minime parvipendit. Neque enim sine causa ait Apostolus: *Providentes bonum non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus (Rom. xii, 17)*. Dicebas fortasse: Sufficit mihi si tantum Deus approbat quod ago; quæ mihi de humano cura judicio? Sed certus sis quod ei minime placeat, quidquid cum scandalo filiorum ejus, et contra ipsius feceris voluntatem, cui obedire tanquam ejus vicario oportebat. *Sanctificate*, inquit, *jejunium, vocate cœtum (Joel. iii, 15)*. Quid est enim cœtum vocare? Unitatem servare, diligere pacem, fraternitatem amare. Superbus ille Pharisæus jejunium habuit, jejunium sanctificavit, qui nimirum jejunavit bis in Sabbato, et gratias egit Deo; sed non vocavit cœtum, dicens: *Non sum sicut cæteri hominum (Luc. xviii, 11)*; ideoque alia una nitens jejunium ejus non pervenit in cœlum. Vos ergo, charissimi, lavate manus vestras in sanguine peccatoris, et omnino solliciti estote, ut alas duas habeat jejunium vestrum, sanctimoniam scilicet et pacem, sine qua nemo videbit Deum. *Sanctificate jejunium*, ut pura intentio et devota oratio divinæ illud offerat majestati: *Vocate cœtum*, ut congruat unitati: *Laudate Dominum in tympano et chore (Psal. cx, 4)*, ut concursus sit mortificatio carnis.

3. Porro quia et de jejunio et de justitia aliqua diximus, dignum est ut de oratione quoque pauca loquamur. Hæc enim quanto efficacior est, si fiat ut debet; tanto callidius impediri ab adversario solet. Interdum enim graviter impeditur oratio a pusillanimitate spiritus et timore immoderato. Hoc autem tunc solet fieri, cum sic cogitat homo propriam indignitatem, ut non convertat oculos ad divinam beatitudinem. *Abyssus enim abyssum invocat (Psal. xli, 8)*: abyssus luminosa, abyssum tenebrosam; abyssus misericordię, abyssum miserię. Profundum namque est cor hominis, et imperscrutabile. Sed si magna est iniquitas mea, multo major est, Domine, pietas tua. Ideoque cum ad me ipsum turbata fuerit anima mea, minor sum multitudinis misericordię tuę, et respiro in ea: et cum introiero in impotentias meas (**22**), nolo memorari justitię tuę solius.

4. Verumtamen sicut periculum est, si fuerit oratio nimis timida; sic in contraria parte non minus, imo et majus periculum est, si forte fuerit te-

(22) Hic variant scripti et editi. Quidam habent, *In potentias meas, nolo*, etc. Horstius habet, *tuas*.

meraria. De his qui sic orant, audi quid loquatur ad prophetam Dominus. *Clama*, inquit, *ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam (Isai. lviii, 1)*, etc. *Quasi tuba*, inquit: quia in spiritu vehementi increpandi sunt temerarii. Me etenim quæerunt, qui semetipsos nondum invenerunt. Nec hoc dico ut peccatoribus auferam orandi fiduciam; sed volo eos orare, tanquam gentem quæ peccatum fecerit, non justitiam. Orent pro indulgentia peccatorum suorum in animo contrito et spiritu humilitatis; quemadmodum Publicanus ille: *Deus*, inquit, *propitius esto mihi peccatori (Luc. xviii, 13)*. Temeritatem enim dico, quando is in cujus conscientia peccatum adhuc aut vitium aliquod regnat, ambulat in magnis et in mirabilibus super se, minus sollicitus pro periculo animæ suæ. Tertium periculum est, si sit oratio tepida, et non ex viva affectione procedens. Timida quidem oratio cœlum non penetrat, quia restringit animum timor immoderatus, ut oratio, non dicam non ascendere, sed nec procedere queat. Tepida vero in ascensu languescit et deficit, eo quod non habeat vigorem. Nam temeraria ascendit, sed resilit; resistitur enim ei: nec tantum non obtinet gratiam, sed et meretur offensam. Quæ vero fidelis, et humilis, **822** et fervens oratio fuerit, cœlum sine dubio penetrabit: unde certum est quod vacua redire non poterit.

SERMO V.

De triplici modo orationis.

1. Charitas, quæ pro vobis sollicitus sum, fratres mei, cogit ut loquar vobis: et urgente ea multo sæpius loquerer, nisi tam multis occupationibus impediret. Nec mirum si sollicitus sum pro vobis, cum inveniam in me ipso materiam multam et occasionem sollicitudinis. Quoties enim propriam miseriam et multimoda pericula cogito, haud dubium quin ad me ipsum conturbetur anima mea. Nec minor mihi sollicitudo est pro singulis quibusque vestrum, si tamen dirigo vos tanquam me ipsum. Novit ipse qui scrutatur corda, quoties in corde meo propriæ sollicitudini præponderat sollicitudo vestra. Nec mirum si multa mihi sollicitudo est, et timor magnus conturbat me super omnibus vobis, quos video in tanta miseria et in tantis constitutos esse periculis. Ipsi enim, ut manifestum est, gestamus laqueum nostrum, ubique proprium circumferimus inimicum: carnem hanc loquor de peccato natam, in peccato nutritam; corruptam nimis ipsa origine, sed multo amplius prava consuetudine vitiatam. Hinc est quod tam acriter caro adversus spiritum concupiscit, quod assidue murmurat, et impatiens est disciplinæ, quod illicita suggerit, quod nec rationi obtemperat, nec inhibetur ullo timore.

2. Huic accedit, hanc adjuvat, hæc utitur ad impugnandos nos callidissimus serpens, cui nullum aliud desiderium est, nullum studium, nullum negotium, nisi effundere sanguinem animarum. Hic est Sed nostra lectio melior, ut *impotentias* referatur ad pusillanimitatem.

qui jugiter machinatur malum, qui desideria carnīs A instigat, qui concupiscentiæ ignem naturalem quodammodo venenatis suggestionibus sufflat, illicitos motus inflamat; peccati occasiones parat, et mille nocendi artibus corda hominum tentare non cessat. Illic est qui manus nostras proprio cingulo alligat, et, ut dicitur, baculo nostro nos cædit, ut caro quæ data est in adjutorium, in ruinam nobis et in laqueum fiat.

3. Sed quid prædest indicasse pericula, si nulla consolatio, nulla adhibeantur remedia? Grande quidem periculum est, et gravis lucta adversus domesticum hostem: maxime cum nos advenæ simus, et ille civis; ille suam inhabitat regionem, nos exules simus, et peregrini. Magnum quoque discrimen, adversus diabolicæ fraudis astutias tam crebros, imo continuos habere conflictus; quem nec videre quidem possumus, et quem nimis astutum fecerit tam natura subtilis, quam longa exercitatio malitiæ ejus. Verumtamen in nobis est, si vinci nolimus: et nemo nostrum in hoc certamine dijicitur invitus. Sub te est, o homo, appetitus tuus, et tu dominaberis illi (*Gen. iv, 7*). Potest inimicus excitare tentationis motum: sed in te est, si volueris, dare seu negare consensum. In tua facultate est, si volueris, inimicum tuum facere servum tuum, ut omnia tibi cooperentur in bonum. Ecce enim inflamat inimicus desiderium cibi, vanitatis aut impatientiæ cogitationes ingerit, aut excitat libidinis motum: tu solummodo ne consenseris; et quoties resisteris, toties coronaberis.

4. Verumtamen negare non possumus, fratres, molesta sunt hæc, et periculosa: sed, et in ipso certamine, si viriliter resistimus, quædam pia tranquillitas de conscientia bona nascitur. Credo etiam, si cogitationes istas quam cito in nobis advertimus, non patimur remorari, sed in spiritu vehementi animus adversus illas excitatur, quoniam inimicus confusus abscedet a nobis, nec tam libenter illico revertetur. Sed qui sumus nos, aut quæ fortitudo nostra, ut tam multis 823 tentationibus resistere valeamus? Hoc erat certe quod quærebat Deus, hoc erat ad quod nos perducere satagebat: ut videntes defectum nostrum, et quod non est nobis auxilium aliud, ad ejus misericordiam tota humilitate curramus. Propterea rogo vos, fratres, ut semper ad manum habeatis tutissimum orationis refugium, de qua etiam meminimus me paulo ante in fine sermonis esse locutum.

5. Verumtamen quoties de oratione loquor, verba quædam humanæ cogitationis audire mihi videor in corde vestro, quæ et ab aliis frequenter audivi, et nonnunquam expertus sum in corde meo. Quid enim est, quod licet nunquam ab oratione cessemus, vix unquam experiri videamur aliquis nostrum quis sit orationis suæ fructus? Sicut ad orationem accedimus, sic et redire videmur: nemo nobis respondet verbum, nemo quidquam donat, sed laborasse videmur incassum. Sed quid in Evangelio dicit Dominus?

Nolite, ait, judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate! (Joan. vii, 24.) Quod est autem justum judicium, nisi judicium fidei? Quoniam justus ex fide vivit (*Habac. ii, 4*). Ergo judicium fidei sequere, et non experimentum tantum: quoniam fides quidem verax, sed experimentum fallax. Quæ est ergo veritas fidei, nisi quod promittit ipse Filius Dei: *Quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, et fiet vobis? (Matth. xxi, 22.)* Nemo vestrum, fratres, parvipendat orationem suam. Dico enim vobis quia ipse ad quem oramus, non parvipendit eam. Præterquam egressa sit ab ore nostro, ipse scribi jubet eam in libro suo. Et unum indubitanter e duobus sperare possumus, quoniam aut dabit quod petimus, aut quod nobis noverit esse utilem. Nos enim quid B oremus sicut oportet nescimus: sed miseretur ille super ignorantia nostra; et orationem benigne suscipiens, quod nobis aut omnino non est utile, aut non tam cito dari necesse est, minime tribuit: oratio tamen infructuosa non erit.

6. Ita sane, si fecerimus quod monemur in psalmo, id est si delectemur in Domino. Ait enim sanctus David: *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui (Psal. xxxvi, 4)*. Sed quid est, o Propheta, quod tam absolute mones delectari in Domino, ac si ad manum nobis sit hujusmodi delectatio? Delectationem cibi, somni, quietis et cæterorum, quæ in terra sunt, novimus: Deus autem quam delectationem habet, ut in eo delectemur? Fratres mei, seculares hoc dicere possunt, vos non potestis. Quis enim vestrum est qui non sæpe expertus sit conscientiæ bonæ delectationem? qui non gustaverit saporem castitatis, humilitatis, charitatis? Non est hæc delectatio potus, neque cibi, aut similis cuiuslibet rei: delectatio tamen est, et major omnibus illis. Divina enim est, et non carnalis delectatio: et cum in his delectamur, plane delectamur in Domino.

7. Sed causantur multi fortasse quod affectum hunc delectabilem et dulciorem super niel et favum rarius experiantur, nimirum quia tentationibus interim exercentur: multoque viriliter agunt, si virtutes ipsas non pro delectatione, quam experiantur, sed pro virtutibus ipsis et pro solo beneplacito Dei toto intentione, etsi non tota affectione sectantur. Nec dubium quin optime compleat qui hujusmodi est, Propheta admonitionem, qua dicit: *Delectare in Domino; quoniam non de affectu loquitur, sed de exercitio. Affectus enim ille beatitudinis est, exercitium vero virtutis. Delectare, inquit, in Domino: ad hoc tende, ad hoc conare, ut in Domino delecteris, et dabit tibi petitiones cordis tui.* Sed considera quod petitiones cordis dixerit, quas approbat judicium rationis. Nec habes unde causeris, sed unde magis toto affectu in gratiarum actione verseris: quandoquidem tanta super te cura est Deo tua, ut quoties ignorans quæris quod tibi inutile est, non te audiat super hoc, sed mutet illud utiliori dono. Sic et pater carnalis parvulo quærenti panem libenter porri-

git : querenti cultellum, quem non necessarium putat, non consentit, sed magis panem ei quem dederat frangit, vel per aliquem **824** ministrorum frangi præcipit, ut nihil ille habeat periculi, nihil labori.

8. Porro petitiones cordis in tribus credo constare, nec video quid præter illa electus quisque sibi debeat postulare. Duo quidem hujus temporis sunt, id est bona corporis et animæ, tertium vero beatitudo æternæ vitæ. Nec mireris quod bona corporis a Deo dixerim esse quærenda; quoniam ejus sunt corporalia omnia, sicut et spiritualia omnia bona. Ab eo ergo petendum et sperandum nobis est, unde possimus in ejus servitio sustentari. Veruntamen pro necessitatibus animæ orandum nobis est et frequentius, et ferventius, id est pro obtinenda gratia Dei, animæque virtutibus. Sic et pro vita æterna tota pietate et toto nobis orandum est desiderio, ubi nimirum corporis et animæ plena et perfecta sit beatitudo.

9. In his ergo tribus, ut cordis petitiones sint, tria nobis sunt observanda. Nam et in prima quidem superfluitas, et in secunda impuritas, et elatio interdum subrepere solet in tertia. Nonnunquam enim temporalia quæri solent ad voluptatem, virtutes ad ostentationem; sed et vitam æternam fortassis aliqui non in humilitate quærent, sed tanquam in fiducia suorum meritorum. Nec hoc dico, quin accepta gratia fiduciam donet orandi; sed non oportet ut in ea constituat quisquam fiduciam impetrandi. Hoc solum conferunt hæc prima [alias, præmissa] dona, ut ab ea misericordiæ quæ tribuit hæc, sperentur etiam ampliora. Sit ergo oratio quæ pro temporalibus est, circa solas necessitates restricta; sit oratio quæ pro virtutibus est animæ, etiam ab omni impuritate libera, et circa solum beneplacitum Dei intenta; sit ea quæ fit pro æterna vita, in omni humilitate, præsumens de sola (ut dignum est) misericordie divina.

SERMO VI.

De oratione Dominica. (Matth. vi, 9-13.)

1. Voluntas Domini, fratres, quæ prius angelos creavit faciens eosdem, postmodum in eis facta beavit. Sicut enim Verbum quod erat in principio, carnem suspiciens dicitur, et vere dicitur, factum caro (Joan. i, 1, 14) : sic voluntas illa æterna in angelo facta est, cum angelicam omnino in se absorbit voluntatem. Quidni dicatur facta in angelo, cum angelica facta est? Hæc enim summa illius felicitatis est, hic voluptatis cœlestis torrens, quod divina voluntas ipsa facta est etiam angelorum : ut quemadmodum placet Deo universitas administrationis hujus, sic et ipsi in cunctis gaudeant, in omnibus delectentur. Hoc igitur oramus, ut hæc voluntas, sicut in cœlestibus facta est creaturis, fiat etiam in terrenis; ut sicut angelus, sic et homo adhærens Deo, unus cum eo spiritus sit. Sed heu me! quot obstacula separant, quot prohibent impedimenta! Objicit sese malitia mediam, objicit infirmitas, objicit con-

cupiscentia et ignorantia nostra. Inest enim nobis quasi a natura, magis autem ab exterminio naturæ, affectio quædam pessima et libido nocendi, ut inextinguibilis invenitur in miseris animabus nostris malitiæ delectatio. Quid vero longius a voluntate divina? Plane chaos magnum inter nos et illam firmatum est in hac parte : cum semper eum delectet præstare beneficia, et ingratis nobis e contra suggerat affectio crudelissima et innoxii velle nocere. Hinc omnis radix amaritudinis germinat, hinc invidiæ, hinc detractiones, hinc dissentiones pululant, hinc silvescunt inimiciæ. At hæc quidem germina virulenta præcidi semper necesse est falce justitiæ, qua videlicet extorquemus a nobis, ne cui faciamus quod nolumus nobis fieri; sed quæ volumus ut faciant nobis homines, et nos eis eadem faciamus. Eradicari tamen aut extirpari a cordibus nostris omnino non poterit malitia, donec in mundo fuerimus, qui totus positus est in maligno. Conteritur quidem **825** serpentis caput, sed frequenter expertri est calcaneo insidiantem.

2. Secundo loco ipsa quoque corruptibilis hujus infirmitate corporis præpedimur, ne voluntas nostra divinæ valeat coherere. Nobis siquidem quod molestum sentimus, non potest non displicere; et frequenter in his voluntas nostra a divina dissidet voluntate : cui ne penitus adversetur, fortitudo est nobis necessaria, quæ secunda species est virtutis.

3. Nec sola impedit afflictio corporis : impedit et concupiscentia, qua multiplicibus et inexplēbilibus distrahimur desideris. Quando autem poterit infractuosa et angulis plena voluntas ei uniri, quæ rectissima est, et omnimodis indistorta? Heu me! Domine Deus, quia undique mihi bella, undique tela volant, undique pericula, undique impedimenta! Quocunque me vertam, nulla usquam securitas est. Et quæ mulcent, et quæ molestant, timeo : et esuries et refectio, et somnus et vigiliæ, et labor et requies militant contra me. *Divitias et paupertatem ne dederis mihi*, orat sapiens (Prov. xxx, 8) : nimirum quia utrobique laqueus, utrobique periculum. Quod si reprimit temperantia concupiscentiam (hoc quippe unicum in hujusmodi remedium est), erit quidem unio jam nonnulla, sed plena non erit. Hinc et Apostolus de se fatetur : *Ego ipse, ait, mente consentio legi Dei, carne autem legi peccati, quæ est in membris meis* (Rom. vii, 25, 25). Ex parte ergo coherere, et ex parte dissidet, donec veniat quod perfectum est, et quod ex parte est evacuatur.

4. Quarta est ignorantia, quam et ipsam nobis plurimum obesse non ignoratis. Quo enim pacto voluntatem Dei præviam sequar, ubi ignoro eam? Cognosco autem tantum ex parte, et necdum sicut cognitus sum. Propterea inquirenda sunt nobis cum omni desiderio incrementa prudentiæ, ut magis ac magis notam faciat nobis Deus voluntatem suam, ut sciamus quid acceptum sit ei omni tempore. Sic virtutum consummatio, justitiæ, fortitudinis, temperantiæ et prudentiæ, unionem illam tam felicem

quam desiderabilem consummabit, ut sit nobis cum Deo una voluntas, et quæcunque ei placeant, placeant simul et nobis : atque hæc nobis erit (ut de angelis supra dictum est) omnino perfecta jucunditas.

5. Oramus autem ut adveniat regnum Domini, quo videlicet nobis plena sit de regni potestate securitas. Quod autem petimus ut sanctificetur nomen ejus, omnino jam supra nos in ejus notitiam pergere concupiscimus. Ubi nimirum nobis in nobis et felix securitas, et segura felicitas fuerit, in eum qui supra nos est, tota jam spiritus vehementia rapiemur. *Sanctificetur nomen tuum.* Nomen ejus, gloria ejus. *Et illa quando non sancta?* Fieri tamen dicitur sancta gloria ejus, cum in sanctitate glorificatur a nobis : sicut et voluntatem ejus, quæ æterna est, in nobis, ut nostra fiat, fieri postulamus. Hoc ergo primum fieri petimus quod maximum est, ut nobis gloriæ illius innoscescat sanctitas illibata. Exinde quod ad nos spectat optamus, et regni potestatem propter securitatem, et voluntatis ejus in nobis perfectionem propter jucunditatem. Sed quia necdum illa perfectione gaudentes, non sine magno labore divinæ possumus obtemperare voluntati; opus est cibo ne deficiamus, opus est, inquam, pauca quotidiano. Sæpius quoque aberrantes ab ea, et delinquentes, hoc est derelinquentes eam, necessario pro indulgentia supplicamus, dicentes : *Dimitte nobis debita nostra*, etc. At ne forte in eadem recidamus post acceptam veniam peccatorum, orandum a nobis idem ipse est, ne nos inducat in tentationem; sed magis educat nos, et liberet a malo. Amen.

826 SERMO VII.

De peregrino, mortuo et crucifixo.

1. Felices, qui se præsentis sæculo nequam advenas et peregrinos exhibent, immaculatos se custodientes ab eo! Neque enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus (*Hebr. xiii, 14*). Abstineamus ergo a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, tanquam advenæ et peregrini. Peregrinus siquidem via regia incedit; non declinat ad dexteram, neque ad sinistram. Si forte jurgantes viderit, non attendit; si nubentes, aut choros ducentes, aut aliud quodlibet facientes, nihilominus transit, quia peregrinus est, et non pertinet ad eum de talibus. Ad patriam suspirat, ad patriam tendit : vestitum et victum habens non vult illis onerari. Beatus plane, qui suum sic agnoscit, sic deplorat incolatum, dicens Domino : *Quoniam advena ego sum apud te et peregrinus, sicut omnes patres mei* (*Psal. xxxviii, 13*). Magnum hoc quidem, sed forte gradus aliquis altior est. Nam peregrinus, etsi non admiscetur civibus, aliquando tamen delectatur videre quæ sunt, aut audire ab aliis, aut ipse narrare quæ viderit : et his et hujusmodi, etsi penitus non retinetur, detinetur tamen et retardatur, dum minus memor patriæ, minori accelerat desiderio. Nam et tantopere [*Alia*, tanto tempore] potest in his delectari, ut jam non solum remoretur, et

A minus cito veniat; sed et remaneat ex toto, ne tarde quidem perveniat.

2. Quis igitur est magis alienus ab actibus sæculi, quam peregrinus? Perfecto quibus dicit Apostolus : *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Coloss. iii, 3*). Peregrinus nimirum potest facile occasione viatici plus quam oporteat, et detineri quærendo, et prægravari portando : mortuus, si desit etiam ipsa sepultura, non sentit. Sic vituperantes ut laudantes, sic adulantes audit ut deridentes, imo vero nec audit, quia mortuus est. Omnino felix mors, quæ sic immaculatum servat; imo penitus alienum facit ab hoc sæculo. Sed necesse est ut qui non vivit in se, vivat Christus in illo. Hoc est enim quod ait Apostolus : *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Galat. ii, 20*). Ac si diceret : Ad alia quidem omnia mortuus sum, non sentio, non attendo, non curo : si qua vero sunt Christi, hæc me vivum inveniunt et paratum. Nam si non aliud possum, saltem sentio : placet quod ad ejus honorem fieri video, displicent quæ aliter fiunt. Magnus omnino gradus est iste.

3. At fortasse poterit aliquid adhuc superius inveniri. In quo ergo quæremus? In quo putas, nisi in eo de quo nunc loquebamur, qui raptus est usque ad tertium cælum? Quis enim prohibet tertium cælum dicere, si quem gradum supra istos poteris invenire? Audi igitur ipsum de hac tanta altitudine non in se gloriantem, sed dicentem : *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo* (*Galat. vi, 14*). Non solum inquit, mortuus mundo, sed et crucifixus : quod est ignominiosum genus mortis. Ego illi, pariter et ipse mihi. Omnia quæ mundus amat, crux mihi sunt : delectatio carnis, honores, divitiæ, vanæ hominum laudes. Quæ vero mundus reputat crucem, illis affixus sum, illis adhæreo, illa toto amplector affectu. An non major iste est secundo et primo gradu? Peregrinus, si prudens est, et non obliviscitur suæ peregrinationis, licet cum labore, transit, et non magnopere sæcularibus implicatur. Mortuus æque blanda hujus sæculi, sicut aspera spernit. Qui vero raptus est usque ad tertium cælum, crux illi est omne cui mundus inhæret; et his adhæret quæ mundo crux esse videntur. Quamvis in his verbis Apostoli illud quoque non incongrue possit intelligi, crucifixum ei mundum reputatione, ipsum vero mundo crucifixum compassione. Crucifixum enim mundum videbat obligationibus vitiorum, et **827** ipse crucifigebatur ei per compassionis affectum.

4. Pensamus nunc singuli in quo gradu quisque sit positus, et studeamus proficere de die in diem, quoniam de virtute in virtutem videbitur Deus deorum in Sion (*Psal. lxxxiii, 8*). Maxime vero hoc sancto tempore in omni, obsecro, puritate conversari studeamus, ubi et certus, et brevis dierum numerus positus est, ne desperet humana fragilitas. Nam si dicitur nobis : *Omni tempore solliciti estote*

omnino ad custodiendam puritatem vestrae conversationis; quis non desperet? Nunc autem monemur, brevi dierum numero omnes aliorum temporum negligentias emendare: ut vel sic gustemus dulcedinem perfectae puritatis, et omni deinceps tempore in conversatione nostra sanctae hujus Quadragesimae vestigia clara resplendeant. Conemur ergo, fratres, sanctum hoc tempus tota devotione suscipere, et nunc magis arma spiritualia reparare. Nunc enim generali quodam totius orbis exercitu contra diabolum Salvator congregitur: beati qui sub tali duce strenue militaverint. Toto siquidem anno domestica

A regis familia militat, et assidua est in bellorum procinctu [*alias additur lucta*]; semel autem et certo tempore universum imperium generali congregatur exercitu. Felices vos, qui domestici meruistis esse, quibus dicit Apostolus: *Jam non estis hospites et advenae, sed estis cives sanctorum et domestici Dei* (Ephes. II, 19). Quid igitur facturi sunt qui toto anno pugnare susceperunt, quando et ipsi rudes, et vacantes prius spiritualia arma arripiunt? Utique solito amplius solitae opus est insistere pugnae, ut magna quaedam victoria regi nostro ad gloriam, nobis proveniat ad salutem.

IN PSALMUM XC, QUI HABITAT, SERMONES XVII (23), IN QUADRAGESIMA HABITI.

PRÆFATIO.

1. Considero labores vestros, fratres, non sine magno miserationis affectu. Quæro consolationem quam exhibere possim, et corporalis occurrit; sed ea non prodest quidquam, magis et obesse plurimum potest. Siquidem modica sementis detractio, non modicum messis est detrimentum: et si poenitentia vestra minuatur miseratione crudeli, paulatim gemmis corona vestra privatur. Quid tamen agimus? ubi prophetæ farinula? (IV Reg. IV, 41.) Siquidem mors in olla est; et mortificamini tota die in jeuniis multis, in laboribus frequenter, in vigiliis supra modum, præter ea quæ intrinsecus sunt contritio cordium, et multitudo tentationum. Mortificamini, sed propter eum qui mortuus est pro vobis. Quod si abundat tribulatio vestra pro eo, abundabit consolatio vestra per eum, ut in eo delectetur anima, quæ in aliis renuit consolari. Apud ipsum namque ipsa quoque tribulatio magna quaedam consolatio poterit inveniri. Nonne enim certum est supra vires humanas, ultra naturam, contra consuetudinem esse quæ sustinetis? Alius igitur portat ista, ille sine dubio, qui secundum Apostolum portat omnia verbo virtutis suæ (Hebr. I, 3). Nonne ex hoc jam suo ipsius gladio inimicus perimitur, et magnitudo tribulationis, de qua tentare solebat, ipsa magis tentationis exsuperat, tanquam certissimum divinæ præsentis argumentum? Quid enim timendum nobis, si adest qui portat omnia? *Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?* (Psal. XXVI, 1.) *Nam si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es* (Psal. XXXII, 4). Quid est quod totam molem terræ sustinet? et universus orbis cui innititur? Nam si est **828** aliquid quod sustineat cætera, ipsum a quo sustinetur? Non invenitur nisi virtutis verbum omnia portans. Verbo enim Domini cæli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum (Psal. XXXII, 6).

2. Propterea, ut sit vobis in verbo Domini conso-

B latio, maxime his diebus, quibus (sicut omnino dignum est) aliquatenus major est labor vester; ut confido, non erit inutile tractare vobiscum aliquid de Scripturis sanctis, quod etiam aliqui vestrum rogarunt. Unde nobis eligendus est psalmus ipse, de quo tentationis occasionem inimicus assumpsit (21), ut inde confringantur arma maligni, unde sibi usurpare præsumpsit. Propterea nolo vos ignorare, fratres, quoniam manifeste imitatores sunt inimici, quicumque de Scripturis sanctis aliquid non sancte usurpant, et detinent veritatem Dei in mendacio, sicut solent quandoque nonnulli. Cavete hoc, dilectissimi, quia prorsus diabolicum est, et de parte ejus se esse probant qui id faciunt, in suam ipsorum perniciem salutaria scripta pervertere molientes. Sed non modo plus immoror: sufficit, credo, breviter tetigisse. Jam de ipso, quem elegimus, psalmo aliqua præstante Domino disserere et explanare tentemus.

SERMO I.

De versu primo, « Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur. »

1. Quis sit divini inhabitator adjutorii, per non inhabitantes illud melius potest agnosci. Tria siquidem eorum reperies genera: unum non sperantium, aliud desperantium, tertium frustra sperantium. Neque enim habitat in adjutorio Dei, qui non posuit Deum adiutorem suum, sed confidit in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum. Surdus namque est ad prophetæ vocem dicentis: *Quærite Dominum, dum inveniri potest; invocate eum, dum prope est* (Isa. LV, 6): et sola temporalia quærens, æmulatur in malignantibus, pacem peccatorum videns; et elongatur ab adjutorio Altissimi, quod sibi ad hæc necessarium esse non reputat. Sed quid nobis de his quæ foris sunt judicare? Timeo, fratres, ne forte etiam sit in nobis, qui non habitat in adjutorio Altissimi, sed confidat in virtute sua et in multitudine divitiarum suarum. Forte enim fervorem ha-

(23) In codice Vaticano, num. 603, appellatur Liber in psalmum *Qui habitat*, constatque non sermonibus, sed capitibus 18. In quibusdam manuscriptis numerantur sermones dumtaxat quindecim,

tribus primis in unum conjectis. Habiti sunt post annum 1158, infra ex sermone 6.

(24) Quippe verbis psalmi 90 abusus est diabolus tentans Christum, scilicet versu 11.

bet aliquis, potens in vigiliis, in jejuniis, in labore et cæteris hujusmodi, aut etiam multorum (ut sibi videtur) divitiis meritorum longo tempore acquisivit; et in his confidens, remissior est in timore Dei, facile jam ad otiositates et curiositates perniciose quadam securitate declinat, murmurat, detrabit, dijudicatque. Qui profecto, si habitaret in adjutorio Dei, attenderet utique sibi et timeret offendere, quem sibi cognosceret adhuc tam necessarium esse. Tanto siquidem amplius timere Deum, et magis sollicitus esse debuerat, quanto majora ejus munera jam percepit. Neque enim quæ habemus ab eo, servare aut tenere possumus siue eo. Nunc vero (quod non sine dolore loquimur aut videmus) sunt aliqui qui in conversionis initio satis timorati et solliciti sunt, donec initium aliquod conversationis [*alias, conversionis*] acceperint; et cum multo magis desiderare debuerant, juxta illud: *Qui edunt me adhuc esurient* (*Eccli. xxiv, 29*); incipiunt sic agere ac si dicant: Utiquid ei serviamus ultra, quando jam habemus quod daturus est? O si scires quam parum est quod habes, et hoc ipsum quam cito perdes, si non servaverit ille qui dedit! Hæc enim duo sunt quæ valde sollicitos et subiectos Deo nos reddere possunt, ut non simus de his qui propterea non habitant in adjutorio Altissimi, quia non reputant illud sibi necessarium esse; et hi sunt qui non sperant in Domino.

2. Sunt autem et alii qui et desperant; hi scilicet qui considerantes imbecillitatem propriam, deficiunt **829** et obruuntur a pusillanimitate spiritus, habitantes in carne sua, et circa infirmitatem propriam semper intenti, ut omnia quæ patiuntur, cursim enumerare parati sint. Ubi enim intenderis, ingenium valet. In adjutorio autem Dei non habitant, neque noverunt illud, quod nec assurgere valeant, ut aliquando cogitent illud. Sunt autem alii qui sperant quidem in Domino, sed frustra; quia sic de misericordia ejus sibi ipsis blandiuntur, ut a peccatis suis non emeudentur. Vana est omnino spes ista, et hæc confundit, eo quod charitas desit. Contra hos propheta: *Maledictus, inquit, qui peccat in spe* (25); et alius: *Beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus* (*Psal. cxlvi, 11*). Dicturus, *qui sperant*, signanter præmisit, *super timentes eum*. Frustra siquidem sperat, qui contemptu suo gratiam a se repellit, et spem suam prorsus evacuat.

3. Nullus ergo horum trium habitat in adjutorio Altissimi. Primus enim habitat in meritis suis, secundus in pœnis, tertius in vitiis. Immunda habitatio tertii, anxia secundi, stulta et periculosa primi. Quid enim stultius quam habitare in domo vix adhuc inchoata? Consummasse te putas? At cum consummaverit homo, tunc incipit (*Eccli. xviii, 6*). Denique ruinea est omnino hæc habitatio, et quæ sustentari magis opus habeat et fulciri, quam inhabitari. Nonne vita præsens fragilis est et incerta?

A Simile ergo esse necesse est quidquid fundatur in ipsa. Quis enim super fragile fundamentum stabile credat ædificium? Periculosa habitatio eorum qui in meritis suis sperant; periculosa, quia ruinosæ. Eorum vero qui consideratione propriæ infirmitatis desperatione deficiunt, habitatio est anxia, et eos in tormentis diximus habitare. Quoad enim et pœnas sustinent, in quibus nocte et die conteruntur; et eis quoque quas nondum sentiunt, amplius cruciantur, ut non sufficiat diei malitia sua, sed opprimuntur his quoque quæ fortasse nunquam experientur: quæ tormenta, quis infernus intolerabilior potest excogitari? præsertim quia et tanto labore premuntur, et cœlestis panis non sustentantur edulio. Hi sunt qui in adjutorio Altissimi non habitant, quia desperant. Priores autem idcirco non quærent, quia nequaquam sibi illud necessarium sentiunt. Extremi vero propterea longe sunt, quia eo modo quærent auxilium Dei, quo obtinere non possunt. Soli enim in adjutorio Altissimi habitant, qui id solum obtinere desiderant, id solum amittere trepidant; sedula circa illud et sollicita cogitatione versantes, quæ est utique pietas cultus Dei. Beatus plane qui sic habitat in adjutorio Altissimi, quia in protectione Dei cœli commorabitur. Quid ei nocere poterit eorum quæ sub cœlo sunt, quem Deus cœli protegere et conservare voluerit? Porro sub cœlo sunt quæcunque nocere possunt. Sub cœlo sunt aeræ potestates, sub cœlo præsens sæculum nequam, et caro adversus spiritum concupiscens.

4. Optime igitur dictum est: *In protectione Dei cœli commorabitur*; ut nihil eorum quæ sub cœlo sunt timere possit, quisquis protectionem ejus habere meruerit; sive ita dictum sit, ut ad verum sequentem oratio dependeat: *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur, dicit Domino: Susceptor meus es tu*; et sit quod dicitur, *in protectione Dei cœli commorabitur*; expositio præcedentis partis: *Qui habitat in adjutorio Altissimi: aut magis addere videatur, ut non solum adjutorium ad operandum bonum, sed protectionem quoque ad liberandum a malo doceat esse quærendam*. At vero diligenter attende quod *in protectione* dicit, non, in præsentia. Angelus in præsentia ejus exsultat; ego utinam possim in ejus protectione morari. Ille beatus in præsentia; ego utinam in protectione sim securus. *Dei cœli, inquit*. Licet enim ubique esse non dubitetur, sic tamen in cœlo est, ut ad ejus comparisonem nec esse videatur in terris. **830** Propter quod et orantes dicimus: *Pater noster, qui es in cœlis* (*Matth. vi, 9*). Sicut enim anima, cum in toto quoque sit corpore, excellentius tamen et singularius est in capite, in quo sunt omnes sensus (nam in cæteris omnibus membris vix unum exercet solum, scilicet tactum, unde quantum ad eum modum quo in capite est, cætera membra videtur quodammodo non tam inhabitare quam regere); ita si

(25) Incertum quis iste propheta, nisi sit Jeremias, qui simile habet in cap. xvii, 5.

præsentiam illam [*alias*, illius] cogitemus, qua beati angeli perfruuntur, videri possumus vix aliquam Dei protectionem et nomen habere. Felix tamen anima, quæ vel hanc protectionem meretur. *Dicit enim Domino : Susceptor meus es tu.* Verum id quidem sermoni alteri reservemus.

SERMO II.

De versu secundo, « Dicit Domino : Susceptor meus es tu, » etc.

1. Qui habitat in adjutorio Altissimi, ait Propheta, *dicit Domino : Susceptor meus es tu, et refugium meum ; Deus meus, sperabo in eum.* Dicit in gratiarum actione, confitens Domino et misericordię ejus super duplici adjutorio ejus. Omnis enim qui adhuc in adjutorio habitat, non in regno, et frequenter opus habet fugere, et interdum cadit. Fugere, inquam, dum in hoc corpore sumus, a facie tentationis persequentis oportet. Quod si minus celeriter fugimus, aliquando (ut assolet) impellimur et evertimur, sed Dominus suscipit nos. Ipse itaque refugium est, ut venientem cum stercorebus bonum pigrorum lapidatorem impigri fugiamus, et evadere possimus sædam nimis lapidationem (*Eccli. xxii, 4*). Ipse quoque susceptor est, ut etiam, cum ceciderimus, non collidamur, quoniam supponit manum suam. Cum ergo tentationis impetum sentimus in cogitatione, statim fugiamus ad ipsum, et humiliter postulemus auxilium. Quod si forte præoccupaverit nos, ut sit aliquando, cum tardius quam oporteat ad eum confugimus; solliciti simus ut suscipiat nos manus Domini. Homines enim aliquando cadere necesse est, dum in hoc sæculo detinentur; sed alii colliduntur, alii non, quia Deus supponit manum suam. Sed quomodo eos discernere poterimus, ut segregemus juxta Domini exemplum agnos ab hædis, justos ab injustis? (*Matth. xxv, 32.*) Nam et justus septies in die cadit (*Prov. xxiv, 16*).

2. Verum hoc interest inter eorum casus, quod justus suscipitur a Domino, ideoque resurgit fortior : injustus autem cum ceciderit, non adjiciet ultra ut resurgat ; imo vero aut in pudorem noxiuin, aut in impudentiam cadit. Aut enim excusat quod fecit, et hic est pudor adducens peccatum ; aut fit ei frons meretricis, et jam nec Deum timet, nec hominem reveretur, sed prædicat peccatum suum sicut Sodoma. Justus vero super manum Domini cadit, et miro quodam modo etiam ipsum ei peccatum in justitia cooperatur. Scimus enim, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum (*Rom. viii, 28*). Nonne cooperatur nobis ille casus in bonum, unde et humiliores efficimur, et cautiore? Nonne Dominus cadentem illum suscipit, qui ab humilitate suscipitur? *Impulsus eversus sum ut caderem*, ait Propheta : sed nihil proficit qui impulit me, quoniam *Dominus suscepit me* (*Psal. cxvii, 13*). Sic ergo dicit fidelis anima Domino : *Susceptor meus es tu.* Possunt omnia dicere : Creator meus es tu ; possunt et animalia dicere : Pastor meus es tu ; possunt omnes homines dicere : Redemptor meus es tu.

A At vero *Susceptor meus es tu*, is tantum dicere potest qui habitat in adjutorio Altissimi. Unde et addidit : *Et Deus meus.* Cur non, Deus noster? Quia in creatione, in redemptione, cæterisque communibus beneficiis est Deus omnium; sed in tentationibus suis tanquam proprium eum habent singuli electorum. Sic enim paratus est suscipere cadentem, et eripere fugientem, **831** ut videri possit relictis omnibus aliis ei soli operam dare.

3. Propterea expedit omni animæ Deum semper attendere tanquam proprium, non modo adjutorem, sed etiam inspectorem. Quando [*Alias*, quomodo] enim negligens poterit fieri, qui intuentem se Deum nunquam desinit intueri? Aut quomodo non quasi proprium illum habere videtur, qui sic eum super se videt intentum, ut omnia interiora ejus et exteriora omni hora considerare non cesset; omnesque non solum ætus, sed etiam ipsos subtilissimos animæ motus perscrutetur atque dijudicet? Hic igitur non immerito dicere potest : *Deus meus, sperabo in eum.* Et attende quod non dixerit : *Speravi*, aut, *spero*; sed, *sperabo*. Hoc, inquit, est votum meum, hoc propositum meum, hæc intentio cordis mei. Reposita est hæc spes mea in sinu meo, et in hac perseverabo. *Sperabo in eum.* Non desperabo, nec frustra sperabo, quia maledictus qui peccat in spe et nihilominus qui peccat in desperatione; sed nec esse volo de his qui non sperant in Domino. *Sperabo*, inquit, *in eum.* Sed jam dic nobis quo fructu, quo mercede, quo lucro? *Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero.* Sane laqueum hunc et hoc verbum in diem alterum, et sermonem, si placet, alterum differamus.

SERMO III.

De versu tertio, « Deus meus, sperabo in eum. Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero. »

1. Ego utique, fratres, in hoc verbo magna mei ipsius pietate compungor, et valde misereor animæ meæ. *Ipse liberavit me de laqueo venantium.* Ergone bestię sumus nos? Bestię prorsus. *Hæmo enim cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (*Psal. xlviii, 13*). Bestię profecto sunt homines, oves errantes non habentes pastorem. Quid superbis, o homo? quid te sciolium jactas? Vide quia bestia factus es, cui venandæ laquei preparantur. Sed qui sunt venatores isti? Venatores utique pessimi et nequissimi, callidissimi et crudelissimi. Venatores, qui cornu non sonant, ut non audiantur, sed sagittant in occultis immaculatum. Ipsi rectores sunt tenebrarum harum, astutissimi nequitia et versutia diabolicæ fraudis : ita ut sicut est ante venatorem bestia, sic ad eorum comparationem sit quilibet astutissimus hominum, præter eos duntaxat, qui cum Apostolo non ignorant cogitationes eorum (*II Cor. ii, 11*), quibus in Dei sapientia datum est fraudes deprehendere malignorum. Obsecro vos, novellæ plantationes Dei, vos qui nondum exercitatus habetis

sensus ad discretionem boni et mali, nolite sequi A cordis vestri iudicium, nolite abundare in sensu vestro; ne vos, tanquam rudes adhuc, versutus ille venator decipiat. Nam silvestribus illis et omnino bestialibus bestiis (sæculares homines loquor) apertos satis expandit laqueos, utpote quos facile capiendos esse non dubitat. Vobis autem, qui tanquam prudentiores cervi serpentes necatis (26), et desideratis ad fontem vivum, subtiliores occultat laqueos, et callidiora fraudis suæ argumenta conquirunt. Unde, obsecro vos, humiliamini sub potenti manu Dei pastoris vestri, et acquiescite eorum consiliis, qui melius norunt venatoris illius versutias, edocti diuturno longi temporis exercitio, et crebris experimentis, tam in se, quam in multis.

2. Sed ecce quia jam venatores et bestias novimus; quisnam sit laqueus iste querendum est. Nolo ego advenire ex me, nec dubium aliquid tradere vobis. Ostendat nobis Apostolus laqueum istum: ipse enim venatorum illorum non ignorat cogitationes. Dic nobis, inquam, beate Paule, quis sit laqueus iste diaboli, a quo se liberatam fidelis anima congratulatur. *Qui volunt, inquit, divites fieri in hoc sæculo, incidunt in tentationes, et in laqueum diaboli (Tim. vi, 9).* Ergone laqueus diaboli, divitiæ sunt hujus sæculi? Heu quam paucos **832** invenimus, qui ab hoc laqueo liberari exsultent! quam multos, qui dolent quod parum sibi videntur irretiti; et adhuc quantum possunt, ipsi se involvere et intricare laborant! Vos qui reliquistis omnia, et secuti estis non habentem ubi caput suum reclinaret, Filium hominis (*Luc. ix, 58*), exsultate, et dicite: *Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium.* Constatemini illi toto corde, tota anima, tota virtute, et ex ipsis medullis cordis gratias ei agite, dicentes: *Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium.* Et ut noveritis quam magnum sit beneficium hoc, et sciatis quæ a Deo donata sunt vobis, audite quod sequitur: *Et a verbo aspero.* O homo, vel magis bestia, laqueum non timebas? Time vel malleum. *A verbo, inquit, aspero.* Quod est hoc verbum, nisi illud insatiabilis gehennæ: *Affer, affer, percutite, dilacera, cito interfice, velociter spolia detrahe?* Quod est verbum asperum, nisi, *tollatur impius ne videat gloriam Dei?* (*Isai xxvi, 10.*) Quomodo exsultant venatores capta bestia, et clamant: *Tolle, tolle, inflige verubus, infer prunis, et male bullientibus impone lebetibus?* Verbum asperum fuit, quod protulit domus exasperans, populus Judæorum: *Tolle, tolle, crucifige eum (Joan. xix, 15).* Quam horribile verbum, quam asperum, quam crudele! Vere dentes eorum arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus. Ille verbum asperum tu sustinuisti, Domine. Cur, nisi ut nos liberares a verbo aspero? Sit jam pietatis tuæ, ut non sustineamus nos, quod tu dignatus es sustinere pro nobis.

3. Respondent homines sæculares, cum eis suavis (26) Vide S. Augustinum, Enarr. in psal. 41.

demus agere pœnitentiam, et dicunt: *Durus est hic sermo.* Nempe hoc est quod in Evangelio legimus. Loquebatur de pœnitentia ipsa Dominus, sed in figura, tanquam his quibus non erat datum nosse mysterium regni Dei. Cumque audirent dicentem: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, dixerunt: Durus est hic sermo, et abierunt retrorsum (Joan. vi, 61).* Quil autem est manducare ejus carnem, et bibere sanguinem, nisi communicare passionibus ejus, et eam conversationem imitari, quam gessit in carne? Unde et hoc designat illibatam illud altaris sacramentum, ubi Dominicum corpus accipimus: ut sicut videtur illa panis forma in nos intrare; sic noverimus per eam quam in terris habuit conversationem, ipsum intrare in nos, ad habitandum per fidem in cordibus nostris. Cum enim justitia ingreditur, ille ingreditur qui factus est nobis a Deo Patre justitia. Sed et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo (*I Joan. iv, 16*). Sed tamen adhuc multi vobis dicunt: *Durus est hic sermo.* Ergone durum est momentaneum hoc et leve tribulationis, quod supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis? Durum est brevissimo et levissimo labore cruciatus illos et tormenta redimere, quæ nullus terminus finiat, nullus animus sufficiat cogitare? Durum vobis videtur cum dicitur: *Agite pœnitentiam?* (*Matth. iii, 2.*) Erratis; sed audiri estis aliquando verbum asperum, sermonem durum, auditionem malam: *Ite, maledicti, in ignem æternum.* Ita dico vobis, hoc timeate, hoc durum reputate: et invenietis quia jugum Domini suave est, et onus ejus leve. Si in se ipso suave illud credere necdum potestis, vel hoc non ignoratis, quoniam hujus comparatione suavissimum est.

4. Vos autem, fratres mei, vos pennati, ante quorum oculos frustra jacitur rete; vos qui divitias hujus sæculi penitus reliquistis, quid timeatis a verbo aspero, quando jam liberati estis a laqueo? Felix tu Idithum, pro quo psalmi quidam inscripti sunt (*Psal. xxxviii, lxi, lxxvi*), qui transilisti laqueum, ut omnino longe fieres a verbo aspero. Quibus enim dicitur: *Ite, maledicti, in ignem æternum; Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare (Matth. xxv, 41, 42)*; quibus, inquam, dicitur, nisi his qui substantiam hujus mundi habuere? Nunquid non valde exhilarantur ad verbum hoc corda vestra, et spirituali jucunditate replentur? Nunquid non pretiosiorum ducitis paupertatem vestram thesauris sæculi? siquidem ipsa est quæ liberat vos a verbo aspero. Quomodo namque a nobis **833** exigit Deus, quod pro ipsius amore relictum est? Et tamen etiam hoc facitis, et de labore manuum vestrarum Christus alitur et vestitur, ut nihil desit. Agite ergo gratias, exsultate et dicite: *Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero.* Exsultate, inquam, sed adhuc interim cum tremore. Lætos vos esse volo, sed nondum securos; gaudentes in Spiritu

sancto, sed tamen paventes adhuc, et caventes a recidivo.

5. Quid enim vobis ultra pavendum est? Unum utique, idque gravissimum, peccatum Judæ, peccatum apostasiæ. Bene enim factum est, ut pennas acciperetis sicut columbæ, et volaretis ad requiescendum. Nam in terra non erat requies, sed labor, et dolor, et afflictio spiritus. Quid ergo timendum est sic volanti, nisi ne forte cadaver vel simile aliquid in terra videat, cujus desiderio tractus videatur a venatoribus illis pessimis, et præparatis laqueis capiatur, et sint novissima hominis illius pejora prioribus? Hoc, inquam, omnino timendum est, ne quis aut corde solo, aut etiam corpore ad vomitum revertatur. Legimus enim de filiis Israel, quia corde redierunt in Ægyptum (*Num. xiv, 3*). Nam corpore reverti, clausum post eorum talos Rubrum mare prohibebat. Hoc est quod vehementer singulis quibusque timendum est, ne quando forte catenus Deum offendant, ut manifeste abijciantur et evomantur ab eo: aut si pudor neget apostasiam corporis, tepor ipse paulatim ingerat apostasiam cordis; ut videlicet sub habitu religionis cor sæculare gerant, et quidquid secularis consolationis invenire poterint, amplectantur. Neque enim sumus nos Apostolo sanctiores, qui tamen verebatur ne forte, cum aliis prædicasset, ipse reprobus efficeretur (*I Cor. ix, 27*). Sed id tandiu timendum est donec laqueus contritus sit, donec corpus istud anima deposuerit. Nam et ipsum corpus laqueus quidam est: unde et oculus legitur animam deprædari (*Thren. iii, 51*). Minime ergo decet esse securum hominem, qui secum portat laqueum suum: imo vero bonam est magis habitare in adjutorio Altissimi, ut per eum possit laqueus evitari.

SERMO IV.

De versu quarto, Scapulis suis obumbrabit tibi, etc.

1. Contenti humiliter, et devote gratias referenti, non immerito ampliora beneficia promittuntur. Nam qui fidelis invenitur in modico, jure constituetur super multa: sicut e contrario accipiendis indignus est qui fuerit de acceptis ingratus. Itaque devotæ illi gratiarum actioni respondet Spiritus: Non id solum, inquiens, faciet, sed et scapulis suis obumbrabit tibi. Credo in his scapulis geminam Dei promissionem intelligendam, vitæ scilicet ejus quæ nunc est, pariter et futuræ. Si enim solum promitteret regnum, et in itinere deesset viaticum, omnino conquærerentur homines, et responderent: Magnum quidem est quod promittitur, sed perveniendi illuc nulla facultas datur. Propterea qui post hoc sæculum vitam promisit æternam, ipse dandum etiam in hoc sæculo centuplum providentissima pietate promisit (*Matth. xix, 29*). Quid jam excusationis habes, o homo? Profecto obstructum est os loquentium iniqua. Quid plus afferet inimicus ad tentandum, nisi quia longa futura est vita tua? Et si grandis tibi restat via, cur

A hoc timeas, cui fortis cibus datur, ne deficere possis in via? Eliæ utique cibus allatus est ab angelo, quo nullus in humana consuetudine vilior invenitur, scilicet panis et aqua: tanta tamen in eo fortitudo collata est, ut quadraginta diebus ambulans non fatigaretur nec esuriret (*III Reg. xix, 5-8*). Vis tibi hunc cibum ab Angelis ministrari? Mirum valde, si non vis.

2. Quod si cibum hunc desideras, et angelica ministeria non superba, sed humili magis ambitione requiris; audi quomodo scriptum sit de Domino, quia tentante diabolo, et suadente ut de lapidibus faceret **834** panem, resistit, et dixit: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*. Deinde tentationibus superatis, et tentante re fugato, accesserunt angeli, et ministrabant ei (*Matth. iv, 3-11*). Et tu ergo, si vis habere ministerium angelorum, fuge consolationes sæculi et tentationibus resiste diaboli. Renuat consolari anima tua in aliis, si vis in Dei memoria delectari. Cum cauris, currere suadet ad panem: at tu potius audi dicentem, *Non in solo pane vivit homo*. Cur enim tanta varietate distraheris, ut modo cibum, modo potum, modo vestem aut lectum, nisi pro sola corporis necessaria sustentatione requiras, qui in uno, id est in verbo Dei, potes hæc omnia invenire? Manna enim est, omnem saporem habens, et odoris delectationem; requies est vera et sincera, suavis et salubris, jucunda et sancta.

3. Hæc est promissio vitæ præsentis. Nam promissionem futuræ quis explicet? Si expectatio justorum lætitia (*Prov. x, 28*), et tanta lætitia ut omne quod desideratur in sæculo non valeat ei comparari; ipsum quod expectatur, quid erit? Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti diligentibus te (*Isai. lxiv, 4*). Sub his itaque scapulis quatuor nobis beneficia conferuntur. Sub his enim abscondimur: sub his ab incurso [*alias* occursu] accipitrum et milvorum proteginur, quæ sunt aeræ potestates: sub his umbraculum salubre refrigerat nos, et repellit nimium solis fervorem: sub his quoque alimur et fovemur. Ait enim Propheta in alio psalmo: *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo in die malorum* (*Psal. xxvi, 5*): id est, dum adhuc dies mali sunt, et in terra aliena sumus, quæ data est in manus impij, in qua non est regnum pacis, nec Deus pacis regnat in ea. Nam si regnat, quid est quod orantes dicimus: *Adveniat regnum tuum*? (*Matth. vi, 10*.) Necesse igitur est abscondere interim, si quid habemus boni; quoniam thesaurum regni cælerum, qui invenit homo, abscondit (*Matth. xiii, 44*). Propter quod etiam corporaliter in claustris et in silvis abscondimur. Et si scire vultis quantum in hac absconsione lucratur, credo nullum hic esse qui, si quartam partem eorum quæ facit, in sæculo actitaret, non adoraretur ut sanctus, reputaretur ut angelus: nunc autem quotidie tanquam negligens arguitur et increpatur. Parvum hæc lucrum ducitis, quod non reputamini sancti

antequam sitis? An non timetis ne forte vili mercede hic recepta, in futuro mercedem non habeatis? Necessaria est ergo hæc abscondio non solum ante oculos aliorum, sed etiam multo magis ante te ipsum. Hoc enim habet Dominica illa sententia: *Cum feceritis omnia quæ præcipiuntur vobis, dicite: Servi inutiles sumus; quod debuimus facere fecimus* (Luc. xvii, 10). Væ enim nobis si non fecissemus! Et hæc est utique magna virtus et summa securitas, quando et pie vivis; et tamen plus attendis quæ desunt tibi, quam quæ obtinuisse videris, oblitus quæ retro sunt, et extendens te in anteriora. Hæc igitur est abscondio, quam sub scapulis Domini præstari dixeramus; qualis forsitan abscondio fuit vel obumbratio quæ Mariæ facta est a Spiritu sancto ad celandum videlicet tam incomprehensibile sacramentum.

4. De protectione quoque idem iste propheta ait: *Obumbrasti super caput meum in die belli* (Psal. cxxxix, 8). Sicut enim videns venientem accipitrem mater expandit alas suas, ut pulli subeant, et habeant tutum refugium: sic nobis parata, et quodammodo dilatato sinu extensa est summa illa et ineffabilis pietas Domini nostri. Unde et supra dixit: *Quoniam refugium meum es tu*. Jam vero sub ipsis quoque scapulis et umbraculum salubre, et protectionem habemus. Sicut enim iste corporeus sol, licet bonus sit et valde necessarius, tamen et fervor ejus, si temperatus non fuerit, infirmo capiti, et splendor infirmis oculis nocet, nec est solis culpa, sed infirmitatis: sic etiam Sol justitiæ est. Unde et dicitur: *Noti nimium justus esse* (Eccle. vii, 17). Non quod justitia bona non sit; sed quia, dum adhuc infirmi sumus, oportet ipsa bona gratia temperari, ne forte elationis aut indiscretionis vitium incurramus. Quid enim est quod incessanter orantes et supplicantes non possumus **835** ad eam, quam desideramus, gratiæ abundantiam pervenire? Putatis quia avarus aut inops factus est Deus, impotens aut inexorabilis? Absit hoc, prorsus absit! sed ipse cognovit signum nostrum, et scapulis suis obumbrat nobis. Non tamen a petitione propterea cessandum est: quia etsi non dat ad satietatem, dat tamen ad sustentationem: etsi cavet nobis a fervore nimio, tamen fovet nos tanquam mater calore suo. Hoc est enim quartum quod diximus sub scapulis ejus nobis præstari, ut tanquam pulli calore materni corporis fovemur, ne foris vagantes moriamur, refrigerescente nimirum charitate; quæ non diffunditur in nobis nisi per Spiritum qui datur nobis. Sub his igitur pennis ejus securus sperabis, ut videlicet de exhibitione præsentium munerum firma sit expectatio futurorum.

SERMO V.

De versu quinto, « Scuto circumdabit te veritas ejus. »

1. *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.* (Marc. xiv, 38.) Et quis hoc dixerit, scitis, et tempus scitis: Domini enim est verbum istud instante jam passione sua. Et attendite quoniam ipse quidem

erat passurus, et non discipuli: nec tamen pro se dicebat orandum, sed pro illis. Unde ad Petrum ait: *Ecce Satanis expetivit vos ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (Luc. xxii, 31, 32). Si tantum illos oportebat timere in passione Domini, quantum nobis timendum est, fratres, in passione nostra? Vigilate proinde et orate, ut non intretis in tentationem, quoniam undique circumdati estis tentationibus. Unde et legistis quia *tentatio est vita hominis super terram* (Job vii, 1). Itaque si tot tentationibus plena est vita nostra, ut non immerito tota ipsa tentatio debeat appellari; pervigili circumspectione opus est et oratione, ne inducamur in eam: unde est et illud in oratione Dominica, *Et ne nos inducas in tentationem*. Quia ergo undique sic circumdatus es tentationibus, scuto circumdabit te veritas ejus, ut, quemadmodum undique bella, ita undique sint et præsidia. In quo et omnino illud manifestum est, spirituale scutum esse oportere quod circumdare potest. Veritas autem circumdat, quia verax qui promittit, et sic exhibet ut promittit. *Fidelis Deus*, ait Apostolus, *qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*. (I Cor. x, 13.)

2. Non incongrue sane scuto comparatur gratia divini protectionis, quod in superiori parte amplum et latum est, ut caput humerosque custodiat; in inferiori vero strictius, ut minus oneret, maxime quod graciliores sint tibiæ, nec tam facile vulnerentur, sed nec adeo periculosam sit illis in partibus vulnerari. Sic omnino, sic militibus suis Christus ad inferiora tuenda, id est carnem, magnam, ut ita dixerim, strictitatem atque penuriam rerum temporalium donat; nec vult eos illarum multitudine prægravari, sed ut victum et vestitum habentes, quemadmodum, ait Apostolus, his contenti simus (I Tim. x, 13); in superioribus vero ampliorem latitudinem, et abundantiam gratiæ spiritualis. Sic enim habes: *Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus, et omnia adjicientur vobis* (Matth. vi, 33). De victu utique dixit et vestitu, unde dixerat sollicitos esse non debere. Nam et hæc ipsa Pater noster celestis benignissima pietate ministrat, ob duplicem scilicet causam: ne vel omnino crederemus infensum, si ista negaret, et sic desperaremus; vel illorum nimia sollicitudo, spiritualis exercitii fieret detrimentum. Sine his enim neque vivere, neque Deo servire est. Cæterum quanto strictius, tanto melius.

3. Itaque *scuto circumdabit te veritas ejus; non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et dæmonio meridiano*. Hæc sunt quatuor tentationes, quibus undique circumdati, necesse habemus circumdari etiam scuto Domini ut sit nobis a dextris et a sinistris, ante et retro. **836** Hoc enim præmonitos vos esse volo, ut cui forte tollitur aliqua, alteram securus expectet: aut forte non securus, sed pavidus magis: et

sic petat ab ea liberari, ut nunquam sibi in corpore A
 mortis hujus libertatem perfectam seu requiem au-
 deat polliceri. Qua in re consideranda est nobis tam
 benigna erga nos divinæ pietatis dispensatio, ut
 quibusdam nos tentationibus patiatu diutius oc-
 cupari, ne forte periculosiores occurrant: ab aliqui-
 bus vero citius liberet, ut possimus in aliis, quas
 nobis utiliores fore prævidet, exerceri. Verum con-
 siderandum nobis est, sed non modo, quæ sint istæ
 quatuor quas hic ponit. Credo enim quod et hoc
 ordine, quo hic numerantur, contra eos qui con-
 vertuntur insurgunt, et velut principes sunt omnium
 tentationum.

SERMO VI.

De altera parte versus quinti, « Non timebis a timo-
 re nocturno: » et de versu sexto, « A sagitta volante B
 in die, » etc.

1. Solet in divinis Scripturis adversitas designari
 per noctem; et scimus quia adversus eos qui con-
 vertuntur, primum esse certamen de molestiis cor-
 poris consuevit. Caro enim, hactenus indomita,
 castigari et in servitutem redigi nequaquam æqua-
 nimitè patitur; sed adhuc memor recens perditæ
 libertatis, acrius concupiscit adversus spiritum,
 maximeque in his pœnis in quibus estis vos quoti-
 diè morientes, imo vero morte affecti tota die, quæ
 et supra vires sunt, et ultra naturam, et contra con-
 suetudinem vestram. Quid igitur mirum si turbant
 ista, maxime eos qui necdum consueverunt, necdum
 satis in promptu habent recurrere ad orationem, re-
 fugere ad meditationes sanctas, ut sic relevetur diei
 pondus et æstus? Necessarium plane nobis inter ipsa
 nostræ conversionis initia scutum Domini, ut non
 timeamus a timore nocturno. Bene autem dicitur non
 timeendum a timore nocturno, et non dicitur a nocte;
 quia non ipsa afflictio tentatio est, sed magis timor
 ipsius. Nam et omnes laboramus, cum tamen non om-
 nes inde tentemur: et qui tentantur, multa magis ti-
 more futuræ pœnæ, quam præsentis dolore læduntur.

2. Quia ergo timor ipse tentatio est, congrue
 dictum est ei qui circumdatur scuto Domini, quod a
 tentatione hac non timebit. Forte impugnabitur, forte
 tentabitur, forte timebit noctem, sed non ei timor
 iste nocet: magis autem si non fuerit dominatus,
 tunc immaculatus erit, et emundabitur, sicut scrip-
 tum est, quia territi purgabuntur (Job xli, 16). Cam-
 minus est timor iste; sed ut exanimet, non exurat,
 veritas facit. Nocturnus plane et tenebrosus timor;
 sed facile hunc radius veritatis exsuperat. Ingerit
 enim oculis cordis nunc quidem peccata quæ feci-
 mus; ut, quemadmodum de se propheta ait, etiam
 nos in flagella parati simus, annuntiantes iniquitatem
 nostram, et cogitantes pro peccato nostro (Psal.
 xxxvii, 18, 19), nunc vero æterna supplicia quæ
 meruimus, ut in eorum comparatione quæ evadimus,
 universa quæ patimur delicias reputemus: nunc quo-
 que cœlestia præmia ad quæ tendimus, crebro vide-
 licet memorantes quoniam non sunt condignæ pas-
 siones hujus temporis ad futuram gloriam quæ re-

velabitur in nobis (Rom. viii, 18): nunc etiam ea
 quæ pro nobis pertulit Christus, ut crebro conside-
 rantes quanta sustinuit illa majestas pro inutilibus
 servis, erubescamus non sustinere vel parva pro
 nobis.

3. Sed fortasse prævaluit veritas, præsertim tam
 multiplex et usquequaque circumdans, non repellere
 modo, sed etiam expellere penitus hunc timorem.
 Nox præcessit: ut filius lucis et dici honeste ambulans,
 time sagittam. Leviter volat, leviter penetrat: sed
 dico tibi, non leve infligit vulnus, cito interficit.
 Nimirum sagitta hæc vana gloria est: non est unde
 hæc impugnet pusillanimes et remissos. Qui fer-
 ventiores esse videntur, ipsi paveant, ipsi sibi caveant
 in hac parte: nihilominus adhuc solliciti non dese-
 rere scutum 837 inexpugnabile veritatis. Quid enim
 aliud tam contrarium vanitati? Nec sane huc oppo-
 nenda sagittæ secreta illa et quodammodo intima
 veritatis exigimus: semetipsam noverit anima, de
 se teneat veritatem. Difficile prorsus, ni fallor, homo
 verbis laudantium hominem in vita sua abduci po-
 terit altum sapere, si se intus ad lucem veritatis sol-
 licita consideratione discutat. Nonne enim si pro-
 priam cogitat conditionem, dicturus est sibi: *Quid
 superbis, terra et cinis?* (Eccli. x, 9.) Nonne si pro-
 priam consideret corruptionem, fateatur necesse est
 quoniam non est in eo bonum? Sed et si forte
 aliquid habere videtur, non inveniet, puto, quid
 respondeat Apostolo dicenti: *Quid habes quod non
 accepisti?* (1 Cor. iv, 7.) et aliis: *Qui stat, videat
 ne cadat* (1 Cor. ix, 12). Postremo si fideliter com-
 putet, facile illi erit advertere quod nec cum decem
 millibus possit occurrere ei qui cum viginti millibus
 venit ad se, et omnes justitias suas tanquam pan-
 num menstruatæ reputari.

4. Eadem quoque veritas et eis nihilominus op-
 ponenda est tentationibus quæ sequuntur. Nec enim
 vel sic desistit hostis antiquus, sed ad callidiora
 forte convertitur argumenta. Firmam probavit utro-
 que latere turrim: non est quod vel a sinistris pu-
 sillanimitate timoris, vel a dextris eam humanis
 concutere laudibus, in utraque jam molitione fru-
 stratus, attentet. Sed si viribus, inquit, dejicere ne-
 queo, forte decipere possum alicujus ingenio prodi-
 toris. Quis, putas, erit hic proditor? Plane cupiditas,
 radix iniquitatis; ambitio subtile malum, secretum
 virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis,
 livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, vir-
 tutum ærugo, tineæ sanctitatis, excæatrix cordium,
 ex remediis morbos creans, generans ex medicina
 languorem. Contempsit vanam gloriam, ait, quoniam
 vana est: forte solidius aliquid affectaret, forte ho-
 nores, forte divitias. Quantos hoc negotium peram-
 bulans in tenebris trudi fecit in tenebris exteriores,
 veste spolians nuptial, et virtutum exercitia fructu
 pietatis evacuans? quantos pestis hæc nequiter sup-
 plantatos turpiter quoque dejecit, ut cæteri quique,
 quos latuit occultus effossor, subitam expavescerent
 ad ruinam? Quid vero hunc fovet vermem aliud

quam mentis alienatio, et oblivio veritatis? aut quid nisi veritas hunc prodendum vestigat proditorem, et negotium arguit tenebrarum? Nimirum hæc est quæ dicit: *Quid prodest homini si universum mundum lucratur, se autem perdat, et detrimentum sui faciat?* (*Math. xvi, 26.*) et item: *Potentes, autem, potenter tormentantur* (*Sap. vi, 7.*) Hæc est quæ sedula suggestionem reducit in mentem, quam sit in ambitu frivola consolatio, grave iudicium, usus brevis, finis ignotus.

5. Hucusque tentationes Domini: quartam inimicus non præsumpsit asferre (27). Illa enim de ignorantia est: nec dubitabat sapientissimum, qui sic moderabatur responsiones suas, ut in nullo unquam posset deprehendere quod quærebat. Prima siquidem tentatione esurienti suadebat de lapidibus panem facere: sed ille nec posse, nec non posse respondens, cibum alium prætendit, dicens: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Secunda vero tentatione præcipitium suadebat, promittens quia non læderetur si Filius Dei esset; et sic videns omnis civitas laudaret eum et magnificaret: et nec esse se, nec non esse respondit. Tertia de ambitione fuit, quando omnia regna mundi promisit, si cadens adoraret eum (*Math. iv, 3-9.*) Videsne quod ambitionis via adoratio diaboli sit, qua videlicet ad honores et gloriam mundi perveniendum suis ille adoratoribus pollicetur? Quarta, ut dixi, tentatione apud eum abstinuit, cuius nimirum tantam esset expertus prudentiam ex responsis.

6. Quid autem adversus alios faciat, quos videt omnimodo diligere justitiam, et odisse iniquitatem? Quid nisi ut iniquitatem palliat virtutis imagine? Quos enim perfectos boni noverit amatores, malum **338** eis sub specie boni non mediocri, sed perfecti persuadere conatur; ut cito consentiat qui magnopere diligit bonum, et facile qui currit, incurrat. Hoc est igitur dæmonium non modo diurnum, sed etiam meridianum. An non hoc timuit Maria, quando ad novam angeli salutationem expavit? (*Luc. i, 29.*) An non hoc insinuabat Apostolus, cum diceret: *Non enim ignoramus cogitationes ejus?* (*II Cor. ii, 11.*) Ipse enim angelus satanæ transfiguratur se in angelum lucis (*II Cor. xi, 14.*) An non denique hoc ipsum metuebant discipuli, quando videntes Dominum super mare ambulantem, clamabant putantes phantasma esse? Et vide quam bene congruit, quod quarta vigilia noctis fuisse dicitur (*Math. xvi, 26, 25.*) quando contra tentationem quartam vigilasse discipuli perhibentur. Nec vero in re manifestissima nostro arbitror opus esse eloquio, quod videlicet sola sit veritas, quæ palliatam detegit falsitatem.

7. Quatuor has tentationes etiam in generali statu

(27) Quartam tamen asfert infra, sermone 14, num. 4.

(28) Horatius addit, *abbatiis aliisque dignitatibus.* Sed hæc verba desunt in alicui editis et in scriptis.

A Ecclesiæ haud difficile diligens considerator invenit. Nonne enim timor nocturnus exercebat novellam adhuc Ecclesiæ plantationem, quando omnis qui occideret servos Dei arbitrabatur obsequium. se præstare Deo? Demum persecutione cessante et die reddita, turbavit eam gravius et afflixit sagitta volans, quando exierunt aliqui de Ecclesia inflati spiritu carnis suæ, inanis et volatilis gloriæ cupidi: et volentes sibi facere nomen, linguas suas magnificando, diversa et perversa dogmata fabricaverunt. At nunc quidem pax a paganis, pax ab hæreticis, sed non est pax a falsis filiis. Multiplicasti gentem, Domine Jesu, sed non magnificasti lætitiā, quoniam multi sunt vocati, pauci vero electi. Omnes christiani, et omnes fere quæ sua sunt quæerunt, non quæ Jesu Christi. Ipsa quoque ecclesiasticæ dignitatis officia in turpem quæstum et tenebrarum negotium transiere: nec in his salus animarum, sed luxus quæeritur divitiarum. Propter hoc tendunt, propter hoc frequentant ecclesias, missas celebrant, psalms decantant. Pro episcopatibus et archidiaconatibus (28) impudenter hodie decertatur, ut ecclesiarum reditus in superfluitatis et vanitatis usus dissipentur. Superest jam ut reveletur homo peccati filius perditionis, dæmonium non modo diurnum, sed et meridianum; quod non solum transfiguratur in angelum lucis, sed extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur (*II Thess. ii, 4.*) Nimirum insidiatur crudelius calcaneo matris Ecclesiæ, a qua dolet caput suum esse contritum. Hic plane gravissimus erit incursus; sed ad hoc quoque Ecclesiam electorum Veritas liberabit, propter eos brevians dies (*Math. xxiv, 22.*) et dæmonium meridianum destruens illustratione adventus sui. Et hæc quidem dicta sint de tentationibus istis: nam et in sermone quodam super Cantica canticorum memini me super his tractasse similiter (29), cum meridiani hujus dæmonii mentio incidisset, ex occasione scilicet meridiani accubitus sponsi, quem sibi sponsa petierat indicari.

SERMO VII.

De versu septimo, « Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis, ad te autem non appropinquabit. »

D 1. In spe vivimus, fratres, nec desicimus in tribulatione præsentī, quod in expectatione sinus indefectibilium gaudiorum. Neque enim vana vobis hæc expectatio, aut dubia spes videtur, immixta nimirum æternæ promissionibus veritatis. Deinde etiam ex perceptione præsentium munerum firma est expectatio futurorum, et præsentis gratiæ virtus nimis credibiliter attestatur felicitatem promissæ gloriæ sine dubio secuturam. Nempe Dominus virtutum ipse est rex gloriæ: et in hymno quoque eundem votis vocamus [*aliam, cantamus*] Patrem pe-

(29) Nempe in sermone 33 in Cantica. Unde patet hos sermones sub annum 1140 fuisse habitos: siquidem sermo 33 in Cantica post annum 1158 pronuntiatus est.

rennis gloriæ, Patrem potentis gratiæ (*Brev. feria 2, A ad Laudes.*); cui et in psalmo canimus: *Quia misericordiam et 839 veritatem diligit Deus, gratiam et gloriam dabit Dominus (Psal. LXXXIII, 12).* Viriliter ergo sustineat in hoc sæculo pietas colluctationem, et persecutionem quamlibet æquanimiter patiatur. Quidni tolleret omnia, quæ ad omnia valet, promissionem habens ejus vitæ, quæ nunc est, et futuræ? Repugnet fortiter impugnanti: quia et repugnanti propugnator aderit indefessus, et triumphanti non deerit largissimus remunerator. *Scuto, inquit, circumdabit te veritas ejus.*

2. Necessaria plane insuperabilis protectio veritatis non modo interim in carne degenti, sed et postmodum exeunti: et nunc quidem ob periculosos conflictus, tunc vero ob monstruosos occursum spirituum malignorum. Nempe et sanctissimam illam gloriosi Martini animam voluit pars inimica nocere, et cruenta bestia sciens quod modicum jam tempus haberet, tota profecto insania malitiæ infatigabilis non est verita prope assistere ei quoque in quo nihil habebat. Imo vero ad ipsum etiam Regem gloriæ accedere impudentissima temeritas illa præsumpsit, sicut ipse testatur: *Venit enim princeps mundi hujus, et in me non invenit quidquam (Joan. xiv, 30).* Felix anima, quæ sic interim tentationum jacula scuto veritatis repulerit, ut nil prorsus venenatum in se coalescere passa, omnino non confundatur cum loquetur inimicis suis in porta. Nihil in me, funeste [*alias, funestum*], reperies. Felix quem sic circumdat clypeus veritatis, ut introitum quoque et exitum ejus custodiat: exitum utique ab hac vita, et introitum in futuram, quo videlicet nec molliatur a tergo, nec a facie mali quidpiam inimicus attentet. Siquidem omnino opus erit illic custode, opus erit duce fideli, opus erit consolatore magno propter horribiles illas visiones; non minus quam hic adjutore et propugnatore contra invisibiles tentatores.

3. Glorificate itaque, dilectissimi, et portate interim Christum in corpore vestro, onus delectabile, suave pondus, sarcinam salutarem; etiamsi premere aliquando forte videtur; etiamsi interdum latera tundit, et flagellat recalcitrantem; etiamsi quandoque in camo et freno maxillas constringit et coercet; omnino feliciter. Esto ut jumentum, qui Salvatorem portas; sed non penitus ut jumentum. *Homo, inquit, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis (Psal. XLVIII, 13).* Quid enim tantopere vel plangit Propheta, vel arguit in homine similitudinem jumentorum, præsertim qui alio quodam loco de se loqui et dicere Deo non sine quadam congratulatione videtur: *Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum? (Psal. LXXII, 23.)* Puto, imo non puto, sed scio,

(30) *Mariam* absolute habent editi, etiam antiquiores: *quamdam* addunt scripti; et recte quidem, cum hoc loco non agatur de Maria Deipara sanctissima, sed de alia quadam, nempe Cassabolita seu Castabolita, ad quam duæ existant epistolæ sancto Ignatio martyri ascriptæ, in quibus « Christifera »

similitudinem aliquam jumentorum homini commendari; sed plane non eam quæ in non intelligendo, et insipientiæ, sed patientiæ imitatione consistat. Neque enim succensentis similiter, sed ne plangentis quidem videretur vox, si dixisset: Homo cum sub onere Dei esset, non recalcitravit; ut jumentum factus est apud eum. Quis enim non illi jumento plurimum invideret, cujus in humili tergo ad commendationem ineffabilis suæ mansuetudinis dignatus est sedere Salvator, si cum illius tam pretiosi oneris gestatione intelligentiam quoque tam singularis habuisset honoris? Ut jumentum igitur esto, minime tamen jumentum: patienter quidem sustinens onus, sed honorem intelligens; sapienter et delectabiliter cogitans tam ipsius oneris qualitatem, quam propriam utilitatem.

4. Magnus ille Ignatius, discipuli quem diligebat Jesus auditor, martyr noster, cujus pretiosis reliquiis nostra ditata est paupertas, Mariam quamdam (30) in pluribus quas ad eam scripsit epistolis, Christiferam consalutat. Egregius plane titulus dignitatis, et commendatio honoris immensi. Nempe cui servire, regnare 840 est; gestare hunc, non onerari est, sed honorari [*alias, ornari.*] Cæterum num [*alias, unde*] ei, de quo nunc loquebamur, Salvatoris asello verendum ullatenus videbatur, ne sub illa tali sarcina deficere posset in via? An vero timeendus ei aut luporum incursus, aut raptorum occursum; vel præcipitium, seu periculum aliquod sub tanto præside metuendum? Felix qui sic tulerit Christum, ut a Sancto sanctorum in sanctam civitatem mereatur induci. Non est omnino quod timeat, ne vel in via aliquod offendiculum, vel repulsam in januam patiatur. Illi nempe jumento viam parabant fideles populi (*Matth. xxi, 7-9*), huic angeli sancti: *Quoniam angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Sed non sunt hæc præoccupanda modo; series magis ipsa Scripturæ expositionis ordine sequenda est.

5. *Cadent a latere, inquit, tuo mille, et decem millia a dextris tuis; ad te autem non appropinquabit.* Hic enim versus hodie nobis tractandus est; non ignoratis. In præcedenti sane capitulo quod novissime tractabatur, dictum est, si recolitis, quemadmodum a quatuor quibusdam maximis equidem, gravissimisque tentationibus hujus vitæ, protectio liberet veritatis; videlicet a timore nocturno, a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et dæmonio meridiano. Quod igitur sequitur: *Cadent a latere tuo mille, etc.* futuræ magis vitæ arbitror assignandum. Unde et in principio sermonis hujus meministis adhuc, ni fallor, sententiæ apostolicæ, qua videlicet valere ad omnia pietatem, vitæ quoque ejus quæ nunc est, et futuræ

salutatur. Quanquam eandem viam salutationem præfert alia vulgata ejusdem Ignatii nomine epistola ad Mariam Deiparam. Verum hic sermo est de Maria illa, ad quam plures tunc circumferebantur epistolæ pro Ignatianis habitæ.

promissionem habere commendat (*1 Tim. iv, 8*). Audite ergo, et audite in lætitia cordis vestri, quod ad futuræ vitæ promissionem, vestramque expectationem pertinere videtur. Ubi est thesaurus vester, sit et cor vestrum. Et quidem studiose audistis præsentia, non sum immemor; sed studiosius decet futura audire. Nam et pseudopropheta, Balaam dico, recolite qui historias nostis: et ipse, inquam, iniquus justorum mortem optabat, et novissima sua horum similia fieri precabatur (*Num. xxiii, 10*). Tantus est p'etatis fructus, tanta justitiæ merces, ut ne ab ipsis quidem non desiderari queat impiis et injustis. Minus tamen oblectat canticum Sion salices Babylonis. Suspendenda proinde organa apud eos; lamentandum magis super flumina Babylonis, si forte persuaderi eis possit ut plangent. Hic plane cantandum est, ubi non deerunt qui tota alacritate spiritus saltent ad vocem psalterii, ad canticum Sion; et vehementiâ quadam sacri desiderii ad eam gestiant prævolare, dicentes: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?* (*Psal. ltv, 7*). Quid enim aliud exultare, quam ex se ipso saltare est? Minus sapitis qui medio adhuc periclitantur in mari, jactantur undis, aguntur fluctibus, quamlibet favorable sit, quod de remoti et prope jam desperati tranquillitate seu amœnitate littoris nuntiatur. Sed nec ad ejusmodi pertinet animam quod hodie nobis propositum est: neque enim talis quæpiam adhuc meretur audire: *Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis*. Memento cui hæc promissio facta sit, nempe ei qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.

6. Audiat igitur is qui salutis portui cogitatione jam et aviditate appropinquat, qui præjectata velut quadam anchora spei suæ terræ illi desiderabili inconconvulsibiliter inhæsisse videtur, cunctis diebus, quibus nunc militat, expectans donec veniat immutatio sua. Certissima sane et præcipua propinquatio portus hujus, hæc ipsa conversatio, in qua positi estis, exitus præparatio est, vocationis videlicet et justificationis divinæ. In his nempe duobus fidelis quædam constituta est connexio velut cujusdam æternitatis ad æternitatem, id est magnificationis ad prædestinationem: quarum equidem sicut prædestinatio nullo est præcisa principio, sic et magnificatio nihilominus nullo unquam fine claudenda. Ne vero eam, quam diximus, quasi geminæ hujus æternitatis mediam connexionem esse putes nostræ ad inventionem, Apostolum audi, si non eandem tibi manifestius ipse commendat: *Quos enim præcivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*. Quomodo, putas, aut quo ordine magnificabit? siquidem quæ a Deo sunt, ordinata sunt. Num a prædestinatione ad magnificationem saltu quodam pervenies repentino? Provide tibi medium spontem, aut magis ingredi jam paratum. *Quos prædestinavit, inquit, hos et vocavit: quos autem vocavit, hos et justificavit: et quos justificavit, hos et magnificavit* (*Rom. viii, 29, 30*).

7. Hæc via equidem bona videtur nonnullis hominibus; sed et bona est, nihil super ejus sine timendum. Non tibi sint viæ hujus suspecta novissima. perge securus, tanto vividius, quando certius ea jam propinquare videntur. Nempe tenes media: quomodo non novissima propinquant? *Agite, inquit, pœnitentiam: appropinquavit enim regnum cælorum* (*Matth. iii, 2*). Sed *regnum, inquit, cælorum vim patitur, et violenti diripiunt illud* (*Matth. xi, 12*). Nullus mihi ad hoc nisi per medios hostium cuneos patet accessus. In itinere medio sunt gigantes, in aere volitant, obsident transitum, observant trans-euntes. Attamen fiducialiter age, ne timeas. Magni sunt, multi sunt; sed, *cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis*. Cadent undique, nunquam tibi deinceps in perpetuum nocituri: parum est; non appropinquaturi. Equidem videbit peccator et irascetur, sed a latere veniet: quod videlicet præveniat te misericordia Dei tui, eadem quoque nihilominus etiam misericordia subsequatur, et introitum videlicet tuum, ut quidem supra meminimus, et exitum tuum custodiens. Alloquin quid in illo tam terribili spiritualium nequitiarum occurso humani posset consistere sensus, quod non intolerabili concuteretur horrore?

8. Quid putatis, fratres? si vel uni alicui e tam multis principibus tenebrarum in medium vestri irruere, et in tota feritate sua ac tenebroso enormitate corporis apparere liceret; quis illum posset vel corporis sensu sustinere, vel cordis? Denique ante hos paucos dies (ipsi scitis) unum quemdam ex vobis, et prius dormientem, et postea excitatum, tam graviter phantasia nocturna perturbare permissa est, ut vix illa die rationis compos, vix potuerit esse securus. Etiam omnes vos pariter expavistis cum territus ille terribilem nimis exclamasset in vocem. Erubescendum sane, quod usque adeo fides in vobis, vel dormientibus, visa fuerit obdormisse: sed ad nostram sine dubio factum est admonitionem, ut tota sollicitudine meminerimus adversum quos nobis sit colluctatio, nequando scilicet aut ignari hostilis invidiæ, aut protectionis divinæ inveniamur ingrati. Ex vehementissimo siquidem proprii cruciatu livoris in tantum prorupit malitia inveterata furorem, his præsertim diebus sanctis, acrius sese indicans vestra devotione torqueri. Eodem sane tabescentis insanix zelo, sed licentia ampliori, exeuntibus sanctis adest, nonnisi a latere tamen. Neque enim vel occurrere jam a facie, quasi ut vim faciat; vel a tergo reperere, tanquam ut decipiat, permittetur.

9. Sed nec juxta iter quidem scandalum de cætero ponet tibi: ad te enim non appropinquabit. Non modo non attinget ut feriat, sed nec accedet ut terreat. Puto enim, id verebaris, ne te forsitan gravis ad illas tam monstruosas effigies, et larvalium tantam multitudinem facierum horror invaderet. Sed egregius tibi Paraclitus et efficacissimus aderit consolator, ipse nimirum de quo legisti: *Coram illo procident Æthiopes, et inimici ejus terram lingent*

(*Psal.* LXXI, 9). Plane ad nihilum deducetur in conspectu ejus malignus, sic timentes se glorificabit. Præsentate te, Domine Jesu, quantumlibet irruant hostes, imo non irruant, sed ruant; confluant undique, sed ut fluant, et pereant a conspectu Domini, quemadmodum fluit cera a facie ignis. Quid enim metuam deficientes? quid tremes paveam? quid verear cadentes? Etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, dummodo tu mecum sis, Domine Deus meus (*Psal.* XXII, 4). Siquidem protinus aspirabit dies, et inclinabuntur umbræ, cadent hinc inde principes tenebrarum. Quos enim nunc quoque, dum inter malignas eorum occultasque suggestiones per fidem adhuc, non per speciem ambulamus, fides tamen victoriosa triumphat; quomodo non facilius ipsa jam tunc propalata cognitio veritatis evidens cum suis illis tenebrosis ferrugineisque imaginibus exsufflabit? Nec causeris forte de numero, vel ipsam saltem multitudinem verearis. Memento sane quod ad unum Salvatoris imperium ab obsessio jam et diu possessio unius hominis corpore dæmonum legio tota discessit, et ne ipsos quidem ausa est, nisi ab eo jussa, contingere porcos (*Psal.* XXII, 4): quanto magis ipso duce, quotquot fuerint, undique cadent cum ingenti admiratione et confusione, dicentes: *Quæ est ista quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* (*Cant.* III, 9.) Intrepidus itaque et omnino impavidus, magis autem gratulabundus et laudans, oculis tuis considerabis: nec sane jam vel impugnationem sustinebis, vel furorem pavebis, sed magis retributionem peccatorum videbis.

10. Et quidem videntur sufficere posse hodie quæ dicta sunt: sed adhuc sane aliquos vestrum nonnulla arbitror expectatione suspendi. Movet enim studiosiores quosque, ni fallor, quidnam sibi velit, quod a dextris quidem decem millia, a sinistris vero mille perhibet esse casuros. Nam latus sane quod simpliciter dicitur, non nisi sinistrum hoc loco licere accipi puto, præsertim quod dextrum quidem incontinenti proprio designat ex nomine. Et quidem non sine certi ratione mysterii a sinistris multos, sed multo plures a dextris casuros esse prædixisse videtur. Nisi forte quis tam hebes fuerit et insulsus, ut in eo quod dicitur, *mille, et decem millia* (*Psal.* XC, 7), certam exprimi putet numeri taxationem, et non magis superabundantem comparisonem. Nos enim sic non divinas Scripturas accipimus, sed neque Ecclesia Dei. Cadent ergo a sinistris quidem mille, a dextris autem decem millia: quod videlicet abundantiori malignitate, et velut copiosiore manu dextris insistere partibus, dextrum latus appetere consueverunt. Quod quidem si magnum illud Ecclesie corpus considerare libet, facile satis advertimus, longe acrius impugnari spirituales viros ipsius Ecclesie, quam carnales: quæ nimirum duo ejus latera, dextrum sinistrumque puto non inconvenienter accipimus. Agit hoc sane superba semper invidiosa malitia, perfectiores quosque vehementius pulsans, juxta illud:

A Esca ejus electa; et iterum: Absorbabit fluxum, et non mirabitur, et habet fiduciam quod influat Jordanis in os ejus (*Job* XL, 18). Agit, inquam, etsi non sine certa divini dispensatione consilii, qui quidem nec imperfectiores, supra id quod ferre possunt, tantari permittit, faciens cum tentatione proventum; et perfectioribus non modo gloriosiores, sed et numerosiores parat ex hoste triumphos. Tota ergo pariter electorum Ecclesia coronabitur, quod ex utraque parte sui legitime certaverit, utroque nimirum cornu tam potenter interim ventillas inimicos, ut paulo post manifestius cadere videantur a latere ejus mille, et decem millia a dextris ejus. Sic nimirum olim jam quidem David perfectiore virtute probata, necdum vero propalata in Israel reprobatione Saulis, canebant in choro dicentes: *Percussit Saul mille, et David decem millia* (*I Reg.* XVIII, 7).

11. Sin autem ad singulos magis placet hoc referri, non vobis deest ne in hac quidem parte spiritualis intelligentiæ via, dummodo propriam super hoc experientiam consulatis. Longe siquidem ampliori sollicitudine, et calliditate multiplici pars adversa vulnerare [*alias*, vulnera] in nobis dexteram satagit, quam sinistram: nec tam corporis profecto, quam cordis laborat auferre substantiam. Utamque nimirum prosperitatem humano generi invidere noscuntur: utraque nos [*alias*, eos] felicitate **843** privare contendunt, et cælesti videlicet, et terrena; sed longe amplius rore cæli, quam pinguedine terræ. An vero incongrue hæc dixerimus duo latera, quibus nimirum duplicem hominis substantiam constat inniti, vos judicate. Nam quod spiritualia quidem bona attribuimus dexterae, sinistrae vero carnalia, minime prorsus vereor arguendum; præsertim a vobis, quibus semper studii est, nec dexteram aliquando sinistram, nec sinistram dexteram reputare. Nec vero aliter vera quidem Sapientia probat, quam ut in sinistra divitiæ et gloria, in dextera autem sit longiturnitas vitæ (*Prov.* III, 16). Nam et hoc sane nullatenus expedit ignorare, quam vobis vehementius instet pervicax hostium multitudo. Illic nempe studiosius repugnandum, ubi gravior urget necessitas, ubi totum belli imminet pondus, ubi collectationis ratio universa consistit: unde vobis paratur tota aut victis ignominiosa captivitas, aut vincens gloria triumphalis.

12. Denique propter hoc, non quidem ad insipientiam vobis, tundendum libere adversario videmini latus exposuisse sinistrum, ut dextrum proinde tota sollicitudine conservetis. Hæc nimirum commendata a Christo, et Christianis omnibus imitanda serpentis prudentia est, ut caput solum toto, si necesse fuerit, exposito corpore tueatur. Hæc vera philosophia, hoc consilium Sapientis, ut omni custodia servetur cor, quia ex ipso vita procedit (*Prov.* IV, 23). Hæc denique gratia et misericordia Dei in servos ejus, et respectus in electos illius; ut eorum interim sinistram quidem velut dissimulans, dexterae semper studiosus protector assistat. Hinc est quod de se ipso propheta

testatur : *Providebam Dominum in conspectu meo A semper, quoniam a dextris est mihi ne commovear (Psal. xv, 8)*. Nunquid non et illius manum dexteram, et solam eam putas dexteram tenuisse, cuius totam in facultatem pariter et in carnem licere passus est, quidquid libere visum est inimico? *Verumtamen animam, inquit, ejus serva (Job 11, 6)*. Utinam mihi semper a dextris sis, Jesu bone! utinam semper teneas manum dexteram meam! Scio enim et certus sum quoniam nulla nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas. Tondeatur interim et tundatur sinistrum latus; pulsetur injuriis, vellicetur opprobriis: libens illud expono, dum a te custodiar, dummodo sis ipse protectio mea super manum dexteram meam.

13. Forte etiam mille qui a sinistris casuri sunt, homines magis intelligendi sunt, quam dæmones. Hi nimirum nobis non nisi ob temporalia quælibet adversantur et transitoria bona, quæ quidem aut nos habere invidiosa malignitate suspirent, aut cupiditate injusta sese potius doleant non habere. Forte enim mundi hujus conantur auferre substantiam, forte favorem hominum, forte ipsam corporum vitam. Usquehuc sævire humana persecutio potest; animæ vero non habent quid faciant. Nam dæmones quidem superna nobis et æterna potius invidere noscuntur, non tamen ut sibi cedat, quod irreparabiliter amiserunt; sed ne illic pauper de pulvere suscitatus accedat, unde ipsi in gloria conditi irreparabiliter ceciderunt. Indignatur et livore tabescit obstinata malignitas humanam fragilitatem obtinere, quod retinere ipsa non meruit. Sed etsi quando forte cuivis temporalia damna aut inferre conantur, aut gratulantur inferri; hæc eorum tota molitio est, ut jactura exterior vel eidem ipsi, vel alteri occasio sit interna: sicut e regione homines, quoties ea suadere nobis, aut quolibet modo efficere curant, unde dextera nostra lædatur, non hoc quidem principaliter agere, sed temporale aliquod cuivis proventurum, vel sibi scilicet, vel nobis, vel alteri forte cuiquam; aut detrimentum aut emolumentum exinde seu captare, seu propulsare velle videntur. Nisi forte eatenus quis in dæmonem transierit ex homine, ut optare ullo modo possit quemlibet sibi inimicissimum hominem æterna damnatione multari.

14. Quid nos miseri dormitamus a spirituali studio, quos tam multipliciter insectatur nequitia spiritualis? Et pudor est dicere, et silere prohibet vis doloris. **344** Quantos enim invenire est, fratres, ex his quoque qui in religionis habitu et proposito degunt perfectionis, quos terribilis illa prophetæ sententia comprehendisse videtur: *Si obli.us fuero tui, Jerusalem, obli.us onidetur dextera mea! (Psal. cxxxvi, 5)*. Nempe sinistri custodiæ lateris tota sollicitudine incubantes, callent admodum, sed sapientia hujus sæculi, cui abrenuntiassent debuerant: ea quoque nihilominus quam revelat caro et sanguis, quibus juxta Apostolam noluisse acquiescere videbantur (*Galat. 1, 16*). Denique videas eos tam avidè lucra

captare præsentia, tam sæculariter transitoris utilitatibus adgaudere, ad terrenarum damna vel minima facultatum tam pusillanimiter turbari, tam carnaliter super his decertare, discurrere tam impudenter, tam irreligiose sæcularibus sese implicare negotiis, ac si hoc esset tota eorum portio, hæc universa substantia. Attentius sane agricola pauperem excolit fundum, sed cui forte nulla amplior pretiosiorve sit possessio. Buccellam panis in sinu suo mendicus abscondit, quod in saccellis suis solum hoc metalli genus æruginet. Tu quid ita extremæ huic paupertati, et quidem proprii male prodigii laboris, incumbis? Est et alia tibi possessio, etsi forte remota. Erras. Nil tam prope nos, quam quod intra nos est. At forte non quidem longius positam, sed inutilem esse causaris, ut hic tibi quærendam magis sufficientiam putes. Falleris: ibi magis invenies, imo non invenies nisi ibi. An vero æstimas quod vel operam tuam non exigit, vel minus respondeat operanti? aut certe in tuto credis esse locatam, nec ulla deinceps sollicitudine custodis egere? Quodlibet horum sapias, scito quod desipias vehementer. Ibi enim quammaxime quæ seminaverit homo, hæc et metet (*Id. vi, 8*). Sed et qui parce seminat, parce et metet; qui vero in benedictionibus seminaverit, de benedictionibus et metet (*II Cor. ix, 6*), ut faciat unum tricesimum, unum sexagesimum, unum centesimum. Habes autem thesaurum istum in vasis fictilibus, si tamen adhuc habes. Puto enim, jam amisisti; puto, jam sublatus est; puto, jam comederunt alieni robur tuum, et ignorasti; nec potes thesauro tuo cor apponere, quippe qui thesaurum ipsum non habeas. Alioquin, quæso te, si tam sollicitus es, si nec minima spernis, si tam prudenter servas paleas tuas; etiam horreum tuum servare memento et custodire. Imo vero non exponas thesaurum tuum, qui sic incubas sterquilinio tuo. Forte enim illud tibi invident mille, sed istum obsident decem millia, nec minus superabundantes astutia et crudelitate quam numero. *Cadent, inquit, a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis*. Verte illuc oculos steli. Forte enim jam irruerunt aditus, forte jam libere diripiunt omnia, forte jam spolia ipsa distribuunt. Quid sinistro lateri tam male studiosus observator inhæres, nisi quod non in latere jam tibi esse, sed in facie sinistra videntur, quod hæc provideas in conspectu tuo semper; et qui tangit hoc, non latus tetigisse putetur, sed pupillam oculi tui?

15. Cæterum jam nunc tibi provide, quisquis es dextri negligens, sinistri lateris cultor, ne cum hædis locum accipias in sinistra quam elegisti (*Matth. xxv, 33*). Asperum verbum est, fratres: non immerito expavistis. At cavere non minus necesse est quam pavere. Et quidem Dominus meus Jesus post cætera inæstimabilis suæ erga me beneficia pietatis, etiam dextrum sibi propter me passus est latus fodi: quod videlicet non nisi de dextera mihi propinare vellet, non nisi in dextera locum parare refugii. Utinam

ego talis merear esse columba, quæ in foramine A
 petræ habitet, et in foramine lateris dextri. Consi-
 dera tamen hoc vulnus eum penitus non sensisse.
 Neque enim illud excipere voluit, nisi jam soporatus
 in morte : ut moneret te, quamdiu vivis, in
 hujus semper lateris vigilare custodia ; sed et mor-
 tuam censeri eam animam oportere, quæ quidem
 perniciose insensibilitate dissimulet in dextera sibi
 vulnus infligi. Merito quidem in sinistro latere po-
 situm esse dicitur cor hominis, quod affectatio ejus
 prona sit semper et proclivis in terram. Nec sane
 ignorabat hoc miserabiliter **845** ingemiscens :
*Adhæsit, inquit, pavimento anima mea, vivifica me
 secundum verbum tuum (Psal. cxviii, 25).* Sed ne
 his quidem in hoc pondere nos conditionis humanæ
 et gravedine cordis volebat remanere qui sic admo-
 nens loquebatur : *Levemus corda nostra cum mani-
 bus ad Deum (Thren. iii, 41).* Plane id suadebat, ut
 a sinistro latere erigerentur ad dextrum. Sæcularis
 militia, fratres, in sinistro tantum latere clypeum
 portat : non imitemur, si inter eos nolumus depu-
 tari, quos huic sæculo militare constat, non Christo.
*Nemo, inquit, militans Deo, implicat se negotiis
 sæcularibus (II Tim. ii, 4) :* hoc est, scutum appli-
 cat non tam dextræ, quam sinistræ.

16. Attamen, fratres, utrumque vobis latus tege-
 dum est, si meministis. *Scuto, inquit, circumdabit
 te veritas ejus :* et Apostolus ipse, *Per arma, inquit,
 justitiæ a dextris et a sinistris (II Cor. vi, 7).* Cæterum
 ipsam audi justitiam. Forte enim non eadem
 utrique lateri forma præscribitur. Nempe hinc qui-
 dem mandatur, *Non vometipos defendentes, charis-
 simi, sed date locum iræ (Rom. xii, 19) :* et, *In pa-
 tientia vestra possidebitis animas vestras (Luc. xxi,
 19).* Inde vero præcipitur, *Nolite locum dare diabolo
 (Ephes. iv, 27).* Et item, *Resistite diabolo, et fugiet
 a vobis (Jacobi iv, 7).* Audi adhuc quomodo tegas
 latus utrumque. *Providentes bona, ait idem apostolus,
 non tantum coram Deo, sed etiam coram homi-
 nibus (Rom. xii, 17).* Hæc est enim voluntas Dei, ut
 benefacientes, non modo tabescere malignorum
 dæmonum invidiam, verum etiam obmutescere fa-
 ciatis imprudentium hominum ignorantiam (*I Petr.
 ii, 15*). Numquid tamen in æternum erit vobis hæc
 protectio necessaria ? aut semper [alias, certe] ab
 utroque latere hostile agmen instabit ? Erit quando
 non modo non instabunt, sed nec stabunt quidem.
*Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris
 tuis.* Siquidem nec humana malitia jam tunc habebit
 quid faciat ; nec dæmonum millia plus verebimur,
 quam totidem vermium agmina, vel muscarum. Haud
 aliter denique intuebimur eos, quam filii Israel,
 transmisso jam mari Rubro, undique sui Ægyptios
 mortuos, sed et rotas curruum ire in profundum
 cernebant : ut et nos scilicet, longe tamen securius
 et delectabilius, cantemus Domino, quod gloriose
 honorificatus sit, equum et ascensorem ejus dejiciens
 in abyssum (*Exod. xiv, xv*).

SERMO VII

De versu octavo, « *Verumtamen oculis tuis considera-
 bis, et retributionem peccatorum videbis.* »

1. Brevius quidem vobis aliquando, dilectissimi, loqueremur, si crebrius id liceret : quod et vos credimus nonnunquam advertere potuisse. Cæterum quoties, ipsa diei præoccupante malitia, pluribus forte diebus molestissimum sustinimus a vestra exhortatione et consolatione silentium, neminem vestrum reor oportere mirari si, tempus ipsum redimere cupientibus nobis, sermo rarior interdum protractor videatur. Hoc sane nobis actum sit brevi præmio, ut hesterni pariter hodiernique sermonis, illius quidem prolixitas, hujus vero brevitatis excusata apud vos habeatur. Vereor siquidem minus gratam fore nonnullis vel fuisse illam, vel istam fore ; aut magis utramque quam alteram. *Scuto, inquit, circumdabit te veritas ejus : non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et dæmonio meridiano. Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis, ad te autem non appropinquabit.* Diximus hinc præcedentibus sermonibus quod dignata est Veritas ipsa largiri, quemadmodum scilicet fidelem animam interim quidem a tentationibus, postmodum vero a difficultatibus tueatur. Quæ tamen utraque brevius quidem in alio psalmo idem iste propheta commendans, *In te, inquit, eripiar a tentatione, et in Deo meo transgrediar murum (Psal. xvii, 30) :* quod ipso nimirum duce, nec hic gradiens offendiculum, nec egrediens hinc obstaculum pateretur. In altero ergo crebra ereptio, in altero plena jam et securra liberatio designatur. Nam in hoc sane tertio quod **846** adjungit, *Verumtamen oculis tuis considerabis,* etiam felicitatis non modicæ promissionem arbitror contineri. *Cadent, inquit, a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis, ad te autem non appropinquabit. Verumtamen oculis tuis considerabis.* Ita oro, Domine, ita fiat. Cadant illi, et non cadam ego ; paveant illi, et non paveam ego ; confundantur illi, et non confundar ego.

2. Evidentius siquidem paucis hoc loco verbis et animæ mihi immortalitas commendatur, et ipsius quoque fides astruitur corporeæ resurrectionis. Nempe ruentibus illis futurus sum ipse qui videam, et ne isti quoque, quibus eorum novissimam intuear retributionem, oculi defuturi. Neque enim simpliciter oculis, sed *oculis, ait, tuis considerabis* : istis utique qui nunc languent præ inopia, et deficiunt, dum speras in Deum tuum. Et vere, fratres deficiunt oculi dum speramus. *Quod enim videt quis, quid sperat ? Spes, inquit, quæ videtur, non est spes (Rom. viii, 24).* Ipsi ergo jam tunc considerare oculis, quos modo quidem nec lavare audes ad cælum ; ipsis plane, qui toties interim fluunt lacrymis, ac crebris compunctionibus atteruntur. Nec enim novos tibi instaurandos putes, sed tuos utique restaurandos. Quid tamen de oculo dixerim, et i minutissima, eminentissima tamen, excellentissima-

que humi corporis portione? Reposita est in A
 sinu nostro beata spes, ex promissione utique Veri-
 tatis, i. e. capillum quidem de capite periturum (*Luc.*
xxi, 18).

3. Forte tamen idcirco signanter visio promittitur
 oculorum, quod hoc quidem summum interim ani-
 mæ desiderium videatur, ut videat bona. *Credo, in-*
quit, videre bona Domini in terra viventium (*Psal.*
xxvi, 13). Supremas nimirum corporis sui fenestras
 supernæ aperiri desiderat veritati, per speciem magis
 ambulare gestiens, quam per fidem. Sane fides
 ex auditu, non ex visu. Denique substantia est
 sperandarum rerum, argumentum non apparentium
 (*Hebr. xi, 1*). Et in fide ergo, sicut et in spe, deficit
 oculus, auris proficit sola. *Dominus Deus aperuit B*
michi aurem, ait propheta (*Isai. l, 5*): sed quando-
 que etiam oculum revelabit. Erit quando jam non
 dicetur, *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam*
 (*Psal. xlii, 11*): sed, leva potius oculos tuos, et
 contemplant. Quid? Plane jucunditatem et exultationem,
 quam thesaurizat super te Deus tuus. Quid?
 Plane non ea modo, quæ interim quidem etsi non
 videre adhuc, et audire tamen, et credere potes;
 verum etiam quod sicut non vidit oculus, sic nec
 auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod
 præparavit Deus diligentibus se (*Isai. lxiiv, 4, et*
I Cor. ii, 9). Nimirum tanta capiet oculus resurre-
 ctionis, quanta nec auditus, nec animus ipse nunc
 capiat. Ob hanc denique tam vehementem animæ
 concupiscentiam videndi, scilicet quod audit et cre-
 dit, alium quoque evidentissimum futuræ præconem C
 resurrectionis ipsorum propriam mentionem fecisse
 arbitror oculorum. *Rursum, ait, circumdabor pelle*
mea, et in carne mea videbo Deum salvatorem meum:
quem visurus sum ego ipse et non alius, et oculi mei
conspicuri sunt: et adjecit, Reposita est hæc spes
mea in sinu meo (*Job. xix, 26, 27*).

Forte tamen considerandum attentius quod ait,
Oculi mei, sicut et in Psalmo, *Oculis, inquit, tuis*
considerabis. Numquid enim mei esse oculi nunc
 videntur? Plane non mei. Nonnunquam sane visi
 sunt fuisse mei, quod ipsi quoque ad eam pertinere
 noscantur, quam male servaturus accepi, paternæ
 substantiæ portionem. Nempe velociter profligata
 est, universam citius dissipavi. Occupavit membra
 omnia lex peccati, libere intrabat mors per fenestras
 meas; cujus nimirum factus eram servus etiam ego
 ipse. Miser equidem servus, non sane homini ser-
 viens, sed immundo pecori et cænosio. Neque enim
 mercenaria saltem conditione famulabar, sed plane
 servili. Nisi forte mercedem quis dari putet, cui
 etiam cibus negatur, et cibus quoque ipsa esurie
 perniciosior. Cupienti siquidem porcorum siliquas
 nemo dabat, ut porcis viverem, nec conviverem
 porcis. Denique [*alias, deinde*] Numquid meus tunc
 oculus erat, quando deprædabatur animam meam?
 Qua quidem 847 necessitate demum coactus sum
 beneficium resignare [*alias, refutare*] in manu domi-

natoris, ut quod omnino non poteram, ipse sibi illud
 ab hostili tyrannide vindicaret.

5. Considerate attentius, dilectissimi, et animad-
 vertite in quam potestate caveritis Pharaonis in-
 tolerabile jugum, ut jam membra vestra non sint
 arma iniquitatis peccato, nec regnet ultra in mor-
 talibus corporibus vestris. Non est hoc operis vestri,
 fratres: dextera Domini facit virtutem; solus hoc
 potest ille, qui nihil omnino non potest. Ne dixeritis,
Manus nostra excelsa (*Deut. xxxii, 27*); sed tam sa-
 lubriter quam veraciter conflentini quia Dominus
 facit hæc omnia. Denique nemo sibi dubitet omni-
 modis esse cavendum, ne forte donec adhuc dies
 mali sunt, et nulla usquam securitas homini, hanc
 suam possessionem de manu tam pii, tamque pro-
 vidi tutoris, in periculosam perniciosamque inte-
 rim libertatem recipere velle præsumat. Quod enim
 æmulatur Pater, pro te æmulatur: nec invidentiæ,
 sed providentiæ est, quod sibi totam jubet manere
 substantiam, ne pereat tibi. Denique ubi ad magnam
 illam sanctamque civitatem perveneris, cujus linea
 posuit pacem, ubi nullus jam hostium timeatur in-
 cursus; non modo reddet te tibi, sed dabit insuper
 et se ipsum. Interim sane a voluntatibus tuis aver-
 tere, et Deo dicata membra nulla tibi temeritate
 usurpes, sciens quod pietati sanctificata non absque
 gravi sacrilegio in usus vanitatis, curiositatis, volu-
 ptatis, aut ejusmodi sæcularis operis assumantur.
Nescitis, ait Apostolus, quod corpora vestra templum
sunt Spiritus sancti, quem habetis a Deo, et non estis
vestri? et item, *Corpus, inquit, non fornicationi*. Sed
 cui? Numquid tibi? Plane sit tibi liberum, sed si
 eripere illud, aut ereptum saltem deinceps a forni-
 cationis impetu vindicare propriis viribus potes.
 Quod si forte non potes, imo quia vere non potes,
 sit corpus non fornicationi, sed Domino (*I Cor. vi,*
19, 13): serviatque interim sanctificationi, ne cor-
 ruptioni denuo præus servire contingat. *Humanum*
dico, ait Apostolus, propter infirmitatem carnis vestræ.
Sicut exhibuistis membra vestra servire iniquitati ad
iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire
justitiæ in sanctificationem (*Rom. vi, 19*). Verum id
 quidem propter infirmitatem, ut ipse quoque præ-
 misit. Cæterum ubi resurrexerit in virtute quod in
 infirmitate fuerat seminatam, nulla jam erit neces-
 sitas serviendi. Ubi et securitas libera fuerit, et se-
 cura libertas, quidni multo magis reddat eum sibi?
 Quidni potius libertate donet fidelem servum magnus
 ille Paterfamilias, quandoquidem et super omnia
 bona sua constituet eum?

6. Jam tunc ergo oculis tuis considerabis, si ta-
 men eos fideliter agnoveris interim esse ejus, non
 tuos. Nam et præter eam quam diximus, voti utique
 tam necessarii rationem, quo nimirum membra
 ipsa, quæ tibi a peccati tyrannide vindicare omnino
 non posses, propriis abrenuntians voluntatibus,
 divino cultui mancipasti; nunquid vel modo tua
 esse videntur, in quibus adhuc contraria lex, etsi
 non regnat, habitat tamen: in quibus pœna peccati,

secundus equidem hostis tuus, non modo manet, A sed et prævalet et libere dominatur? Tunc tuum dixeris corpus, quod mortuum est propter peccatum; aut animæ esse, quod animam aggravare non cessat? Plane si quis suum illud dicere cupit, non aliud convenienter dixisse videbitur, quam onus suum, quam carcerem suum. Alioquin quonam modo tuos dixeris oculos, quos sane interim, vis, non vis, toties somnus occupat, fumus turbat, exiguus pulvis sauciat, noxius humor obnubilat, dolor acerbus excruciat, vel ipsa demum novissima mors excæcat? At tunc plane tui erunt, quando omnia ista non erunt: ut vere jam tuis oculis considerare sit, quibus nimirum pro libito deinceps utaris ad omnia tam libere, quam secure. Neque enim avertendi de cætero erunt oculi, ne videant vanitatem, quod purissimam videant veritatem: multo minus intrabit per fenestras mors, quod ipsa quoque inimica novissima destruat. An vero times eos e tanta plenitudine **848** luminis, ubi singuli justi tanquam singuli soles fulgeant, aliquando caligaturos fore? Timendum id plane, si non ipsos quoque oculos, sicut cætera humani corporis membra, resurrectio glorificaret.

7. Et retributionem peccatorum videbis. Hoc plane eis grave tormentum, et magnus quidam malorum cumulus erit. Forte enim quodcumque solatium videretur, eorum quos tam malitiose impugnaverint, in tormentis suis vel conscientia latere, vel ipsos saltem declinare posse conspectus. Veruntamen et si illis ex hac nostra consideratione immensum quoddam miseræ pondus accedat, nobis quæ necessitas erit, quæ utilitas, quæ voluptas? Quid enim modo tam irreligiosum, imo quid tam inhumanum et execrabile videretur, quam cruore quantumlibet inimicorum, quantumlibet iniquorum, pascere velle oculos, et oblectare aspectus supplicii miserorum? Attamen sicut videbit peccator et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet (prius enim benedicti vocabuntur in regnum, quam maledicti in caminum deiciantur ignis æterni, quo videlicet acrius doleant, videntes quid amiserint); sic justi quoque videbunt, et lætabuntur, considerantes quid evaserint. In illa ergo tanta separatione, quemadmodum hædis agnorum visio gravissimi livoris occasio fiet; sic electis e regione consideratio reproborum, imensa quædam materia gratiarum actionis et laudis. Unde enim justi tam magnifice gratias agerent, nisi cum inexcogitabili felicitate qua perfruuntur, ipsam quoque retributionem cernerent injustorum, a quibus equidem sola misericordia Redemptoris segregatos sese esse fidelissime et devotissime recordantur? Unde vero impii tanto animi furore tabescerent, nisi in regnum summæ beatitudinis coram sese vidissent alios introduci, et tunc demum in illos sese fetores, in illos horrores, in illos æterni incendii cruciatus, in illas denique immortalis mortis miserrimas gemerent esse damnatos? Ibi enim, inquit, *fletus, et stridor dentium* (Math. XIII, 56). Fletus

quidem ob ignem qui non exstinguitur, stridor vero ob vermem qui non moritur. Plane fletus ex dolore, stridor dentium ex furore. Fletum nempe tormentorum immanitas, stridorem dentium vehementia ipsa tabescentis invidiæ, et obstinata malignitas extorquet. Ita ergo retributionem peccatorum videbis: ne videlicet ignarus tanti periculi, ingratus aliquando liberatori posse fieri videaris.

8. Non solum autem, sed et securitas perfecta justorum erit visa retributio peccatorum, quo videlicet nec humanam aliquando, nec diabolicam ultra vereri malitiam possint, qui nimirum cadentibus a latere suo mille, et decem millibus a dextris suis, non modo eos cadere viderint, sed et cadere in gehennam. Putas enim, timere adhuc non poterant, et callidiorum cunctis animantibus serpentem habere suspectum, præsertim seductæ quondam in paradiso non inmemores mulieris, nisi cum toto jam corpore suo ultricibus traditum flammis, et inter se et eum magnum plane jam chaos firmatum esse conspicerent?

9. Tertium quoque hoc nihilominus peccatorum tibi consideratio ipsa præstabit, ut ex comparatione deformitatis eorum eminentius gloriosiusque resplendeas. Sic nimirum sibi invicem collata contraria, suæ quidem utrumque videtur suscepisse augmentum aliquid qualitatis: ut album nigro si conferas, et hoc candidius, et illud tetrius apparebit. Sed audi certius super hoc testimonium, propheticum sermonem: *Lætabitur, ait, justus cum viderit vindictam. Uquid ita? Manus suas lavabit in sanguine peccatoris* (Psal. LVII, 41). Plane non inquinabit in sanguine, sed lavabit: ut unde ille cruentus magis, inde iste nitidior videatur; unde ille plus sordet, inde iste pulchrius elucescat.

10. Nullam forte ex his tribus causis humanus refugere vel modo inveniat affectus: sed non propter aliquod horum Sapientia in eorum ridebit interitu, quod tamen sine ulla dubitatione factura est. Nempe ipsa prædicat quæ mentiri omnino non potest: *Quia 849 vocavi, et renuistis; extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret. Et post pauca; Ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo, cum vobis quod timebatis advenerit, cum irruerit repentina calamitas, et interitus quasi tempesta ingruerit* (Prov. I, 24, 26, 27). Quid ergo in insipientium interitu Sapientiæ credimus placiturum, nisi justissimam suam dispositionem, et irreprehensibilem ordinem rerum? Sane quod Sapientiæ tunc placebit, sapientibus quoque placeat necesse est universis. Non igitur tibi durum videatur fore quod dicitur, *Oculis tuis considerabis*, quando et ridebis in eorum interitu: non quod velut quædam immanitate crudelitas in ipsa tibi ultione complacat; sed quod modus ipse pulcherrimus divinæ ordinationis ultra quam credi possit, justitiæ relatores et amatores æqualitatis oblectet. Ubi optime omnia constituta, et suum cuique cessisse locum, imo in suum quemque cessisse,

plenius et perfectius illustrante veritate cognosces; A quomodo non omnia considerare, et in omnibus omnium moderatorem magnificare libebit? Pulchre omnino Petrus apostolus filium perditionis *in locum suum* abisse testatus est, quod in aere crepuerit medius (*Act. 1, 25, 18*), aeriarum collega potestatum: utpote quem veri Dei et veri pariter hominis, qui de cælo venisset operaturus salutem in medio terræ, hujus, inquam, proditorem, nec cælum reciperet, nec terra sustineret.

11. Itaque *oculis tuis considerabis, et retributionem peccatorum videbis*. Primo quidem, ob tuam evasionem; secundo, ob omnimodam securitatem; tertio quoque, ob comparationem; quarto, ob ipsius justitiæ perfectam æmulationem. Erit enim jam tunc non misericordiæ, sed iudicii tempus: nec ulla omnino credenda est erga impios futura illic miseratio, ubi nec ulla speranda est correctio. Procul erit humanæ infirmitatis ista mollities, qua tamen interim pro tempore charitas utitur ad salutem, amplissimo quodam velut [*alias, videlicet*] expansæ sagenæ sinu et bonos et malos colligens pisces, id est affectus jucundos pariter et molestos. Verum hoc quidem in mari. Nam in littore solos eliget bonos, sic videlicet gaudens cum gaudentibus, ut ex hoc jam cum flentibus flere non possit. Alioquin quomodo in nobis iudicabitur hic mundus, nisi hujus teneræ affectionis obliti, introductique fuerimus in cellam vinariam, secundum eum qui dixit: *Introibo in potentias Domini; Domine, memorabor justitiæ tuæ solius?* (*Psal. lxx, 16.*) Nec modo quidem considerare permittimur personam pauperis, aut misereri ejus in iudicio: sed cum molestia licet, coercendus ejusmodi pietatis affectus, et æquitatis est dictanda sententia. Quanto magis ubi nulla animi collectatio, ubi nulla poterit subintrare molestia, oportet impleri quod dictum est, *Absorpti sunt juncti petrae iudices eorum?* (*Psal. cxi, 6.*) Absorpti plane in affectum justitiæ, et Petrae soliditatem, cui juncti sunt, imitantem. *Juncti*, inquit, *petrae*, quam profecto solam ut sequerentur, cætera omnia reliquerunt. Nempe hoc est quod interroganti Petro quidam accepturi essent, Petra ipsa respondit: *Cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth. xix, 28*). Hæc quoque propheta prænuntians ait: *Dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi sui* (*Isa. iiii, 14*). Tunc putes flexibile quidpiam inveniendum in iudiciis junctis Petrae? *Qui adheret Deo*, Apostolus ait, *unus spiritus est* (*I Cor. vi, 17*): qui et Petrae jungitur, lapis unus. Ad quod sane Propheta non immerito suspirans, *Mihi*, inquit, *adherere Deo bonum est* (*Psal. lxxii, 28*). Ita ergo absorpti sunt juncti Petrae iudices eorum. O familiaritatis gratiam! o honoris culmen! o fiducia privilegium! o prærogativam securitatis perfectæ!

12. Quid enim tam pavendum, quid tam plenum anxietatis, et vehementissimæ sollicitudinis excogitari potest, quam iudicandum astare illi tam terri-

sico tribunali, et incertam adhuc expectare sub tam districto Iudice sententiam? *Horrendum est*, ait Apostolus, *incidere in manus Dei viventis* (*Hebr. x, 31*). Iudicemur interim, fratres, et terribilem illam expectationem præsentem **850** studeamus declinare iudicio. Non iudicabit Deus bis in idipsum. Sane ut quorundam peccata, sic et quorundam studia bona manifesta sunt, præcedentia ad iudicium: ut illi quidem non expectantes sententiam, proprio statim pondere criminum in tartara dejiciantur; isti vero e regione paratas sibi sedes tota libertate spiritus sine ulla cunctatione conscendant. Felix paupertas voluntarie omnia relinquentium, et sequentium te, Domine Jesu! Felix plane, quæ tam securos, imo tam gloriosos faciat in illo singulari fragore elementorum, et in illo tremendo examine meritum, in illo tanto discrimine iudiciorum! Jam vero audiamus quid ad tantas promissiones devota et fidelis anima respondeat, ne forte aut diffidere, aut secus quam oporteat fidere videatur. *Quoniam tu es*, inquit, *Domine, spes mea*. Quid tam sobrie, quid tam pie poterat dici? Sed nec aliud huic verbo videtur posse convenientius responderi, quam quod sequitur: *Altissimum possuisti refugium tuum*. Cæterum ignoscite nobis, fratres: hodie quoque promissæ etiam terminos brevitatis paulo minus excessisse videmur.

SERMO IX.

De versu nono, « Quoniam tu es, Domine, spes mea; altissimum possuisti refugium tuum. »

1. Etiam, fratres, hodie aliquid audiamus de promissione Patris, de expectatione filiorum, de fine hujus nostræ peregrinationis, de mercede laboris, de fructu captivitatis. Et quidem dura omnino captivitas, non modo illa communis, quam ex ipsa jam conditione generis toleramus humani, sed hæc quoque qua voluntates mortificare proprias, etiam perdere proprias in hoc mundo animas festinantes, in hos tam rigida compedes disciplinæ, in hunc tam gravis poenitentia carcerem dedimus nosmetipsos. Miseranda servitus plane, sed si coacta, sed si non spontanea videretur. Nunc vero cum voluntarie sacrificetis Deo, nec ingeratur ulla nisi per ipsam voluntatem violentia voluntati, profecto aliquid in causa est. Illud puto aliquid, quo majus aliquid esse non potest. An vero plangendum videtur quamlibet magnum, quamlibet laboriosum, quod propter Deum fiat? Etsi magnitudo ipsa laboris interdum forte extorqueat compassionem, sed multo magis causæ consideratio exigit congratulationem. Quid quod bona omnia non modo propter eum constat fieri, sed per eum? Deus enim est qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate (*Philipp. ii, 13*). Ipse ergo auctor, ipse remunerator operis, ipse remuneratio tota: ut summum illud bonum, cuius nimirum tam perfecta est simplicitas in se ipso, duplex quodammodo videatur in nobis causa honorum, effectiva scilicet, et finalis. Bene ergo, dilectissimi, quod in his omnibus tam multis laboribus vestris

non modo subsistitis, sed etiam superatis propter eum qui dilexit vos. An vero non per eum? Et manifestate. *Sicut enim abundant pro Christo tribulationes nostræ, ait Apostolus, ita abundant etiam consolationes nostræ per ipsum (II Cor. 1, 5).*

2. Usitatus sermo, communis sermo, propter Deum: sed plane, ubi non vacue dicitur, profundissimus sermo. Crebro sonat in ore hominum, etiam a quorum corde longe esse probatur. Omnes sibi propter Deum præstari postulant, propter Deum flagitant sibi subveniri. Facile quoque ipsa petuntur propter Deum, quæ tamen non sunt secundum Deum: et id ipsi fieri quis obsecrat propter Deum, quod non desiderat propter Deum, magis autem forte contra Deum. Cæterum vivus plane et efficax sermo, ubi non perfunctorie, non usurpatorie, non velut quodam usu loquendi, vel arte persuadendi; sed ex pinguedine, ut dignum est, devotionis, et pura animi intentione procedit. Nempe et mundus transit, et concupiscentia ejus; nec satis utiliter posita, aut stabilita firmiter, vel cadente eo, quæ pro eo facta sunt, videbuntur. **851** Ubi enim causa ipsa deficiet, quomodo non omnia quoque quæ ei videbantur innixa pariter evacuabuntur? Propterea quoque [*Alias, denique*] et qui in carne seminant, de carne habent metere corruptionem: quod videlicet omnis caro fenum, et gloria ejus tanquam flos feni; et ubi fenum aruerit, florem quoque nihilominus cadere sit necesse. Solus qui est, causa est indeficiens: nec flos feni, sed verbum Domini manet in æternum (*Isai. xl, 6-8*). Denique *cælum, inquit, et terra transibunt, verba autem mea non transibunt (Math. xxiv, 35).*

3. Prudenter itaque, dilectissimi, et utiliter eligistis propter verba laborum ejus custodire vias duras; illic seminantes, ubi ne minima quidem portio vestri seminis valeat deperire. Sane qui parce seminat, non quidem non metet, sed parce metet (*II Cor. ix, 6*). Nempe qui metit, mercedem accipit: et scimus quis promisit ne eum quidem qui pro nomine suo calicem aquæ frigidæ dederit sitiendi, mercede propria cariturum (*Math. x, 42*). Nunquid tamen non in qua mensura mensus fuerit sibi quoque remetietur, aut in retributione æquabitur ei qui non aquam porrigens, sed sanguinem fundens, propinatum sibi biberit calicem Salvatoris? Non est hic calix aquæ frigidæ, sed calix inebrians quam præclarus (*Psal. xxii, 5*), calix vini meri, et quidem plenus mixto (*Psal. lxxiv, 9*). Solus enim merum habuit vinum Dominus meus Jesus, qui solus perfecte mundus, et semper etiam potest facere mundam de immundo conceptum semine. Solus plane merum habuit vinum, qui nimirum et secundum divinitatem sapientia est ubique attingens propter munditiam suam, et nihil inquinatum cadit in eum: et secundum humanitatem peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Solus non debito

A conditionis gustavit mortem, sed suæ beneplacito voluntatis, sane non ad propriam utilitatem, bonorum enim nostrorum non eget: sed nec tanquam retribuens nobis gratiam pro gratia, qui non aliter pro amicis mortuus est, nisi pro acquirendis, videlicet ut amicos faceret ex inimicis. Cum enim adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo per sanguinem Filii sui. Aut potius pro jam amicis, etsi nondum quidem amantibus, sed tamen jam amatis. In hoc est enim gratia, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quia prior ipse dilexit nos. Vis nosse quam longe prior? *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, ait Apostolus, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem: et post pauca: B Gratificavit, inquit, nos in dilecto Filio suo (Ephes. 1, 3, 4, 6).* Quomodo non dilecti jam tunc in illo, quando electi in illo? quomodo non ei grati, in quo gratificati sumus? Sic ergo Christus secundum tempus quidem pro impiis mortuus est: secundum prædestinationem autem pro fratribus et amicis.

4. In his ergo omnibus merum est vinum ipsius equidem et solius, uti ne quispiam cæterorum præsumere audeat non esse quod sibi propheticum illud aptetur: *Vinum tuum mistum est aqua (Isai. 1, 22)*. Primum, quod nemo interim mundus a sorde, nemo gloriari possit omnino se castum habere cor. Deinde quod mortis debitum persolvant quandoque necesse est. Tertio, quod ponentes pro Christo animas, hoc sibi compendio vitam mereantur æternam (31): sed et væ eis, si ipsius erubescerent testimonium. Quarto, quod prærogatæ sibi gratis exhibitæ tantæ dilectioni imparem nimis exiguamque rependant. Attamen nec hoc mistum, qui sine mistura est, dedignatur, adeo ut fiducialiter Apostolus dicat, implere se quæ desunt passionum Christi in corpore suo (*Coloss. 1, 24*). Sit ergo licet electis pariter omnibus unus idemque denarius vitæ reddendus æternæ et in ipsa tamen sicut stella a stella differt in claritate, et alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia stellarum; sic erit et resurrectio mortuorum: et quamvis domus una, diversæ tamen in ea sunt mansiones: ut videlicet, quantum quidem ad æternitatem et sufficientiam, et qui parum, non minoretur, et qui multum, non abundet: quantum vero ad eminentiam et discretionem meritorum, **852** unusquisque accipit secundum suum laborem, ne quid omnino pereat quod in Christo sit seminatum.

5. Hæc autem dicta sunt, fratres, ut illius tam spiritualis sponsi, quod hodie nobis considerandum est, gratia commendetur: *Quoniam tu es, Domine, spes mea.* Quidquid igitur agendum sit, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid optandum, tu es, Domine, spes mea. Hæc mihi omnium promissionum causa, hæc tota ratio meæ expectationis. Prætendat alter meritum, sustinere se iuste, pondus dici et æstus, jejulare bis in Sabbato dicat,

(31) Tirag. et Horst. mercantur æternam.

postremo non esse sicut ceteros hominum gloriatur : mihi autem adherere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Sperent in aliis alii ; forte hic in scientia litterarum, hic in astutia sæculi, ille in nobilitate, ille in dignitate, ille in alia qualibet vanitate confidat : propter te omnia detrimentum feci, et ut stereora arbitror, quoniam tu es, Domine, spes mea. Speret qui vult in incerto divitiarum ; ego vero ne ipsa quidem nisi abs te victui necessaria spero, nimirum verbo tuo confidens, in quo abjeci omnia ; *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et omnia adjicientur vobis* (Matth. vi, 33). Nempe tibi derelictus est pauper ; orphanus tu eris adjutor (Psal. ix, 14). Si mihi præmia promittuntur, per te obtinenda sperabo ; si insurgant adversum me prælia, si sæviat mundus, si fremat malignus, si ipsa caro adversum spiritum concupiscat ; in te ego sperabo.

6. Fratres, hoc sapere, ex fide vivere est, nec alius ex sententia dicere potest : *Quoniam tu es, Domine, spes mea*, nisi cui intus sit persuasum a Spiritu, ut quemadmodum monet propheta, jactet cogitatum suum in Domino, sciens quod nutriendus sit ab eo (Psal. lrv, 23), juxta illud quoque Petri apostoli : *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum : ipsi enim cura est de vobis* (I Petr. v, 7). Ut quid enim, si hæc sapiamus, ut quid cunctamur abjicere omnino spes miseras, vanas, inutiles, seductorias ; et huic uni tam solidæ, tam perfectæ, tam beatæ spei, tota devotione animi, toto fervore spiritus inhærere ? Si quid illi impossibile, si quid vel difficile est, quære aliud in quo speres. Sed verbo omnia potest. Quid facilius dictu ? Attamen hujusmodi dictum intelligas [alias, ne negligas] volo. Si decreverit salvare nos, continuo liberabimur ; si vivificare placuerit, vita in voluntate ejus est ; si præmia æterna largiri, licet ei quod vult facere. An vero de facilitate jam non dubitas, sed ipsa tibi est suspecta voluntas ? Plane et voluntatis testimonia credibilia facta sunt nimis. *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animum suam ponat quis pro amicis suis* (Joan. xv, 13). Denique quando in se speranti desit illa majestas, quæ tam studiose monet in se sperari ? Plane non derelinquit sperantes in se. *Adjuvabit eos, ait, et liberabit eos, et eruet eos a peccatoribus, et salvabit eos* (Psal. xxxvi, 40). Quare ? quibus meritis ? Audi quod sequitur ; *Quia speraverunt in eo*. Dulcis causa, attamen efficax, attamen irrefragabilis. Nimirum hæc justitia, sed quæ ex fide est, non ex lege. *De quacunque tribulatione, inquit, clamaverint ad me, exaudiam eos*. Ecce numeræ tribulationes. Secundum multitudinem eorum consolationes ejus lætificabunt animum tuum : dummodo ad aliam non convertaris ; dummodo clames ad eum ; dummodo speres in eum ; nec humile aliquid vel terrenum, sed altissimum ponas refugium tuum. Quis speravit in eo, et confusus est ? Facilius est cælum et terram transire, quam verbum ejus evacuari.

7. *Altissimum, inquit, posuisti refugium tuum*. Non

accedet illuc tentator, non calumniator ascendet, non pessimus ille fratrum accusator attinget. Nonne ei dicitur hoc (recolite psalmi primordia) ei dicitur, qui in protectione Altissimi commoratur, illic refugiens a pusillanimitate spiritus et tempestate. Quæ quidem duplex est necessitas fugiendi, quod videlicet et foris pugnae, et intus timores. Minus enim fugere oporteret, si vel interior magnanimitas exteriores tumultus viriliter sustineret, vel exteriori tranquillitate pusillanimitas propria foveteretur, *Altissimum, ait, 853 posuisti refugium tuum*. Sæpe illic fugiamus, fratres : munitus est locus, nullus ibi timetur hostis. Utinam magis semper ibi manere liceret ! Sed non est hoc temporis hujus. Quod modo refugium est, quandoque habitaculum erit, et habitaculum sempiternum. Interim sane, etsi persistere non conceditur, frequenter tamen est recurrendum. Nempe ad omnem temptationem, ad omnem tribulationem, ad omnem denique cujuscunque modi necessitatem, aperta est nobis urbs confugii ; sinus matris expansus est : parata sunt foramina petrae ; patent viscera misericordiae Dei nostri. Hoc refugium qui declinat, nihil mirum si effugere non meretur.

8. Jam quidem, fratres, quæ dicta sunt, ad expositionem versus hujus viderentur posse sufficere, si dixisset Propheta : *Quoniam in te speravi* ; sicut in aliis psalmis quibusdam invenitur (Psal. xv, 1). Cæterum quod dicit : *Tu es, Domine, spes mea*, forte amplius aliquid sonat et sublimius, quod videlicet non modo in eo speret, sed eum. Convenientius si quidem spes nostra dicitur quod speramus, quam in quo speramus. Sunt autem forte nonnulli, qui a Domino obtinere temporalia seu spiritualia quælibet concupiscunt ; sed perfecta charitas solum sitit quod summum est, tota desiderii vehementia clamans : *Quid enim mihi est in cælo, et a te quid volui super terram ? Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum* (Psal. lxxii, 25, 26). Pulchre nobis utrumque paucis verbis hodie Jeremiæ prophetæ lectio commendavit : *Bonus es, Domine, sperantibus in te, animæ quærenti te* (Thren. iii, 25). Ubi sane et ipsam numeri discretionem prudenter adverte, quod sperantes quidem in eo pluraliter dixerit, quod hoc videatur commune multorum ; quærentem vero eum, singulariter, quod singularis sit puritatis, singularis gratiæ, singularis perfectionis, non modo nil sperare nisi ab eo, sed nil quærere nisi eum. Quod si bonus illis, quanto magis isti ?

9. Merito proinde quærenti illum animæ respondetur : *Altissimum posuisti refugium tuum*. Neque enim sic Deum sitiens anima, aut cum Petro ei in terreno monte facere tabernaculum (Matth. xvii, 4), aut cum Maria deinceps eum tangere vult in terra (Joan. xx, 17), sed plane clamat : *Fuge, dilecte mi, assimilare capreae hinnuloque cervorum super montes Bethel* (Cant. viii, 14). Audivit enim dicentem : *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem ; quia Pater major me est* (Joan. xiv, 28). Audivit dicentem : *Noli me tangere ; nondum enim*

ascendi ad Patrem (Joan. xx, 17). Et cœlestis jam non ignara consilii clamat cum Apostolo: *Etsi cognovimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus* (II Cor. v, 16). Super montes, inquit Bethel, supra omnem videlicet potestatem et principatum, super angelos et archangelos, cherubim quoque et seraphim (neque enim alii sunt montes domus Dei, quod sonat Bethel), plane in dextera Patris, ubi jam non sit Pater major eo, in dextera Altissimi coelestissimum apprehendere concupiscens. Hæc enim est vita æterna, fratres, ut Patrem cognoscamus verum Deum; sed et quem misit Jesum Christum, verum nihilominus et unum cum eo Deum, super omnia benedictum in sæcula. Amen.

SERMO X.

De versu decimo, « Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. »

1. Nec nostra est, nec nova vobis, sed nota omnino sententia, in præcipuis quibusque partibus nostræ fidei, quid non sit, quam quid sit, et sciri posse facilius, et periculosius ignorari. Idem sane etiam spel non inconvenienter tribui posse videtur. Longe enim facilius mens humana tantorum experta malorum, quibus sit caritura, quam quibus perfruitura, comprehendit. Nempe germana fidei, spelque cognatio est; ut quod illa futurum credit, hæc sibi incipiat sperare futurum. Merito proinde Apostolus fidem sperandarum rerum substantiam esse definit (Hebr. xi, 1): quod videlicet non credita nemo sperare, non plus **854** quam super inane pingere possit. Dicit ergo fides: Parata sunt magna et inexcogetabilia bona a Deo fidelibus suis. Dicit spes: Mihi illa servantur. Nam tertia quidem charitas: Curro mihi, ait, ad illa. Cæterum, ut jam memini, difficile omnino, aut etiam impossibile est illorum qualitatem investigare honorum, nisi cui forte, juxta illud Apostoli: *Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* (I Cor. ii, 9), revelaverit ipse per Spiritum suum. Sane quantumlibet perfectus in carne adhuc mortali degens (nisi enim esset hic quædam, ut ita dixerim, imperfecta perfectio, non diceret Apostolus: *Quotquot perfecti sumus, id ipsum sentiamus; id ipsum profecto quod præmiserat: Non quasi jam acceperim, aut jam perfectus sim* (Philipp. iii, 12), etiam Paulus ipse necesse est fateatur, quia *nunc cognosco ex parte; et item: Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* (Cor. xiii, 12). Quod ergo homini interim noscitur capabilius, pla sane et provida inculcatione amplius commendatur. Proprium enim est afflictorum, ut molestiis eximi, summam reputent felicitatem; et carere miseria, summam beatitudinem arbitrentur. Unde Propheta in psalmo: *Convertere, inquit, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi: nec ulla tamen collatæ munera felicitatis enumerat, sed adjungit: Quia eripuit animam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu* (Psal. cxiv, 7, 8). In quibus

A sane verbis patenter indicat, quantam sibi requiem, quantaque Domini beneficia Judicet a tribulationibus et periculis liberari.

2. Cui profecto sententiæ illud quoque, quod de psalmo nonagesimo hodie nobis tractandum est, simile invenitur: *Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Est autem versus ipsius, quantum nos capimus, facilis intelligentia, ad quam forte ex vobis jam aliqui prævolant. Neque enim tam rudes estis, aut spiritalis studii tam expertes, ut non facillime inter vos et tabernacula vestra, et rursus inter id quod malum, et quod flagellum dicitur, discernatis. Nam et Apostolum sane aulistis dicentem, cum jam bonum certamen certasset, velocem fore depositionem tabernaculi sui (II Tim. iv, 6). Sed quid ego Apostoli verba memoro? Quasi vero ignorare possit miles tabernaculum suum, aut docendus sit exemplo alieno. Videmus sane nonnullos tabernacula sua in turpissimæ captivitatis domicilia commutasse, nec militare in his, sed miseram gerere servitatem. Imo vero quod omnino ridiculum est, sic errant aliqui, et in tantam oblivionem et spirituales phrenesim devenerunt, ut nihil sese aliud putare, quam suum hoc exterius tabernaculum videantur. Quid enim aliud quam non modo Dei, sed et sui ignorantiam habent, qui tanquam mortui a corde, omnem insuntunt operam circa carnem sic intendentes tabernaculo suo, ac si nunquam potest esse casurum? Verumtamen cadat necesse est, atque id quidem in brevi. An non se ipsos nescire videntur, qui sic dediti sunt carni et sanguini, ac si omnino nihil aliud quam carnem solum se esse reputent, sic in vano accipientes animas suas, tanquam prorsus ignorent animas se habere? *Si separaveris pretiosum a villi, ait Dominus, tanquam os meum eris* (Jerem. xv, 19): hoc est, si solerter discreveris inter exteriorum interiorumque substantiam, ut non plus tabernaculo tuo lineas a flagello, quam tibi ipsi a malo. Hoc enim malum est, unde dicitur: *Dealtina a malo, et fac bonum* (Psal. xxxvi, 27). Hoc malum, quod sua quidem anima animam privat, quod separat inter te et Deum; ut eo regnante, tanquam corpus sine anima, sic sit anima sine Deo, plane mortua in semetipsa instar unius eorum quos tanquam sine Deo in hoc sæculo fuisse Apostolus memorabat. (Ephes. ii, 12).

3. Nec sane dixerim, ut vel ipsam olio habeas carnem tuam. Dilige eam, tanquam tibi datam in adjutorium, et ad æternæ beatitudinis consortium præparatam. Cæterum sic amet anima carnem, ut non ipsa in carnem transisse putetur, dicaturque ei a Domino: **855** *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est* (Gen. vi, 3). Diligat anima carnem suam; sed multo magis suam ipsius animam servet. Amet Adam Evam suam; sed non sic amet, ut voci ejus plus obediat quam divinæ. Denique ne ipsi quidem expedit sic amari, ut videlicet cui interim caves a flagello paternæ correptionis,

thesaurizes iram æternæ damnationis. **G**emina riperarum, ait Joannes, quis demonstravit vos fugere a ventura ira? Facite dignos fructus pœnitentiæ (Math. iii, 7, 8). Ac si evidentius loqueretur: Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus; sustinete virgam corripientem, ne sentiat malleum conterentem. Quomodo dicunt nobis carnales homines: Crudelis est vita vestra, non parcitis carni vestræ? Esto, non parcinus semini. In quo ei magis parcere poteramus? An non melius est illi renovari et multiplicari in agro, quam in horreo putrefieri? Heu! computruerunt jumenta in stercore suo! (Joel. i, 17.) Sic vos parcitis carni vestræ? Simus nos crudeles interim non parcendo: at vos plane parcendo crudeliores. Siquidem etiam nunc caro nostra requiescit in spe: videritis vos ipsi quid ignominie interim vestra sustineat, quid miserie eam maneat in futurum. *Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Hic duplex est stola, et gemina quædam immortalitas commendatur. Unde enim nisi ex separatione animæ et corporis mors procedit? Inde est quod mortuum corpus, exanime nominatur. Unde autem separatio hæc, nisi ex flagellis præsentibus, ex qualibet doloris vehementia, et ipsius corporis corruptione, ex pœna peccati? Merito timet proinde et odit flagellum caro nostra, quo nimirum ab ipsius animæ tam delectabili honorabilique consortio amarum nimis divortium patiat. Cæterum interim quidem donec revocetur [alias, renovetur], velit, nolit, sustineat illud necesse est. Expedi autem sic tolerare, ut prorsus evadas, et flagellum deinceps non appropinquet tabernaculo tuo.

4. Jam vero, ut supra meminimus, et incessanter convenit meminisse, vera animæ vita Deus est: et inter hæc quoque separat malum, scilicet malum animæ, quod non est aliud quam peccatum. Eia, fratres, nugari libeat, otiositatibus indulgere delectet; nimirum gemino hoc serpente vicino, qui duplicem nobis auferant vitam, alter corporis, alter cordis. Quidni secure dormiamus, nisi quod negligentia in graviore periculo, non tam securitatis est, quam desperationis indicium? Et quidem optandum nobis ab utroque liberari: sed cavendum sane interim peccatum, quam peccati pœna; et eo studiosius a malo, quam a flagello declinandum, quo perniciosius et omnino infelicius sit a Deo animam, quam a corpore separari. Sane ubi prorsus de medio factum fuerit omne peccatum, causa quidem omnino sublata nec ipse quoque deinceps manebit effectus: ut quomodo accedere jam ad te malum omnino non poterit, sic nec flagellum quidem valeat appropinquare tabernaculo tuo, quod videlicet tam longe sit ab exteriori homine quælibet pœna, quam longe fuerit culpa ab interiori. Neque enim dicit, Non erit in te malum, aut flagellum in tabernaculo tuo; sed: *Non accedet, non appropinquabit.*

5. Siquidem est considerare homines, in quibus peccatum non modo habitat, sed et regnat: nec jam

A proximum magis, aut magis intimum posse esse videtur, nisi forte cum sic dominabitur eis, ut nullo modo deinceps valeat non dominari. Est autem et alios invenire, in quibus quidem adhuc manet peccatum, sed jam non dominatur aut prævalet in eis, evulsum quodammodo, necdum tamen expulsus; dejectum, sed non prorsus ejectum. Constat sane ab initio non fuisse sic; sed in parentibus primis ante primam illam mandati prævaricationem non modo non regnasse peccatum, sed nec fuisse quidem. Attamen quodammodo jam tunc prope illos fuisse videtur, quod tam facile persuasum est, quod tam festinanter intravit. Quid vero aliud admonerat, quam et ipsam quoque peccati pœnam, etsi necdum inesse corporibus, jam **856** tamen velut pro foribus esse qui dixit: *In quacunque die comederitis de ligno scientiæ boni et mali, morte moriemini?* (Gen. ii, 17.) Felix proinde expectatio, et beata spes nostra, quorum tam longe gloriosior futura est resurrectio, quam fuerit prima conditio: ut nec culpa omnino, nec pœna: nec malum scilicet nec flagellum, aut regnet, aut habitet; aut regnare, aut habitare jam possit aliquando in animabus, seu in corporibus nostris. *Non accedet, inquit, ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Nempe nil tam remotum, quam quod adesse ultra non potest.

6. Sed quid agimus, fratres? Vereor deprehendi. Nempe horam hanc magnus ille et communis abbas noster et vester non vacationi sermonum, sed operi manuum noscitur assignasse (Reg. S. Benedicti, cap. 48). Puto tamen ignoscet facile, præsertim non immemor religiosæ fraudis illius, qua Romanus olim tribus annis in specuposito pie ministravit. « Pie » siquidem, ut legitur, « patris sui oculis surabatur horas, et quem sibi subripere ad manducandum poterat, certis diebus Benedicto panem ferebat (Greg. lib. ii Dialog., cap. 1). » Et ego quidem non dubito, fratres, pluribus qui inter vos sunt, abundantiore spiritualium deliciarum suppetere copiam; sed quod vobis communico, non subripio mihi. Quinimo et securius, et suavius, quidquid illud sit quod Dominus donat, sumo vobiscum: nec enim alimonia hæc distribuendo minuitur, sed potius augetur ministrando. **V**erum tamen quod aliquoties [alias aliquando] vobis loquimur præter consuetudinem ordinis nostri, non nostra id agimus præsumptione, sed de voluntate venerabilium fratrum et coabbatum nostrorum, qui id nobis etiam injungunt, quod tamen sibi quidem passim nolunt omnino licere. Nempe aliam mihi rationem et singularem necessitatem esse noverunt. Neque enim modo loquerer vobis, si possem laborare vobiscum. Illud forte vobis efficacius verbum foret, sed et conscientie meæ magis acceptum. Cæterum quando id mihi peccatis meis exigentibus, et onerosi hujus (ut ipsi scitis) tam multiplici infirmitate corporis, et ipsa quoque temporis necessitate negatur; utinam dicens et non faciens, in regno Dei vel minimus merear inveniri. Amen.

SERMO XI.

De versu undesimo, « Quoniam angelis suis mandavit de te ut custodiant te in omnibus viis tuis. »

1. Scriptum est, et veraciter scriptum, quia *Misericordiæ Domini quod consumpti non sumus, quod non tradidit nos in manus inimicorum nostrorum (Thren. III, 22)*. Vigilat super nos indefessus et pervigil ille singularis clementiæ oculus; non dormit, neque dormitat qui custodit Israel. Id quidem necesse est. Non enim dormit, neque dormitat qui impugnat Israel. Et sicut ipse sollicitus est nostri, et ipsi cura est nobis: sic ille sollicitus est ut nos mactet et perdat, et una ei cura, ne forte qui aversus est revertatur. Nos autem aut non attendimus, aut minus attendimus reverentiam præsentis, protegentis custodiam, beneficia largientis, ingrati gratiæ, imo tam multiplicibus gratiis, quibus prævenit nos, et subvenit nobis. Et nunc quidem per se ipsum implet splendoribus animas nostras, nunc per angelos visitat, nunc per homines instruit, nunc etiam consolatur et erudit per Scripturas. *Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus (Rom. xv, 4)*. Bene ad doctrinam, ut per patientiam speremus: siquidem, ut alibi dictum est: *Doctrina viri per patientiam noscitur (Prov. xix, 11)*. Sed et patientia probationem operatur, probatio vero spem (Rom. v, 4). Quid nos soli nobis non adsumus? quid soli negligimus nosmetipsos? An ideo dissimulandum nobis, quia undique subvenitur nobis? Imo vero propterea studiosius vigilandum. Neque enim tam magna pro nobis in cælo pariter et in terra sollicitudo gereretur, si non magna nobis incumbere necessitas videretur: non tam multiplex **857** nobis custodia, nisi ob multiplices insidias, poneretur.

2. Felices proinde fratres nostri, qui jam liberati sunt de laqueo venantium, qui de tabernaculis militantium ad atria quiescentium transierunt, malorum timore sublato, in spe singulariter constituti! Uni istorum, imo universitati dicitur: *Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*. Sane considera, non ad hominem qui secundum carnem vivit, sed ad eum qui in carne degens secundum spiritum ambulat, hanc fieri promissionem: si quidem non est distinguere inter illum, et tabernaculum suum. Confusa in eo sunt omnia, tanquam in filio Babylonis. Denique hujusmodi homo etiam caro est, nec in eo spiritus manet. Ubi autem non fuerit spiritus bonus, quando deerit malum? Porro ubi malum, flagellum quoque appropinquare necesse est. Semper enim malum pœna comitatur. *Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*. Magna promissio: sed unde id sperare licet? Quomodo malum et flagellum evadam, quomodo effugiam, quomodo elongabo, ut non appropinquent mihi? Quo merito, qua sapientia, qua virtute? *Quoniam angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in om-*

nibus viis tuis. In quibus omnibus viis? Quibus declinas a malo, quibus fugis a ventura ira. Multæ sunt viæ, et genera multa viarum: magnum profecto periculum viatori. Quam facile in multarum occursum errabit in via sua, qui viarum discretionem caruerit! Nam neque angelis mandavit ut in omnibus viis custodiant nos, sed in omnibus viis nostris. Sunt autem a quibus, non in quibus [alias, et in quibus] oporteat custodiri.

3. Scrutemur proinde vias nostras, fratres, etiam vias dæmonum, vias quoque beatorum spirituum, et vias Domini investigemus. Et quidem supra me est quod incipio; sed adjuvabit orationibus vestris, ut aperiat mihi thesaurum intelligentiæ suæ, et voluntaria oris mei beneplacita faciat sibi Deus. Viæ igitur filiorum Adam in necessitate et cupiditate versantur. Ab utraque siquidem ducimur, et ab utraque trahimur: nisi quod videmur magis urgeri necessitate, trahi cupiditate. Et necessitas quidem specialiter corpori tribuenda videtur. Nec simplex illa est, sed anfractus habens plurimos, plurimaque dispendia: nam compendia pauca admodum, si qua tamen. Quis hominum nesciat quod necessitas hominum revera quam multiplex sit? quis sufficiat, quam sit multiplex, explicare? Ipsa nos erudit experientia, ipsa vexatio dat intellectum. In his quisque docetur, quam necesse habeat clamare ad Dominum, non, de necessitate, sed, *de necessitatibus meis erue me (Psal. xxiv, 17)*. Nec modo ab hac via necessitatis, sed ab ea quoque, quæ cupiditatis est, optabit educi, quisquis non surda aure monita Sapientis exceperit. Quid enim ille ait? *A voluntatibus tuis avertere: et item, Post concupiscentias tuas non eas (Eccli. xviii, 30)*. Siquidem e duobus malis longe melius est in necessitate gradi, quam in cupiditate. Multiplex illa: sed ista amplius per omnem modum, imo ultra omnem modum multiplicior invenitur. Res cordis ista cupiditas: propterea tanto major, quanto anima plus est quam corpus. Denique hæ sunt viæ quæ videntur hominibus bonæ; sed finem non habent, nisi cum demergunt in profundum inferni. Si invenisti vias hominum, illud quoque considera, ne forte de his dictum sit, *Contritio et infelicitas in viis eorum (Psal. xlii, 3)*; ut sit contritio in necessitate, infelicitas in cupiditate. Quomodo in cupiditate infelicitas; id est non felicitas, ut putatur? Quid enim, si cui forte videtur in terrenarum affluentia rerum felicitas arridere concupita? Eo ipso infelicior est, quo vehementius ipsam pro felicitate amplectitur infelicitatem, aut magis immergitur ei, et absorbetur ab ea. Viæ filii hominum ab hac felicitate falsa atque fallaci! Viæ qui dicit, Quia dives sum, et nullius egeō; cum sit pauper et nudus, et miser, et miserabilis! Et necessitas quidem ex infirmitate carnis, cupiditas ex cordis inedia et oblivione **858** procedit. Idecirco enim alienum mendicat anima, quod oblita sit comedere panem suum: propterea terrenis inhiat, quod minime cælestia meditetur.

4. Videamus et dæmonum vias, videamus et cavemus, videamus et fugiamus eas: siquidem viæ illorum præsumptio et obstinatio. Scire vultis unde id sciam? Considerate eorum principem: qualis ille est, tales et domestici ejus. Consideratè viarum ipsius principia, si non manifeste in immanissimam statim præsumptionem prosilierit, dicens: *Sedebo, in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, similis ero Altissimo (Isai. xiv, 13)*. Quam temeraria, quamque horrenda præsumptio! Numquid non illic ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare? Propter præsumptionem stare non potuerunt; propter obstinationem qui cecidit, non adjiciet ut resurgat. Ex hac nempe [*alias*, namque] spiritus vadens, ex illa et non rediens est. Et mira quidem præsumptio dæmonum, sed non minus mira obstinatio est, quod superbia eorum semper ascendit: propterea non est illis commutatio. Quia enim converti noluerunt a via præsumptionis, inciderunt in viam obstinationis. Quam perverso et everso sunt corde filii hominum, quicumque sectantur vestigia dæmonum, ingrediuntur dæmonum vias! Hæc enim tota adversum nos spiritualium colluctatio nequitiarum est, ut nos seducant ut nos inducant in vias suas, ut deducant in eis, perducant ad destinatum finem, qui paratus est eis. Fuge, homo, præsumptionem, ne gaudeat de te inimicus tuus. Nempe in his maxime vitis gaudet, in se ipso expertus quam difficile possis ab hac tanta voragine respirare.

5. Nolo autem ignorare vos, fratres, quoniam modo descendatur, imo cadatur in illas. Primus enim, ut interim occurrit, gradus descensionis hujus, dissimulatio est propriæ infirmitatis, iniquitatis, inutilitatis; dum sibi parcens, sibi blandiens, sibi persuadens homo aliquid se esse, cum nihil sit, jam ipse se seducit. Secundus gradus, ignorantia sui. Ubi enim in primo gradu inutilia sibi consuerit perizonata foliorum, quid superest nisi ut vulnera tecta non videat, præsertim cum ad hoc solum texerit ne videret? Ex hoc tandem fit ut etiam alio revelante, vulnera non esse contendat, conversus in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Atque is quidem tertius gradus est admodum jam vicinus, imo contiguus præsumptioni. Quid enim mali jam actitare vereatur, qui præsumit et defensare? Cæterum difficile hic hærebit in tenebris et lubrico, præsertim cum non desit etiam angelus Domini malus persequens et impellens. Itaque quartus gradus, vel quartum potius præcipitium, contemptus est; ut, quemadmodum Scriptura dicit, *Impius, cum venerit in profundum malorum, contemnat (Prov. xviii, 3)*. Ex hoc et deinceps magis ac magis super eum urget puteus os suum, dum videlicet ejusmodi animam contemptus tradit impænitentiæ, impænitentia obstinatione firmatur. Hoc est jam peccatum, quod neque in hoc sæculo, neque in futuro remittitur: quia cor durum et induratum nec timet Deum, nec hominem reveretur.

Qui sic in omnibus viis suis adhæret diabolo, manifeste factus est unus spiritus cum eo. Et viæ quidem hominum, quas superiores demonstravimus, ipsæ sunt de quibus dicitur, *Tentatio vos non apprehendat nisi humana (I Cor. x, 13)*: et quia humanum est peccare. Porro vias diabolicas a natura hominis alienas esse quis nesciat? nisi quod in nonnullis ipsa sibi consuetudo induisse naturam videatur. Cæterum etsi quorundam hominum sit, non humanum tamen, sed diabolicum est in malo perseverare.

6. Quæ vero sunt sanctorum angelorum viæ? Profecto illæ quas Unigenitus enarravit, dicens: *Videbitis angelos ascendentes et descendentes super Filium hominis (Joan. i, 51)*. Ascensio igitur et descensio viæ illorum: ascensio propter se: descensio vel potius condensio propter nos. Sic beati illi spiritus ascendunt per contemplationem **859** Dei, descendunt per compassionem tui, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Ascendunt ad vultum ejus, descendunt ad nutum ejus; quoniam angelis suis mandavit de te. Nec tamen vel descendendo visione gloriæ fraudantur, quia semper vident faciem Patris.

7. Puto et vias Domini vultis audire. Multum præsumere videor, si me illas promiserò ostensurum. Legitur autem de ipso, quoniam *docebit nos vias suas (Psal. xxiv, 9, et Mich. iv, 2)*. Cui enim alteri crederetur? Docuit itaque vias suas, cum aperuit labia prophetæ, ut diceret: *Universæ viæ Domini, misericordia et veritas (Psal. xxiv, 10)*. Ita ad singulos, ita ad omnes communiter venit; in misericordia scilicet et veritate. Ubi enim multa jam fuerit de miseratione præsumptio, sed oblivio veritatis; non continuo ibi Deus. Sed neque ubi terror inultus ex recordatione veritatis, nulla autem de memoria misericordiæ consolatio. Nam neque veritatem tenet, qui misericordiam, ubi vere est, non agnoscit: nec vera esse sine veritate misericordia potest. Itaque ubi misericordia et veritas obviaverunt sibi, sese etiam justitia et pax osculantur; nec is absesse potest, cujus in pace factus est locus. Quanta audivimus et cognovimus (siquidem patres nostri annuntiaverunt nobis) super hac copula tam felici misericordiæ et veritatis! *Misericordia tua et veritas tua susceperunt me*, ait Propheta (*Psal. lxxix, 12*), et alio loco, *Misericordia, inquit, tua ante oculos meos est, et complacui in veritate tua (Psal. xxv, 3)*. Sed et Dominus ipse de eo: *Veritas mea et misericordia mea cum ipso (Psal. lxxxviii, 25)*.

8. Sed considera etiam manifestos adventus Domini, quemadmodum scilicet in eo, qui jam præsumptus est, misericordem teneas Salvatorem; porro in eo qui in fine promissus est, veracem sustineas retributorem. Nam et hinc forte videbitur dictum, *Quia misericordiam et veritatem diligit Deus, gratiam et gloriam dabit Dominus (Psal. lxxviii, 12)*. Quamvis et in priore quoque adventu recordatus sit misericordiæ suæ, et veritatis suæ domui Israel; et in posteriori, licet judicaturus sit orbem terrarum in

æquitate, et populos in veritate sua; non tamen futurum iudicium fiet sine misericordia, nisi forte ei qui non fecerit misericordiam. Hæc sunt etenim æternitatis itinera, de quibus apud prophetam sic habes: *Incurvati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis ejus (Habac. III, 6)*. Ad manum est unde id facillime probare possim: siquidem *Misericordia Domini ab æterno, et usque in æternum (Psal. CII, 17)*; et, *Veritas Domini manet in æternum (Psal. CXVI, 2)*. Ab his itineribus incurvati sunt colles mundi, superbi dæmones, principes mundi hujus, tenebrarum harum: qui viam veritatis et misericordiae nescierunt, neque meminerunt semitarum ejus. Quid illi et veritati, qui *mendax est et pater ejus?* Denique habes manifestè de eo scriptum: *Quoniam in veritate non stetit. Quam vero longe fuerit a misericordia, etiam inflictæ nobis ab illo miseria nostra testatur. Quando ille unquam misericors fuit, qui homicida ab initio erat? (Joan. VIII, 44.)* Postremo qui sibi nequam, cui bonus? Quam nequissimus ille sibi, qui nunquam super propria iniquitate dolet, nunquam super propria damnatione compungitur? Nimirum falsa præsumptio a via veritatis extrusit, crudelis obstinatio viam misericordiae interclusit. Inde enim nec in se unquam assèqui, nec a Domino misericordiam consequi potest. In hunc ergo modum tumidi illi colles incurvati sunt ab itineribus æternitatis, dum a viis Domini (quæ quidem rectæ sunt) per anfractus suos et distorta non tam itinera, quam præcipitia corrumpunt. Quam vero prudentius atque utilius alii quidem colles ab his itineribus incurvati et humiliati sunt ad salutem! Non enim incurvati ab his, tanquam ab eorum rectitudine dissidentes: sed quod ipsa eos incurvaverunt itinera æternitatis. An non incurvatós jam cernere est colles mundi, dum sublimes quique ac potentes devota subjectione inclinantur ad Dominum, et ejus vestigia adorant? Nunquid non incurvantur, cum ab ipsa sua perniciose celsitudine vanitatis et crudelitatis, ad humiles semitas convertuntur misericordiae et veritatis?

860 9. Ad ista nimirum Domini vias non modo bonorum spirituum, sed etiam electorum viæ hominum diriguntur. Et primus quidem gradus misero homini emergenti de profundo vitiorum, illa est misericordia, qua miseretur filio matris suæ, miseretur animæ suæ, proinde placens Deo. Imitatur enim qui hujusmodi est, magnum illud divinæ miserationis opus; compunctus cum eo, qui prior pro eo punctus est, moriens et ipse quodammodo pro salute sua, nec parcens sibi ipsi. Hæc misratio prima excipit redeuntem ad cor, et hæc intra ipsa viscerum actitur arcana. Superest ut via regia progrediatur, et procedat usque ad veritatem: et, quod sæpissime commendamus vobis, cordis contritionem oris confessio comitetur. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Conversus ad cor parvulus fiat in oculis suis necesse est, sicut Veritas ait: *Nisi conversi fueritis, et effi-*

ciamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum (Matth. XVIII, 3). Non ergo velit dissimulare, quod non valet nescire, quam ad nihilum redactus sit. Non confundatur in lucem prodere veritatis, quod non sine miserationis affectu viderit in occulto. Sic ingreditur homo misericordiae vias et veritatis, vias utique Domini, vias vitæ; et fructus viarum, salus est viatoris.

10. Vias quoque angelorum ad easdem nihilominus tendere manifestum est. Cum enim ascendunt ad contemplationem, inquirunt veritatem, de qua et desiderando satiantur, et satiando desiderant. Cum vero descendunt, faciunt nobiscum misericordiam, ut custodiant nos in omnibus viis nostris. Administratorii enim spiritus sunt, missi in ministerium propter nos (*Hebr. I, 14*). Plane ministri nostri, non Domini nostri. Et in hoc Unigeniti formam imitantur, qui non venit ministrari, sed ministrare (*Matth. XX, 28*): qui stetit inter discipulos tanquam qui ministrat. Fructus angelicarum viarum, quod ad ipsos spectat, sua ipsorum beatitudo, et obedientia est charitatis: quod autem ad nos pertinet, inde quidem obtentus divinæ gratiæ, hinc vero custodia viæ nostræ; siquidem angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus indigentis tuis, in omnibus desideris tuis. Alioquin facile est tibi incurrere vias mortis, ut videlicet aut de necessitate in obstinationem, aut in præsumptionem de cupiditate prorumpas: quæ quidem jam non hominum, sed dæmonum viæ sunt. In quo enim tam facile invecti solent homines obstinati, quam in eo quod ad necessitatem pertinere aut simulant, aut arbitrantur? Quidquid moneas, ait ille, ego quod possum, possum et non ultra possum. « Tu si hic sis, aliter sentias (*Terentius, Andria, act. 2, sc. 1*). » Unde vero in præsumptionem, nisi ex quodam impetu vehementioris desiderii prosilimus?

11. Interim ergo mandavit angelis suis Deus, non quidem ut amoveant te a viis tuis, sed in eis ipsis te custodiant, et quasi per vias suas, vias tuas dirigant in vias ipsius. Quoniam modo? inquis. Nempe ut quod angelus ex sola charitate purius agit, tu propria saltem necessitate compulsus et admonitus, descendas et condescendas, exhibere scilicet proximo misericordiam: et rursus cum eodem angelo levans desideria tua, tota animi cupiditate ascendere studeas ad summam et perpetuam veritatem. Hinc enim monemur levare corda nostra cum manibus (*Thren. III, 41*); hinc audimus quotidie, « Sursum corda. » Hinc quoque negligentes arguimur, et dicitur nobis: *Filli hominum, usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? (Psal. IV, 3)*. Exoneratum enim cor et leve levatur magis, ut quærat et diliget veritatem. Nec mireris quod in vias Domini secum nos admittere, imo et immittere non dedignentur, qui custodire dignantur in nostris. Quam felicius tamen in eis ipsi ambulant, quamque securius. Cæterum et ipsi quoque, quanquam longe inferius ab eo qui Ve-

ritas ipsa, et ipsa Misericordia est, in misericordia A et veritate versantur.

12. Quam vero congrue suis quæque gradibus, sibi que competentibus disposuit Deus! Summam rerum **861** tenet ipse qui summus est, ipse supra quem nihil est, ultra quem nihil. Porro angelos suos non in summo quidem posuit, sed in tuto: quippe ei qui in summo stat, vicinius adhærentes, ac proinde confirmatos virtute ex alto. Nam homines quidem nec in summo, nec in tuto sunt, sed in cauto. Denique et in solido sunt, id est in terra, habentes locum imum, sed non infimum, unde et possibile et necesse sit ut sibi caveant. Dæmones autem in pendulo hujus aeris vagi [alias, vani] ventosique vagantur. Indigni siquidem cœlos conscendere, ad terram tamen descendere dedignantur. Et ho. lie quidem ista sufficiant. Atque utinam ejusdem ipsius munere sufficientes ei gratias referre valeamus, ex quo et sufficientia nostra est. Non enim sufficientes sumus, vel cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis (II Cor. III, 5), nisi ipse dederit nobis qui dat omnibus affluenter, et est super omnia Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XII.

De versu undecimo. « Quoniam angelis suis mandavit de te, » etc., et de versu duodecimo, « In manibus portabunt te, » etc.

1. Si meministis, hesterno sermone vias dæmonum præsumptionem diximus et obstinationem, nec tacuimus quare id diceremus. Possumus tamen, si necessarium judicatis, vias eorum via adhuc alia investigare. Nam, etsi omnimodis eas occultare laborent, multipliciter eos prodit Spiritus sanctus, multipliciter in Scripturis sanctis declarat semitas iniquorum. Legimus siquidem de eis omnibus, quoniam in circuitu impii ambulat (Psal. XI, 9). Legimus de eorum principe, quoniam circuit quærens quem devoret (I Petr. V, 8). Quod et ipse fateri cogitur in præsentia majestatis, cum inter filios Dei astans et unde veniat requisitus: *Circuitivi, ait, terram, et perambulavi eam* (Job I, 7). Dicamus itaque vias ejus, circuitionem et circumventionem: ista enim ad nos, illa utitur in se ipso. Semper ille extollitur, sed dejicitur semper: superbia ejus ascendit semper, semper humiliatur. Numquid non circuitus iste? Qui enim in circuitu ambulat, proficiscitur quidem, sed proficit nihil. Væ homini qui sequitur hunc circuitum, qui nunquam a propria voluntate recedit. Si conaris avellere, paululum sequi videbitur, sed in dolo. Circuitus est, aliunde reditum parat, non ab ea penitus abducetur. Satagit undique, undique fugitat, hæret tamen semper propriæ voluntati.

2. Veruntamen, si mala est circuitio propria, longe quidem pejor circumventio aliena. Ea siquidem vel maxime diabolom facit. Sed quomodo, fratres, ut miserum hominem circumveniat, superbissimus ille descendit? Vide circuitum impii etiam in hoc ipso. Oculi ejus omne sublime vident: at tamen Ina quoque ipsa curiose vestigat, sed ut magis

ascendat, ut vehementius intumescat, et, dum conculcaverit humilem, sibi videatur esse sublimior, sicut scriptum est, *Dum superbit impius, incenditur pauper* (Psal. IX, 2). Quam perverse ascendentes et descendentes angelos bonos angelus malus æmulator! Ascendit studio vanitatis, descendit livore malignitatis. Cujus mendax ascensio, ejus crudelis descensio est: expers ille, ut heri diximus, misericordiae et veritatis. Cæterum si descendunt maligni ut circumveniant, gratias ei cujus mandato descendunt et benigni angeli, ut subveniant nobis, ut custodiant nos in omnibus viis nostris. Neque hoc solum, sed: *In manibus, inquit, portabunt te, ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum.*

3. Quanta nobis, fratres, in hujus Scripturæ verbis et eruditio, et admonitio, et consolatio exhibetur! Quis in omnibus psalmis tam magnifice pusillanimes consolatur, negligentes admonet, erudit ignorantes? Unde id quoque fidelibus suis providentia voluit divina præstare, ut in ore ipsorum versiculi psalmi hujus hoc maxime quadragesimali tempore versarentur. Nec aliunde quam ex ipsius usurpatione diaboli **862** sumpta videtur occasio, ut in hoc quoque nequissimus ille servus filii serviat vel invitus. Quid enim tam molestum ei, quid nobis esse poterat tam jucundum, quam ut etiam malum ejus nobis cooperaretur in bonum? *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Confiteantur Domino misericordiae ejus, et mirabilia ejus filiis hominum. Confiteantur et dicant inter gentes, quoniam magnificavit Dominus facere cum eis. Domine, quid est homo quia innotuisti ei? aut quid apponis erga eum cor tuum? Apponis cor erga eum, geris pro eo sollicitudinem, curam illius habens. Denique ei mittis Unigenitum tuum, immittis Spiritum tuum, promittis etiam vultum tuum. Et ne quid in cœlestibus vacet ab opera sollicitudinis nostræ, beatos illos spiritus propter nos mittis in ministerium, custodiæ nostræ deputas, nostros jubes fieri pædagogos. Parum est enim quod facis angelos tuos spiritus; facis et angelos parvulorum. Denique angeli eorum semper vident faciem Patris (Matth. XVIII, 40). Illos utique spiritus tam felices, et tuos ad nos, et nostros ad te angelos facis.

4. *Angelis suis mandavit de te.* Mira dignatio, et vere magna dilectio charitatis! Quis enim, quibus, de quo, quid mandavit? Studiose consideremus, fratres, diligenter commendemus memoriæ hoc tam grande mandatum. Quis enim mandavit? Cujus sunt angeli? cujus mandatis obtemperant? cujus obediunt voluntati? Nempe: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis;* nec cunctantur, quin etiam in manibus tollant te. Summa ergo majestas mandavit angelis, et angelis suis mandavit. Illi: utique sublimibus, tam heatis, tam proximis si: i cohærentibus, tam familiariter adhærentibus, et vere domesticis Dei. Mandavit autem de te. Tu quis es? Domine, quid est homo, quod memor es ejus, aut

filius hominis, quoniam reputas eum? Quasi vero non sit homo putredo, et filius hominis vermis. Sed quid putas mandavit de te? Nunquid scripsit contra te amaritudines? nunquid ut contra folium quod vento rapitur, ostendant potentiam suam, et stipulam siccam persequantur? nunquid ut tollant inipium, ne videat gloriam Dei? Mandandum istud est, non mandatum. Non recedas ab adiutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorare, ne de te illud quandoque mandetur. Quem enim protexerit Deus cœli, non de eo illud mandabitur, sed pro eo. Et quod interim non mandatur, pro eo differtur, ut sint omnia propter electos. Denique parantibus ire servis, et continuo superseminata colligere zizania cupientibus, providus paterfamilias: *Sinite*, inquit, *usque ad messem, ne forte eradicetis simul et triticum* (Matth. XIII, 30, 29). Quomodo igitur tandiu conservabitur interea? Hoc plane, hoc opus præsens, hoc mandatum temporis huius.

5. Itaque angelis suis mandavit de te, ut custodiant te. O triticum inter zizania! o granum inter paleas! o lilium inter spinas! Gratias ei, fratres, gratias ei et pro nobis pariter et pro vobis. Pretiosum depositum nobis commiserat, fructum crucis sæcæ, pretium sanguinis sui. Non est contentus custodia hac tam parum tuta, tam parum utili, tam fragili, tam insufficienti. Super muros tuos, Jerusalem, constituit custodes. Neinpe etiam ipsi qui videntur muri, aut in muro ipso columnæ, his custodibus egent, et maxime.

6. Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam! reverentiam pro præsentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia. Caute ambula, ut videlicet cui adsunt angeli, sicut eis mandatum est, in omnibus viis tuis. In quovis diversorio, in quovis angulo, angelo tuo reverentiam habe. Tunc audeas illo præsentem, quod videntem me non audeas? An præsentem esse dubitas quem non vides? Quid si audires? quid si tangeres? quid si olfaceres? Vide quia non solo visu rerum præsentia comprobatur. Non omnia visui subjacent, nec corporalia quidem: quanto magis spiritualia procul sunt ab omni sensu corporeo, et spiritualiter potius vestiganda? Si fidem consulas, ea tibi angelicam probat præsentiam non deesse. Nec dixisse piget, quoniam fides probat; quam nimirum Apostolus argumentum non apparentium esse definit (Hebr. XI, 1). Adsunt igitur, et adsunt tibi, non modo tecum, sed etiam pro te. Adsunt ut protegant, adsunt ut prosint. Quid retribuēs Domino pro omnibus quæ retribuit tibi? siquidem soli ei honor et gloria. Quare ei soli? Quia ipse mandavit; et omne datum optimum non nisi ab illo est (Jac. I, 17).

7. Verumtamen etsi ille mandavit, ipsis quoque, qui et ei ex tanta charitate obediunt, et nobis subveniunt in tanta necessitate, ingratos esse non licet. Simus ergo devoti, simus grati tantis custodibus: redamemus eos, honoremus eos quantum possumus,

PAIKOL. CLXXXIII.

A quantum debemus. Totus tamen ei reddatur et amor, et honor noster, a quo tam ipsis quam nobis est totum, unde honorare possumus vel amare, unde amari honorarive mereamur. Neque enim Apostolus ubi ait: *Soli Deo honor et gloria* (I Tim. I, 17), propheticus credendus est obviare sermone, qui sibi etiam amicos Dei nimis honorificatos esse testatur (Psal. CXXXVIII, 17). Puto autem simile esse illud verbum Apostoli ei quod item ait: *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis*. Siquidem hoc non voluit, ut alia quælibet debita negarentur, præsertim cum idem ipse dicat: *Cui honorem, honorem* (Rom. XIII, 8, 7), et cætera in hunc modum. Ut ergo plenius intelligas quid in utroque senserit, quidve monuerit, vide quemadmodum inter radios solis minora quælibet luminaria non videntur. Nunquid amota modo sidera arbitramur? Nunquid extincta? Minime quidem, sed ampliori claritate quodammodo tecta, interim apparere non posse. Sic ergo dilectio alia quævis debita superans, quasi sola regnare debet in nobis: ut quidquid debetur cæteris, sibi vindicet, et ex dilectione omnia faciamus. Sic divinus prævalere debet honor, et quodammodo præjudicare universis, ut solus ipse non modo præ omnibus, sed in omnibus honoretur. Idipsum sane putes dictum etiam de amore. Quid enim extra ipsum reliquit cæteris, qui totum cor, totam animam, totam virtutem Domino Deo suo in dilectione donavit? In ipso itaque, fratres, affectuose diligamus angelos ejus, tanquam futuros aliquando cohæredes nostros, interim vero actores et tutores a Patre positos, et præpositos nobis. Nunc enim filii Dei sumus, etsi nondum appareat quid erimus, eo quod adhuc parvuli sub tutoribus et actoribus simus, tanquam nihil interim differentes a servis.

8. Cæterum etsi tam parvuli sumus, et tam magna nobis, nec modo tam magna, sed et tam periculosa via restat; quid tamen sub tantis custodibus timeamus? Nec superari, nec seduci, minus autem seducere possunt, qui custodiunt nos in omnibus viis nostris. Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt: quid trepidamus? Tantum sequamur eos, adhæreamus eis, et in protectione Dei cœli commoremur. Vide enim quam tibi necessaria sit ista protectio, ista custodia in omnibus viis tuis. *In manibus*, inquit, *portabunt te, ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum*. Parum tibi videtur, quod sit lapis offensionis in via? Considera quæ sequuntur: *Super aspidem et basilicum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem*. Quam necessarius pædagogus, imo etiam hajulus, præsertim parvulo inter hæc gradienti! *In manibus*, inquit, *portabunt te*. In tuis quidem viis custodient te, et deducunt parvulum, qua potest parvulus ambulare. Cæterum non te patientur tentari supra quam sustinere potes, sed in manibus tollent, ut pertranseas offendiculum. Quam facile transit, qui illis portatur in manibus! quam suaviter, juxta vulgare proverbium, natat, cujus alter sustinet mentum!

9. Quoties ergo gravissima cernitur urgere tentatio, **864** et tribulatio vehemens imminere, invoca custodem tuum, ductorem tuum, adiutorem tuum in opportunitatibus, in tribulatione. Inclama eum, et dic: Domine, salva nos, perimus. Non dormit, neque dormitat, etsi ad tempus quandoque dissimulet, ne forte periculosius ab illius te manibus ipse præcipites, si te eis ignoraveris sustentatum. Spirituales enim sunt manus istæ, et auxilia utique spiritualia, quæ singulis electorum pro enjusque discriminis modo et objectæ difficultatis, tanquam lapidæ molis quantitate, ab his qui sibi deputati sunt angelis spiritualiter et multipliciter exhibentur. Dico ego tamen aliqua ex his quæ communia magis arbitror, et paucis qui inter vos sunt inexperta. Turbatur aliquis vehementer, seu corporali quovis incommodo, seu tribulatione aliqua sæculari, seu aecidia spiritus et quadam animi defectione languescens? Jam tentari incipit supra quam valeat sustinere, jam impinget et offendet in lapidem, si non fuerit qui subveniat. Quis vero est lapis iste? Ego illum intelligo lapidem offensionis, et petram scandali, in quam si offenderit quis, collidetur: super quem vero ceciderit, conteret eum; lapidem utique angularem, electum, pretiosum, qui est Dominus Christus (*Isai. viii, 14* et *I Petr. ii, 6-8*). In hunc lapidem offendere, est murmurare adversus eum, scandalizari a pusillanimitate spiritus et tempestate. Itaque opus illi est angelica consolatione, angelicis manibus, qui jam defecit, jam propemodum offendit in lapidem. Et vere offendit in lapidem qui murmurat et blasphemat, se ipsum collidens, non eum in quem furibundus impingit.

10. Arbitror sane velut duabus quibusdam manibus ejusmodi homines interdum ab angelis supportari, ut quodammodo non sentientes transeant quod tantopere formidabant, nec parum mirentur postmodum tam super posteriori facilitate, quam super difficultate priori. Vultis scire quas intelligam duas manus? Duplicem utique demonstrationem, dum videlicet hinc quidem tribulationis brevitatis, inde æternitas retributionis ostenditur, aut magis pingitur vel inprimitur cordi, ut intimo affectu sentiamus quoniam momentaneum hoc et leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis. Quis vero istas tam bonas per bonos non credat fieri, cum certum sit quod e contrario male utique flant immissiones per angelos malos? Habetote familiares angelos, fratres mei, frequentate eos sedula cogitatione et devota oratione, qui semper vobis adsunt ad custodiam et consolationem.

SERMO XIII.

De versu duodecimo, « In manibus portabunt te, » etc.

1. Possumus hunc versum, qui in manibus est, videlicet, *In manibus portabunt te, etc.*, non modo de præsentis consolatione dictam accipere, sed etiam de futura. Nempè custodiunt nos in viis nostris an-

(32) Hinc patet, sermonem hunc habitum fuisse proxime post festum S. Benedicti, de quo id legitur

geli sancti, sed via finita (quod est utique vita finita) in manibus tollunt. Nec enim desunt nobis testes fideles. Proxime lectum est vobis de beatissimo patre nostro vere per omnia Benedicto, quod dum intentam oculorum aciem in splendore coruscæ lucis habere videretur, vidit Germani animam Capuani episcopi in sphæra ignea ab angelis in cælum deferri (32). Sed quid hujusmodi testimonia requiramus? Ipsa in Evangelio Veritas de mendico et ulceroso ait, quoniam *portatus est ab angelis in sinum Abrahamæ* (*Luc. xvi, 22*). Neque enim in illa tam nova nobis, tamque incognita regione ambulare ipsi possemus, præsertim cum tantus sit lapis in via. Qui lapis? Qui in lapidibus olim consueverat adorari, qui lapides obtulit Domino, dicens: *Dic ut lapides isti panes fiant* (*Matth. iv, 3*). Porro pes tuus, affectio tua; pes animæ, quam in manibus angeli portant, ne offendas ad lapidem pedem tuum. Quomodo enim non vehementissime turbaretur anima, si sola hinc egrederetur, **865** si illas sine consolatione ingrederetur vias, si inter illos lapides suis pedibus graderetur?

2. Enimvero manifestius audi, quam necesse habeas portari in manibus alienis, nec aliis quam angelicis tamen. *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem*. Quid inter hæc faceret pes humanus? quid humanæ affectionis inter tam horribilia [*alias* terribilia] monstra constaret? Nempè nequitiæ spirituales sunt, et quidem non incongruis appellationibus designatæ. Siquidem et de his dictum, quod nequaquam vobis excidissæ reor: *Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis*. Quis verò scire potest an divisæ sint inter eos operationes malitiæ, ministeria iniquitatis: ut ex diversis officiis, vel [*alias* quin] potius maleficiis, vocabula quoque diversa sortiti, nominentur alius quidem aspis, alius vero basiliscus, alius autem leo, et alius draco, quod videlicet suo quidem invisibili modo varie noceant, quasi alius morsu, alius visu, alius rugitu vel ictu, alius flatu? Legi etiam de quodam genere dæmoniorum, quod non ejiciatur nisi in oratione et jejuniis: nihil potuerat namque verbum apostolicæ increpationis ad illud (*Matth. xvii, 14-20*). Quomodo non illud aspis erat: illa utique de Psalmo aspis surda, et obturans auribus suas, ne vocem audiat incantantis? (*Psal. lvi, 5*). Vis non terreri a tam terrifico monstro? Vis securus post mortem ambulare super aspidem istam? Cave ne interim post eam ambules, cave ne imiteris, et non erit quod paveas in futuro.

3. Enimvero vitium est, cui reor ejusmodi spiritum dominari; et si vultis scire, ipsa est circuitio, a qua vobis hesternis sermone monuimus esse eaven- dum; ipsa obstinatio est, adversus quam pridie loquebamur. Nec enim piget, quoties datur occasio, ab hac tam gravi peste præmunire vos, ut eam omnimodis fugiatis: quod hæc quidem sit summa apud Gregorium Magnum in lib. ii Dialogorum, cap. 35.

quædam religionis subversio, et vere, juxta testimonium Legislatoris, *venenum aspidum insanabile* (*Deut. xxxii, 35*). Dicitur aspis hinc alteram aurem, quam pressius potest, terræ infingere; inde vero alteram caudæ immisione nibilominus obturare, ne audiat. Quid ad hæc incantantis vox, quid sermo faciat prædicantis? Orabo pro eo, humiliabo in jejuniis animam meam, baptizabor pro mortuo uberimo quodam profluvio lacrymarum, apud quem viderim nihil humanæ incantationis quamlibet sapientiam, nihil quantamcumque admonitionis industriam prævalere. Noverit tamen vir pertinax, non cælo sese, sed solo infingere caput, quod sapientia, quæ desursum est, non modo pudica, sed et pacifica sit; hæc autem magis, ut ita dicam, aspidea, nisi terrena esse non potest. Sed nec adeo absurdesceret, nisi cauda quoque obturaret auditum. Quæ est hæc cauda? Finis intentionis humanæ. Hæc surditas desperata, dum hinc quidem velut terræ infixus, propriæ quisque inhæret voluntati; inde velut reflectens caudam, finem aliquem meditatur, et infligit animo quod desiderat adipisci. Nolite, obsecro, fratres, nolite obturare aures, nolite aliquando obdurare corda vestra. Inde enim tam mordax et amarus sermo invenitur in ore hominis obstinati, quod nulla ad eum penetrare queat benevolentia monitoris. Inde aspidis virus in linguæ aculeo perseverat, quod adversus linguam incantatoris tanto se studio obturavit.

4. At basiliscus, ut aiunt, venenum in oculo gerit, pessimum animal, et præ omnibus execrabile. Nosse cupis oculum venenatum, oculum nequam, oculum fascinantem? Invidiam cogitato. Quid vero invidere, nisi malum videre est? Si non esset ille basiliscus, nunquam per ejus invidiam mors intrasset in orbem terrarum. Væ homini misero, quod invidum non prævidit! Superemus et vitium hoc, dum adhuc vivimus, si post mortem volumus ministrum tantæ nequitiae non timere. Nemo alterius bonum invidio aspicit oculo. Nempe hoc ipsum jam, quod in se est, tabe sua illud insicere, et quodam modo interficere est. Qui hominem odit, homicidam illum Veritas ipsa testatur (*I Joan, iii, 15*). Quid et ille qui bonum odit in homine? **866** nunquid non homicida poterit appellari? Adhuc vivit homo, et ille jam reus est mortis ejus. Adhuc ardet ignis, quem Dominus Jesus misit in terram (*Luc. xii, 49*), et invidus tanquam qui spiritum exstinxerit, jam damnatur.

5. Væ vobis a dracone! Immanis est bestia, flatu igneo quidquid attingerit, necat; non modo bestias terræ, sed et volucres cæli. Inaud alium ego draconem hunc, quam spiritum iracundiæ reor. Quantos etiam sublimis (ut videbatur) vitæ, flatu hujus draconis misere satis adustos, turpiter in ejus os ingemimus cecidisse? Quam melius sibi ipsis irasci potuerant ne peccarent? Nimirum affectio naturalis ira hominum est; sed abutentibus bono naturæ gravis perditio est, et miseranda pernicies. Occipemus illam, fratres, in quibus expedit, ne forte ad inutilia illicitaque prorumpat. Sic nimirum solet amore

amor expungere, solet timor timore depelli. *Nolite timere eos qui corpus occidunt*, ait Dominus, *animæ autem non habent quid faciant*: et confestim, *Ostendam autem*, ait, *vobis quem timeatis*. *Timeate autem eum qui potestatem habet corpus et animam mittere in gehennam*. Ita dico vobis, hunc timeate (*Luc. xii, 4, 5*). Ac si manifestius dicat: Hunc timeate, ne illos timeatis. Repleat vos spiritus timoris Domini, et timor alienus locum non habebit in vobis. Et ego vobis dico, non autem ego, sed Veritas; non ego, sed Dominus: Nolite irasci eis qui transitoria vobis auferunt, qui convicia inferunt, qui ingerunt forte supplicia, et præter hæc [*alias*, post hæc] faciunt nihil. Ostendam autem vobis cui debeatis irasci. Irascimini ei quæ sola vobis nocere potest, sola facere ut omnia illa non prosint. Vultis scire quænam illa sit? Iniquitas propria. Ita dico vobis, hunc irascimini. Nulla enim nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas. Qui perfecte huic irascitur, cæteris non movetur, magis et amplectitur ea. *Ego*, inquit, *in flagella paratus sum* (*Psal. xvii, 18*). Sit damnum, sit convicium, sit læsio corporalis; paratus sum, et non sum turbatus: quoniam dolor meus in conspectu meo semper. Quidni exteriora omnia parvipendam in hujus æstimatione doloris? *Filius*, inquit, *uteri mei persequitur me, et convicianti servulo indignabor?* (*II Reg. xvi, 11.*) Cor meum dereliquit me, dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum: et damna temporalia plangam, aut incommoda corporalia reputabo?

6. Hinc nimirum non modo mansuetudo oritur, cui draconis flatus non noceat; sed etiam magnanimitas, quam rugitus leonis non terreat. *Adversarius vester tanquam leo rugiens*, ait Petrus (*I Petr. v, 8*). Gratias magno illi Leoni de tribu Juda: rugire iste potest, ferire non potest. Rugiat quantum vult: tantum non fugiat ovis Christi. Quanta minuitur! quanta exaggerat! quanta intentat! Non simus bestiae, ut nos prosternat vacuus ille rugitus. Sic enim perhibent qui talia curiosius investigaverunt, ad rugitum leonis nullam bestiam stare posse, ne eam quidem quæ adversus ictum ejus tota animositate repugnat: et plerumque superat ferientem, quæ non sustinet rugientem. Vere bestia, vere rationis expers, qui tam pusillanimis est, ut solo timore cedat, qui sola futuri exaggeratione laboris victus, ante conflictum, non telo, sed tuba prosternitur. *Nondum restitistis usque ad sanguinem* (*Hebr. xii, 4*), ait strenuus ille dux, qui leonis hujus noverat vanum esse rugitum. Et alius quidam: *Resistite*, inquit, *diabolo, et fugiet a vobis* (*Jacobi iv, 7*).

SERMO XIV.

De versu decimo tertio, « Super aspidem et basiliscum ambulabis, » etc.

1. Agamus, fratres, gratias factori nostro, benefactori nostro, redemptori nostro, remuneratori nostro, aut potius spei nostræ. Ipse enim retributor, ipse retributio nostra: nec aliud jam quam ipsam expectamus ab ipso. Primum quod nobis præstitit,

nos ipsi sumus : siquidem ipse fecit nos, et non
867 ipsi nos. Parumne tibi videtur istud quia te
 fecit? Cogita qualem te fecit : nempe etiam secundum
 corpus egregiam creaturam, sed secundum
 animam magis, utpote inagine creatoris insignem,
 rationis participem, capaceam beatitudinis sempiternæ;
 porro secundum ambo simul præ cæteris creaturis
 maxime admirandam, coherentem sibi incomprehensibili
 artificio, investigabili sapientia conditoris. Itaque tam
 magnum hoc donum, quam magna res homo. Sed quam
 gratuitum putas? Planum est quia nihil ante promeruit,
 qui penitus nihil fuit. An postea sperabatur gratiam
 retributurus auctori? *Dixi Domino : Deus meus es tu,
 quoniam bonorum meorum non egēs (Psal. xv, 2).* Non igitur
 necessariam retributurus gratiam ei qui sic per omnia
 sibi sufficit, sed devotas relaturus gratias ei qui sic
 meruit sperabatur. Quidni gratias agat? Si quis oculo-
 rum lumen, si quis usum aurium, si quis narium, si
 quis manuum, si quis pedum tibi præpeditum aliquando
 reparasse videretur officium, si quis sopitam quavis
 occasione excitasse in te rationem : quis non alius tibi
 vehementissime succenseret, si quando forte beneficii hujus
 immemorem te, aut benefactori deprehendisset ingratum?
 Enimvero Dominus Deus tuus, ipsa etiam tibi instrumenta
 largitus, ex nihilo fecit hæc omnia. Nec modo fecit, sed
 et compegit etiam, et formavit, ac suo quodque illustravit
 officio. Quomodo non in his omni jure sibi gratias exigit
 ampliores?

2. Nam ne hoc quidem, licet maximo, contentus munere,
 qui dedit ut esses qui ante non fueras, adjectum etiam
 unde subsisteres qui jam eras. Nec minus liberaliter hoc,
 quam illud mirabiliter est operatus. *Faciamus, inquit,
 hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Quid vero
 postea? *Et præsit piscibus maris, et bestiis terræ,
 et volatilibus cæli.* Nam et cælestia sese elementa
 in usus creasse tuos, ante docuerat. Nempe facta
 memorantur, ut essent in signa, et tempora, et dies
 et annos (*Gen. i, 26, 14*). Cui putas? Nulli utique
 nisi tibi. Cæteræ siquidem omnes creaturæ aut in nullo
 egent his omnibus, aut non intelligunt ea. Quam copiosus
 in secundo hoc beneficio, quam liberalissimus fuit? Quanta
 tibi largitus est ad sustentationem! quanta ad eruditionem!
 quanta ad consolationem! quanta ex hoc jam ad correptionem!
 quanta etiam ad delectationem! Verum hæc duo gratis,
 et dupliciter gratis fecit. Quid dico, dupliciter gratis?
 Sine merito tuo, sine labore suo. Nempe dixit, et facta
 sunt (*Psal. xxxii, 9*). An idcirco minus devotus,
 minus obnoxius, minus gratus es, quod hæc quidem
 sicut pro nihilo, ita de nihilo fecit? Perversi cordis
 est occasiones ingratitudinis vestigare. Nemo id facit,
 nisi qui etiam gratis est ingratus. Puto enim neutrum
 tibi propterea minus utile, quod præstanti minime
 difficile fuit. Alioquin si forte quod ei laboriosum,
 tibi magis commodum ducis, ex te ipso tibi
 iudicium hoc, nec te alibi illud putem quam apud
 te didicisse. Sic præstares libentius ipse fratri tuo
 absque incommodo tuo. Verum etsi gratis præstare
 velles, nolles tamen, ut

A hanc tibi ille prætenderet ingratitudinis causam.

3. Cæterum ex hoc jam tertium opus tuæ redemptionis
 attende. Non est velamen excusationis; laboratum
 prorsus in ea. Gratis hoc quoque præstitum est,
 sed gratis quod ad te pertinet. Nam quod ad illum,
 plane non gratis. Salvus factus es pro nihilo,
 non de nihilo tamen. Quid adhuc dormitat affectio?
 Imo vero mortua est illa, non dormit, quæ huic
 beneficio non respondet, quæ se totam non effundit in
 gratiarum actionem, et vocem laudis. Nam et cætera
 duo evidentissime tertium hoc commendat, ut in eis
 quoque vera fuisse dilectio comprobetur; non propterea
 de facili præstans quod nollet aliter, sed quod non
 aliter oporteret. Itaque fecit te Deus tuus, fecit
 tam multa propter te, fecit propter te et semetipsum.
 B *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (Joan. 1, 14).*
 Quid adhuc restat? Factus est ipse tecum caro una:
 te quoque secum faciet spiritum unum. Non recedant
868 hæc quatuor a corde tuo, non ab ore, non a memoria,
 non ab affectione. Hæc cogita semper, in his jugiter
 delectare. His velut quibusdam stimulis urgens
 sollicita animam tuam, his facibus eam inflammare
 curato, ad redamandum eum qui tam multipliciter
 suum tibi erga te commendat amorem. Memento sane
 quod idem ait: *Si diligitis me, mandata mea servate (Joan. xiv, 15).*
 Serva igitur mandata Creatoris tui, serva mandata
 benefactoris tui, redemptoris tui, remuneratoris tui.

4. Sed si hæc quatuor, quot sunt mandata? Omnes
 novimus deceni esse. Itaque per quaternarium hunc
 decalogum legis multiplicans, veram habes quadra-
 gesimam, tenes quadragessimam spiritualem. Tantum
 sta in timore, et præpara animam tuam ad tentationem.
 Cave serpentis astutiam, observa insidias inimici.
 Nempe quadruplici tentamento quadrifariam
 impedire conatur actionem quam exigeris gratiarum.
 Tentatus est in his omnibus Christus, ut veraciter ab
 Apostolo scriberetur [*alias, scribitur*]: *Tentatus per omnia
 pro similitudine absque peccato (Hebr. iv, 15).* Erit forte
 qui miretur et dicat, quantum sese Domini tentationem
 non legisse. Verum, ut ego arbitror, non hoc diceret,
 si legisse se meminisset, quoniam *tentatio est vita hominis
 super terram (Job vii, 1).* Hoc enim qui meminit, non
 ea tantum triplici tentatione tentatum fuisse Dominum
 arbitratur, quæ facta est in jejuniis deserti, in pinaculo
 templi, in vertice montis (*Matth. iv*). Sane in his
 omnibus erat manifesta tentatio. Verum illa quæ extunc
 et deinceps usque ad mortem crucis ei non defuit,
 etsi occulior, vehementior tamen fuit. Nec hoc quoque
 a proposita similitudine videbitur [*alias, videtur*]
 abhorrere. Nam et tria illa beneficia, quæ jam transiere,
 evidentissima et in lucem posita esse noseuntur. Sane
 quod ad spem vitæ æternæ pertinet, nondum exhibitum,
 necdum prolatum est nobis. Nihil proinde mirum,
 si sit minus aperta tentatio, ubi etiam causa tentationis
 occulta. Cæterum et diuturnior, et validior ipsa est,
 quod adversus spem nostram quidquid habet malignitatis,
 exserat inimicus.

5. Itaque primo quidem ut auctori naturæ ingratos faciat, ampliorem ingerit pro natura sollicitudinem, quemadmodum etiam ipsi Christo esurienti ausus est dicere : *Dic ut lapides isti panes fiant* : quasi vero figmentum nostrum ignoret ipse qui finxit, aut non curet homines qui cœli volucres pascit. Quam vero ingratus est ei, qui propter hominem universum hunc condidit mundum, quisquis, ut substantiam ejus quam concupiscit obtineat, procidens non veretur adorare malignum? *Hæc omnia*, inquit, *tibi dabo, si procidens adoraveris me*. Tunc illa fecisti, miser? Quomodo dabis quæ ille creavit? Aut quomodo abs te speranda, quomodo tua adoratione petenda, quæ ab illo condita in illius posita sunt ditione? Jam in hoc quod ait : *Mitte te deorsum*, cave tibi, quicumque es qui templi pinnaculum conscendisti; cave tibi, speculator domus Domini, cave tibi, qui in Ecclesia Christi locum cerneris tenere sublimem. Quam ingratus enim, imo quam injuriosus es illi magno sacramento pietatis, si in illo quæstum æstimes pietatem! Quam infidelis ei es, qui ministerium hoc sanguine proprio consecravit, si in eo quæras gloriam tuam, quæ nihil est, quæras quæ tua sunt, non quæ Jesu Christi? Quam indigne respondes ejus dignationi, qui in dispensatione humilitatis suæ sublimem esse te fecit, cœlestia tibi sacramenta commisit, cœlestem, forte et ampliorem quam ipsis spiritibus cœlestibus, tradidit potestatem, si deorsum ipse te mittas, sapiens non quæ sursum, sed quæ super terram! Sed et omnis qui de virtutum eminentia ad inanis gloriæ sese demittit et dejicit appetitum, haud dubium quin Domino virtutum, qui tanta inter nos toleravit ut nobis formam hujus imprimeret sanctitatis, pro gratia contumeliam reddat.

6. Consideremus diligentius, fratres, ne forte prima illa tentatio, quæ corporalis necessitatis occasione animum turbat, aspidi debeat comparari. Hoc enim animal quodammodo violento [*alias*, violentum] morsu nocet, obturat **869** aurem ne audiat vocem incantantis. Quid vero agere nititur in hac parte tentator, nisi ut adversus consolationem fidei aurem cordis obstruat et obturet? Sed non profecit inimicus in ea, non illius præcludit auditum, qui ait : *Non in solo pane vivit homo : sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*. Nam in eo quod ait : *Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me* (*Matth. iv, 3-9*), in malum insidiantis suadibilem sibilum animadvertite draconis. Ferunt illum in arena latitantem, etiam aves volantes flatu attrahere venenato. Quam venenatus hic flatus fuit : *Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me!* Verum non erat ista quælibet avis : nihil potuit draconis flatus ad illam.

7. De basilisco quid dicemus? Monstruosius cœteris solo visu hominem inficere, et interficere prohibetur. Ni fallor, vana gloria est. *Videte*, inquit, *ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis* (*Matth. vi, 1*). Ac si dicat : Cavete oculos basilisci. Sed cui nocere dicitur basiliscus?

A Ei qui non viderit basiliscum. Alioquin si prior eum videas, jam non tibi nocet, ut aiunt : magis moritur ipse. Ita est, fratres. Non videntes necat Inanis gloria, cæcos et negligentes, qui se ei ostentant, qui se exponunt; et non potius ipsi inspiciunt, non attendunt, non discutunt illam; non vident denique, quam sit frivola, quam sit caduca, quam vana, quam inutilis. Si quis enim eum intueatur hoc modo, moritur basiliscus : nec jam occidit eum gloria, sed occiditur magis et occidit ei, quodam modo versa in pulverem, imo redacta in nihilum. Puto autem, non est quærere, quid ad inanem gloriam ea tentatio visa sit pertinere, ubi dictum est : *Si Filius Dei es, mitte te deorsum*. Utquid enim hoc, nisi ut videretur, ut laudaretur a basilisco?

B 8. Et vide quomodo se ipsum occultaverit basiliscus, quasi ut non posset ante videri. *Scriptum est*, inquit, *quoniam angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te*. Quid scriptum est, maligne? quid scriptum est? *Angelis suis mandavit de te*. Quid mandavit? Animadvertite et videte, quoniam subituit malignus et fraudulentus, quod malignitatis suæ commenta dissolveret. Quid enim mandavit? Nempe quod in psalmo sequitur : *Ut custodiant te in omnibus viis tuis*. Nunquid in præcipitiis? Qualis via, hæc de pinnaculo templi mittere se deorsum? Non est via hæc, sed ruina; et si via, tua est, non illius. Frustra in tentationem capitis intorsisti, quod scriptum est ad corporis consolationem. Huic enim necesse est custodiri, cui timendum, ne offendant ad lapidem pedem suum. Non est quod custodiatur, cui non est quod timeatur. Quid vero taces et illud quod sequitur : *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem?* Te enim hæc parabola tangit. Monstruosa malignitas monstruosis appellationibus conculcanda signatur, nec modo ab ipso capite, sed etiam a corpore universo. Siquidem adversus Dominum post trinam confusionem hanc, non jam serpentina calliditate, sed crudelitate usus est leonina, usque ad contumelias, ad flagella, ad alapas, ad mortem, et mortem crucis. Sed manifeste etiam leonem te conculcavit Leo de tribu Juda. Sic et adversus nos, fratres, ut in cæteris omnibus viderit sese frustratum, toto jam furore persecutionem suscitavit, qualis non fuerit ab initio, ut vehementia tribulationis regnum cœlestis sperantibus intercludat. Felix anima, quæ et ipsum leonem potenti virtute conculcans, violenter illud rapere prævalebit!

C 9. Ex hoc itaque, dilectissimi, tanquam super aspidem et basiliscum cautius et sollicitius ambulemus. Caveamus omnem radicem amaritudinis, ut nemo nostrum mordax inveniatur, nemo audax vel ardens, nemo inexorabilis aut rebellis. Nec vero deorsum mittamus nos, sed transcendamus et transiliamus [*alias*, transeamus] lethalem gloriæ temporalis obtutum, ut quomodo scriptum est : *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum* (*Prov. 1, 17*), conculcemus quoque leonem pariter et draconem : ut neque illius rugitus terreat, nec istius flatus **870**

inficiat. Videntur hæc quatuor monstra affectionibus æque quatuor, singula singulis incubare. Cui ergo potissimum draco insidiatur? Æstimo quia cupiditati, quod hanc noverit esse radicem malorum omnium, et quæ proxime cor subvertat. Inde enim etiam quasi consulens dixit: *Hæc omnia tibi dabo*. Nam de leone quidem manifestum est, quod nonnisi ad januam timoris terrificos det rugitus. Porro tristitiæ fores aspis observat, quod eas maxime morsibus suis pervias arbitretur. Unde et ad Christum Dominum, donec jam esurientem cerneret, non accessit. Econtra sane caveat necesse est lætitiæ basiliscum, quod eo potissimum aditu venenatos ingerere soleat radios oculorum; nec vana gloria nisi ob lætitiæ noceat vanitatem.

10. Illud quoque considera, an forte virtutes quatuor quatuor his tentationibus opponere valeamus. Leo rugiet, quis non timebit? Si quis ille fuerit, fortis erit. Sed frustrato leone, draco absconditur in arena, ut virulentis flatibus attrahat animam, insufflans ei quodammodo concupiscentiam terrenorum. Quis, putas, illius prætervitat insidias? Nemo utique nisi prudens. At forte dum ad ista descendere caves, urget quis molestia: et ecce protinus aspis adest: nam opportunum tempus sibi invenisse videtur. Quis non exasperabitur ab aspide ista? Nempe vir temperans et modestus, qui sciat abundare et penuriam pati. Puto ex hac occasione fascinare te volet male blandiens oculus nequam. Quis avertet faciem suam? Profecto justus, qui non modo non ipse sibi accipere gloriam quæ Dei est, sed ne ab alio quidem recipere velit oblatam: si tamen ille sit justus, qui juste quod justum est exsequatur, qui justitiam suam non faciat coram hominibus, qui denique, etsi justus fuerit, caput non levet. Hæc enim virtus specialiter in humilitate consistit, hæc intentionem purgat, hæc quoque meritum omne eo veracius et efficacius obtinet, quo minus arrogat sibi.

SERMO XV.

De versu decimo quarto, « Quoniam in me speravit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. »

1. Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos, dicit Dominus. Tollite jugum meum super vos, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve (Matth. xi, 28-30). Laborantes ad refectionem invitati, ad requiem provocati oneratos. Non tamen interim onus subtrahit, aut laborem; magis autem onere alio, alio labore commutat: sed onere levi, suavi jugo, in quibus requies ac refectio, etsi minus appareat, tamen invenitur. Grave onus iniquitas, sedens super talentum plumbi (Zach. v, 7). Sub hac gemebat sarcina qui dicebat: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me* (Psal. xxxvii, 5). Quod ergo onus Christi, quod onus leve? Ut quidem ego sentio, onus beneficiorum. Dulce onus, sed ei qui sentit, et qui experitur. Alioquin si non invenias, si non ad-

vertas, grave omnino et periculosum. Oneriferum animal homo tempore suæ mortalitatis. Si adhuc portat peccata sua, onus est grave: si jam forte exoneratus est a peccatis, minus quidem grave; sed, si sanum sapiat, non minus grande onus inveniet hanc ipsam, quam diximus, exonerationem. Onerat nos eum exonerat Deus: onerat beneficio, cum exonerat a peccato. Vox onerati: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* (Psal. cxv, 12). Vox onerati: *Exi a me, quia homo peccator sum, Domine* (Luc. v, 8). Vox onerati: *Semper enim quasi tumentes super me fluctus, timui Deum* (Job xxxi, 23). Semper, inquit, timui: sicut ante, sic post acceptam indulgentiam peccatorum. Beatus homo qui ita semper est pavidus, nec minori angitur sollicitudine, ne forte obruatur tam beneficiis quam peccatis.

2. Ad hoc siquidem divina nobis tam sedula erga nos, et tam profusa beneficentia commendatur, ut sollicitemur ad gratiam, invitemur ad dilectionem.

871 *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Quid ultra potuit tibi facere, et non fecit? Novi quid cogites, ingenua creatura? Habes gratiam angelis Domini, sed ad ipsum ambis Dominum angelorum. Oras et optas, ut nuntiis non contentus, ipse quoque qui loquebatur, adsit: nec te quasi per medium, sed sui oris osculo osculetur. Audisti super aspidem et basiliscum, leonem pariter et draconem tibi ambulandum fore, nec super dracone ipso victoriam Michaelis et angelorum ejus ignoras. Verumtamen non Michaeli, sed Domino clamant desideria tua: Libera me, et pone me juxta te; et cuiusvis manus pugnet contra me* (Job xvii, 3). Hoc nempe est non modo aliis, sed ipsis quoque altioribus altius captare refugium, ut ex sententia profertenti *quoniam tu es, Domine, spes mea, merito respondeatur: Altissimum posuisti refugium tuum.*

3. Non enim dignatur esse spes miserorum miserator et misericors Dominus; non se ipsum liberatorem simul et protectorem in se sperantibus exhibere recusat. *Quoniam in me speravit, inquit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.* Nempe, *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam* (Psal. cxxvi, 1), sive ille homo, sive etiam angelus esset. Montes in circuitu Jerusalem: sed parum hoc, imo nihil hoc foret, si non etiam Dominus in circuitu esset populi sui. Merito proinde in Cantico sponsa describitur, inventis licet vigilibus (imo ab eis magis inventa; nec enim eos ipsa quærebat), non substitisse, nec contenta fuisse vigilibus, sed percontata breviter de dilecto, ad ipsum ocuis pervolasse (Cantic. iii, 3, 4). Erat enim cor ejus non in vigilibus, sed in Domino fiduciam habens; et aliter forte suadentibus aiebat: *In Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ: Transmigre in montem sicut passer* (Psal. x, 2). Minus vigilanter id observarant Corinthii, cum offensus quasi vigilibus secederet apud eos, et minime pertransirent. *Ego quidem Cephæ; ego autem Pauli,*

aiunt; ego vero Apollo (I Cor. 1, 12). Sed quid fecerunt vigiles sobrii, vigiles circumspecti? Non enim poterant sibi suscipere sponsam, qui bene eam æmulabatur, qui æmulabatur Dei æmulatione, qui desponderat uni viro virginem castam exhibere Christo. *Percusserunt me et vulneraverunt me*, ait. Ut quid ita? Ni fallor, urgebant ut pertransiret, perinde inventura dilectum. Denique etiam *tulerunt pallium meum* (Cantic. v, 7), inquit, haud dubium quin ut curreret expedita. Animadvertere est quam valide percutiat, quibus sagittis Apostolus vulneret eos qui divertisse apud vigiles videbantur. *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis?* (I Cor. 1, 13), et item: *Cum enim dicit quis, Ego sum Pauli; alius autem, Ego sum Apollo: nonne homines estis? Quid ergo est Apollo? quid vero Paulus? Ministri ejus cui credidistis?* (I Cor. 11, 45). *Quoniam in me speravit, liberabo eum.* Non in vigilibus, non in homine, non in angelo, sed in me, inquit, speravit, nihil! boni nisi ex me, ne per ipsos expectans. Omne enim datum optimum, et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum (Jacobi 1, 17). Ex me vigilæ hominum utiles, circa opera utique manifesta: eis nimirum custodes homines deputavi. Ex me excubiæ angelorum, observantium secretiores motas, specialiter sollicitantium, propulsantium suggestores iniquos. Cæterum intima sane custodia secretissimæ intentionis, non modo ex me, verum etiam per me fiat necesse est, quod illo quidem humano nequeat, sed ne angelicus quoque oculus penetrare.

4. Agnoscamus triplicem hanc custodiam, fratres, et exhibeamus nos eis, quales cuique convenit exhiberi. Provideamus bona coram hominibus, coram angelis, coram Deo. Contendamus placere omnibus per omnia, sed maxime ei qui maximus est super omnia. In conspectu angelorum psallamus ei, ut in eis impleatur quod scriptum est: *Qui timent te, videbunt me et lætabuntur, quia in verba tua supersperavi* (Psal. cxviii, 74). Obediamus præpositis nostris, qui pervigilant, tanquam reddituri rationem pro animabus nostris, ut non cum tristitia hoc faciant (Hebr. xiii, 17). Et quidem (gratias Deo, ex cuius solo **872** munere venit) non est quod multum vos moneam; non est quod multum vobis timeam in hac parte. Quod enim est gaudium meum et gloria mea, nisi prompta obeditio, et irreprehensibilis conversatio vestra? Quid si certo cognoscere, ne angelos quidem amplius aliquid in vobis cognoscere quod dedecet, apud neminem vestrum ex anathemate Jericho quidpiam occultari, non murmurare aliquem, non detrahere in occulto, non simulatorie agere vel remisse, non ignominiosas volvere animo cogitationes, quibus solet, heu! interdum ipsa quoque pars corporis porturbari? Magnum hoc nihil gaudii incrementum, sed nondum utique plenitudo. Non enim tam magni sumus, ut possit nobis adeo esse pro minimo, ab homine judicari non posse, minus autem nihil conscius esse nobis. Cæterum si oc-

A cultissimum Judicem timent etiam magni; quantum nos ad illius examinis memoriam convenit trepidare? O si mihi contingeret certum esse, nil esse in omnibus nobis illum offendens oculus, qui solus perfecte novit quid sit in homine, videns in eo et quod in se ille non videt? Hoc vel maxime iudicium vestigemus, fratres, et eo amplius frequentemus in timore et tremore ipsius considerationem, quo minus comprehendere possumus investigabilem abyssum iudiciorum Dei, et irrefragabilem dispositionem. Cum hoc timore spes habet meritum, cum hoc metu fructuose speratur.

5. Est autem is ipse timor firmissima quædam et efficax materia spei, si quis prudenter advertat. Si quidem maximum quoddam Dei donum timor iste, et ex perceptione præsentium firma est expectatio futurorum. Postremo beneplacitum est Domino super timentes eum (Psal. cxlvi, 11); et utique vita in voluntate ejus, et in beneplacito ejus salus æterna. *Quoniam in me speravit, liberabo eum.* Dulcissima liberalitas, in se sperantibus non deesse. Hoc enim totum hominis meritum, si totam spem suam ponat in eo qui totum hominem salvum facit. *In te speraverunt patres nostri, speraverunt, et liberasti eos; ad te clamaverunt, et salvi facti sunt, in te speraverunt, et non sunt confusi* (Psal. xxi, 5, 6). Quis eniã speravit in eo, et confusus est? Sperate in eo, omnis congregatio populi. Quemcunque enim locum calcaverit pes vester, vester erit. Pes vester utique spes vestra est. Quantumcumque illa processerit, obtinebit, si tamen in Deum tota figatur, ut firma sit et non titubet. Quid timeat aspidem aut basiliscum? quid leonis rugilus, aut draconis sibilos expavescat?

6. *Quoniam in me speravit, liberabo eum.* Porro liberatum quidem, ne iterum impugnetur, ne iterum egeat liberari, protegam eum et conservabo: si tamen cogoverit nomen meum, nec sibi tribuat quod liberatus est, sed nomini meo det gloriam. *Protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.* In præsentia enim vultus glorificatio, in notitia nominis protectio exhibetur. Spes in nomine, res in facie est. Quod enim videt quis, quis sperat? (Rom. viii, 24.) *Fides utique ex auditu* (Rom. x, 17); et eo quidem, juxta eundem Apostolum, *est rerum substantia sperandarum* (Hebr. xi, 1). *Protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.* Non novit nomen ejus, qui illud assumit in vanum, qui dicit ei, Domine, Domine, et non facit quæ dicit ipse. Non novit nomen ejus, qui eum nec honorat ut Patrem, nec ut Dominum timet. Non novit nomen ejus, qui ad vanitates et insanias falsas convertitur. *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias falsas* (Psal. xxxix, 5). Hoc nomen cognoverat qui dicebat: *Non enim est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (Act. iv, 12). Nos quoque si novimus nomen sanctum quod invocatum est super nos, desiderandum utique nobis, ut semper sanctificetur in nobis, atque ita orandum juxta doctrinam utique Salvatoris: *Pater noster qui es in cælis, sanctificetur na-*

men tuum (*Matth.* vi, 9). Denique audi quid sequatur in Psalmo : *Clamavit ad me, et ego exaudiam eum.* Hic fructus notitiæ nominis, clamor orationis : porro fructus clamoris, exauditio Salvatoris. Quomodo **873** enim aut non invocans exaudiri poterat; aut nomen Domini nesciens, invocare? Gratias ei qui manifestavit hominibus nomen Patris, fructum salutis in ejus invocatione constituens, sicut scriptum est : *Quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit* (*Joel* ii, 32).

SERMO XVI.

De versu decimo sexto, « Clamavit ad me, et ego exaudiam eum, » etc.

1. *Clamavit ad me, et exaudiam eum.* Hoc plane est testamentum pacis, hoc pietatis foedus, hoc pactum misericordiæ et miserationis. *Speravit, ait, in me, liberabo eum.* Nomen meum cognovit, protegam eum; invocavit me, et ego exaudiam eum. Non dicit : Dignus fuit, justus et rectus fuit, innocens manibus et mundo corde : propterea liberabo, protegam, et exaudiam eum (33-34). Si enim hæc aut similia diceret, quis non diffideret? Quis gloriabitur castum se habere cor? Nunc autem apud te propitiatio est, et propter hanc legem tuam sustinui te, Domine. Dulcis lex, quæ meritum exauditionis in clamore constituit postulationis. *Clamavit, inquit, ad me, et exaudiam eum.* Merito non exauditur qui clamare dissimulat, aut omnino non postulans, aut tepide postulans et remisse. Siquidem in Dei auribus desiderium vehemens clamor magnus : e regione autem remissa intentio, vox submissa. Quando illa penetrabit nubes? quando audietur in cælis? Nempe ut clamandum sibi noverit homo, inter primordia suæ orationis ipsum quem oraturus est Patrem in cælis esse protinus adnemetur, quod videlicet impetu quodam spiritus illo sibi jaculandam esse meminert orationem. Spiritus est Deus, et in spiritu clamet necesse est, quisquis clamorem suum ad eum desiderat pervenire (35). Sicut enim in faciem hominis non respicit tanquam homo, sed magis in tuctur cor : sic ad cordis potius vocem, quam corporis, aures ejus; cui merito dicitur, *Deus cordis mei* (*Psal.* lxxii, 26). Hinc est quod Moyses, foris tacens, intus auditur, dicente Domino, *Quid clamas ad me?* (*Exod.* xiv, 15.)

2. *Clamavit ad me, et exaudiam eum.* Non immerito. Clamorem magnum sane magnitudo necessitatis extorsit. Quid enim clamans petiit, nisi consolationem, liberationem, glorificationem? Alioquin quomodo super his exauditur, si pro aliis clamat? *Exaudiam eum, ait.* In quo exaudies, Domine, vel in quibus? *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum.* Ad magnum illud triduum, quod proxime sumus celebraturi, hunc mihi ternarium arbitror referendum. Siquidem et ipse propter nos tribulationem et dolorem invenit, quando

(33-34) Hic occurrebat insignis hiatus, sensum omnino permittens : nam hæc verba, *Non dicit, etc.*, usque ad, *Si enim, etc.*, aliis editis desunt, quæ re-

A proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. Verumtamen quæ de ipso erant, sicut ante mortem prædixerat, finem habuerunt; et sicut in morte dixit, Consummata sunt et extunc sabbatizavit. Nec dilata est gloria resurrectionis : die tertia, summo diluculo Sol justitiæ de tumulo ortus est nobis. Ita ergo fructus pariter tribulationis et veritas ereptionis in manifestatione glorificationis apparuit. Nihilominus quoque et in nobis simile quoddam triduum posse videbitur assignari. *Cum ipso sum, ait, in tribulatione.* Quando hoc, nisi in die tribulationis nostræ, in die crucis nostræ? dum impletur quod ipse ait, *In mundo quidem pressuram habebitis* (*Joan.* xvi, 33); et quod Apostolus ejus, *Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur* (*II Tim.* iii, 12). Nam liberatio plena atque perfecta ante diem sepulturæ esse non poterit, quod maneat jugum grave super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium (*Eccli.* xl, 1). In hac ergo die eripiam eum, inquit, quando nihil jam ultra quod vel corpori, vel animæ faciat, mundus habebit. Sane glorificatio diem ultimum manet, diem resurrectionis, quando surget in gloria, quod in ignominia interim seminatur.

874 3. Unde scimus quod nobiscum sit in tribulatione? Ex eo utique quod in ipsa tribulatione nos sumus. Quis enim sustineret, quis subsisteret, quis persisteret sine eo? Omne gaudium existimemus, cum in tentationes (*alias, tribulationes*) varias inciderimus, fratres mei; non modo quia per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei (*Act.* xiv, 21), sed quoniam juxta est Dominus his qui tribulatio sunt corde (*Psal.* xxxiii, 19). *Si ambulavero in medio umbræ mortis, ait quidam, non timebo mala, quoniam tu mecum es* (*Psal.* xxii, 4). Ita ergo nobiscum est omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Quando autem nos erimus cum ipso? Nimirum quando rapiemur obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus. Quando apparebimus cum ipso in gloria? Nempe cum Christus apparuerit vita nostra. Interim sane abscondatur necesse est, ut præcedat tribulatio ereptionem, ereptio glorificationem. Vox liberati : *Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi; quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu* (*Psal.* cxiv, 7, 8). *Eripiam eum, et glorificabo eum.* Felix, qui te interim consolatorem et adiutorem habet, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. At quam felicior, quem jam eripuisti et exemisti tantis malis! quam felicior, qui jam exemptus de laqueo venantium, qui jam raptus est ne malitia mutet intellectum illius, aut ne fictio decipiat animam ejus! Longe tamen præ his omnibus felicissimus ille erit, quem assumpseris ad te ipsum, quem repleveris in

stituuntur ex codicibus manuscriptis Cisterciensis et aliis.

(35) Confer sermonem 9, num. 2, De bona intentione.

bonis domus tuæ, et claritati tuæ conformaveris eum.

4. Et nunc, filioli, clamemus in cœlum, et miseretur nostri Deus noster. Clamemus in cœlum, quia sub cœlo omnia labor et dolor, et vanitas, et afflictio spiritus. Denique pravum est cor hominis et imperscrutabile (*Jerem. xvii, 9*), proni sensus ejus in malum. Non est in me bonum, hoc est in carne mea. Lex peccati in ea habitat, adversus spiritum concupiscit. Postremo et cor meum dereliquit me, et corpus mortuum est propter peccatum. Sufficit autem diei quoque malitia sua; et est mundus ipse positus in maligno. Quam nequam in omnibus sæculum præsens! quam nequitur adversus animam sæcularia cogitantem militare noscuntur! Sunt et principes mundi hujus, tenebrarum harum, spirituales nequitiae, et aereæ potestates, et inter eas callidior cunctis animantibus serpens. Hæc ergo sub sole omnia: hæc omnia sub cœlo. Ad quod horum omnium confugium facis? In quo horum omnium speras solatii aliquid, aliquid auxilii invenire? Si quæras intra te, aruit cor tuum, et oblivioni datum te reperies, tanquam mortuum a corde. Si infra te, corpus quod corrumpitur, aggravat animam. Si circa te, etiam terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem (*Sap. ix, 15*). Quære ergo supra te, sed cautus esio ventosa agmina transilire. Quia enim omne datum optimum, et omne donum perfectum non nisi desursum esse noverunt, medium iter latrunculi obsedere. Transi ergo, transi pervigiles illas nequitas, quæ tam indefesse custodiunt et observant, ne quis in illam possit evadere civitatem. Si te percusserint, si vulneraverint, dimitte eis pallium, quod in Ægypto olim Joseph adulteræ dereliquit (*Gen. xxxix, 12*): dimitte sindonem, ut cum evangelico illo juvene profugias nudus ab eis (*Marc. xiv, 52*). Numquid non solum pallium ejus et sindonem dederat Deus in manus impij? in cujus facultatem et carnem dans potestatem, *Veruntamen animam*, ait, *illius serva* (*Job ii, 6*). Ita ergo sursum cor, sursum clamor, sursum desideria, sursum conversatio, sursum intentio, et omnis expectatio tua desursum sit. Clama in cœlum ut exaudiaris, et qui in cœlis est Pater mittat tibi auxilium de sancto, et de Sion tueatur te. Mittat interim auxillum de tribulatione, eripiat a tribulatione, et glorificet in resurrectione. Magna sunt hæc, sed tu, magne Domine, promisisti. Ex tuâ promissione speramus, inde audemus dicere: Si corde clamemus pio, certe debes ex promisso (36). Amen.

875 SERMO XVII.

De versu decimo septimo, « Longitudine dierum replebo eum, » etc.

1. Bene nobiscum agitur, fratres; satis competit huic tempori versus Psalmi. Celebraturis proximæ Dominicæ Resurrectionem, jam nunc cuique nostrum sua promittitur: ut festivius in capite suo factum recolant membra, quod in se ipsis præstolantur aliquando faciendum. Con-

A gruus finis Psalmi, ubi psallenti finis promittitur tam beatus. Jucunde completur, dum in eo spondetur repletio tam jucunda. *Longitudine*, inquit, *dierum replebo eum, et ostendam illi salutare meum*. Sæpius vos admonéo, fratres, quod juxta Pauli sententiam, *promissionem habeat pietas vitæ ejus quæ nunc est, pariter et futuræ* (*I Tim. iv, 8*). Unde et idem ait: *Habetis nunc quidem fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam* (*Rom. vi, 22*). Ipsa est quæ hoc loco promittitur plenitudo, ipsa longitudo dierum. Quid enim tam longum, quam quod æternum est? quid tam longum, quam quod nullo sine præciditur? Bonus finis, vita æterna; bonus finis, qui finem non habet. Et sane ejus finis bonus, ipsum quoque bonum est. Amplectamur itaque sanctificationem, quoniam bona est, quoniam finis ejus vita sine fine. Sanctimoniam sectemur et pacem, sine qua nemo videbit Deum (*Hebr. xii, 14*). *Longitudine*, inquit, *dierum replebo eum, et ostendam illi salutare meum*. Dextræ Dei est ista promissio; munus est dextræ, quam sibi olim sanctus porrigi optabat: *Operi*, inquit, *manuum tuarum porriges dexteram* (*Job xiv, 15*). Delectationes in dextera hac usque in finem. Hanc nimirum et ille sibi porrigi optavit, et obtinuit dexteram, de quo Psalmista ait: *Vitam petiit a te, et tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, et in sæculum sæculi* (*Psal. xx, 5*). Manifestius denique Sapiens dixit: *In sinistra illius divitiæ et gloria, in dextera autem ejus longiturnitas vitæ* (*Prov. iii, 16*). Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Hæc enim vita, qua vivimus, magis mors est; nec simpliciter vita, sed vita mortalis. Moritur homo, dicimus, quando morti certissime jam appropinquat. Quid vero agimus ex quo primum incipimus vivere, nisi morti appropinquare, et incipere mori? Sed et dies qualescunque vitæ hujus, pauci et mali sunt, sicut sanctus patriarcha testatur (*Gen. xlvii, 9*). Ibi vere vivitur, ubi vivida vita est et vitalis: ibi dies boni, ubi interminabilis longitudo dierum. Grâs ei, qui tam non modo fortiter, sed et suaviter disponit universa. Eorum nempe paucitas dierum finietur brevi, quorum sufficit cuique malitia sua. Ubi autem dierum bonitas, æternitas quoque non deerit.

2. *Longitudine dierum replebo eum*. Quod prius dixerat: *Glorificabo eum*, evidentius hoc versiculo declaravit. Cui tamen non sufficeret ab eo glorificari, cujus perfecta sunt opera? Non enim tanta immensitas, nisi in immensum quempiam glorificare potest. Necessè est magna sit glorificatio, a magnifica gloria quæ descendit. *Voce delapsa a magnifica gloria*, ait Petrus (*II Petr. i, 17*). Bene magnifica gloria, glorificans tam magnificè, in longitudine, in multitudine, in plenitudine claritatis. Fallax gloria, et vana est claritas, dies hominum brevis. Sæpens ejusmodi non optavit; magis loquetur ex corde ei qui intuetur cor: *Et diem hominis non desideravi, tu scis* (*Jerem. xvii, 16*). Ego tamen plus aliquid quam

(36) In hymno Quadragesimæ.

non desiderat desidero, ut ne recipiam quidem. Scio enim cuius vox sit: *Ego claritatem ab homine non accipio* (Joan. v, 41). Quam vero miseri, qui gloriam quæ ab invicem est quærimus, et nolumus eam quæ a solo est Deo! Sola siquidem ea, quam solam negligimus, longitudinem habet, sola repletionem. Breves dies hominis, et dies ejus tanquam flos agri sic efflorescit. *Exsiccatum est, inquit, fenum, et cecidit flos; verbum autem Domini in æternum manet* (Isai. xl, 8). Verus nimirum dies, qui non novit occasum, æterna veritas, vera æternitas; ac proinde vera, æternæque satietas. Alioquin quomodo gloria illa replebit, quæ fallax et vana est? Denique et inanis dicitur, ut noveris **876** te ex ea magis exinaniri posse, non posse repleri. Bonum ergo interim magis abjectio, quam elatio est; bonum magis necessitas, quam voluptas: quod, cum utraque res citius trans-eat, altera pœnam habeat, altera sit paritura coronam.

3. Utilis tribulatio, quæ probationem operatur, ducit ad gloriam. *Cum ipso sum, inquit, in tribulatione, eripiam eum, et glorificabo eum.* Agamus gratias Patri misericordiarum, qui nobiscum est in tribulatione, et in omni tribulatione nostra nos consolatur. Res enim, ut dixi, necessaria, tribulatio, quæ in gloriam vertitur; tristitia, quæ mutatur in gaudium, gaudium sane longum, quod nemo tollit a nobis, gaudium multiplex, gaudium plenum. Res necessaria est ista necessitas, quæ coronam parit. Non contemnamus, fratres: semen modicum est; magnus exinde fructus exurgit. Forte insipidum, forte acerbum est, forte granum sinapis. Non consideremus quæ videntur, sed quæ non videntur in eo: quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna (II Cor. iv, 18). Prælibemus primitias gloriæ, gloriemur in spe gloriæ magni Dei. Non solum autem, sed, ut dicam expressius, gloriemur in tribulatione, in ea siquidem spes gloriæ est. Vide si non hoc ipsum docere te voluit Apostolus, cum subjunxit: *Quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem.* Manifeste advertere est in his verbis, cum præmississet Apostolus gloriari in spe, non aliud aliquid, sed amplius eum addidisse dicendo: *Non solum autem, sed et gloriari in tribulationibus* (Rom. v, 4, 3). Non enim altera gloriatio commendatur, sed additur magis, ubi spes gloriæ, ubi ipsa spei gloriatio requiratur. Siquidem in tribulatione spes gloriæ, imo et ipsa in tribulatione gloria continetur: sicut spes fructus in semine, sicut ipse fructus in semine est. In hunc modum etiam modo regnum Dei intra nos est, thesaurus ingens in fictili vase, in agro vili. Est, inquam, sed absconditum est. Felix, qui ibi invenit illud? Quis ille? Nempe qui messem magis cogitaverit, quam sementem. Oculus fidei invenit hunc thesaurum, non secundum faciem judicans; sed videns quæ non apparent, et intuens quæ non videntur. Quam veraciter hunc thesaurum invenerat, quem volebat inveniri et ab aliis, qui dicebat: *Momentaneum hoc et leve tribulationis nostræ supra*

modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis (II Cor. iv, 17). Non dixit: Remunerabitur, sed, *æternum pondus gloriæ operatur in nobis.* Latet gloria, fratres mei, abscondita nobis est in tribulatione, in momentaneo hoc latet æternitas, in hoc levi pondus subline et supra modum, Interim ergo festinemus nobis emere agrum istum, emere thesaurum istum, qui absconditus est in agro. Omne gaudium existimemus, cum in varias inciderimus tribulationes. Dicamus ex animo, dicamus ex sententia: *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii* (Eccl. vii, 3).

4. *Cum ipso sum in tribulatione, ait Deus: et ego aliud interim requiram quam tribulationem? Mihi adhærere Deo bonum est; non solum autem, sed et ponere in Domino spem meam* (Psal. lxxii, 28); quia *eripiam eum, inquit, et glorificabo eum. Cum ipso sum in tribulatione. Deliciæ, inquit, meæ esse cum filiis hominum* (Prov. viii, 31). Emmanuel, nobiscum Deus. Ave, gratia plena, ait angelus ad Mariam, *Dominus tecum* (Luc. i, 28). In plenitudine gratiæ nobiscum est, in plenitudine gloriæ erimus nos cum illo. Descendit, ut prope sit his qui tribulato sunt corde, ut nobiscum sit in tribulatione nostra. Erit autem quando rapiemur in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus; si tamen curemus interim eum habere nobiscum, ut sit comes viæ, qui patriæ redditor est futurus: imo qui tunc patria, modo sit via. Bonum mihi, Domine, tribulari, dummodo ipse sis mecum, quam regnare sine te, epulari sine te, sine te gloriari. Bonum mihi, Domine, in tribulatione magis amplecti te, in camino habere te mecum, quam esse sine te vel in cælo. Quid enim mihi est in cælo, et a te quid volui super terram? Aurum **877** probat fornax, et viros justos tentatio tribulationis (Eccl. xxvii, 6). Ibi, ibi cum eis es, Domine; ibi in tuo nomine congregatis medius astas, sicut olim cum tribus pueris es dignatus etiam ethnico apparere, ut diceret: *Quia species quarti, similis Filio Dei* (Dan. iii, 92). Quid trepidamus, quid cunctamur, quid refugimus hunc caminum? Sævit ignis, sed Dominus nobiscum est in tribulatione. Si Deus nobiscum, quis contra nos? Nihilominus quoque si ille eripit, quis est qui rapiat de manu ejus? quis est qui de manu ejus possit eruere? Postremo, si ille glorificat, quisnam alius inglorium faciet? si ille glorificat, quis humiliabit?

5. Audi denique quam gloria ipse glorificet. *Longitudine, inquit, dierum replebo eum.* Et primo quidem in eo quod *dierum* nomen pluraliter posuit, non vicissitudinem aliquam, sed multitudinem voluit commendare. Alioquin si vicissitudinem suspicaris, melior est dies una in atriis Domini super millia (Psal. lxxxiii, 11). Legimus sanctos atque perfectos viros etiam ab his diebus nostris plenos migrasse dierum: nec sane aliud, quam virtutum plenos, plenos intelligimus gratiarum. Nimirum in hanc plenitudinem, velut de die in diem, de claritate in

claritatem, non quidem a suo, sed a Domini spiritu A transformantur. Si ergo dies gratia dicitur; si, ut supra meminimus, et dies hominis, claritas quæ ab homine est, et male nitens gloria, quam ab invicem quærimus: quomodo non magis verus dies, imo et plenus merities, veræ gloriæ plenitudo? Quod si dies plurimos divisiones dicimus gratiarum; quomodo non in multiplici gloria dierum intelligitur multitudo? Postremo evidentius audi sine ulla vicissitudine dies multos. *Erit lux lunæ sicut lux solis*, ait propheta, *et lux solis septemplex sicut lux septem dierum* (Isai. xxx, 26). Istis, ni fallor, cunctis diebus vitæ suæ psalmos suos cantare in domo Domini rex fidelis optabat. Erit enim devotos esse Deo ad singula tantæ et tam multiplicis gloriæ munera, et in omnibus semper gratias agere, quasi cunctis diebus psalmos dicere nomini ejus.

6. *Longitudine dierum replebo eum*. Ac si manifestus dicat: Scio quid desideret, scio quid sitiât, quid sapiat ei. Non ei aurum vel argentum sapit, non voluptas, non curiositas, non dignitas aliqua sæcularis. Omnia detrimentum facit, omnia aspernatur et arbitratur ut stercora. Exinanivit penitus semetipsum, nec se ex his patitur occupari, quibus novit se non posse repleri. Non ignorat ad cujus imaginem conditus sit, cujus magnitudinis sit capax; nec sustinet de modico crescere, ut de maximo minuatur. Itaque *longitudine dierum replebo eam*, quem nisi lux vera reficere, nisi æterna implere non potest: siquidem nec longiturnitas illa terminum, nec claritas illa occasum, nec satietas illa fastidium habet. Erit enim securitatis de æternitate, gloriatio de veritate, exsultatio de satietate. *Et ostendam illi salutare meum*. Nimirum extunc videre merebitur quod optavit, cum sibi Rex gloriæ gloriosam exhibebit Ecclesiam, non habentem maculam ob splendorem diei, sed neque rugam ob omnimodam plenitudinem sui. Alioquin ad illius fulgorem luminis, sicut non impurus, sic nec turbatus quidem in aliquo animus vel inquietus assurgit. Inde est quod

nunc quoque, ut supra memini, sanctimoniam simul et pacem sectari præcipimur, quod sine his nemo videat Deum (Hebr. xii, 14). Cum ergo repleverit in bonis desiderium tuum, ut non aliud sit quod requiras, serenato penitus ex ipsa plenitudine animo, videre jam poteris serenitatem illam, illam plenitudinem majestatis, similis Deo factus, quod videas eum sicuti est: aut forte quia [*alias*, jam] plenus omni gloria in semetipso, etiam foris salvationem, quam operatus est Dens, et plenam majestate ejus omnem terram undique circumpiciet deliciosissimi sæculi habitator. Ad hoc quoque referri posse videbitur quod adjecit: *Et ostendam illi salutare meum*.

7. Alioquin accipiamus, si magis placet, etiam B hoc modo, ut ipsos quos promiserat dies in hac ostensione salutaris exponat. *Longitudine*, inquit, *dierum 878 replebo eum*. Et tanquam quæreres, unde erit dies in civitate, de qua legimus, quia non lucebit ibi sol per diem, nox enim non erit in ea. *Ostendam illi*, ait, *salutare meum*: ut, quemadmodum et in illa Scriptura legitur, Lucerna ejus sit Agnus (Apoc. xxi, 23). *Ostendam illi salutare meum*. Non jam in fide crudiam, non jam exercebo in spe, sed in specie adimplebo. *Ostendam illi salutare meum*, ostendam illi Jesum meum, ut in æternum jam videat in quem credidit, quem dilexit, quæra semper optavit. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis (Psal. lxxxiv, 8). Ostende nobis, Domine, salutare tuum, et sufficit nobis. Qui enim videt illud, videt et te: quia ipsum in te, et tu in ipso. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscas te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum (Joan. xvii, 3). Itaque tunc dimittes servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace, cum viderint oculi mei salutare tuum, Jesum tuum, Dominum nostrum, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

IN DOMINICA PALMARUM.

SERMO I.

De tribus ordinibus obsequentium Christo.

1. Non sine causa spiritum Sponsi pariter et Dei sui habens Ecclesia, processionem hodie nova quadam et mira conjunctione addidit passioni. Nam processio plausum habet, passio planctum. Quoniam ergo sapientibus et insipientibus debitores sumus, videamus quid utrisque conferat hæc conjunctio. Et prius quidem quid sæcularibus indicet: quoniam non prius quod spirituale, sed quod animale. Videat ergo sæcularis anima, videat et intelligat, quoniam extrema gaudii luctus occupat. Propter hoc enim qui cætera quoque cœpit facere et docere, non solum verbis prædicans, sed et exemplis; quod ante

prædixerat per prophetam, Quoniam *omnis caro senum, et omnis gloria ejus, tanquam flos feni* (Isai. xl, 6), etiam apparens in carne manifeste studuit probare in se ipso. Unde et processionis gloria voluit sublimari, qui paulo post sibi noverat imminere diem ignominiosissimæ passionis. Quis ergo sperare jam debeat in incerto gloriæ temporalis, cum videat in ipso quoque qui peccatum non fecit, creatore temporum et conditore universitatis, post exaltationem tantam, tantam nihilominus humiliationem sequi? In eadem enim civitate, a plebe eadem, et eodem tempore, nunc quidem processionis gloria et divinis est laudibus honoratus; postmodum vero interrogatus contumeliis et tormento, et cum sec-

leratis deputatus. Illic est transitorie finis lætitiæ, hic fructus gloriæ temporalis. Propterea prudenter orat propheta, ut cantet Domino gloria ejus, et non compungatur (*Psal.* xxix, 13); id est, processionem habeat, quam passio non sequatur.

2. Vobis autem, charissimi, tanquam spiritualibus spiritualia comparantes, in processione quidem cœlestis patriæ repræsentamus gloriam, in passione monstramus viam. Nam si in processione quidem venit tibi in mentem futura illa lætitia et exultatio multa nimis, quando rapiemur in nubibus obviam Christo in aera; si tota concupiscentia videre desideras diem illam, quando suscipietur in cœlesti Jerusalem Christus Dominus, caput cum omnibus membris, portans triumphum victoriæ, applaudentibus jam non popularibus turmis, sed virtutibus angelicis, clamantibus undique populis utriusque Testamenti, *Benedictus qui venit in nomine Domini* (*Math.* xxxi, 9): si, inquam, considerasti in processione quo properandum sit, discite in passione qua sit eundem. Hæc est enim via vitæ, tribulatio præsens; via gloriæ, via civitatis habitaculi, via regni, secundum quod clamat laico de cruce: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum* (*Luc.* xxiii, 42). Euntem in regnum vidit, quo cum pervenisset, sui memorem esse rogavit. Pervenit ergo et ipse: sed si vis nosse quam compendiosa via, eadem die meruit cum Domino **879** esse in paradiso. Tolerabilem proinde reddit passionis laborem gloria processionis quoniam amanti nihil difficile est.

3. Nec mireris quod præsentem processione cœlestem dixerim repræsentari, quando unus et idem in utraque suscipitur, etsi longe aliter et ab aliis. In hac enim processione irrationali jumento Christus insidet: in illa vero jumentum quidem futurum est, sed rationale: quoniam *homines et jumenta salvos facies, Domine* (*Psal.* xxxv, 7). Cui simile est illud: *Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum* (*Psal.* lxxii, 23). Et vide si non de processione loquitur, cum sequatur: *Tenuisti manum dexteram meam et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me.* Ibi certe ne ipse quidem pullus deerit: quoniam etsi murmuret hæreticus parvulos non sinens venire, parvulorum baptismo detrahens (37), qui parvulus natus est, et primam parvulorum elegit aciem (Innocentes loquor), hodie quoque parvulos a gratia non excludit: quia nec pietati incongruum, nec majestati ejus difficile est, ut suppleat munus gratiæ, quod minus in eis habet natura possibile. Ibi non ramos arborum, non vilia vestimenta popularis turma prosternet: sed demittent pennas suas animalia sancta, deponent coronas suas ante thronum Agni viginti quatuor seniores, et virtutes omnes angelicæ quidquid habent gloriæ vel de-

coris, totum ei adscribent, totum ei attribuent (*Apoc.* iv).

4. Jam vero quoniam de jumento et vestibus, et de ramis arborum mentio facta est, considerare diligentius libet triplex obsequium, quod in processione hac exhiberi video Salvatori: primum quidem, a jumento cui insidet; secundum ab eis qui sua illi vestimenta sternunt; tertium vero, ab his qui de arboribus ramos cædere perhibentur. Nonne tamen omnes reliqui ex eo quod abundat sibi mittunt, et quasi sine gravamine obsequuntur Domino, solum vero jumentum semetipsum exponit ejus obsequio? Silendum mihi est, ut elationem caveatis; an magis loquar, ut habeatis consolationem? Jumentum certe, cui insidet Christus, nonne vos estis, juxta præceptum Apostoli, glorificantes et portantes Deum in corporibus vestris? (*I Cor.* vi, 20.) Expendunt enim sæculares homines in obsequium Domini, non quidem corpora, sed quæ adjacent, et necessaria sunt corporibus, cum de terrena substantia elemosynas largiuntur. Prælati quoque ramos cædunt de arboribus, verbi causa, cum de fide et obedientia Abrahamæ, de castitate Joseph, de mansuetudine Moysi, cæterorumque sanctorum virtutibus evangelizant. Verumtamen et illi de promptuariis plenis largiuntur; et hi quæ acceperunt gratis, gratis nihilominus dare jubentur. Omnes tamen, si fideliter suo quisque intentus fuerit ministerio, in processione Salvatoris sunt, et cum eo ingrediuntur in sanctam civitatem; quoniam tres prævidit propheta salvandos, Noe cædentem ramos in arcæ fabricam; Daniele in vili edulio, et labore abstinentiæ factum tanquam jumentum, Salvatoremque portantem; tertium quoque Job, bene dispensantem substantiam hujus mundi, et de velleribus ovium suarum pauperum latera calefacientem (*Ezech.* xiv, 14). Cui tamen in processione illa Jesus propinquior, cui de tribus ordinibus salus vicinior, facile, credo, potestis advertere.

SERMO II.

De passione, et processione, et quatuor ordinibus processionis.

1. Necessè est ut loquamur hodie brevius propter angustiam temporis. Multa quidem nobis ministrat processio, quam celebraturi sumus, sed eadem impedit ne dicere plura possimus. Celebraturi sumus hodie processionem, et paulo post audituri passionem. **880** Quid sibi vult mirabilis ista conjunctio, aut quid cogitaverunt patres nostri, passionem addentes processioni? Nam processio quidem merito repræsentatur hodie, quæ facta est hodie; passio vero cur addita est, quam sexta feria constat esse secutam? Opportune utique processionis passio conjuncta est, ut discamus in nulla lætitia hujus sæculi habere fiduciam, scientes quoniam extrema gaudii luctus occupat. Propterea non simus stulti, ut occi-

(37) Henricianos intelligit, de quibus in epistola **241**. Eos sequuntur Colonienses, quorum dogmata refelluntur sermonibus **65** et **66** in Cantica

dat nos prosperitas nostra; sed in die bonorum non immemores sinus malorum, et e converso. Istis enim mistum est præsens sæculum, non sæcularibus tantum, sed etiam spiritualibus viris. Nam et sæcularibus viris aliquando quæ placent, quandoque quæ displicent videmus accidere; et ipsis nihilominus spiritualibus non semper tristitia, non semper læta succedunt, sed vespere et mane dies unus; et illud: *Visitas eum diluculo, et subito probas illum* (Job vii, 18). Verum hoc interim dum præsens sæculum manet, vel magis manat et fluit.

2. Cæterum post hoc sæculum duo futura sunt sæcula valde divisa et diversa: ita ut in altero non sit nisi fletus et stridor dentium; in altero sit sola gratiarum actio, et vox laudis. *Abstergit enim Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum: et mors jam non erit amplius, neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor, quoniam priora transierunt* (Apoc. xxi, 4). Interim sicut amatores mundi multa patiuntur adversa: sic nec ipsis servis Dei omnia in hoc mundo optata succedunt. In die ergo malorum memores sunt bonorum, ne pusillanimes fiant et impatientes, sicut is de quo legimus in psalmo: *Confitebitur tibi cum benefeceris ei* (Psal. xlviii, 19). In die quoque bonorum non immemores sunt malorum; ne extollantur, et dicant in abundantia sua: Non movebimur in æternum. Sicut enim sæcularium rerum prosperitas occidit stultum sæcularem, sic potest abundantia spiritualis prosperitatis occidere indoctum spirituale, atque ideo non spirituale. Spirituales quippe dijudicat omnia. Unde autem eveniat quod stultum occidit prosperitas (Prov. i, 32), et non sapientem, alibi habemus: *Cor sapientis ubi tristitia, et cor stultorum ubi lætitia*. Merito proinde ait: *melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii* (Eccl. vii, 5). Licet enim multos frangat adversitas, tamen multo plures extollit prosperitas, sicut scriptum est: *Cadent a latere tuo mille, sinistro scilicet, per quod designatur adversitas; et decem millia, id est multo plures, a dextris tuis* (Psal. xc, 7), in quibus prosperitas designatur. Denique quia utrobique periculum est, orat Sapiens et dicit: *Divitias et paupertatem ne dederis mihi* (Prov. xxx, 8): ne forte aut divitiæ extollerent in superbiam; aut paupertas dejiceret in impatientiam.

3. Unde et Dominus sicut in passione patientiam, ita in processione humilitatem exhibere curavit. In illa enim tanquam ovis ad occisionem ductus est, et quasi agnus coram tondeute obmutuit, et non aperuit os suum: qui cum percuteretur, non comminabatur, sed magis orabat, dicens: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (Luc. xxiii, 34). In processione autem quid? Parabant sese populi, ut exirent obviam ei, nec cum latebat qui noverat quid esset in homine. Propter quod et ipse paratus est, non in curribus et in equis, nec in frenis argenteis, aut sellis auro tectis: sed humilis aselli tergo sedens, suppositis apostolorum vestibus,

A quas ego de pretiosioribus regionis fuisse non credo.

4. Sed quid fuit quod processionem habere voluit, qui mox futuram noverat passionem? Forte ut amarior esset passio, quam processio præcessisset. Ab eodem enim populo, in eodem loco, et ipso tempore, paucissimis diebus interpositis, primo cum tanto triumpho susceptus, postea crucifixus est. O quam dissimile est: *Tolle, tolle, crucifige eum* (Joan. xix, 15); et: *Benedictus qui venit in nomine Domini; hosanna in altissimis!* (Matth. xxi, 9.) Quam dissimile: *Rex Israel* (Joan. xii, 13); et: *Non habemus regem nisi Cæsarem!* (Joan. xix, 15.) Quam dissimiles rami virentes et crux, flores et spinæ! Cui **881** prius sternebantur vestimenta aliena, ecce suis exiit, et sors mittitur super ea. Væ tibi, amaritudo peccatorum nostrorum, propter quæ solvenda, tanta amaritudo necessaria est.

5. Jam vero ad processionem accedens, tanquam quatuor ordines in ea mihi videor intueri: et fortassis in hac nostra processione hodie omnes poterunt inveniri. Præibant enim aliqui, et viam parabant. Ipsi sunt qui viam parant Domino ad corda vestra, qui vos regunt, et dirigunt gressus vestros in viam pacis. Alii sequebantur: et hi sunt qui propriæ inscientiæ conscii, devote sequuntur, et adhærent semper vestigiis præcedentium. Erant quoque discipuli, tanquam domestici, lateri ejus adhærentes. Ipsi sunt qui optimam partem elegerunt, qui in claustro soli Deo vivunt, semper Deo adhærentes, et ejus placitum considerantes. Ipsum quoque jumentum, cui insidebat, non defuit: quod designat duos corde, et animos quodammodo bestiales. Verum non fuit animalium ibi hujusmodi copiosior multitudo; nec oportuit. Tales enim magis oneri sunt quam honori, nec propter eos processio valde gloriosior est. Hujusmodi namque cantare non norunt, sed male sonoros dant rugitus. Ipsi sunt qui virga semper et calcaribus egent. Attamen nec ipsos relinquet Dominus, dum disciplinam ferre voluerint. His enim dicitur: *Servite Domino in timore; et: Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, et pereatis de via justa* (Psal. ii, 11, 12). Postquam enim jumentum hoc disciplinam D ferre noluerit, quid restat, nisi ut abiciat eum Dominus cum indignatione quadam, et protinus exeat a via, currens ad spinas et tribulos, a quibus suffocatur verbum Dei; qui sunt divitiæ hujus mundi, et voluptates carnis?

6. Sed si qui tales sunt hic, quibus gravis sit ordo, et omnia onerosa; quos pungi frequenter oporteat et urgeri: obsecramus eos, ut studeant de jumentis, si forte queant, in homines commutari, et computari inter aliquos cæterorum, ut aut de præcedentibus, aut de adhærentibus et collateralibus, aut de sequentibus sint. Quod si non faciunt, obsecro ut vel in eo quod sunt permaneant, et patienter interim ferant quæ salubria sunt, etsi minus suavia, donec complaceat Domino respicere humili-

tatem eorum, et in melius aliquid eos promovere. Vultis autem ut aliquatenus consolemur jumentum nostrum? Scimus equidem quia cantare non novit. Neque enim de eis est qui dicere possint: *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ* (Psal. cxviii, 34). Attamen unum est, quod nemini cæterorum tam prope est Dominus. Nam nec ipsi qui hinc inde adhærent, tam prope eum habent, ut jumentum cui insidet. Et audi hoc ipsum a Propheta: *Prope est Dominus his qui tribulato sunt corde* (Psal. xxxiii, 19). Nam et mater quem ægrota-ntem novit filium, magis fovet et sæpius amplectitur eum. Nemo igitur indignetur, nemo contemnat, dum voluerit esse Christi jumentum. Etenim qui scandalizaverit unum de pusillis istis, illum graviter offendit, qui eos tanquam mater gremio suæ fovet misericordiæ, donec roborentur. Unde et morum infirmitates patientissime ferendas beatus Benedictus admonuit (Regul. cap. 72).

7. Quatuor ergo sunt genera in processione Domini. Boni prudentes, et boni simplices: hi sunt qui præcunt, et qui sequuntur. Bonos autem addidi, quia prudentes non boni, iniqui sunt, juxta illud: *Sapientes sunt ut faciant mala* (Jerem. iv, 22); et simplices non boni, stulti sunt. In processione autem Domini, nec iniquus locum habet, nec stultus. Porro qui adhærent ei, contemplativi sunt. Qui portant eum et onerantur eo, ipsi sunt duri corde, et parum devoti. Sed ecce omnes sunt in processione Domini, et nemo ex ipsis faciem ejus videt. Nam qui præcedunt, occupati sunt in paranda via, solliciti circa peccata et tentationes aliorum. Qui sequuntur, ipsi omnino faciem ejus videre non possunt: sed, sicut Moysi dictum est, posteriora ejus vident. Jumentum cui insidet, nunquam ad videndum levat oculos, sed primum est semper in terram. Qui vero **882** adhærent ipsi, aliquando videre possunt, sed raptim et non continue, nec plene dum adhuc sunt in via. Attamen quantum ad alios, ipsi magis facie ad faciem eum vident, juxta quod item [alias affectuosus] de Moyse scriptum est, quia cæteris quidem prophetis per visiones et somnia, Moysi vero facie ad faciem loquebatur. Quantum ad plenam sane visionem, nec ipse Moyses, dum viveret in hoc mundo, impetrare potuit faciei ipsius visionem; quia, sicut ipse ait, *Non videbit me homo, et rivet* (Exod. xxxiii, 23, 11, 20). Non videbor, inquit, in hac vita: non videbit quis faciem meam in hac via, et in processione ista. Ipse itaque magna pietate sua donet nobis sic in ejus processione perseverare dum vivimus, ut in magna illa processione, qua cum suis omnibus a Patre suscipiendus est, et traditurus regnum Deo et Patri, sanctam civitatem ingredi mereamur cum eo, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO III.

De quinque diebus, processionis, refectionis, passionis, requietionis et resurrectionis.

1. Cum universa fecerit Deus in numero, pondere

et mensura (Sap. xi, 21); specialius tamen ea tempora, quibus in terris visus est, et cum hominibus conversatus est, quæcumque in eis operatus, locutus aut passus est, ita disposuit, ut ne minimum quidem niomentum, ne unum iota a sacramento vacaverit, aut præterierit sine mysterio. Evidentius tamen quatuor proximos dies, et ipsum quem hodie colimus, illustravit: diem processionis, diem refectionis, passionis, requietionis et resurrectionis suæ. Notabiles admodum dies, et inter cæteros insignes magis. Prima siquidem die gloriam suscipere dignatus est humanam, et cum ingenti quodam tripudio, et exultatione universæ terræ, Jerosolymam non propriis (ut hactenus consueverat) pedibus, sed jumento vectus intrare. Et hæc quidem præparatio ad passionem fuit, excitata hiuc maxime invidia sacerdotum. Sane venturas aliquando turbas ut raperent, et eum regem facerent, fugiens legitur declinasse (Joan. vi, 15). Nunc vero etiam non quæsitus adfuit, ut tanquam rex Israel susciperetur et prædicaretur ab eis: quin etiam in hæc ipsa præconia eorum (quod dubium non est) animos excitavit. Sic nimirum et de passione advertere est. Exiit quandoque, et abscondit se ab eis, scilicet Judæis: nec volebat jam ambulare palam in Judæa, quia quærebant cum interficere (Joan. vii, 4). Sciens autem quod venerit hora ejus, tanquam potestatem habens spontaneus ipse se obtulit passioni. Decebat nempe Pontificem nostrum tentari per omnia pro similitudine absque peccato (Hebr. iv, 15): ut tanquam verus homo et prospera hominum, et adversa opportune vitaret, opportune susciperet, et utrarumque rerum in se ipso nobis salutare præberet exemplum. Ut enim temperantiæ est præconia populi et sæculi hujus prospera declinare, sic interdum justitiæ est certa quidem dispensatione admittere ea. Persecutio quoque et temporalis omnis adversitas pro loco et tempore prudenter aliquando fugienda erit; cum autem necesse fuerit, viriliter toleranda.

2. Et in his quidem duobus (prosperitatem et adversitatem loquor) humana omnis vita versatur. Nihilominus autem in illis quatuor notissimis utique speciebus virtus universa consistit. Ita ergo omnem virtutem implere decuit eum, in quo plenius habitabat omnis plenitudo virtutis, ut notum fieret omnibus quia is sciret maxime abundare, sciret et penuriam pati. Non enim Dei Sipientia de his erat, quos occidere prosperitas sua; non Dei Virtus de his quos perdere posset aversio. Utrumque enim scriptum est, quod prosperitas, non tamen omnium sed stultorum, occidat illos: et aversio utique, non quorumlibet, sed parvulorum, perdat illos (Prov. i, 31, 32). Quam modeste tamen hanc ipsam videtur gloriam suscepisse, ad triumphalem **883** occursum in asino veniens, non in curribus aut in equis! Et dicebat: *Si quis vobis aliquid dixerit, dicite: Quia Dominus his opus habet* (Matth. xxi, 31, 3). Opus magnum, opus salutis. Nempe homines et jumenta salvos facere venerat, multiplicans misericordiam suam Deus.

Initia nostræ conversionis foret ista dignatio, ut A primum ex ancilla filium generemus. Solutus est ad mandatum Domini qui antea tenebatur, aut non valens, aut non volens benefacere; aut utroque fortius vinculo alligatus, nec volens scilicet, nec valens. Non novit interim purius in Domino gratulari. Persuasus tenet placere ei quod agit, et consolatur in eo quod sibi eum quodammodo se facere reputet debitorem, sæpius memorans quia Dominus his opus habet. Nam processu temporis in eo magis afficietur, ut suo sollicitetur debito, et timeat, ne forte tantis beneficiis inveniatur ingratus, dicens: Quia servus inutilis sum, et honorum meorum non eges. At hæc quidem verax affectio et fidelis: hic filius liberæ, cum quo ancillæ filius hæres esse non possit. Hæ ergo in hac processione.

3. Cæterum ante passionem affectuosissimus [*alias*, affectuosius] Paterfamilias refectionem suis curavit domesticis exhibere: et in hoc quoque apparuit benignitas et humanitas Salvatoris. Cum enim dilexisset suos, in finem dilexit eos, et dicebat: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar* (Luc. xxii, 15). Oportebat enim. Expetierat eos Satanas, ut cribraret sicut triticum: opus erat prævenire refectionem. Denique qui refecti paulo minus defecerunt, quid jejuni fecissent? Hinc fuit quod non modo corpora, sed etiam corda refecit, et ea quam maxime. Neque enim corporalis passio, sed tentatio spiritualis instabat, quod singulariter ille futurus esset donec transiret. Ea nimirum hostia sicut sola prodesse potuit, sic sola suffecit: nec Christum decuit simul et Petrum, aut Jacobum, vel Joannem pro salute hominum pati. Crucifixi tamen fuere cum eo alii duo, sed duo nequam, de quibus nulla prorsus suspicio posset haberi, tanquam ex eis minus efficax sacrificium suppleretur.

4. Quibus ergo panibus in cœna refecit apostolos? Ut ego arbitror, quinque. *Meus*, inquit, *cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei* (Joan. iv, 34). Cibus utique, sed cibus cordis. Quid enim æque confirmat et corroborat eor humanum, quid ita in omni necessitate confortat et sustentat, ut divinæ voluntatis executio, velut in quemdam animæ ventrem, conscientiam scilicet ejus, ingesta? Sic et sermonem divinæ exhortationis, et promissionum ejus consolationem, et orantium [*alias*, orationum] lacrymas, panes cordis esse solus ille ignorat, cujus jam aruit cor, pro eo quod suum ipsius panem comedere sit oblitus. Super omnia autem caro Domini vere est cibus, et cibus vitæ, panis de cœlo vivus (Joan. vi, 58, 48, 51). Nullum ex his in hæc tam solemnem cœnam Domini defuisse reperies, si diligenter advertas. Recumbentibus adhuc discipulis, surgit a cœna, præcingitur linteo, aquam ponit in pelvim, discipulorum pedes abluit et extergit,

A Non est voluntas carnis et sanguinis hæc, sed voluntas Patris, et sanctificatio nostra. Denique, *Si non laveris te*, ait Dominus ad Petrum obnixius repugnantem, *non habebis partem mecum* (Joan. xiii, 8). Scimus autem quis dixerit: *Eum qui venit ad me, non ejiciam foras; quia descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me* (Joan. vi, 37, 38). Opportune autem, et utique more suo, post exemplum operis, exhortationem sermonis adjunxit. Inter loquendum quoque (nam copiosissimus existit sermo) multis eos promissionibus propter instantem maxime passionem refovere et refocillare curavit, de resurrectione sua, de adventu Paracleti, de eorum confirmatione, et aliquando assumptione ad seipsum. Nec multo post ventum est ad orationem, et usque tertio factus in agonia orabat. Ubi quidem non solis oculis, sed quasi membris omnibus flevisse videtur, ut totum corpus ejus, quod est Ecclesia, totius lacrymis corporis purgaretur. Nam de sacramento quidem corporis et 884 sanguinis sui nemo est qui nesciat, banc quoque totam et tam singularum alimoniam ea primum die exhibitam (Matth. xxvi; Marc. xiv; Luc. xxii; Joan. xiii-xviii), ea die commendatam et mandatam deinceps frequentari.

5. Ex hoc jam dies sequitur Passionis, in qua nimirum sicut totum hominem salvum fecit, sic de to:o se fecit hostiam salutarem, corpus exponens tantis suppliciis et injuriis, animum vero geminæ ejusdem humanissimæ compassionis affectui: hinc quidem super mœrore inconsolabili sanctarum feminarum, inde super desperatione et dispersione discipulorum. In his quatuor crux Dominica fuit: et hæc omnia propter nos passus est, qui tanta charitate compassus est nobis. Verumtamen quæ de ipso erant, finem habuere, sicut ipse lamentantibus mulieribus ait (Luc. xxiii, 28), finem utique celerrimum et celeberrimum, primo quidem requiem, deinde resurrectionem. Nos quoque, si festinamus in illam ingredi requiem, per multas tribulationes nobis meminerimus transeundum. Et prius quidem donec sumus in tribulatione, magnum nobis videtur [*alias*, videretur] aspirare ad requiem, tanquam nihil simus amplius desideraturi. Verum non erit nobis requies, ne in requie quidem ipsa, a desiderio gloriæ, a desiderio resurrectionis. *Amodo*, inquit, *jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis* (Apoc. xiv, 13). A labore ergo requiescant, qui in Domino moriuntur; sed non requiescant interim a clamore. Denique sub throno Dei clamant animæ occisorum; quia etsi nihil habeant quod molestet, nondum tamen totum habent quod delectet, donec requiem resurrectio, donec Sabbatum Pascha sequatur. Amen.

IN FERIA IV HEBDOMADÆ SANCTÆ,

SERMO.

De passione Domini.

4. Vigilate animo, fratres, ne infructuose vos hujus temporis sacramenta pertranseant. Copiosa est benedictio : date receptacula munda; devotas animas, sensus vigiles, affectus sobrios, puras conscientias exhibete tantis charismatibus gratiarum. Nimirum admonet vos sollicitudinis hujus, non modo specialis ipsa conversatio quam professi estis, sed et generalis Ecclesiæ observatio, cujus filii estis. Universi siquidem Christiani sacra hæc septimana, aut præ solito, aut præter solitum, pietatem colunt, modestiam exhibent, humilitatem sectantur, induunt gravitatem, ut Christo patienti quodam modo compati videantur. Quis enim tam irreligiosus, qui non compungatur? quis tam insolens, ut non humilietur? quis tam iracundus, ut non indulgeat? quis tam deliciosus, ut non abstineat? quis tam flagitiosus, ut non contineat? quis tam malitiosus, ut non pœniteat his diebus? Merito quidem. Nempe adest passio Domini, usque [alias, utique] hodie terrain movens, petras scindens, aperiens monumenta. Prope est etiam resurrectio ejus, in qua solennitatem celebrabitis altissimo Domino : utinam usque in altissima quæ fecit magnalia alacritate et aviditate spiritus subeuntes! Nihil in mundo poterat melius fieri, quam quod factum est a Domino his diebus. Nihil mundo poterat melius vel utilius commendari, quam ut ritu perpetuo celebret singulis annis memoriale ejus in desiderio animæ, et memoriam abundantis suavitatis ejus [alias, suæ] eructet. Utrumque autem propter nos, quod in

2. In hac igitur passione, fratres, tria specialiter convenit intueri; opus, modum, causam. Nam in opere quidem patientia, in modo humilitas, in causa charitas commendatur. Patientia autem singularis, **885** quod videlicet cum supra dorsum ejus fabricarent peccatores; cum sic extenderetur in ligno, ut dinumerarentur omnia ossa ejus; cum fortissimum illud propugnaculum, quod custodit Israel, undique foraretur; cum foderentur manus ejus et pedes : sicut agnus ad occisionem ductus sit, et tanquam ovis coram tondente, non aperuerit os suum; non adversus Patrem murmurans, a quo missus fuerat; non adversus humanum genus, pro quo quæ non rapuit exsolvebat; non denique vel contra populum ipsum peculiarem sibi, a quo pro tantis beneficiis tanta mala recipiebat. Plectuntur aliqui pro peccatis suis, et humiliter sustinent : hoc ipsum tamen eis ad patientiam reputatur. Flagellantur alii, non tam purgandi, quam probandi, coronandique;

A et major in eis patientia comprobatur, et commendatur. Quomodo non maxima censeatur in Christo, qui in funiculo hæreditatis suæ, ab his, quibus specialiter advenerat Salvator, crudelissima morte multatur sicut fur, nullum omnino peccatum, nec actu proprio, nec contractu, sed nec in quo crescere posset, habens? Nimirum in quo habitat omnis plenitudo divinitatis, non umbratice, sed corporaliter; in quo Deus est mundum reconcilians sibi, non figurative, sed substantialiter; qui denique plenus est gratiæ et veritatis, non cooperative [alias, comparative], sed personaliter, ut faciat opus suum. *Alienum est opus ejus ab eo*, Isaias loquitur (*Isa. xxviii, 21*); quia et opus suum fuit, quod dedit ei Pater ut faceret; et alienum ab eo, ut talis talia sustineret. Ita ergo habes in opere patientiam.

3. Nam modum ipsum si diligenter attendas, non modo mitem, sed et humilem corde cognosces. Nempe in humilitate judicium ejus sublatum est, cum nec ad tantas blasphemias, nec ad falsissima quæ sibi objiciebantur crimina responderet. *Vidimus*, inquit, *eum, et non erat ei aspectus*, nec speciosum forma præ filiis hominum, sed opprobrium hominum, et tanquam leprosum; novissimum virorum, plane virum dolorum, a Deo percussum et humiliatum : ita ut nulla esset ei species, neque decore (*Isai. lxi, 2-4*). O novissimum et altissimum! o humilem et sublimem! o opprobrium hominum et gloriam Angelorum! Nemo illo sublimior, neque humilior. Denique sputis illitus est, opprobriis saturatus est, morte turpissima condemnatus est, cum sceleratis deputatus est. Nihilne merebitur vel ista humilitas, quæ hunc habet modum, imo quæ tam est ultra modum? Sicut est patientia singularis, sic humilitas admirabilis; utraque sine exemplo.

4. Utramque tamen magnifice causa ipsa commendat : nimirum charitas est. Propter nimiam enim charitatem suam, qua dilexit nos Deus, ut servum redimeret, nec Pater Filio, nec sibi Filius ipse pepercit. Vere nimiam, quia et hæc mensuram excedit, modum superat, plane supereminens universis. *Majorem*, inquit, *charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (*Joan. xv, 13*). Tu majorem habuisti, Domine, ponens eam etiam pro inimicis. Cum enim adhuc inimici essemus, per mortem tuam et tibi reconciliati sumus, et Patri. Quenam ergo alia videbitur esse, vel fuisse, vel fore huic similis charitati? Vix pro justo quis moritur : tu pro injustis passus es, moriens propter delicta nostra, qui venisti justificare gratis peccatores, servos facere fratres, captivos cohæredes, exsules reges. Nec sane aliud aliquid patientiam hanc et humilitatem æque illustrat, quam quod tradidit in mortem animam suam, et peccata multorum tulit, etiam pro transgressoribus

rogans, ut non perirent. Fidelis sermo, et omni A acceptatione dignus! Quia enim voluit, oblatuſ est. Non modo voluit et oblatuſ est, sed quia voluit. Soluſ nimirum potestatem habuit ponendi animam suam: nemo eam abstulit ab eo; obtulit ultro. Cum accepisset acetum, dixit: *Consummatum est*. Nihil restat implendum: jam non est quod exspectem. Et, *inclinato capite*, factuſ obediens usque ad mortem, *tradidit spiritum* (Joan. xix, 30). **886** Quis tam facile quando vult dormit? Magna quidem infirmitas mori; sed plane sic mori, virtus immensa. Nempe quod infirmuſ est Dei, fortius est hominibus. Potest humana vesania sibi ipsi in mortem sceleratas injicere manus; sed hoc non est ponere animam suam; urgere eam magis, et violenter abrumpere, quam ad nutum ponere est. Tibi, impie Juda, misera plane facultas fuit non ponendi animam, sed pendendi: nec tradente te, sed trahente laqueo nequissimuſ ille spiritus tuuſ exivit, non omissuſ a te, sed amissuſ. Soluſ in mortem tradidit animam suam, qui solus virtute propria regressuſ est ad vitam. Soluſ potestatem habuit ponendi, qui solus facultatem æque habuit liberam resumendi, imperium habens vitæ et mortis.

5. Digna ergo charitas tam inestimabilis, humilitas tam admirabilis, patientia tam insuperabilis. Digna plane tam sancta, tam immaculata hostia, tam acceptabilis. Dignuſ est Agnuſ qui occisuſ est, accipere fortitudinem, facere ad quod venit, tollere C peccata mundi. Ego autem dico peccatuſ triplex, quod invaluit super terram. Putatis quod dicere velim concupiscentiam carnis, et concupiscentiam oculorum, et superbiam vitæ? Funiculuſ triplex est, qui difficile rumpitur: propterea multi trahunt, imo trahuntur hoc funiculo vanitatis: sed prior ille ternarius non immerito prævalet in electis. Quomodo enim non illius patientiæ recordatio omnia arceat voluptatem? quomodo non illius humilitatis consideratio superbiam vitæ prorsuſ extundat? nam charitas illa plane digna cujus meditatio sic mentem occupet, sic totam sibi vindicet animam, ut omnino vitium curiositatis exsufflet. Fortis igitur contra hæc passio Salvatoris.

6. Sed aliud ego triplex æque peccatuſ quemadmodum virtus crucis expungat, dicere cogitavi; et id forte utilius audiatur. Primum quidem originale, secundum personale dixerim, tertium singulare. Et originale quidem maximum illud delictuſ vocatur, quod a primo Adam contrahimus, in quo peccavimus omnes, pro quo morimur universi. Maximum plane, quod sic totuſ non modo genus humanuſ, sed et quemlibet ipsius generis occupat, ut non sit qui evadat, non sit usque ad unum. A primo homine ad novissimuſ usque protenditur: et in singulis quoque a planta pedis usque ad verticem capitis diffunditur hoc venenuſ. Sed et aliter nihilominus in universam dilatatur ætatem, ab ea scilicet die, qua suæ quemque concepit, usque ad eam, qua

communis eum recipit mater. Alioquin unde grave juguſ super omnes et totos filios Adam, idque a die exituſ de ventre matris eorum, usque in diem sepulture in matrem omnium? In sordibus generamur, in tenebris confovemur, in doloribus parturimur. Ante exituſ miseruſ oneramus matres, in exitu more vipereo laceramus: miruſ quod non ipsi pariter laceramur. Primam vocem plorationis edimus, merito quidem, utpote vallem plorationis ingressi, ut nobis illud sancti Job ex omni parte possit aptari: *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis* (Job. xiv, 1). Quam veruſ [alias additur verbuſ] hoc sit, non nos verba docuere, sed verbera. *Homo*, inquit, *natus de muliere*: nihil abjectius. Et ne forte ex ipsa sibi voluptate corporeorum sensuum, quam de sensibilibus hauriat, blandiatur; in ipso statim introituſ de exitu quoque terribiliter admonetur, cum dicitur, *brevi vivens tempore*. Ac ne spatioluſ illud, quod inter ingressuſ et egressuſ relinquitur, sibi liberuſ putet, *repletur*, ait, *multis miseriis*. Multis et multiplicibus, inquam, miseriis corporis, miseriis cordis; miseriis cum dormit, miseriis dum vigilat, miseriis quaquaversuſ se vertat. Nimirum ipse quoque natus ex Virgine, imo factuſ ex muliere, sed benedicta in mulieribus, qui loquitur ad matrem: *Mulier, ecce filiuſ tuuſ* (Joan. xix, 26); etiam brevi vivens tempore super terram, et nihilominus multis est repletuſ miseriis, in illa brevitate appetituſ insidiis, interrogatuſ **887** contumeliis, pulsatuſ injuriis, vexatuſ suppliciiſ, conviciis lacessituſ.

7. Tunc hanc sufficere dubites obedientiam, quæ reatuſ omnem primæ prævaricationis absolvat? imo vero non sicut delictuſ, ita et donuſ. Nam peccatuſ ex uno in condemnationem; gratia autem ex multis delictis in justificationem. Et grave quidem omnino delictuſ illud originale, quod non solum personam infecit, sed et naturam. Personate tamen cuique gravius est, cum jam laxatis habenis exhibemus undique membra nostra arma iniquitatis peccato, non modo jam alieno [alias altero], sed et proprio crimine compediti. Singulare vero est gravissimuſ, quod commissuſ est in Dominuſ D jestatis, cum viri impii viruſ justuſ injuste occiderunt, et sacrilegas manus in ipsuſ Dei Filium iniecerunt, crudelissimi homicidæ; imo, si fas est dicere, etiam deicidæ. Quid duo præcedentia ad tertiuſ? Ad hoc expalluit et expavit tota machina mundiæ, et pene in antiquuſ chaos sunt omnia revoluta. Ponamus aliquem de regni principibus terram regiam populasse in vastitate hostili: ponamus aliuſ, qui, cum esset de convivio et consilio regis, unicuſ ejus filiuſ proditoriis manibus suffocavit. Nunquid non primuſ respectuſ secundi innocens videbitur et immunis? Sic est omne peccatuſ quantum ad hoc peccatuſ: et tamen hoc peccatuſ in se pertulit, qui seipsum fecit peccatuſ, ut de peccato damnaret peccatuſ. Per hoc enim omne

peccatum tam originale quam personale deletum est, et ipsum quoque singulare eliminatum est per seipsum.

8. Argumentum mihi a maximo, quod duo minora sunt explosa : et ecce argumentum. Peccatum multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit, ut non perirent : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (Luc. xxiii, 34). Volat irrevocabile verbum tuum, Domine, nec revertetur ad te vacuum, sed faciet ad quod misisti. Vide nunc opera Domini, quæ posuit prodigia super terram. Flagellis cæsus est, spinis coronatus, clavis confossus, affixus patibulo, opprobriis saturatus; omnium tamen dolorum immemor : *Ignosce, ait, illis*. Hinc multæ miseriæ corporis, hinc misericordiæ cordis, hinc dolores, hinc miserationes, hinc oleum exsultationis, hinc sanguinis guttæ decurrentis in terram. Misericordiæ Domini multæ, sed et miseriæ Domini multæ. Vincentne miseriæ misericordias, an misericordiæ miseras superabunt? Vincant misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, vincat sapientia malitiam. Magna enim illorum iniquitas : sed nunquid non major pietas tua, Domine? Multum, per omnem modum. *Nunquid redditur pro bono malum*, ait, *quia foderunt foveam animæ meæ?* (Jerem. xviii, 20.) Plane foderunt impatientiæ foveam, occasiones indignationis plurimas, et quam maximas ministrantes. Sed quid horum fovea ad abyssum mansuetudinis tuæ? Retribuentes mala pro bonis foveam foderunt; sed charitas non irritatur, non præcipitatur, nunquam excidit, non in foveam ruit, et pro retributis malis cumulat bona. Absit ut muscæ morituræ exterminent suavitatei unguenti (Eccl. x, 1), quod de tuo corpore fluit! quia apud sinum tuum misericordia, et copiosa apud eum redemptio. Muscæ morituræ, miseriæ sunt; muscæ morituræ, blasphemæ sunt; muscæ morituræ, insultationes sunt, quas tibi reddit generatio prava et exasperans.

9. Tu autem quid? In ipsa elevatione manuum tuarum, cum jam sacrificium matutinum in holocaustum vespertinum transiret; in ipsa, inquam, virtute incensi, quod cælos ascendebat, terram operiebat, inferos respergebat, exaudiendus pro reverentia tua clamas : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. O quam multus es ad ignoscendum! o quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine! o quam longe sunt cogitationes tuæ a cogitationibus nostris! o quam firmata est etiam super impios misericordia tua! Mira **888** res! Ille clamat : *Ignosce*; Judæi : *Crucifige* (Joan. xix, 15). Molliti sunt sermones ejus super oleum, et isti sunt jacula. O charitas patiens, sed et compatiens! *Charitas patiens est, sufficit; charitas benigna est* (I Cor. xiii, 4), cumulus est. *Noli vinci a malo, charitas abundans; sed vince in bono malum* (Rom. xii, 21), superabundans est. Non enim sola patientia, sed et benignitas Dei ad pœnitentiam Judæos adduxit; quia benigna charitas etiam quos tolerat amat, et

amat tam ardentem. Patiens charitas diseimulat, expectat, sustinet delinquentem : sed benigna trahit, adducit, converti facit ab errore viæ suæ, denique cooperit multitudinem peccatorum. O Judæi, lapides estis, sed lapidem percussis molliorem, de quo resonat tinnitus pietatis, et ebullit oleum charitatis! Quomodo potabis, Domine, desiderantes te torrente voluptatis tuæ, qui sic perfundis crucifigentes te oleo misericordiæ tuæ?

10. Patet igitur quia hæc passio potentissima est ad exhaurienda omnium genera peccatorum. Sed quis scit si data est mihi? Mihi data est, quia alteri dari non potuit. Nunquid angelo? Sed ille non eguit. Nunquid diabolo? Sed ille non resurgit. Denique non in similitudinem angelorum, absit autem ut in similitudinem dæmonum! sed in similitudinem hominum factus, et habitus inventus ut homo, exinavit semetipsum, formam servi accipiens (Philipp. ii, 7). Filius erat, et factus est tanquam servus. Non solum formam servi accepit, ut subesset; sed etiam mæi servi, ut vapularet; et servi peccati, ut pœnam solveret, cum culpam non haberet. In similitudinem, inquit, hominum, non hominis; quia primus homo nec in carne peccati, nec in similitudine carnis peccati creatus est. Christus enim in universali hominum miseria pressus et profundius se immerisit, ne subtilis ille diaboli oculus magnum hoc pietatis deprehenderet sacramentum. Ideo habitus, et omni habitu inventus est ut homo; nec in eo, quantum ad naturæ debitum, signum aliquod singularitatis apparuit. Quia enim ita inventus est, ideo crucifixus. Paucis autem revelavit se ipsum, ut essent qui crederent; reliquis autem absconditas est : *Quia si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (I Cor. ii, 8). Ad hoc etiam illi singulari peccato ignorantiam copulavit, ut sub aliqua justitiæ umbra ignorantibus posset ignosci.

11. Duo autem nobis in hæreditatem reliquerat ille vetustus Adam qui fugit a facie Dei, laborem videlicet, et dolorem : laborem in actione, dolorem in passione. Non hoc ipse audierat in paradiso, quem acceperat ut operaretur, et custodiret illum; operaretur delectabiliter, custodiret fideliter, et sibi, et posteris suis. Christus Dominus laborem et dolorem consideravit, ut traderet eos in manus suas; imo se magis in manus eorum, infixus in limo profundi, et intraverunt aquæ istæ usque ad animam ejus. Vide, ad Patrem inquit, *humilitatem meam, et laborem meum* (Psal. xxiv, 18); *quia pauper ego sum, et in laboribus a juventute mea* (Psal. lxxxvii, 16). Laboravit sustinens, manus ejus in laboribus servierunt. De dolore vide quid dixerit : *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor sicut dolor meus* (Thren. i, 12). Vere languores nostros ipse tulit, et infirmitates et dolores nostros ipse portavit (Isai. liiii, 4), vir dolorum, pauper et dolens, tentatus per omnia absque peccato. Et in vita passivam habuit actionem, et in morte passionem activam sustinuit, dum salutem operare-

tur in medio terræ. Proinde memor ero, quandiu A fuero, laborum illorum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in jejunando, vigiliarum in orando, lacrymarum in compatiendo. Recordabor etiam dolorum ejus, conviciorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumque similium, quæ per eum et super eum abundantius transierunt (38). Facit ergo mihi fortitudo, facit similitudo, sed si accesserit etiam imitatio, ut sequar vestigia ejus. Alioquin etiam exquiretur 889 a me sanguis justus, qui effusus est super terram, nec immunisero ab illo tam singulari scelere Judæorum: quod videlicet tantæ charitatis ingratus fuerim, quod spiritui gratiæ contumeliam fecerim, quod sanguinem testamenti pollutum duxerim, quod conculca-

verim Filium Dei.

12. Sunt plerique qui laborem et dolorem patientur; sed necessitas in causa est, non voluntas: et hi non sunt conformes imagini Filii Dei. Sunt qui ex voluntate sustinent; sed non est eis sors neque pars in sermone isto. Vigilat tota nocte luxuriosus, non solum patienter, sed et libenter, ut suam expleat voluptatem; vigilat raptor vestitus ferro, ut diripiat prædam; vigilat fur, ut domum perfodiat alienam. Sed hi omnes et horum similes longe sunt a labore et dolore quem considerat Dominus. Homines autem bonæ voluntatis, qui Christiana voluntate divitias paupertate commutaverunt, vel etiam non habitas tanquam habitas contempserunt, relinquentes omnia propter ipsum, sicut et ipse reliquit omnia propter ipsos, sequuntur eum quocunque ierit. Hujusmodi autem imitatio validissimum argumentum mihi est quod passio Salvatoris et similitudo humanitatis in eam transeunt utilitatem. Illic enim sapor, hic fructus est et laboris et doloris.

13. Vide ergo quam magnificaverit facere tecum illa majestas. De omnibus quæ in cælo et sub cælo sunt, dixit, et facta sunt (*Psal.* cXLVIII, 5). Et quid facilius dictu? Sed nunquid solo verbo factum est, cum te quem fecerat refecit? Triginta et tribus annis super terram visus, et cum hominibus conversatus, etiam habuit in factis calumniatores, in dictis insultatores, non habens ubi caput suum reclicaret. Quare hoc? Quia Verbum a sua subtilitate descenderat, et grossius acceperat indumentum. Nam caro factum fuerat, et ideo grossiori et morosiori opere utebatur. Sicut autem cogitatio vestit sibi vocem corpoream absque sui diminutione vel ante vocem vel post vocem, sic Filius Dei assumpsit carnem, non commisionem passus, neque diminutionem, nec ante carnem nec post carnem. Apud Patrem invisibilis: sed hic manus nostræ tractaverunt de Verbo vitæ; et quod erat ab initio, vidimus oculis nostris. Hoc autem Verbum quia

carnem purissimam et animam sanctissimam unierat sibi, libere moderabatur actiones corporis sui; tum quia sapientia et justitia erat, tum quia nullam habebat prorsus legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ. Meum verbum nec sapientia, nec justitia est, sed tamen utriusque capax, et possunt ei hæc abesse et adesse; abesse autem facilius. Familiare enim magis jam nobis est carnis nostræ servire vitiis, quam actiones et passiones ejus ordinare: pro eo quod omnis ætas ab adolescentia prona est in malum, inter flagella quoque et gladios, etiam sub discrimine mortis, ad suas ambiens voluptates.

14. Felix, cujus cogitatio (hoc est verbum nostrum) omnes actiones suas ad justitiam dirigit, ut et intentio sana sit, et operatio recta. Felix, qui passiones corporis sui propter justitiam ordinat, ut quidquid patitur, propter Dei Filium patitur: quatenus et a corde tollatur murmuratio, et in ore versetur gratiarum actio, et vox laudis. Qui sic extulit se, iste tollit grabatum suum, et vadit in domum suam. Grabatum nostrum corpus est, in quo prius languidi jacebamus servientes desideriis et concupiscentiis nostris. Nunc vero portamus illud, cum spiritui obedire cogimur: et mortuum nostrum portamus, quia corpus mortuum est propter peccatum. Ambulamus tamen, non currimus; quia corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (*Sap.* ix, 15). Ambulamus etiam in domum nostram. In quam domum? In matrem omnium, quia 890 sepulcra eorum domus illorum in æternum (*Psal.* XLVIII, 12). Vel potius in domum nostram, quam habemus ex Deo non manufactam, æternam in cælis (*II Cor.* v, 1). Qui sub hoc onere ambulamus, posito eo, quid putatis quomodo curremus? quomodo volabimus? Plane super pennas ventorum. Amplexatus est nos Dominus Jesus per laborem et dolorem nostrum. amplectamur eum nos quoque vicariis quibusdam amplexibus propter justitiam et ad justitiam suam, actiones ad justitiam dirigendo, passiones propter justitiam sustinendo. Dicamus quoque cum sponsa: *Tenui eum, nec dimittam* (*Cant.* iii, 4). Dicamus etiam cum patriarcha: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi* (*Gen.* xxxii, 26). Quid enim jam superest, nisi benedictio? Quid post amplexum, nisi osculum restat? Si sic adhærerem Deo, quomodo non jam exclamare liberet: *Osculetur me osculo oris sui?* (*Cant.* i, 1.) Ciba nos interim, Domine, lacrymarum pane, et potum da nobis in lacrynis in mensura: donec perducas nos ad mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, quam dabis in sinus nostros, qui es in sinu Patris super omnia benedictus Deus in sæcula. Amen.

(38) Totidem verba repetit Bernardus sermone 22 de diversis, num. 5, sermone 45 in Cantica, num.

3. Isdem pro suis usus est Nicolaus Claræ-Vallensis in epistola 6.

IN COENA DOMINI.

SERMO

De baptismo, sacramento altaris, et ablutione pedum.

1. Hi sunt dies quos observare debemus, dies pleni pietate et gratia, quibus etiam sceleratorum hominum mentes ad pœnitentiam proveccantur. Tanta siquidem est vis sacramentorum eorum quæ diebus istis recoluntur, ut possint ipsa quoque lapidea scindere corda, et pectus omne, licet ferreum, emollire sufficiant. Denique videmus usque hodie ad passionem Christi non modo cœlestia compati, sed terram moveri, et petras scindi, et in confessione peccatorum aperiri monumenta. At vero quoniam sic est in spiritualibus cibus, sicut et in corporalibus, ut in quibusdam statim præsto sit sapor, in aliquibus oporteat laborare : quæ manifesta sunt, nostro non indigent ministerio ; quæ vero clausa sunt, diligentem volunt habere considerationem [*alias* consideratorem]. Neque enim tradit mater parvulo nucem integram, sed frangit eam, et nucleum porrigit. Sic et ego vobis, fratres charissimi, si possem, sacramenta quæ clausa sunt, aperire debueram ; sed, quia minus possum, rogemus ut vobis pariter et mihi mater sapientia frangat nucem istas, nucem, inquam, quas protulit sacerdotalis virga, virga virtutis, quam emisit Dominus ex Sion. Multa quidem sunt sacramenta, et scrutandis omnibus hora non sufficit. Fortassis etiam aliqui vestrum imbecilles sunt ad tanta simul capienda. De tribus itaque sacramentis (39), quæ satis congrua sunt huic tempori, dicendum erit quod Dominus ipse donaverit.

2. Sacramentum dicitur sacrum signum, sive sacrum secretum. Multa siquidem fiunt propter se tantum ; alia vero propter alia designanda, et ipsa dicuntur signa, et sunt. Ut enim de usualibus sumamus exemplum, datur annulus absolute propter annulum, et nulla est significatio : datur ad investiendum de hæreditate aliqua, et signum est, ita ut jam dicere possit qui accipit : Annulus non valet quidquam, sed hæreditas est quam quærebam. In hunc itaque modum appropinquans passioni Dominus, de gratia sua investire curavit suos, ut invisibilis gratia signo aliquo visibili præstaretur. Ad hoc instituta sunt omnia sacramenta, ad hoc Eucharistiæ participatio, ad hoc pedum ablutio, ad hoc denique ipse baptismus, initium sacramentorum omnium, in quo complantamur similitudini mortis ejus : unde et trina mersio tridui, quod nunc celebrandum est, formam gerit. Sicut enim in exterioribus diversa sunt signa, et, ut cæpto immoremur

(39) Sacramenti nomen hic generalius sumitur, prout non tantum vera legis novæ sacramenta, quæ sunt baptismus et sacramentum altaris, sed etiam sacramentalia comprehendit, qualis est ablutio pedum, quam etiam Erualdus Bonæ Vallis abbas in sermone de ablutione pedum, qui unus est libri De cardinalibus Christi operibus, sacramentum itidem

A 891 exemplo, variæ sunt investituræ secundum ea de quibus investimur : verbi gratia, investitur canonicus per librum, abbas per baculum, episcopus per baculum et annulum simul : sicut, inquam, in hujusmodi rebus est, sic et divisiones gratiarum diversis sunt traditæ sacramentis. Quæ est ergo gratia, unde per baptismum investimur ? Utiq̃ue purgatio delictorum. Quis enim potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi qui solus est mundus, et in quem peccatum non cadit, Deus ? Hujus quidem gratiæ sacramentum prius erat circumcisio, ut originalis rubiginem culpæ, quæ manaverat a parentibus primis, cultellus eraderet : sed veniente Domino, qui Agnus est totus suavis et mitis, cujus jugum suave est et onus leve, optime satis mutatum est, ut inveteratam rubiginem cum unctione sancti Spiritus aqua dilueret, et acerbitas illa cessaret.

B 3. Sed forte quærat aliquis, et dicat : Si deletum est in baptismo quod contraximus a parentibus, cur adhuc manet cupiditatis fomes, et velut incentivum quoddam peccati ? Neque enim dubium quin a primis parentibus in nos traducta sit lex ista peccati. Omnes siquidem peccatrice voluntate generamur, et inde voluntas nostra corrupta est tanquam ulceribus plena (40) : unde licet inveni, pruritus quosdam concupiscentiarum, et tanquam bestiales motus sentimus. Dixi vobis sæpius, nec mente excidere debet, quoniam in casu primi hominis cecidimus omnes. Cecidimus autem super acervum lapidum, et in luto : unde non solum inquinati, sed etiam vulnerati et graviter quassati sumus. Lavari quidem cito possumus ; ad sanandum vero opus est curatione multa. Lavamur igitur in baptismo, quia deletur chirographum damnationis nostræ : et hæc gratia nobis confertur, ut jam nihil nobis concupiscentia noceat, si tamen a consensu abstinemus : atque ita tanquam sanies inveterati ulcers removetur, dum tollitur damnatio, et responsum mortis, quod prius inde manabat. Sed quis poterit tam efferos motus frangere ? quis pruritus ulcers hujus ferre queat ? Confidite, quia et in hoc gratia subvenit, et ut securi sitis, sacramentum [*alias*, sacramenti] Domini corporis et sanguinis pretiosi investituram habetis. Duo enim illud sacramentum operatur in nobis : ut videlicet et sensum minuat in minimis, et in gravioribus peccatis tollat omnine consensum. Si quis vestrum non tam sæpe modo, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ,

appellat. Alias sane Hugo a Sancto Victore, illius temporis auctor, solemnem sacramentorum numerum habet.

(40) In quibusdam scriptis doest hoc membrum, et inde... *ulceribus plena* : quæ tamen verba recte cum sequentibus cohærent, ubi de sanie *inveterati ulcers* agitur.

luxuræ, aut cæterorum hujusmodi, gratias agat corpori et sanguini Domini, quoniam virtus sacramenti operatur in eo; et gaudeat quod pessimum ulcus accedat ad sanitatem.

4. Sed tamen quid agimus, quod in hoc corpore peccati, et in hoc tempore malo non possumus esse sine peccato? Nunquid desperabimus? Absit! Si dixerimus, ait beatus Joannes, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est. Si autem confiteamur peccata nostra, fidelis Deus est, qui remittat peccata, et emundet nos ab omni iniquitate (I Joan. 1, 8, 9). Nam ut de remissione quotidianorum minime dubitemus, habemus ejus sacramentum, pedum abluitionem. Quæris forte unde sciam quod sacramentum sit hujus remissionis; maxime cum ipse Dominus promiserit Petro dicens: *Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea*; nihil autem de sacramento locutus est; sed tantum: *Exemplum*, inquit, *dedi vobis, ut et vos ita faciatis*. Verum multa habebat illis dicere, sed tunc portare non poterant. Ideoque nec ex toto voluit eos anxios et suspectos relinquere, nec dicere quod tunc non caperent. Vis autem nosse quia pro sacramento illud est, non pro solo exemplo factum? Illud attende quod Petro dictum est: *Si non laveris, non habebis partem mecum*. Aliquid igitur latet quod necessarium est ad salutem, quando sine eo nec ipse Petrus partem haberet in regno Christi et Dei. Vide enim si non expaverit Petrus ad tantæ comminationis terrificum **892** verbum, si non agnoverit salutare esse mysterium, cum respondit: *Domine, non tantum pedes meos, sed et manus, et caput*. Et unde scimus quia ad diluenda peccata, quæ non sunt ad mortem, et a quibus plane cavere non possumus ante mortem, ablutio ista pertineat? Ex eo plane, quod offerenti manus et caput pariter ad abluendum responsum est: *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet* (Joan. XIII, 7-10, 15).

A Lotus enim est, qui gratia peccata non habet, cujus caput, id est intentio, et manus, id est operatio et conversatio, munda est; sed pedes, qui sunt animæ affectiones, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi esse non possunt, quin aliquando vanitati, aliquando voluptati, aut curiositati plus quam oporteret, cedat animus vel ad horam: *In multis enim offendimus omnes* (Jac. III, 2).

5. Verumtamen hæc nemo contemnat aut parvipendat. Impossibile est enim cum eis salvari, impossibile est ea dilui, nisi per Christum Jesum, et a Christo. Nempe, inquam, perniciose securitate dormitet, declinans in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, quoniam, ut audivit Petrus ab ipso, nisi laverit ea Christus, non habebimus partem cum eo. Nec ideo tamen pro eis necesse est nimis esse sollicitos; ignoscet facile, imo et libenter, si modo nos agnoscamus. In hujusmodi namque, quasi inevitabilibus, et negligentia culpabilis est, et timor immoderatus. Hinc est quod, in oratione quam ipse instituit, quotidie pro peccatis illis voluit nos orare (Luc. XI, 4). Sicut enim de concupiscentia diximus quod, licet damnationem abstulerit, quia juxta Apostolum: *Nulla damnatio est his qui sunt in Christo Jesu* (Rom. VIII, 1); tamen ad humiliandos nos ipsam adhuc patitur vivere in nobis, et graviter affligere nos, ut sentiamus quid nobis gratia præstet, et semper ad illius auxilium recurramus: sic et de minoribus istis peccatis pia dispensatione nobiscum agitur, ut non penitus auferantur; sed in illis nos erudiat Deus, ut cum minima cavere non possumus, certi simus quod non nostris viribus majora superemus; semperque timorati et omnino solliciti simus quomodo ejus gratiam non amittamus, quam nobis tam multipliciter necessariam esse sentimus.

IN DIE SANCTO PASCHÆ.

SERMO

De septem signaculis quæ solvit Agnus.

1. *Vicit leo de tribu Juda* (Apoc. v, 5). Vicit plane malitiam sapientia, attingens a fine usque ad finem fortiter, et suaviter universa disponens: sed pro me fortiter, suaviter mihi. Vicit Judæorum blasphemias in patibulo, fortem armatum alligavit in atrio, et de ipso mortis imperio triumphavit. Ubi enim sunt opprobria tua, Judæe? ubi sunt, Zabule, vasa captivatis? ubi est, mors, victoria tua? Confusus est calumniator, raptor spoliatus est. Novum genus potentie! hactenus victoriosa mors obstupescit. Quid tu, Judæe, qui pridie ante crucem agitabas caput sacrilegum? quid verum hominis caput Christum exagitabas opprobriis (41)? *Christus*, inquit, *rex Israel descendat de cruce* (Marc.

xv, 32). O venenata lingua, verbum malitiæ, sermo nequam! Non est hoc, Caipha, quod paulo ante dicebas: *Expedit ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat* (Joan. XI, 50). At illud, quia mendacium non erat, non loquebaris de proprio, non a temetipso dicebas: *Si rex Israel est, descendat de cruce* (Matth. XXVII, 42), hoc plane tuum est; magis autem ejus qui mendax est ab initio. Quid enim consequentiæ videtur habere ut descendat, si rex est; et non magis ascendat? Sic non meministi, serpens antique, quam confusus abscesseris olim, cum dicere præsumpsisses: *Mitte te deorsum*; et: *Hæc omnia tibi dabo, si prociens adoraveris me?* (Matth. IV, 6, 9). Sic tibi, Judæe,

(41) Alias, *Quid sacrum hominis Christi caput exagitabas opprobriis.*

excidit quod audisti quia *Dominus regnavit a ligno*, **893** ut regem abneges, quia manet in ligno? Sed forsitan nec audisti [*alias legisti*] quia non Judæis, sed nationibus hæc annuntiatio debebatur. *Dicite, inquit, in nationibus, quia Dominus regnavit a ligno (42). (Psal. xcvi, 10.)*

2. Merito proinde titulum regni præses gentilis inscripsit ligno, nec potuit Judæus, ut voluit, corrumpere tituli inscriptionem, nedum impedire Dominicam passionem, et nostram redemptionem. *Descendat, inquit, si rex Israel est.* Imo vero quia rex Israel est, titulum regni non deserat, virgam imperii non deponat, cujus nimirum imperium super humerum ejus, sicut præcinit Isaias (*Isa. ix, 6*). *Noli, inquit Judæi ad Pilatum, noli scribere: Rex Judæorum; sed, Quia ipse dixit, Rex sum Judæorum;* et Pilatus: *Quod scripsi, scripsi (Joan. xix, 19-22).* Si Pilatus quod scripsit, scripsit, Christus non perficit quod incepit? Ipse enim cœpit, et salvavit nos. Sed dicunt: *Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere (Matth. xxvii, 42).* Imo vero si descenderit, neminem salvum faciet. Cum enim salvus esse non possit, nisi qui perseveraverit usque in finem, quanto minus poterit esse Salvator? Alios ergo salvos facit [*alias fecit*]: nam salvatione, cum sit salus, ipse non indiget. Operatur salutem nostram, nec caudam deesse patitur sacrificio vespertino hostiæ salutaris. Novit, inique, quid cogites. Non dabit tibi occasionem subripiendæ nobis perseverantiæ, quæ sola coronatur. Non faciet obmutescere prædicatorem linguas, consolantium pusillanimes, et dicentium singulis: *Tu locum tuum ne deseras; quod sine dubio sequeretur, si respondere possent quia Christus suum deseruit. Proni enim sunt sensus hominis et cogitationes in malum. Sine causa, maligne, parasti sagittas tuas in pharetra; et discipulorum suspiria cumulas opprobriis Judæorum. Illi quippe desperant, isti improperant: sed Christo neutra tela nocebunt. Aliud tempus elegit confortandis discipulis, et aliud adversariis confutandis.*

3. Interim patientiam magis exhibet, humilitatem commendat, obedientiam implet, perficit charitatem. His nempe virtutum gemmis quatuor cornua crucis ornantur: et est supereminens charitas, a dextris obedientia, patientia a sinistris, radix virtutum humilitas in profundo. His ditavit tropæum crucis consummatio Dominicæ passionis, cum ad Judæorum blasphemias humilis, ad vulnera patiens, intus linguis, clavis exterioris pungeretur. Nam et charitas in eo perfecta est, quod pro amicis animam posuit; et obedientia consummata, cum inclinato capite tradidit spiritum, factus obediens usque ad mortem. His spoliare dotibus, hæc privare gloria Christi satagebant Ecclesiam, qui dicebant: *Si rex Israel est, descendat de cruce.* Nimirum ut non sit

(42) Sic etiam nunc legitur in versione Romana seu Italica, uti et in nostro S. Gerinami Psalterio. Vide S. Justinii Dialogum cum Tryphone.

A jam obedientiæ forma, non incentivum amoris, non patientiæ vel humilitatis exemplum; sed deleri habeant ex Evangelio verba illa suavissima, et dulciora super mel et favum: *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis (Joan. xv, 13); et ad Patrem: Opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam (Joan. xvii, 4); itemque ad discipulos: Discite a me quia mitis sum et humilis corde (Matth. xi, 29); et: Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum (Joan. xii, 52).* Hoc est enim quod dolet venenatis serpentis astutia, exaltatum in deserto serpentem æneum, cujus intuitu sanentur vulnera quæ infixit (*Num. xxi, 8*). Alioquin quoniam alio instigante misisse credimus uxorem Pilati ad ipsum, dicentem: *Nihil tibi et justo illi: multa enim passa sum hodie per visum propter eum? (Matth. xxvii, 19.)* Timebat ergo jam tunc; sed nunc maxime virtute crucis enervari se sentiens inimicus, sera ducitur pœnitentia: et quos instigavit ad crucifigendum, instigat ad suadendum ut de cruce descendat. Denique: *Si rex Israel est, inquit, descendat de cruce, et credimus ei.* Hæc plane serpentis astutia, hæc adinventio nequitæ spiritualis. Audierat impius Salvatoris vocem dicentis: *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel (Matth. xv, 24): et noverat quantum pro salute illius populi zelum gerere 894 videretur. Propterea malitiose nimis linguas erudiens blasphemorum, suggerebat ut dicerent: Descendat, et credimus; quasi jam nihil posset obstare quin descenderet, qui eorum credulitatem tantopere desideraret.*

4. Sed quid machinatur, aut cui parat insidias versipellis? Nempe ei in quo nihil proficiet inimicus, et filius iniquitatis non apponet nocere ei. Non movetur vana pollicitatione, qui novit omnium corda, sicut nec exprobratione blasphema mitissimus omnium movebatur. Eo quippe tendebat malitiosa persuasio, non ut ipsi crederent, sed nostra quoque, si qua erat, fides in eum omnimodis deperiret. Legentes enim: *Dei perfecta sunt opera (Deut. xxxii, 4),* quando fateremur Deum, qui salutis opus reliquisset imperfectum? Sed audiamus quid ad hæc Christus respondeat per prophetam: *Quæris signa, Judæe? Expecta me in die resurrectionis meæ (Soph. iii, 8).* Si vis credere, majora jam tibi opera demonstravi. Multiplicavi signa, sanitates perfecti heri et pridie: hodie magis habeo consummari. An non majus erat, quod vidisti e corporibus obsessis spiritus exire malignos, et de grabatis suis exsilire paralyticos, quam e manibus meis vel pedibus clavos resillire quos infixisti? Sed patiendi tempus est, non faciendi; et passiois horam sicut prævenire frustra conatus es, sic nec poteris impedire.

5. Sed si adhuc generatim prava et adultera signum quærit, non ei dabitur nisi signum Jonæ prophætæ (*Matth. xii, 39*); non signum descensionis, sed re-

urrectionis. Quod si Judæus non quærit, amplectatur et gaudeat Christianus. Vicit enim leo de tribu Juda. Suscitatus est paterna voce leonis catulus; clauso prodiit tumulo, qui de patibulo non descendit. An vero id majus sit, inimici nostri sint judices, qui tam curiose munierant monumentum, signantes lapidem cum custodibus. Hunc enim lapidem magnum valde, de quo mulieres illæ devotæ invicem querebantur, facta jam resurrectione Dominica revolvit angelus, et resedit, sic scriptum est, *super eum* (Matth. xxviii, 2; Marc. xvi, 3). Constat proinde clauso exiisse tumulo redivivum corpus, quod clauso Virginis utero natum processit in vitam, et ad discipulos clausis introivit januis in conclavie. Sed est locus unde clausis noluit procedere januis, carcer utique gehennalis. Confregit siquidem ferreos vectes, repagula universa contrivit, ut libere suos educeret, quos redemerat de manu inimici et plenis egredierentur portis agmina [alias additur sanctorum] dealbatorum, qui laverant stolas suas, et candidas eas fecerant in sanguine Agni, candidas prorsus in sanguine; quia exivit cum eo et in eo etiam aqua dealbans; et testimonium perhibet ipse qui vidit. Aut certe candidas in sanguine, sed in sanguine Agni novelli lacteo, candido et rubicundo, sicut habes in Cantico canticorum: *Dilectus meus, ait sponsa, candidus et rubicundus, electus ex millibus* (Cant. v, 10). Inde est quod in stola candida et fulgureo vultu testis quoque resurrectionis appareat.

6. Jam si confutandis Judæorum calumniis sufficere videtur hoc ipsum, quod clauso egressus est monumento, cui insultantes dicebant: *Si rex Israel est, descendat de cruce*: curiosius namque monumentum claudere et signare studuerant, quam infligere clavos; si igitur vicit leo de tribu Juda in hoc ipso processu, et majus demonstravit opus quam peterent; ipsum jam resurrectionis miraculum cui poterit comparari? Legimus quidem nonnullorum præcessisse resurrectiones, aut magis certe suscitationes, sed istius præambulas, quibus et duplici privilegio noscitur præeminere. Nam cæteri quidem resurrexerant [alias additur mortui] iterum morituri: Christus resurgens ex mortuis jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur. Illi mortui denuo opus habent iterum resuscitari: Christus quod mortuus est peccato, mortuus est semel; quod autem vivit, vivit Deo (Rom. vi, 9, 10), vivit in æternitate. Merito proinde resurgentium primitiæ Christus; qui ita resurrexerit, **895** ut cadere non adjiciat, qui solus attingit immortalitatem.

7. Est aliud, in quo resurrectionis hujus innotescat gloria singularis. Quis enim in cæteris omnibus suscitavit aliquando semetipsum? Ineffabile istud est, ut a morte se excitet ipse qui dormit: singularis est; non est qui faciat, non est usque ad unum. Eliseus propheta mortuum suscitavit (IV Reg. iv, 35), sed alterum, non semetipsum. Ecce enim quotannis jacet in monumento, quod a se non potest,

sperans ab alio suscitari; ab eo utique qui triumphavit mortis imperium in seipso. Inde est quod cæteros quidem dicimus suscitatos, Christum resurrexisse, qui solus virtute propria victor prodiit de sepulcro: siquidem et in hoc vicit leo de tribu Juda. Quantum poterit, immo quid non posse videbitur vivens, et dicens Patri: *Resurrexi, et adhuc stum tecum* (Psal. cxxxviii, 18); qui tam potens xstitit deputatus cum mortuis, sed inter mortuos liber?

8. Nec vero resurrectionem distulit ultra tertiam diem, ut propheta fidelis inveniat, qui dixit: *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos* (Osee vi, 3). Decet nimirum ut quemadmodum caput præcessit, sequantur membra. In patibulo sexta feria redemit hominem, ipsa die qua fecerat hominem in initio: sequenti die sabbatizavit in monumento, consummato opere quod susceperat; tertia vero, quæ prima dierum est, primitiæ dormientium apparuit mortis victor, novus homo. Ita et nos, quicumque sequimur caput nostrum, tota die hac qua plasmati et redempti sumus, non censem agere pœnitentiam, non censem tollere crucem nostram, perseverantes in ea, sicut ipse perseveravit, donec dicat Spiritus ut requiescamus a laboribus nostris. Neminem audiamus, fratres, non carnem et sanguinem, non spiritum quemlibet, descensum a cruce suadentem. Persistamus in cruce, moriamur in cruce; deponamur aliorum manibus, non nostra levitate. Caput nostrum deposuere viri justi; nos vero dignatione sua angeli sancti deponant, ut consummata viriliter die crucis, secunda quæ post mortem est, quiescamus suaviter, dormiamus feliciter in sepulcris, exspectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei, qui resuscitabit corpora nostra tertia demum die, configurata corpori claritatis suæ. Fetent quatruiduani, sicut de Lazaro scribitur: *Jam fetet, Domine; quatruiduanus est enim* (Joan. xi, 39).

9. Adinventio filiorum Adam quartam formavit diem, quam a Domino non accepit. Propterea corrupti sunt, et abominabiles facti sunt tanquam jumenta quæ in stercore suo putruerunt. Divinæ siquidem ordinationis est triduum quod prædicimus, in labore, in requie, in resurrectione. Non placent hæc filiis hominum, sed suam volunt præferre diebus: diferentes pœnitentiam, ut indulgeant voluptati. Non est hæc dies quam fecit Dominus: quatruiduani facti sunt, et jam fetent. Non novit hanc, quod de Maria natum est, Sanctum: tertia resurrexit die, ne videret corruptionem. Vicit itaque leo de tribu Juda. Occisus est agnus, sed leo vicit. Leo rugiet: quis non timebit? Leo, inquam, fortissimus bestiarum, qui ad nullius pavebit occursum, scilicet Leo de tribu Juda. Paveant qui abnegaverunt, qui dixerunt: *Non habemus regem nisi Cæsarem* (Joan. xix, 15). Paveant qui dixerunt: *Nolumus hunc regnare super nos* (Luc. xix, 14). Redit siquidem accepto regno, et malos male perdet. Vultis nosse quia redit accepto regno? *Data est mihi*, inquit,

omnis potestas in cælo et in terra (Matth. xxviii, 18). Sed et Pater in psalmo : *Postula a me, ait, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, et tanquam ras figuli confringes eos* (Psal. ii, 8, 9). Fortis siquidem leo est, non crudelis : gravis tamen indignatio ejus ; et intolerabilis ira columbæ. Sed pro suis leo rugiet, non in suos. Paveant alieni : tribus Juda magis exsultet.

40. Gaudeant qui induti sunt confessione, quorum omnia ossa dicunt : *Domine, quis similis tibi?* (Psal. xxxiv, 10.) *Leo de tribu Juda, radix David.* Dicitur enim David visu desiderabilis, vel manu fortis ; et idem ait : *Ante te omne desiderium meum* (Psal. xxxvii, 10) ; et : *Fortitudinem meam ad te custodiam* (Psal. lvm, 10). *Radix* inquit, *David.* Non David radix ejus, sed ipse radix David, quia portat, et non portatur. Merito, David sancte, filium tuum vocas dominum tuum, quia non tu radicem portas, sed radix te. Radix fortitudinis tuæ et desiderii, radix desiderabilis, radix fortis. *Vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, et solvere septem signacula ejus.* Apocalypsis verba sunt hæc. Discant qui non legerunt, recolant qui noverunt. *Vidi, inquit Joannes, in dextera sedentis super thronum, librum signatum sigillis septem, et non erat qui legeret, vel aperiret. Et ego, ait, flebam multum, quod nemo aperire librum dignus inveniretur. Et unus de senioribus dixit mihi : Ne fleviſſis ; ecce vicit leo de tribu Juda, radix David. Et vidi, et ecce in medio throni Agnum stantem, tanquam occisum : et veniens accepit librum de dextera sedentis in throno, et aperuit librum : factaque est lætitia magna, et gratiarum actio.* Leonem Joannes audierat, et Agnum vidit. Agnus occisus est, Agnus accepit librum, Agnus aperuit, et apparuit Leo. Denique *dignus est, aiunt seniores, Agnus qui occisus est, accipere fortitudinem* (Apoc. v, 12). Non mansuetudinem amittere, sed accipere fortitudinem, ut et agnus maneat, et leo sit. Plus dico, ut mihi videtur, idem etiam liber est qui non poterat aperiri. Quis enim dignus inveniretur aperire hunc librum ? Indignum se profitetur et ipse Baptista Joannes, quo inter natos mulierum major nemo surrexit : *Non sum, inquit, dignus solvere corrigiam calceamenti ejus* (Marc. i, 7). Venerat enim ad nos calceata majestas, divinitas incarnata : venerat Dei Sapientia, sed in libro clauso utique et signato. Quod ligabat corrigia calceamenti, hoc claudabant signacula libri.

41. Sed quid dicimus super his septem ? An forte triplex animæ virtus, ratio, memoria, et voluntas ; et quadrifaria corporis compositio, ex elementis videlicet quatuor, in his septem est intelligenda, ut nihil de veritate humanitatis defuisse noverimus Salvatori ? An magis humanitas ejus ipse est liber, et querenda sunt signacula septem ? Septem enim quædam arbitror inveniri, quibus maxime celabatur in carne præsentia majestatis, ut non posset aperiri liber, et sapientia quæ latebat agnosci. Sunt autem

A quæ occurrunt interim, Matris desponsatio, qua parvus virginis et conceptionis puritas velabatur, ita ut hominis fabri filius, fabricator hominis putaretur. Infirmitas etiam corporis, qua nimirum plorans et vagiens, lactens et dormiens, et cæteris subjacens necessitatibus carnis, latebat inter hæc virtus divinitatis. Sic et circumcisionis signum suscipiens, peccati remedium, ægritudinis medicinam, qui morbum omnem tollere venerat et peccatum : et item in Ægyptum fugiens a facie Herodis reguli, nec Dei Filius agnosci poterat, nec Rex cæli. Quid tria illa tentatio inimici in deserto, in pinnaculo, supra montem ? *Si Filius Dei, inquit, es, dic ut lapides isti paves fiant* ; et item : *Mitte te deorsum.* Neutrum Christus fecit, ut signaretur liber, ut falleretur astutus. Denique eousque seductus est, ut haberet jam pro constanti hominem esse purum, et in tantam vesaniam superbia cæca prorumperet, ut non diceret ultra : *Si filius Dei es, sed : Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me* (Matth. iv, 3-9). Sextum est signaculum crucis, ubi pependit inter latrones, et cum iniquis deputatus est Dominus majestatis. Clausit et sepultura librum hunc : nec ullum signaculum omnino sic astrinxit, sic occultavit magnum pietatis sacramentum. Sepulto nimirum Domino, sola restare desperatio videbatur, adeo ut discipuli ipsi dicerent : *Quia nos sperabamus* (Luc. xxiv, 21). Quis non illo fleret in tempore clausum arctius librum, et non esse qui aperiret ?

C 42. Sed ne fleviſſis ultra, Joannes sancte ; etiam tu noli flere, Maria. Procul sit luctus, tristiſſiæ nebula dissipetur. Lætamini in Domino, et exsultate, justi ; et gloriamini, omnes recti corde (Psal. xxxi, 11). Dignus est Agnus qui occisus est, Leo qui resurrexit, postremo liber ipse dignus est aperire seipsum. Resurgens nimirum a 897 mortuis, resurgens autem virtute propria, et post tres dies, sicut ipse prædixerat, testimonium perhibentibus inimicis ; et resurgens in tanta majestate et gloria, indicat manifeste quæcunque prædiximus signacula, vel opera voluntaria, non necessaria ; nec conditionis fuisse, sed dignationis. Quid tu nuper, Judæe, signabas lapidem monumenti ? *Quia seductor ille dixerat adhuc vivens : Post tres dies resurgam* (Matth. xxvii, 63). Vere seductor, sed pius, non malitiosus, Denique *seduxisti me, Domine, et seductus sum, ait propheta vester in persona vestra ; fortior me fuisti, et invaluisti* (Jerem. xx, 7). Seduxit vos, o Judæi, in passione : nam in resurrectione invaluit et prævaluit vincens Leo de tribu Juda. Etenim, si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (I Cor. ii, 8). Quid ergo facturus es ? Et prædixit, et jam revixit. Diligenter explora signaculum sepulture, apertum est enim. Datur tibi signum Jonæ prophetæ, quia et prædixit ipse. Egreditur Jonas de ventre ceti ; Christus de corde terræ tertia die procedit. Nisi quod manifeste plus quam Jonas hic (Matth. xii, 39-41), qui semetipsum viriliter et ab ipso utero mortis eduxit. Propterea viri Ninivitarum

consurgent contra vos in iudicio; propterea ipsi A iudices vestri erunt, quia prophetæ obtemperaverunt, vos nec Domino prophetarum.

13. Ubi est quod dicebatis : *Descendat de cruce, et credimus ei?* (*Matth. xxvii, 42.*) Crucis signaculum dirumpere voluistis, promittentes ad fidem vos introituros. Ecce apertum, non disruptum est : introite. Alioquin si non creditis resurgenti, utique nec credidissetis descendenti. Si sic vos scandalizabat crux Christi; verbum enim crucis *Judæis quidem scandalum* est, ait Apostolus (*I Cor. i, 23*); excitet vos saltem novitas resurrectionis. Invenimus nos in cruce gloriam. Nobis qui salvamur, Dei virtus est, et omnium, ut ostendimus, plenitudo virtutum. Sit vobis pars vel in resurrectione. Sed forte et illa, imo multo magis illa vos scandalizat, et odor vitæ nobis in vitam, vobis est odor mortis in mortem. Quid ergo insistimus? Non sustinet audire symphoniam et chorum senior frater, occisum nobis saginatum vitulum indignatur. Foris stat, omnino non acquiescit intrare (*Luc. xv, 28*). Ingrediamur nos, fratres, et epulemur in azymis sinceritatis et veritatis; etenim Pascha nostrum immolatus est Christus (*I Cor. v, 7*). Anplectamur commendatas nobis in cruce virtutes, humilitatem, patientiam, obedientiam, et charitatem.

14. In hac quoque tam præcipua solemnitate quid commendetur nobis, sedula cogitatione pensemus. Nempe resurrectio, transitus et transmigratio. Christus enim, fratres, non recidit hodie, sed resurrexit : non rediit, sed transiit; transmigravit, non remeavit. Denique et ipsum quod celebramus Pascha, transitus, non reditus interpretatur : et Galilæa, ubi videndus nobis promittitur qui resurrexit, non remeationem sonat, sed transmigratorem. Credo jam aliquorum ingenia prævolant, et quorsum hæc velint tendere, suspicantur. Dicimus tamen breviter : præsertim ne devotionem vestram in tanta solemnitate sermonis videatur prolixitas onerare. Si post consummationem crucis in nostram hanc mortalitatem et vitæ præsentis ærumnas Christus Dominus revixisset; ego eum, fratres, non transiisse dicerem, sed rediisse; non transmigrasse in sublimius aliquid, sed ad statum remeasse priorem. Nunc autem quia transiit in novitatem vitæ, D nos quoque invitat ad transitum, vocat in Galilæam. Propterea siquidem quod mortuus est peccato, mortuus est semel; quia quod jam vivit, vivit non carni, sed Deo.

15. Quid nos dicimus, qui sacram Domini resurrectionem Paschæ privamus nomine, ut sit nobis in reditum magis quam in transitum? Luximus his diebus, compunctioni et orationi, gravitati et abstinentiæ dediti, caterorum negligentias temporum sacro hoc quadragenario redimere et diluere cupientes. Communicavimus passionibus Christi, complantati ei denuo sumus per baptismum quemdam lacrymarum, pœnitentiæ, confessionis. Si ergo mortui sumus **898** peccato, quomodo vivemus adhuc

in illo? Si negligentias planximus, quid causæ est ut recidamus nunc in eandem? Inveniemur nunc iterum curiosi ut ante, verbosi ut ante, pigri et negligentes ut ante, vani, suspiciosi, detractores, iracundi, cæterisque impliciti vitiis, quæ tam anxie deploravimus his diebus. Lavi pedes meos, quomodo iterum inquinabo eos? exui me tunicam meam, quomodo induam eam? (*Cant. v, 3*). Non est transmigratio hæc, fratres: non sic videbitur Christus, non hoc iter quo ostendat nobis Deus salutare suum. Denique qui retro respicit, indignus est regno Dei (*Luc. ix, 62*).

16. Sic amatores sæculi, inimici crucis Christi, cujus in vanum accepto nomine dicuntur Christiani, toto hoc tempore quadragesimali ad instantes inhiant dies Resurrectionis, heu! ut liberius indulgeant voluptati. Obnubilat, fratres, solemnitatis lætitiæ materia tristior; sed ipsius plangimus solemnitatis injuriam, quam dissimulare non possumus nec in ipsa, imo minus in ipsa. Proh dolor! peccandi tempus, terminus recidendi facta est resurrectio Salvatoris! Ex hoc nempe comessationes et ebrietates redeunt, cubilia et impudiciæ repetuntur, et laxantur concupiscentiis frena: quasi vero ad hoc surrexerit Christus, et non magis propter justificationem nostram. Sic honoratis, miseri, Christum, quem suscepistis? Venturo parastis hospitium, consistentes peccata cum gemitu, castigantes corpora, eleemosynas impendentes: et ecce susceptum proditis inimicis, imo exire compellitis, priores nequitias admit-tendo. Neque enim cohabitatio esse potest luci ad tenebras, Christi cum superbia, cum avaritia, cum ambitione, cum fraterno odio, cum luxuria, cum fornicatione. Quid enim minus præsentī debetur, quam venturo? Quid minus reverentiæ resurrectionis tempus exigit, quam passionis? Sed vos, ut manifestum est, neutram honoratis. Nam, si compateremini et conregnaretis; si commoreremini, et coresurgeretis.

17. Nunc autem ex sola consuetudine temporis et simulatione quadam humiliatio illa processit, quam non sequitur exsultatio spiritualis. Propter hoc, ut ait Apostolus, *multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi* (*I Cor. xi, 30*). Propter hoc crebra in diversis regionibus hominum mortalitas, specialiter his diebus. Quid enim? Deprehensi estis inter angustias, prævaricatores, non qui prævaricati estis, sed qui persistitis in peccato, addentes prævaricationem, aut penitus impœnitentes, aut tepide pœnitentes; nec periculosa [*alias pericula*] fugientes, vel post miseram experientiam, incentiva peccati. Irrevitit vos inimicus perplexis, ut ait Scriptura, *nervis testicularum* (*Job. xl, 12*). Si hac conscientia Christi sacramenta refugitis, nihil vobis commune cum Christo, non habetis vitam in vobis. Ipsum audit dicentem : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan. vi, 54*). Si indigne suscipitis, iudicium vobis manducatis, sanctum corpus Domini non diju-

dicantes. Redite ergo, prævaricatores, ad cor, et in toto cordo quærite Dominum, et odite malum; poenitentes non verbo tantum et lingua, sed spiritu et veritate. Quia vero non satis cecidisse piget hominem, ut videtur, qui adhuc manere disponit in lubrico; aut errasse, qui ducem non quærit: sit veræ compunctionis indicium, opportunitatis fuga, subtractio occasionis. Alioquin timendum valde ne dies ista (siquidem et ipsa posita est in ruinam et resurrectionem multorum) reprobet vos, vel tanquam manifeste alienos a Christo, Christo non communicantes, vel tanquam socios Judæ, in quem intravit Satanas post buccellam (*Joan. xiii, 27*).

18. Sed quid ad nos, fratres, de his qui foris sunt judicare? nisi quod in eodem nos fuisse laqueo plangimus, ab eodem erutos gratulamur, sola misericordia operante, in quo miserabiliter eos detineri fraterna charitate dolemus. Utinam autem vel nos jam sanctificati, et penitus alieni ab hac misera et sacrilega consuetudine inveniamur, nec quidquam in nobis pereat **899** aut minuatur de exercitio spirituali sacræ resurrectionis adventu, sed transire magis et exrescere studeamus! Quicumque enim

A post lamenta poenitentiae non ad carnales redit consolationes; sed in fiduciam divinæ miserationis excedit, ingreditur novam quamdam devotionem et gaudium in Spiritu sancto; nec tam compungitur præteritorum recordatione peccatorum, quam delectatur memoria et inflammatur æternorum desiderio præmiorum: is plane est qui cum Christo resurgit, qui Pascha celebrat, qui festinat in Galilæam. Vos ergo, charissimi, si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram (*Coloss. iii, 1, 2*): ut quemadmodum Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et vos in novitate vitæ ambuletis (*Rom. vi, 4*); ut a sæculari lætitia et consolatione mundi per compunctionem et tristitiam, quæ secundum Deum est, ad devotionem sanctam, et spiritualem vos transire gaudeatis exultationem, ipso præstante, qui transivit ex hoc mundo ad Patrem, et nos quoque trahere post se, et in Galilæam vocare dignatur, ut semetipsum nobis ostendat, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

IN TEMPORE RESURRECTIONIS, AD ABBATES.

SERMO II (43).

De lectione evangelica, « Maria Magdalene, Maria Jacobi, et Salome, » etc. (Marc. xvi, 1.)

1. Accepimus ab Apostolo *habitare Christum per fidem in cordibus nostris* (*Ephes. iii, 17*). Unde videtur non incongrue intelligi posse, tandiu Christum in nobis vivere, quandiu vivit fides. At postquam fides nostra mortua est, quodam modo Christus mortuus est in nobis. Porro fidei vitam opera attestantur, sicut scriptum est: *Opera, quæ dedit mihi Pater, ipsa testimonium perhibent de me* (*Joan. v, 36*). Nec discrepare videtur ab hac sententia, qui fidem sine operibus mortuam asserit in semetipso (*Jac. ii, 20*). Sicut enim corporis hujus vitam ex motu suo dignoscimus, ita et fidei vitam ex operibus bonis. Itaque vita quidem corporis est anima, per quam movetur et sentit; vita vero fidei charitas est, quia per illam operatur, sicut in Apostolo legis: *Fides quæ per dilectionem operatur* (*Galat. v, 6*). Unde et refrigescente charitate fides moritur, sicut corpus anima recedente. Tu ergo si videris hominem in bonis operibus strenuum, et fervore conversationis hilarem; vivere in eo fidem non dubites, indubitata tenens vitæ illius argumenta. Sed sunt nonnulli, qui, cum spiritu cœperint, heu! carne postea consummantur. Scimus autem quia jam tunc non permanet in eis spiritus vitæ, quia scriptum est: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est* (*Gen. vi, 3*). Quod si non permanet spiritus, haud dubium quin excidat charitas, quæ nimirum

C diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis (*Rom. v, 5*).

2. Porro fidei vitam, ut jam diximus, in charitate constituit, qui fidem per dilectionem perhibuit operari. Hinc ergo colligitur, recedente Spiritu fidem mori; quoniam Spiritus est qui vivificat (*Joan. vi, 64*). Denique, si sapere secundum carnem mors est (*Rom. viii, 6*); non dubium quin illi quos vivere lætabamur, quandiu facta carnis spiritu mortificabant, secundum carnem viventes plangendi sint tanquam mortui. Unde et in eodem apostolo legis: *Si, inquit, secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis* (*ibid., 13*). Væ tibi, quicumque es, canis reversus ad vomitum, et sus lota in volutabro luti (*II Petr. ii, 22*)! Non ad eos tantum loquor qui corpore, sed etiam eos qui corde redeunt in Ægyptum, sæculi hujus oblectamenta sectantes, ac proinde fidei vitam, quæ est charitas, non habentes. Si quis **900** enim diligit mundum, non est charitas Patris in eo (*I Joan. ii, 15*). Quis magis mortuus eo, qui fovet ignem in sinu, peccatum in conscientia; nec sentit, nec expavescit, nec excutit?

3. Ecce igitur Christus in sepulcro, fides mortua est in animo. Quid faciemus ei? Quid fecerunt sanctæ mulieres, quæ solæ ex omnibus suis ampliori tenebantur affectu? *Emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum*. Nunquid ut suscitarent? Et nos scimus, fratres, quia suscitare nostrum non est, sed ungere nobis incumbit. Cur hoc? Nempe ne fœtcat

(43) Sic veterem sermonum paschalium ordinem restituimus ex manuscriptis et primis editis, omisso hic sermone 44 De diversis, qui post sequentem

sermonem tertium olim collocari solebat. Confer sermonem 58 De diversis.

qui hujusmodi est ne sit cæteris odor mortis, ne pereffluat, et penitus dissolvatur. Emant proinde aromata sua tres mulieres, mens, lingua, manus. De his enim, ut arbitror, Petrus mandatum accepit tertio pascere gregem Domini (*Joan. xxi, 17*). Pasce, inquit, monte, pasce ore, pasce opere; pasce animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione.

4. Quærat igitur mens aromata sua: ante omnia compassionis affectum, dehinc rectitudinis zelum, et inter hæc discretionis spiritum non omitat. Quoties enim peccantem videris fratrem, continuo procedere debet compassionis affectus, tanquam cognatus humanitati, quippe quem concipis ex teipso. Vos, inquit Apostolus, qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris (*Galat. vi, 1*). Et cum exiret Dominus bajulans sibi crucem, et plangerent super eum, nondum quidem omnes tribus terræ, sed mulieres paucæ, conversus ad eas: *Filiæ, inquit, Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros (Luc. xxiii, 28)*. Ordinem diligenter attende. Super vos, inquit, primo; deinde super filios vestros. Temetipsum attende, ut alii noveris compati, ut arguas in spiritu lenitatis. Teipsum considera, ne et tu tenteris. Sed, quia exemplum efficacius persuadet et altius imprimit animo, mitto vos ad sanctum illum senem, qui cum audisset peccasse unum ex fratribus, amarissime flebat, inquam: « Ille hodie, et ego eras (*In Vitis Patrum*). » Qui sic flebat super se, putas quia non compassus sit fratri? Hic itaque compassionis affectus multis quidem prodest, quia animus liberalis contristare, quem pro se viderit anxium, erubescit.

5. Sed quid agimus, quod nonnulli dura cervice et attrita sunt fronte, ut quo magis eis compatimur, tanto magis nostra et compassione et patientia abutantur? Nonne sicut compatiēbamur fratri, ita ipsi justitiæ compatiendum est, quam videmus tam impudenter abjici, tam imprudenter provocari? Scio quia, si qua in nobis est charitas, contemptum hunc Dei ferre æquanimiter non possumus. Hic est zelus justitiæ, quo adversus delinquentes accendimur, tanquam pietate ducti erga eam, quam contemni videmus, justitiā Dei. Verumtamen oportet ut priora sibi vindicet compassionis affectus. Alioquin in spiritu vehementi conterimus naves Tharsis, conterimus quassatum calamum, exstinguimus lium fumigans.

6. Sed, cum uterque aderit, videlicet et compassionis affectus, et zelus justitiæ; necesse est ut adsit spiritus discretionis, ne forte, cum oporteat hunc exhiberi, ille procedat, et indiscretio ipsa confundat universa. Habeat itaque mens nostra tertium, scilicet spiritum discretionis, ut miscens apte temporibus tempora, opportune æmulari et nihilominus ignoscere sciat. Samaritanus sit, custodiens et observans quando oleum misericordiæ, quando vinum fervoris exhibeat. Et ne forte meum putetis inventum, prophetam auditā in Psalmo, hæc eadem et

A eodem ordine postulantem: *Bonitatem, inquit, et disciplinam, et scientiam doce me (Psal. cxviii, 66)*.

7. Sed unde hæc nobis? Neque enim talia profert virtutum germina terra cordis nostri, sed magis spinas et tribulos germinat nobis. Emere ergo oportet. A quo autem emenda sunt? Ab eo utique qui ait: *Venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac (Isa. lv, 1)*. Non ignoratis quid lactis dulcedo, quid vini designet austeritas. Quid est autem emere sine argento et sine commutatione? Non talis est emptio apud amatores hujus sæculi; sed apud auctorem sæculi alia esse non potest. Propheta enim dixit Domino: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non egēs (Psal. xv, 2)*. Quam igitur commutationem ei dabit homo pro gratia sua, qui nullius eget, et cujus sunt universa? Gratia gratis datur: etiam cum emitur, gratis emitur; quia quod datur pro ea, nobis melius retinetur.

8. Tria ergo aromata mentis nummo propriæ voluntatis emenda sunt. Quam quidem dimittentes nihil amitimus, etiam et lucratur plurimum, commutantes illam in melius, ut communis fiat quæ propria fuit. Porro communis voluntas charitas est. Eminus ergo absque commutatione, recipientes quod non habuimus, et quod habuimus, melius retinentes. Quando vero compatiatur fratri, qui in propria voluntate nescit compati nisi sibi? aut quando amans seipsum diligit justitiā, et odio habebit iniquitatem? Simulare quidem potest ante oculos hominum, etiam et semetipsum seducere, ut, cum privato amore vel odio ducitur, compassionis affectum, aut zelum putet esse justitiæ. Verum facile est nosse quam sint aliena a propria voluntate, quæ propria sunt charitatis, cui illa recta fronte contrariam se constituit. Nam charitas benigna est, charitas super iniquitate non gaudet (*I Cor. xiii, 4, 6*). Jam de spiritu discretionis scimus, quia nihil sic illum exstinguit quomodo voluntas propria, subvertens corda hominum, et rationis oculos claudens. Emenda proinde sunt tria mentis aromata, affectus compassionis, rectitudinis zelus, et spiritus discretionis, nummo, ut dictum est, propriæ voluntatis.

9. Linguae quoque aromata tria nihilominus sunt: modestia in increpando, copia in exhortando, efficacia in persuadendo. Vis habere hæc aromata? Eme illa a Domino Deo tuo. Eme, inquam, et sicut priora, sine ulla commutatione: ut aliquid recipias, perdas nihil. Eme a Domino moderatam correptionem, quia omnino magnum quoddam bonum et datum optimum est, et quod habere pauci. *Linguam enim, ut ait beatus Jacobus, nemo domare potest (Jac. iii, 8)*. Videas multos, sincera licet intentione et benigno accedant animo, leviter dicere quod graviter audiatur. Volat irrevocabile verbum (*Hor. Epist. I, xviii, 71*); et quod sanare debuerat, quod mordacius forte videtur, exasperat et exulcerat magis quando negligentia additur impudentia, etiam et impatentia cumulat; ut qui in sordibus erat, sordescat

adhuc, declinans in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, ac more phrenetici non solum repellens, sed et mordere tentans medici manum. Multis quoque non suppetit verborum copia, sed præ sermonis inopia linguam suam palato adhærescere sentiunt: quod et ipsam interdum solet audientibus obesse non parum. Aliis vero ad manum est abundantia multa sermonis; sed quæ dicunt, minus sapiunt, minus acceptantur: et, quia gratiam non habent, minus efficacia sunt quæ loquuntur. Vides ergo quam necesse sit emere ab eo a quo omne bonum est, a quo omnis scientia, modestiam in increpando, copiam in exhortando, efficaciam in persuadendo.

10. Proinde eme ista nummo confessionis, ut prius peccata tua confitearis, quam ad expurganda accedas aliena. Magnum prorsus et mirabile sacramentum animæ suscitatio est: vide ne ad illud inmundus accedas. Quod si forte non potes innocens, imo quia non potes; lava inter innocentes manus tuas, antequam circumdes monumentum Domini. Omnia siquidem in confessione lavantur. Et hæc ablutio in quamdam innocentiam tibi deputabitur, ut inter innocentes assistas. Ad altaris officium nemo accedit in veste communi; sed quisquis accessurus est, albis induitur. Et tu ergo, cum ad Domini monumentum properas, lavare, dealbare, induere vestimentis gloriæ, ut dicatur tibi: *Confessionem et decorem induisti* (Psal. ciii, 1). Quia ubi confessio, ibi in conspectu Domini pulchritudo est. **902** Hæc pro eo dicta sunt, ut aromata linguæ, moderata increpatio, copiosa exhortatio, efficax persuasio nummo confessionis emanent.

11. Verumtamen legimus (Apud GREGOR. MAGNUM in *Pastorali*), et quotidianis etiam experimentis didicimus, cuius vita despicitur, restat ut prædicatio contemnatur. Parret ergo et manus aromata sua, ne subsannet nos Sapiens tanquam pigrum illum cui labor sit manum ad os porrigere (*Prov. xix, 24*); ne possit dicere in quem arguis: *Tu, qui alium doces, teipsum non doces* (Rom. ii, 21). Alligas enim onera gravia et importabilia, et imponis ea in humeros hominum, digito tuo nolens ea movere (*Matth. xxiii, 4*). Dico vobis: Sermo quidem vivus et efficax exemplum est operis, facile persuadens quod intendimus, dum factibile probat esse quod suademus. Pro huiusmodi habeat necesse est etiam manus aromata sua, continentiam in carne, misericordiam in fratre, patientiam in pietate. Unde Apostolus ait: *Sobrie, et iuste, et pie vivamus* (Tit. ii, 12). Hæc enim tria sunt conversationi nostræ maxime necessaria; quoniam primum debemus nobis, secundum proximo, tertium Deo. Nam qui fornicatur, in corpus suum peccat, magno illud privans honore, et pavendo addicens pudendoque dedecori, tollens membrum Christi, et faciens membrum meretricis. Ego autem non ab ea tantum, quæ tam abominabilis est, sed ab omni voluptate carnis continentiam dico. Ante omnia igitur perfectam hanc continentiam

A quære, quam debes tibi ipsi: nemo enim tibi propinquior est. Dehinc adde misericordiam quam debes proximo, quia cum eo salvandus es: deinde etiam patientiam quam debes Deo, quia ab eo salvandus es. *Omnes enim qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur* (II Tim. iii, 12); et: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum* (Act. xiv, 21). Vide ergo ne per impatientiam pereas, sed universa pro eo sustine qui prior majora pro te sustinuit, et apud quem infructuosa patientia non erit, sicut ait Propheta: *Patientia pauperum non peribit in finem* (Psal. ix, 19).

12. Porro hæc manus aromata nummo subjectio nis emuntur. Hæc est enim quæ dirigit gressus nostros, et sanctæ conversationis gratiam promeretur. **B** Nam, si contraria lex inventa est in membris nostris per inobedientiam, quis nesciat per obedientiam continentiam dari? Ipsa quoque est quæ misericordiam ordinare novit, ipsa quæ patientiam et docet et donat. Cum his igitur aromatibus accede ad eum in quo fides mortua est. Verum, si consideremus quam magnum sit ad nos suscitare eum qui huiusmodi est, quam difficile sit vel accedere ad cor ejus, quod lapidea quædam obstinatio et impudentia clausit, puto quod dicere habeamus et nos: *Quis revolvat nobis lapidem ab ostio monumenti?* Attamen, dum sic trepidi veremur accedere, cunctantes ad tam grande miraculum; sit nonnunquam ut solita pietate præparationem cordis nostri audiat auris divina, et ad vocem virtutis ejus resurgat qui erat mortuus. Et ecce angelus Domini, hilaritas quædam in vultu illius, tanquam in ostio monumenti nobis apparet, et fulgor quidam index resurrectionis, ut aperte videatur facies ejus immutata, accessum præbens nobis ad cor suum, imo et advocans, ipsumque obstinationis suæ revolvens lapidem, et sedens super eum: ita ut suscitata fide ipsa, etiam linteamina, quibus obvoluta fuerat, ipse demonstret. Dumque omnia quæ in corde suo prius actitabantur aperit, et confitetur quomodo se ipsum sepelierat intus, ipsam tepiditatem et negligentiam suam prodens: *Venite, inquit, et videte locum ubi positus erat Dominus* (Matth. xxviii, 6).

SERMO III.

D *De mersione Naaman septies in Jordane, deque mundatione septemplex lepræ; et de septem apparitionibus Domini resurgentis, quibus septem dona Spiritus sancti designantur.*

1. Sicut in corporum medicina prius purgationes adhibentur, deinde refectiones, ut scilicet prius **903** exinaniatur corpus ab humoribus noxiis, dehinc cibis sanioribus foveatur: sic medicus animarum Dominus Christus, cuius tota dispensatio, quam exhibuit in carne, medicina salutis est; ante passionem suam septem dedit purgationes, post resurrectionem suam totidem cibos salubres pariter et suaves. Elisæus noster Naaman leprosum septies in Jordane mergi præcepit (*IV Reg. v, 10*), qui interpretatur *descensus*. In descensu namque Domini nostri Jesu Christi, id est in humilitate conversatio-

nis ejus, quam exhibuit ante passionem, mundamur et purgamur; in resurrectione vero et vita quam ostendit quadraginta diebus, reficimur, et delectabilibus pascimur alimentis. Septemplex enim occupavit nos lepra superbæ; in proprietate possessionum, in gloria vestium, in voluptate corporum, in ore quoque dupliciter, similiter et in corde. Prima est lepra domus, qua divites esse volumus in hoc sæculo. Sed ab ista mundamur, si immergimur in Jordane, id est in Christi descensu. Invenimus enim quoniam ille, cum esset dives, propter nos pauper factus est. Descendit ab inenarrabilibus cæli divitiis, et veniens in mundum, nec istas qualescunque divitias habere voluit, sed in tanta paupertate venit, ut natus continuo poneretur in præsepio, quia ei non erat locus in diversorio (*Luc. 11, 7*). Denique quis nesciat quoniam Filius hominis non habebat ubi caput suum reclinaret? Qui bene mergitur hic, quando quæret divitias hujus mundi? Et vere magna absio, et magna nimis, ut dives esse velit vermiculus vilis, propter quem Deus majestatis et Dominus sabaoth voluit pauper fieri.

2. Porro in lepra vestis, omnem sæculi hujus pomposam intellige vanitatem. Nam ab illa nihilominus in Jordanis mersione mundaberis, ubi invenies Christum Domini vilibus pannis involutum, factum opprobrium hominum, et abjectionem plebis. A lepra quoque corporis mundamur in ipso Jordane, si bene cogitantes Dominicam passionem, erubescimus sequi corporis voluptatem. At in ore, ut diximus, duplex est lepra. Cum enim adversi quidquam contigerit, murmuramus, et impatientiæ verbum tanquam lepræ sanies effluit. Sed ab hac mundamur, si illum attendimus, qui tanquam ovis ad occisionem ductus est, et non aperuit os suum (*Isai. LIII, 7*): qui, cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur (*1 Petr. 11, 23*). In prosperis quoque contra eum qui dixit: *Non qui seipsum commendat, ille probatus est (11 Cor. x, 18)*; commendamus nosmetipsos, non in multa patientia, sed in arrogantia: et inquinat nos altera lepra, verbum jactantiæ. Ut ergo mundemur ab illa, mergamur in Jordane, et imitemur eum qui non quærebat gloriam suam. Unde et dæmonia quæ clamabant quia ipse esset Dei Filius, præcipiebat obmutescere (*Luc. 11, 34, 35*); et illuminatos cæcos dicere prohibebat (*Matth. 11, 30*).

3. In corde duplex est lepra; propria voluntas, et proprium consilium. Lepra utraque nimis pessima, eoque perniciosior, quo magis interior. Voluntatem dico propriam, quæ non est communis cum Deo et hominibus, sed nostra tantum: quando quod volumus, non ad honorem Dei, non ad utilitatem fratrum, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere Deo et prodesse fratribus, sed satisfacere propriis motibus animorum. Huic contraria est recta fronte charitas, quæ Deus est. Hæc enim adversus Deum inimicitias exercens est, et guerram crudelissimam. Quid enim odit aut punit Deus

A præter propriam voluntatem? Cesset voluntas propria, et infernus non erit. In quem enim ignis ille desæviet, nisi in propriam voluntatem? Etiam nunc, cum frigus aut famem aut aliquid tale patimur, quid læditur nisi propria voluntas? Quod si voluntarie sustinemus, ipsa jam voluntas communis est; sed infirmitas quædam et velut pruritus voluntatis adhuc de proprio est, et in illo omnes poenas sustinemus, donec penitus consumatur. Nam voluntas illa proprie dicitur, cui assentimur, et cui se liberum inclinat arbitrium. **904** Hæc autem desideria et concupiscentiæ, quæ invitos tenent, non voluntas, sed corruptio voluntatis est. Porro voluntas propria quo furore Dominum majestatis impugnet, audiant et timeant servi propriæ voluntatis. Primo namque B seipsam et subtrahit et subducit ejus dominatui, cui tanquam auctori servire jure debuerat, dum efficitur sua. Sed nunquid contenta erit hac injuria? Nequaquam: addit adhuc et quod in se est, omnia quoque quæ Dei sunt, tollit, et diripit. Quem enim modum sibi ponit humana cupiditas? Nonne qui per usuram acquirit pecuniam modicam, similiter mundum lucrari conaretur universum, si non desset possibilitas, si suppeteret voluntati facultas? Dico fiducialiter: nemini, qui sit in propria voluntate, posset universus mundus sufficere. Sed utinam vel rebus istis esset contenta, ne in ipsum, horribile dictu, desæviret auctorem! Nunc autem et ipsum, quantum in ipsa est, Deum perimit voluntas propria. Omnino enim vellet Deum peccata sua aut vindicare C non posse, aut nolle, aut ea nescire. Vult ergo eum non esse Deum, quæ, quantum in ipsa est, vult eum aut impotentem, aut injustum esse, aut insipientem. Crudelis plane et omnino execranda malitia, quæ Dei potentiam, justitiam, sapientiam perire desiderat. Hæc est crudelis bestia, fera pessima, rapacissima lupa, et læna sævissima. Hæc est immundissima lepra animi, propter quam in Jordane mergi oportet, et imitari eum qui non venit facere voluntatem suam: unde et in passione: *Non mea, inquit, voluntas, sed tua fiat (Luc. xxii, 42)*.

4. Lepra vero proprii consilii eo perniciosior est, quo magis occulta; et quanto plus abundat, tanto sibi quisque sanior esse videtur. Hæc illorum est, qui zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, sequentes errorem suum, et obstinati in eo, ita ut nullis velint consiliis acquiescere. Hi sunt unitatis divisores, inimici pacis charitatis expertes, vanitate tumentes, placentes sibi, et magni in oculis suis, ignorantes Dei justitiam, et suam volentes constituere. Et quæ major superbia, quam ut unus homo toti congregationi iudicium suum præferat, tanquam ipse solus habeat Spiritum Dei? *Idololatriæ scelus est non acquiescere, et quasi peccatum ariolandi repugnare (1 Reg. xv, 23)*. Eant nunc qui se faciunt religiosiores aliis, qui non sunt sicut ceteri hominum. Ecce arioli et idololatræ facti sunt, si tamen vel ei qui dixit hoc, plus quam sibi iudicant esse credendum. Neque huic dissonat Veritatis sermo, quem

dixit: *Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (*Matth. xviii, 17*). Sed ubi poterit hæc lepra mundari, nisi in Jordane? Ibi mergere, quicumque hujusmodi es, et attende quid fecerit magni consilii angelus, quomodo consilium suum postposuerit consilio, vel magis voluntati mulieris unius: beatam Virginem loquor; et fabri pauperis; ipse est Joseph. Inventus enim in medio doctorum, audiens eos et interrogans, quodammodo increpatus a Matre est: *Fili, quid fecisti nobis sic?* At ille: *Quid erat, inquit, quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? At illi non intellexerunt verbum.* Et quid fecit Verbum? Non capiebatur in se: *descendit, ita ut esset etiam subditus illis* (*Luc. ii, 46-51*). Quis jam non erubescat obstinatus esse in consilio suo, quando suum Sapientia ipsa deseruit? Sic mutavit consilium suum, ut quod jam tunc cœperat, extunc usque ad tricesimum ætatis suæ annum prorsus dimiserit. Nihil enim ab hoc duodecimo anno de ejus doctrina vel operibus invenis usque ad annos triginta.

5. Sed forte quærendum ab ipso est quomodo voluntatem suam consiliumve reliquerit. O Domine, voluntas, de qua dixisti ut non fieret, si bona non erat, quomodo tua erat? si bona erat, quare derelicta est? Sic et consilium si non bonum, quomodo tuum? si bonum, quomodo relinquendum? Et bona erant, et ejus erant: neque minus tamen relinquenda, ob hoc videlicet ut fierent meliora. Neque enim oportebat propria præjudicare communibus. Erat ergo voluntas Christi, et bona erat, quæ dicebat: *Si fieri potest, transeat a me calix iste* (*Matth. xxvi, 59*). Sed ea de qua dicebat: *Fiat voluntas tua* (*Luc. xxii, 42*), melior erat; quia communis non solum Patris, sed et Christi ipsius (oblatus est enim, quia ipse voluit), et nostra. Nisi enim granum frumenti cadens in terram mortuum esset, ipsum solum maneret; mortuum vero multum fructum attulit. Atque hæc voluntas Patris erat, ut videlicet haberet quos adoptaret in filios; Christi erat, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus; nostra erat, quia pro nobis faciebat ut redimeremur. De consilio idem dicimus. Christi enim erat, et bonum erat consilium illud quod ait: *Quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse.* Sed quia illi non intellexerunt, mutavit illud consilium, ut nos mun-

Adaret ab ea lepra, quæ proprii consilii est. Exemplum enim dedit nobis, ut et nos ita faciamus. Nam ab initio noverat quid esset factururus: sed voluit formam nobis hujus humilitatis exhibere, et ad lavandam pessimam hanc lepram divinum in se ipso parare Jordanem. Audiant igitur utrique pariter, qui propriæ voluntatis, et qui proprii consilii lepra sordent: audiant quid Spiritus dicat Ecclesiis, brevi uno versiculo lepram utramque condemnaans: *Sapientia, ait, quæ desursum est; primum quidem pudica est, contra propriæ voluntatis impuritatem; deinde pacifica* (*Jac. iii, 17*), contra consilii proprii obstinatam rebellionem.

6. Cum ab his septem purgatus fuerit æger, tanquam post septem cellas quærat septem fercula, quæ sunt septem Spiritus sancti dona. Porro, sicut in vita Domini ante passionem septem purgationes invenimus, sic et in apparitionibus septem quæ post resurrectionem factæ leguntur, septem illa dona Spiritus sancti possumus invenire. In prima spiritum timoris accipe, quando mulieribus sanctis venientibus descendit angelus de cælo, et terræmotus factus est, ita ut ipsas timore perterritas oportuerit ab angelo consolari (*Matth. xxviii, 2-10*). In spiritu pietatis apparuit Simoni (*Luc. xxiv, 34*), quia magna omnino, et vere Domino Jesu digna pietatis dignatio, quod ei quasi singulariter et ante cæteros dignatus est apparere, quem præ cæteris de negatione ejus rea conscientia confundebat, ut ubi abundavit delictum, superabundaret et gratia. In spiritu scientiæ duobus pergentibus in Emmaus Scripturas exposuit, incipiens a Moyse et prophetis (*ibid. 27*). In spiritu fortitudinis januis clausis intravit, ostendens manus et latus (*Joan. xx, 19, 20*), sicut solent in signum virtutis clypeorum foramina demonstrari. In spiritu consilii frustra in piscatione laborantes mittere in dexteram rete consuluit (*Joan. xxi, 6*). In spiritu intellectus aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas (*Luc. xxiv, 45*). In spiritu sapientiæ die quadragesima apparuit eis, quando videntibus illis elevatus est (*Act. i, 9*), et viderunt Filium hominis ascendentem ubi erat prius. Usque ad illam enim diem quasi per stultitiam prædicationis salvos faciebat credentes; postquam vero coram eis ascendit ad Patrem, jam cœpit sapientia declarari.

IN OCTAVA PASCHÆ.

SERMO I.

De fide vincente, et tribus testimonis in cælo et in terra. (1 Joan. v, 4-11)

1. *Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum.* Postquam Unigenitus Dei non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, hominis quoque dignatus est fieri filius, et habitu inventus ut homo, non immerito jam de cœlesti generatione exiguitas humana præsumit. Neque enim indignum est Deo, eorum fieri

patrem, quorum se Christus fecerit fratrem. Hinc est quod beatus Joannes (qui sæpius nobis ac studiosius hanc commendat adoptionem filiorum Dei) in ipso quoque Evangelii sui principio: *Quotquot, inquit, receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan. i, 12*). Huic ergo verbo simile est quod audivimus hodie de 906 ejus Epistola recitari: *Omne, inquit, quod natum est ex Deo, vincit mundum.* Quotquot enim sunt Christi, cum Christo eos mundus odit; sed cum Christo superatur pariter et

ab ipsis. *Nolite, ait, mirari si odit vos mundus: scitote quia priorem me vobis odio habuit (Joan. xv, 18). Et item: Confidite, inquit, quia ego vici mundum (Joan. xvi, 33). Sic nimirum manifesta sit sermonis illius veritas, quem ait Apostolus: Quos præscivit, inquit (haud dubium quin Deus Pater), et prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui (Rom. viii, 29). Vide conformationem. Post ipsum adoptantur, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus; post ipsum odit mundus eos; post ipsum et ab eis vincitur mundus.*

2. Bene ergo quod natum est ex Deo, vincit mundum, ut sit testimonium cælestis generationis victoria tentationis: et sicut is qui filius est per naturam, mundum cum suo principe triumphavit, sic et nos victores inveniamur quotquot sumus filii adoptionis. Victores sane, sed in ipso, qui confortat nos, in quo et possumus omnia: quia hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Fide siquidem in Dei filios adoptamur: fidem in nobis mundus in maligno positus odit atque persequitur; fide quoque et vincitur, sicut scriptum est: *Sancti per fidem vicerunt regna (Hebr. xi, 33). Quidni attribuat fidei victoria, cuius est etiam vita? Justus, inquit, ex fide vivit (Rom. i, 17). Quoties ergo tentationi resistis, quoties vincis malignum, noli propriis tribuere viribus; noli in te, sed magis in Domino gloriari. Quando enim fortis ille armatus tuæ cederet infirmitati? Audi denique quid Dominici constitutus pastor ovilis admoncat: *Adversarius, inquit, vester diabolus, tanquam leo rugiens, circumit querens quem devoret; cui resistite fortes in fide (1 Petr. v, 8, 9). Vides quemadmodum sibi veritatis testimonia concinant. Paulus fide regna vlcisse sanctos; Petrus principi mundi resistendum in fide; Joannes quoque: *Hæc est, inquit, victoria quæ vincit mundum, fides nostra.***

3. Sequitur: *Quis enim est qui vincit mundum, nisi qui credit quoniam Jesus est Filius Dei?* Certum id quidem, fratres, omnem qui non credit in Filium Dei, ex hoc ipso jam non modo victum esse, sed etiam judicatum. Sine fide enim impossibile est placere Deo (Hebr. xi, 6). Verumtamen potest forte movere, quod tam multos videmus credentes Jesum Filium Dei esse, adhuc tamen mundi nihilominus cupiditatibus irretitos. Quid ergo ait: *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quia Jesus est Filius Dei,* cum et ipse jam mundus id credat? An non ipsi quoque dæmones et credunt, et contremiscunt? Sed dico: Putasne, Filium Dei reputat Jesum, quisquis ille est homo qui ipsius nec terretur comminationibus, nec attrahitur promissionibus, nec præceptis obtemperat, nec consiliis acquiescit? Nonne is, etiamsi fateatur se nosse Deum, factis tamen negat? Porro fides sine operibus mortua est in semetipsa (Jac. ii, 20). Nec sane mirum videri potest si nequamquam vincit, qui nec vivit quidem.

4. Quæris quænam sit vivida et victoriosa fides? Illa sine dubio per quam Christus habitat in cordi-

bus nostris. Christus enim et virtus est, et vita nostra. *Cum Christus apparuerit vita vestra,* ait Apostolus, *tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria (Coloss. iii, 4).* Unde gloria, nisi de victoria? aut quare cum ipso apparebimus, nisi quia in ipso et vincimus? Denique, si his tantum data est potestas filios Dei fieri qui suscipiunt Christum, de his quoque solis intelligendum est quod dicitur: *Omnis qui natus est ex Deo, vincit mundum.* Inde est quod hic quoque cum dixisset: *Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quia Jesus est Filius Dei?* ut planius faceret eam commendari fidem per quam, ut dictum est, Christus in cordibus nostris habitat, addidit continuo de ipsius adventu, dicens: *Hic est qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus.* Adhuc autem supereminentiorem viam ostendens: *Et Spiritus est,* inquit, *qui testificatur quoniam Jesus est Filius Dei.* Sane quod interponit, signanter repetens: *Non in aqua solum, sed in aqua et sanguine,* ad Moysi differentiam arbitror accipiendum. Moyses siquidem in aqua venit, a qua et nomen accepit ut Moyses vocaretur.

5. Recolant quibus nota est historia Veteris Testamenti, quemadmodum in Ægypto, dum parvuli omnes Israeliici germinis necarentur, expositum in aquis Moysen tulerit filia Pharaonis (Exod. ii, 3). Et vide si non manifeste Christi et in hoc ipso videtur præcessisse figura. Simili nempe cum Pharaone etiam Herodes suspicione laborans, ad eadem conversus est crudelitatis argumenta, sed eodem modo est ipse delusus (Math. ii, 16). Utrobique pro unius suspecta persona trucidatur numerositas puerorum: utrobique qui quærebatur evadit. Et quomodo Moysen filia Pharaonis, ita Christum quoque Ægyptus (quæ non immerito Pharaonis intelligitur filia) suscepit conservandum. Manifeste tamen plus quam Moyses hic, utpote qui venerit non in aqua tantum, sed in aqua et sanguine. Aquæ enim multæ, populi multi (Apo. xvii, 15). Venit ergo in aquæ tantum, qui congregavit quidem populum, sed populum non redemit. Nam et ipsa quoque de servitute Ægyptia liberatio, non Moysi, sed Agni sanguine facta est, liberandos nos præfigurans a vana nostra conversatione hujus sæculi, sanguine Agni immaculati Christi Jesu. Hic est verus legifer noster, apud quem copiosa est redemptio. Mortuus est enim non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui dispersi erant, congregaret in unum. Memento sane hunc esse Joannem, qui vidit, et testimonium perhibuit (et scimus quia verum est testimonium ejus), exiisse de latere Domini dormientis in cruce sanguinem simul et aquam: quo videlicet dormienti novo Adæ nova de latere suo proferretur pariter et redimeretur Ecclesia.

6. Sic ergo hodie quoque ad nos per aquam et sanguinem venit, ut sit aqua et sanguis testimonium adventus ejus, fideique victricis. Non solum autem, sed testimonium est majus his, quod perhibet Spiritus veritatis. Horum trium testimonium verum certumque est, et felix anima quæ meretur illud acci-

pere. *Tres enim sunt qui testimonium dant in terra*; A *Spiritus, aqua, et sanguis*. In aqua quidem baptismum intellige, in sanguine martyrium, in Spiritu charitatem. Spiritus enim est qui vivificat; et fidei vita, dilectio. Denique, si queris quid Spiritui et charitati, respondeat Paulus: *Quia charitas Dei diffusus est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (Rom. v, 5). Necessario quoque Spiritus additur aquæ et sanguini, cum, eodem Apostolo teste, sine charitate quidquid habeas, nihil prosit (1 Cor. xiii, 1-3).

7. Jam vero quia baptismum aqua, martyrium diximus sanguine designari; memento et unicum et quotidianum esse baptismum, similiter et martyrium. Est enim martyrii genus et quædam effusio sanguinis in quotidiana corporis afflictione. Est et baptis- B mus aliquis in compunctione cordis et lacrymarum assiduitate. Sic quippe infirmis et pusillis corde necesse est, ut quem semel pro Christo ponere non sufficiunt, saltem mitiori quodam, sed diuturniori martyrio sanguinem fundant. Sic et baptismi sacramentum, quoniam iterari non licet, his qui sæpius in multis offendunt, frequenti oportet ablutione suppleri. Unde et Propheta: *Lavabo, inquit, per singulas noctes lectum meum; lacrymis meis stratum meum rigabo* (Psal. vi, 7). Vis ergo nosse quis est qui vincit mundum? Quæ in eo vincenda sunt diligentius intueri. Siquidem et hoc ipsum beatus iste Joannes indicat, dicens: *Charissimi, nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt*. C *Omne enim quod in mundo est, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, et ambitio sæculi* (1 Joan. ii, 15, 16). Hæ sunt tres turmæ quas fecerunt Chaldæi (Job. i, 17). Sed memini quoque sanctum Jacob fecisse tres turmas, cum timeret a facie Esau, rediens de Mesopotamia (Gen. xxxii, 7). Et vobis ergo adversus triplex genus tentationis triplici opus est munimento: ut carnis quidem concupiscentia ipsius mortificatione vincatur, quam, si meministis, in sanguinis testimonio diximus intelligendam; oculorum vero concupiscentiam superet studium compunctionis et assiduitas lacrymarum; 908 porro ambitionis vanitatem virtus charitatis excludat, quæ sola castificat animam, sola purgat intentionem. Certum quippe triumphati mundi testimonium est, si corpus castiges et subicias servituti, ne perniciose libertate serviat voluptati; si fletui præbeas oculos magis, quam petulantix vel curiositati; si denique, spirituali dilectione flagrans, nulli animum dederis vanitati.

8. Merito sane unus est qui in terra pariter et in cælo testimonium perhibet Spiritus; quia sive corporis afflictio cessabit, sive lacrymarum fons exsiccabitur; sed charitas nunquam excidit. Prælibatio quædam est in præsentem, consummatio et plenitudo in futuro manet. Veruntamen licet maneat post aquam et sanguinem Spiritus (aqua quippe et sanguis regnum Dei non possidebant), interim tamen aut vix aut nullo modo invenire est Spiritum sine

illis, quoniam *hi tres, inquit, unum sunt: ut, quolibet ex his tribus deficiente, adesse cætera non præsumas*. Simul vero juncta testimonia ista credibilia facta sunt nimis, nec poterit cui in terris suppetunt hæc, carere testimonio vel in cælis. Constat Dei Filium coram hominibus non verbo, neque lingua, sed opere et veritate: et Filius quoque confitebitur eum coram angelis Dei. An vero ei deesse poterit in testimonio Pater, cui Filium videat attestantem? Sine dubio confitebitur et ipse quod viderit in abscondito. Sed neque Spiritus quidem a Patre Filioque dissentiet; quippe qui Patris Filioque sit Spiritus Denique quoniam modo careat testimonio ejus in cælo, qui habere illud meruit et in terra? *Tres ergo sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus*. Et ne quam forte dissonantiam suspiceris, *hi tres unum sunt*. Magnum profecto habituri sunt testimonium, quos in cælo Pater susceperit tanquam filios et hæredes, Filius asciverit tanquam fratres et cohæredes, Spiritus sanctus adhærentes Deo unum spiritum faciat esse cum eo. Est enim Spiritus ipse indissolubile vinculum Trinitatis, per quem sicut Pater et Filius unum sunt, sic et nos unum simus in ipsis, eo miserante, qui pro discipulis hoc ipsum orare dignatus est, Jesu Christo Domino nostro.

SERMO II.

De tribus testimoniis. (1 Joan. v, 4-11)

1. Ex Epistola beati Joannis hodie nobis est lectio recitata, in qua discimus testimonium dari triplex in cælo, triplex in terra. Et quidem pro meo sapere, illud stabilitatis, hoc reparationis est signum; illud angelos, istud homines; illud beatos a miseris, istud justos discernit ab impiis. Angelis siquidem qui in prima illa prævaricatione, superbe Luciferi, in veritate steterunt, merito testimonium perhibet visio Trinitatis: hominibus, quos divina miseratio salvat, Spiritus, aqua, et sanguis. Quidni perhibeat testimonium Pater, a quibus honoratus est ut Pater? Tibi vero, maligne, sic loquitur: *Si ergo ego Pater, ubi est honor meus?* (Malach. i, 6.) Careas omnino necesse est testimonio Patris, cujus tibi gloriam usurpare conaris, non honorare eum cupiens, sed æquare. *Sedebo, inquit, in monte testamenti; et similis ero Altissimo* (Isai. xix, 14). Itane modo creatus, Patri spirituum consedebris? Et certe necdum tibi dixit: *Sede a dextris meis* (Psal. cix, 1). Si nescis, o impudens, Unigenitus ille est, cui æterna generatione Patris æqualitas collata est et concessus. Tu rapinam cogitans esse æqualis Deo, Filio gloriam invidens, gloriam quasi unigeniti a Patre, ut ne ab ipso quidem testimonium merearis habere. An vero poterit detestato a Patre et Filio, utriusque Spiritus attestari? Abominatur superbum profecto et inquietum, qui super quietum et humilem requiescit amator pacis et unitatis consecrator, adversum te pro pace et unitate zelatur.

2. Quid mirum, fratres, si timemus ne forte pusillam 909 hanc vincam Domini depasci singularis

ferus incipiat? Quantos enim cœlestis vineæ palmitum prima illa singularitas conculcavit? Sed forte superbiam quidem in eo facile advertistis, non autem singularitatem. Dico ergo: Ubi stabat universitas aëlorum, nunquid caruit singularitatis vitio, qui sedere velle præsumpsit? At forte quæritis, unde mihi nota sit hæc statio angelorum? Duos teneo idoneos testes, quorum uterque quod vidit, hoc testatur. *Vidi Dominum sedentem*, ait Isaias; *seraphim autem stabant* (Isai. vi, 1, 2). Et Daniel: *Milia*, inquit, *militum ministrabant ei, et decies milites centena milia assistebant ei* (Dan. vii, 10). An et tertium desideratis, ut in ore trium testium stet omne verbum? Apostolum profero, qui usque ad tertium raptus est cœlum, et rediens loquebatur: *Nonne omnes administratorii sunt spiritus?* (Hebr. 1, 14.) Siccine ubi stant omnes, universi ministrant; tu, pacis inimice, sedebis? Plane contristas Spiritum, qui habitare facit unius moris in domo; offendis charitatem, quia scindis unitatem, rumpis vinculum pacis. Merito proinde angelorum, qui suum nec ordinem, nec domicilium reliquere, charitati, unitati et paci Spiritus attestatur, a quo sane tua et invidia, et singularitas, et inquietudo reprobat. Et hæc quidem de eo testimonio, quod datur in cœlis.

3. Est et aliud quod datur in terra, ad discernendos utique qui in ea sunt exsules ab indigenis, hoc est cœli cives a civibus Babylonis. Quando enim sine testimonio electos suos deserat Deus? Aut certe quam eis esse poterat consolatio inter spem et metum sollicitudine anxia fluctuantibus, si nullum omnino electionis suæ habere testimonium mererentur? Novit Dominus qui sunt ejus; et solus ipse scit quos elegerit a principio. Quis vero scit hominum, si est dignus amore, an odio? Quod si, ut certum est, certitudo nobis omnino negatur, nonquid non tanto delectabiliora erunt, si qua forte electionis hujus signa possimus invenire? Quam enim requiem habere potest spiritus noster, dum prædestinationis suæ nullam adhuc testimonium tenet? Fidelis proinde sermo, et omni acceptione dignus, quo salutis testimonia commendantur. Hoc sane verbo et electis consolatio ministratur, et subtrahitur reprobis excusatio. Cognitis siquidem signis vitæ, quisquis hæc negligit, manifeste convincitur in D

A vano accipere animam suam, et pro nihilo habere terram desiderabilem comprobatur.

4. *Tres sunt*, inquit, *qui testimonium dant in terra: Spiritus, aqua, et sanguis*. Scitis, fratres, quia in primo homine peccavimus omnes, in ipso etiam cecidimus universi. Cecidimus sane in carcerem, luto pariter et lapidibus plenum. Exinde jacebamus captivi, inquinati, conquassati, donec venit desideratus gentium, qui nos redimeret, ablueret, adjuvaret. Illic est enim qui sanguinem proprium dedit in redemptionem, aquam simul produxit de latere suo in ablutionem, emisit deinde de excelso Spiritum suum, qui adjuvaret infirmitatem nostram. Vis ergo nosse an hæc aliquid operentur in te, ne forte reus sis sanguinis Domini, quem evacuas quantum in te est; sed et aqua ipsa quæ debuerat mundare, in sordibus permanenti iudicium damnationis accumulet: Spiritus quoque, cui resistis, non liberet maledicum a labiis suis? Cavendum enim est ne sint tibi hæc infructuosa, quia necessario essent pariter et damnosa.

5. Quis est autem qui testimonium habet effusi non sine causa sanguinis Christi, nisi qui continet a peccatis? Servus enim peccati est, qui peccatum facit: ut si deinceps continere potuerit, et jugum abjicere miseræ servitutis, certissimum sit testimonium redemptionis, quam operatur sine dubio sanguis Christi. Verum non sufficit peccatori continentia, si non etiam adsit pœnitentia. Habet ergo et ab aqua testimonium, qui laborat in gemitu suo lavans per singulas noctes lectum suum. Sicut enim sanguis ille redemit, ut non regnet peccatum in nostro mortali corpore; sic aqua illa abluat ab his peccatis, quæ commisimus 910 ante. Sed quid erit, quod longo catenarum usu et carceris habitatione crudeli contracti sumus, atque collisi defecimus in via vitæ? Invocemus Spiritum vindicatorem et adiutorem, confidentes quia dabit Pater qui est in cœlis, spiritum bonum petentibus se. Sane novum supervenisse spiritum certissime conversatio nova testatur. Jam ut breviter repetam, a sanguine, et aqua, et spiritu habere est testimonium, si contines a peccatis, si dignos agis pœnitentiæ fructus, si facis opera vitæ.

IN ROGATIONIBUS.

SERMO

De trivis panibus. (Luc. xi, 5-10.)

1. *Quis vestrum habebit amicum*, etc. Quid est quod amicum unum perhibet advenisse, nec tamen contentus est quærere panem unum? Putasne tam vociferam æstinabat amicum, ut non posset uni sufficere panis unus? Nam uni quidem tres apponere panes, inconsequens omnino videtur. Puta ergo cum uxore et mancipio hominem advenisse, ut suorum cuique panem apponere velit amicis. Ego quidem

amicum venientem ad me, non alium intelligo, quam meipsum. Nemo quippe charior mihi, nemo germanior est. Ad me ergo de via venit amicus, cum transitoria deserens, ad cor redeo, sicut scriptum est: *Redite, prævaricatores, ad cor* (Isai. xlvi, 8). Deinde tunc vere sibi quisque amicus est, cum de via redit; quoniam qui diligit iniquitatem, odit animam suam. A die itaque conversionis meæ de via

ad me venit amicus. Venit de regione longinqua, ubi pasceri porcos, et ipsorum siliquas insatiabiliter gurgurire solebat. Venit fame laborans, confectus inedia, attenuatus jejunio. Venit necesse habens invenire amicum; sed, heu me! pauperem elegit hospitem, et vacuum ingreditur habitaculum. Quid faciam huic amico misero et miserabili? Omnino enim non habeo quod ponam ante illum. Fateor, amicus est, sed ego mendicus. Quid venisti ad me, amice, in necessitate tanta? Ego sum mendicus, et non est in domo mea panis. Festina, inquit, discurre, suscita amicum tuum illum magnum, quo majorem dilectionem nemo habet, sed neque substantiam amplio-rem. Quære, pete, pulsa; quia *omnis qui quærit invenit, et qui petit accipit, et pulsanti aperietur*. Clama, et dic: *Amice, commoda mihi tres panes*.

2. Qui sunt isti panes, fratres? Utinam mereamur accipere eos! Forte enim et ipsos nemo scit, nisi qui accipit. Credo tamen petendos nobis esse

A tres panes, veritatis, charitatis, fortitudinis. His tribus egere me fateor, veniente ad me amico de via, veniente autem, ut dixi, cum uxore et mancipio. Deficit quippe ratio mea (ipse est enim vir) præ ignorantia veritatis; languet et voluntas præ inedia affectionis; infirmatur caro præ inopia fortitudinis. Nam et ratio minus intelligit quæ agenda sunt, et voluntas minus diligit intellecta, et ad hæc etiam corpus quod corrumpitur, aggravat animam, ut non quæcunque volumus, illa faciamus. Aruit cor meum, etiam et corpus meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Neque enim paterer hunc defectum, si jugiter exercitata esset ratio in inquisitione veritatis, voluntas in desiderio charitatis, caro in operatione virtutis. Commoda ergo mihi, amice, tres panes, ut intelligam, ut diligam, ut faciam voluntatem tuam. Sic enim vivitur, et in talibus vita spiritus mei, dicente Scriptura: *Quoniam vita in voluntate ejus* (Psal. xxxix, 6).

IN ASCENSIONE DOMINI.

SERMO I.

De evangelica lectione. (Marc. xvi, 14-20.)

1. *Recumbentibus undecim discipulis apparuit illis Jesus* (Marc. xvi, 14). Apparuit vere benignitas et humanitas Salvatoris. ¶ Multam enim fiduciam præstat, quod libentius adsit orationi incumbentibus, quando nec recumbentibus quidem dedignatur adesse. Apparuit, inquam, benignitas ejus, qui cognovit signum nostrum, nec dedignatur necessitates nostras, sed miseretur, si tamen curam carnis non in desiderio facimus, sed in necessitate. Quod considerans idem Apostolus: *Sive manducamus, inquit, sive bibimus, sive aliquid aliud facimus, omnia in gloriam Domini faciamus* (1 Cor. x, 31). Potest tamen quod recumbentibus apparuit, ad id quoque referri, quod alibi calumniantibus Judæis adversus discipulos non jejunantes: *Non possunt, inquit, filii sponsi lugere, quandiu cum eis est sponsus* (Matth. ix, 15). Sequitur: *Et exprobravit incredulitatem illorum, et duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt*. Audis Christum discipulos increpantem, imo (quod durius sonat) etiam exprobrantem, nec quandocunque, sed ea hora, qua eis corporalem præsentiam subtracturus (44), videri poterat magis ab increpatione parcere debuisse. Noli ergo inquiri de cætero, si te quoque aliquando Christi vicarius increpaverit. Id enim exhibet, quod ascensurus ab eis in cælum, suis Christus legitur exhibuisse discipulis. Sed quid est, fratres, quod dicit: *His qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt*? Aut qui fuere, quorum beati oculi gloriosum resurrectionis Dominicæ meruerunt videre

C miraculum? Neque enim resurgentem illum quicumque legitur, aut creditur vidisse mortalium. Restat ergo de angelis accipiendum, quibus utique resurrectionis testimonium perhibentibus, apostolorum pusillanimitas hæsitavit.

2. Jam vero ut faciat quod scriptum est: *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me* (Psal. cxviii, 66); visitationis gratiam, exprobrationis censuram, prædicationis quoque doctrina sequatur, et dicat: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit salvus erit*. Sed quid ad hæc dicemus, fratres? Magna nimis videtur sæcularibus hominibus in hoc verbo data fiducia, vereorque ne dare eam incipiant in occasionem carnis, blandientes sibi plus quam oporteat sine operibus de baptismo et credulitate. Verum tamen consideremus quod sequitur: *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur*. Nec minor fortasse videbitur ipsis quoque religiosi ex hoc verbo provenire desperatio, quam ex verbo priore vanæ spei data sæcularibus occasio videretur. Quis enim ea, quæ in præsentī loco scripta sunt, signa videtur habere credulitatis, sine qua nemo poterit salvari, quoniam *qui non crediderit, condemnabitur*; et: *Sine fide impossibile est placere Deo* (Hebr. xi, 6.)! Quis, inquam, dæmonia ejicit, linguis novis loquitur, serpentes tollit? Quid ergo? Si nemo hæc habet, aut perpauci nostris videntur habere temporibus; aut nemo salvabitur, aut hi soli qui his muneribus gloriantur, quæ non tam merita sunt quam indicia meritorum: adeo ut multi dicentes: *Nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus?* audire habeant in judicio: *Neccio*

(44) Idem sentit Gregorius Magnus, homilia 29 in Evangelia: tametsi increpatione aliquot diebus ascen-

sionem præcessit ex Lucæ cap. xxiv. Consulo interpretes.

ros; *discedite a me, operarii iniquitatis* (*Matth. vii, 22, 23*). Ubi est, quod ait Apostolus, cum de justo iudice loqueretur: *Qui reddet unicuique juxta opera sua* (*Rom. ii, 6*); si, quod absit! quærenda sunt in iudicio signa potius quam merita?

3. Sunt tamen et ipsa merita signa quædam, certiora ulique et salubriora. Nec difficile arbitror nosse, quemadmodum intelligi signa possint præsentia, ut sint indubitata signa credulitatis, ac per hoc et salutis. Primum enim opus fidei per dilectionem operantis, cordis compunctio est, in qua sine dubio efficiuntur dæmonia, cum eradicantur e corde peccata. Exinde qui in Christum credunt, linguis loquuntur novis, cum jam recedunt vetera de ore eorum, nec de cætero vetusta proparentum lingua loquuntur, declinantium in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Ubi vero compunctione cordis et oris confessione priora sunt deleta peccata, ne recidivam patiantur, et jam sint posteriora pejora prioribus, **912** serpentes tollant necesse est, id est, ut venenatas suggestiones extinguant. Quid tamen agendum, si qua forte radix pullulat, quæ tam velociter nequeat extirpari, sed stimulat animum concupiscentia carnis? *Profecto si mortiferum quid biberint, non eis nocebit*; quoniam juxta Salvatoris exemplum, cum gustaverint, nolent bibere, id est cum senserint, nolent consentire. Sic enim non eis nocebit (quia nulla damnatio est his qui sunt in Christo Jesu) concupiscentiæ sensus absque consensu. Quid tamen? Molesta certe et periculosa est sic corruptæ et infirmæ affectionis lucta; sed *qui crediderint, super ægros manus imponent, et bene habebunt*, id est ægras affectiones bonis operibus operient, et hoc remedio curabuntur.

SERMO II.

Quomodo ascendit super omnes cælos, et adimplet omnia.

1. Solemnitas ista, fratres charissimi, gloriosa est, et, ut ita dicam, gaudiosa, in qua et singularis Christo gloria, et nobis specialis lætitia exhibetur. Consummatio enim et adimpletio est reliquarum solemnitatum, et felix clausula totius itinerarii Filii Dei. Qui enim descendit, ipse est et qui ascendit hodiernæ die super omnes cælos, ut adimpleret omnia (*Ephes. iv, 10*). Jam enim cum se dominum universorum, quæ sunt in terra et in mari et in inferno, probasset, non restabat, nisi ut aeris et cælorum se esse dominum argumentis similibus, vel certe potioribus comprobaret. Terra enim cognovit Dominum, quia ad vocem virtutis ejus, cum clamasset magna voce: *Lazare, veni foras* (*Joan. xi, 43, 44*), mortuum reddidit. Cognovit mare, quia solidum se præbuit sub pedibus ejus, ita ut apostoli eum putarent phantasma esse (*Matth. xiv, 25, 26*). Cognovit infernus, cujus ipse portas æreas et vectes ferreos confregit (*Psal. cvi, 16*), ubi et ligavit illum insatiabilem homicidam, qui vocatur diabolus et Satanus (*Apoc. xii, 9; xx, 2*). Profecto

A qui mortuos suscitavit, leprosos mundavit, cæcos illuminavit, claudos firmavit, et omnes exsufflavit infirmitates, dominus omnium fuit, et eadem manu qua fecerat, quæ defecerant reficiebat. Sic et qui in ore piscis cum ipso pisce staterem invenire prædixit (*Matth. xvii, 26*), patet procul dubio, quia maris et omnium quæ in mari moventur, dominus fuit. Qui vero traduxit æreas potestates, et affixit eas cruci suæ, claret quia super infernales officinas potestatem accepit. Hic est enim qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo (*Act. x, 38*), qui stetit in loco campestri ut doceret turbas; ante præsidem, ut alas sustineret; toto tempore quo in terris visus est, et cum hominibus conversatus, in laboribus multis stans, et operans salutem in medio terræ.

2. Ad claudendam igitur tunicam tuam inconsultem, Domine Jesu, ad perficiendam fidei nostræ integritatem, restat, ut videntibus discipulis per medium aeris, sicut aeris dominus ascendas super omnes cælos. Extunc probabitur, quia Dominus universorum tu es, quia omnia in omnibus adimplesti, et jam tibi profecto debetur, ut in nomine tuo omne genu flectatur, cælestium, terrestrium et infernorum; et omnis lingua confiteatur quia tu es in gloria, et in dextera Patris (*Philipp. ii, 10, 11*). In hac dextera sunt delectationes usque in finem: et ideo monet Apostolus, ut quæramus quæ sursum sunt, ubi Christus est in dextera Dei sedens (*Coloss. iii, 1*); quia illic profecto thesaurus noster est Jesus Christus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Coloss. ii, 3, 9*).

3. Quid tamen putatis, fratres, quantus dolor et timor irruerit apostolica pectora, cum eum viderunt a se tolli, et attolli in aera, non scalis adjutum, non sublevatum funibus; etsi angelice comitatum obsequio, non tamen sultum auxilio, sed gradientem in **913** multitudine fortitudinis suæ? Impletum est quod eis dixerat: *Quo ego vado, vos non potestis venire* (*Joan. xiii, 35*). Quocumque enim terrarum iisset, eum indivisibiliter sequerentur; mare, sicut Petrus fecit aliquando (*Matth. xiv, 29*), cum eo etiam submergendi intrarent; sed hac sequi non poterant, quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (*Sap. ix, 15*). Dolor ergo nimis erat, quia videbant illum, propter quem omnia reliquerant, a suis sensibus et aspectibus tolli, ut non possent ablato a se sponso, filii sponsi non lugere: timor quia orphani relinquebantur in medio Judæorum, pondum confirmati virtute ex alto. Benedicere ergo eis ferebatur in cælum, forte concussis illius singularis misericordiæ visceribus, cum miseros suos et pauperem suam scholam relinqueret; nisi quod veniebat parare eis locum, et quia expediebat ut præsentiam eis subtraheret corporalem. Quam felix, quam digna ista processio! ad quam ne ipsi quidem adhuc apostoli digni fuerunt admitti, cum

et auiuarum sanctarum, et cœlestium virtutum triumphali pompa deductus ad Patrem, sedet a dextris Dei. Nunc vere adimplevit omnia quia natus est inter homines, cum hominibus conversatus est, ab hominibus et pro hominibus passus et mortuus est, resurrexit, ascendit, sedet ad dexteram Dei. Agnosco tunicam desuper contextam per totum, quam superna illa mansio claudit: ubi adimpletus est, et adimplevit omnia Dominus Jesus Christus.

4. Verumtamen quid mihi et solemnitatibus istis? Quis me consolabitur, Domine Jesu, quia te non vidi in cruce suspensum, plagis lividum, pallidum morte; quia non sum crucifixo compassus, obsecutus mortuo, ut saltem lacrymis meis loea illa vulnerum delinirem? Quomodo me dereliquisti insalutatum cum formosus in stola tua rex gloriæ in alta ecclorum te recepisti? Prorsus renuisset consolari anima mea, nisi me angell in voce exultationis prævenissent, qui dixerunt: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidisti eum euntem in cœlum (Act. 1, 11)*. Sic, inquit, veniet. Ergone veniet quærere nos in illa tam singulari quam universali processione, cum præcedentibus omnibus angelis et subsequentibus hominibus universis, descendet iudicare vivos et mortuos? Procul dubio veniet; sed quomodo ascendit, non quomodo ante descendit. Humilis enim prius venit animas salvare; sublimis autem veniet cadaver istud resuscitare, et configurare corpori claritatis suæ, ut infirmiori huic vasculo abundantioram impendere videatur honorem. Tunc enim videbitur cum potestate magna et majestate, qui prius in infirmitate carnis latuerat. Intuebor et ego eum, sed non modo; videbo eum, sed non prope: ita ut hæc secunda glorificatio priori glorificationi propter excellentem gloriam manifeste præluceat.

5. Interim manipulus primitiarum nostrarum Christus oblatas est, ad dexteram Patris assumptus, et assistit nunc vultui Dei pro nobis. Sedet autem, habens in dextera misericordiam, in sinistra iudicium; et misericordiam multam nimis, et iudicium multum nimis; in dextera aquam, in sinistra ignem immobiliter tenens. Et quidem corroboravit misericordiam super timentes se secundum altitudinem cœli a terra (*Psal. cii, 8, 11*), ut majores cumulos miserationum Domini sentiant, quam sit spatii inter cœlum et terram. Propositum namque Dei super illos manet immobile: et misericordia hæc [*alias, Domini*] ab æterno et usque in æternum super timentes eum; ab æterno per prædestinationem, in æternum per glorificationem. Similiter et in reprobis terribilis est super filios hominum, et utrinque stat fixa sententiæ æternitatis, et in his qui salvi sunt, et in his qui pereunt. Quis scit si omnium vestrum, quos hic video, nomina scripta sunt in cœlis, et in libro prædestinationis adnotata? Vocationis enim et justificationis vestræ aliqua signa mihi videor intueri in conversatione hujus [*alias additur tantæ*]

humilitatis. Quanto **914** putas gaudio replerentur omnia ossa mea, si id scire contingeret? Sed nescit homo, utrum sit dignus amore, an odio (*Eccl. ix, 4*).

6. Propterea, dilectissimi, perseverate in disciplina quam suscepistis, ut per humilitatem ad sublimitatem ascendatis; quia hæc est via, et non est alia præter ipsam. Qui aliter vadit, cadit potius quam ascendit; quia sola est humilitas quæ exaltat, sola quæ ducit ad vitam. Christus enim cum per naturam divinitatis non haberet quo cresceret vel ascenderet, quia ultra Deum nihil est; per descensum quomodo cresceret invenit, veniens incarnari, pati, mori, non moreremur in æternum: propter quod Deus exaltavit illum, quia resurrexit, ascendit, sedet a dextris Dei.

B Vade, et tu fac similiter. Neque enim ascendere potes, nisi descenderis; quia ut æterna lege fixus est: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur (Luc. xiv, 11)*. O perversitas! o abusio filiorum Adam! quia cum ascendere difficultimum sit, descendere autem facillimum; ipsi et leviter ascendunt, et difficiliter descendunt, parati ad honores et celsitudines graduum ecclesiasticorum, ipsis etiam angelicis humeris formidandæ. Ad sequendum autem te, Domine Jesu, vix irveniuntur, qui vel trahi patiuntur, qui volint duci per viam mandatorum tuorum. Alii enim trahuntur, qui possunt dicere: *Trahe me post te*. Alii ducuntur, qui dicunt: *Introduxit me rex in cellaria sua (Cant. 1, 3)*. Alii rapiuntur, sicut Apostolus raptus est ad tertium cœlum. Et primi quidem felices, qui in patientia sua possident animas suas; secundi feliciores, quia ex voluntate sua contentur ei; ter.ii felicissimi, qui in profundissima Dei misericordia, quasi quodammodo sepulta jam arbitrii sui potestate, in divitias gloriæ in spiritu ardoris rapiuntur, nescientes sive in corpore, sive extra corpus (*II Cor. xii, 2*); hoc solum scientes, quod rapti sint. Beatus qui ubique te ducem habet, Domine Jesu, non illum refugam spiritum, qui statim ascendere voluit, et tota divinitatis dextera percussus est. Nos autem populus tuus, et oves pascuæ tuæ, sequamur te, per te, ad te; quia tu es via, veritas et vita (*Joan. xiv, 6*); via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio. Verba enim æternæ vitæ habes, et nos cognoscimus et credimus quia tu es Christus Filius Dei vivi (*Joan. vi, 69, 70*), qui es super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO III.

De intellectu et affectu.

1. Hodie cœlorum Dominus cœlorum alta cœlesti potentia penetravit, et infirma carnis tanquam nubi quædam excutiens, induit stolam gloriæ. Elevatus est Sol in ortu suo, incaluit et invaluit; dilatavit et multiplicavit radios super terram, nec est qui se abscondat a calore ejus. Rediit ad regionem sapientiæ Sapientia Dei, ubi omnes bonum et intelligunt et requirunt, intellectu perspicacissimi, affectu paratissimi ad audiendam vocem sermonum

ejus. [Nos autem in regione ista sumus, ubi plurimum est malitiæ, sapientiæ parum;] quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (*Sap. ix, 15*). Per sensum hic ego arbitror intellectum designari: qui tunc vere deprimitur, cum multa cogitat, cum non colligit se circa illam unam et unicam meditationem, quæ concipitur de civitate illa, cujus participatio ejus in idipsum. Hujusmodi intellectum oportet deprimi, et distrahi per multa, multis et multiplicibus modis. Animam vero hic astutissimo dicitur affectione, quæ, corrupto corpore, diversis passionibus afficiuntur, quæ mitigari nunquam possunt, ne dicam sanari, donec voluntas unum quærat, et tendat ad unum.

2. Duo ergo sunt quæ in nobis purganda sunt, intellectus et affectus: intellectus, ut noverit; affectus, ut velit. Felices, et vere felices illi duo viri, Elias et **915** Enoch, quibus omnes materiæ et occasiones ablatae sunt, quæ eorum intellectum impediant, vel affectum; quia soli Deo viventes nec noverunt nisi Deum, nec capiunt nisi Deum. Denique et de Enoch legitur (45) quia *raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius* (*Sap. iv, 11*). Intellectus noster turbatus erat, ne dicam cæcatus; affectus inquinatus erat, et multum inquinatus; sed Christus intellectum illuminat, Spiritus sanctus affectum purgat. Venit enim Filius Dei, et tot et tanta mirabilia in mundo operatus est, ut non immerito intellectum nostrum ab omnibus mundanis rebus evocaverit; ut semper cogitemus, et nunquam cogitare sufficiamus, quia mirabilia fecit. Vere latissimos nobis ad spatiandum intelligentiæ campos dereliquit; et torrens cogitationum istarum profundissimus est, qui juxta prophetam non possit transvadari (*Ezech. xlvi, 5*). Quis enim sufficiat cogitare, qualiter rerum Dominus prævenit nos, venerit ad nos, subvenit nobis, et singularis illa majestas voluerit mori ut viveremus, servire ut regnarem, exulare ut repatriarem, et usque ad servilissima opera inclinari, ut constitueret nos super omnia opera sua?

3. Talem se obtulit apostolis apostolorum Dominus, ut jam non invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspicerent, sed ipse facie ad faciem videretur qui omnia fecit. Et quia discipuli carnales erant, et Deus spiritus est, nec bene convenit spiritui et carni; umbra corporis sui temperavit se eis, ut objectu vivificæ carnis viderent Verbum in carne, solem in nube, lumen in testa, cerum in laterna. Spiritus enim oris nostri Christus Dominus, cui diximus: *In umbra tua vivemus inter gentes* (*Thren. iv, 20*). *In umbra*, inquit, *tua inter gentes*, non inter angelos, ubi purissimum lumen purissimis oculis inleuebimur. Unde et virtus Altissimi obumbravit Virgini, ne nimio splendore præ-

(45) Nempe ex appropriation: nam universim hæc esserunt *Sap. cap. iv, §. 11*: At Enoch signanter legitur *Ecclesiastici cap. xlv, §. 16*: *Enoch pla-*

strieta, divinitatis fulgur etiam illa singularis aequalitate tolerare non posset. Ad hoc autem carnem eis proposuit, ut omnem cogitatum eorum ab humanis rebus ad carnem suam (qua et mirabilia dicebat et mirabilia faciebat) adunaret, et sic de carne transferret ad spiritum; quia spiritus est Deus et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare (*Joan. iv, 24*). Nonne tibi videtur eis intellectum illuminasse, cum aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas, ostendens quia hæc oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis (*Luc. xxiv, 45*), et ita intrare in gloriam suam?

4. Sed illi sanctissimæ carni ejus assuefacti, verbum de discessu ejus audire non poterant, ut eos relinqueret pro quo omnia reliquissent. Quare hoc? quia intellectus illuminatus erat, sed nondum purgatus affectus. Unde et benignus magister blande eos ac dulciter compellabat [alias, consolabatur] dicens: *Expedi vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum* (*Joan. xvi, 6, 7*). Quid est quod Christo commorante in terris, Spiritus sanctus ad eos venire non potuit? An carnis illius consortium abhorrebat, quæ de ipso et per ipsum in Virgine et de Virgine matre concepta erat et nata? Absit! sed ut ostenderet nobis per quam ambularem, formam apponeret cui imprimeremur. Et ille quidem illieplorantibus elevatus in cælum, Spiritum sanctum misit, qui affectum eorum, id est voluntatem, mundavit, imo potius alteravit, ut jam magis Dominum velint ascendisse, qui prius detinuisse voluerant. Impletum est quod eis prædixerat: *Vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium* (*Joan. xvi, 20*). Sic ergo eorum intelligentia per Christum illuminata est, et voluntas emundata per Spiritum; ut sicut bonum noverint, sic et velint: quod solum perfecta religio, vel religiosa perfectio est.

916 5. Recordor nunc Elisæi sancti, cui cum Elias dixisset, ut in discessu vel ascensu suo postularet quod vellet, respondit: *Oro ut fiat spiritus tuus duplex in me*. At ille: *Rem difficilem postulasti. Attamen si videris quando tollar a te, erit quod petisti* (*IV Reg. ii, 9, 10*). Nonne tibi videtur Elias ascendentis Domini signare personam; Elisæus vero chorum apostolicum in ascensione Christi anxie suspirantem? Sicut enim Elisæus ab Elia nullo pacto avelli poterat, sic nec apostoli a Christi præsentia poterant separari. Vix enim tandem eis persuasit, quia sine fide impossibile esset placere Deo. Quis est ergo spiritus iste duplex qui quæritur, nisi illuminatio intellectus, et affectus purgatio? Res difficilis, quia rarus in terris est qui illum habere mereatur. *Attamen*, inquit, *si videris quando tollar a te, erit quod petisti*. Nihil est quod propter hoc habeant per-

cutit Deo, et translatus est in paradisum. Idem apud Bernardum, infra sermone 5, num. 9.

dere vel debeant alumni tui, Domine Jesu, quia videntibus illis es elevatus in cœlum, et desiderantibus oculis te secuti sunt gradientem in multitudine fortitudinis tuæ. Vel certe spiritum duplicem dicere possumus illud, quod Salvator ad discipulos ait: *Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet* (Joan. xiv, 12). Nonne majora Christo, per Christum tamen, fecit Petrus, de quo legitur: *Quia in plateis ponebantur infirmi in lectulis, ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis?* (Act. v, 15.) Nusquam enim Dominus umbra sua invenitur infirmitates sanasse.

6. Non dabito ego intellectum omnium vestrum, qui hic estis, illuminatum esse; sed non affectum æque esse purgatum, manifestis approbabo conjecturis. Omnes quod bonum est nostis, et viam per quam incedere, et quomodo in ea incedere debeatis; sed voluntas non una est. Quidam enim ad omnia viæ et vitæ hujus exercitia non solum ambulant, sed et currunt, imo potius volant, ut eis et vigiliæ breves, et cibi dulces, et panni suaves, et labores non solum tolerabiles, sed et appetibiles videantur. Alii autem non sic; sed corde arido et affectione recalcitrante, vix pudore (46) trahuntur ad hæc, vix gehennali timore compelluntur. Quosdam nec compellimus quidem, quibus frons mulieris meretricis facta est, et nolunt erubescere. Sunt, inquam, multi inter nos, qui nobiscum de uno pane comedunt, nobiscum dormiunt, nobiscum cantant, nobiscum laborant, miseri et miserabiles, utpote per omnia [*alias deest* per omnia] participes tribulationis, sed consolationis non ita. Nunquid abbreviata est manus Domini, ut omnibus donare non possit, qui aperit manum suam, et implet omne animal benedictione? Quid ergo in causa est? Illud omnino, quia non vident Christum cum tollitur ab eis; id est, non cogitant quomodo eos orphanos reliquerit, quod peregrini et advenæ sint super terram, quod tandiu sæculenti corporis horrido carcere teneantur, et non sint cum Christo. Hujusmodi autem, si diu ita permanserint sub onere, aut opprimuntur et succumbunt, aut quodammodo in inferno sunt, ut nunquam ad plenum respirent in lucem miserationum Domini, nec in libertatem spiritus, quæ sola facit jugum suave, et onus leve.

7. Inde autem tam pernicioosa tepiditas emanat, quia affectus, id est voluntas eorum nondum purgata est, nec bonum sic volunt sicut noverunt, a propria concupiscentia abstracti graviter et illecti. Amant enim in carne sua terrenas consolatiunculas, sive in verbo, sive in signo, sive in facto, sive in aliquo alio; et si hæc interrumpunt aliquando, non tamen penitus rumpunt. Inde est quod raro affectiones suas dirigunt in Deum, et eorum compunctio non continua, sed horaria est, et, ut verius dicam, mo-

(46) In quibusdam *deest vix pudore*, ut in Colber-tino 3632; in quo post *compelluntur*, legitur *miseri et miserabiles*, sex versibus omissis. At *pudore* reti-

mentanea. Impleri autem visitationibus Domini anima non potest, quæ his distractionibus subjacet: 917 et quanto magis illis evacuabitur, tanto amplius istis implebitur; si multum, multum; si parum, parum. Vel certe si magis probas, nunquam istæ illis misceri poterunt in æternum; quia ubi vasa vacua non invenit oleum, stare necesse est; nec mittunt vinum novum nisi in utres novos, ut ambo conserventur. Neque enim spiritus et caro, ignis et tepiditas, in uno domicilio commorantur, præsertim cum tepiditas ipsi Domino soleat vomitum provocare (Apoc. iii, 16).

8. Si enim apostoli adhuc carni Dominicæ inhærentes (quæ sola sancta, quia Sancti sanctorum, erat), Spiritu sancto repleti nequiverint, donec tolleretur ab eis; tu carni tuæ, quæ sordidissima est, et diversarum spurcitiarum phantasias repleta, astrictus et conglutinatus, illum meracissimum Spiritum te posse putas suscipere, nisi carneis istis consolationibus funditus renuntiare tentaveris? Revera cum incœperis, tristitia implebit cor tuum; sed si perseveraveris, tristitia tua convertetur in gaudium. Tunc enim purgabitur affectus et voluntas renovabitur, vel potius nova creabitur, ut omnia quæ prius difficilia, imo impossibilia videbantur, cum multa percurrantur dulcedine et aviditate. Emitte, inquit, Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ (Psal. ciii, 30). Sicut per faciem exterior homo cognoscitur, sic per voluntatem demonstratur interior. Emissio ergo Spiritu creatur et renovatur facies terræ, id est terrena voluntas sit cœlestis, parata ad nutum nutu citius obedire. Beati qui tales sunt; qui non solum malum non sentiunt, sed in mira quadam cordis dilatatione commorantur. De illis enim quos supra commemoravimus, terribiliter ait Deus: *Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt* (Gen. vi, 3), id est carnales; et quidquid in eis spiritus fuerat, in carnem evanuit.

9. Quia igitur, charissimi, hodierna dies est, in qua sponsus aufertur a nobis, et non sine tumultu aliquo animorum nostrorum, ad hoc tamen ut mittat nobis Spiritum veritatis: ploremus et oremus, ut dignos nos inveniat, vel potius efficiat, et repleat domum istam, ubi sumus sedentes, quatenus non vexatio, sed unctio ejus doceat nos de omnibus; sicque et intellectu clarificato et affectu purificato veniat ad nos, et apud nos faciat mansioæm. Et sicut serpens Moysi devoravit omnes serpentes magorum (Exod. vii, 12); sic iste cum venerit, absorbebit omnes carnales affectiones et delectationes nostras, et infundet [*infundet, alias deest*] consolationes, ita ut de labore requiem, de tribulatione lætitiâ, de contumelia gloriam habeamus; sicut illi, quos repleverat, ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati (Act. v, 41). Spiritus enim Jesu,

nendum videtur, ut sermone 5, num. 7: « Quæ denique vix gehennæ metus inhibet, vix pudor colli-

spiritus bonus, spiritus sanctus, spiritus rectus, spiritus dulcis, spiritus principalis, quidquid in hoc sæculo nequam videtur, difficile et augustum, leve facit et latum: opprobrium gaudium iudicat, despectionem exaltationem esse persuadet. *Scrutemur ergo, juxta prophetam, vias nostras et studia nostra; levemus corda nostra cum manibus* (Thren. III, 40), ut in solemnitate sancti Spiritus gaudeamus, et abundantius gaudeamus, qui nos inducat in omnem, sicut promisit Dei Filius, veritatem (Joan. XVI, 13).

SERMO IV.

De duabus malis ascensionibus, dæmonis et primi hominis; et sex bonis, Christi et nostris.

1. Si Nativitatis et Resurrectionis Dominicæ digna devotione solemnia celebramus, hodiernum quoque Ascensionis diem non minus devote convenit celebrari. In nullo siquidem a festivitatis illis ista degenerat, **918** sed finis earum et adimpletio est. Merito quidem solemnitatis et lætitiæ dies agitur, quando sol ille supercælestis, sol justitiæ, nostris se præsentavit obtutibus, nube carnis et mortalitatis sacco fulgorem suum et lucem temperans inaccessibilem. Magna quoque lætitia et exultatio multa nimis, quando conscisso sacco, lætitia circumdatus est, factaque de medio sacci ipsius non quidem substantia, sed vetustate, sed corruptione, sed miseria, sed vilitate, nostræ dedicavit primordia resurrectionis. Verumtamen quid mihi et solemnitatibus istis, si conversatio mea usque adhuc detinetur in terris? Quis vero vel desiderare præsumeret ascensum cæli, nisi quia is qui descenderat, prior ascendit? Dico ergo vobis: non multo mihi tolerabilior videretur exsili hujus habitatio quam gehenna, nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen fiduciæ et exspectationis, quando elevatus est in nubibus, et spem fecit credentibus. Denique: *Nisi ego abiero, inquit, Paracletus non veniet ad vos* (Joan. XVI, 7). Quis Paracletus? Utique per quem diffunditur charitas, et jam spes non confundit; ille Paracletus, per quem in cælis sit conversatio nostra; virtus ex alto, per quam sursum sint corda nostra (47). *Vado, inquit, parare vobis locum: et si abiero et præparavero vobis locum, iterum veniam, et assumam vos ad me ipsum* (Joan. XIV, 2, 3). *Ubi enim fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquilæ* (Matth. XXIV, 28). Videtne quemadmodum cæterarum solemnitatum ea, quam hodie celebramus, et consummationem habeat, et fructum declaret, et ageat gratiam?

2. Sicut enim cætera omnia ejus qui nobis natus est et nobis datus, ita ipsa quoque ipsius ascensio propter nos facta est, et facit pro nobis. In nostra siquidem vita, multa, quantum in nobis est, videmur agere casu; multa necessitate; sed Christus, Dei virtus et Dei sapientia, neutri potuit subjacere. Quæ enim Dei virtutem necessitas cogeret? aut quid age-

A ret Dei sapientia casu? Omnia proinde quæcunque locutus est, quæcunque operatus est, quæcunque passus est, ne dubites fuisse voluntaria, plena sacramentorum, plena salutis. Hæc scientes, si quid aliquando eorum, quæ de Christo sunt, in nostram scientiam venire contingat, non sic audiendum est tanquam si inventilium quidpiam proferamus; sed tanquam id quod etiam priusquam causa sciretur, constaret nequaquam sine causa fuisse. Sicut enim qui scribit, certis rationibus collocat universa; ita quæ a Deo sunt, ordinata sunt, maximeque ea quæ præsens in carne est operata majestas. Sed væ angustiae cognitionis [*alias*, cogitationis]; væ paupertati scientiæ nostræ, qui tantum ex parte cognoscimus, et parte modica! Vix scintillulæ quædam nobis B elucent de tanta luminis copia, de lucerna posita super candelabrum. Sane quanto minus singuli capimus, tanto fidelius cæteris communicanda sunt quæ singulis revelantur. Et ego, fratres, quæ mihi ad vestram ædificationem de ascensione, imo de ascensionibus suis donare ipse dignatur, nec volo, nec debeo subtrahere vobis: præsertim quod hæc sit spiritualium prærogativa donorum, ut communicata non minuantur. Aliquibus fortassis hæc nota sunt, quibus similiter hæc revelata sunt; sed propter eos qui forte non adverterunt sublimioribus intenti aut aliis occupati; seu etiam propter eos qui minus capacis intelligentiæ sunt, mihi incumbit loqui quæ sentio.

3. *Christus qui descendit, ipse est et qui ascendit* (Ephes. IV, 10). Apostoli verba sunt hæc. Ego autem credo enim in hoc ipso quod descenderit, ascendisse. Sic enim oportebat Christum descendere [*alias*, ascendere], ut nos ascendere doceremur. Cupidi quidem sumus ascensionis: exaltationem concupiscimus omnes. Nobiles enim creaturæ sumus, et magni cuiusdam animi, ideoque altitudinem naturali appetimus desiderio. Sed væ nobis; si voluerimus eum sequi, qui ait: *Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis* (Isa. XIV, 13). Heu miser, in lateribus aquilonis! **919** Frigidus est mons ille, non te sequimur. Potestatis habes concupiscentiam, altitudinem præsumis potentiae. Quanti tamen usque hodie sæda sequuntur infeliciaque vestigia! Imo vero quam pauci evadunt, quibus non dominandi libido dominetur! Hinc est quod benefici vocantur, qui potestatem habent; hinc, quod laudatur peccator in desideriis animæ suæ. Potentibus siquidem omnes adulantur, invident omnes. Quem sequimini, miseri homines? quem sequimini? Annon videtis Satanam tanquam fulgur cadentem? Non iste est mons, in quem ascendit angelus, et diabolus factus est? Vet illud advertite, quod post casum suum invidia cruciante male sollicitus de supplantando homine, illius tamen montis ascensum nullatenus ausus est suadere

(47) Quidam ita habent, et spem fecit credentibus. *Asistimo autem quod et illi qui ait, Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea: unde et dicebat, Vila mea inferno.*

appropinquavit. *Nunc vero spe salvi facti sumus, in cuius altitudinem Christi nos ascensio sublimavit.* Vado, etc.

ei, in quo nimirum pro inani ascensu tam immane A præcipitium cognosceretur expertus.

4. Sed non defuit versuto hosti quid ageret. Similem ei montem alterum demonstravit. *Eritis, inquiens, sicut dii, scientes bonum et malum (Gen. iii, 5)*. Perniciosa etiam hæc ascensio, imo magis descensio est de Jerusalem in Jericho. Pessimus mons inflans scientia, in quem tamen usque hodie videas tanta concupiscentia plurimos repere filiorum Adam, ac si non noverint quantum pater eorum in illius montis ascensu descenderit, imo quam graviter ceciderit, quantum tota dejecta sit et conquassata posteritas. Nondum sanata sunt vulnera, quæ tibi in ascensu montis illius inflicta sunt, licet adhuc in patre lateres: et nunc iterum in propria persona conaris ascendere, ut sit error novissimus peior prior? Quænam miseris tam dira libido? Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et queritis mendacium? (*Psal. iv, 3*.) An ignoratis quoniam infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes? (*I Cor. i, 27*.) Non nos Dei comminantis terror revocat, perdituri sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobaturi; non patris exemplum, non denique sensus ipse noster, et duræ experientia necessitatis, cui sumus addicti per insipientem scientiæ appetitum!

5. Ecce vobis, fratres, montem demonstravimus alium, non in quem ascendatis, sed quem fugiatis. Ipse est in quem ascendebat qui voluit esse sicut Deus, sciens bonum et malum: ipse quem usque hodie filii ejus accumulunt et elevant, nihil inveniunt tam vile, unde non velint montem elevare scientiæ. Videas alium litterarum, alium mundialis curæ, istum placitationum displicentium Deo, illum servilis cujuslibet artis tam vehementer affectare scientiam ut laborem non reputet, tantummodo ut possit aliquibus doctior reputari. Sic ædificant Babel, sic putant ad Dei se perventuros similitudinem; sic concupiscunt quod non expedit, quod expedit omittentes. Quid vobis et montibus istis, in quorum ascensu tanta difficultas est, et tam grande periculum? aut cur eum deseritis montem, cujus et facilis est ascensus, et perutilis? Potestatis ambitio angelum felicitate privavit angelica; scientiæ appetitus hominem immortalitatis gloria spoliavit. Conetur quis ascendere in montem potestatis; quantos putas contradicentes habebit, quantos inveniet repulsores, obstacula quanta, quam difficilem viam? Quid si tandem eum adipisci contigerit quod optabat: *Potentes*, ait Scriptura, *potenter tormenta patientur (Sap. vi, 7)*: ut præsentis sollicitudines et anxietates, quas potestas ipsa parit, omittam. Cupidus alter est infantis scientiæ; quantum laborabit, quantum auxiliabitur spiritus ejus? Et tamen audiet: Nec si te ruperis, apprehendes. In amaritudine morabitur oculus ejus, quoties videre contigerit, qui se posteriorum judicet, aut putet ab aliis reputari. Quid cum intinuerit multum? *Perdam*, inquit Dominus, sa-

piantiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobo (I Cor. i, 19).

6. Jam ne multis immerer, vidistis, ut arbitror, quam fugiendus nobis sit mons uterque, si præcipitum angeli, si casum hominis expavescimus. Montes 920 Gelboe, nec ros, nec pluvia veniant super vos (*II Reg. i, 21*). Quid tamen agimus? Ascendere sic non expedit, et ascendendi tenemur concupiscentia. Quis docebit nos ascensum salubrem? Quis, nisi de quo legimus, quoniam *qui descendit, ipse est et qui ascendit*? (*Ephes. iv, 10*.) Ab ipso demonstranda nobis erat ascensionis via, ne ductoris, imo seductoris iniqui aut vestigium, aut consilium sequeremur. Quia ergo non erat quo ascenderet, descendit Altissimus, et suo nobis descensu suavem ac salubrem dedicavit ascensum. Descendit de monte potentiæ, carnis infirmitate circumdatus; descendit de monte scientiæ, quoniam placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Quid enim tenello corpore et infantilibus membris videtur infirmius? Quid indoctius apparet parvulo, qui sola matris ubera noverit? Quis impotentior eo, cujus omnia membra clavis affixa, cujus omnia dinumerantur ossa? Quis insipientior eo, qui tradebat in mortem animam suam, et quæ non rapuit tunc exsolvebat? Vides quam multum descenderit, quantum a potentia sua, quantum a sapientia sua exinanierit semetipsum. Sed non potuit altius in montem bonitatis ascendere, nec suam commendare expressius charitatem. Nec mirum si descendendo Christus ascendit, quando priorum uterque cecidit ascendendo. Et mihi quidem videtur montis hujus ascensorem querere qui dicebat: *Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus?* (*Psal. xxiii, 3*.) Forte etiam Isaias ascensionis desiderio cadentes intuens homines ad hunc revocabat montem, exclamans: *Venite, ascendamus in montem Domini (Isai. ii, 3)*. Annon manifesta eos de priorum montium ascensione redarguens, montis hujus prædicat ubertatem, qui ait: *Ut quid suspicamini montes coagulatos? Mons coagulatus, mons pinguis (Psal. lxxvii, 16, 17)*. Hic est igitur mons domus Domini præparatus in vertice montium, super quos salientem sponsum inspexerat, qui dicebat: *Ecce venit is saliens in montibus (Cant. ii, 8)*. Docebat enim iguarum viæ, trahebat parvulum, infantulum deducebat: ideoque velut quibusdam passibus ibat, ut de virtute in virtutem videretur Deus deorum in Sion (*Psal. lxxxiii, 8*). Justitia enim ejus sicut montes Dei (*Psal. xxxv, 7*).

7. Sed jam, si placet, saltus etiam ipsos intueamur, quibus exsultavit ut gigas ad currendam viam, et cujus egressio a summo cælo, per gradus quosdam usque ad summum ejus occurrit (*Psal. xviii, 6, 7*). Primum ergo constitue montem illum, in quem ascendit cum Petro et Jacobo et Joanne, ubi et transfiguratus est ante eos. Refulsit facies ejus ut sol, et vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix (*Matth. xvii, 1, 2*). Resurrectionis gloria ista est, quam in monte spei contemplamur. Ut quid enim

ascendit ut transfiguraretur, nisi ut doceret nos cogitatione ascendere ad futuram illam gloriam, quæ revelabitur in nobis? Felix cujus meditatio in conspectu Domini est semper, qui in corde suo delectationes dexteræ Domini usque in finem sedula cogitatione revolvit! Quid enim grave illi poterit videri, qui semper mente tractat quod non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam? Quid concupiscere poterit in sæculo nequam, cujus oculus semper videt bona Domini in terra viventium, semper videt æterna præmia? *Tibi dixit cor meum*, Propheta loquitur Domino; *tibi dixit cor meum: Exquisivit te facies mea: faciem tuam, Domine, requiram* (Psal. xxvi, 8). Quis mihi tribuat, ut omnes surgentes stetis in excelso, et videatis exultationem, quæ ventura est vobis a Domino.

8. Non sit molestum vobis, obsecro, quod in monte hoc aliquando diutius immoramur: poterimus enim cæteros festinantius pertransire. Verumtamen in isto quem non detineat sententia illa sancti Petri, quam in eo protulit, et de eo: *Domine, inquit, bonum est nos hic esse?* (Matth. xvii, 4.) Quid enim tam bonum est, imo quid aliud videtur bonum, quam in bonis animam demorari, quandoquidem adhuc corpus non potest? Puto quod ejus, qui ingrediebatur in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, in voce exultationis **921** et confessionis, sonus epulantis fuerit (Psal. xli, 5): *Bonum est nos hic esse*. Quis enim ex vobis secum cogitans futuram illam vitam, sed lætitiā, sed jucunditatem, sed beatitudinem, sed gloriam filiorum Dei: quis, inquam, talia tranquilla secum conscientia volvens, non continuo de plenitudine intimæ suavitatis eructat, *Domine, bonum nos est hic esse?* Non sane in hac ærumnosa peregrinatione, ubi corpore detinetur, sed in suavi ac salubri illa cogitatione, in qua corde versatur: *Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?* (Psal. liv, 7.) Vos autem, filii hominum, filii hominis qui descendit de Jerusalem in Jericho, filii hominum, usquequo gravi corde? Ascendite ad cor altum, et exaltabitur Deus (Psal. lxiii, 7, 8). Hic est enim mons, in quo transfiguratur Christus. Ascendite, et scietis quoniam Dominus Sanctum suum mirificavit.

9. Obsecro vos, fratres mei, non graventur corda vestra in curis sæcularibus; nam de crapula et ebrietate (gratias Deo) non magnopere necesse habeo vos admonere. Exonerate, obsecro, corda vestra gravi mole terrenarum cogitationum, ut sciatis mirificatum a Domino Sanctum suum. Levate corda vestra cum manibus quibusdam cogitationum, ut transfiguratum Dominum videatis. Formate in cordibus vestris non modo patriarcharum et prophetarum tabernacula, sed omnes domus illius cælestis multiplices mansiones secundum eum, qui circuit ab immolans in tabernaculo Domini hostiam vocationis, cantans, et psalmum illum dicens

A Domino: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini* (Psal. lxxxiii, 2, 3). Circuite et vos, charissimi, cum pietatis et devotionis affectu vel hostia, visitantes animo sedes supernas, et multas, quæ in domo Patris sunt, mansiones, humiliter prosternentes corda vestra ante thronum Dei et Agni; cum reverentia supplicantes singulis ordinibus angelorum, patriarcharum numerum, cunctos prophetarum et senatum apostolicum salutantes, coronas martyrum suspicientes purpureis rutilantes floribus, redolentes liliis choros virginum admirantes, atque ad mellifluum novi cantici sonum, quantum prævalet infirmitas cordis, erigentes auditum. *Hæc recordatus sum* (Propheta loquitur [alias additur Domino]), *et effudi in me animam meam*. Quæ? *Quoniam transivi in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei* (Psal. xli, 5). Et item: *Memor sui*, inquit, *Dei, et delectatus sum* (Psal. lxxvi, 4). Quem viderunt apostoli, vidit et iste, nec dissimili, ut arbitror, visione: nisi quod spirituale totum habuit hujus visio, corporeum nihil. Omnino non vidit eum sicut is qui dicebat: *Vidimus eum, et non erat illi species neque decor* (Isa. liii, 2). Transfiguratum procul dubio vidit et speciosum forma præ filiis hominum, qui delectatum se perhibet, sicut et apostoli: *Bonum est*, inquit Domino, *nos hic esse*. Et ut nihil desit propositæ similitudini, illi quidem proni cecidisse leguntur (Matth. xvii, 6), hic vero suum fatetur spiritum defecisse (Psal. lxxvi, 4). C Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! Ascendentes igitur in hunc montem, et revelata facie gloriam Domini speculantes, haud dubium quin clamare habeatis et vos: Trahe nos post te. Quid enim prodest scire quo sit eundem, siquidem qua debeas ire non noveris?

10. Alterum proinde montem ascendas necesse est, in quo prædicantem audias, scalam erigentem octo distinctam scalaribus, cujus summitas cælos tangit. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum*. Jam si primum ascenderit montem jugi meditatione supernæ gloriæ, istum nihilominus montem ascendere non gravaberis, ut in lege ejus mediteris die ac nocte? sicut idem Propheta non solum meditabatur in præmiis, sed et in mandatis Domini quæ dilexit (Psal. cxviii, 47). Sic enim audies et tu: *Et quo eam, scitis*, propter ascensionem primam; *et viam scitis* (Joan. xiv, 4), propter secundam. Propterea in corde tuo pone viam veritatis inquire, ne forte sis de eorum numero qui viam civitatis habitaculi non invenerunt. Magis autem sollicitus esto ascendere non modo cogitatione **922** cælestis gloriæ, sed et conversatione, quæ cælestem gloriam increatur.

11. Tertium nihilominus montem lego, in quem ascendit solus orare (Matth. xiv, 23). Vides ergo quam bene sponsa in Canticis: *Ecce, inquit venit*

iste saliens in montibus (Cant. II, 8). In primo transfiguratus est, ut scires quo tenderes; in secundo verba vitæ locutus est, ut scires qua pervenires; oravit in tertio, ut eundi et perveniendi bonam obtinere studeas voluntatem. *Scienti enim bonum, et non facienti, peccatum est illi* (Jac. I, 47). Propterea sciens quoniam in oratione datur bona voluntas; cum videris quæ agenda sunt, ut convalescas ad agenda quæ videris, ascende tu ad orationem; ora instanter, ora perseveranter, sicut ille pernoctabat in oratione, et dabit Pater bonus spiritum bonum petenti se. Et vide quam utiliter orationis tempore etiam corporalis loci secretum quærimus, quando hoc ille non solum docuit verbo: *Intra, inquit, in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum* (Matth. VI, 6); sed et commendavit exemplo, nec domesticorum quemquam admittens, sed solus ascendens ad orationem.

12. Putas, poterimus aliquid amplius de ejus ascensionibus invenire? Poterimus utique. Volo enim ut nec jumentum ipsi sis immemor, super quod legitur ascendisse. Volo ut nec ipsam crucis ascensionem omittas. Nam et in illa exaltari oportebat Filium hominis. *Et ego, inquit, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum* (Joan. XII, 32). Itaque cum jam et cognitio suppetit, et velle adjacet; quid ages, quod perficere bonum non invenis; sed asinini quidam et bestiales motus legem contrariam habent, et captivare te volunt? quid, inquam, facies super concupiscentiis irrationabilibus, quæ sunt in membris tuis? Urget te etiam cum jejunare consentis, gulæ illecebra; cum vigilare proponis, somnolentia premit. Quid faciemus huic asino? Asinum enim istud est, commune cum asinis; quia homo *comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis* (Psal. XLVIII, 13). Ascende, Domine, super asinum istum, conculca hos bestiales motus; quia domari debent, ne dominari prævaleant. Nisi enim calcati fuerint, conculcabunt nos; nisi premantur, oppriment nos. Propterea sequere, anima mea, et in hac ascensione Christum Dominum, ut sub te sit appetitus tuus, et tu domineris illius. Nam ut in cælum ascendas, prius necesse est levare te super te, calcando carnalia desideria, quæ in te militant adversum te.

13. Sequere etiam ascendentem in crucem, exaltatum a terra, ut non solum super te, sed et super omnem quoque mundum mentis fastigio colloceris, universa quæ in terris sunt deorsum aspiciens et despiciens, sicut scriptum est: *Cernent terram de longe* (Isa. XXXIII, 17). Nulla te mundi oblectamenta inclinent, nullæ adversitates dejiciant. Absit tibi gloriari nisi in cruce Domini tui Jesu Christi, per quem tibi mundus crucifixus est: ut quæ mundus appetit, crucem reputes; et tu crucifixus mundo, illis quæ mundus crucem reputat, toto inhæreas amore.

14. Jam vero quid ex hoc restat, nisi ut ad illum

ascendas, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula? Dissolvi jam, et esse cum Christo, multo magis optimum. *Beatus vir cujus est auxilium abs te*, ait Propheta ad Dominum; *ascensiones in corde suo disposuit, ibit de virtute in virtutem usque ad videndum Deum deorum in Sion* (Psal. LXXXIII, 6, 8). Hæc est ultima ascensio, in qua implentur omnia, sicut ait Apostolus: *Christus qui descendit, ipse est et qui ascendit, ut adimpleret omnia* (Ephes. IV, 10). Sed de illa ascensione quid dicam? Quo ascendemus, ut ubi Christus est, et nos simus? Quid ibi erit? *Oculus, Deus, non vidit absque te quæ præparasti diligentibus te* (Isa. LXIV, 4; I Cor. II, 9). Desideremus hanc, fratres mei, suspiremus ad eam jugiter: et eo magis affectus vigeat, quo deficit intellectus.

923 SERMO V.

De intellectu et affectu.

1. Hodie sedenti in throno antiquo dierum, consessurus pariter oblatum est Filius hominis (Dan. VII, 13), et erit deinceps non modo germen Domini in magnificencia et gloria, sed et fructus terræ sublimis (Isa. IV, 2). Felix unio, et amplectendum ineffabilibus gaudiis sacramentum! Idem enim et germen Domini, et fructus terræ; idem ipse et Dei Filius, et fructus ventris Mariæ est; idem filius David, et Dominus, de quo hodie gaudium ejus impletum est, unde olim præcinctus aiebat: *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis* (Psal. CIX, 1). Quomodo enim non germen Domini Dominus? Idem tamen et filius ejus, utpote fructus terræ sublimis; fructus virgæ, quæ de radice Jesse processit. Hodie igitur suum hunc et hominis Filium apud semetipsum Pater clarificat claritate quam habuit, priusquam mundus fieret, apud ipsum (Joan. XVII, 5). Hodie Veritatem, quæ de terra orta est, cælum sibi redditam gloriatur. Hodie sponsus auferatur a filiis, et lugendum eis est, sicut ipse prædixit. Non enim poterant filii sponsi lugere, donec sponsus cum eis erat; sed venit dies ut auferatur ab eis, ut de cætero luceant et jejurent (Matth. IX, 15). Ubi illud jam, Petre, quod dixeras: *Domine, bonum est nos hic esse; faciamus hic tria tabernacula?* (Matth. XVII, 4.) Ecce enim ingressus est amplius et perfectius tabernaculum, non manu factum, id est, non lujus creationis.

2. Quomodo ergo jam bonum est nos hic esse? Inno vero molestum est, grave est, periculosum est. Nimirum ubi malitiæ plurimum, sapientiæ modicum, si tamen vel modicum invenitur; ubi viscosa omnia, omnia lubrica, operta tenebris, obsessa laqueis peccatorum; ubi periclitantur animæ, ubi spiritus affliguntur sub sole, ubi tamen vanitas est, afflictio spiritus est. Levemus igitur, fratres mei, levemus in cælum corda cum manibus, et ascendentem Dominum sequi velut quibusdam passibus devotionis et fidei contendamus. Erit enim cum sine mora, sine difficultate obviam illi in nubibus rapiemur, et id poterunt corpora spiritualia, quod merito interin-

nequeunt spiritus animales. Nunc enim quantis conatibus corda levare necesse est; quæ quidem (ut miserabiliter satis in libro propriæ experientiæ legimus) et corruptio corporis aggravat, et terrena inhabitatio deprimit?

3. At forte tradendum est, quid sit levare cor, aut quemadmodum illud oporteat elevari; sed tradendum sane ab Apostolo potius quam a nobis. *Si consurrexistis*, inquit, *cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram* (Coloss. iii, 1, 2). Ac si manifestius dicat: Si consurrexistis, et coascendite; si convivitis, et conregnate. Sequamur, fratres, sequamur Agnum quocunque ierit; sequamur patientem, sequamur et resurgentem, sequamur multo libentius ascendentem. Crucifigatur vetus homo noster simul cum illo, ut destruat corpus peccati; ut ultra non serviamus peccato, mortificatis nimirum membris nostris, quæ sunt super terram. Sed et quomodo ipse resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. In hoc enim mortuus est et resurrexit, ut peccatis mortui, iustitiæ vivamus.

4. Cæterum quoniam vitæ novitas locum exigit tutiorem, et resurrectionis dignitas altiorem expedit gradum: sequamur etiam ascendentem, quærere videlicet et sapere quæ sursum sunt ibi ille est, non quæ super terram. Quæris quis ille sit locus? Apostolum audi: *Quæ sursum est*, inquit, *Jerusalem libera est, quæ est mater nostra* (Galat. iv, 26). Vis scire quænam ibi sint? Visio pacis est. *Lauda, Jerusalem, Dominum; lauda Deum tuum, Sion: qui posuit fines tuos pacem* (Psal. cxlvii, 12, 14). O pax quæ exsuperas omnem sensum! o pax etiam super pacem! o mensura super mensuram, conferta, et coagitata, et **924** supereffluens! Compatere igitur Christo, anima Christiana; conresurge, coascende: quod est: *Declina a malo, et fac bonum, inquire pacem, et persequere eam* (Psal. xxxiii, 15). Sic nimirum Paulus in Actibus apostolorum de continentia, et iustitia, et spe vitæ æternæ memoratur docuisse discipulos (Act. xxiv, 25). Sic Veritas ipsa monet in Evangelio præcingere lumbos, lucernas accendere, et deinceps hominibus expectantibus Dominum suum similes inveniri (Luc. xii, 35, 36).

5. Cæterum gemina quædam, si bene advertistis, ascensio nobis ab Apostolo commendatur, in eo quod et quærere, et sapere monuit, non inflata, sed superna. Quam fortasse distinctionem nec ipse quoque Propheta præterisse omnino videbitur, dicens: *Inquire pacem, et persequere eam*, ut hoc sit pacem sequendam quærere, persequi inquisitam, quod est sapienda quærere, quæsita sapere, quæ sursum sunt, non quæ super terram. Nimirum donec divisa sunt corda nostra, et multos interim sinus inveniuntur habere, nec sibi omnino cohærere videntur; vel particulatim ea et membratim quodam modo levare necesse est, ut in superna illa Jerusalem colligantur, eujus participatio ejus in idipsum: ubi non tantum

A singuli, sed et omnes pariter incipiant habitare in unum, non modo scilicet non divisi in semetipsis, sed nec inter seipos. Ecce enim ut tanquam principalia cordis ipsius membra distinguam, est intellectus in nobis, est et affectus; et hi quoque sæpius sibi invicem adversantes, ut alter summa petere, alter appetere infima videatur. Quantum vero is dolor quam gravis animæ cruciatus, dum sic distrahitur, sic dilaceratur, sic abruptitur a seipsa, vel ex ea saltem, quam omnibus experiri in promptu est, corporis scissione concitiat, si quis in suo spiritu animadvertere perniciosa et periculosa insensibilitate non neglexerit. Distrahuntur hominum crura, et longioris obice ligni remouentur ab invicem pedes; et dum adhuc cutis integra manet, quis tamen ille est cruciatus?

6. Sic, sic affligi plangimus miseros, qui corporaliter inter nos conversantes, illuminati forte similiter, sed dissimiliter inveniuntur affecti. Intelligunt pariter bona quæ faciant, sed non pariter diligunt intellecta. Nam de ignorantia, fratres, quænam excusatio nobis, quibus nunquam doctrina cœlestis, nunquam divina lectio, nunquam spiritualis eruditio deest? Quæcunque vera sunt, quæcunque pudica, quæcunque justa, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ; si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc discitis et accipitis, hæc auditis pariter et videtis, in exemplis videlicet et verbis eorum qui inter vos sunt perfecti, quorum et exhortatio, et conversatio plenius erudit universos. Utinam autem hæc, ut intellectum admovent, moveant et affectum! ne sit intus amarissima contradictio, et divisio molestissima, dum hinc quidem sursum trahimur, sed retrahimur inde deorsum.

7. Nimirum advertere potes in omnibus fere religiosis congregationibus viros repletos consolatione, superabundantes gaudio, jucundos semper et hilares, ferventes spiritu, die ac nocte meditantes in lege Dei, crebro suspicientes in cœlum, et puras manus in oratione levantes, sollicitos observatores conscientiæ, et devotos sectatores bonorum operum: quibus amabilis disciplina, dulce jejunium, vigiliæ breves, labor manu delectabilis, et univrsa denique conversationis hujus austeritas refrigerium videatur. Contra sane invenire est homines pusillanimes et remissos; deficientes sub onere, virga et calcaribus indigentes: quorum remissa lætitia, pusillanimitas tristitia est: quorum brevis et rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conversatio: quorum obedientia sine devotione, sermo sine circumspeditione, oratio sine cordis intentione, lectio sine ædificatione: quos denique, ut videmus, vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frenat ratio, vix disciplina coercet. Nonne tibi horum vita inferno penitus appropinquare videtur, dum intellectu affectui, et affectu intellectui repugnante, necesse habent mittere manum **925** ad opera fortium, qui cibo fortium minimo sustentantur, socii plane tribulationis, sed non consolationis? Exsurgamus, oba-

cro, quicumque hujusmodi sumus, resarciamus animas, spiritum recolligamus, abjicientes perniciosam tepiditatem, etsi non quia periculosa est, et Deo solet, ut interdum miserabiliter plangimus, etiam vomitum provocare; certe quia molestissima, plena miseræ et doloris, inferno plane proxima, et umbra mortis jure censetur.

8. Si quærimus quæ sursum sunt, etiam sapere et prælihare interim studeamus. Forte enim poterit intellectui et affectui non inconvenienter aptari, quod et quærere quæ sursum sunt, et sapere admonemur, ut in principalibus, quemadmodum supra dictum est, membris suis nostra corda manibus quibusdam pii conatus et exercitii spiritualis levare studeamus ad Deum. Omnes, ni fallor, quæ sursum sunt quærimus intellectu fidei et judicio rationis; sed non æque forsitan sapimus omnes quæ sursum sunt, tanquam inescat hiis quæ sunt super terram, violento quodam præjudicio affectionis. Unde enim ea, quam paulo ante ostendimus, animoram diversitas, tanta disparilitas studiorum, conversationum tanta dissimilitudo? Unde spiritualis gratiæ inopia tanta quibusdam, cum aliis copia tanta exuberet? Profecto nec avarus, nec inops est gratiæ distributor; sed ubi vacua vasa desunt, stare oleum necesse est. Undique sese ingerit amor mundi: cum consolationibus, imo desolationibus suis observat aditus, per fenestras irruit, mentem occupat, sed non ejus qui dixit: *Renuit consolari anima mea; memor sui Dei, et delectatus sum* (Psal. LXXVI, 3, 4). Præoccupatum nempe sæcularibus desideriis animum delectatio sancta declinat; nec misceri poterunt vera vanis, æterna caducis, spiritualia corporalibus, summa imis, ut pariter sapias quæ sursum sunt, et quæ super terram.

9. Felices nimirum viri illi, per quos Dominica ascensio legitur præsignata, Enoch raptus (Eccli. XLIV, 16), et translatus Elias (IV Reg. II, 11). Felices plane, qui soli jam Deo vivunt, soli vacant intelligendo, diligendo, fruendo. Neque enim corpora quæ corrumpuntur, illas aggravant animas, aut terrena inhabitatio sensus eorum, tanquam multa cogitantes deprimit, qui cum Deo ambulasse noscuntur. Factum est impedimentum omne de medio, occasio universa sublata, materia nulla relicta est, quæ eorum affectum aggravet, vel deprimat intellectum. Nam et priorẽ ob hoc raptum Scriptura commemorat (48), ne forte vincat malitia sapientiam, et intellectus ejus vel anima ultra decipi valeat, aut mutari (Sap. IV, 11).

10. Nobis autem unde in his tenebris veritas, unde charitas in hoc sæculo nequam, in hoc mundo, qui totus positus est in maligno? Putas, erit qui intellectum illuminet, qui inflammet affectum? Erit ut que, si convertamur ad Christum, ut velamen de cordibus auferatur. Illic est enim de quo scriptum est: *Habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis* (Isa. IX, 2). Siquidem prioris ignorantiæ tempora despiciens Deus, annuntiavit hominibus, ut

(48) Vide supra serm. 3, num. 2.

A omnes ubique agerent pœnitentiam, secundum quod Paulus Atheniensibus tradit (Act. XVII, 30). Memento etenim Dei verbum et Sapientiam incarnatam: cujus utique opus erat toto illo tempore, quo videri in terris, et inter homines conversari dignata est ineffabilis illa virtus, illa gloria, illa majestas, illuminare oculos cordis, et suadere fidem hominibus prædicatione pariter et ostensione signorum. Denique *Spiritus Domini*, ait, *super me, ad evangelizandum pauperibus misit me* (Isa. LXI, 1). Et apostolis loquebatur: *Adhuc modicum lumen in vobis est; ambuladum lucem habetis, ut non tenebræ vos comprehendant* (Joan. XII, 35). Nec modo ante passionem, sed et post resurrectionem in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei (Act. I, 3); quando et sensum eis, ut Scripturas intelligerent, legitur aperuisse (Luc. XXIV, 45), intellectum potius informabat, quam purgabat affectum.

11. Quando enim ad spiritualia affici possent animales? Imo vero ne ipsam quidem meram lucem poterant 926 aliquatenus sustinere, sed exhibere illis oportuit Verbum in carne, solem in nube, lumen in testa, mel in cera, cereum in laterna. Spiritus ante faciem illorum Christus Dominus, sed non utique sine umbra, in qua viverent interim inter gentes. Unde et Virgini legitur obumbrasse (Luc. I, 35.), ne vehementiori reverberata splendore, ad candidissimam illam lucem, purissimumque fulgorem, divinitatis, etiam illius aquilæ posset acies hebetari. Minime tamen vel nubes ipsa levis esse potuit otiosa, sed ea quoque usus est in salutem; et discipulorum animos, qui nec ad fidei intellectum sine aliqua mutatione affectus poterant promoveri, nec assurgere adhuc ad spiritualia prævalebant, in suæ carnis provocavit affectum: ut amore quodam humano operanti mira, mira loquenti homini adhaerent, amore utique carnali adhuc, sed tam valido, ut cæteris omnibus prævaleret. Nimirum hic erat ille Moysi serpens, qui serpentes magorum Ægypti omnes pariter devoravit (Exod. VII, 12). Denique: *Ecce nos, inquit, reliquimus omnia, et secuti sumus te* (Matth. XIX, 27). Beati siquidem oculi, qui videbant Dominum majestatis in carne præsentem, auctorem universitatis inter homines conversantem, virtutibus coruscantem, infirmos curantem, maria calcantem, mortuos suscitantem, dæmoniis imperantem, et potestatem similem hominibus conferentem; mixtam et humilem corde, benignum, affabilem, misericordiæ visceribus affluentem, Agnum Dei peccatum non habentem, et omnium peccata portantem. Beatæ aures, quæ verba vitæ ab ipsius incarnati Verbi ore percipere merebantur, quibus enarrabat Unigenitus qui est in sinu Patris, et nota faciebat quæcunque audisset a Patre: ut fluentia doctrinæ cælestis ab ipsius Veritatis purissimo fonte haurirent, universis postmodum gentibus propinanda, imo eructanda potarent.

12. Quid mirum, fratres, si implebat tristitia cor

eorum, cum ab eis sese pronuntiaret iterum, et adderet: *Quo ego vado, vos non potestis venire modo?* (Joan. viii, 21.) Quidni concuterentur viscera, turbaretur affectus, hæsitaret animus, hære: et vultus, paveret auditus, nec omnino æquanimiter discessionis ejus sermo posset admitti, ut relinqueret eos, pro quo omnia reliquissent? Cæterum non ut maneret in carne, sed ut transferretur ad spiritum, totus ab eo ut illam carnem discipulorum fuerat collectas affectus, ut dicere esset aliquando: *Etsi cognovimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus* (II Cor. v, 16). Unde et benignissimus ille magister blandis eos refovens consolationibus ait: *Rogabo Patrem meum, et alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis, qui vobiscum maneat in æternum* (Joan. xiv, 16); et item: *Ego veritatem dico vobis; expedit vobis ut ego vadam. Nisi enim abiero. Paracletus non veniet ad vos* (Joan. xvi, 7). Grande mysterium, fratres mei. Quid enim sibi vult: *Nisi ego abiero, Paracletus non veniet?* Itane invisæ Paracletæ præsentia Christi, aut contubernium Dominicæ carnis Spiritus sanctus horrebat, quæ sicut angelo prænuntiante cognovimus, nec concipi quidem, nisi eo superveniente potuerit? (Luc. i, 35.) Quid est ergo: *Nisi ego abiero, Paracletus non veniet?* Nisi carnis præsentia vestris subtrahatur aspectibus, spiritualis gratiæ plenitudinem occupata mens non admittit non recipit animus, non capit affectus?

13. Quid vobis videtur, fratres? Si hæc ita sunt, imo quia ita sunt, audeat quis de cætero phantasticis quibusdam illecebris deditus, sectans lenocinia carnis suæ, carnis utique peccatricis, genitæ in peccatis, assuetæ peccatis, in qua denique bonum non est, illum pariter expectare Paracletum? Audeat, inquam, qui huic sterquilinio semper inhæret, qui carnem fovet, in carne seminat, carnem sapit; illum nihilominus consolationem supernæ visitationis, torrentem voluptatis illum, illam sperare gratiam Spiritus vehementis, quam, ut Veritas ipsa testatur, nec cum ipsa quidem Verbi carne percipere ullatenus apostoli potuerunt? Errat omnino, si quis cælestem illam dulcedinem huic cineri, divinum illud balsamum **927** huic veneno, charismata illa spiritus misceri posse hujusmodi illecebris arbitratur. Falleris, Thoma sancte, falleris, si videre Dominum speras, ab apostolorum collegio separatus. Non amat Veritas angulos, non ei diversoria placent. In medio stat; id est disciplina et vita communi, communibus studiis delectatur. Usquequo, miser, diverticula captas, et consolationes propriæ voluntatis tanto labore quæritas, tanto rubore mendicæ? Et quid facio, inquis? Ejice ancillam, et filium ejus: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ (Gen. xxi, 10). Nulla, ut dictum est, conventio veritati et vanitati, luci et tenebris, spiritui et carni, igni et tepiditati.

14. Sed dum ille moratur, inquires, sine aliqua consolatione esse non possum. Ino vero si moram fecerit, expecta eum; quia veniet, et non tardabit

(Habac, ii, 5). Apostoli decem dies in hac expectatione sederunt, perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus et Maria, matre Jesu (Act. i, 14). Et tu igitur orare discere, discere quærere, petere, pulsare, donec invenias, donec accipias, donec aperiat tibi. Novit Dominus signum tuum: fidelis est, non te patietur tentari supra quam possis. Confido in ipso, quod si fideliter expectaveris, nec diem decimum expectabit. Præveniet certe in benedictionibus dulcedinis desolatam animam et orantem ut feliciter et non ad insipientiam tibi consolari renuens, in ipsius memoria delecteris, inebriatus ab ubertate domus Dei, et voluptatis ejus torrente potatus. Sic nimirum et Elisæus quondam orasse legitur, cum dulcissimum illud solatium, Eliæ præsentiam sibi plangeret subtrahendam. Sed considera diligentius quid oraverit, quidve responsum sit postulanti. *Oro, inquit, domine, ut fiat spiritus tuus duplex in me.* Nimirum duplicari ei spiritum oportebat, ut magistri abeuntis absentiam gratia duplicata suppleret. Unde et Elias ad eum: *Si videris, inquit, quando tollar a te, fiet quod petisti* (IV Reg. ii, 9, 10). Duplicavit enim spiritum visio abeuntis, cum evidenter raptus in cælum, universa pariter ejus desideria secum tulit, ut inciperet ipse quoque jam sapere quæ sursum sunt, non quæ super terram. Duplicavit spiritum visio abeuntis, ut intellectui spiritualis jungeretur affectus, cum ipsa utique, cui potissimum inhærebat, carne raptus in cælum.

15. Quod evidentius in apostolis invenitur implementum. Ubi enim videntibus illis suus ille Jesus tam manifeste elevatus est, et ferebatur in cælum, ut nemo eorum opus haberet interrogare, Quo vadis? ipsa jam, ut ita dixerim, oculata fide edocti sunt supplices in cælum levare oculos, puras tendere manus, promissa sibi dona charismatum postulantes, donec fieret repente de cælo sonus advenientis spiritus vehementis, advenientis utique ignis, [quem Dominus Jesus mittebat in terram, volens vehementer accendi. Constat siquidem eos et prius Spiritum accepisse, cum videlicet insufflavit eis, et dixit: *Accipite Spiritum sanctum* (Joan. xx, 22); sed spiritum plane fidei et intelligentiæ, non fervoris, quo magis illuminaretur ratio, quam inflammaretur affectio: quod duplicati utique spiritus opus fuit. Quos enim Verbum Patris disciplinam et sapientiam [alias, scientiam] ante docuerat, et intellectum adimpleverat corda eorum; adveniens utique postmodum ignis divinus, et inveniens jam receptacula munda, infudit uberius dona charismatum, et in spiritualem omnino mutavit amorem, ut accensa in eis charitas fortis ut mors, jam non modo fores, sed ne ipsa quidem ora propter metum Judæorum claudere dignaretur. Cui nos gratiæ pro nostræ exiguitatis modulo præparantes, exinanire per omnia nosmetipsos, et a delectationibus miseris, et caducis consolationibus evacuare studeamus, dilectissimi, corda nostra; maximeque instante nunc die festo, et ferventius, et fiducialius unanimiter perseveremus in

oratione, ut sua nos visitatione, sua consolatione et confirmatione dignetur Spiritus ille benignus, spiritus dulcis, spiritus fortis, infirma roborans, aspera planans, corda purificans : qui cum Patre et Filio idipsum, sed non is ipse est : **928** ut tres unum,

A et unum tres esse verissime prorsus, et fidelissime catholica Ecclesia fateatur, a Patre adoptata, a Filio desponsata, a Spiritu sancto confirmata, quibus ut una substantia, sic et eadem nihilominus gloria in sæcula sæculorum. Amen.

IN FESTO PENTECOSTES.

SERMO I.

Quomodo Spiritus sanctus tria operatur in nobis.

1. Celebamus, dilectissimi, hodie Spiritus sancti solemnitate, tota cum jucunditate celebrandam, dignam omni devotione. Dulcissimum enim quiddam in Deo Spiritus sanctus est, benignitas Dei, et idem ipse Deus. Proinde si celebramus sanctorum solemniam, quanto magis ejus, a quo habuerunt ut sancti essent quotquot fuere sancti? Si veneramus sanctificatos, quanto magis ipsum sanctificatorem convenit honorari? Hodie itaque festivitas est Spiritus sancti, qua visibiliter apparuit invisibilis : sicut et Filius, cum sit nihilominus invisibilis in seipso, dignatus est exhibere se in carne visibilem. Hodie Spiritus sanctus revelat nobis aliquid de seipso, sicut ante de Patre et Filio aliquid noveramus : nam perfecta Trinitatis cognitio, vita æterna est. Nunc autem ex parte cognoscimus, reliqua credimus, quæ minime sufficimus comprehendere. Et de Patre quidem novi creationem, clamantibus creaturis : *Ipse fecit nos, et non ipsi nos* (*Psal. xcix, 3*). *Invisibilia enim Dei, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* (*Rom. 1, 20*). At vero æternitatem et immutabilitatem ipsius comprehendere multum est a me : lucem habitat inaccessibleem. De Filio autem magnum aliquid novi, ejus gratia, scilicet Incarnationem. Nam generationem ejus quis enarrabit? (*Isa. liii, 8*.) Quis comprehendat æqualem genitum genitori? Jam et de Spiritu sancto, si non processione, quo ex Patre Filioque procedit (illa enim mirabilis facta est scientia ex me; confortata est, et non potero ad eam) (*Psal. cxxxviii, 6*), novi tamen aliquid, videlicet inspirationem. Duo enim sunt, unde procedat, et quo. Processio a Patre et Filio posuit tenebras latibulum suum; sed processio ad homines hodie cæpit innotescere, et est jam fidelibus manifesta.

. Et prius eadem (quoniam sic oportebat) signis visibilibus invisibilis Spiritus suum declarabat adventum : nunc ejus signa quo spiritualiora sunt, eo magis congrua, eo magis videntur Spiritu sancto digna. Venit tunc super discipulos in linguis igneis, ut linguis omnium gentium verba ignea loquerentur, et legem igneam linguæ igneæ prædicarent. Nemo conqueratur quod minime nobis illa manifestatio Spiritus fiat : unicuique enim datur manifestatio Spiritus ad utilitatem (*I Cor. xii, 7*). Denique si dicere opus est, nobis ista manifestatio potius quam apostoli facta est. Ad quid enim illis necessariæ

linguæ gentium, nisi ad conversionem gentium? Fuit in eis alia quædam manifestatio magis ad eos perti-
nens : et hæc usque hodie sit in nobis. Manifestum enim fuit indutos esse virtute ex alto, qui de tanta pusillanimitate spiritus ad tantam devenere constantiam. Non est jam fugere, non est abscondi propter metum Judæorum; constantius modo prædicant, quam delitescerent ante timidius. Denique mutationem illam dexteræ Excelsi manifeste declarat principis apostolorum prius quidem inter ancillæ verba formido, postmodum inter principum verbera fortitudo, *Ibant, ait Scriptura, gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (*Act. v, 41*) : quem sane prius, cum duceretur ad concilium, solum reliquerant fugientes. Quis dubitet advenisse Spiritum vehementem, qui mentes eorum invisibili illustraret potentia? In hunc modum etiam modo quæ Spiritus operatur in nobis, testimonium perhibent [*alias adatur, in nobis*] de eo.

3. Quia igitur mandatum accepimus, ut declinantes a malo, faciamus quod bonum est (*Psal. xxxiii, 13*); vide quemadmodum **929** Spiritus in utroque adjuvat infirmitatem nostram : nam divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus (*I Cor. xii, 4*). Propterea ad declinandum a malo tria operatur in nobis; compunctionem, supplicationem, remissionem. Initium enim revertendi ad Deum pœnitentia est, quam sine dubio spiritus operatur, non noster, sed Dei : idque et certa ratio docet, et confirmat auctoritas. Quis enim cum ad ignem venerit algens, et fuerit calefactus, dubitabit ei ab igne venisse calorem, quem habere non poterat sine illo? Sic ergo qui prius iniquitate erat frigidus, si postmodum fervore quodam pœnitentiæ accendatur, alium sibi spiritum, qui suum arguit et dijudicat, non dubitet advenisse. Habes hoc et in Evangelio, ubi cum loqueretur de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum : *Ille, inquit, arguet mundum de peccato* (*Joan. xvi, 8*).

4. Sed quid prodest pœnitere de culpa, et non supplicare pro venia? Necessè est ut etiam hoc Spiritus operetur, dulcedine quadam spei replens animum, per quam fiducia postules nihil hæsitans. Visne ostendam tibi etiam hoc opus esse Spiritus sancti? Utique dum abest ille, tale aliquid in tuo spiritu non invenies. Denique ipse in quo clamamus : *Abba, Pater* : ipse qui postulat pro sanctis gemitibus inenarrabilibus (*Rom. viii, 15, 26*). Et hæc

quidem in corde nostro. Quid autem in corde Patris? A Sicut in nobis interpellat pro nobis; ita in Patre delicta donat cum ipso Patre, advocatus noster ad Patrem in cordibus nostris, Dominus noster in corde Patris. Itaque quod postulamus, idem ipse donat, qui donat ut postulemus: et sicut nos erigit pia quadam fiducia, ita Deum inclinat ad nos magis pia misericordia sua. Itaque ut omnino scias quia remissionem peccatorum Spiritus sanctus operatur, audi quod aliquando audierunt apostoli: *Accipite Spiritum sanctum; quorum remisistis peccata remittuntur eis* (Joan. xx, 22). Et de malo quidem declinando sic.

5. Porro ad faciendum bonum quid in nobis Spiritus bonus operatur? Profecto monet, et movet, et docet. Monet memoriam, rationem docet, movet voluntatem. In his enim tribus tota consistit anima nostra. Memoria suggerit bona in cogitationibus sanctis, atque ita ignaviam nostram torporemque repellit. Propterea quoties hujusmodi suggestionem boni senseris in corde tuo, da honorem Deo, et age reverentiam Spiritui sancto, cujus vox sonat in auribus tuis. Ipse namque est qui loquitur justitiam. Et in Evangelio habes quia ille *suggeret vobis omnia, quaecunque dixerit vobis*. Et advertite quid praeiserit: *Ille vos docebit omnia* (Joan. xiv, 26). Dixeram enim quia docet rationem. Multi siquidem monentur, ut beneficiant; sed minime sciunt quid agendum sit, nisi adsit denuo gratia Spiritus sancti; et quam inspirat cogitationem, doceat in opus proferre, ne vacua in nobis sit gratia Dei. Sed quid? *Scienti bonum, et non facienti, peccatum est illi* [alias additur gratia] (Jac. iv, 17). Propterea non solum moneri et doceri, verum etiam moveri et affici ad bonum necesse est ab eo utique Spiritu, qui adjuvat infirmitatem nostram, et per quem in cordibus nostris diffunditur charitas, quae est bona voluntas.

6. Itaque cum sic adveniens Spiritus totam possederit animam, suggerendo, instruendo, afficiendo, loquens semper in cogitationibus nostris, ut audiamus et nos quid loquatur in nobis Dominus Deus, rationem illuminans, voluntatem inflammans; non tibi videtur quia totam domum impleverint dispersitae linguae tanquam ignis? Nam in his tribus superius dictum est animam consistere totam. Sint autem dispersitae linguae propter multiplicis cogitationes; sed earum multiplicitas et uno lumine veritatis, et uno charitatis fervore sit tanquam ignis. Aut certe domus adimpletio fini potius reservetur, quando mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinus nostros. Sed quando haec erunt? Profecto cum completi fuerint dies Pentecostes. Felices vos, qui jam intrastis quinquagesimam requiei, et jubilaeum annum. Fratres nostros loquor, quibus jam dixit Spiritus ut requiescant a laboribus suis. Etenim 930 hoc quoque inter ejus opera reperimus. Duo namque tempora celebramus, fratres; Quadragesimae unum, alterum Quinquagesimae: illud ante Passionem, istud post Resurre-

ctionem; illud in compunctione cordis et lamento poenitentiae, istud in devotione spiritus et Alleluia solemnium. Prius quidem tempus ipsa est vita praesens, posterius vero quietem sanctorum significat, quae est post mortem. Cum autem venerit illius quinquagesimae finis, in iudicio scilicet et resurrectione, completis diebus Pentecostes, aderit plenitudo Spiritus, et totam replebit domum. Plena siquidem erit omnis terra majestate ejus, quando non solum anima, sed et ipsum corpus spirituale resurget, si tamen, juxta Apostoli monitum, dum adhuc est animale, fuerit seminatum (I Cor. xv, 44).

SERMO II.

De operibus Trinitatis super nos, et de tripliciter gratia Spiritus sancti.

1. Hodie, dilectissimi, caeli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel, et pluvia voluntaria segregata est haereditati Christi (Psal. lxxvii, 9, 10). Spiritus enim sanctus procedens a Patre, largiori munere suae majestatis in apostolos supervenit, et tribuit eis charismatum dona. Post magnificentiam enim resurgentis, post gloriam ascendentis, post residentis sublimitatem, non restabat nisi ut expectata [alias, expectationi] justorum laetitia adveniret, et caeli muneribus caelestes homines implerentur. Vide autem si non et sententiarum pondere, et verborum ordine haec omnia Isaias longe ante praedixit. Erit, inquit, *in die illa germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terrae sublimis, et exsultatio his qui salvati fuerint de Israel* (Isa. lv, 2).

C Germen Domini Jesus Christus [alias, non germen Adae], solus de mundissimo conceptus semine; quia, etsi in similitudine carnis peccati, non tamen in carne peccati. Etsi filius carnis Adae, non tamen filius praevagationis Adae; quia non fuit natura filius irae, sicut reliqui omnes, qui in iniquitatibus sunt concepti. Istud ergo germen, quod de virga Jesse virore virgineo pullulavit, in magnificentia fuit, cum resurrexisset a mortuis; quia tunc, Domine Deus meus, magnificatus es vehementer, confessionem et decorem induens, amictus lumine sicut vestimento (Psal. ciii, 1, 2). Quanta autem ascendentis gloria, cum medius angelorum et animarum sanctarum ad Patrem deduceris, et triumphatrice palma caelis invectus, susceptum hominem in ipsa divinitatis claudis identitate? Quis cogitet, nedum loquatur, quam sit fructus terrae sublimis in consessu ad dexteram Patris, quod utique caelestium oculos reverberat naturarum, quod angelicus intuitus contremuit, non attingit? Veniat ergo exsultatio, Domine Jesu, his qui salvati sunt de Israel, apostolis tuis, quos elegisti ante mundi constitutionem. Veniat Spiritus tuus bonus qui sordes abluat, et infundat virtutes, in spiritus iudicii, et spiritu ardoris [alias additur Dei].

2. Eia igitur, fratres, cogitemus super nos et in nos opera Trinitatis ab initio mundi usque ad finem, et videamus quam sollicita fuerit illa majestas, cui administratio pariter et gubernatio saeculo-

rum incubit, ne nos perderet in æternum. Et potenter quidem omnia fecerat, et sapienter omnia gubernabat, et utrarumque rerum, tam potentia quam sapientia, signa manifestissima tenebantur in creatione et conservatione machinæ mundialis. Et bonitas quidem in Deo erat, et bonitas multa nimis; sed latebat in corde Patris, cumulanda quandoque super genus filiorum Adam in tempore opportuno. Dicebat tamen Dominus : *Ego cogito cogitationes pacis* (Jerem. xxix, 11), ut mitteret nobis illum, qui est pax nostra, qui fecit utraque unum. ut jam daret pacem super pacem his qui longe, et pacem his qui prope (Ephes. ii, 14, 17). Verbum igitur Dei in sublimi constitutum, ut ad nos descenderet propria benignitas **931** invitavit, misericordia traxit, veritas qua se promiserat venturum compulit, puritas uteri virginalis salva Virginis suscepit integritate, potentia eduxit, obedientia in omnibus deduxit, patientia armavit, claritas verbis et miraculis manifestavit.

3. Prorsus amplissima mihi nunc materia et malorum meorum suppetit, et honorum Domini mei, ut cum cogitaverim vias meas, convertam pedes meos in testimonia sua. Illa enim bona ineffabilia sunt, quia, ut brevi verbo cuncta concludam, nihil melius invenire potuit, unde nos redimeret Sapientia Dei in omni sapientia sua. Sed et mala circumdederant nos, quorum non erat numerus; quia *veccavi* (justus loquitur) *super numerum arenæ maris*; et : *Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo : multum est enim* (Psal. xxiv, 11). Missus est coluber tortuosus a diabolo, ut venenum per aures mulieris in ipsius mentem transfunderet, et sic refunderet in totius posteritatis originem : missus est interim Gabriel angelus a Deo, ut Verbum Patris per aurem Virginis in ventrem et mentem ipsius cructaret, ut eadem via intraret antidotum, qua venenum intraverat. Vere vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre; quia totum paternum est, quod de corde Patris Christus attulit nobis, ut nihil in Filio Dei nisi dulce, nisi paternum, humani generis trepidatio suspicetur. A planta pedis usque ad verticem non erat in nobis sanitas. Erraveramus ab utero, in utero damnati antequam nati, quia de peccato et in peccato concepti.

4. Christus ergo tibi primum medicinam apposuit, ubi primus vulnere patebat locus : et substantialiter utero Virginis illapsus, de Spiritu sancto conceptus est; ut conceptionem nostram mundaret, quam spiritus malus, si non fecerat, tamen infecerat : ut non esset etiam in utero vita ipsius otiosa, dum novem mensibus purgat vulnus antiquum, scrutans, ut dicitur, usque ad inum putredinem virulentam, ut sanitas sempiterna succederet. Et tunc jam operabatur salutem nostram in medio terræ, in utero videlicet Virginis Mariæ, quæ, mirabili proprietate,

(49) Certissima vocat signa eo modo quo sermone 2 in Octava Paschæ, num. 3, ubi certitudo nobis omnino negatur. Confer sermonem 1 in Septuagesima, num. 1 : certitudinem utique non habe-

terre medium appellatur. Ad illam enim, sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum, respiciunt et qui in cælo habitant, et qui in inferno, et qui nos præcesserunt, et nos qui sumus, et qui sequentur, et nati natorum, et qui nascentur ab illis. Illi qui sunt in cælo, ut resarciantur; et qui in inferno, ut eripiantur; qui præcesserunt, ut prophetæ fideles inveniantur; qui sequuntur, ut glorificentur. Eo beatam te dicent omnes generationes (Luc. i, 48), Genitrix Dei, domina mundi, regina cæli. Omnes, inquam, generationes. Sunt enim generationes cæli et terræ. *Pater spirituum*, ait Apostolus, *ex quo omnis paternitas in cælo et in terranominatur* (Ephes. iii, 15). Ex hoc ergo beatam te dicent omnes generationes, quæ omnibus generationibus vitam et gloriam genuisti. In te enim angeli lætitiæ, justî gratiam, peccatores veniam inveniunt [alias, invenerunt] in æternum. Merito in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, et per te, et de te benigna manus Omnipotentis quidquid creaverat recreavit.

5. Placebitne tibi, Domine Jesu, ut dones mihi vitam tuam, sicut delisti conceptionem? quia non solum conceptio mea immunda, sed mors perversa, vita periculosa, et post mortem restat mors gravior, mors secunda. Non solum, ait, conceptionem meam, sed et vitam meam; et hoc per singulos ætatum gradus, infantia, pueritia, adolescentia, juventutis, tibi donabo, adjiciens mortem, resurrectionem, ascensionem, et missionem Spiritus sancti. Hoc autem ideo, ut conceptio mea emundet tuam, vita mea instruat tuam, mors mea destruat tuam, resurrectio mea præcedat tuam, ascensio mea præparet tuam, porro Spiritus **932** adjuvet infirmitatem tuam. Sic enim plane videbis et viam per quam ambules; et cautelam qua ambules, et ad quam ambules mansionem. In vita mea cognosces viam tuam, ut sicut ego paupertatis et obedientia, humilitatis et patientia, charitatis et misericordia indeclinabiles semitas tenui; sic et tu eisdem vestigiis incedas, non declinans ad dexteram, neque ad sinistram. In morte autem mea dabo tibi justitiam meam, dirumpens jugum captivitatis tuæ, et expugnans hostes qui sunt in via, vel juxta viam, ut non apponant amplius nocere tibi. His autem completis, revertar in domum meam unde exivi; et ovisus illis, quæ in montibus remanserant, et quas propter te reliqueram, ut te non reducerem, sed reportarem, reddam faciem meam.

6. Et ne de absentia mea vel murmures, vel contristeris, mittam tibi Spiritum Paraclætum, qui tibi donet pignus salutis, robur vitæ, scientia lumen. Pignus salutis, ut ipse Spiritus reddat testimonium spiritui tuo, quod filius Dei sis : qui certissima signa prædestinationis tuæ cordi tuo imprimat et ostendat (49) : qui donet lætitiæ in corde tuo, et nus; sed spei fiducia consolatur nos... Propter hoc data sunt signa quædam et indicia manifesta salutis... ut quibus certitudinem negat causa sollicitudinis, vel fiduciam præstet gratia consolationis.

de rore coeli, si non continue, tamen sæpiissime a ridentem tuam impinguet. Robur vitæ, ut quod per naturam tibi est impossibile, per gratiam ejus non solum possibile, sed et facile fiat; ita ut in laboribus, in vigiliis, in fame et siti, et in omnibus observantiis istis (quæ nisi farinula ista dulcorentur, prorsus mors in olla appareat {IV Reg. iv, 41}) delectabiliter incedas, sicut in omnibus divitiis. Scientiæ lumen, ut cum omnia bene fecoris, te servum inutilem reputes; et quidquid boni in te inveneris, illi tribuas, a quo omne bonum, et sine quo non parum aliquid, sed nihilominus potes incipere, ne perficere dicam. Sic ergo Spiritus iste in tribus istis te docebit omnia, sed omnia quæ ad tuam pertineant salutem, quia in ipsis est plena et absoluta perfectio.

7. Hoc est quod per prophetam idem Spiritus dicit: *Seminate vobis ad justitiam*, ubi pignus salutis ostenditur; *metite spem vitæ*, ubi vitale robur accipitur; *illuminate vobis lumen scientiæ* (Osee, x, 12), quod verbis propriis subinfertur. Unde et Spiritus iste super apostolos in igne apparuit, propter lucem pariter et ardorem. Quos enim repleverit, et spiritu fervere, et in veritate agnoscere facit, quia sola misericordia est quæ eos et prævenit, et perducit. Multum sibi de hac misericordia undique contraxerat [alias, condixerat] puer Domini, cum diceret: *Misericordia ejus prævenit me* (Psal. LVIII, 11); et: *Misericordia tua ante oculos meos est* (Psal. xxv, 3); et: *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ* (Psal. xxii, 6); et: *Qui me coronat in misericordia et miserationibus* (Psal. cii, 4); et: *Deus meus, misericordia mea* (Psal. LVIII, 18). Quam dulciter, Domine Jesu, cum hominibus conversatus es! quam abundanter multa, et magna bona hominibus largitus es! quam fortiter tam indigna quam aspera pro hominibus passus es! ita ut liceat sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo: duro ad verba, duriore ad verbera, durissimo ad crucis horrenda; quia in omnibus his sicut agnus coram tondente se obmutuit, et non aperuit os suum. Vides igitur quam verum dixerit ille qui dixit: *Dominus sollicitus est mei* (Psal. xxxix, 18). Pater ut servum redimat, Filio non parcat; Filius seipsum libentissime tradit, Spiritum sanctum uterque mittit, et ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

8. O duri, et indurati, et obdurati filii A dam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amator, qui pro vilibus sarcinulis tam pretiosas merces expendit! Non enim corruptibilibus auro vel argento redemit nos, sed pretioso sanguine suo, quem effudit abunde; quia largiter undæ sanguinis de corpore Jesu per quinque partes emanaverunt. Quid ultra debuit facere, et non fecit? Illuminavit cæcos, reduxit erroneos, reconciliavit reos, justificavit impios, triginta et tribus 933 annis super terram visus, cum hominibus conversatus, pro hominibus mortuus, qui de cherubim et seraphim, et omnibus angelicis virtutibus

dixit, et facta sunt; cui subest, cum voluerit, omnia posse. Quid ergo a te quærit qui tanta sollicitudine te quæsit, nisi te sollicitum ambulare cum Deo tuo? Hanc sollicitudinem non facit nisi Spiritus sanctus, qui scrutatur profunda pectorum nostrorum, discretor cogitationum et intentionum cordis, qui nec minimam paleam intra cordis, quod possidet, habitaculum patitur residere, sed statim igne subtilissimæ circumspectionis exurit; Spiritus dulcis et suavis, qui nostram voluntatem flectat, imo erigat, et dirigat magis ad suam; ut eam et veraciter intelligere, et ferventer diligere, et efficaciter implere possimus.

SERMO III.

De multiplici operatione Spiritus sancti in nobis.

1. Quam libenter vobis communicem, si quid mihi superna dignatione sensero inspiratum, novit Spiritus ipse, cujus hodie solemnitatem, et solemnitatem præcipuam celebramus, utinam devotione præcipua. Ipse est enim, dilectissimi, qui vos sedere facit non solum in civitate, sed et in domo una, ut sedeat super sedentes, et requiescat super humiles et trementes ad sermones suos. Ipse est qui Virgini obumbravit, apostolos roboravit, ut et virgineo corpori temperaret deitatis accessum, et apostolos indueret virtute ex alto, ferventissima scilicet charitate. Hanc mirum apostolicus ille chorus lorica sese induit, sicut gigas ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis; ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreæ (Psal. cxlix, 7, 8). Quia enim in domum fortis ligare eum et vasa ejus diripere mittebantur, opus erat fortitudine ampliori. Alioquin quam multum erat a ipsos, ut de morte triumpharent, et ne ipsæ quidem portæ inferi prævalerent adversus eos, si non vigeret in eis, quæ in eis vinceret, dilectio fortis ut mors, dura sicut infernus æmulatio? Hunc sibi zelum imbibebant, cum vino ebrii putarentur (Act. ii, 13). Et vere ebrii vino, sed non eo, quo ab incredulis ebrii credebantur. Plane, inquam, ebrii, sed vino novo, quod veteres quidem utres nec mererentur accipere, nec continere valerent. Hoc enim vinum vera illa Vitis fuderat de excelso, vinum lætificans cor, non statum mentis evertens; vinum germinans virgines, non apostatare faciens etiam sapientes. Novum vinum, sed habitantibus super terram. Nam in cælis quidem olim copiosissime redundabat, non in utribus, nec in testecis vasis, sed in cella vinaria, in spiritualibus apothecis. Fluebat per vicos et plateas omnes illius civitatis vinum, in quo lætitia cordis, non carnis luxuria est: nam terrigenæ et filii hominum vinum ejusmodi non habebant.

2. Sic igitur cælum quidem vino proprio fruebatur, quod terra interim nesciebat; sed ne ipsa quidem terra penitus inops, carne Christi gloriabatur, cujus præsentiam nihilominus cælum sciebat. Quidni fidelissimum fieret gratissimumque commercium inter cælum et terram, inter angelos et apostolos, ut exhiberetur illis caro Christi, istis vinum

cœli; essetque in terra Spiritus, caro in cœlis, ac A deinceps omnia omnibus communia in æternum? *Nisi*, inquit, *ego abiero, Paracletus non veniet ad ros*. Hoc est dicere: Si non dederitis quod amatis, non habebitis quod desideratis. *Expedit ergo vobis ut ego vadam* (Joan. xvi, 7), vos quoque de terra ad cœlum, de carne ad spiritum translaturus. Filius enim spiritus, Pater spiritus, Spiritus sanctus spiritus est. Denique spiritus ante faciem nostram Christus Dominus. Sed et Pater, quia spiritus est, tales quærit adoratores qui adorent eum in spiritu et veritate. Spiritus tamen sanctus quasi specialiter spiritum dicitur, quod ab utroque procedat, firmissimum et indissolubile **934** vinculum Trinitatis: tanquam proprie sanctus, quod sit donum Patris et Filii, omnem sanctificans creaturam; quamvis Pater quoque et spiritus et sanctus; itemque et Filius et spiritus et sanctus sit: *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia*, ait Apostolus (Rom. xi, 36).

3. Tria in magno hujus mundi opere cogitare debemus; videlicet quid sit, quomodo sit, ad quid constitutus. Et inesse quidem rerum inestimabilis potentia commendatur, quod tam multa, tam magna, tam multipliciter, tam magnifice sunt creata. Sane in modo ipso sapientia singularis elucet: quod hæc quidem sursum, hæc vero deorsum, hæc in medio ordinatissime sint locata. Si vero ad quid factus sit mediteris, occurrit tam utilis benignitas, tam benigna utilitas, quæ etiam ingrattissimos quosque multitudine et magnitudine beneficiorum possit obruere. Potentissime siquidem ex nihilo omnia, sapientissime pulchra, benignissime utilia sunt creata. Verumtamen et fuisse novimus ab initio, et adhuc multos esse videmus in filiis hominum, qui in bonis inferioribus sensibilis mundi hujus tota sensualitate depressi, totos se dederant his quæ facta sunt, quoniam modo, vel ad quid facta sint negligentes. Quid istos, nisi carnales dicamus? Paucissimos esse jam arbitror: legimus tamen nonnullos quandoque fuisse, quibus summum studium fuit atque unica sollicitudo, modum et ordinem investigare factorum, adeo ut plerique non modo utilitatem rerum perquirere dissimulaverint, sed et ipsas magnanimitè spreverint, cibo parvissimo vilissimoque contenti. Ipsi quidem sese philosophos vocant, sed a nobis **D** curiosi et vani rectius appellantur.

4. Utrisque igitur successerunt viri prudentiores utrisque, qui nimirum et quæ facta sunt, et quomodo facta sunt transilientes, intenderunt aciem mentis, ut ad quid facta sunt viderent. Nec latuit eos, quoniam omnia propter semetipsum fecit Deus, omnia propter suos. Aliter tamen propter se, aliter propter suos. In eo quippe quod dicitur: « Omnia propter se (Prov. xvi, 4), » præveniens commendatur origo: in eo autem quod dicitur: « Omnia propter suos, » magis exprimitur fructus sequens. Omnia fecit propter semetipsum, gratuita videlicet bonitate; omnia propter electos suos, pro eorum scilicet utilitate: ut illa quidem efficiens causa sit, hæc

finis. Hi sunt spirituales viri, sic utentes hoc mundo, tanquam non utentes, sed in simplicitate cordis sui quærentes Deum, ne illud quidem magnopere vestigantes, quoniam modo mundialis hæc machina volveretur: primi voluptate, secundi vanitate, tertii veritate impleti.

5. Gaudete vos esse de hac schola, de schola videlicet Spiritus, ubi bonitatem, et disciplinam, et scientiam discatis, et dicatis eum sancto: *Super omnes docentes me intellexi*. Quare inquam? Nunquid quia purpura et bysso me indui, et quia lautioribus epulis abundavi? nunquid quia Platonis argutias, Aristotelis versutias intellexi, aut ut intelligerem laboravi? Absit, inquam: *sed quia testimonia tua exquisivi* (Psal. cxviii, 99). **F** Felix, qui in hoc sancti **B** Spiritus thalamo commoratur, ut possit intelligere triplicem illum spiritum: de quo idem ipse puer Domini super senes intelligens clamabat, et decantabat: *Ne projicias me a facie tua, et spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Redde mihi lætitiã salutaris tui, et spiritu principali confirma me* (Psal. l, 12-14). Spiritum sanctum, ipsum intellige proprio nomine designatum. Rogat ergo ne projiciatur a facie ejus tanquam aliquid immundum; quia Spiritus iste odit sordes, nec habitare potest in corpore subdito peccatis. Cui enim proprium est peccata repellere, **I** ipsi et proprium est peccata odisse: nec in uno domicilio pariter morabuntur tanta munditia, et immunditia tanta. **R**eccepto ergo sancto Spiritu per sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum, audet quis ante faciem ejus apparere tanquam lotus et mundus; utpote qui contineat se ab omni malo, et **935** qui actiones, etsi non cogitationes frenaverit?

6. Sed quia perversæ et immundæ cogitationes separant a Deo (Sap. i, 3), orandum est ut cor mundum creetur in nobis: quod utique fiet, si spiritus rectus fuerit in nostris visceribus innovatus. Spiritum rectum quod ait, Filio potest non inconvenienter aptari; qui nos veterem hominem exuens, novum induit: qui nos renovavit in spiritu mentis nostræ, tanquam in visceribus nostris; ut cogitemus quæ recta sunt, ut ambulemus in novitate spiritus, et non in litteræ vetustate. Formam enim rectitudinis de cœlis attulit, relinquit in terris: immiscens sane et immittens dulcedinem rectitudinæ in omnibus operibus suis, sicut de eo idem ipse prædixerat: *Dulcis et rectus Dominus; propter hoc legem dabit delinquentibus in via* (Psal. xxiv, 8). Castigato ergo corpore per sanctitudinem operum, mundato corde, vel potius innovato per rectitudinem cogitationum, redditur lætitia salutaris, ut jam in lumine vultus Dei ambules, et in nomine ejus exsultes tota die.

7. Quid igitur restat, nisi ut spiritu principali confirmeris? Patrem intellige spiritum principalem: non quod major, sed quod solus a nullo, cum ab eo sit Filius, Spiritus sanctus ab utroque. In quo autem confirmatio hæc, nisi in charitate? aut quod donum aliud tam dignum Patre? quod munus aliud tam pa-

ternura? *Quis nos*, ait Apostolus, *separabit a charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* Certi sitis quia neque mors, neque vita, neque cætera alia, quæ Apostolus tam multipliciter, quam audacter enumerat, poterunt nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu (*Rom. viii, 35, 38, 39*). Nunquid non hoc confirmationem ab omni lujus sententiæ parte demonstrat? Scis vas tuum possidere in sanctificatione et honore, et non in passione desiderii? Spiritum sanctum accepisti tibi. Vis ut quæcunque tibi vis ab hominibus fieri, tu quoque facias illis, et quod tibi fieri non vis, alii non feceris? Spiritum rectum ad opus proximi suscepisti. Hæc est enim rectitudo, quam lex utraque commendat, et quæ naturæ indita est, et quæ tradita per Scripturam. Jam si in utroque bono, et in his quæ ad utrumque pertinent, firmiter perseveras; principalem spiritum, quem solum Deus approbat, recepisti: alioquin quæ modo sunt, modo non sunt, is qui vere est, non acceptat, nec in caducis istis sibi potest æternitas complacere. Itaque si desideras, ut in te Deus eligat partem sibi: esto sollicitus sicut tibi Spiritum sanctum, sicut proximo spiritum rectum, sic ei quoque, tanquam vero principi, et patri spirituum, spiritum principalem exhibere.

8. Vere multiplex Spiritus, qui tam multipliciter filiis hominum inspiratur, ut non sit qui se abscondat a calore ejus. Stquidem conceditur eis ad usum, ad miraculum, ad salutem, ad auxilium, ad solatium, ad fervorem. Ad usum quidem vitæ, bonis et malis,

A lissime tribuens, ita ut videatur hic discretionis limitem non tenere. Ingratus est qui in his quoque beneficium Spiritus non agnoscit. Ad miraculum, in signis et prodigiis, in variis virtutibus, quas per quorumlibet manus operetur. Ipse est antiqua miracula suscitans, ut ex præsentibus fidem astruat præteritorum. Sed quia nonnullis hanc quoque gratiam sine propria utilitate largitur, tertio infunditur ad salutem, cum in toto corde nostro revertimur ad Dominum Deum nostrum. Porro ad auxilium datur, cum in omni collectatione adjuvat infirmitatem nostram. Nam cum testimonium perhibet spiritui nostro, quod filii Dei sumus, ea inspiratio est ad consolationem. Datur etiam ad fervorem, cum in cordibus perfectorum vehementius spirans, validum B ignem charitatis accendit: ut non solum in spe filiorum Dei, sed etiam in tribulationibus gloriantur, contumeliam gloriam reputantes, opprobrium gaudium, despectionem exaltationem. Omnibus nobis, ni fallor, datus est Spiritus ad salutem; ad fervorem non ita. Pauci enim sunt qui hoc spiritu replentur; 936 pauci qui studeant æmulari. Contenti sumus angustiis nostris, nec respirare in libertatem illam, non saltem ad eam spirare conamur. Oremus, fratres, ut complentur in nobis dies Pentecostes, dies remissionis, dies exultationis, dies verissimi jubi læ: et inveniatur nos semper Spiritus sanctus omnes propter præsentiam corporalem, pariter propter cordium unitatem, in eodem loco per promissam stabilitatem; ad laudem et gloriam sponsi Ecclesiæ Jesu Christi Domini nostri, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

DOMINICA IV POST PENTECOSTEN.

SERMO (50)

De David et Golia, et quinque lapidibus. (I Reg. xvii, 40.)

1. Audivimus ex libro Regum, Goliath, virum proceræ staturæ, præsumentem super multa fortitudine et magnitudine corporis sui, vociferantem adversus phalanges Israel, et provocantem eas ad singulare certamen: audivimus etiam a Deo suscitatum spiritum pueri junioris, ut indigne ferret virum spurium et incircumcisum, castris Israel et Dei summi exprobrantem agminibus. Spectavimus procedentem adolescentulum in funda et lapide adversus monstruosæ magnitudinis hominem loriceatum, et clypeo protectum ac galea, cæterisque terribilem militaribus armis. Si qua in nobis erant viscera pietatis, non potuimus non timere sic ineunti conflictum, non congaudere vincenti. Laudavimus magnanimitatem parvuli, quod comederet animam ejus zelus domus Dei, et opprobria exprobrantium ei a se non duceret aliena; sed tanquam ad propriam moveretur injuriam, et doleret super

contritione Joseph. Mirati sumus tantam in adolescente fiduciam, quanta non inveniretur in universo Israele. Collatam denique cœlitus victoriam, et divina manifeste patratam virtute, tam læti suscepimus, quam solliciti certamen spectavimus armati fide parvuli, et gloriantis propria in virtute gigantis.

2. Jam si spiritualem, secundum Apostoli testimonium, legem esse non ignoramus (*Rom. vii, 14*), et scriptam esse propter nos non solum exterioris superficiæ oblectandos aspectu, sed interiorum quoque sensuum gustu, tanquam medulla tritici, satianos: considerandum nobis est quisnam videatur iste Goliath, qui populo Dei, jam repromissivis terram ingresso, jamque multis ex hostibus triumphanti, solus exprobrare præsumit, elatus et inflatus spiritu carnis suæ. Credo enim non incongrue in superbo homine superbæ vitium designari. Ipsum

(50) Hic sermo, Nicolai Claræ-Vallensis Sermonibus novemdecim, Henrico Trecensium comiti nuncupatis, subjicitur in codicibus nonnullis: at nec in paucioribus, nec sequioris notæ, Bernardo tribuitur,

atque etiam in Floribus Willelmi monachi Tornacensis ex Bernardo collectis ante annos quadringentos, ut in hujusce tomi Præfatione diximus.

namque est peccatum maximum, quod Dei populo magis insultat, et insurgit specialiter adversus eos, qui cætera jam videantur vicisse peccata. Hinc est quod provocat ad singulare certamen, tanquam cæteris jam subactis. Nam et Philistæi illo in tempore timebant omnino adversus Israel inire conflictum, nisi quod de Golia, enormis magnitudinis viro, eorum fiducia tota pendebat. Unde enim ejusmodi animam superbia tentet, quam sibi subjugavit invidia, seu tepiditas ea, quæ solet Deo vomitum provocare (*Apoc.* iii, 16); aut pigritia, quæ facit ut boum stercorebus lapidetur? (*Ecclesi.* xxi, 2.) Unde, inquam, ei superbia, unde extollentia oculorum, cui adeo cætera vitia dominantur, ut dijudicari se ab universis tanquam male sibi conscius arbitretur? Quis denique nisi manu fortis, qui cætera jam sibi potenti virtute vitia subjugavit, adversus nequissimum superbiæ vitium dimicaturus accedat? Procedat, inquam, David manu fortis, quoniam non est vincere tantum hostem, nisi in manu forti. Armetur ipse contra Goliath, qui et ursum vicerit et leonem.

3. Videat sane, utrum Saulis ei arma possint prodesse, utrum sæculari sapientia et philosophicis traditionibus, **937** seu etiam divinarum superflicie Scripturarum, quam nimirum occidentem litteram vocat Apostolus (*II Cor.* iii, 6) : videat, inquam, utrum his armis debellare superbiæ, utrum hac via humilitatem apprehendere possit, ut onerari sese magis quam roborari sentiens, hujusmodi arma atque impedimenta projiciat, jactans omnino cogitatum suum in Domino; et de propria penitus desperans industria, sola fide armatus, non reputet Goliath proceritatem, ne forte magnitudinis ejus mole prematur, sed potius psallat spiritu, psallat et mente : *Dominus, inquit, defensor vitæ meæ; u quo trepidabo?* (*Psal.* xxvi, 1.) Nam et Petrus dum nec ventorum violentiam, nec maris profundum, corporisque pondus consideraret, in verbo Domini jactans semetipsum, nec perire potuit, nec timere. At ubi vidit ventum validum venientem, timuit, ipsoque timore protinus mergi cœpit (*Matth.* xiv, 28-30). Simile aliquid etiam nunc athletæ nostro rex Saul suadere tentat : *Non potes, inquit, resistere Philistæo isti, nec pugnare adversus eum, quoniam puer es, hic autem vir bellator ab adolescentia sua.* Verumtamen non acquiescit ille tale aliquid meditari; sed præsumens de virtute ejus, cujus auxilio priora certamina jam vicisset, accedit intrepidus. Colligit igitur, abjectis armis Saulis, quinque-lapides de torrente, quos nimirum, cum levia quæque tolleret, levigare torrens potuit, sed non etiam tollere secum. Torrens quippe (quem utinam pertranseat anima nostra) sæculum præsens est, Scriptura teste, quoniam *generatio advenit et generatio præterit* (*Ecclesi.* i, 4); tanquam tumens unda undam implens. Quia ergo omnis caro fenum, et omnis gloria ejus tanquam flos agri, hujusmodi

levia facile secum trahit torrens inundans : verbum autem Domini, nullis fluctibus celens, manet in æternum (*Isa.* xl, 6, 8).

4. Arbitror proinde non incongrue quinque lapidibus istis, quinquepartitum verbum intelligi, comminationis, promissionis, dilectionis, imitationis et orationis. Horum quinque verborum late patens copia in divinarum reperitur serie Scripturarum. Et forte ipsa sunt quinque verba, quorum meminit Paulus, malens quinque verba loqui in sensu, quam decem millia in lingua (*I Cor.* xiv, 19). *Præterit enim figura hujus mundi* (*I Cor.* vii, 31); et juxta aliud testimonium : *Et mundus transit, et concupiscentia ejus* (*I Joan.* ii, 17). Hæc autem verba trans-eunte mundo non modo manent, verum etiam levigantur magis, dum pertranscuntibus pluribus multiplex est scientia. Jam vero collectos istos lapides contra superbiæ spiritum dimicaturus David in vase memoriæ suæ reponat, considerans quanta nobis comminetur Deus, quanta promittat, quantam nobis exhibeat charitatem, et quam multa nobis sanctitatis exempla proponat, quemadmodum denique orationum nobis ubique commendat instantiam. Hos, inquam, lapides secum tollat, quisquis superbiæ vitium debellare festinat : ut quoties venenatum audet erigere caput, quilibet ex his lapidibus manus cogitationis ejus primus occurrat, percussus in fronte Goliath dejiciatur, operus confusione. In quo sane conflictu funda quoque necessaria est, longanimitatis formam habens, quam huic maxime certamini nulla ratione deesse necesse est.

5. Quoties ergo vanitatis cogitatio mentem pulsant, si ex intimo cordis affectu divinas expavescere cœperis comminationes, seu promissiones ejus desiderare, non sustinet Goliath utriuslibet lapidis ictum [*alias, jactum*], sed reprimitur illico tumor omnis. Quod si venerit in mentem dilectio illa tam ineffabilis, quam tibi Deus majestatis exhibuit; an non illico inardescens ad charitatem, prorsus abominari incipis et abjicere vanitatem? Sic et exempla sanctorum si diligenti tibi consideratione proponas, erit sine dubio ad reprimendam elationem cogitatio ista perutilis. Jam vero si forte insurgente subito elatione, nihil ex his quæ diximus apprehendere quiverit manus tua; toto fervore ad eam convertere, quæ sola restat, orationem : et continuo quem elevatum videras et exaltatum sicut cedros Libani, subversus impius, jam non erit.

938 6. Sed quæras fortasse, quemadmodum suo ipsius gladio Goliath possis abscondere caput : id enim tanto tibi jucundius, quanto molestius hosti. Dico breviter, quoniam expertis loquor, et qui facile capiant et advertant sine mora, quod in semetipsis crebro sentiunt actitari. Quoties te, provocante vanitate, ad recordationem comminationis divinæ, seu promissionis, aut cæterorum, quæ supra diximus, confundi cœperis et erubescere

re, devictus [*alias*, *dejectus*] est quidem Goliath, A sed forsitan adhuc vivit. Accede itaque propius, ne forte resurgat; et stans super eum mucrone proprio caput ejus abscinde, de ea ipse quæ te appetit vanitate perimens vanitatem. Elata siqui-

dem cogitatione pulsatus, si ex ea ipsa materiam et occasionem sumas humilitatis, quo nimirum humilius deinceps et abjectius, tanquam de superbo homine, sentias de teipso; Goliath utique Goliath gladio peremisti.

DOMINICA VI POST PENTECOSTEN.

SERMO I.

De evangelica lectione, ubi turba triduo sustinens Dominum septem panibus reficitur (Marc. viii, 1-9).

1. *Misereor super turbam, quia jam triduo sustinent me, nec habent quod manducant.* Evangelium, B fratres, ob hoc scriptum est, ut legatur; nec ob aliud legitur, quam ut rationabilem consolationem vel desolationem exinde capiamus. Est enim sæcularibus consolatio vana de terrenarum affluentia rerum, vana nihilominus de earum penuria desolatio. At Evangelium, speculum veritatis, nemini blanditur, nullum seducit. Talem in eo se quisque reperiet, qualis fuerit: ut nec ibi timore trepidet, ubi non est timor; nec lætetur cum male fecerit. Sed quid dicit Scriptura? *Si quis auditor est verbi, et non facit, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitalis suæ in speculo. Consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit (Jac. i, 23, 24).* Nos autem, fratres, non sic, obsecro, non sic; sed consideremus nosmetipsos in ipsa, quam C audivimus, sacri Evangelii lectione, ut proficiamus ex ea, et corrigamus secundum eam, si qua in nobis deprehendamus corrigenda. Propter hoc enim optat Propheta dirigi vias suas, ad custodiendas justificationes Domini: *Tunc, inquit, non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis (Psal. cxviii, 5, 6).* Et ego quidem non confundor, sed glorior pro vobis, fratres mei, quoniam Salvatorem in deserto secuti, securi existis ad eum extra castra; sed vereor ne quis forte in triduana expectatione pusillanimis inveniatur, et in Ægyptum sæculi hujus nequam vel corde, vel etiam et corpore revertatur. Merito proinde clamat divina Scriptura, et dicit: *Expecta Dominum, viriliter age, D et confortetur cor tuum, et sustine Dominum (Psal. xxvi, 14).* Sed quandiu necesse est sustinere? Prorsus donec misereatur tui. Queris quando? *Misereor, inquit, super turbam, quia jam triduo sustinent me.*

2. Viam enim trium dierum eas necesse est in deserto, si gratum Deo tuo offerre volueris sacrificium; et triduo sustineas Salvatorem, si miraculi panibus desideras satiari. Prima est dies timoris; dies, inquam, declarans et illuminans tenebras tuas, interiores scilicet, et horrendum gehennæ supplicium demonstrans, in quo sunt tenebræ exteriores. Hujusmodi siquidem cogitatio, sicut ipsi nostis, nostræ solet exercere primordia conversionis. Se-

cunda est pietatis dies, qua respiramus in luce miserationum Dei. Tertia dies est rationis, in qua veritas innotescit, ut tanquam ex debito quodam naturæ sine aliqua contradictione Creatori subjecta sit creatura, servus serviat Redemptori. Exhinc jubemur jam discumbere, ut charitas ordinetur in nobis; exhinc aperit Dominus manum suam, et implet omne animal benedictione. Verum quoniam apostolis dicitur: *Facite homines discumbere*; quorum nos, licet ad confusionem nostram, habetis vicarios qualescunque, discumbere 939 vos admonemus, fratres charissimi, ut refecti pane benedictionis subsistere possitis in via; ne forte misera necessitate compulsi descendatis et vos in Ægyptum, et incipiant vobis illudcre, qui necdum vobis cum in deserto secuti sunt Salvatorem. Miseri sane et ipsi, qui non exiere cum exeuntibus; sed plane miserabiliores omnibus hominibus, qui profecti quidem cum aliis, sed non cum aliis sunt refecti.

3. Porro si fuere qui, discumbentibus aliis, post dumeta seu diversoria quævis absconditi latuere, homines ejusmodi jejunos vacuosque remansisse quis nesciat? Sic et eos nihilominus, qui levitate et curiositate ducti, circumquaque vagantes, minime resederunt; aut si qui resederunt quidem, sed non in ordine, nec in numero cæterorum. Hortamur proinde charitatem vestram et pastorali sollicitudine admonemus, ne quis ex vobis inveniatur angulos amare, sectari latebras, quærere diverticula; quoniam qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus (Joan. iii, 20). Sed nec inveniatur in vobis, qui circumferantur omni vento doctrinæ, instabiles et inquieti, nihil in se soliditatis, nihil gravitatis habentes, tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ. Nam de his quid dicam, quorum manus contra omnes, et manus omnium contra ipsos? Hi sunt qui separant semetipsos, animales, spiritum non habentes; quoniam nemo in spiritu Dei loquens dicit anathema Jesu (I Cor. xii, 3). Nequissima plane et perniciosissima pestis; quoniam universos unius obstinatio turbat, et fit omnibus discordiæ fomes, materiæ scandalorum. Denique Prophetam audi, qui de vinea Domini loquens: *Singularis, inquit, ferus depastus est eam (Psal. lxxix, 14).* Pro hujusmodi rogo et obsecro vos, fratres mei, fugite simulationem omnem, et angulos propriæ voluntatis; fugite inquietudinem et spiritum levitatis; fugite

obstinationem, et nequissimum vitium singularitatis ; nisi forte, quod absit ! fraudare vultis animas vestras panis edulio benedicti.

4. Jam vero, ne longius protraham vos, septem panes quibus reficiamini, isti sunt. Primus panis, verbum Dei ; in quo vita hominis est, sicut et ipse testatur (*Luc. iv, 4*). Secundus panis, obedientia est ; quoniam *meus cibus est*, inquit, *ut faciam voluntatem ejus qui misit me* (*Joan. iv, 34*). Tertius panis, meditatio sancta, de qua scriptum est : *Cogitatio sancta conservabit te* (*Prov. iv, 6*) ; et æque alio in loco nominari videtur panis vitæ et intellectus (*Eccli. xv, 3*). Quartus panis, orantium lacrymæ. Quintus vero, pœnitentiæ labor est. Nec miraberis, quod laborem aut lacrymas panem dixerim, nisi forte excidit tibi quod in Propheta legisti : *Cibabis nos pane lacrymarum* (*Psal. lxxix, 6*) ; et item in alio psalmo : *Labores, inquit, manuum tuarum quia manducabis, beatus es et bene tibi erit* (*Psal. cxxvii, 3*). Sextus panis est jucunda unanimitas socialis ; panis, inquam, ex diversis granis confectus, fermentatusque gratia Dei [*alias, utique sapientia Dei*]. Porro septimus panis est eucharistia ; quoniam *panis*, inquit, *quem ego do, caro mea est pro mundi vita* (*Joan. vi, 52*) [51].

SERMO II.

De septem misericordiis.

1. *Misericordias Domini in æternum cantabo* (*Psal. lxxxviii, 2*). Uiquid enim mihi insipiens nescio quæ cogitatio de pœnitentiæ hujus onere murmurat, ut aggravet illud super cervicem meam ? Aliud onus sentio, suavius quidem, sed utique multo majus. Sic enim onerat me miserationibus suis Deus, sic concludit, sic obruit beneficiis suis, ut onus aliud sentire non possim. Quid enim retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi ? Tanta tribuit, et tanta retribuit : et tu mihi de 340 alio onere loqueris ? Deficit spiritus meus, prorsus deficit in tanta beneficiorum consideratione. Et licet dignas non sufficiam gratias agere, sed ingratitude prorsus odit anima mea. Peremptoria siquidem res est ingratitude, hostis gratiæ, inimica salutis. Dico ego vobis, clarissimi, quoniam pro meo sapere nihil ita displicet Deo, præsertim in filiis gratiæ, in hominibus conversionis, quemadmodum ingratitude. Vias enim obstruit gratiæ, et ubi fuerit illa, jam gratia accessum non invenit, locum non habet. Hinc mihi, fratres, tristitia magna et dolor continuus est cordi meo, quod nonnullos tam pronos ad levitatem, ad risum, ad otiosa et ad scurrilia verba tam faciles video : ut pertimescam valde, ne forte plus quam expediat, divinæ misericordiæ sint immemores, et ingrati tam multis beneficiis suis, aliquando deserantur

(51) Hic in manuscriptis interponuntur sermo trigesimus sextus et tres consequentes de Diversis ; præterquam in codice Cisterciensi, in quo notatur, eos transferendos esse inter Diversos. Qui vero hic subsequuntur sermones duo de septem misericordiis,

A a gratia, quam non ut gratiam venerantur [*alias, habent*].

2. Nam de eo quid dicam, qui in murmure et impatentia obstinato perdurat animo ; aut quem pœnitet adhæsisse Deo, et contra morem, et contra rationem, horum factum pœnitentia comitatur, qui sine dubio miserationibus Dei non modo non habet gratiam, sed et contumeliam reddit ? Omnino enim, quantum in se est, inhonorat eum a quo vocatus est, quisquis in ejus servitio in tristitia permanet et rancore ; eam dico tristitiam, quæ secundum carnem est (52), et mortem operatur. Putas ergo quia major illi detur gratia ; et non magis etiam quod videtur habere, auferatur ab eo ? Nonne enim jure perditum reputatur, quod ingrato donatum est ? B aut dedisse non pœnitet, quod periisse videtur ? Oportet proinde gratum esse hominem et devotum, qui percepta gratiæ munera non modo manere sibi desiderat, sed et multiplicari. Nemo sane est qui non facile, si querit, inveniat, unde plurimum sit obnoxius Deo, quoniam non est qui se abscondat a calore ejus. Sed nos maxime, quos segregavit aibi, et assumpsit ad serviendum sibi soli, si juxta Apostolum non accipimus spiritum hujus mundi, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis (*I Cor. ii, 12*) ; omnino plurima invenimus, unde continuas ei gratias agere debeamus. Quis enim in nobis est, qui non confiteri possit, quoniam misericordia tua magna est super me ? Itaque de tanta multitudine miserationum Domini vobis breviter aliquas proponere volo, ut qui sapiens est, occasione accepta sapientior fiat.

3. Septem ego in me video misericordias Domini, quas et vos ipsi, credo, facile invenietis in vobis. Prima est, quod a multis peccatis adhuc in sæculo positum custodivit me ; prima quidem, inquam, non inter omnes quas mihi impendit, sed prima inter has septem. Quis enim non videat quod sicut in multa cecidi, sic et in alia eccidisset peccata, nisi Omnipotentis pietas me conservasset ? Fateor et fatebor, nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus cecidisset in omne peccatum anima mea. Et hæc quanta dignatio pietatis, quod ingratum et parvipendentem sic gratia conservabat, quod in multis contrarium et contemnentem nihilominus ab aliis benignissime protegebat ? At secunda misratio tua super me, Domine, quoniam poterit explicari sermone, quam benigna, quam liberalis, quamque gratuita fuerit ? Ego peccabam, et tu dissimulabas ; non continebam a sceleribus, et tu a verberibus abstinebas. Prolongabam ego multo tempore iniquitatem meam ; et tu, Domine, pietatem tuam. Sed quid prodesset expectatio, nisi

multum variant in vetustis libris : sed hæc varietas non mutat sensum.

(52) *Aliis, Param honorat..... quisquis ei servit in tristitia et rancore : si tamen servire ei quis potest in ea tristitia, quæ secundum carnem est.*

sequeretur pœnitudo? Cumulus esset damnationis, dicente Domino: *Hæc fecisti, et tacui* (*Psal. XLIX, 21*).

4. Tertia proinde miseratio fuit, quod visitavit cor meum et immutavit, ut amara fierent quæ male dulcia prius erant: et qui lætabar cum male facerem, et exultabam in rebus pessimis, inciperem demum recogitare ei annos meos in amaritudine animæ meæ. Et nunc, Domine, commovisti terram cordis mei, et **941** conturbasti eam; sana contritiones ejus, quia commota est. Multi enim pœnitentia ducti sunt, sed infructuosa; quoniam ipsa quoque eorum pœnitentia reprobata est, sicut et prior culpa. Itaque et hæc miseratio quarta fuit, quod pœnitentem misericorditer suscepisti, ut in eorum numero inveniret, de quibus Psalmista: *Beati, inquit, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata* (*Psal. XXXI, 1*).

5. Sequitur misericordia quinta, per quam mihi continendi deinceps, et emendatius vivendi præstitisti virtutem, ne recidivum paterer, et esset novissimus error pejor priore. Omnino enim manifeste tuæ est, Domine Deus, et non humanæ virtutis, susceptum semel peccati jugum a cervicibus suis excutere; quoniam divinis qui facit peccatum, servus est peccati (*Joan. VIII, 34*), nec est jam liberari nisi in manu forti. Jam vero postquam in his quinque miserationibus a malo liberaveris, ut fiat quod scriptum est: *Declina a malo, et fac bonum* (*Psal. XXXIII, 15*): in duabus aliis bona largiris. Hæ autem duæ sunt: gratia prowerendi, qua videlicet manus bonæ conversationis indulges; et spes obtinendi, qua donas homini indigno et peccatori de tua toties experta bonitate usque ad cœlestia speranda præsumere.

SERMO III.

De fragmentis septem misericordiarum.

1. Scitis quid fecerim, septem vobis hodie misericordias proponendo? Septem utique panes distribui. Nam si factæ sunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, quanto magis divinæ miserationes? Multo enim dulcius istæ sapiunt, reficiunt multo melius, ampliusque confirmant cor hominis. Verum multa nobis, ut fallor, ex his panibus hodie cecidere fragmenta. Nam et ego ipso sentiebam inter frangendum multas e manibus evadere micæ, atque inter digitos properantis elabi: utrum ipsi collegeritis aliqua, vos videritis. Ego, si nondum fastidiis, nostra, quæ mihi collegeram, sine invidia communicabo, ne forte incurram maledictionem abscondentis frumenta in populis (*Prov. XI, 26*). Primus itaque panis, si bene meminî, conservatio gratiæ fuit, quæ me, licet indignum, a multis peccatis prorsus adhuc in sæculo positum custodivit. Hujus ergo tria teneo fragmenta, habentia magnum prorsus delectamentum saporis et alimoniam vitæ. Tribus siquidem modis a peccato memini me conservatum: occasionis subtractione, resistendi data virtute, affectionis suavitate. Multa enim in peccata facile ce-

cidissem, si data esset occasio; sed, Dei miseratione, non me talis opportunitas apprehendit. In multa quoque paulo minus cecidissem, graviter impulsus violentia tentationis; sed virtutem dedit Dominus rex virtutum, ut sub me esset appetitus meus, et ei quam sentiebam concupiscentiæ minime consentirem. Sed a quibusdam tam longe me fecit miseratio tua, Domine, ut penitus abominarer ea, et ne ulla quidem eorum me tentatio molestaret.

2. Secundus quoque panis fuit expectatio, qua tardabat ultionem, quia indulgentiam cogitabat. Et hujus ergo panis tria fragmenta accipite, cogitans longanimitatem quam exhibuit, electionem prædestinationis suæ quam impleri voluit, et charitatem æmiam qua me dilexit. Propter hoc enim expectans expectavit me Dominus, et non intendit mihi, sed oculos suos avertit a peccatis meis, quasi nolens advertere quantum delinquerem. Propter hoc, inquam, dissimulabat ut commendaret patientiam suam, ut impleret electionem suam, ut confirmaret charitatem suam.

3. De tertio quoque pane, ejus scilicet misericordiæ qua convertit nos ad pœnitentiam, tria non tam fragmenta quam frusta vobis appono. Tunc enim, ut bene meminî, concussit cor meum, excitans illud ut adverteret **942** suorum vulnera peccatorum, et vulnerum sentiret dolorem. Etiam et terruit, deducens ad portas inferi, et præparata iniquis supplicia monstrans. Et ut nihil jam noxiæ remaneret delectationis, meliorem mihi consolationem inspirans, spem indulgentiæ dedit. In his ergo tribus conversus sum: credo quod et vos ipsi.

4. Jam vero quarti panis (ipsa est indulgentia), obsecro vos, diligenter colligite fragmenta, ne pereant. Sunt enim salubria valde, et dulciora super mel et favum. Sic nimirum ex toto indulsit, et tam liberaliter omnem donavit injuriam, ut jam nec damnet ulciscendo, nec confundat improperando, nec minus diligat imputando. Sunt enim aliqui sic donantes injuriam, ut non ulciscantur, sæpius tamen improperent. Sunt et alii, qui licet sileant, manet tamen alta mente reposita, et rancorem tenent in animo: quarum utique neutra plena indulgentia est. Longe ab his omnibus benignissima est divinitatis natura. Liberaliter agit, ignoscit plenarie, ita ut propter fiduciam peccatorum, sed pœnitentium, ubi abundavit delictum, soleat et gratia superabundare. Testis est Paulus gentium doctor, qui plus omnibus cum divina gratia laboravit. Testis est Matthæus, de telonio electus in apostolum, cui etiam Novi Testamenti primum scriptorem esse donatum est. Testis et Petrus, cui post trinam negationem, totius Ecclesiæ pastoralis cura commissa est. Testis denique etiam famosissima illa peccatrix, cui in ipso conversionis initio tanta multitudo dilectionis concessa est, tanta postmodum indulta gratia familiaritatis. Quis accusavit Mariam, et pro se eam oportuit respondere? Si Phariseus murmurat, si Martha conqueritur, si scandalizantur apostoli, Maria tacet; Christus

excusat eam, etiam et laudat tacentem. Denique A illud quantæ prærogativæ, quantæ excellentiæ fuit, quod resurgentem a mortuis prima videre, prima tangere meruit (53) ?

5. Sed jam transeamus ad alia. Bonum quidem est nos hic esse, ubi datur fiducia peccatoribus; sed oportet etiam cætera non tacere. Itaque et in continentia ipsa, quæ est panis quintus, tria nihilominus invenio, unde merito clamare possim : *Quia fecit mihi magna qui potens est* (Luc. 1, 49). Forte parvum aliquid reputatis continentiam vestram; sed ego non ita. Scio enim quos habeat oppugnatores, et quantæ illam necesse sit esse virtutis, ut possit resistere talibus. Præsertim siquidem continentiam nostram hostis caro est, adversus spiritum concupiscens. Quam domesticus hostis ! quam periculosa lucta ! quam B intestinum bellum ! Hostem hunc crudelissimum nec fugere possumus, o anima mea, nec fugare; circumferre illum necesse est, quoniam alligatus est nobis : nam, quod periculosius est et miserabilius, hostem nostrum ipsi cogimur sustentare, perimere eum non licet. Vide ergo quam sollicitè te custodire necesse sit ab ea, quæ dormit in sinu tuo. Verumtamen non est hic solus adversarius mihi; alium adhuc habeo, qui circumcinxit et obsedit me undique : et si ignoratis, hostis ille est præsens sæculum nequam. Conclisit inimicus vias meas, et per quinque portas, quinque videlicet corporis sensus, jaculis suis vulnerat me [*alias*, appetit me], et mors intrat per fenestras meas. Sufficere nimis poterant isti duo : sed, C heu me ! ecce video ventum validum venientem ab aquilone, a quo panditur omne malum. Et nunc quid superest aliud ? *Domine, salva nos, perimus* (Matth. viii, 25). Ecce enim malleus universæ terræ; ecce serpens, caillidior cunctis animantibus; ecce inimicus ille, quem nec videre possum : quanto minus cavere ? Neque enim est colluctatio servare volentibus continentiam : continentiam autem dico non a sola luxuria, sed a cæteris quoque, sicut necesse est, vitii et peccatis : non est illis colluctatio adversus carnem et sanguinem tantum, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiam in cælestibus (Ephes. vi, 12). Et quis est qui jacula 943 eorum ignea possit extinguere ? *Paraverunt enim sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde* (Psal. x, 3); sed et *narraverunt ut absconderent luqueos, et dixerunt : Quis videbit eos ?* (Psal. lxxiii, 6.) Nunc quidem aperte et violenter, nunc occulte et fraudulenter, semper autem malitiose et crudeliter

impugnant et persequuntur nos. Et ad hæc toleranda, ne dicam superanda, quis idoneus ? Credo jam vobis aliquatenus innotescit continentiam difficultas, ut juxta Apostolum sciatis quæ a Deo donata sunt vobis (I Cor. 12, 12). Omnino enim in Domino facimus hanc virtutem, et ipse ad nihilum deducit tribulantes nos. Ipse est qui non modo carnem nostram cum concupiscentiis suis, sed et præsens sæculum nequam cum curiositatibus et vanitatibus suis, etiam et ipsum cum tentationibus suis cõterit Satanam sub pedibus nostris. Nunquid non merito dixeram inveniendum in continentia, unde clamarem : *Quia fecit mihi magna qui potens est ?*

6. Jam vero sexti panis fragmenta accipite. Est autem panis iste gratia promerendi, bona scilicet æternæ vitæ. Quam gratiam in tribus maxime constare arbitror : in odio præteritorum malorum, et contemptu præsentium honorum, et desiderio futurorum. Septimus quoque panis est spes obtinendi, cujus nihilominus teneo fragmenta tria; et eorum sapor dulcis admodum gutturi meo. Tria, inquam, sunt quæ sic roborant et confirmant cor meum, ut nulla me penuria meritorum, nulla consideratio propriæ vilitatis, nulla æstimatio cælestis beatitudinis, ab altitudine spei deficere possit in ea firmiter radicum. Desideratis ea, an reservanda sunt propter eum qui dixit : *Mel invenisti ? comede quod sufficit tibi* (Prov. xxv, 16). Sic compleretur quotidie quod de se ipsa Sapientia prophetavit : et nunc id ipsum video, quoniam *qui edunt me*, ait, *adhuc esurient* (Eccli. xxiv, 29). Proinde non vos protraham ultra, sed nec vestram fraudabo esuriam; quoniam quidem sic paratos vos video, ac si necdum sumpseritis quidquam. Tria considero, in quibus tota spes mea consistit : charitatem adoptionis, veritatem promissionis, potestatem redditionis. Murmuret jam, quantum voluerit, insipientis cogitatio mea, dicens : Quis enim es tu, aut quanta est illa gloria, quibusve meritis hanc obtinere speras ? Et ego fiducialiter respondebo : Scio cui credidi, et certus sum quia in charitate nimia adoptavit me, quia verax in promissione, quia potens in exhibitione : licet enim ei facere quod voluerit. Hic est funiculus triplex qui difficile rumpitur, quem nobis a patria nostra in hunc carcerem usque demissum firmiter, obsecro, teneamus : ut ipse nos sublevet, ipse nos trahat et pertrahat usque ad conspectum gloriæ magni Dei, qui est benedictus in sæcula. Amen.

PRO DOMINICA I NOVEMBRIS.

SERMO I.

De verbis Isaia, vi, 1, *Vidi Dominum sedentem*, etc.

1. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum

et elevatum, et plena erat omnis terra majestate ejus. Sublimis quædam visio prophetico nobis sermone describitur. Vidi, inquit, Dominum sedentem. Ma-

(53) Hic Magdalena confunditur cum Maria sorore Lazari, et Peccatrice, ut sermone 2 in Assumptione. Dubius Bernardus sermone 12 in Cantica.

gnam spectauerunt, fratres, et beati oculi qui viderunt. Quis non toto desiderio concupiscat tantæ majestatis gloriam contemplari? Hoc quippe sanctorum omnium unicum semper desiderium fuit. Ipse est enim in quem desiderant angeli prospicere, quem videre vita æterna est. Sed aliam, fratres, audio prophetæ ejusdem, et ejusdem Domini longe dissimilem visionem. Siquidem Isaias iste est, qui in alio loco sic loquitur: *Vidimus eum, et non erat ei species neque decor; et æstimavimus eum tanquam leprosum* (Isai. LIII, 2), etc. Ubi illud primum considerandum est, quod communis illa, hæc prophetiæ prærogativæ propria videatur. Non sine causa sane ibi, *vidimus*, scriptum est; et hic, *vidi*: nisi ut illam quidem intelligas esse communem, hanc vero excellentiæ singularis. Siquidem absque specie et decore **944** vidit eum, et sprexit Herodes: viderunt ipsi quoque Judæi, qui et dinumeraverunt omnia ossa ejus. Jam vero super hac visione beata manifeste propheta denuntians ait: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei* (Isai. xxvi, 10).

2. Multifarie ergo multisque modis non solum locutus in prophetis, sed et visus est a prophetis. Agnovit eum David minoratum ab angelis; Jeremias etiam vidit eum in terris cum hominibus conversantem; Isaias modo super solium excelsum, modo non solum infra angelos aut inter homines, sed tanquam leprosum se vidisse testatur, id est non in carne tantum, sed in similitudine carnis peccati. **Tu** quoque si desideras videre sublimem, humilem prius Jesum videre curato. Intuere prius exaltatum in deserto serpentem, si videre desideras regem in solio residentem. Ista te humiliet visio, ut illa exaltet humiliatum. Reprimat et sanet ista tumorem tuum, ut illa repleat et satiet desiderium tuum. Exinanitum vides? non sit otiosa visio, quia exaltatum otiose videre non poteris. Similis eris illi, cum videris cum sicuti est: esto et nunc similis ei, videns eum sicut propter te factus est. Si enim ne in humilitate quidem similitudinem ejus abnuis, certa tibi sublimitatis quoque similitudo debetur. Nunquam ille socium, tribulationis a communione gloriæ patietur arceri. Denique usque adeo non dedignatur passionis suæ consortem et in regnum admittere secum, ut in cruce confitens latro eadem die cum eo fuerit in paradiso. Hinc est quod ait etiam ad apostolos: *Vos estis qui permansistis mecum in tribulationibus meis, et ego dispono vobis regnum* (Luc. xxii, 28, 29). **Quia** ergo si compatimur, et cognabimus: sit interim meditatio nostra, fratres, Christus, et hic crucifixus. Ipsum ponamus signaculum super cor, signaculum super brachium nostrum. Ipsum amplectamur brachiis quibusdam vicariæ dilectionis, ipsum sequamur studio piæ conversationis. Hoc enim iter, quo ostendatur et nobis ipse, qui est

A salutare Dei: sane non jam sine specie et decore, sed in claritate tanta, ut majestas ejus repleat orbem terrarum.

3. Opportune siquidem visione prima, tanquam hiemali adhuc tempore, non super solium, sed in inferiori atque humiliori habitatione videtur. Duplicem quippe solet habere magna domus quælibet mansionem, æstivam superius, inferius hiemalem. Igitur dum ipsa etiam discipulorum corda brumali adhuc glacie stringerentur, et Petrus quoque non minus gelido corde, quam corpore calefaceret se ad prunas; tempus omnino non erat habitandi in solio, vel potius apparendi. At ubi cantabitur canticum novum: *Hiems abiit et recessit, flores apparuerunt in terra nostra* (Cant. ii, 11, 12); opportune jam tunc ascendetur in solium, et habitabit Dominus in excelso.

4. Puta ergo Isaiam, cum hæc loqueretur, illius gloriam temporis oculo prævidisse prophético: *Vidi*, inquit, *Dominum sedentem super solium excelsum*, etc. Sed quid putamus? quale est solium istud, fratres? Neque enim Altissimus in manifestis vel manufactis inhabitat. Nulla omnino materia corporalis apta tanto solio, tantæ fabricæ congrua, digna tanto habitatore videtur. Vivis est construenda lapidibus fabrica spiritualis, quam vera et æterna Vita sua inhabitatione dignetur. Quod si minus tanto ædificio sufficit angelica creatura, prævaricatorum utique minorata præcipitio: suscitet certe de terra inopem, et de pulvere erigat pauperem, ut colloceat eum cum principibus, et solium gloriæ compleat. Et fortassis propterea ipse qui vidit, non modo excelsum solium; sed et elevatum quoque describit: ut proinde et angelorum stabilis celsitudo, et hominum misericors elevatio designetur. Quæ sequuntur, diligentiorum et ipsa considerationem desiderare videntur: ideoque sufficiat hodie vel cœpisse.

945 SERMO II (54).

De verbis Isaiæ prophetæ, vi, 1, 3.

1. *Plena erat*, ait contemplator noster de eo, quem super solium viderat, *majestate ejus omnis terra*. Adveniat, Domine, regnum tuum, ut majestate tua sicut cælum repletur, repleatur et terra. **Ut** quid enim princeps hujus mundi tanto ubique furore debacchatur, nisi quia terra data est in manus impii? Sed hæc est hora ejus, et potestas tenebrarum. Erit certe quando qui in cælo locum non habuit, et ab ipsa quoque terræ superficie exturbabitur miser, cavernis utique subterraneis recludendus. Hinc quippe propheta David sanctorum prosperitate præmissa, de maligno et angelis seu membris ejus adjecit, et ait: *Non sic impii, non sic, sed tanquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ* (Psal. i, 4). Nulla jam tunc tentandi facultas erit.

(54) In plerisque manuscriptis continua serie sermones tres sequentes conjunguntur, et fere deest quintus, qui nova commentatio est in verba Isaiæ: sed tamen in Colbertino et Albo Mantellorum codici-

bus reperitur. Et in libris Florum quinque isti sermones laudantur. Vide lib. x, cap. 9 et 10. Observa voces *seraphim* et *cherubim* in singulari scribi cum littera *m*, in plurali cum *n* in vetustis libris.

inquietandi nulla libertas; possibilitas nulla nocendi. Replebitur majestate Domini omnis terra, quando jam voluntatis ejus transgressio nulla erit; magis autem quando creatura ipsa liberabitur a servitute corruptionis hujus, propter quam ingemiscit et parturit usque adhuc. Erit enim cœlum novum, et terra nova; ut quaqua verteris oculos, in ipsa tibi rerum facie, divina videatur quodammodo resplendere majestas.

2. Sed et est tibi altera quædam terra propinquior, et super hac amplior, justiorque sollicitudo. *Nemo quippe carnem suam odio habuit (Ephes. v, 29)*. Consolare ergo eam, ut et ipsa requiescat in spe: audiens nimirum, quia replebitur majestate Domini omnis terra. Quomodo enim nunc carnem nostram, dilectissimi, majestas divina repleat, cum et magnus ille Paulus, primitias tantum spiritus habens, ingemiscat miserabiliter satis, et dicat: *Scio quia non est in me, hoc est in carne mea, bonum? (Rom. vii, 18.)* Et certe jam non dominabatur peccatum in ejus mortali corpore (*Rom. vi, 12*). Nota tamen adhuc, et corpus mortale perhiberi, et peccati quoque solum dominium negari. Erat enim etiam tunc lex peccati in membris ejus (*Rom. vii, 23*), quam quidem majestatis plenitudo cum venerit, prorsus excludet. Non solum autem, sed et novissima inimica destruetur mors. Replebitur ergo majestate Domini terra nostra, quando prorsus de medio fiet et peccati omnis sensus, et debitum mortis. Replebitur, inquam, omnis terra nostra Domini majestate, quando resurrectionis gloria vestiatur, induet immortalitatis stolam, configurabitur denique claritati corporis Christi. *Salvatoreum siquidem expectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ (Philipp. iii, 20)*. Quid adhuc murmuras, caro misera, quid adhuc recalcitras, et adversus spiritum concupiscis? Si te humiliat, si castigat, si redigit in servitutem; id profecto in tuo genere non minus tua interest quam ipsius. Quid eis invides, qui de operibus vermium, et murium pellibus ingloriam plane gloriam mendicare non erubescunt, cultu indigno viris, interdicto et mulieribus; semetipsos dehonestantes potius quam ornantes? Reforment ipsi, aut magis certe deforment corpora sua; te, si fueris corpus humilitatis, reformabit idem artifex qui formavit. Illam, si non desipis, præstolabere manum, ut quod fecit, ipsa reficiat.

3. Jam vero quid in ipsa prophetica visione sequatur attende: *Et ea, inquit, quæ sub ipso erant, replebant templum*. Propterea sane dixit: *Humiliare sub potenti manu Dei, ut exaltet te in tempore visitationis (I Petr. v, 6)*. Vide ut sub ipso inveniaris, alioquin non poteris esse cum ipso. Quid enim? putas, indifferenter admittet homines in illud tantæ beatitudinis templum, qui ne ipsos quidam angelos indifferenter reliquit in eo? aut non discernet inter glebas, qui discrevit inter stellas? Examinabit certe argentum, qui ipsum quoque au-

rum probavit, et reprobavit. Qualem ergo, putas, necesse **346** est hominem inveniri, qui repudiati locum angeli sortiatur? Plane immunem ab omni iniquitate, sed ab ea maxime, quæ in ipso quoque angelo, non ad levem offensam, non ad momentaneam iram inventa est, sed ad odium sempiternum. Semel turbavit superbia regnum illud, concussit muros, etiam prostravit ex parte, et parte non modica. Quid ergo? Facilene deinceps admittenda videtur? Nunquid non odit civitas illa, et vehementer hujusmodi pestem abominatur? Certi estote, fratres, eum qui superbis non pepercit angelis, nec hominibus parciturum. Non est contrarius sibi ipsi, non est personarum acceptor; similia sunt judicia ejus. **B** *Sola ei placet humilitas, sive in angelo, sive in homine: et qui sedet in throno, solos eligit subditos, e quibus repleat templum.* **C** *Scriptum quippe est: Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo, et in terra? (Psal. cxii, 5, 6.)* Vide autem ne forte Michaelis verbum sit, superbo illi dicenti: *Similis ero Altissimo, in faciem resistentis*. Michael quippe interpretatum dicitur, *quis ut Deus?*

4. Bene ergo propheta cum dixisset, vidisse se Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum; ne forte aut excelsum intelligeres de eo dictum qui ait: *Ascendam super altitudinem nubium (Isai. xiv, 14)*; aut elevatum referres ad eos homines, qui in superbiam eriguntur, addidit: *Et ea quæ sub ipso erant, replebant templum*; ut manifeste intelligas, non eam altitudinem commendari, quæ extollitur adversus eum; sed eos in templo, sive in solio fore, qui sub eo sunt, alios quidem excelsos stabilitate solida, alios ex imo levatos miseratione divina. Ac ne forte objicias, ditioni ejus universa subesse, nec quidquam determinationis habere quod ait: *Quæ sub ipso erant*: ut solam, quæ voluntaria est, et ex fervore charitatis procedit, approbaret et commendaret Dei subjectionem, addidit et de seraphim, de quibus et nos loco suo dicemus, quod ab eo fuerit datum.

5. *Et ea, inquit, quæ sub ipso erant, replebant templum*. Ab initio siquidem creaverat angelos Deus, in quibus beati illius templi plenitudo constaret: sed non in omnibus beneplacitum est ei, quia *et in ipsis, ut scriptum est, angelis suis reperit pravitatem (Job. iv, 18)*. Fuit quippe in eis qui diceret: *Ponam sedem meam ad aquilonem (Isai. xiv, 13)*; et populum qui sibi crederet, habuit. Miser ipse, qui sine Deo esse maluit, quam sub Deo; miseri et illi, qui videntes furem cucurrerunt cum eo. Exierunt infelices, et vacuus relictus est locus, quem accipiat alter. Nonne Deo subjecta eris, anima mea? Alioquin nec tibi locus erit in templo, quia *quæ sub ipso erant, replebant templum*. Frustra pulsabunt fatuæ virgines, in vanum clamabunt, ubi impletæ fuerint nuptiæ discumbentium, et janua clausa erit. Infelix anima, cui a nuptiis illis contigerit excludi! Infelix de quo clamabitur: *Tollatur impius, ne videat glo-*

riam Dei (Isai. xxvi, 10). Utquid enim lucem hanc temporalem miser ille videt, qui gloriam illam non merebitur intueri? Utinam nihil unquam vidisset oculus meus, si illa, quod avertat Deus, frustrandus est visione! Eant superbi, insolescant magis; extollantur, inflentur, appetant semper in cumulo apparere: ut cum venerit æquitatis linea, a plenitudine ejiciantur. Tu vero non sic, sed Deo subjecta esto, anima mea, subjecta sane ex animo, subjecta cum fervore devotionis; quia *seraphim stabant super illud*. Cum quibus stemus et nos hodie, fratres, nec dimoveamur a templo isto, in quo omnes dicunt gloriam, quia gloriam contemplantur Domini nostri Jesu Christi, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO III.

De verbis Isaïæ prophetæ, vi, 2.

1. Non vobis arbitror excidisse de duobus seraphim hodie nobis habendum esse sermonem, 947 propter illud Isaïæ, qui postquam Dominum sese vidisse testatus est super solium residentem, addidit, seraphim stare super illud. Seraphim quidem, dilectissimi, sicut frequenter audistis, nomen est supernorum spirituum, ordinis unius de novem, ipsiusque summi atque supremi. Verum hoc loco, ut arbitror, non in ea ponitur significatione, præsertim eum innumera illa sint agmina, hic vero duo tantum seraphim describantur. Et ego quidem, fratres, si licet in hac parte unicuique abundare in suo sensu, in duobus seraphim duplicem arbitror intelligi creaturam rationabilem, angelicam scilicet et humanam. Nec mireris hominem seraphim factum: memento quia Creator et Dominus seraphim factus est homo. Ad contumeliam tuam, o superbe, qui creatus inter angelos, inter angelos stare non meruisti, ecce rex noster novos in terra angelos fabricaturus advenit. Atque, ut tabescas amplius, et livore proprio torquearis; non qualescunque, nec inferioris alicujus ordinis angelos, sed seraphim Audi enim quid ipse loquatur. *Ignem, inquit, veni mittere in terram; et quid volo, nisi ut accendantur?* (Luc. xii, 49.) Vult ergo seraphim fabricari, ut ibi stent, unde tu corruisti. *Seraphim, inquit, stabant super illud*. Utquid ergo tu, qui mane oriebaris, Lucifer, in veritate non stetisti, nisi quia seraphim non fuisti? Seraphim quippe *ardens* vel *incendens* interpretatur. Tu vero habuisti, miser, lucem, sed ardorem non habuisti. Bonum erat tibi, si ignifer magis esses quam lucifer, nec tam immoderato appetitu lucendi, ut eras frigidus ipse, frigidam quoque eligeres regionem. Dixisti enim: *Ascendam super altitudinem nubium, sedebo in lateribus aquilonis* (Isa. xiv, 13, 14). Quid festivas mane oriri, Lucifer? quid gloriaris super sidera, quibus aliquid clarius rutilare videris? Brevis omnino erit gloriatio tua. Sequitur te Sol justitiæ, quem te esse vana simulatione jactabas, cujus fervore pariter et splendore in nihilum redactus omnino disparas. Frustra quoque paras venturum in fine sæculorum

A Dominum, tanquam veri solis ortum, in damnato illo quem assumpturus es homine prævenire, et extolli super omne quod dicitur, aut colitur Deus; quia et tunc adventus ejus illustratione penitus destrueris.

2. Quam melius, et certe non ad insipientiam sibi, Joannes Baptista, siquidem et ipse lucifer fuit, non sua præsumptione, ne et ipse fur esset et latro, sed Dei Patris auctoritate præmissus est ante Dominum? *Ecce, inquit, mitto angelum meum ante faciem tuam* (Luc. vii, 27), etc. Habes et in psalmo de eodem *Paravi lucernam Christo meo* (Psal. cxxxii, 47). Ille enim erat lucerna ardens et lucens: et voluerunt Judæi ad horam exultare in lumine ejus, sed non ipse. Unde ergo? Ipsum interroga, ipse de se loquatur. *Amicus, inquit, sponsi stat, et gaudio gaudet propter vocem sponsi* (Joan. iii, 29). Stat ergo Joannes: neque enim arundo est vento agitata. Stat quia amicus est, stat quia ardens est, et seraphim stare describuntur. Vere amicus sponsi, qui procedentis de thalamo suo non æmulatur gloriam, sed parat viam, sed prædicat gratiam; ut et ipse de plenitudine ejus accipere mereatur. Lucet ergo Joannes, tanto utique clarius, quanto amplius fervet; tanto verius, quanto minus appetit lucere. Fidelis lucifer, qui Solis justitiæ non usurpare venerit, sed prænuntiare splendorem. *Non sum ego, inquit, Christus; venit fortior me post me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamenti; et illud: Ego baptizo vos aqua, ille baptizabit vos Spiritu sancto et igne* (Joan. i, 20, 26, 27, 33). Ac si manifeste lucifer dicere videatur: Quid admiramini intuentes splendorem meum? Non sum ego sol; longe alium videbitis eum, in cujus comparatione tenebræ sum, et non lux. Ego, tanquam sidus antelucanum, matutino vos rore perfundo; ille emittet in fervore radios suos, solvet glacies, paludes siccabit, argentes calefaciet, pauperibus erit pro vestimento. Nec sane dissonat a verbo judicis vox præcursoris, sed manifeste ignem a Joanne promissum Christus exhibuit, dicens: *Ignem veni mittere in terram*.

948 3. Dicas fortassis, in igne ut fervorem, sic et splendorem esse. Non contendo, licet fervor ei quodam modo substantialior videatur. Ipsum potius audiamus, quid magis in igne commendat. *Ignem, ait, veni mittere in terram; et quid volo, nisi ut ardeat?* Cognovisti certe quid velit. Sed ne illud quidem ignoras, quod vita in voluntate ejus (Psal. xxix, 6); et servus sciens, nec faciens Domini voluntatem, plagis plurimis habeat vapulare (Luc. xii, 47). Quid lucere festinas? Nondum illud advenit tempus, in quo fulgebunt justi, sicut sol, in regno Patris eorum. Interim perniciosus est iste appetitus lucendi: fervere enim multo melius. Denique si tam vehementer splendorem desideras, quod videri vis, esse curato; et primum quære fervorem, nec dubium quin et splendor adjiciatur tibi. Alioquin incassum laboras, quia vanus splendor absque fervore. Mutuata, aut magis certe simulata lux est,

quæ non ab igne procedit. Quod autem alienum est, ad modicum poteris usurpare. Erit major confusio, quod non erat tuum, tuum voluisse videri. Luna, ut aiunt, habet absque fervore splendorem, sed et ipsum mutatur a sole; ideoque tam frequenter, imo et semper mutatur, nec unquam in eodem statu permanet. Sic profecto *stultus ut luna mutatur, sapiens permanet ut sol* (Eccli. xxvii, 12). Ille, inquam, stultus, qui in decore suo perdidit sapientiam, id est qui refriguit in splendore.

4. Cecidit ergo Lucifer ut fulgur de cœlo; *seraphim vero stant super illud*. Stant plane seraphim; quia charitas nunquam excidit (I Cor. xiii, 8). Stant attoniti et suspensi in contemplatione sedentis in throno, stant in æterna incommutabilitate et æternitate incommutabili. Tu sedere tentasti, o impie, propterea tui moti sunt pedes, et effusi sunt gressus tui. Filius est qui sedet in throno, Dominus sabaoth, cum tranquillitate iudicans omnia. Sola sedet Trinitas, quæ sola habet immortalitatem [*alias, immutabilitatem*]; sola est apud quam non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Seraphim vero stant immutabiles quidem, sed suo modo, non in ejus comparatione. Stant extendentes se et intendentes in eum, in quem prospicere concupiscunt. Qui sedere præsumpsit, seipso voluit esse contentus: unde solam hodieque malitiam esurit; quia solam habet hanc a semetipso. *Cum loquitur mendacium, de proprio loquitur; quia mendax est, et pater ejus* (Joan. viii, 44). Quod audis de verbo mendacii, intellige et de opere malitiæ. Et licet male sibi in malo complaceat, sufficere tamen sibi nunquam poterit nec in ipso. Sola proinde sedet Trinitas summa, quæ sola habet in se esse: in se est, et ideo sola vere est; sola se fruitur, sola nullius eget, sola sufficit sibi ipsi.

SERMO IV.

De verbis Isaïæ prophetæ, vi, 2.

1. Cum dixisset propheta, quia *seraphim stabant*, adjunxit deinde, et ait: *Sex alæ uni, et sex alæ alteri*. Quid sibi volunt alæ istæ, fratres? Ergone etiam cum hiems transierit, et sedebit Rex super solium, volandum adhuc erit et ipsis seraphim, ut possint diversis occurrere necessitatibus diversorum, ab imminentibus liberare periculis, opem ferre laborantibus, in tribulatione positos consolari? Absit ut in illo æternæ beatitudinis regno necessitas, aut periculum, aut labor, aut tribulatio sit, cui oporteat subveniri. At quid ergo tunc alæ? Placet mihi statio illa, omnino sic volo manere, nec aliquid prorsus admitto, quo mihi stabilitas illa depercat. Verumtamen scio, beate Isaïa, quod propheta es tu, et spiritum ejus habes, qui abundantia pietatis excedit hominum non modo merita, sed et vota. Salva mihi sit illa tam annata stabilitas: jam si quid alæ istæ ad beatitudinem addiderint, non recuso. Credo autem sicut in statione immutabilitatem, sic et in

volatu alacritatem promitti, ne videlicet insensibilis quædam et quasi lapidea stabilitas æstimeretur. Sed dicas: Etsi alas habere necesse est, quare tam multas? Quid sibi vult multiplicitas **949** ista pennarum? Audi quod sequitur: *Duabus alis velabant caput, duabus pedes, et duabus volabant*. In quibus verbis videre mihi videor, quod de statione dictum est, volatu manifestius explicari. Quo enim seraphim volant, nisi in eum, cujus ardent amore? Vile flammam quasi volantem, et stantem simul; nec miraberis jam seraphim stantes volare, stare volantes.

2. Sed quia diximus quo volant; ipsas quoque quibus volant alas exigere religiosa curiositas vestra videtur. Certius posset et credibilis testimonium perhibere, cui datum est et videre. Ego tamen opinor non incongrue pennas istas agnitionem et devotionem intelligi posse, quibus in eum, qui supra ipsos est, seraphim rapiuntur. Levat quippe cognitionis ala, sed sola non sufficit. Ruit citius qui una tantum ala volare contendit: et quo magis attollitur, pejus colliditur. Experti sunt hoc philosophi gentium, qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. Denique traditi in reprobum sensum, usque in ipsis etiam passiones ignominie corruerunt (Rom. i, 21, 26, 28); adeo vera probatur illa sententia: *Scienti bonum et non facienti, peccatum est illi* (Jac. iv, 17). Sic et zelus absque scientia, quo vehementius irruit, eo gravius corrumpit, impingens nimirum atque resiliens. Ubi vero intelligentiam charitas, agnitionem devotio comitatur; volet secure quisquis ejusmodi est, volet sine fine, quia volat in æternitatem.

3. Jam super ea, quæ præmittitur, capitis et pedum velatione exstat a Patribus probata sententia, Dei caput, pedesque velari, eo quod lateat quid ante mundum fuerit, quidve futurum sit post ejus consummationem. Et hoc quidem pro eo, quod distincta in Latinis codicibus scriptum est: *Caput ejus et pedes ejus*. Testatur autem interpret noster (55-56) in Hebræo verbum esse commune, quod interpretari possit *ejus*, et *suam*; ut seraphim juxta Hebræi sermonis ambiguitatem, vel faciem pedesque Dei, vel suam faciem ac pedes operire dicantur. Unde et mirum videri potest, cur e duobus eum magis in interpretatione elegerit sensum, quem visionis ipsius consequentia minus videtur admittere, ut videlicet volarent, et velarent pariter caput pedesque sedentis, nisi quod Origenis expositionem secutus est in hac parte.

4. Quod si de ipsis quoque seraphim licet accipere, sic pinge ea, ut aperto capite et pedibus, solum appareat corpus medium, sed et ipsum quoque non penitus, propter eas nimirum alæ, quibus volare perhibentur. Considero siquidem quasi quoddam caput, corpus et pedes meos in verbis Apostoli,

quibus ait : *Quos enim præcivit et prædestinavit, conformes fieri imaginis Filii sui : et quos prædestinavit, hos et vocavit ; quos autem vocavit, hos et justificavit ; quos autem justificavit, hos et magnificavit* (Rom. viii, 29, 30). Itaque initium meum solius gratiæ est, et non habeo quid mihi in prædestinatione attribuiam, sive vocatione. Non sic sane ab opere justificationis alienus sum : operatur et illud gratia, sed plane necum. Videsne quemadmodum seraphim in medio appareat aliquatenus ? Porro consummatio quidem et ipsa solius gratiæ est : nec est mihi in hac parte, vel cum ea, sive in ea gloriari, quasi coadjutor videar, aut cooperator. Velat itaque seraphim caput suum duabus pennis, si et veraciter cognoverit, et humiliter fateatur, quia misericordia eum sola prævenit. Velat et pedes B alis æque duabus, si misericordiæ quoque, quæ subsecutura est, nec ignarus exstiterit, nec ingratus. Quam sane capitis et pedum velationem et nunc quoque negligere non oportet, licet tunc maxime perficienda sit, quando iudex sedebit super solium, et astantes sibi seraphim et agnitione veritatis subtilius illustrabit, et inflammabit vehementius charitatis ardore. In quorum numero indignos nos servos nominis sui ipsa, de qua locuti sumus, **950** constituere dignetur misericordia, quæ ab æterno est et usque in æternum super electos, in medio quidem aliquatenus ostendens liberum arbitrium, meriti gratia ; principium vero et finem omnino soli vindicans sibi : ut sit nobis alpha et omega Dominus Deus noster ; et pro utroque jure clamemus : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (Psal. cxiii, 4). Amen.

SERMO V.

De verbis Isaïæ prophetæ, vi, 1, 5.

1. Commendant nobis sacræ litteræ Christum Dominum et ex Patre, et in Patre, et cum Patre, et a Patre, et pro Patre, etiam et sub Patre. Quod dicitur, ex Patre, ineffabilis est nativitas ; quod in Patre, consubstantialis unitas ; quod cum Patre, æqualitas majestatis. Sane enim tria hæc ab æterno. Cæterum si ex Patre nascens ; quid in Patre, aut cum Patre ? Non incongrue forsitan in Patre cubans, cum Patre sedens dicatur. Et audite concessus hujus, et hujus accubitus rationem. Sicut enim D sessio majestatem, sic concessio æqualitatem exprimit majestatis, præsertim cum sit ei sedes a dextris Patris, non sane sub pedibus, vel quasi a tergo. Et sedere quidem jam quiescere est, sed jacere magis. Quid autem delectabilis et quodammodo dulcius esse videbitur Filio, quod in Patre est, an quod cum Patre omnibus præest ? In quo putas horum somma illa pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, et singularis requies Domini competentius assignetur ? Etsi digne satis ore id exprimi nequeat, corde tamen forsitan pie concipitur : ut salva quidem in omnibus illius indivisibili simplicitate essentiæ, inter gloriæ æqualitatem, et substantiæ unitatem, velut similis quædam ei, quæ inter concessum

A et accubitus est, cogitari posse distinctio videatur.

2. Denique parum videtur sponsæ videre sedentem ; cubantem sibi flagitat indicari. *Indica mihi, ait, quem diligit anima mea, ubi cubes in meridie* (Cant. i, 6). Sed et animæ omni, quæ sanum sapit, dulcius sapit per omnem modum quod Apostolus ait : *Qui adhæret Deo, unus spiritus est* (I Cor. vi, 17) ; quam quod apostolis dicitur : *Cum sederit Rex in sede majestatis suæ, sedebitis et vos judicantes* (Matth. xix, 28). Haud minus utique jucundior sessione cubatio. *Ego in Patre, ait Filius, et Pater in me est* (Joan. x, 38). Non potuit expressius substantiæ unitas commendari. Ubi enim uterque in altero, nihil quasi exterius licet, nihil interius cogitari ; simplicissimam magis credi necesse est in ambobus substantiæ unitatem. Verumtamen aliquatenus huic simile est quod dicitur : *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo* (I Joan. iv, 16) ; nisi quod hic quidem spiritualis quædam unio, secundum quod supra memoravimus : *Qui adhæret Deo ; non quidem unum, id est non una substantia, sed unus spiritus est ; illic vero naturalis potius et substantialis unitas designatur. Unde et habes in Evangelio : Ego et Pater unum sumus* (Joan. x, 30). Illud proinde juxta præfatam similitudinem, tanquam cubiculum Unigeniti, et quasi summa quædam requies Domini est. Nos quoque per hanc voluntatum unionem et adhesionem spiritus, quam nimirum charitas facit pro nostro quidem modulo, in hoc suum cubiculum et in suam requiem factus etiam primogenitus introducit.

3. Jam vero quod dicitur a Patre, ambulans significat, et ad eum, quem proxime ipso præstante celebraturi sumus, spectat incarnationis ejus adventum. Hinc nimirum et ipse ait : *Ego enim a Deo processi et veni* (Joan. viii, 42). In terris denique visus, et cum hominibus conversatus, medius nostrum, quem nesciebamus, stetit, verus quidem Emmanuel, *nobiscum Deus, nobiscum stans, sed pro Patre*. Quod enim nobiscum stetit, adjutorium ; quod pro Patre stetit, zelum designat. Paternam nempe quærebat in omnibus gloriam, cujus et venerat facere voluntatem. Cæterum si pendentes **951** consideres ; si Christum et hunc crucifixum attendas, ibi maxime evidentissimeque eum sub Patre reperies. Hoc enim proprie ac specialiter ad humanæ pertinuit naturæ humilitatem, secundum quam ipse ait : *Pater major me est* (Joan. xiv, 28). Dicerene audebimus quod aliquando etiam fuerit sine Patre ? Nemo id præsumeret, si non prior ipse dixisset : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ?* (Matth. xxvii, 46.) Quasi quædam enim ibi derelictio fuit, ubi nulla fuit in tanta necessitate virtutis exhibitio, nulla ostensio majestatis.

4. Habemus itaque Christum ex Patre nascentem, in Patre cubantem, cum Patre sedentem, a Patre ambulans, pro Patre stantem, sub Patre pendentes, sine Patre quodammodo morientem. Quoniam

igitur modo ex his vidisse eum credemus Isaïam, cum diceret : *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum* ? Longe enim per omnem modum dissimilis ea visio fuit, de qua alibi idem propheta : *Vidimus eum, inquit, et non erat ei species neque decor : et aestimavimus eum tanquam leprosum, et percussum a Deo, et humilitatum.* Idem utrobique vidit eundem; sed non vidit eodem modo, ac per hoc quodam modo non eundem. Ibi enim vidit eum lividum plagis, saturatum opprobriis, afflictum supplicii, lacessitum injuriis. Vidit denique contemptibilem, vidit pendentem, vidit propter nos morientem, et ait : *Attritus est propter scelera nostra, cujus livore sanati sumus (Isai. LIII, 2-5).* Ibi, inquam, novissimus virorum apparuit et despectus; hic autem plena erat omnis terra majestate ipsius. Ibi vir dolorum, et sciens infirmitatem; hic Dominus sedens. Et illa quidem communis visio verbo pluralis numeri designatur : hæc autem tam singularis est, quam sublimis. Ibi ergo tanquam unus de multitudine : *Vidimus* ait; hic vero tanquam solus et solitarius, levans se supra se : *Vidi, inquit, Dominum sedentem, etc.* Sane competenter Dominus dicitur, qui sedere conspicitur. Sedere enim præsentis est, sedere dominantis est et regnantis. Maxime vero sedere super solium, dominationem notat; nam sedere simpliciter, aliquando et humiliationem. Cæterum, ut prædiximus, qui in Patre cubat delicias, cum Patre imperans sedet; ibi sponsus amabilis, hic dominus admirabilis; denique gloriosus Deus in sanctis suis, mirabilis in majestate sua.

5. *Vidi, inquit, Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et plena erat omnis terra majestate ejus : et ea quæ sub ipso erant, replebunt templum.* Quæ enim sub ipso erant? Nunquid ipsum quod dixerat solium? Quamlibet excelsum et elevatum, sub ipso tamen nihilominus erat. Si enim ipse super solium sedens, solium plane sub ipso. Et quomodo illud replebat templum? Deinde quando et ipsa jam terra omnis plena est majestate ejus; quomodo templum adhuc vel unde repletur? Enimvero disce ex his quæ audis, solium non machinam imaginari corpoream, sed angelicam intelligere creaturam. Si enim sedes sapientiæ est anima justi, quam dignior sedes angeli sancti? Hoc plane solium gloriæ ejus, excelsum per naturam, sed multo magis per gratiam elevatum. Excelsos enim fecit eos natura conditionis, elevatos gratia confirmationis, de qua dicitur : *Verbo Domini cæli firmati sunt (Psal. xxxii, 6).* Ea igitur agmina angelorum, in quibus sedet Deus, et quæ sub ipso sunt, templum replent, licet jam terra omnis ipsius plena sit majestate. Ubique enim regnat, ubique imperat, ubique majestas ejus, sed gratia forte non ita. Non, inquam, ubique sicut potestas, sic et voluntas ejus bona, et beneplacens et perfecta. Alioquin quid est quod dicimus : *Fiat voluntas tua, sicut in cælo et in terra? (Matth. vi, 10.)* Fit enim voluntas ejus de omnibus, fit per omnes, non in omnibus tamen. In electis spiritibus fit volun-

tas Dei, quando eis efficitur cum ipso una voluntas. Hæc sane adhesio spiritualis unum spiritum faciens, sicut multitudinis quoque credentium cor novum et anima una legitur existisse (*Act. iv, 32*). *Et ea quæ sub ipso erant, replebant templum.* Replebant omni benedictione spirituali, replebant consolatione divina, replebant divisionibus gratiarum, replebant denique fructu sanctificationis : siquidem domum tuam, Domine, decet sanctitudo. Replebant diversis charismatum donis, spiritu sapientiæ et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiæ et pietatis; et replebant illud spiritu timoris Domini.

6. *Seraphim stabant super illud.* Nomen est ordinis angelorum summi atque supremi, ut merito stare super cæteros describantur : et ipsi tamen quamlibet cæteris præsent, astant nihilominus Domino præsentem, devotum utique ministerium, et plenum reverentiæ obsequium exhibentes. Aliter enim Domini, aliter angeli, aliter hominis intelligi convenit stationem. Stet Christus pro Patre zelans, Patris gloriam quærens; et tanquam fidelis Unigenitus, imo et primogenitus Patris, zelo Patris adjuvans adoptivos. Sic illum Stephanus stantem vidit (*Act. vii, 55*), quem habuit adiutorem : sic Propheta in adiutorium eum surgere precabatur, *Exsurge, inquit, Domine, adjuva nos (Psal. XLIII, 26).* Sane angelica statio ministratio est, dicente propheta : *Millia millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant (Dan. vii, 10).* Nam hominis quidem stare, persistere est in vigore animi, et observatione propositi. Sic Moyses stetit in confractione in conspectu Domini, ut averteret iram ejus : sic stetit Phinees, et placavit (*Psal. cv, 26, 30*). *Seraphim stabant super illud.* Quid sibi vult, quod non unum, non plurimos stantes vidisse se perhibet propheta, sed duos? Duos siquidem ei apparuisse constat ex eo quod secutus adjunxit : *Sex alæ uni, et sex alæ alteri.* Et bene duo stabant : *Væ enim soli, quia si ceciderit, non habet sublevantem (Eccl. iv, 10).* Væ tibi, superbiæ spiritus, solitudinis et solitariæ presumptionis amator : non stetisti in veritate; expulsus es; pes superbiæ stare non potuit. Solus sedere volens, tanquam fulgur cecidisti de cælo, non habiturus aliquando sublevantem.

7. *Sex alæ uni, et sex alæ alteri.* Ad quid multiplicitas ista pennarum? *Duabus, inquit, velabant caput ejus, et duabus pedes; et duabus volabunt.* Grande mysterium et profundum utique sacramentum! Attentas in vobis hæc verba desiderant aures, sed multo magis disertam in nobis linguam exigunt, maximeque animum spiritualem. Dico autem utcumque quod sentio, nec sane affirmans dico, sed conjectans quodammodo et opinans. Quid enim æstimare vetat, dejecto Lucifero, ad pervigiles excubias seraphim constitutos; sicut ejecto homine, teste Scriptura, cherubim ad custodiam posuit Deus? Nec incongrue forsitan cherubim flammeus traditur gladius (*Gen. iii, 24*), ut a ligno vitæ incisio pariter et incensio, quibus nihil carni terribilius, via

num prohibeant corporalem. Porro seraphim tantum alas accipiunt, quarum velamine arceant oculum spiritualem. Denique *duabus*, inquit, *velabant caput ejus, et duabus pedes*; ut nec alta Dei, nec profunda ejus iniquus ille valeat contemplari. Erit cum revelabitur gloria Domini; sed non erit hoc nisi factum fuerit ante quod scriptum est, *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei (Isai. xxvi, 10)*. Interim sane velatur caput, velantur pedes, ut medium quidem aliquid eidem impio videndum, sed ad invidendum utique relinquatur. Et velantur alis, quæ nimirum sic illum arceant, ut istos sustineant et sustollant.

8. Quærendum tamen prius, quibus alis volare dicantur; quia *duabus*, inquit, *volabant*. Nec incongrue forsitan duas istas naturæ, et gratiæ dicimus: præsertim cum prius quoque in his ipsis etiam solii celsitudo et elevatio a nobis fuerit assignata. Vivaci siquidem per naturam intellectu, et ferventi nihilominus affectu per gratiam in eum qui supra ipsos est extenti jugiter et intenti, stare quidem (ut diximus) per ministerium, sed et volare per studium perhibentur. Licet enim velent caput Domini, velent etiam pedes; sed sibi ista non velant, magis autem sedule volant et volitant inter ista, et alta potentiæ ejus, et profunda sapientiæ vestigantes. Nec sane scrutatores sunt majestatis, ut proinde opprimantur a gloria: quod non minus diligant quam intelligant, utpote quos **953** ille regit et agit Spiritus qui scrutatur etiam alta Dei. Superbus ille Lucifer, lucem præferens, non ignem habens, alteri tantum innixus alæ, casum facere potuit, non volatum. Exsultavit enim lucidus esse, non fervidus, non incensus, quod seraphim sonat. Non ergo stetit, quia contempsit; sed nec volare potuit, quod præsumpsit. Sustulit eum naturæ vivacitas, sed in suam plane perniciem, quippe quem defectus gratiæ mox dejecit. Nec dissimilis sane illorum casus, qui cum cognovissent Deum, non glorificaverunt, aut gratias egerunt: quo tandem merito traditi sunt in reprobum sensum, et obscuratum est insipiens cor eorum (*Rom. 1, 21, 28*). Denique et ipsi eorum principi interpositum est velamen, quod nulla jam naturæ vivacitate pertranseat, ut ipsius, qui super solium sedet, caput aut pedes valeat intueri. Siquidem seraphim stantes et astantes duabus alis caput velant, duabus pedes.

9. Non est corporalis divina substantia, nec in formam hominum membris distincta corporeis. Spiritus est Deus; et quæ de eo dicuntur, spiritualiter vestiganda. Alioquin quis nobis revelabit hoc caput, et pedes istos, quos geminis alis seraphim velant, nisi Spiritus ipse, qui novit omnia quæ in eo sunt, et scrutatur etiam alta Dei? Ego enim opinor ipsa esse quæ in hoc loco capitis nomine designantur. Itaque se undum hunc sensum caput ejus, majestas ejus, potestas ejus, sempiterna virtus atque divinitas. Caput ejus, juxta illud propheticum: *Justitia tua sicut montes Dei*. Nempe quod sequitur,

A Judicia tua abyssus multa (Psal. xxxv, 7), non incongrue forte videtur pedum posse appellatione signari. Sunt enim velut quidam pedes ejus, investigabiles viæ ejus, inscrutabilia judicia ejus, profundum sapientiæ ejus, et irreprehensibilis quædam, sed incomprehensibilis dispositio ejus. Ad hos pedes ipsum quoque Dominicæ incarnationis mysterium specialiter noscitur pertinere, et omnis pariter operatio nostræ salutis. Cernere est quam sit justitia illa sublimis, quam sicut montes Dei propheta esse miratur. Nostra enim (si qua est) humilis est justitia, recta forsitan, sed non pura. Nisi forte meliores nos esse credimus, quam patres nostros, qui non minus veraciter quam humiliter aiebant: *Omnes justitiæ nostræ, tanquam pannus menstruatae mulieris (Isai. lxiv, 6)*. Quomodo enim pura justitia, ubi adhuc non potest culpa deesse? Recta proinde interim videri potest justitia hominum, si tamen peccato non consentiant, ut non regnet in eorum mortali corpore. Nam primi hominis in initio quidem non modo recta, sed etiam pura fuit, quandiu ei datum est nec sentire peccatum. Cæterum et hæc ipsa, quoniam firma non fuit, et puritatem facile perdidit, et ne ipsam quoque retinuit rectitudinem suam. Sane apud angelos justitia recta, pura, et firma est; sublimis quidem, sed adhuc longe inferior quam divina. Non enim innata est eis, sed a Deo collata: ut natura ipsa, quod ex se est, non modo justitiæ, sed etiam injustitiæ capax inveniat. Nunquid non ista est pravitas quædam, quam in angelis suis vera illa Justitia legitur invenisse? (*Job 1v, 18*). *Non enim justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*, ait is qui Dei justitiam minime ignorabat (*Psal. cxlii, 2*). Nec ait: Omnis homo, sed, *omnis vivens*, forte, ut ne ipsos angelicos eum noveris spiritus exceperis. Vivunt enim et ipsi, tanto verius, quanto propius adstant ei apud quem est fons vitæ. Nihilominus etiam justii sunt, sed ex eo, non coram eo; munere ejus, non in ejus comparatione. Ipse enim sibi justitia est, cujus voluntas non tam æqua, quam ipsa æquitas: et utraque non aliud quam ipsa substantia est. Illa ergo justitia verissime sicut mons est, quæ recta est, quæ pura est, quæ firma est, et, ut ita dixerim, etiam substantia est. Quanta in hoc capite latet altitudo! quando gloria est, quantaque sublimitas in hoc umbroso et condenso monte reposita!

10. Quibus tamen putamus alis hoc caput seraphim velant, ut nulla sublimitate naturæ, nulla rationis **954** perspicacitate nequam oculus in illam queat irrupere veri luminis claritatem? Duabus, ni fallor, alis, suæ videlicet ipsorum gloriæ, et felicitatis. Ineffabiliter siquidem delectantur in admiratione contemplationis illius; nec minus gloriantur in ipsius veneratione. Iniquus ille admirationem quidem, sed non venerationem habens, quia sublimi noluit per venerationem, sigi non valuit per admirationem. Denique admirationem ipsam in æmulationem convertit; nec venerari dignatus, sed

conatus est imitari. Quam melius seraphim sua ipsa admiratione felices, veneratione etiam venerabiles fiunt, veram in ipso habentes gloriam, cui servire regnare est, et apud quem omnis qui se humiliat exaltatur? Et nunc audi quemadmodum his duabus alis ipsum, quod diximus, caput Domini ne iniquus ille inspiciat, velare seraphim videantur. Quoties enim sursum dirigit aciem, in angelicam statim felicitatem et gloriam malignus offendit; et offendit oculum pessimus humor, livor proprius, ut penetrare ultra non possit. Sic nimirum quasi gemino quodam velamine, ne sublimiora prospiciat, invidus præpeditur; ad illorum, quos superiores habere dolet, modo quidem felicitatem, modo gloriam, modo utramque simul, reverberata acie contabescens. Quis enim tam gravis pruritus oculi, quam invidia est? Nec vero aliis livor invidus, quam aliena gloria et felicitate torquetur. Miseria enim, ut aiunt, invidia caret.

11. Sed et pedes Domini, quibus nimirum impenetrabilem iudiciorum ejus abyssum, et dispositionis ejus vias diximus investigabiles designari, duabus æque alis velant seraphim. Ego autem dico, prudentia et fidelitate. Cum enim et fideles pariter ministri sint, et prudentes; sic divina negotia gerunt, et saluti provident electorum, ut malignus ille deprehendere omnino non possit. Ex hoc pedum velamento factum reor, ut nesciens Dominum gloriæ fecerit crucifigi: ex hoc quotidie fieri, ut salutis nostræ negotiis ignorans serviat et invitus, sero postmodum plangens, quod dum obesse voluit, inventus est profuisse. Sic nimirum per administratorios spiritus illuditur ejus astutia, quod et fideles sint qui detegere nolint, et prudentes qui norint tegere divinæ erga nos providentiæ et dispositionis arcana.

12. Cæterum sicut e supremis duabus alis nequissimus ille admirationem habuit, sed non veneratio-

nem, ut diximus; sic e mediis quoque spiritualem ei intellectum natura, sed non etiam gratia affectum dedit. Sed nihilominus ex infimis istis facile satis animadvertere est, quam inventus sit fidelitatis expers, non autem similiter caruisse prudentia. Nisi tu forte alium aliquem putas esse, qui dictus est *callidior cunctis animantibus serpens* (*Gen. iii, 1*). Forte etiam non incongrue dicimus quoniam eo ipso tam irrevocabilis casus ejus, irreparabilisque collisio fuerit, quod ex his quas diximus alis, sicut in parte dextra nulla adfuerit, sic in læva nulla defuerit. Non ita sane duo illi, quos prophetica nobis visio commendavit stantes, et astantes Domino majestatis. Cujus etiam duabus, ut dictum est, alis caput velant; ipsa equidem sua admiratione, in qua delectantur feliciter ac veneratione in qua sublimiter gloriantur: duabus etiam pedes, fidelitate videlicet atque prudentia. Porro duabus volant, naturæ, ut diximus, perspicacia et efficacia gratiæ. Sane mediam quasi quamdam longanimitatem nudam visibilemque relinquunt, longitudinem dico et benignitatem Dei, ad pœnitentiam homines invitantis. Omnibus enim cernere est, quemadmodum solem suum super bonos et, malos oriri faciat, et pluat super justos pariter et injustos. Hac nimirum charitate verus ille Salomon quasi quædam media sua constravit propter filias Jerusalem (*Cant. iii, 10*): ut quibus altiora se quærere et profunda vestigare non licet; in his saltem mediis valeant exerceri, et ad subtilium, sublimiumque exinde rerum **955** contemplationem promoveri aliquando mereantur. Cæterum nequissimus ille ex hac visione et in præsentem torquetur acrius, et gravius cruciabitur in futuro. Primum quidem, quod ipsam nobis longanimitatem benignitatis invideat; deinde, quod nequaquam sibi ipsi hac saltem occasione provideat, ut ad pœnitentiãm adducatur.

SANCTI BERNARDI

ABBATIS CLARÆ-VALLENSIS

SERMONES DE SANCTIS.

IN CONVERSIONE S. PAULI.

SERMO I.

Quomodo ad exemplum ejus converti debemus.

1. Merito quidem, dilectissimi, conversio Doctoris gentium ab universitate gentium festivis gaudiis hodie celebratur. Multos enim ab hac radice ramos prodiisse videmus. Conversus Paulus, conversionis minister factus est universo mundo. Et multos quidem olim in carne adhuc, sed non jam secundum

in carnem ambulans, prædicationis officio convertit ad Deum; nunc quoque in ipso feliciter vivens, et apud ipsum, ne adhuc quidem cessat ab hominum conversione: dico autem, exemplo, oratione, doctrina. Propterea denique conversionis ejus memoria frequentatur, quod et ipsa quoque memorantibus utilis inveniatur. In hac enim memoria et peccator spem veniæ concipit, ut provocetur ad pœnitentiã; et

qui jam pœnitet, perfectæ conversionis accipit formam. Quis desperet ultra pro magnitudine cujuslibet criminis, quandoquidem Saulum audiat adhuc spirantem minarum et cædis in discipulos Domini, subito factum vas electionis? Quis dicat iniquitatis pondere pressus: Assurgere jam ad studia meliora non valeo; quando in ipso itinere, quo sanguinem sitiens Christianum, dirum toto pectore virus efflabat, persecutor crudelissimus in fidelissimum repente mutatus est prædicatorem? Magnifice siquidem in hac una conversione et misericordiæ magnitudo, et efficacia gratiæ commendatur.

2. *Subito*, ait Lucas, *circumfulsit eum lux de cælo* (Act. ix, 1-8). O vere inestimabilis divinæ dignatio pietatis! Illustrat cœlestis fulgore vel a foris, intus adhuc luminis incapacem: qui necdum infundi poterat, divina saltem circumfunditur claritate. *Et vox facta est*. Lucis et vocis testimonia credibilia facta sunt nimis, nec dubitare est de veritate, quæ sese ingerit per utrasque, oculorum scilicet auriumque fenestras. Sic nimirum, sic in Jordane quoque supra caput Domini et columba apparuit, et vox sonuit (Matth. iii, 16, 17): sic et in monte, quando transfiguratus est coram discipulis, et claritas visa est, et vox nihilominus Patris audita (Matth. xvii, 2, 5): *Saule, Saule, quid me persequeris?* Vere deprehensus est Saulus: non est dissimulandi locus, non est facultas ulla negandi. In manibus sunt epistolæ crudelissimæ legationis, auctoritatis execrandæ, potestatis iniquæ. *Quid me persequeris?* inquit. Annon persequeretur Christum, qui Christi membra trucidabat in terris? Au vero persecuti sunt Christum, qui sacratissimum illud corpus crucis affixere patibulo, et non persequeretur eum qui adversus corpus ejus, quod est Ecclesia (est enim corpus ejus etiam ipsa), odio furebat iniquo? Denique si proprium sanguinem dedit in pretium redemptionis animarum, non tibi videtur graviolem ab eo sustinere persecutionem, qui suggestionem malignam, exemplo pernicioso, scandali occasione, avertit ab eo animas quas redemit, quam a Judæo qui sanguinem illum fudit?

3. Agnoscite, dilectissimi, et expavescite consortia eorum qui salutem impediunt animarum. Horrendum penitus sacrilegium, quod et ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino majestatis manus sacrilegas injecerunt. Videbatur jam cessasse persecutionis 956 tempus; sed, ut palam factum est, nunquam deest persecutio Christiano, sed neque Christo. Et nunc, quod gravius est, ipsi Christum persequuntur, qui ab eo utique Christiani dicuntur. Amici tui, Deus, et proximi adversum te appropinquaaverunt et steterunt. Conjurasse videtur contra te universitas populi Christiani a minimo usque ad maximum: a planta pedis usque ad verticem non est sanitas ulla: egressa est iniquitas a senioribus iudicibus, vicariis tuis, qui videntur regere populum tuum. Non est jam dicere, *Ut populus, sic sacerdos* (Isai. xxiv, 2): quia nec si populus, ut sacerdos.

PATROL. CLXXXIII.

A Heu, heu! Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum diligere, gerere principatum! Arcem Sion occupaverunt, apprehenderunt munitiones, et universam deinceps libere et potestative tradunt incendio civitatem. Misera eorum conversatio, plebis tuæ miserabilis subversio est. Atque utinam sola hac parte nocerent! Esset forte qui Dominica præmonitus et præmunitus exhortatione, daret operam ipsorum non exempla imitari, sed observare præcepta, juxta illud: *Quæ dicunt facite, et ad opera eorum nolite respicere* (Matth. xxiii, 3). Nunc autem dati sunt sacri gradus in occasionem turpis lucri, et quæstum æstimant pietatem. Copiosissimæ siquidem pietatis inveniuntur in suscipienda, imo accipienda magis animarum cura: sed hæc apud eos cura minor, et de animarum salute novissima cogitatio est. An vero Salvatore animarum gravior ulla esse poterat persecutio? Inique agunt et cæteri contra Christum, multique sunt nostris temporibus antichristi. Merito tamen et crudeliorem eam censet persecutionem pro acceptis beneficiis, et graviolem sentit pro potestate, quam propriis sustinet a ministris; licet alii quoque multi contra proximorum salutem multifarie, multisque modis et variis occasionibus agere videantur. Hæc videt Christus, et silet; hæc Salvator patitur, et dissimulat. Propterea dissimulemus et nos quoque necesse est, et sileamus interim, maximeque de prælatis nostris, magistris ecclesiarum. Sic nimirum, sic placet et ipsis, ut evadant nunc humana judicicia, veniatque semel judicium grave his qui præsent, et potentes patiuntur tormenta potenter.

4. Vereor, dilectissimi, ne quis forte sit et in nobis Domini persecutor, quia manifesta docuit ratio, impedire salutem, esse persequi Salvatorem. Quis ego de salute animæ meæ fratri illi gratias agere possum, qui mihi propinat detractionis fraternæ venenum? Merito detractores Deo odibiles describuntur (Rom. i, 30), tanquam persecutores. Quid et is qui exemplo suo ad remissius agendum cæteros provocat, aut singularitate turbat, aut inquietat curiositate, aut impatientia sua et murmuratione molestat; aut quocunque modo contristat Spiritum Dei qui in eis est, scandalizans unum de minimis istis creditibus in eum? nonne et hic manifeste persequitur Christum? Ut ergo persecutorum et nomen, et crimen longe sit semper a nobis, obsecro vos, dilectissimi, benignos semper et mites exhibeamus nos, invicem supportantes in omni patientia, et ad id quod melius et perfectius est, alterutrum provocantes. Quis enim servus sufficere sibi putat non persequi Dominum, sed nec obsequi Domino? Quam habiturus est gratiam, si ut non resistit, sic nec assistit quidem? Denique si quis adeo pusillanimis est, ut satis sibi reputet nec persecutorem esse, nec coadjutorem 957 Dei, audiat quid ipse loquatur: *Qui non est mecum, contra me est; et qui non colligit mecum, dispergit* (Matth. xii, 30).

5. *Saule, Saule, quid me persequeris?* E ille:

Quis es, Domine? Hinc profecto datur intelligi quia vere circumfusa erat illi claritas, non infusa. Audiebat Paulus vocem Domini, sed faciem Domini non videbat; quoniam erudiebatur ad fidem: et ut ipse postea docuit, *Fides ex auditu* (Rom. x, 17). *Quis es, inquit?* Ignotum enim persequabatur, et ideo consecutus est misericordiam, quia ignorans in incredulitate hoc fecit. Discite ex hoc, fratres, justum judicem Deum, non modo quid fiat, sed et quo animo fiat, considerare; et cavete deinceps, ne quia parva reputet, quamlibet parva scienter delinquere convincatur [*alias, videatur*]. Nemo dicat in corde suo: *Levia sunt ista, non curo corrigere*; non est magnum si in his maneam venialibus minimisque peccatis. Hæc est enim, dilectissimi, impoenitentia, hæc blasphemia in Spiritum sanctum, blasphemia irremissibilis. Paulus quidem blasphemus fuit, sed non in Spiritum sanctum, quia ignorans fecit in incredulitate. Non in Spiritum sanctum dixit blasphemiam; ideo consecutus est misericordiam.

6. *Quis es, Domine? Et Dominus ad eum: Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris.* Ego sum Salvator, quem tu persequendo petis. Ego sum, de quo tu in lege tua legis prædictum quod nescis impletum: *Quia Nazareus vocabitur* (Matth. 11, 23). Et ille: *Domine, quid me vis facere?* Hæc plane, fratres, perfectæ conversionis est forma. *Paratum, inquit, cor meum, Deus; paratum cor meum* (Psal. cxvii, 2). *Paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua* (Psal. cxviii, 60). *Domine, quid me vis facere?* O verbum breve, sed plenum, sed vivum et efficax, sed dignum omni acceptione! Quam pauci inveniuntur in hac perfectæ obedientiæ forma, qui suam ita abjecerint voluntatem, ut ne ipsum quidem cor proprium habeant, ut non quid ipsi, sed quid Dominus velit, omni hora requirant, dicentes sine intermissione, *Domine, quid me vis facere?* et illud Samuelis, *Loquere, Domine, quia audit servus tuus?* (I Reg. iii, 10). Heu! plures habemus evangelici illius cæci, quam novi apostoli imitatores. *Quid vis, ait Dominus ad cæcum illum, ut faciam tibi?* (Luc. xviii, 41). Quanta est miseratio tua, Domine, quanta dignatio tua! Siccine Dominus quærit, ut servi faciat voluntatem? Vere cæcus ille, quia non consideravit, non expavit, non exclamavit: Absit hoc, Domine, tu magis dic quid me facere velis! Sic enim decet, sic omnino dignum est, non meam a te, sed a me tuam quæri et fieri voluntatem. Videtis, fratres, quia vere necessaria erat hoc in loco conversio. Sic profecto, sic multorum usque hodie pusillanimitas et perversitas exigit, ut ab eis quæri oporteat. *Quid vis ut faciam tibi? non ipsi quærant, Domine, quid me vis facere?* Considerare necesse habent ministri et vicarii Christi, quid sibi præcipi velint: non ipsi considerant quæ voluntas sit præceptoris. Non est obedientia eorum plena, non in omnibus

A parati sunt obsequi, non per omnia sequi proposuerunt eum, qui non suam, sed Patris venit facere voluntatem. Discernunt et dijudicant eligentes in quibus obediant imperanti, imo in quibus præceptoris suum ipsorum obedire necesse sit voluntati. Hujusmodi itaque, etsi tolerari se videant, et descendendi ac morem geri infirmitati suæ, proficiant, obsecro, pudeatque semper parvulos inveniri, ne quando forte audiant. Quid debui vobis facere, et non feci? et absentibus patientia et benignitate prælati, fiat tandem multitudo exhibitæ miserationis cumulus justæ damnationis.

7. *Domine, quid me vis facere? Et Dominus ad illum: Surge, et ingredere civitatem; ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.* O Sipientia suaviter vere universa disponens! Eum cui tu loqueris, erudiendum de voluntate tua mittis ad hominem, ut socialis vitæ commendetur utilitas; et edoctus per hominem discat et ipse secundum datam sibi gratiam hominibus subvenire. **958** *Ingredere civitatem.* Videtis, fratres, non sine divino consilio factum esse, ut hanc civitatem Domini virtutum Ingredere, divinam discere voluntatem. Plane qui te salubriter terruit, et convertit cor tuum ad desiderandam voluntatem suam, ipse tibi dixit: *Surge, et ingredere civitatem.* Sed audi quam manifeste in his quæ sequuntur voluntaria simplicitas et Christiana commendatur mansuetudo. *Apertis oculis nihil videbat: ad manus autem trahebatur ab his qui comitabantur eum.* Felix cæcitas, qua male quondam illuminati in prævaricatione, tandem in conversione oculi salubriter excæcantur. Sane quod triduo Paulus sine cibo manet persistens in oratione, ad eos maxime pertinet, qui noviter sæculo abrenuntiantes, necdum in cœlesti consolatione respirant. Sustineant ergo et ipsi Dominum in omni patientia; orent sine intermissione, quærentes, petentes, pulsantes, quia exaudiet eos Pater cœlestis in tempore opportuno. Non obliviscetur eorum in finem; veniet, et non tardabit. Si triduo sustinueris eum non habens quod manduces, confide quia miserator et misericors Dominus jejunum te non dimittet.

8. Exinde jubetur Ananias manus imponere Saulo; sed tanquam bene eruditus, non continuo acquiescit. **D** Vide enim si non etiam Paulus ipse doctrinam hanc deinde tradidit discipulo, *Nemini, inquit, cito manus imponas* (I Tim. v, 22). *Vidit, ait Dominus (57), virum imponentem sibi manus, ut visum recipiat.* Fratres, Paulus hoc cum vidisset, non continuo illuminatus est. Nunquid non expectavit Ananias manum, quia venturum eum forte in somniis prævidit? (Act. ix). Hæc dico vobis, clarissimi, quia vereor ne quis forte sit inter vos, qui solo se somnio præsumat illuminatum esse; nec jam æquanimiter patiar ad manum trahi, sed ductorem sese profiteatur aliorum. Cui enim necdum administrationis cura injuncta est, cui necdum credita dispensatio, cui

(57) Hæc verba, parenthesi in Actis inclusa, Lucæ narranti tribuenda, non Christo.

necdum præceptum ut videat, et provideat his qui A apertos oculos habentes nihil vident: quid hoc præsumere tentat, nisi quia meditatur inania, et quasi somnia vana sectatur? Caveamus ab hoc vitio, fratres: semper, quod in nobis est, abjecti eligamus esse, et ad manus trahi; mansuetudinem et humilitatem discentes a Christo Domino, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II.

1. Conversus est hodie Paulus, imo Saulus conversus versus est in Paulum. Siquidem factus est tanquam evangelicus ille parvulus, de quo Dominus ait: *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum cælorum* (Matth. xiii, 5). Forte enim seipsum dicebat. Nimirum ipse magnus Dominus et laudabilis nimis, ipse parvulus B qui datus est nobis; nec tamen magnus interim, sed parvulus exhibetur, ut seipsum faciat gratam et efficax necessariæ parvitatæ exemplum. Ad parvulum ergo sit conversio tua, ut discas parvulus esse: tu quoque cum converteris, parvulus fias. Enimvero audi, quam evidentem ipsum tibi, in quo constituit formam conversionis, parvulum manifestat, signanter ea quæ sunt parvuli, in seipso imitanda proponens. *Discite a me, inquit, quia mitis sum et humilis corde* (Matth. xi, 29). Gemina parvitas, humilitas et mansuetudo. Et illa interior, ista exterior parvitas. Utraque tamen non parva virtus est: nempe quam parvulus ille tam magnus mistic magisterium proficitur. Hodie ergo conversus est Paulus, hodie desiit esse Saulus. Hodie factus est C humilis et mitis corde. Probat oris confessio eordis

humiliationem, dum clamat: *Domine, quid me vis facere?* Magis autem probat ipsa collatæ gratiæ magnitudo, quæ nimirum tam multa, nisi multum humili, data non fuit.

2. Cæterum mansuetudo, quoniam exterior quædam 959, ut diximus, parvitas, et ob hoc manifestior est, tripliciter nobis in conversione hac commendatur. Triplici quidem velut ariete mansuetudo nostra pulsatur; verborum injuriis, damnis rerum, corporis læsione. In his tribus omnis exhibitio patientiæ, omnis exercitatio mansuetudinis. Probata est illa virtus, quam nihil horum videtur concutere potuisse. Considerare libet, quemadmodum Paulus super his omnibus in ipsa statim sua conversione tentatus, vere jam Paulus inventus sit, in hac parte vere jam mitis et patiens. *Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Durum equidem verbum, verbum increpatorium, plenum comminatione. Sane quod ad corpus pertinuit, concussus est et prostratus in terram. An vero et damno quoque probatus est? Et valde; siquidem ipsum ei lumen ademptum est oculorum, et apertis, ut scriptum est, *oculis nihil videtis* (Act. ix, 1-8). Expertus est in his tribus et exercitata patientia Job, quem in hac virtute opinatissimum Deus exemplar dedit. Sed vestræ hoc industriæ relinquimus investigandum. Sufficit nos monere, formam veræ conversionis magna ex parte in hac mansuetudine constitutam: ut pudeat eos, qui conversi esse debuerant, vel in corporum læsione, vel in damno rerum, vel, quod magis indignum est, in verborum injuriis inveniri perversos penitus et aversos

IN PURIFICATIONE B. MARIE.

SERMO I.

De triplici misericordia.

1. Hodie templi Dominum in templum Domini Virgo mater inducit; Joseph quoque sistit Domino, non suum, sed ejus filium dilectum, in quo ei bene complacuit. Agnoscit Simeon justus quem expectabat; Anna quoque vidua confitetur. Ab his quatuor primo hodierna processio celebrata est, quæ postmodum exultatione universæ terræ in omni loco et ab omni gente celebraretur. Nec sane mirum, si tunc parva fuit, quandoquidem parvus erat qui suscipiebatur. Nullum ibi locum peccator habuit: omnes justi, omnes sancti, omnes fuere perfecti. Sed nunquid hos tantum salvabis, Domine? Crescat corpus, crescat et miseratio. Homines et jumenta salvabis, Domine, cum multiplicaveris misericordiam tuam, Deus (Psal. xxxv, 7, 8). In secunda jam processione præeunt turbæ, turbæ sequuntur; nec virgo portat, sed asellus. Neminem itaque dedignatur, nec ipsos qui computruerunt tanquam jumenta in stercore suo: non dedignatur, inquam, sed si apostolica vestimenta non desint, si doctrina eorum, si morum justitia, si obedientia, si charitas cooperiat multitudinem peccatorum, ex hoc jam processione suæ gloria non

censebit indignos. Magis vero et ipsam, quæ tam paucis collata videtur, nobis quoque ab ipso invenire est reservatam. Quidni reservaret posteris, quam et prærogavit antiquis?

2. David, rex et propheta, exultavit ut videret diem istum: vidit, et gavisus est. Alioquin si non viderat, unde psallebat: *Suscepimus, inquit, Deus misericordiam tuam in medio templi tui?* (Psal. xlvii, 10.) Suscepit hanc misericordiam Domini David, suscepit Simeon, suscepimus et nos, et quicumque sunt præordinati ad vitam: siquidem Christus heri, et hodie, et in æternum. In medio enim templi misericordia est, non in angulo aut diversorio, quia non est acceptio personarum apud Deum. In communi posita est, offertur omnibus, et nemo illius expers, nisi qui renuit. Derivantur aquæ tuæ foras, Domine Deus: nihilominus tamen fons tuus tibi proprius est, et non bibit alienus ex eo. Qui tuus est, non videbit mortem, donec viderit Christum Domini, ut securus dimittatur in pace. Quidni dimittatur in pace, qui Christum Domini habet in pectore? Ipse enim est pax nostra, qui per fidem habitat in cordibus 960 nostris. Tu quomodo hinc exhibis, anima misera, quæ ducem itineris Jesum ignoras? Ignorantiam enim Dei quidam habent.

Unde hoc? Nempe quia Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. *Et Lux*, inquit, *in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt* (Joan. 1, 5). Ac si dicat: Et in plateis derivantur aquæ, et alienus non bibit ex eis; et misericordia in medio templi est: nemo tamen accedit [*alias*, nec tamen accedunt] ex his quos manet æterna damnatio. Medius vestrum stat, o miseri, quem vos nescitis: ut morientes, antequam videritis Christum Domini, non in pace dimittamini; sed potius rapiamini a rugientibus præparatis ad escam.

3. *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.* Longe est hæc gratiarum actio a voce illa gementis: *Domine, in cælo misericordia tua, et veritas tua usque ad nubes* (Psal. xxxv, 6). Quid enim? videtur tibi in medio fuisse misericordia, cum apud solos cœligenas spiritus haberetur? At ubi sane minoratus est Christus paulo minus ab angelis, factusque est Dei et hominum mediator, ac velut lapis angularis pacificavit per sanguinem suum quæ in cœlis sunt, et quæ super terram; ex hoc plane jam *suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.* Eramus enim et nos natura filii iræ, sed consecuti sumus misericordiam. Cujus iræ filii, et quam misericordiam consecuti? Nempe filii ignorantia, ignavia, captivitatibus: et consecuti sumus sapientiam, virtutem, redemptionem. Ignorantia mulieris seductæ excæcaverat nos; mollities viri abstracti et illecti a propria concupiscentia enervaverat nos; malitia diaboli expositos juste a Deo captivaverat nos. Sic ergo nascimur universi, primum quidem viæ civitatis habitaculi prorsus ignari; deinde imbecilles et ignavi, ut, etsi nota nobis esset via vitæ, propria tamen præpediremur et delineremur inertia; postremo captivi sub pessimo crudelissimoque tyranno, ut licet prudentes essemus atque robusti, ipsa tamen miseræ servitutis opprimeremur conditione. Nunquid non misericordia et miseratione multa opus habet tanta miseria? Aut certe si jam salvi facti sumus ab hac triplici ira per Christum, qui factus est nobis sapientia a Deo Patre, et justitia et sanctificatio, et redemptio (I Cor. 1, 30): quanta nobis vigilantia opus est, dilectissimi, ne forte, quod absit! inveniantur nostra novissima pejora prioribus, si denuo contingat iram incendere, utpote qui non natura jam, sed propria voluntate filii iræ sumus?

4. Amplectamur itaque misericordiam, quam in medio templi suscepimus, et cum beata Anna non dimoveamur a templo. *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos*, ait Apostolus (I Cor. III, 17). Prope est hæc misericordia, prope est verbum in ore vestro et in corde vestro. Denique in cordibus vestris per fidem habitat Christus. Hoc templum

(58-59) Hic locus tanquam ex Scriptura passim laudatur a sanctis Patribus, Augustino, Gregorio Magno aliisque, et a Bernardo, ut sermone 27 in Cantica, ubi vide notas.

A ejus, et hæc sedes ejus: nisi forte excidit vobis quoniam *anima justii sedes sapientie est* (58-59). Quod ergo frequenter, imo et semper admonere cupio fratres meos, obsecro et nunc, ambulemus non secundum carnem in carne, ne displiceamus Deo. Non simus amici hujus sæculi, ne Dei constituamur inimici. Resistamus quoque [*alias*, ergo] diabolo, et fugiet a nobis, ut libere jam ambulemus in spiritu, et in corde sit conversatio nostra. Siquidem corpus quod corrumpitur, aggravat, et enervat, et effeminat animam; et terrena inhabitatio sensum multa cogitantem deprimit (Sap. 1x, 15), ut ad cœlestia non assurgat. Unde et sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum (I Cor. III, 19); et a maligno qui superatur, ei et servus addicitur. Porro in corde suscipitur misericordia, in corde habitat Christus, in corde loquitur pacem in plebem suam, et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad cor.

961 SERMO II.

De ordine et modo processionis Christi in templum.

1. Gratias Redemptori nostro, qui tam copiose prævenit nos in benedictionibus dulcedinis, sacramentis infantia suæ gaudia nostra multiplicans. Celebratis siquidem paulo ante Nativitate, Circumcisione et Apparitione ejus, festus hodie nobis oblationis ipsius dies illuxit. Hodie namque sistitur Creatori terræ fructus sublimis; hodie placabilis et Deo placens hostia virgineis manibus offertur in templo, portatur a parentibus, a senibus expectatur. Offerunt Joseph et Maria sacrificium laudis, sacrificium matutinum; Simeon et Anna suscipiunt. Ab his quatuor celebrata processio est, quæ per quatuor orbis climata solemnibus hodie gaudiis ad memoriam revocatur. Quia ergo festivam hodie et nos ipsi, præter cæterarum consuetudinem solemniter, acturi sumus processionem (60), non inutile arbitror modum ipsius et ordinem diligentius inquiri. Processuri sumus bini et bini, candelas habentes in manibus, ipsas quoque succensas, nec quolibet igne, sed qui prius in ecclesia sacerdotali benedictione fuerit consecratus. Ad hæc futuri sunt in processione nostra novissimi primi, et primi novissimi: et cantabimus in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini.

D 2. Merito sane bini et bini procedimus: sic enim ob commendationem fraternæ charitatis et socialis vitæ missos a Salvatore discipulos Evangelia sacra testantur (Luc. x, 1). Turbat processionem, si quis solitarius incedere curat: nec sibi soli nocet, sed etiam cæteris est molestus. Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes, nec solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Jam vero sicut non est bonum esse hominem solum, sic in conspectu Domini vacuum apparere est prohibitum (Exod. xxIII, 15). Cum enim arguantur

(60) Huc pertinet Abælardi objectio in epistola 5, ad Bernardum: « Processionum fere totam venerationem a vobis exclusistis. »

otiositatis ipsi quoque quos nemo conduxit (*Math. A xx, 6*) : qui jam conducti sunt, si otiosi inventi fuerint, quid merentur? Fides quippe sine operibus mortua est (*Jac. II, 26*). Ipsa denique opera nostra in fervore agenda sunt, et in desiderio cordis, ut sint lucernæ ardentes in manibus nostris. Alioquin timendum est, ne forte tepidos nos evomere incipiat, qui in Evangelio loquitur, dicens : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut ardeat?* (*Luc. XII, 49*). Illic plane sacer et benedictus est ignis, quem Pater sanctificavit et misit in mundum, et cui benedicuntur in ecclesiis, sicut scriptum est : *In ecclesiis benedicite Deo Domino* (*Psal. LXVII, 27*). Habet enim etiam adversarius noster, utpote perversus divinorum operum æmulator; habet, inquam, ignem suum et ipse, ignem concupiscentiæ carnalis; ignem invidiæ et ambitionis, quem Salvator in nobis non accendere, sed extinguere venit. Denique si quis alienum hunc ignem in divino offerre præsumperit sacrificio, etiamsi patrem habeat Aaron, morietur in iniquitate sua.

3. Porro super hæc quæ de sociali vita et fraterna dilectione, de bonis operibus, et fervore sancto dicta sunt; humilitatis virtus maxima, maximeque necessaria est, ut honore præveniamus invicem: nec modo priores, sed et ipsos juniores sibi quisque præponat: quæ nimirum humilitatis perfectio est, et justitiæ plenitudo. Et quoniam hilarem datorem diligiti Deus (*II Cor. IX, 7*), et fructus charitatis est gaudium in Spiritu sancto; cantemus, ut dictum est, in visis Domini, quoniam magna est gloria Domini (*Psal. CXXXVII, 5*): cantemus Domino canticum novum, quia mirabilia fecit (*Psal. XCVII, 1*). In quibus omnibus si quis forsitan proficere dissimulat, et proficisci de virtute in virtutem; noverit quisquis hujusmodi est, in statione, non in processione se esse, imo vero et in regressione; quoniam in via vitæ non progredi, regredi est, cum nihil adhuc in eodem statu **962** permaneat. Porro profectus noster in eo consistit, ut sæpius me dixisse nemini, ut nunquam arbitremur nos apprehendisse, sed semper extendamur ad anteriora, incessanter conemur in melius; et imperfectum nostrum divinæ misericordiæ obtutibus jugiter exponamus.

SERMO III.

De puero, Maria et Joseph.

1. Purificationem beatæ Mariæ Virginis hodie celebramus, quæ secundum legem Moysi facta est, transactis a Nativitate Domini quadraginta diebus. In lege enim scriptum erat, ut mulier quæ suscepto semine peperisset filium, immunda esset septem diebus, et octava die circumcideretur puer: dehinc ablutioni et purificationi intenta, abstinere ab ingressu templi triginta tribus diebus: quibus expletis, offerret filium Domino cum muneribus (*Lev. XII*). Sed quis non advertat in ipso sententiæ hujus initio, liberam omnino matrem Domini ab hoc præcepto? Putas enim quia dicturus Moyses mulierem, quæ peperisset filium, immundam esse, non timuerit su-

per matre Domini blasphemiam crimen incurrrere, et idcirco præmiserit, *suscepto semine*? Alioquin nisi parituram prævidisset sine semine Virginem, quæ necessitas erat de suscepto semine fieri mentionem? Patet itaque quod lex ista matrem Domini non includit, quæ non suscepto semine filium peperit, sicut prædictum erat per Jeremiam, quia *novum faceret Dominus super terram*. Quæris quod novum? *Mulier*, inquit, *circumdabit virum* (*Jerem. XXXI, 22*). Non ab altero viro virum suscipiet, non humana lege concipiet hominem; sed intra viscera intacta et integra virum claudet: ita sane ut intrante et exeunte Domino, juxta alium prophetam, porta orientalis clausa jugiter perseveret (*Ezech. XLIV, 2*).

2. Putas ergo, non poterat moveri animus ejus, et dicere: Quid mihi opus purificatione? cur abstinere ab ingressu templi, cujus uterus nesciens virum, templum factus est Spiritus sancti? cur non ingrediar templum, quæ peperit Dominum templi? Nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum: nimirum cum proles ista fons puritatis sit, et purgationem venerit facere delictorum. Quid in me legalis purificet observatio, quæ purissima facta sum ipso partu immaculato? Vere, o beata Virgo, vere non habes causam, nec tibi opus est purificatione. Sed nunquid filio tuo opus erat circumcissione? Esto inter mulieres tanquam una earum; nam et filius tuus sic est in numero puerorum. Circumcidi voluit, et non multo magis velit offerri? Offer filium tuum, **C** *Virgo sacrata, et benedictum fructum ventris tui Domino repræsenta*. Offer ad nostram omnium reconciliationem hostiam sanctam, Deo placentem. Omnino acceptabit Deus Pater oblationem novam, et pretiosissimam hostiam, de qua ipse ait: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (*Math. III, 17*). Sed oblatio ista, fratres, satis delicata videtur, ubi tantum sistitur Domino, redimitur avibus, et illico reportatur. Veniet, quando non in templo offeretur, nec inter brachia Simeonis, sed extra civitatem inter brachia crucis. Veniet, quando non redimetur alieno, sed alios redimet sanguine proprio, quia redemptionem eum misit Deus Pater populo suo. Illud erit sacrificium vespertinum, istud est matutinum. Istud quidem jucundius, sed illud plenius. Istud enim tempore nativitatis, illud jam in plenitudine ætatis. De utroque tamen potes accipere quod propheta prædixit: *Oblatus est, quia ipse voluit* (*Isai. LIII, 7*). Nam et modo oblatum est, non quia opus habuit, non quia sub legis edicto fuit, sed quia ipse voluit; et in cruce nihilominus oblatum est, non quia meruit, non quia Judæus potuit, sed quia ipse voluit. Voluntarie sacrificabo **963** tibi, Domine, quia voluntarie oblatum es pro mea salute, non pro tua necessitate.

3. Sed quid, fratres, nos offerimus, aut quid retribuimus illi pro omnibus quæ retribuit nobis? Ille pro nobis obtulit hostiam pretiosiore quam habuit, nimirum quia pretiosior esse non potuit: et

nos ergo faciamus quod possumus, optimum quod habemus offerentes illi, quod sumus utique nosmetipsi. Ille seipsum obtulit; tu quis es qui te ipsum offerre cuncteris? Quis mihi tribuat, ut oblationem meam dignetur majestas tanta suscipere? Duo minuta habeo, Domine, corpus et animam dico: utinam hæc tibi perfecte possim in sacrificium laudis offerre! Bonum enim mihi, longeque gloriosius atque utilius est, ut tibi magis offerar, quam ut deserar mihiipsi. Nam ad meipsum anima mea conturbatur, in te vero exsultabit spiritus meus, si tibi veraciter offeratur. Fratres, morituro Domino Judæus mortuas hostias offerebat; sed jam nunc: *Viro ego, dicit Dominus · nolo mortem peccatoris,*

A sed magis ut convertatur et rivat (Ezech. xxxiii, 11). Non vult Dominus mortem meam; et non libenter offero illi vitam meam? Hæc est enim hostia placabilis, Deo placens hostia, hostia viva. Sed in oblatione illa Domini tres fuisse leguntur; et in oblatione nostra tria nihilominus a Domino requiruntur. Fuit in oblatione illa Joseph sponsus matris Domini, cujus filius putabatur; fuit et ipsa Virgo mater, et puer Jesus qui offerebatur. Sit ergo et in oblatione nostra constantia virilis, sit continentia carnis, sit conscientia humilis. Sit, inquam, in proposito perseverandi animus virilis, sit in continentia castitas virginalis, sit in conscientia simplicitas et humilitas puerilis. Amen.

IN NATALI SANCTI VICTORIS CONFESSORIS (61).

SERMO I.

1. Victoris vita [*alias, virtus*] et gloria specialis non tam ad gloriam quam ad virtutem provocat omnes qui recto sunt corde. Non recti plane, sed perversi est animi, ante quærere gloriam quam exercere virtutem, et velle coronari qui legitime non certaverit. *Vanum est vobis, inquit, ante lucem surgere (Psal. cxxvi, 2).* Ita est. Frustra ad celsitudinem nititur gloriæ, qui prius non claruit virtute. Frustra fatuæ virgines sponso obviam surgunt, quarum lampades exstinguuntur: et ideo fatuæ, quia vacuis gloriantur lampadibus, virtutis oleum non habentes. Absit mihi gloriari nisi in gloria illorum, quibus Propheta congratulans ait: *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exsultabunt tota die, et in justitia tua exultabunt.* Et infert: *Quoniam gloria virtutis eorum tu es (Psal. lxxxviii, 16-18).* Pulchre non eorum, sed virtutis eorum gloria commendatur. Quæ enim sine virtute est gloria, profecto indebita venit, præpropere affectatur, periculose captatur. Virtus, gradus ad gloriam; virtus, mater gloriæ est. Fallax gloria et vana est pulchritudo, quam illa non parturivit. Sola est, cui gloria jure debetur, et secure impenditur.

2. Sancto Victori nec virtus, nec gloria deest; sed quemadmodum ambæ res, et quo ordine in homine processerunt, id operæ pretium intueri. Pugnavit fortiter, viriliter superavit, et sic demum gloria et honore coronatur. Quomodo nempe inglorius remansisset bellator fortis, humilis victor? Quanquam nec in die virtutis suæ sine gloria fuit, signis et prodigiis admirandus. Habemus, dilectissimi, in vita Victoris, et quod digne miremur, et quod salubriter imitemur. Miror vina dedisse in eremo, non vitem, sed fontem. Miror et stupeo infantem adhuc in utero pavori fuisse pavendis dæmoniis, quippe ab ipsis præcognitum, et jam tunc ex nomine designatum. Nec vacuum nomen, ubi hostium fuga et extorta confessio victoriam conces-

B sit infantulo. Quis item non miretur furem a **964** dæmone deprehensum, et rursum a dæmone innox hominem liberatum? Quis non etiam omni admiratione stupendum ducat, carne circumdatum hominem, cælis patentibus, carnis oculos superno infigere lumini, et videre visiones Dei, angelico insuper mulceri cantico, doceri oraculo? Hæc atque similia in sancto homine veneramur, non æmulamur. Merito quidem, quando et sine salutis periculo possunt non fieri, et sine salutis periculo nequeunt usurpari. Tutius sane æmulanda solidiora quam sublimiora; et quæ magis virtutem redoleant, gloriam minus.

3. Studeamus proinde moribus conformari, cui in mirabilibus simili, etsi volumus, non valeamus. **C** Æmulemur in viro sobrium victum, devotum, affectum; æmulemur mansuetudinem spiritus, castimoniam corporis, oris custodiam, animi puritatem; ponere frenum iræ et modum linguæ, dormire parcius, orare frequentius, commonere nosmetipsos psalmis, hymnis et canticis spiritualibus; diebus jungere noctes et divinis laudibus occupare. Æmulemur charismata meliora. Discamus ab ipso quod mitis et humilis corde fuit. Æmulemur, inquam, quod exstitit liberalis in pauperes, jucundus ad hospites, patiens ad peccantes, benignus ad omnes. Hoc enim melius. In his formæ est cui imprimamur, in miraculis gloria a qua reprimamur. Illa lætificent, ista ædificent; moveant illa, ista promoveant. Epulemur, dilectissimi, ad mensam divitis vocati, mensam abundantem panibus, deliciis cumulata. Annon dives qui exemplis nos reficit, protegit meritis, lætificat signis? Dives plane, in cujus hodie convivio solenni angeli et homines pariter congregantur: hi ut reficiantur, illi ut deliciantur; isti ut proficiant, illi ut gaudeant. Cujus vita repleta bonis, quid nisi mensa referta cibus? Nec tamen omnibus omnia apponuntur, sed ut tollat quisque quod sibi expedire et convenire videbit.

4. Et ego quidem consilio salubriori diligenter

(61) Ejus corpus asservatur in monasterio Arremarensi, vulgo Montier-Ramey, diocesis Trecensis; depositio vero celebratur iv kal. Martii. Eiusdem

officium habes sub finem hujusce tomi. Vide epistolam 398.

considero quæ mihi apponuntur. Cautum est mihi eligere mea, et aliena non tangere. Non extendam manum ad gloriam miraculorum, ne si attentavero quod desuper non accepi, perdam merito et quod videor accepisse. Non levo cum illo oculos ad rimanda secreta cœlestia, ne oppressus a gloria confusus resiliam, sero confugiens ad consilium Sapientis, qui ait: *Aliora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris (Eccli. iii, 22)*. Inferitur mensis vinum novum aquarum rubentium; non tango, quia non mihi appositum scio, qui similiter elementa mutare, naturas innovare non valeo. Cerno item in mensa Victoris angelos illum audisse canentes. Nunquid videbo et ego mihi supernos exhiberi cantores: aut certe citharædos illos de Apocalypsi coram me citharizare in citharis suis? (*Apoc. xiv, 2*). Imperat ille dæmonibus adhuc in corpore vivens, vinctum in corpore solvit corpore jam solutus. Cibi sunt, sed non mei; equidem jucundi et sapidi, sed non tangit illos anima mea, quoniam non est inopi mihi, unde sufficiam talia redhibere. At si diligenter considero, ecce præ oculis in mensa sancti, censura iudicii, disciplinæ vigor, sanctitatis speculum, vitæ forma, virtutis insigne. Hæc a me et absque præsumptione sumuntur, et salubriter insumuntur: et si dissimulo, districte repossuntur.

5. Audi adhuc quænam mihi jure apposita putem. Si panem doloris et vinum compunctionis de divitis mensa obtuleris, tollo securus qui sum pauper et inops. Erunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte (*Psal. xli, 4*), et poculum meum cum fletu miscebo (*Psal. ci, 10*). Pars mea hæc, qui dolenda commisi. Nec me tamen pigebit, ut æstimo, eibi hujus; quoniam qui apposuit scientiam, addidit et dolorem. Sed et si temperantiæ, si justitiæ, si prudentiæ vel fortitudinis exempla appareant, ea inenunctanter sumo, sciens quia talia oportet me præparare. Hæc mihi apponi, hæc a me repetitum iri non dubito. Nunquid signa et prodigia exigenda a nobis **965** sunt, ut ea diviti vicissim præparemus? Fratres, vasa sunt in honorem illi qui nos invitavit, non cibi pauperum. Tu ergo qui invitatus es, diligenter considera quid tibi ille, quid sibi met apposuerit. Non enim quidquid in mensa apponitur, tibi apponitur. Quid si in poculo aureo fuerit propinatum? non poculum tibi, sed potus apponitur: sume potum et pone aurum. Ergo exempla bonorum operum et rectitudinem morum paterfamilias communicat ita domesticis, ut prærogativam sibi retineat in miraculis. In his tamen atque illis ille glorificandus est, cujus est munus sancte vivere, cujus virtus signa facere, qui in Trinitate perfecta vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II.

1. Gaudete in Domino, dilectissimi, qui inter continua sæpientis beneficia indulsit hominem mundo, cujus multi salvarentur exemplo. Iterum dico, gaudete, quod factus de medio appropriavit Deo, ut multos ejus intercessione salvarent. Habet ex homi-

nibus, cui hominum peccata donet misericors et miserator Dominus: habet tempus et locum intercedendi pius et misericors advocatus; equidem locum quietum et tempus feriatum. In terris visus est, ut esset exemplo; in cœlum levatus est, ut sit patrocinio. Illic informat ad vitam, illic invitat ad gloriam. Factus est mediator ad regnum, qui fuit incitator ad opus. Bonus mediator, qui sibi jam postulans nihil, totum in nos transferre desiderat et supplicantis affectum et supplicationis fructum. Quid enim quærat sibi, qui nullius eget? Dominus conservat eum, et vivificat eum, et beatum facit eum in gloria: nihil illi deerit in loco pascuæ collocato. Hæc dies gloriosæ migrationis ejus, dies lætitiæ cordis ejus; exsultemus et lætemur in ea. Introivit in potentias Domini; gaudeamus, quia nunc potentior est ad salvandum.

2. Hodie Victor posito corpore, quo solo præpediri ab introitu gloriæ videbatur, tanto alacrior, quanto expectator, penetravit in sancta, similis factus in gloria sanctorum. Hodie de novissimo et humili loco, quem sibi ex consilio Salvatoris elegerat, ipso summo paterfamilias evocante, verus amicus ascendit superius, et est illi gloria coram simul discumbentibus. Hodie despecto mundo, et mundi principe triumphato, supra mundum vere Victor ascendit, accipiens de manu Domini coronam victoriæ. Ascendit autem cum immensa supellectili meritorum, clarus triumphis, miraculis gloriosus. Pausat miles emeritis, et post labores sudoresque sacræ peractæ militiæ locatur feliciter, coronatur sublimiter. Anima ejus in bonis demorabitur. Quæris ubi? Cum Abraham, Isaac et Jacob in regno cœlorum. Ita cum talibus et tali in loco sibi sedet; sedet excelsa et fulgida, sedet letabunda et laudans; sedet delicata et ornata monilibus suis, stipata malis, fulcita floribus; sedet, inquam, sibi, vacua curis, deliciis affluens, abundans olii et quietis ad vacandum sapientiæ. Quæ sedit et flevit super flumina Babylonis, sedet modo ad fontem vitæ, et conversatio illi secus torrentem voluptatis, cujus impetus lætificat civitatem Dei. Invenit sibi fontem hortorum, puteum aquarum viventium, et cum Samaritana potatur aqua sapientiæ salutaris, ut non siciat in æternum. Datur illi de fructu manuum suarum, et laudant eum in portis opera ejus, et gloriatur testimonio conscientiæ; conscientiæ dico suæ, non alterius. Sedet media angelorum, digna plane eorum consortio, quorum desiderio flagrat, puritate nitet, castimonia decoratur. Sedet inter apostolos vir apostolicæ gratiæ; nec est quod se abscondat a cuneo prophetarum, qui quem illi prædixerunt, glorificavit et portavit in corpore suo. Neque se putat a victoriosis martyrum choris Victor noster arcendum, qui duro et diuturno **966** martyrio viventem sui corporis hostiam immolavit.

3. Sedet veteranus miles, debita jam suavitate et securitate quietus; securus quidem sibi, sed nostri sollicitus. Non enim cum putredine carni simul se exiit visceribus pietatis; nec sibi sic induit stolam

gloriæ, ut nostræ pariter miseræ, suæque ipsius misericordiæ oblivionem indueret. Non est terra oblivionis, quam anima Victoris inhabitat; non terra laboris, ut occupetur in ea; non denique terra, sed cælum est. Nunquid cœlestis habitatio animas quas admittit indurat, aut memoria privat, aut spoliat pietate? Fratres, latitudo cœli dilatat corda, non arctat; exhilarat mentes, non alienat; affectiones non contrahit, sed extendit. In lumine Dei serenatur memoria, non obscuratur; in lumine Dei discitur quod nescitur, non quod scitur dediscitur. Superni spiritus illi, qui ab initio cœlos inhabitant, nunquid quia incolunt cœlos, despiciunt terras, et non magis eas visitant et frequentant? Nunquid quod semper vident faciem Patris, ministerium evacuat pietatis? Omnes nihilominus administratorii spiritus sunt, missi in ministerium propter eos qui hæreditatem capiunt salutis (*Hebr. 1, 14*). Quid ergo? discurrunt angeli, et succurrunt hominibus; et qui ex nobis sunt, nesciunt nos, nec norunt jam compati, in quibus passi sunt et ipsi? qui dolores nesciunt, sentiunt tamen nostros; et qui venerunt de magna tribulatione, non recognoscunt jam in quo fuerunt? Scio qui dixit: *Me expectant justi, donec retribuatur mihi (Psal. cxli, 8)*. Justus est Victor, etiam expectans nostram procul dubio retributionem. Non est ille pincerna Pharaonis, qui inventam gratiam remisit sibi, prophetæ sui pariter et captivi minime recordatus (*Gen. xl*). Minister Christi est, Christum sequitur. Non est ille oblitus suæ promissionis, nec socio passionis regni consortium denegavit. Non est discipulus contra magistrum; non potest Victor quidquam facere, nisi quod viderit magistrum facientem. Opera quæ ille fecit, et iste fecit similiter.

4. Jam cœlos ingressus, quos et ante apertos beatis oculis suspiciebat, vere nunc revelata facie specularum gloriam Dei, absorptus quidem, sed non oblitus clamorem pauperum. Beata visio, qua in eandem imaginem transformatur de claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu. Parvulus ad pugnam, magnus ad victoriam, matris viscera necdum exiens, et jam ejiciens dæmonia, cum incremento virtutum ac meritum Victor vivens inter peccatores translatus est. O virum præcipuæ sanctitatis! qui ante sanctus quam natus, ante opere quam nomine Victor. Adhuc utero clausus jam de hoste triumphavit. O venerandam etiam ipsis angelis sanctitatem! quam pari studio, etsi

A dispari voluntate, et mali fugitant et frequentant boni. Nec facile dixerim quid virum astruat sanctionem, horum favor, aut pavor illorum. Corpore denique terras, mente cœlos inhabitans, aliquando familiaris aliquid nuntiantes, aliquando ineffabili cantus suavitate plausibiles supernorum voces spirituum audiebat. Vere aivna tua, Victor, una ex gemmis, quæ tibi in cruce apparuerunt. Vere infixæ cruci, cum divinæ inserta gloriæ, eandem sibi claritatis imaginem induit, quam invenit. Vincenti expandit gremium suum, qui pugnanti dederat spiritum suum. O victrix anima, quæ sicut passer transvolans, mundi laqueos evasisti! respice ad incautas animas intricatas illis, periclitantes in illis, ut tuo patrocinio eruamur.

B 5. O miles emerite, qui Christianæ militiæ duris laboribus angelicæ felicitatis requiem commutasti! respice ad imbelles et imbecilles commilitones tuos, qui inter hostiles gladios et spirituales nequitiæ tuæ laudibus occupamur. O Victor inclyte, qui et de terra, et de cœlo gloriosissime triumphasti, illius gloriam nobiliter superbus despiciens, et hujus regna pie violentus diripiens! respice de cœlo ad viucios terræ, ut hæc sit tuorum consummatio triumphorum, si et nobis demum vicisse te sentiamus. Nam si ex re nomen tibi, perfecta veritas nominis ex nostra liberatione censebitur. Et certe deest interpretationi, quando nos, qui tui sumus, 967 minime liberamur. Quam pium, quam dulce, quam suave, o Victor, in hoc loco afflictionis et in hoc corpore mortis te canere, te colere, te precari! Nomen tuum et memoriale tuum favus distillans in labiis captivorum; mel et lac sub lingua eorum, qui tui memoria delectantur. Eia ergo fortis athleta, dulcis patrone, advocate fidelis, exsurge in adiutorium nobis, ut et nos de nostra ereptione gaudeamus, et tu de plena victoria glorieris. O omnipotens Pater, peccavimus tibi facti filii alieni; sed appropriavimus in Victore, qui dum vicit cupiditatem suam, vincat et iram tuam, nos quoque in gratiam potenter restituat. O victor Jesu, te in nostro Victore laudamus, quia te in illo vicisse cognoscimus. Da ei, piissime Jesu, sic de sua in te victoria gloriari, ut non subeat oblivio nostri. Fili Dei, immitte ei nostri semper in conspectu tuo memorem esse, nostram in tuo tremendo iudicio suscipere et agere causam, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

IN NATALI SANCTI BENEDICTI ABBATIS.

SERMO.

1. Convenientibus vobis in unum ad audiendum verbum salutis, magnus mihi timor est, fratres mei, ne quis forte minus digne illud recipiat, et non sicut recipiendum est verbum Dei. Scio enim terram, quæ sæpius supervenientem in se receperit imbrem, si fructum non fecerit, reprobam fore, et proximam maledicto (*Hebr. vi, 7, 8*). Et ego utique, si possem,

benedictiones vobis dare mallet, et non maledictiones. Imo vero ipsam benedictionem cœlestis utique Patris nostri, non mean (quam tamen ipso quidem dignante accipitis per os meum) opto vobis benedictionem manere semper, nec in maledictionem posse mutari.

2. Celebramus hodie magistri nostri gloriosi Be-

nedicti natale : pro eo vobis et de eo solemniter ex more sermo debetur (62). Cujus dulcissimum nomen, cum omni vobis jucunditate amplectendum est et honorandum ; quoniam ipse dux noster, ipse magister et legifer noster est. Delector quidem et ego in ipsius memoria, licet non meo sine rubore beati hujus patris nomen audeam memorare. Est enim mihi de ipsius imitatione vobiscum sæculi abrenuntiatio, et monasticæ professionis disciplinæ ; sed singularitersine vobis cum eo participo nomen abbatis. Abbas fuit, et ego. O abbas, et abbas ! Nomen unum, sed in altero sola magni nominis umbra. Ministerium unum, sed heu me ! quam dissimiles ministri, quantum ministratio ipsa dissimilis ! Væ mihi, si tam longe a te fuero, o beate Benedicte, in futuro, quam a tuæ vestigiis sanctitatis longe esse reperior in præsentia. Sed non mihi hæc apud vos perorare necesse est. Scio quod scientibus me loquar : tantum peto, ut pudorem hunc, et hunc timorem meum fraterna compassione levetis.

3. Quando tamen omnino dispensatio mihi credita est, etsi non habeo apud me quod vobis apponam, quæram a beato Benedicto tres panes, quibus vos pascam. Reficiat vos sanctitas ejus, justitia ejus, pietas ejus. Recolite, dilectissimi, quod non omnes qui in processione Domini fuerunt, sua illi prostraverint vestimenta. In illa, inquam, processione, quam annuente Domino in proximo sumus celebraturi, quando venienti Domino ad passionem, et sedenti super asellum populi occurrerunt, non omnes vestimenta sua prosternebant in via, sed cedebant aliqui ramos de arboribus (*Matth. xxi, 1-9*). Non erat hoc magnum, quod gratis acceperant, gratis dabant. Verumtamen ne ipsi quidem penitus otiosi fuerunt, sed nec a processione leguntur exclusi. Fratres mei, pium Christi jumentum, qui cum Propheta dicere potestis, *Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum (Psal. lxxii, 23)* ; vos quibus insidet Christus, quoniam, *anima justi sedes est sapientiæ* ; et Apostolus prædicat **368** *Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam (1 Cor. i, 24)* : si non habeo vestes quas pedibus vestris prosternam, tentabo vel ramos cædere de arboribus, ut tantæ processioni vel parum aliquid non desit ministerii mei.

4. Arbor fuit beatus Benedictus, grandis atque fructifera, tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum (*Psal. i, 3*). Ubi sunt decursus aquarum ? Profecto in vallibus ; quia inter medium montium pertransibunt aquæ. Quis enim non videat etiam torrentes montium ardua declinare, et mediam ad humilitatem semper devertere vallis ? Sic profecto, sic Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (*Jacobi iv, 6*). Securus hic fuge pedem, quicumque es jumentum Christi, super hunc ramum inuitere, semitam vallis incede. Nimirum in monte sibi sedem constituit serpens antiquus, mordens

A unguis equi, ut cadat ascensor ejus retro : propterea vallem magis elige ad ambulandum, vallem elige ad plantandum. Neque enim vel in serendis arboribus montana solemus eligere, quod frequenter arida sint et petrosa. In vallibus pinguedo est : ibi proficiunt plantæ, ibi plena spica, ibi centesimus oritur fructus, juxta illud, *Et valles abundabunt frumento (Psal. lxxiv, 14)*. Audis quia ubique vallis laudatur, ubique humilitas prædicatur. Ibi ergo plantare, ubi decursus aquarum ; quia ibi copia gratiæ spiritualis ; et aquæ quæ super cælos sunt, laudant nomen Domini, id est, cælestes benedictiones faciunt ut laudetur. Stemus in hac, charissimi, et plantati stemus, ut non arescamus. Non moveamur quocumque flatu, sicut scriptum est : *Si spiritus habentis potestatem super te irruerit, locum tuum ne deseras (Eccle. x, 4)*. Nulla enim tentatio vobis prævalebit, si non in magnis et in mirabilibus super vos ambuletis, sed permaneat radicibus firmis in humilitate radicati atque fundati. Sic plantatus secus decursus aquarum sanctus iste confessor Domini, fructum suum dedit in tempore suo.

5. Sunt enim qui fructum non faciunt : sunt qui faciunt, sed non suum : sunt qui faciunt suum, sed non in tempore suo. Sunt, inquam, arbores infructuosæ, ut quercus et ulmus, et silvestres aliæ arbores ; sed hujusmodi nemo plantat in horto suo, quia non faciunt fructum : et si quem faciunt, non humano esui aptus est, sed porcino. Tales sunt filii hujus sæculi, agentes in comensationibus et ebrietatibus, in crapula et voracitate, in cubilibus et impudiciis. Hæc namque porcorum cibus sunt, quos Judæus verus prohibetur comedere (*Deut. xiv, 8*), Christianus scilicet, qui his non debet adhærere. Sicut enim caro porcina cum comeditur, nostræ adhæret carni, ut jam sit una caro ; sic transgressor præcepti Domini spurcos sibi sociat spiritus, et adhærendo eis unus cum eis efficitur dæmon. Nam et ideo in sacrificiis prohibetur animal illud offerri, quod spurcos spiritus immundosque designet ; qui relicta omni munditia, solis sibi in spurcitiis complacentes, vitiorum et criminum semper cœno delectantur involvi. Unde et in Evangelio, legio illa maledicta, dum ejiceretur ab homine, tanquam simile sibi animal porcos postulat, nec negantur (*Marc. v, 1-13*). His fructum ferunt arbores infructuosæ, ad quarum radices securis posita jam videtur.

6. Arbores autem quæ fructum faciunt, sed non suum, hypocritæ sunt, cum Simone Cyrenæo crucem portantes non suam : qui religiosa intentione carentes, angariantur ; et quæ non amant, amore gloriæ quam desiderant, facere compelluntur. Jam in eo quod dicitur, *in tempore suo (Psal. i, 3)*, arguuntur quidam ante tempus fructificare volentes. Nonne enim et arboribus nostris, citius quam oportet

(62) In codice Majoris-Monasterii multa est in consequentibus verborum varietas, sed idem sensus, et trita lectio præferenda.

teat pullulantibus, timemus omnino floribus intempestivis? Sic sunt aliqui, quorum fructus, quia nimis propere, minus prospere oriuntur. Hi sunt, qui in initio conversionis, suæ aliis fructificare continuo velle præsumunt, contra legis decreta arare in primogenito bovini, et ovis primogenita tondere festinant. Vultis nosse quam sollicitè id vitaverit sanctus iste magister noster? Et hunc ramum vobis oppono; quoniam in tribus annis soli Deo notus, hominibus **969** mansit incognitus. Fructum quidem multum tulit, ipsi cernitis; sed in tempore suo. Neque enim credebatur tempus esse fructificandi, quando tanta carnis tentatione gravatus est, ut pene cederet, pene discederet. Ego enim nec istum quidem ramum præteribo, quoniam etsi hirsutus quodam modo spinarum aculeis, quibus seipsum Domini Benedictus **B** iajecit; tamen utilis est omnino: utilis jumento Domini propter foveas tentationum, ne in eas incidat consentiendo, sed magis resistat, et viriliter agat, sustineatque Dominum ne desperet. Illic ergo fige pedem, Christi jumentum, et discite quantumcunque acerba tentatio sæviat, non cedere, nec credere propterea derelictum te esse a Domino, sed memineris scriptum esse: *Invoca me in die tribulationis, eruat te et honorificabis me (Psal. XLIX, 15).*

7. Ergo, ut dicere cœperam, non credebatur beatus Benedictus tunc esse fructificandi tempus, quando adhuc tantis tentationibus urgebatur; sed venit tempus, et in tempore suo fructum dedit. De fructu ejus sunt illa tria quæ superius tetigi: sanctitas ejus, justitia ejus, pietas ejus. Sanctitatem miracula probant, doctrina pietatem, vita justitiam. Vides, o jumentum Christi, ramos foliis virentes, vernantes, floribus, onustos fructu. Super istos innitere, ut gressus rectos facias pedibus tuis. Sed quomodo tibi appono ejus miracula? nunquid ut miracula facere velis? Nequaquam, sed ut miraculis ejus innitaris: videlicet ut confidas et gaudeas quod sub tali positus es pastore, quod tantum meruisti habere patronum. Omnino enim valde potens est in cœlis, qui tam potens existit in terris: secundum magnitudinem gratiæ, magnitudine gloriæ exaltatus. Nam et juxta radicem quantitatem rami prodire noscuntur: et quot radicibus arbor innititur, tot ramis, sicut aiunt, decoratur. Sic ergo, licet non habeamus nostra, consolatio magna nobis esse debent patroni nostri miracula. Doctrina vero instruit nos, et dirigit gressus nostros in viam pacis. Porro vitæ justitia omnino roborat et animat nos; ut tanto magis accendamus ad agenda quæ docuit, quanto certi sumus eum non alia docuisse quam fecerit. Sermo quidem vivus et efficax, exemplum operis est, plurimum faciens suadibile quod dicitur, dum monstrat factibile quod suadetur.

8. In hunc ergo modum sanctitas confortat, pietas informat, justitia confirmat. Quantæ enim pietatis fuit, quod non solum præsentibus profuit, sed etiam pro futuris sollicitus fuit? Non solum his qui tunc erant, fructum tulit hæc arbor, sed usque hodie

fructus ejus et manet, et crescit. Dilectus plane Deo et hominibus: cujus non sola præsentia in benedictione fuit, sicut sunt multi dilecti Deo soli, quia soli Deo jam cogniti; sed et memoria ejus etiam nunc in benedictione est. Nam et usque hodie in triplicem amoris Domini confessionem, triplici hoc fructu pascit Domini gregem. Pascit vita, pascit doctrina, pascit et intercessione. Per quam incessanter adjuti, fructificate et vos, charissimi, quoniam in hoc positi estis, ut eatis et fructum afferatis. Unde eatis? Utique a vobis ipsis, sicut scriptum est: *A voluntatibus tuis avertere (Eccli. XVIII, 30).* Nam et de Domino legimus quia *exiit seminare semen suum (Math. XIII, 5).* Ecce et hic habemus semen suum, sicut et prius fructum suum. Imitemur et hunc, fratres; quoniam ad hoc venit, ut formam nobis traderet, et viam demonstraret.

9. Fortassis et ipse Dominus arbor est, et debemus ab eo quoque ramos accipere, quos vestris pedibus apponamus: imo non fortasse, sed magis verè arbor est ipse et planta cœlestis, sed in terris plantata, sicut scriptum est: *Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit (Psal. LXXXIV, 12).* Ab eo igitur hunc ramum vobis appono, ut sicut se ipsum exinanivit, hoc ipsum sentiatis in vobis: nisi quod non tam ego appono, quam Apostolus, apud quem legistis: *Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu: qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus **970** ut homo (Philipp. II, 5-7).* Et vos itaque, fratres charissimi, exinanite vos, humiliate vos, seminate vos, perditte vos. Seminate corpus animale, et resurget corpus spirituale. Perditte animas vestras, et in vitam æternam servabitis eas. Vultis nosse quomodo id fecerit Apostolus ipse qui docuit? *Sive, inquit, mente excedimus Deo; sive sobrii sumus, vobis (II Cor. V, 15).* Quid ergo tibi? *Ego, inquit, factus sum tanquam vas perditum (Psal. XXX, 13).* Bene seipsum perdit, qui nihil unquam pro se facit; sed omnis ejus intentio et omne desiderium tendit ad Dei placitum, et utilitatem fratrum suorum. Infelix enim *qui seminat in carne, quia de carne metet corruptionem (Galat. VI, 8).* Alibi vero scriptum est: *Beati qui seminant super omnes aquas (Isai. XXXII, 20).* Sed quomodo super omnes aquas? Forte et super aquas, de quibus legitur: *Et aquæ quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini (Psal. CXLVIII, 4):* quæ sunt virtutes angelicæ, et cœlestes populi. Ita plane: *Quoniam spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus (I Cor. IV, 9).*

10. Seminemus igitur hominibus exemplum bonum per aperta opera; seminemus angelis gaudium magnum per occulta suspiria, et per cætera hujusmodi, quæ solis eis sunt nota. Gaudium enim est angelis Dei super unum peccatore pœnitentiam agente. Hinc dicebat Apostolus: *Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus (II Cor. VII, 9).*

21). Nam Deo omnino noti sumus; sed *coram Deo* A dixit, id est, coram eis qui vultui ejus semper assistunt. Ipsi enim maxime placet, cum vos vident occulte orantes, aut ruminantes psalmum aliquem, aut tale aliquid facientes. Sic seminate et vos, sic fructificate, charissimi. Seminate et vos, quia tam multi ante vos seminaverunt; fructificate, quia vobis seminaverunt. O genus Adam, quam multi seminaverunt in te, et quam pretiosum semen! quam male peribis, et quam merito, si perierit in te tantum semen, simul et seminantium labor! Cui perditioni traderis ab agricola, si in te perierint hæc universa? Seminavit in terra nostra tota Trinitas, seminaverunt angeli pariter et apostoli, seminaverunt martyres, et confessores, et virgines. Seminavit Deus Pater; quoniam cruciavit cor ejus Verbum bonum. Dominus enim dedit benignitatem, et terra nostra dedit fructum suum. Seminavit et Filius: ipse enim est qui exiit seminare semen suum. Pater enim non exiit, sed Filius a Patre processit, et venit in mundum; ut qui prius erat cogitatio pacis in corde Patris, fieret et ipse pax nostra in utero matris. Seminavit et Spiritus sanctus; quia et ipse venit, et apparuerunt discipulis dispertitæ linguæ tanquam ignis. Ita tota Trinitas seminavit: Pater scilicet pacem de cælo, Filius veritatem, Spiritus sanctus charitatem.

11. Angeli quoque seminaverunt, quando cadentibus aliis ipsi steterunt. Dixit enim Lucifer ille, non jam lucifer, sed tenebrifer et vesperus: *Sedebo in monte testamenti, similis ero Altissimo (Isai. xiv, 13, 14)*. O impudens et imprudens! Millia millium ministrant ei, et decies centena millia assistunt (*Dan. vii, 10*); et tu sedebis? *Cherubin*, ait propheta, *stabant (Isai. vi, 2; Ezech. x, 3)*, et non sedebant; quid laborasti, ut jam sedes? Omnes administratorii sunt spiritus, missi in ministerium propter eos qui hæreditatem capiant salutis; et tu sedebis? quid seminasti, ut jam metas? Non est tuum, non est tuum hoc, sed quibus paratum est a Patre. Quid eis invides? Profecto ipsi sedebunt; ipsi, inquam, vermiculi terræ judicantes sedebunt, et tu non modo non stabis, sed judicandus astabis. *Nescitis*, ait Apostolus, *quia et angelos judicabimus? (1 Cor. vi, 31)*. Ipsi utique qui ibant et flebant, mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos (*Psal. cxxv, 6*). Duo manipuli sunt quos quæris, honoris scilicet et quietis. Sessionem affectas et altitudinem; sed non sic, impie, non sic: non colliges, quia non seminasti. Qui seminaverunt laborem et villitatem, metent honorem pariter et quietem. Pro confusione enim sua duplici et rubore [*alias, labore*], in terra sua duplicia possidebunt. Unde et dicebat quidam: *Vide humilitatem meam, et laborem meum (Psal. xxiv, 18)*. Hodie utique audistis in Evangelio promittentem Dominum et dicentem 971 discipulis: *Sedebitis super sedes, judicantes duodecim tribus Israel (Matth. xix, 28)*. Ecce quies sessionis, et honor judicii. Nam et ipse Dominus ad hæc noluit pervenire, nisi per humilitatem

et laborem. Unde et morte turpissima condemnatus est, interrogatus tormentis, et opprobriis saturatus: utique ut inimicus induatur confusione, ipse pariter et omnes qui imitantur eum, et prætergrediuntur viam. Ipse est, o inique, ipse est qui sessurus est in sede majestatis suæ similis Altissimo, et coalitissimus ei. Hoc utique cogitaverunt angeli sancti, qui cadente maligno apostasiæ illius non consenserunt, nobis relinquentes exemplum, ut quemadmodum ipsi elegerunt ministrare, sic et nos faciamus. Nam etiam qui laborem fugiunt et honorem captant, illum se noverint imitari, qui sessionem altitudinemque quæsit: et si non satis terret eos illius culpa, terreat vel vindicta. Omnia enim in contrarium devenerunt, ut formatus sit ad illudendum ei, et ignis æternus præparatus sit illi. Ad hæc vitanda prudentiam nobis seminaverunt sancti angeli, qui prius eam aliis cadentibus tenuerunt.

12. Sed et apostoli hanc ipsam seminaverunt nobis, quando recedentibus his qui sapientiam hujus mundi sequebantur, quæ stultitia est apud Deum; et prudentiam carnis, quæ mortem operatur, et inimica est Deo; ipsi Domino adhæserunt. Scandalizati enim illi audientes de sacramento carnis et sanguinis, ultra non ibant cum eo. Discipuli vero interrogati, an et ipsi vellent abire, responderunt: *Ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes*. Necesse habemus, fratres, hanc prudentiam imitari; quia multi adhuc ambulant cum Jesu, donec veniatur ad elendam ejus carnem et bibendum sanguinem illius, ad communicandum scilicet passionibus ejus (hoc enim et verbum illud et ipsum sacramentum significat): extunc autem scandalizantur et abeunt retro dicentes, quia *durus est hic sermo (Joan. vi, 67, 68, 69, 71)*. Nos cum apostolis prudentes simus, et dicamus: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes*, Non discedimus a te, vivificabis nos. Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei (*Matth. iv, 4*). Non solus mundus habet delectationem, sed multo major est in verbis tuis. Unde et Propheta ait: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo (Psal. cxviii, 103)*. Ad quem igitur camus? verba vitæ æternæ habes, Domine; et ea sunt super omnia quæ mundus habere potest. Non solum ipsa vita, sed et promissio vitæ æternæ et expectatio justorum, lætitia est, et tanta lætitia, ut omne quod concupiscitur, ei non valeat comparari. Hanc igitur prudentiam nobis apostoli sancti seminaverunt. Martyres vero manifestum est fortitudinem seminasse. Porro confessores seminaverunt justitiam, quam in omni vita sua secuti sunt; hoc enim interest inter martyres et confessores, quod inter Petrum simul omnia relinquentem, et Abraham substantiam mundi in bonos usus expendentem; sic enim illi consummati in brevi expleverunt tempora multa, isti vero longa et multimoda traxere martyria. Virgines sanctæ planum est quia temperantiam seminarunt, quæ sic libidinem calcaverunt.

IN FESTO ANNUNTIATIONIS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

SERMO I (63).

De verbis psalmi LXXIV, 10, 11: « Ut inhabitet gloria in terra nostra. »

1. *Ut inhabitet gloria in terra nostra, misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt. Gloria nostra hæc est, ait Apostolus, testimonium conscientie nostræ (II Cor. I, 12).* Non quidem tale testimonium, quale ille superbus Pharisæus habebat, seducta et seductrice cogitatione testimonium perhibens de seipso (*Luc. XVIII, 11, 12*), et testimonium ejus verum non erat; sed cum Spiritus ipse testimonium perhibet spiritui nostro. Porro hoc testimonium in tribus consistere credo. Necessè est **972** enim primo omnium credere, quod remissionem peccatorum habere non possis, nisi per indulgentiam Dei: deinde, quod nihil prorsus habere queas operis boni, nisi et hoc dederit ipse: postremo, quod æternam vitam nullis potes operibus promereri, nisi gratis tibi detur et illa. Quis enim potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi qui solus est mundus? (*Job. XIV, 4.*) Utique quod factum est, non potest non fieri: ipso tamen non imputante, erit quasi non fuerit. Quod Propheta quoque considerans ait: *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum (Psal. XXXI, 2).* De operibus vero bonis certum omnino est, quod nemo hæc habeat a seipso. Nam si stare non potuit humana natura adhuc integra, quanto minus poterit per seipsam resurgere jam corrupta? Certum est ad suam originem universa, quantum in eis est, tendere, et in eam semper esse partem procliviora. Sic et nos, qui de nihilo creati sumus, constat quia si nobisipsis relinquimur, in peccatum semper, quod nihil est, declinamus.

2. Jam vero de æterna vita scimus, quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, nec si unus omnes sustineat. Neque enim talia sunt hominum merita, ut propterea vita æterna debeatur ex jure, aut Deus injuriam aliquam faceret, nisi eam donaret. Nam ut taceam quod merita omnia dona Dei sunt, et ita homo magis propter ipsa Deo debitor est, quam Deus homini; quid sunt merita omnia ad tantam gloriam? Denique quis melior est propheta, cui Dominus ipse tam insigne testimonium perhibet, dicens: *Virum inveni secundum cor meum? (I Reg. XIII, 14; Act. XIII, 22.)* Veruntamen et ipse necesse habuit dicere Deo: *Non intres in iudicium cum servo tuo, Domine (Psal. CXLII, 2).* Nemo itaque se seducat; quia si bene cogitare [*alias, computare*] voluerit, inveniet procul dubio, quod nec cum decem millibus possit occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se (*Luc. XIV, 31*).

3. Verum hæc quæ nunc diximus non omnino sufficient, sed magis initium quoddam et velut fun-

A damentum fidei sunt habenda. Ideoque si credis peccata tua non posse deleri nisi ab eo cui soli peccasti, et in quem peccatum non cadit, bene facia; sed adde adhuc ut et hoc creñas, quia per ipsum tibi peccata donantur. Hoc est testimonium quod perhibet in corde tuo Spiritus sanctus, dicens: *Dimissa sunt tibi peccata tua.* Sic enim arbitratur Apostolus, gratis justificari hominem per fidem (*Rom. III, 28*). Ita de meritis quoque si credis non posse haberi nisi per ipsum, non sufficit, donec tibi perhibeat testimonium Spiritus veritatis, quia habes ea per illum. Sic et de vita æterna habeas necesse est testimonium Spiritus, quod ad eam divino sis munere perventurus. Ipse enim peccata condonat, ipse donat merita, et præmia nihilominus ipse re-donat.

B 4. Porro testimonia ista credibilia mihi facta sunt nimis. Nam de remissione quidem peccatorum validissimum teneo argumentum, Dominicam passionem. Vox siquidem sanguinis ejus invaluit multo plus quam vox sanguinis Abel, clamens in cordibus electorum, remissionem omnium peccatorum. *Traditus est enim propter peccata nostra: nec dubium, quin potentior et efficacior sit mors illius in bonum, quam peccata nostra in malum.* De bonis autem operibus argumentum nihilominus efficax mihi est resurrectio ejus, quia *resurrexit propter justificationem nostram (Rom. IV, 25)*. Porro de spe præmiorum testimonium ejus est ascensio, quia ascendit propter glorificationem nostram. Hæc tria in psalmis habes, dicente Propheta: *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum (Psal. XXXI, 2);* et alibi: *Beatus vir cujus est auxilium abs te (Psal. LXXXIII, 6);* item alibi: *Beatus quem elegisti et assumpsisti, habitabit in atriis tuis (Psal. LXIV, 5).* Hæc est gloria vera, gloria inhabitans; quia ab eo est, qui per fidem habitat in cordibus nostris. Filii vero Adam gloriam quæ ab invicem est quærentes, gloriam quæ a solo Deo est non volebant: et sic gloriam extrinsecus fluentem sectantes, habebant gloriam, non in semetipsis, sed magis in aliis.

C **973** 5. Vis nosse unde sit homini inhabitans gloria? Dico breviter, quoniam ad mystica festinat intentio. Nam et ea sola proposueram in verbis illis prophetis diligentius vestigare, sed reflexit ad moralia occurrens prima fronte apostolicus sermo de interna gloria et testimonio conscientie. Sic ergo inhabitat hæc gloria etiam hic in terra nostra, si misericordia et veritas obviaverint sibi, et sese justitia et pax osculentur. Prævenienti siquidem misericordie veritas nostræ confessionis [*alias, conversionis*] occurrat necesse est, ac de cætero sanctimoniam sectemur et pacem, sine qua nemo videbit Deum. Ubi enim compungitur quis, jam tunc eum misericordia præ-

(63) In codice Fuliensi tertius, et qui hic tertius est secundus; tertius vero ex nostris ibidem primus.

venit; sed nequaquam ingredietur, donec ei veritas confessionis occurrat. *Peccavi Domino*, ait ipse David ad Nathan prophetam, cum de adulterio et homicidio argueretur. *Et transtulit Dominus peccatum tuum a te*, ait propheta (*II Reg. xxi, 15*). Nimirum misericordia et veritas obviaverunt sibi. Et hoc quidem, ut declines a malo. Jam vero ut facias bonum, in tympano et choro tibi psallendum est, ut ipsa mortificatio carnis tuæ, et pœnitentiæ fructus ac justitiæ opera in auitate et concordia fiant (quoniam unitas spiritus, vinculum est perfectio- nis); neque ad dexteram, neque ad sinistram declinaveris. Sunt enim quorum dextera est dextera iniquitatis. Pharisæus ille, cujus supra meminimus, non erat sicut cæteri hominum (*Luc. xviii, 11*); sed ipse sibi, ut diximus, testimonium perhibuit, sed non verum. Sane quisquis ille est, in quo misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt, secure gloriatur; sed gloriatur in eo qui sibi testimonium perhibet, in spiritu utique veritatis.

6. *Ut inhabitet gloria in terra nostra, misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt.* Si gloria Patris Filius sapiens, cum sit Sapientia ipsa sapientior nemo; liquet profecto gloriam Patris Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam esse. Quia ergo multifarie, multisque modis de eo prædictum fuerat in prophetis (*Hebr. i, 1*), quod in terris videndus esset, et inter homines conversaturus; quonam modo id factum sit, et impletis quæ de eo per os omnium prophetarum prædicta fuerant, habitaverit gloria in terra nostra, Psalmista indicat his verbis, ac si manifestius dicat: *Ut verbum caro fieret et habitaret in nobis, misericordia et veritas obviaverunt sibi, justitia et pax osculatæ sunt.* Magnum sacramentum, fratres, et diligentius perscrutandum, nisi et intellectus mysterio, et ipsi quoque intellectui verba deessent. Dico tamen utcunque modicum id quod sentio, si forte vel occasionem dedisse videar sapienti. Videre mihi videor, dilectissimi, quatuor virtutibus his amictum primum hominem ab ipso suæ creationis exordio, et, ut propheta meminit, vestimento salutis indutum (*Isai. lxi, 10*). Est enim in his quatuor salutis integritas, nec sine his omnibus potest constare salus; præsertim cum nec possent esse virtutes, si ab invicem separarentur. Acceperat ergo homo misericordiam, custodem scilicet atque pedisequam, ut ipsa præveniret, ipsa et sequeretur eum, ipsa quoque protegeret et conservaret ubique. Vides qualem nutritium contulit parvulo suo Deus, qualem dedit pedisequam homini recens orto. Sed erat illi necessarius etiam eruditor, tanquam ingenuæ et rationabili creaturæ, ut non sicut jumentum aliquod custodiretur, sed tanquam parvulus educaretur. Cui sane magisterio nemo poterat aptior inveniri, quam veritas ipsa, quæ eum in agnitionem summæ perduceret aliquando Veritatis. Interim vero ne sapiens inveniretur ut malum faceret, essetque peccatum ei tanquam

A scienti bonum, et minime facienti, justitiam quoque, qua regeretur, accepit. Adhuc autem et pacem, qua foveretur et delectaretur, addidit manus benignissima Creatoris: pacem utique duplicem, ut nec intus pugnæ, nec foris timores, id est nec caro concupisceret adversus spiritum, nec esset ei creatura ulla formidini. Nam et bestiiis omnibus libere imposuit nomina, et serpens ipse, quod violentiæ non præsumpsit, fraude magis eum aggressus est. Quid huic deerat, quem misericordia **974** custodiebat, docebat veritas, regebat justitia, pax fovebat?

7. Sed heu! homo iste, ad multam perniciem et insipientiam sibi, descendit de Jerusalem in Jericho: siquidem incidit in latrones, a quibus et ante omnia **B** legitur despoliatus (*Luc. x, 30*). Annon despoliatus, qui Domino veniente nudum se esse conqueritur? Nec vero poterat revestiri, vel ablata sibi recipere vestimenta, nisi Christus amitteret sua. Sicut enim vivificari in anima nisi interveniente corporali morte Christi non potuit, ita nec revestiri sine ejus despoliatione. Et vide, si non propter has quatuor partes vestimenti, quod amiserat primus et vetus homo, in totidem quoque divisa sunt secundi et novi hominis vestimenta. An forte quæris et tunicam inconsutilem, quæ non dividitur, sed sorte provenit? Ego divinam arbitror esse imaginem, quæ nimirum non assuta, sed insita atque ipsi impressa naturæ, dividi scindique non potest. Ad imaginem nempe et similitudinem Dei factus est homo, in imaginæ arbitrii libertatem, virtutes habens in similitudine. Et similitudo quidem periit, verumtamen in imaginæ pertransit homo. Imago siquidem in gehenna ipsa **C** uri poterit, non exuri; ardere, sed non deleri. Hæc ergo non scinditur, sed sorte provenit. Et quocunque perveniat anima, simul et ipsa ibi erit. Nam similitudo non sic; sed aut manet in bono, aut, si peccaverit anima, mutatur miserabiliter, jumentis insipientibus similata.

8. Sed quia spoliatum virtutibus quatuor hominem diximus, quonam modo singulis sit spoliatus, congruum est ut dicamus. Perdidit homo justitiam, cum Eva serpentis, Adam mulieris voci obedivit potius quam divinæ. Erat tamen residuum aliquid, quod apprehendere possent, idque Dominus suo illo scrutinio innuebat; sed abjecerunt etiam illud, conversi in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Prior enim justitiæ portio non peccare, secunda per penitentiam damnare peccatum. Perdidit et misericordiam, cum sic exarsit Eva in concupiscentia sua, ut nec sibi, nec viro, nec filiis parceret nascituris, simul omnes terribili maledicto et necessitati mortis addicens. Adam quoque indignationi divinæ mulierem, pro qua peccaverat, objecit, quasi post tergum ejus volens declinare sagittam. *Vidit enim mulier lignum quod esset pulchrum visu, et ad vescendum suave*, et a serpente audierat tanquam deos se futuros. Funiculus triplex difficile rum- **D** pitur, curiositatis, voluptatis, et vanitatis. Hæc sola

mundus habet, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, et superbiam vitæ. His abstracta et illicta misericordiam omnem crudelis mater abiecit. Sic et Adam, qui mulieri male misertus est ut cum ea peccaret, bene noluit misereri, ut pœnam sustineret [*alias*, aut pœnam sustinere] pro ea. Privata est etiam mulier veritate, primo quidem male detorquens quod audierat, *Morte morieris* (Gen. iii, 17); et dicens, *Ne forte moriamur: domum serpentis credens, penitus abneganti et dicenti, Nequaquam moriemini*. Privatus est et Adam veritate, ubi eam confiteri erubuit, folia, hoc est excusationum operimenta, præterdicens. Siquidem ipsa dicit: *Qui eruberis me coram hominibus, erubescam et ego eum coram Patre meo* (Luc. ix, 26). Pacem quoque protinus amiserunt, quia *non est pax impiis, dicit Dominus* (Isai. xlviii, 22). Nonne enim contrariam legem invenerant in membris suis, quos de novo pudere cœperat nuditatis? *Timui ego, inquit, eo quod nudus essem* (Gen. iii). Non sic miser, non sic paulo ante timebas: non quærebas folia, licet corpore nudus, sicut et modo.

9. Ex hoc sane (ut Prophetæ ipsius parabolam prosequamur, qui sibi obviasse eas, et reconciliatas in osculo memoravit) gravis quædam inter virtutes videtur orta contentio. Siquidem veritas et iustitia miserum affligebant: pax et misericordia zeli hujus expertes judicabant magis esse parcendum. Sunt etenim collactaneæ hæc duæ sibi, quemadmodum et priores. Unde et factum est ut perseverantibus illis in ultione, et prævaricatorem hinc inde cædentibus, et præsentibus **975** molestias futuri cumulantibus comminatione supplicii, illæ secederent in cor Patris, redeuntes ad Dominum qui illas dedit. Solus siquidem ipse cogitabat cogitationes pacis, cum afflictionis plena omnia viderentur. Siquidem non cessabat pax, non ei misericordia dabat silentium, sed pio quodam susurrio paterna pulsantes viscera loquebantur: *Nunquid in æternum projiciet Deus? aut non apponet ut complacitior sit adhuc? Nunquid obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?* (Psal. lxxvi, 8, 10). Et quamvis diu multumque visus sit dissimulare Pater miserationum, ut interim satisfaceret zelo justitiæ et veritatis; non tamen infructuosa fuit supplicantium importunitas, sed exaudita est in tempore opportuno.

10. Forte enim interpellantibus tale dicatur dedisse responsum: Usquequo preces vestræ? Debitor sum et sororibus vestris, quas accinctas videtis ad faciendam vindictam in nationibus; justitiæ et veritati. Vocentur, veniant, et super hoc verbo pariter conferamus. Festinant ergo legati celestes, et ut viderunt miseriam hominum et crudelem plagam, ut propheta loquitur, *Angeli pacis amare flebant* (Isai. xxxiii, 7). Qui enim fidelius quærereut aut rogarent quæ ad pacem sunt, quam angeli pacis? Sane ex deliberatione communi ascendit veritas ad constitutam diem, sed ascendit usque ad nubes: necdum plane lucida, sed subobscura et obnubilata adhuc

A zelo indignationis. Factumque est ut legimus in Propheta: *Domine, in cælo misericordia tua, et veritas tua usque ad nubes* (Psal. xxxv, 6). Medius autem Pater luminum residebat, et utraque pro parte sua utilius quod habebat loquebatur. Quis putas illi colloquio meruit interesse, et indicabit nobis? quis audivit, et enarrabit? Forte inenarrabilia sunt, et non licet homini loqui. Summa tamen controversiæ totius hæc fuisse videtur. Eget miseratione creatura rationalis, ait Misericordia, quoniam misera facta est, et miserabilis valle. Venit tempus miserendi ejus, quia jam præterit tempus. Econtra Veritas: Oportet, inquit, impleri sermonem quem locutus es, Domine. Totus moriatur Adam necesse est cum omnibus qui in eo erant, quia die vitium ponum in prævaricatione gustavit. Utquid ergo, ait Misericordia, utquid me genuisti pater citius perituram? Scit enim Veritas ipsa quoniam misericordia tua periit, et nulla est, si non aliquando miserearis. Similiter autem e contrario et illa loquebatur: Quis enim nesciat quod si prædictam sibi prævaricator sententiam mortis evaserit, periit, nec permanebit jam in æternum veritas tua, Domine?

11. Ecce vero unus de cherubin [*additur alias*, id est magni consilii Angelus] ad regem Salomonem suggerit esse mittendas; quoniam Filio, inquit, datum est omne iudicium (Joan. v, 22). Et in ejus ergo conspectu Misericordia et Veritas obviaverunt sibi, eadem quæ supra meminimus verba querimoniarum repentes. Fateor, ait Veritas, zelum bonum Misericordia habet, sed utinam secundum scientiam. Nunc autem quid prævaricatori potius quam sorori iudicat esse parcendum? At tu, inquit Misericordia, neutri parcis, sed tanta indignatione sævis in prævaricatorem, ut involvas pariter et sororem. Quid mali merui? Si quid habes adversum me, dicito mihi: sin autem, quid me persequeris? Grandis controversia, fratres, et intricata nimium disceptatio. Quis non illic diceret: Bonum nobis erat si natus non fuisset homo iste? Sic erat, dilectissimi, omnino sic orati non videbatur quomodo simul possent erga hunc unam Misericordia et Veritas conservari. Cumque adjiceret Veritas in ipsum quoque Judicem partis suæ injuriam retorqueri [*alias*, iuxta retorquere], dicens cavendum omnino ne fieret irritum verbum Patris, ne sermo vivus et efficax qualibet occasione evacuaretur: *Parcite, quæso, ait Pax, parcite verbis hujusmodi*. Non nos talis altercatio decet: virtutum est inhonesta contentio.

12. Porro Judex inclinans se, digito scribebat in terra. Erant autem verba Scripturæ, quæ Pax ipsa legit in auribus omnium (ea siquidem propius assidebat): Hæc dicit, Perii, si Adam non moriatur; et hæc dicit: **976** Perii, nisi misericordiam consequatur. Fiat mors bona, et habet utraque quod petit. Obstupuere omnes in verbo sapientiæ: et forma compositionis pariter atque iudicii: siquidem manifestum fuit nullam eis querimoniarum occasionem relinqui; siquidem fieri posset quod utraque petebat, ut et

moretur, et misericordiam consequeretur. Sed id quomodo fiet, inquit? Mors crudelissima, et amarissima est, mors terribilis, et ipso horrenda auditu. Bona fieri quanam ratione poterit? At ille: Mors, inquit, peccatorum pessima, sed pretiosa fieri potest mors sanctorum. Annon pretiosa erit, si fuerit janua vitæ, porta gloriæ? Pretiosa, inquit. Sed quomodo fiet istud? Fieri, ait, potest, si ex charitate moriatur quis, utique qui nihil debeat morti. Neque enim detinere poterit mors innoxium, sed forabitur, ut scriptum est, maxilla Leviathan (*Job xl, 19*), et destruetur paries medius, solveturque chaos in agnum, quod inter mortem vitamque firmatum est. Nimirum charitas fortis ut mors, imo et fortior morte, si fortis illius intraverit atrium, alligabit eum, et diripiet utique vasa ejus, sed et ipso transitu suo ponet profundum maris viam, ut transcant liberati.

13. Bonus visus est sermo, utpote fidelis, et omni acceptatione dignus. Sed ubi poterit ille innocens inveniri, qui mori velit non ex debito, sed ex voluntate; non ex malo merito, sed ex beneplacito suo? Circuit Veritas orbem terræ; et nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram (*Job. xiv, 4, 5, iuxta LXX*). Sed et Misericordia cælum omne perlustrat, et in angelis quoque, ne dixerim pravitate, minorem tamen invenit charitatem. Nimirum hæc victoria alii debebatur, quo majorem charitatem nemo haberet, ut animam suam poneret pro servis inutilibus et indignis. Nam etsi ipse jam non dicit nos servos, hoc ipsum immensæ dilectionis est, et eximie dignationis. Nos autem etsi omnia quæ præcepta sunt nobis faceremus, quid aliud dicere deberemus, nisi quod servi inutiles sumus? (*Luc. xvii, 10.*) Sed quis eum super hoc convenire præsumeret? Redeunt ad constituendam diem veritas et misericordia, anxie plurimum, non invento quod desiderabant.

14. Tunc vero seorsum pax consolans eas: Vos, inquit, nescitis quidquam, nec cogitatis. Non est qui faciat bonum hoc, non est usque ad unum. Qui consilium dedit, ferat auxilium. Intellexit rex quid loqueretur, et ait: *Pœnitet me fecisse hominam* (*Gen. vi, 7*). Pœna, inquit, me tenet, mihi incumbit sustinere pœnam, pœnitentiam agere pro homine quem creavi. Tunc ergo dixit: Ecce venio. Non enim potest hic calix transire, nisi bibam illum. Et accersito protinus Gabriele: *Vade, inquit, dic filiæ Sion: Ecce rex tuus venit* (*Zach. ix, 9*). Festinavit ille, et ait: *Adorna thalamum tuum, Sion, et suscipe regem*. Porro venturum regem misericordia et veritas prævenierunt, sicut scriptum est: *Misericordia et veritas præcedent faciem tuam*. Justitia thronum præparat, secundum illud: *Justitia et judicium præparatio sedis tuæ* (*Psal. lxxxviii, 15*). Pax cum rege venit, ut propheta fidelis inveniretur qui dixerat: *Pax erit in terra nostra cum venerit*. Inde est quod nato Domino, angelorum chorus canebat: *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis* (*Luc. ii, 14*). Sed et

tunc justitia et pax osculatæ sunt, quæ non modico videbantur hactenus dissidere. Prior enim, si qua erat ex lege justitia, non osculum, sed aculeum magis habebat, urgens magis timore quam provocans dilectione. Sed nec habuit illa reconciliationem, sicut habet nunc quæ ex fide nascitur esse justitia. Alioquin quid erat quod nec Abraham, nec Moyses, nec cæteri justis temporis illius, in obitu suo pacem illam beatitudinis æternæ apprehendere, aut regnum pacis poterant introire, nisi quod mihi hæc adhuc justitia et pax sese fuerant osculatæ? Ex hoc sane, dilectissimi, ferventiore nobis zelo sectanda justitia est; siquidem justitia et pax osculatæ sunt, et indissolubile amicitiarum inire fœdus: ut cuicumque testimonium justitiæ secum tulerit, hilari vultu jam et amplexibus lætis excipiatur a pace, in idipsum jam dormiens et requiescens.

977 SERMO II.

De septiformi Spiritu in Christo.

1. Considerare est, fratres, in solemnitate hodierna Dominicæ Annuntiationis, velut amantissimam quamdam planitiem, simplicem nostræ reparationis historiam. Injungitur nova legatio angelo Gabrieli, et novam Virgo professa virtutem, novæ salutationis honoratur obsequio. Antiqua excluditur maledictio mulierum, novam nova mater accipit benedictionem. Impletur per gratiam quæ concupiscentiam nescit, ut spiritu superveniente Altissimi pariat filium, quæ virum dedignatur admittere. Intrat ad nos eadem porta salutis antidotum, qua venenum serpentis ingreditur, universitatem generis humani occupat. Innumeros hujuscemodi flores ex his facile est legere pratis; sed intueor mediam metuendam profunditatis abyssum. Abyssus plane imperscrutabilis, Incarnationis Dominicæ sacramentum; abyssus impenetrabilis. *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan. i, 14*). Quis enim investiget, quis attingat, quis apprehendat? Puteus altus est, et in quo hauriam non est mihi. Veruntamen solet interdum superposita puteis humectare linteamina vapor exhalans. Propterea sane licet irrumperere verear propriæ conscius infirmitatis, frequenter tamen velut saper os hujus putei expando ad te, Domine, manus meas, pro eo quod anima mea sicut terra sine aqua tibi. Et nunc si quid est quod, ascendente deorsum nebula, tenuis ebiberit cogitatio; vobis, fratres, modicum illud sine invidia communicare curabo, velut expresso linteamine vel exigua refundens cœlestis stillicidia roris.

2. Quæro igitur, qua ratione Filius magis incarnatus sit, quam Pater aut Spiritus sanctus, cum totius Trinitatis non modo æqualis sit gloria, sed una eademque substantia. Sed quis cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? Altissimum est mysterium, nec nos oportet temere super hujuscemodi præcipitare sententiam. Videtur tamen nec Patris, nec Spiritus incarnationem in pluralitate filiorum effugisse confusionem, dum alius Dei, alius filius hominis diceretur. Videtur et illud

congruum, ut his specialiter filius fieret, qui filius A erat, ne quid esset ambiguitatis in nomine. Denique ipsa est Virginis nostræ gloria singularis et excellens prærogativa Mariæ, quod filium unum eundemque cum Deo Patre meruit habere communem, quam sane periisse constat, si non filius incarnaretur. Sed nec nobis alia dari posset occasio similis sperandæ salutis et hæreditatis. Factus siquidem primogenitus in multis fratribus, qui unigenitus erat, adscisset eos sine dubio in hæreditatem, quos vocarit in adoptionem. Si enim fratres, et cohæredes. Hic ergo Christus Jesus, mediator fidelis, sicut in persona una Dei hominisque substantiam copulavit ineffabili sacramento; sic et in ipsa reconciliatione, consilio usus altissimo, mediam non deseruit æquitatem, utrique tribuens quod oportebat, honorem Deo, homini miserationem. Hæc enim optima inter offensum Dominum et reum servum forma compositionis, ut nec honorandi Domini zelo servus opprimatur austeriori sententia; nec rursum, dum huic immoderatus condescenditur, ille debito fraudetur honore.

3. Audi igitur et diligenter observa angelicam in hujus mediatoris ortu distributionem. *Gloria*, inquit, *in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (Luc. 11, 14). Hujus denique gratia observationis fideli reconciliatori Christo nec timoris spiritus defuit, quo Patri semper reverentiam exhiberet, semper ei deferret, semper gloriam ejus quæreret; nec spiritus pietatis, quo misericorditer compateretur hominibus. Unde et necessarium habuit spiritum quoque scientiæ, per quem timoris pariter et pietatis distributio fieret inconclusa. Et nota quod in primo illo parentum nostrorum peccato 978 tres quidem auctores exstiterunt; sed manifeste defuerunt tria tribus. Dico enim Evam, diabolum et Adam. Non habuit Eva scientiam, quæ, ut ait Apostolus, seducta est in prævaricationem (1 Tim. 2, 14). Verum hæc quidem serpenti non defuit, qui callidior describitur cæteris animantibus; sed pietatem malignus non habuit, qui ab initio factus est homicida. Adam vero pius forte videtur, mulierem non contristando; sed timorem Domini dereliquit, voci illius magis obediens, quam divinæ. Utinam magis timor Domini prævaluisset in eo! sicut de Christo signanter legitur: Quia replevit eum, non pietatis spiritus, sed timoris (Isai. 11, 3). In omnibus enim et per omnia pietati proximorum timor Domini præferendus est, et solus ipse est qui totum sibi hominem debeat vindicare. In his igitur tribus, timore, pietate et scientia, mediator noster reconciliavit homines Deo; nam in consilio, et fortitudine de manu adversarii liberavit. Consilio siquidem pristino jure privavit hostem, data potestate, ut manus injiceret innocenti: fortitudine prævaluit, ne violenter posset retinere re-

(64) Habitus anno 1150, quo Annuntiatio celebrata fuit Sabbato post Dominicam tertiam Quadra-

demptos, dum victor ab inferis rediit, et vita omnium cum eo surrexit.

4. Exinde cibatur nos pane vitæ et intellectus, et potatur aqua sapientiæ salutaris. Est enim intellectus rerum spiritualium et invisibilium, verus animæ panis, confirmans cor nostrum, et ad omne opus bonum roborans in omni exercitatione spirituali. Carnalis autem homo, qui non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, sed stultitia ei videntur, gemat et lugeat, dicens: *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum* (Psal. 41, 5). Ecce enim mera et perfecta veritas est, non prodesse homini, si universum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum faciat. Sed quando id capere possit avarus? Sine causa laborat, quisquis ei id persuadere conatur. Ut quid hoc? Nempe quia stultitia illi videtur. Quid verius quam jugum Christi esse suave? Appone homini sæculari, et vide si non magis lapidem quam panem reputabit. Et certe hujusmodi intelligentia veritatis internæ vivit anima, et hic est spiritualis cibus. Non enim in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei (Deut. VIII, 3). Verumtamen donec sapiat tibi veritas, non sine difficultate ad interiora trajicitur. Ubi vero cæperis in ea oblectari, jam non cibus, sed potus est: et sine difficultate intrat in animam, quod videlicet spiritualis cibus intelligentiæ potu sapientiæ digeratur, ne ipsius interioris hominis artibus, id est affectibus, siccitate laborantibus, overi magis sit quam utilitati.

5. Ex omnibus ergo quæ salvandis populis fuerant necessaria, nihil penitus defuit Salvatori. Ipse est enim, de quo præcinit Isaias: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum: spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini* (Isai. 11, 1-3). Illud sane diligenter attende, quod florem hunc de radice, non de virga dixerit ascensurum. Etenim si nova Christi caro in Virgine creata esset ex nihilo (quod æstimaverunt nonnulli); non de radice flos, sed forte de virga dici poterat ascendisse. Nunc autem qui prodiit ex radice, sine dubio ab origine communem probatur habuisse materiam. Nam quod super eum Spiritus requievit, nihil in eo contradictionis fuisse declarat. In nobis enim quia non omnino superior est spiritus, non requiescit, carne nimirum adversus spiritum, et spiritu adversus carnem concupiscente: a quo conflictu nos liberet, in quo nihil simile fuit, novus homo et verus homo, qui veram carnis nostræ suscepit originem, sed fermentum vetus concupiscentiæ non suscepit.

979 SERMO III (64).

De muliere adultera (Joan. VIII, 3-11); *de Susanna* (Dan. XIII) : *de B. Maria* (Luc. 1, 26-38).

1. Quam dives es in misericordia, quam magnificentiæ: quo die legitur Susannæ historia, et Evangelium de muliere adultera.

ens in iustitia, in gratia quam munificus, Domine Deus noster! Non est qui similis sit tibi, munerator copiosissime, remunerator æquissime, piissime liberator! Gratis respicis humiles, iuste iudicas innocentes, misericorditer salvas etiam peccatores. Hæc sunt, dilectissimi, quæ nobis in mensa divitis hujus patrisfamilias sanctarum testimoniis Scripturarum, hodie quidem, si diligenter advertimus, solito copiosius apponuntur. Nimirum hanc nobis copiam præstant, quæ pariter convenerunt, sacrum videlicet tempus Quadragesimæ, et sacratissima dies Annuntiationis Dominicæ. Hodie enim in auribus nostris deprehensam in adulterio mulierem indulgentia Redemptoris absolvit, hodie innoxium Susannæ sanguinem liberavit, hodie quoque beatam Virginem singulari munere gratuitæ benedictionis implevit. Magnam convivium, ubi pariter nobis misericordia, iustitia et gratia apponuntur! Nunquid non misericordia esca hominum? Salutaris omnino et efficax ad inedulam. Nunquid non etiam iustitia panis cordis? Et quidem optime confirmans illud, utpote eibus solidus ad nutrimentum. Denique beati qui esuriunt illum, quoniam ipsi saturabuntur (*Matth.* 7, 6). Nunquid non cibus animæ gratia Dei sui? Dulcissimus sane, et omnem habens in se suavitatem et delectamentum saporis; imo vero hæc sibi omnia pariter vindicans, non modo delectat, sed et felicit, et medetur.

2. Accedamus ad mensam hanc, fratres mei, et ex singulis dapibus vel modicum aliquid degustemus. In lege Moyses mandavit hujusmodi lapidare, aiunt de peccatrice peccatores, de adultera Pharisæi. Sed ad duritiam lapidei cordis vestri ille locutus est. *Jesus autem inclinavit se.* Domine, inclina cælos tuos, et descende (*Psal.* cxliii, 5). Inclinans se, et ad misericordiam flexus (neque enim Judaici cordis erat), *digito scribebat*, non jam in lapide, sed in terra. Neque hoc tantum semel, sed hic quoque duplex scriptura, sicut apud Moysen tabulæ duæ. Et forte veritatem et gratiam scribens, et iterum scribens terræ impressisse videtur, secundum quod Joannes apostolus ait: *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* 1, 17). Considera denique an videri possit de tabula veritatis legisse, unde refelleret Pharisæos: *Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat.* Verbum quidem abbreviatum, sed vivum et efficax, et anticipi gladio penetrabilis. Quam graviter enim ad verbum hoc saxea corda transfossa, quam vehementer hoc uno lapillo contritæ sint lapideæ frontes, rubor ipse confusionis et clandestinus probavit accessus. Meruit quidem adultera lapidari: sed is punire gestiat, qui dignus non est etiam ipse puniri. Is præsumat a peccatrice exigere ultionem, qui eandem excipere non meretur. Alioquin ipse sibi vicinior, a se incipiat: in se prius sententiam ferat, exerceatque vindictam. Hæc Veritas.

3. Cæterum adhuc minus est: et si accusatores refellit hæc Veritas, sed ream necdum absolvit.

Scribat iterum, scribat gratiam, legat, et audiamus. *Nemo te condemnavit, mulier? Nemo, Domine. Nec ego te condemnabo; vade, et amplius noli peccare.* O vox misericordiæ, o auditus lætitiæ salutaris! Audiam tam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speravi, Domine (*Psal.* cxlii, 8). Sola nimirum spes apud te miseracionis obtinet locum; nec oleum misericordiæ, nisi in vase fiduciæ ponis. Sed est infidelis fiducia, solius utique maledictionis capax, cum videlicet in spe peccamus. Quanquam nec fiducia illa dicenda sit, sed insensibilitas quædam, et dissimulatio perniciosa. Quæ enim fiducia ei qui periculum non attendit? aut quod ibi timoris remedium, ubi nec timor sentitur, nec materia ipsa timoris? Fiducia solatium est: nec eget ille solatio, qui lætatur cum male fecerit, et in pessimis rebus magis exultat. Rogemus itaque, fratres, responderi nobis, quantas habeamus iniquitates et peccata; scelera nostra et delicta nobis desideremus ostendi. Scrutemur vias nostras et studia nostra, periculaque universa vigili intentione pensemus. Dicat quisque in pavore suo: Vadam ad portas inferi, ut jam non nisi in sola Dei misericordia respiremus. Hæc vera hominis fiducia, a se deficientis, et innitentis Domino suo. Hæc, inquam, vera fiducia, cui misericordia non denegatur, propheta attestante quoniam *beneficium est Domino super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus* (*Psal.* cxlvi, 11). Nec parva utique suppetit nobis: in nobis quidem timoris, in ipso autem causa fiduciæ. Suavis et mitis est, copiosæ misericordiæ; præstabilis super malitia, multus ad ignoscendum. Credamus sane vel inimicis, qui in eo nihil aliud, unde occasionem struendæ calumniæ caperent, invenerunt. Compatietur, aiunt, peccatrici, nec sibi oblatam ulla tenus occidi patietur. Tenebitur itaque manifestus adversarius legis, cum absolverit lege damnatam. In vestrum, o Pharisæi, caput tota vestræ malignitatis adinventio retorquetur. Diffiditis causæ, qui iudicium subterfugitis. Nam illa quidem sine injuria legis absolvitur, quæ non accusatori relinquitur [*alias, quæ sine accusatore relinquitur*].

4. Sed consideremus, fratres, quonam hinc abeant Pharisæi. Videtisne duos senes (nam a senioribus exire cœperunt) quomodo in pomerio Joachim absconduntur? Susannam quæruunt uxorem ejus: sequamur eos; nam iniqua cogitatione pleni sunt contra eam. *Consentire nobis*, aiunt senes, aiunt Pharisæi, aiunt lupi, qui ab alterius paulo ante, licet errantis oviculæ, fuerant devoratione frustrati. *Consentire nobis, et commiscere nobiscum.* Inveterati dierum malorum, modo accusabatis adulterium, modo adulterium suadetis. Sed hæc est tota iustitia vestra, et quæ palam arguitis, eadem agitis in occulto. Hinc fuit quod existis unus post unum, cum ille omnium conscius occultorum vestras tam valide percussisset conscientias, dicens: *Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat.* Merito proinde ad discipulos Veritas ait: *Nisi abundaverit*

justitia vestra plus quam Scribarum et Phariseorum, non intrabitis in regnum caelorum (Math. v, 20). Alioquin dicemus, aiunt, contra te testimonium. Semen Chanaan, et non Juda, nec hoc quidem Moses in lege mandavit. An qui decrevit adulteram lapidare, mandavit accusare pudicam? an qui jussit adulteram lapidibus opprimi, etiam jussit contra insontem testimonium ferri? Imo vero sicut adulteram, sic etiam falsum testem non impunitum esse præcepit (*Deut. xix, 16-21; Prov. xix, 9*). Sed qui gloriamini in lege, per legis prævaricationem Deum inhonoratis.

5. *Ingenuit Susanna, et ait: Angustiae mihi sunt undique.* Undique enim mors; hinc quidem corpora, inde spiritualis. *Si hoc, inquit, egero, mors mihi est; si autem non egero, non effugiam manus vestras.* Vestras, o Pharisei, manus nec adultera effugit, nec pudica: vestras accusationes nec sanctus, nec peccator evadit. Dissimulatis peccata vestra, ubi inveneritis aliena: alioquin si quis forte suum non habet, vestrum ei impingitis crimen. Quid tamen Susanna facit, inter mortem et mortem, animæ scilicet et corporis, undique angustata? *Melius est mihi, inquit, absque opere incidere in manus hominum, quam derelinquere legem Dei mei.* Nimirum sciebat ista, quam horrendum sit incidere in manus Dei viventis. Nam homines quidem, cum occiderint corpus, animæ non habent ultra quid faciant: ille autem timendus est, qui potestatem habet et corpus et animam mittere in gehennam (*Math. x, 28*). Quid familia Joachim tardat? Irruat per **981** posticum, nam in pomerio clamor auditur; clamor autem luporum gravium, et balantis oviculæ inter eos. Sed non patitur ab eis innoxiam devorari, qui ab ipsis eorum faucibus tam dignanter eripuit etiam eripi non merentem. Merito proinde *eum duceretur ad mortem, erat cor ejus fiduciam habens in Domino*, quem usque adeo timuisset, ut timorem omnem postposuisset humanum, et ipsius legem et simul vitæ præposuisset, et famæ. *Non enim dictus fuerat sermo hujusmodi aliquando de Susanna. Sed et parentes ejus justii erant, et vir ejus honoratior omnium Judæorum.* Merito igitur a justo Judice justam de injustis obtinuit ultionem, quæ tam vehementer justitiam esurivit, ut propter eam contemneret mortem corporis, opprobrium generis, luctum inconsolabilem amicorum.

6. Et nos, fratres, si a Christo audivimus: *Nec ego te condemnabo*, si peccare jam nolumus contra ipsum, si in Christo volumus pie vivere; necesse est sustineamus persecutionem, ne malum pro malo, aut maledictum pro maledicto reddamus. Alioquin qui patientiam non servaverit, perdet justitiam; hoc est, vitam perdet; hoc est, perdet animam suam. *Mihi vindictam, et ego retribuam, dicit Dominus (Rom. xii, 19).* Ita prorsus est. Ipse retribuet, sed si ei vindictam serves, si non tollas ab eo iudicium, si non reddas retribuentibus tibi mala. Faciet iudicium, sed injuriam patienti; in æquitate iudicabit,

sed pro mansuetis terræ. Jam vobis, ni fallor, molestum est, quod delicæ tardant. Non miremini: delicæ sunt. Non cnerabunt quamlibet satiatos, nec a ructantibus quidem poterunt fastidiri.

7. *Missus est Gabriel angelus a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.* Miraris quod Nazareth, parva civitas, et tanti regis nuntio illustretur, et tanto? Sed magnus latet in hac parva civitate thesaurus; latet, inquam, sed homines latet, non Deum. An non thesaurus Dei Maria? ubicunque ira est, et cor ejus. Oculi ejus super eam, ubique respicit humilitatem ancillæ suæ. Novit cælum Unigenitus Dei Patris? Si novit cælum, et Nazareth. Quidni sciat patriam suam? quidni noverit hereditatem suam? Cælum ex Patre, Nazareth ex matre vindicat sibi, sicut ipse se et Filium David, et Dominum esse testatur (*Math. xxii, 42-45*). *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum (Psal. cxiii, 16).* Cedat ergo ei utrumque necesse est in possessionem, quia non modo Dominus, sed et filius hominis est. Audi etiam quomodo terram sibi tanquam filius hominis vindicat, sed et communicat tanquam sponsus. *Flores, inquit, apparuerunt in terra nostra (Cant. ii, 12).* Neque hinc discrepat, quod Nazareth interpretatur *flos*. Amat florigeram patriam flos de radice Jesse, et libenter inter lilia pascitur flos campi et lilium convallium. Commendat enim flores pulchritudo, suaveolentia, et spes fructus; gratia triplex. Teque florem reputat Deus; et bene ei complacet in te, si tibi nec honestæ conversationis decor, nec bonæ opinionis fragrantia, nec intentio desit futuræ retributionis. Fructus enim spiritus est vita æterna.

8. *Ne timeas, Maria; invenisti enim gratiam apud Dominum.* Quantam gratiam? Gratiam plenam, gratiam singularem. Singularem, an generalem? Utramque sine dubio, quia plenam, et eo singularem, quo generalem: ipsa enim generalem singulariter accepisti. Eo, inquam, singularem, quo generalem: nam sola præ omnibus gratiam invenisti. Singularem quod sola hanc inveneris plenitudinem; generalem, quod de ipsa plenitudine accipiant universi. *Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.* Singulariter quidem fructus ventris tui est; sed ad omnium quidem mentes te mediante pervenit. Sic nimirum, sic olim ros totus in vellere, totus in area; sed in nulla parte areæ totus, sicut in vellere fuit (*Judic. vi, 37-40*). In te sola Rex ille dives et prædives exinantius; excelsus, humiliatus; immensus, abbreviatus, et angelis minoratus est: verus denique Deus et Dei Filius incarnatus. Sed quo fructu? Nempe ut omnes ejus paupertate locupletemur, ejus humilitate **982** sublevemur, ejus minoratione magnificemur, ejus incarnatione adhærentes Deo, incipiamus unus esse spiritus cum eo.

9. Sed quid dicimus, fratres? cuius potissimum vasti gratia infundetur? Si, ut supra meminimus, capax quidem est misericordiæ fiducia, patientia

vero justitiæ, quales jam poterimus idoneum gratiæ receptaculum exhibere? Balsamum est purissimum, et solidissimum vas requirit. Et quid tam purum, quidve tam solidum quam humilitas cordis? Merito proinde humilibus dat gratiam; merito respexit Deus humilitatem ancillæ suæ. Quoniam merito, quæris? Eo utique, quo animum humilem meritum non occuparet humanum, quominus libere influeret divinæ gratiæ plenitudo. Sed ad hæc nobis humilitatem quibusdam erit gradibus ascendendum. Primo enim cor hominis, quem adhuc peccare delectat, nec miseram consuetudinem proposito meliore mutavit, ne sit gratiæ capax proprijs vitijs præpeditur. Secundo quoque, ubi jam corrigere mœurs, et priores nequitias de cætero non iterare proponit; ipsa tamen peccata præterita, licet jam amputata quodam modo videantur, dum in eo manent, gratiam non admittunt. Manent autem donec confessione laventur, donec succedentibus dignis fructibus penitentiæ de medio fiant. Sed vae tibi, si forte vitijs et peccatis perniciosior successerit ingratitude. Quid enim tam evidenter gratiæ adversatur? Tepescimus processu temporis a fervore conversationis nostræ, paulatim refrigescit charitas, abundat iniquitas, ut consumemur carne, qui spiritu cœperamus. Inde enim est ut minus ea sciamus quæ a Deo donata sunt nobis, indevoli pariter et ingrati. Timorem Domini relinquimus, religiosam omittimus solitudinem, verbosi, curiosi, facili, etiam detractores et murmuratores, vacantes nugis, fugitantes laboris et disciplinæ, quoties sine nota id licet; quasi vero confestim sit etiam sine noxa. Quid ergo tantis repulsam obstaculis gratiam nobis deesse miramur? Jam vero si quis, juxta Apostolum, ut verbum Christi, verbum gratiæ in eo habitet, gratus est (Coloss. iii, 16, 15); si quis devotus, si quis solli-

citus, si quis spiritu fervens: caveat sibi ne suis fidat meritis, ne suis operibus innitatur: alioquin nec hujuscemodi animum intrat gratia. Nimirum plenus est, nec in eo jam invenit gratia locum sibi.

10. Considerastis Pharisæum illum orantem? Non erat raptor, non injustus, non aduler. An sine fructibus penitentiæ erat? Jejunabat bis in Sabbato, decimas dabat omnium quæ possidebat. Sed ingratum forsitan suspicamini. Audite quid dicat: *Deus, gratias ago tibi*. Sed non erat vacuus, non erat exinanitus, non erat humilis, sed elatus. Non enim quid sibi deesset, scire studuit, sed exaggeravit meritum suum: nec erat illa solida plenitudo, sed tumor. Vacuus proinde rediit, qui plenitudinem simulavit. Nam publicanus ille, qui exinanivit se ipsum, quoniam vacuum vas exhibere curavit, gratiam retulit ampliorem (Luc. xviii, 10, 14). Nos ergo, fratres, si gratiam cupimus invenire, sic de cætero abstinemus a vitijs, ut de præteritis quoque peccatis digne peniteamus. Nihilominus quoque solliciti simus, et devotos nos Deo et vere humiles exhibere. Hujusmodi nempe animas gratanter respicit pio illo respectu, de quo Sapiens ait: *Quoniam gratia et misericordia Dei est in sanctos ejus, et respectus in electos illius* (Sap. iv, 15). Et forte propterea quater revocat animam quam respicit, dicens: *Revertere, revertere, Sunamitis; revertere, revertere, ut intueamur te* (Cant. vi, 12): quo videlicet nec in peccandi consuetudine, nec in conscientia peccatorum; sed nec in tepore et torpore ingritudinis, aut in elationis exaltate persistat. A quo nos quadripartito periculo revocare et eripere dignetur, qui factus est nobis a Deo Patre sapientia, et justitia, et sanctificatio, et redemptio, Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

IN NATIVITATE S. JOANNIS BAPTISTÆ.

983 SERMO

De lucerna ardente tripliciter, et tripliciter lucente.

Sit procul ab his conventibus, fratres, increpatio illa prophetæ, Judaica reprobantis conventicula, et dicentis: *Iniqui sunt cœlus vestri* (Isai. i, 13). Hi nimirum cœtus non iniqui, sed plane sancti, sed religiosi, sed pleni gratia, digni benedictione. Conventis siquidem ad audiendum Deum: conventis ad laudandum, ad orandum, ad adorandum eum. Sacer est conventus uterque, placens Deo, angelis familiaris. State ergo in reverentia, fratres, state in sollicitudine et devotione mentis: maximeque in loco orationis, et in hac schola Christi, et auditorio spirituali. Nolite considerare, dilectissimi, quæ videntur et temporalia sunt, sed magis quæ non videntur, æterna: secundum fidem, non secundum faciem judicate. Terribiliter siquidem metuendus est locus uterque: nec major adesse credendus est numerus hominum quam angelorum. Patet utrobique sine dubio porta cœli, scala illa erecta est,

ascendunt et descendunt angeli super Filium hominis. Gigas nempe est iste Filius hominis: cœlum ei sedes est, terra scabellum pedum ejus. Elevata est magnificentia ejus super cœlos: manet tamen nobiscum usque ad sæculi consumptionem. Ascendunt et descendunt itaque ad Deum angeli sancti, quia caput et corpus unus est Christus.

2. Nec tamen ubi caput, sed ubicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquilæ, licet non possit caput a corpore separari. Denique et ipse ait: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum* (Math. xviii, 20). Sed forte quis dicat: Ubi est modo Christus? Ostende nobis Christum, et sufficit nobis. Quid curiosos circumducitis oculos? Num ad videndum, et non magis ad audiendum convenistis? *Dominus Deus aperuit mihi aurem*, ait propheta (Isai. l, 5). Aurem meam aperuit, ut audiam quid loquatur: non oculum;

ut videam vultum ejus, illuminavit. Aut certe suam A mihi aperuit aurem, non faciem revelavit. Post parietem stat, audit, et auditur: sed necdum apparet. Audit orantes, erudit audientes. An experimentum ejus queritis, qui in me loquitur Christus? (II Cor. xiii, 5.) *Ego, inquit, qui loquor justitiam (Isai. xliii, 1). Quidni loquatur ore, quod ipse plasmavit? Quidni suo utatur, ut libet, artifex instrumento? Non tantum aures eorum, sed et labia mea aperi, Domine: ego enim labia mea non prohibebo, Domine tu scisti. Bene enim omnia facis; et surdos facis audire, et mutos loqui.*

3. Audite ergo, fratres, quid de Joanne loquatur, cuius sollemnis hodie nativitas celebratur. *Ille, inquit, erat lucerna ardens, et lucens (Joan. v, 35). Magnum testimonium, fratres mei: magnus enim est cui perhibetur, sed major est ipse qui perhibet. Ille, inquit, erat lucerna ardens, et lucens. Est enim tantum lucere vana, tantum ardere parum: ardere et lucere perfectum. Audi quid dieat Scriptura: *Sapiens permanet ut sol, stultus autem ut luna mutatur (Eccli. xxvii, 12). Quia enim splendet luna sine fervore; modo plena, modo exigua, modo nulla videtur. Mutatum siquidem lumen nunquam in eodem permanet statu, sed creascit, deficit, extenuatur, annihilatur, et penitus non comparcet. Sic qui conscientias suas in alienis labiis posuerunt, modo magni, modo parvi sunt, modo nulli, secundum quod adulantium linguis vel vituperare placuerit, vel laudare. At vero solis splendor igneus est, et cum fervet acrius, etiam oculis incidior exhibetur. Sic sapientis ardor internus foris luget: **et si non ei datur utrumque, curat semper ardere magis, ut Pater suus qui videt in abscondito, reddat ei. Ve nobis, fratres, si luxerimus tantum. Nam lucemus quidem, et magnificamur ab hominibus; sed mihi pro minimo est, ut ab humano iudice die. Qui enim iudicat me, Dominus 984 est, qui fervorem ab omnibus exigit, splendorem vero non ita. Ignem, inquit, veni mittere in terram; et quid volo nisi ut accendantur? (Luc. xii, 49.) Hoc nempe commune mandatum, hoc est quod exigitur ab universis; nec ulla, si deesse contigerit, admittitur excusatio.****

4. Ceterum singulariter apostolis et apostolicis D viris dicitur: *Luceat lux vestra coram hominibus (Matth. v, 16):* nimirum tanquam accensis, et vehementer accensis, et quibus non timeatur a statu quolibet aut impulsionis ventorum. Dictum est et Joanni; sed illi in aure auditur; Joannes in spiritu tanquam angelus eruditur. Nimirum tanto propinquior Deo, quanto vox Verbo vicina, cui nulla voce alia media quod foris sonet oporteat intimari. Neque enim Joannem prædicatio, sed inspiratio docuit quem replevit Spiritus in utero matris suæ. Vere ardens et vehementer accensus, quem sic præoccupavit flamma cœlestis, ut jam Christi sentiret adventum, qui necdum sentire poterat vel se ipsum. Nimirum novus ille ignis, qui recens elapsus e cœlo,

per os Gabrielis in aurem intraverat Virginis, rursum per os Virginis et matris aurem introivit ad parvulum: ut ab ea hora vas electionis suæ Spiritus sanctus impleret, et lucernam Christo Domino pararet. Fuit ergo jam tunc ardens lucerna, sed interim adhuc sub medio, donec super candelabrum poneretur, et luceret omnibus qui erant in domo Domini. Illo enim in tempore solum adhuc potuit illuminare modicum suum; soli interim lucere matri, magnum ei pietatis sacramentum revelans ipso motu novæ exultationis. *Unde mihi hoc, inquit, ut veniat mater Domini mei ad me? Quis enim tibi indicavit matrem Domini, mulier sancta? Unde me nosti? Ut facta est, inquit, vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavi in gaudio infans in utero meo (Luc. i, 43, 44).*

5. Illuminavit ergo jam tunc modicum, sub quo latebat: sed quem non latebat ardens lucerna sub modio, totum paulo post mundum novis illustrata fulgoribus. *Ille erat, inquit, lucerna ardens, et lucens. Non ait: Lucens, et ardens; quia Joannis ex fervore splendor, non fervor prodiit ex splendore. Sunt enim qui non eo lucent, quia fervent; sed magis fervent ut luceant: at isti plane non fervent charitatis spiritu, sed studio vanitatis. Vultis nosse quemadmodum arsit Joannes, et luxit? Ego utrumque in eo triplicem posse arbitror inveniri, et ardorem scilicet, et splendorem. Ardens enim erat in se ipso vehementi austeritate conversationis: erga Christum, intimo quodam et pleno fervore devotionis; erga peccantes proximos, constantia liberæ increpationis. Luxit nihilominus, ut paucis dixerim, exemplo, digito, verbo, et se ipsum ostendens ad imitationem, et luminare majus quod latebat, ad peccatorum remissionem, et ipsas quoque tenebras nostras illuminans, sicut scriptum est: *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine; Deus meus, illumina tenebras meas (Psal. xvii, 29);* utique ad correctionem.*

6. Considera igitur hominem angelico promissum oraculo, conceptum miraculo, sanctificationem in utero, et novum in novo homine poenitentia mirare [alias imitare] fervorem. *Victim et vestitum, ait Apostolus, habentes, his contenti simus (I Tim. vi, 8). Apostolica perfectio ista est; sed Joannes etiam hæc contempsit. Denique audi Dominum in Evangelio: *Venit, inquit, Joannes Baptista non manducans, nec bibens (Matth. xi, 18);* plane nec vestiens. Sicut enim non est locusta eibus, nisi aliquorum forte irrationalium animalium; sic nec pilus cameli humanum est indumentum. Quid tu pilos tuos, camele, deposuisti? Utinam gibbum magis deposuisses. Quid vos, irrationalibus feræ et reptilia deserti, citosexquiritis delicatos? Joannes, sanctus homo, missus a Deo, imo angelus Dei, sicut ait Pater: *Ecce mitto angelum meum ante te (Luc. xii, 27);* hic ergo Joannes, quo nullus major in natis mulierum, innocentissimum illud corpus sic castigat, sic extenuat, sic affligit; vos indui festinatis bysso et purpura, et splendide epulari? Heu! hic est præsentis totus honor diei? hæc Baptista reverentia tota? hæc nat-*

vitalis ejus prophetata quondam lætitia **985** est? A Cujus enim memoriam agitis, o nimis delicati cultores? cujus celebratis natalem? Nonne illius qui in eremo fuit hirsutus veste, confectus inedia? Quid existis in desertum videre, filii Babylonis? arundinem vento agitatam? Quid igitur? hominem mollibus vestitum? nutritum mollibus? In his nempe tota versatur hæc vestra celebritas: in popularis favoris aura sectanda, in gloria vestium, et voluptate ciborum. Sed quid hæc ad Joannem? Neque enim Joannes fecit sic, aut talibus unquam potuit delectari.

7. *Multi*, inquit angelus, *in natiuitate ejus gaudent* (*Luc. i, 14*). Verum id quidem: Multi in natiuitate ejus gaudent: et paganis ipsis, ut audivimus, læta est et solemnis. Illi celebrant quod ignorant, sed non ita debuerant Christiani. Nunc vero et ipsi in hac beati Joannis Baptistæ natiuitate gaudent; sed utinam de natiuitate, non de vanitate. Quid est enim nisi vanitas vanitatum quidquid sub sole est? aut quid amplius habet homo de universo labore suo, quo sub sole laborat? Fratres, sub sole est quidquid oculis cernitur, quidquid huic corporeæ luci subjacere videtur. Quid vero illud, nisi vapor ad medicum parens? (*Jac. iv, 45*.) Quid illud, nisi fenum, et flos feni? *Omnis caro fenum*, ait Dominus, *et omnis gloria ejus quasi flos feni. Fenum aruit, et flos decidit; verbum autem Domini manet in æternum* (*Isai. xl, 6, 8*). In hoc verbo laboremus, fratres; in quo et vivere, et gaudere possumus in æternum. Operemur non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Quis ille? *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* (*Matth. iv, 4*). Seminemus in hoc verbo, charissimi, seminemus in spiritu; quoniam qui in carne seminant, solam habent metere corruptionem. Gaudeamus intus, et non sub sole, sed, juxta Apostolum, *tanquam tristes*, propter humilitatem et gravitatem: *semper autem gaudentes* (*I Cor. vi, 10*), propter internam consolationem. Gaudeamus, dilectissimi, in natiuitate beati Joannis, et gaudeamus de ipsa natiuitate.

8. Copiosa siquidem nobis in ejus recordatione lætitiæ causa, multiplex est materia gaudiorum. Hæc erat lucerna ardens et lucens, et Judæi voluerunt exultare in luce ejus; ipse vero potius gaudebat in fervore devotionis, gaudebat ad vocem sponsi tanquam amicus sponsi. Nobis in utroque gaudendum est; in altero quidem ei, nobis in altero congaudendum. Ardebat enim sibi, nobis autem lucebat. Gaudeamus in fervore ejus ad imitationem: gaudeamus et in lumine, non tamen ibi manentes, sed ut in lumine ejus videamus lumen, lumen utique verum, quod non est ipse, sed cui testimonium perhibet ipse. *Venit Joannes*, ait Dominus, *nec manducans, nec bibens* (*Matth. xi, 18*). Incentivum fervoris id mihi est, et materia humilitatis. Quis enim in nobis est, fratres, qui Joannis pœnitentiam intuens, suam, non dico magnificare, sed alicujus saltem momenti reputare præsumat? Quis audeat murmurare in

laboribus suis, et dicere: Satis est quod patior, nedum nimis? Quæ enim homicidia, quæ sacrilegia, aut quæ flagitia sic puniebat Joannes in se ipso? Accendamus ad pœnitentiam, fratres, interrogemus conscientias nostras, et animemur ad ultionem exigendam de nobis, ut horrendum possimus evadere judicium Dei viventis. Quidquid vero minus est fervoris, humilitas suppleat puræ confessionis. Fidelis enim Deus, et si confiteamur iniquitates nostras, si miseras nostras exponamus, si non excusemus infirmitates nostras, dimittet nobis peccata nostra.

9. Ex hoc sane et erga proximorum delicta fervorem intueri Joannis. Illis nempe dignus est et rationi consentaneus ordo, ut incipiendum tibi memineris a te ipso. *Ab oculis*, inquit, *meis munda me, et alienis parce servo tuo* (*Psal. xviii, 13, 14*). *Genimina viperarum*, ait Joannes, *quis ostendit vobis fugere a ventura ira?* De quanto mentis fervore procedere putas scintillas istas, imo carbones desolatorios? Sic neque Pharisæis **986** parcens: *Nolite*, inquit, *dicere quia patrem habemus Abraham: potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham* (*Luc. iii, 7, 8*). Sed minus hoc videatur, si vel ipsum veretur potentis vultum, et non tota libertate spiritus arguit peccantem regem, crudelem atque superbum; sacra quadam vehementia ad hoc ipsum prodiens de deserto, si vel blanditiis ejus, vel ipso mortis terrore movetur. *Metuebat*, inquit, *Herodes Joannem, et audito eo multa faciebat, et libenter eum audiebat*. Ac ille nihil ob hoc parcens: *Non licet*, ait, *tibi habere eam*. Ligatus quoque, et in carcerem trusus, nihilominus fortiter stetit in veritate, et occubuit pro veritate feliciter (*Marc. vi, 17-28*). Ferveat etiam in nobis zelus iste, charissimi; ferveat amor justitiæ, odium iniquitatis. Nemo, fratres, vitia palpet; peccata dissimulet nemo. Nemo dicat: Nunquid custos fratris mei sum ego? Nemo, quod in se est, æquanimiter ferat, cum viderit ordinem deperire, minui disciplinam. Est enim consentire, silere, cum arguere possis: et scimus quia similis pœna facientes maneat et consentientes.

10. Jam vero super humili et omnino ferventissima devotione Joannis erga Dominum quid loquemur? Inde enim exultavit in utero (*Luc. i, 41*); inde expavit in Jordane baptizaturus eum (*Matth. iii, 14*); inde non modo Christum, qui putabatur, sed vel ipsam corrigiam calceamenti ejus solvere dignum se esse negabat (*Marc. i, 7*); inde gaudebat amicus sponsi ad vocem sponsi (*Luc. i, 44*); inde gratiam se accepisse pro gratia fatebatur; illum autem non ad mensuram habere Spiritum, sed plenitudinem de qua omnes acciperent, clamitabat (*Joan. i, 16*): *Nonne Deo subjecta oris, anima mea?* (*Psal. lxxi, 1*). Alioquin non eris lucerna ardens, nisi toto corde, tota mente, et ex omnibus viribus meis diligam Dominum Deum meum. Sola enim est charitas quæ accendit salutem; sola quam infundit et inflammat Spiritus, quem extinguere prohibemur (*Thess. v, 19*). Habes quemadmodum Joannes arserit: et in hoc ipso

quænam modum luxerit, indicatum est, si advertisti. Neque enim ardorem ejus nosse poteris, nisi luxisset.

11. Luxit ergo, ut supra memini, exemplo, digito, verbo : opere se ipsum, Christum indice, nosmetipsos nobis sermone declarans. *Tu puer, propheta Altissimi vocaberis*, ait pater; *præbis enim ante faciem Domini parare vias ejus, ad dandam scientiam salutis plebi ejus. Ad dandam*, inquit, non salutem : neque enim ille lux ; sed *scientiam salutis*, ut testimonium perhiberet de lumine. *Scientiam*, inquit, *salutis, in remissionem peccatorum* (Luc. 1, 76, 77). Num salutis scientiam sapiens parvipendere potest? Ponamus tamen necdum venisse Joannem, necdum significasse nobis de Christo. Ubi salutem quæremus? Peccavi peccatum grande, quod sanguine vitulorum vel hircorum deleri non potest, quia non holocaustis delectatur Altissimus. Memoria mea infecta est face hujus amuræ : non est novacula quæ membranam hanc radere possit, quia tota totam imbibit facem. Si peccati mei oblitus fuero, stultus sum et ingratus; si in memoria mea permanet, arguet me in æternum. Quid igitur faciam? Ibo ad Joannem, et audiam vocem lætitiæ, misericordiæ vocem, sermonem gratiæ, verbum remissionis et pacis. *Ecce*, inquit, *Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* (Joan. 1, 29); et alibi : *Qui habet sponsam*, inquit, *sponsus est* (Joan. 11, 29). Ostendit igitur quia venit Deus, quia sponsus, quia Agnus. Quia Deus, certum est quod peccata remittere possit; sed utrum velit, adhuc in quæstione est. Vult profecto, quia sponsus est, quia amabilis est. Et Joannes amicus sponsi est, quia sponsus nisi amicos habere non novit. Et licet velit gloriosam sponsam non habentem macu-

lam, aut rugam, aut aliquid ejusmodi; non tamen quærit talem (ubi enim illam inveniret?), sed talem potius ipse facit, talem sibi exhibet ipse. Audi denique quid dicat per prophetam. *Vulgo dicitur : Nunquid mulier, si dormierit cum altero viro, revertetur ad virum suum priorem? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis. Revertere tamen* 987 *ad me, et ego suscipiam te.* (Jerem. 11, 4). Ecce quod poscit, ecce quod velit.

12. Sed tu fortassis timeas eam quam facere venit delictorum purgationem, ne ustione et scissione ossa et medullas ossium collidat, ne dolorem inferat morte graviorem. Audi : Agnus est, in mansuetudine venit cum lana et lacte, solo verbo justificans impium. Quid enim est, juxta comicum, facilius dictu? (*Terent. Phorm.* 11, 1, 70.) *Tantum*, inquit, *dic verbo, et sanabitur puer meus* (Matth. 11, 8). Utquid ergo deinceps hæsitemus, fratres, et non omni fiducia ad thronum gloriæ accedamus? [*alias, ascendamus.*] Agamus Joanni gratias, et eo mediante transeamus ad Christum, quia, ut ait ipse : *Illum oportet crescere, me autem minui* (Joan. 11, 36). Quomodo minui? Splendore utique, non fervore. Retraxit radios, collegit se [*alias, recollegit se*], ne fieret sicut is qui totum profert spiritum suum. *Illum*, inquit, *oportet crescere*, qui exhauriri non potest, de cujus plenitudine omnes accipiunt; me autem minui, cui datus est spiritus ad mensuram, et danda magis opera ut ardere semper valeam quam lucere. Præcessi solem, tanquam sidus matutinum; abscondi necesse est, orto jam sole. Non est mihi nisi modicum olei quo ungar; volo illud in vase tutius quam in lampade possidere.

IN VIGILIA SS. PETRI ET PAULI APOSTOLORUM.

SERMO

De triplici auxilio quod a sanctis accipimus.

1. In sanctorum Vigilis necesse est vigilare hominem spiritualem, qui solemnitates eorum celebrare desiderat in spiritu et veritate. Aliæ enim carnaliam, aliæ spiritualium vigilie. Illi et nitidiores cultus, et epulas præparant lautiores; et fortassis in ipsis vigilis operantur opera tenebrarum, lætantur cum male fecerint et exsultant in rebus pessimis. Vos non ita didicistis Christum, qui Christum secuti estis, qui omnia reliquistis, qui vigilanti oculo vigiliarum nomen debetis attendere. Ad hoc enim vigilie proponuntur, ut evigilemus, si in aliquo peccato vel negligentia dormitamus, et præoccupemus faciem sanctorum in confessione. Non sic filii hujus sæculi, non sic, qui potentes sunt ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem; qui obdormierunt in flagitiis et facinoribus suis. Illud vos non lateat, quia qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt; et qui dormiunt, nocte dormiunt : et frustra sonat eis nomen Vigiliarum sanctarum, cum ipsi magis dormire studeant, quam vigilare. Vos autem non estis filii noctis, neque tenebrarum, sed lucis et

diei (1 Thess. v, 5-8), ut non vos præoccupent natalitii sanctorum dies, et inveniant imparatos.

2. Tria sunt igitur quæ in festivitibus sanctorum vigilanter considerare debemus : auxilium sancti, exemplum ejus, confusionem nostram. Auxilium ejus, quia qui potens in terra fuit, potentior est in cælis ante faciem Domini Dei sui. Si enim dum hic viveret, misertus est peccatoribus, et oravit pro eis; nunc tanto amplius, quanto verius agnoscit miseras nostras, orat pro nobis Patrem : quia beata illa patria charitatem ejus non immutavit, sed augmentavit. Neque enim quia impassibilis omnino, ideo, ei incompassibilis factus est : sed nunc potius induit sibi viscera misericordiæ, cum ante fontem misericordiæ assistit [*alias, existit*]. Est et alia causa, quæ magis urget sanctos ut solliciti sint de nobis, quia, juxta vocem Apostoli, Deus providet pro nobis, ne sine nobis consummentur (Hebr. 11, 40), sicut ait sanctus David : *Me expectant justi, donec retribuas mihi* (Psal. cxli, 8). Debemus etiam attendere exemplum ejus, quia quandiu in terris visus est, et cum hominibus

conversatus est, non declinavit ad dexteram, neque ad sinistram : sed viam regiam tenuit, donec veniret ad illum qui dicit, *Ego sum via, veritas et vita* (*Joan. xiv, 6*). Intuemini humilitatem operum ejus, auctoritatem verborum ejus, et tunc videbitis quomodo tam verbo quam exemplo luxerit inter homines; qualia nobis vestigia dereliquerit, **988** ut ambulemus per ea, et non erremus in eis. Vere, juxta prophetam, *Semita justii recta est, rectus callis justii ad ambulandum* (*Isai. xxvi, 7*).

3. Sed et diligentiori intuitu confusionem nostram inspiciamus : quia homo ille similis nobis fuit passibilis, ex eodem luto formatus ex quo et nos. Quid ergo est, quod non solum difficile, sed et impossibile credimus, ut faciamus opera quæ fecit. ut sequamur vestigia ejus? Confundamur, fratres, et contremiscamus ad vocem istam, si forte hæc confusio adducat nobis gloriam, si forte generet gratiam nobis timor iste. Homines isti fuerunt qui præcesserunt nos, qui tam mirabiliter processerunt per vias vitæ, ut vix eos homines fuisse credamus. Sic ergo in sanctorum festivitatis et gaudere et confundi debemus : gaudere, quia patronos præmissimus; confundi, quia eos imitari non possumus. Ita semper gaudium nostrum in hac valle lacrymarum, lacrymarum pane condiri debet, ut semper non solum extrema; sed et prima gaudii luctus occupet : quia etsi magna est gaudiorum materia, sed

maxima est dolorum. *Memor fui Dei*, clamat justus, et *delectatus sum* : sed et statim subjungit, *Defecit spiritus meus, turbatus sum, et non sum locutus.* (*Psal. lxxvi, 4, 5*).

4. Quod si hæc in Vigiliis uniuscujusque sancti cogitare debemus, quid faciemus in solemnitate sanctorum et summorum Apostolorum? Petrum et Paulum loquor. Sufficeret unius festivitas ad infundendam exultationem universæ terræ : sed amborum juncta est ad cumulum gaudiorum, ut quomodo in vita sua dilexerunt se, ita in morte non sint separati. Quid illis potentius dum fuerunt in terris, quorum alteri traduntur claves regni cælorum, alteri magisterium Gentium : alter Ananiam et Sapphiram occidit in verbis oris sui, alter donat quidquid donat in persona Christi; et cum infirmatur, tunc fortior est et potens? Quam potentiores sunt in cælis, qui tam potentes fuerunt in terris! Et qui nobis reliquerunt majora exempla, quam illi qui in fame et siti, in frigore et nuditate, et in omnibus illis quæ Paulus enumerat (*I Cor. xi, 23-35; Hebr. xi, 36-38*), jugiter sunt afflicti, et demum felici martyrio regna cælestia conscenderunt? Vere nobis rubor confusionis sunt, quos vix audeamus respicere, ne dicam imitari. Orems ergo eos ut ipsi propitium nobis reddant amicum suum, judicem nostrum, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

IN FESTO SS. PETRI ET PAULI APOSTOLORUM. SERMO I.

De triplici custodia quam apostoli habent super nos, et de tribus gradibus conversationis nostræ.

1. Gloriosa nobis solemnitas illuxit, quam præclari martyres, martyrum duces, apostolorum principes, morte clarissima consecrarunt. Isti sunt Petrus et Paulus, duo magna luminaria, quos Deus in corpore Ecclesiæ suæ constituit quasi geminum lumen oculorum. Hi mihi traditi sunt in magistros et in mediatores, quibus secure me committere possum : quia et notas mihi fecerunt vias vitæ, et mediantibus illis ad illum Mediatorem ascendere potero, qui venit pacificare per sanguinem suum et quæ in cælis, et quæ in terris sunt. Ille enim in utraque **989** matura purissimus est, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in oræ ejus. Quomodo ergo ad illum accedere audebo, qui sum supra modum peccans peccator, qui peccavi supra numerum arenæ maris, cum ille purior, ego impurior esse non possim? Verendum ne incidam in manus Dei viventis, si illi appropinquare vel inhærere præsumpsero, quem a me tanta differentia dividit, quantum distat inter bonum et malum. Propterea dedit mihi Deus homines istos, qui et homines essent, et peccatores, et maximi peccatores, qui in se ipsis et de se ipsis dicerent qualiter **989** aliis misereri deberent. Magnorum enim criminum rei magnis criminibus facile donabunt veniam, et in qua mensura mensum est eis, remetientur nobis. Peccavit peccatum

C grande Petrus apostolus; et fortassis quo grandius nullum est : et tam velocissime, quam facillime veniam consecutus est, et sic, ut nihil de singularitate sui primatus amitteret. Sed et Paulus qui in ipsa viscera nascentis Ecclesiæ tam singulariter quam incomparabiliter grassatus est, per ipsius Filii Dei vocem ad fidem adducitur, et pro tantis malitantis bonis repletus est, ut Vas electionis fieret adportandum nomen ejus coram gentibus, et regibus, et filiis Israel (*Act. ix, 15*) : vas dignum, et cælestibus ferculis repletum : de quo et sanus escam, et infirmus accipiat medicinam.

2. Tales decebat humano generi pastores et doctores constitui, qui et dulces essent, et potentes, et nihilominus sapientes. Dulces, ut me blande et misericorditer susciperent; potentes, ut fortiter protegerent; sapientes, ut ad viam, et per viam ducerent quæ ducit ad civitatem. Quid Petro dulcius, qui tam dulciter ad se omnes convocat peccatores, sicut et Actus apostolici et Epistolarum ejus series attestatur? Quid illo potentius, cui et terra obedivit, cum mortuos reddidit, et mare sub pedibus ejus se calcabile præbuit (*Matth. xiv, 29*); qui Simonem Magum spiritu oris sui in aere attigit, qui claves regni cælorum tam singulariter accepit, ut præcedat sententia Petri sententiam cæli? Denique *quodcumque ligaveris, inquit, super terram, erit ligatum et in cælis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum in cælis* (*Matth. xvi, 19*). Quid autem illo bar-

pietius, cui non caro et sanguis, sed Pater qui in cœlis est, sapientiam illam, quæ de cœlis est, multa largitate revelavit (65)? Libentissime Paulum sequor, qui præ nimia dulcedine luget eos qui peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam (II Cor. xii, 21): qui fortior est omni principatu et potestate (Rom. viii, 38): qui sapientiam et medullam sacrorum sensuum non a primo vel secundo, sed a tertio cœlo largiter asportavit (II Cor. xii, 21).

3. Hi sunt magistri nostri, qui a magistro omnium vias vitæ plenius didicerunt, et docent nos usque in hodiernum diem. Quid ergo docuerunt vel docent nos apostoli sancti? Non piscatoriam artem, non scenofactoriam, vel quidquid huiusmodi est: non Platonem legere, non Aristotelis versutias inversare, non semper discere, et nunquam ad veritatis scientiam pervenire. Docuerunt me vivere. Putas, parva res est scire vivere? Magnum aliquid, imo maximum est. Non vivit qui superbia inflatur, qui luxuria sordidatur, qui cæteris inficitur pestibus; quoniam non est hoc vivere, sed vitam confundere, et appropinquare usque ad portas mortis. Bonam autem vitam ego puto, et mala pati, et bona facere, et sic perseverare usque ad mortem. Dicitur vulgo, quia qui bene se pascit, bene vivit. Sed mentita est iniquitas sibi; quia non bene vivit, nisi qui bonum facit.

4. Arbitror autem quod tu, qui in congregatione es, bene visis, si visis ordinabiliter, sociabiliter et humiliter: ordinabiliter tibi, sociabiliter proximo, humiliter Deo. Ordinabiliter, ut in omni conversatione tua sollicitus sis observare vias tuas, et in conspectu Domini, et in conspectu proximi, cavens et tibi a peccato, et illi a scandalo. Sociabiliter, ut studeas amari, et amare; blandum te et affabilem exhibere; supportare non solum patienter, sed et libenter infirmitates fratrum tuorum, tam morum quam corporum. Humiliter, ut cum hæc omnia feceris, spiritum vanitatis studeas exsufflare, qui ex huiusmodi nasci solet; et quantumcumque illum senseris, negare omnino consensum. Sic et in patiendo malum, quoniam triplex est, triplicem providentiam adhibere te oportet. Est enim quod a te pateris, quod a proximo, quod a Deo. Primum est austeritas pœnitentiæ; secundum, vexatio alienæ malitiæ; tertium, flagellum correctionis divinæ. In eo quod a te pateris, debes voluntarie sacrificare; quod a proximo, patienter ferre, quod a Deo, sine murmure et cum gratiarum actione sustinere. Non sic multi filiorum Adam, qui erraverunt in solitudine, in iniquo (Psal. cvi, 4). Erraverunt plane, et errant a via veritatis, qui in solitudinem superbiæ recedentes, socialem vitam habere non volunt, quorum singularitas associari non potest. Sed et in iniquo; quia nullo imbre lacrymarum compuncti, in terra sterili et arenti perpetua siccitate morantur. Propterea viam civitatis habitaculi non invenerunt; quia inveterati in terra aliena,

(65) Alii editi sic legunt, *cui non caro et sanguis revelavit*, cæteris omissis.

coquinati sunt cum mortuis, deputati cum his qui in inferno sunt.

5. Non erat ita solitarius ille, de quo sanetus Jeremias ait: *Bonum est viro, cum portaverit iugum ab adolescentia sua. Sedebit solitarius, et tacebit, quia levavit se super se* (Thren. iii, 27, 28). Illi erraverunt, sed iste sedebit. Semper enim illi errant corde; iste autem non sedet, sed sedebit solitarius, cum habuerit honorem singularitatis, illius videlicet iudiciariæ potestatis insignie, quod sancti in terra sua possidebunt, cum lætitia sempiterna erit eis. Tacebit etiam, id est cum tranquillitate iudicabit, sicut Dominus sabaoth cum tranquillitate iudicat omnia (65*). Quare? *Quia levavit se super se*, id est cum adolescens esset, et ætatis lubricæ sentiret ardores, senem induit, relinquens quod erat, assumens quod non erat. *Levavit*, inquit, *se super se*: quia non respicit ad se, sed ad illum qui est super se. Sedebit enim, et tacebit etiam modo a strepitu diabolicarum suggestionum, a strepitu carnalium desideriorum, a strepitu mundi. Felix anima, quæ linguas istas non exaudit, audiat licet: illa multum felicior, si tamen aliqua est, cui penitus non loquuntur. Hæc est sapientia, quam Apostolus loquitur inter perfectos, abscondita in mysterio, quam nemo principum sæculi huius cognovit (I Cor. ii, 6, 7). Sic me apostoli et vivere et ascendere [*alias*, credere] docuerunt. Gratias tibi ago, Domine Jesu, qui abscondisti hæc a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis istis qui te secuti sunt, et reliquerunt omnia propter nomen tuum.

SERMO II.

1. Sancti isti, quorum solemnitas hodie passio celebratur, multam nobis de se loquendi causam, multam quoque materiam præbuerunt. Verum ego unum timeo, ne toties audita verba salutis viles cere nobis incipiant tanquam verba. Vilis siquidem et volatilis res verbum hominis, nullius molis [*alias*, moræ], nullius ponderis, nullius pretii, nullius soliditatis. Aerem verberat, unde et verbum dicitur: et sicut folium quod vento rapitur, effluit, et non est qui consideret. Nemo vestrum, fratres, sic accipiat, imo nemo sic despiciat verbum Dei. Dico enim vobis: Bonum illi fuisset, si non audisset homo ille. Fructus vitæ sunt verba Dei, non folia; et si folia, sed aurea sunt. Proinde non parvipendantur, non pertranseant, non prætervolent. Ipsa quoque colligite fragmenta ne pereant. Terra enim, quæ sapius supervenientem suscepit imbrem, et non fecerit fructum, terra reproba est, proxima maledicto (Hebr. vi, 7, 8). Sic et ea quæ in Evangelio sterili siculnea legitur, si posteaquam foderit circa eam vineæ cultor, atque miserit stercora, nihilominus sterili inventa fuerit (Luc. xiii, 6-9), nonne jam securis ad radicem illius arboris est ponenda?

2. Et ego dico vobis, si minus boni in sæcularibus invenerit, majorem in eis Dominus habiturus est

(65*) Hæc periodus, *Tacebit.... omnia*, dcest in aliis editis et quibusdam mss.

patientiam quam in nobis, quibus cœlestium consolationum pluviam voluntariam segregavit : quibus non sarculus disciplinæ, non paupertatis et vilitatis **991** stercora defuerunt. An non stercora sunt abominaciones Ægyptiorum, quas immolamus Deo nostro? Stercora plane vilia ad aspectum, sed ad fructum utilia. Non refugiat hanc fœditatem, qui fecunditatem desiderat : siquidem ex deformi stercore acervo, qui portatur in agrum, formosus surget acervus manipulorum, qui reportabitur ex agro. Propterea non vilescat vobis vilitas pretiosa; sed pretiosius cunctis thesauris Ægypti, Christi improprius æstimate. Verumtamen terrenum habentibus sterquilinum, ipsa quoque cœlestis non deest pluvia : quæ est orationum devotio, jucunda ruminatio psalmodiæ, dulcis meditatio, consolatio Scripturarum. Denique et hæc ipsa pluvia est, quam accipitis per os meum, si quando de flumine, cujus impetus lætificat Dei civitatem, et torrente voluptatis illius aliqua super vos, dum de eis loquimur, stilliditia stillare contigerit.

3. Sed necesse habeo interdum circumfodere, quandoquidem posuerunt me custodem et cultorem in vineis. Heu! qui meam non colui, nec custodivi, necesse habeo tamen, dum hunc occupo locum, et circumfodere nonnunquam, et apponere stercora. Molestum id quidem, sed dissimulare non audeo : sciens multo amplius securim nocituram, quam sarculum; ignem, quam flumem. Itaque et arguere, et increpare interdum necesse est : nec ignoro flumem esse verbum increpatorium (66), verbum improprii, et quod si non excuset necessitas, ipsum quoque minus deceat proferentem. Sed quid agimus, quod hoc flumem etsi aliquos impinguari, sed alios plane et lapidari, et indurari videmus? Hinc namque scriptum est : *De stercore boum lapidabitur piger* (Eccli. xxii, 2). An non impinguatur, qui increpatus benigne accipit, mansuete respondet, libenter emendare conatur? Hæc plane salubris et fecunda impingatio est, ut corripiat me justus in misericordia, et increpet; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Ex ea siquidem pinguedine, quam generat oleum peccatoris, abundantius pullulant spinæ et tribuli, et omnis radix amaritudinis germinat copiosius. Itaque qui justorum increpationem misericordiam nominat, satis indicat quemadmodum suscipienda sit, quam benigno animo, quam devota mente; quantaque ei gratia sit habenda. Sic enim accipientibus nobis erit impingatio salubris, non fertilis vitiorum, quemadmodum oleum peccatoris, sed fructus illius, quem secundum Apostolum habemus in sanctificatione (Rom. vi, 22). Quid autem facinus tibi, o piger, quid ad hanc misericordiam irritaris magis, et exasperaris? Nonne bonum flumem sparsi in agro tuo? Unde ergo lapides habet? Sed tu, inimice homo; quoniam qui diligit iniquitatem, odit animam suam : (Psal. x, 6.) tu, inquam, inimice homo, hoc fecisti; qui desidiam tuam non

A excutere, sed excusare pergens, flumem tibi pervertit in lapides, et unde impinguari debueras, lapidaris. Hæc idcirco dicta sunt, fratres, ut noveritis quam benigne audiendum sit, quam devote suscipiendum, quam sollicitè conservandum quidquid ad animarum salutem pertinet, et non sicut verbum hominum, sed sicut (quod vere est) verbum Dei, sive illud consolatorium, sive commonitorium, sive etiam increpatorium audiatur (*alias*, videatur). Excessi, fateor, ipsius propemodum festivitatis oblitus, sed, ut arbitror, non ad insipientiam vobis, si firmiter inhæserint animo quæ audistis.

4. Et nunc jam de solemnitate ipsa vel breviter aliquid loqui tentemus. Apostolorum Christi festus agitur dies, quibus sane plurimum a nobis honorem deberi scio; sed utrum possit aliquis exhiberi, hæc sedito satis. *Nimis enim honorati sunt amici tui, Deus; nimis confortatus est principatus eorum* (Psal. cxxxviii, 17). Quid enim? si in terra adhuc positi omnia poterant, non quidem in se, sed in Christo; quid non poterunt hodie viventes in **992** æterna felicitate cum ipso? Mortales adhuc et morituri imperium vitæ et mortis videbantur habere, solo nimirum verbo mortificantes vivos, et mortuos suscitantes : quanto magis nunc, cum honorati sunt nimis, nimis confortatus est principatus eorum? Sed quid est, fratres? cum apostolorum beata hodie memoria celebretur, nunquid nativitatis seu conversionis eorum, aut certe vitæ vel miraculorum solemnitas agitur commemoratio? Non est, fratres, nativitatis humanæ solemnitas ista, sicut paulo ante beati Joannis diem natalitium celebrastis. Ille enim nascens honoratur, quia nascitur sanctificatus. Denique in Joanne solo celebrior est passioe nativitas; quia etsi passus pro Christo est, cum pro justitia et veritate occubuit, evidentius tamen natus pro eo est, nimirum homo missus a Deo, qui in hoc natus est, et ad hoc venit in mundum, ut perhiberet testimonium veritati (Joan. i, 7). Sed neque conversionem apostolorum, aut eorum miracula hodie recensemus, sicut certis diebus aliis, alterius quidem conversio, alterius de carcere liberatio facta per angelum festivi Ecclesiæ gaudiis ad memoriam revocatur. Mortem specialius veneramus, qua nihil inter homines humano iudicio plus horretur.

5. Considerate, fratres, Ecclesiæ sanctæ iudicium, secundum fidem, non secundum faciem iudicantis. Mortem siquidem apostolorum in eorum recolit solemnitate præcipua. Hodie nimirum Petrus crucifixus est, hodie decollatus est Paulus. Hæc hodiernæ causa festivitatis, hæc præsentium materia gaudiorum. In his igitur festum agens diem et lætum, sine dubio spiritum sponsi habet Ecclesia, spiritum Domini : in cuius conspectu, sicut habes in psalmo : *Pretiosa est mors sanctorum* (Psal. cxv, 15). Quantos enim, dum paterentur apostoli, credidimus adfuisse, qui nequaquam pretiosis mortibus illorum inviderent? Visi sunt enim oculis insipientium mori, et

(66) Codices nonnulli addunt, *verbum amarum*, quod in aliis editis et scriptis deest.

æstimata est afflictio exitus eorum, et sic quidem visi sunt oculis insipientium mori: *Mihi autem, ait Propheta, nimis honorati sunt amici tui, Deus; nimis confortatus est principatus eorum.* Fratres, amici Dei mori videntur oculis insipientium; sed in oculis sapientium iudicantur potius obdormire. Denique et Lazarus dormiebat, quia amicus erat (*Joan. xi, 41*): et cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini (*Psal. cxvii, 2, 3*).

6. Studeamus, fratres, vivere vita justorum, sed morte eorum mori multo magis desideremus. Sapientia enim justorum novissima præfert, ibi nos iudicans, ubi nos invenerit. Omnino necesse est vitæ præsentis finem futuræ colærere principio, nec ibi tolerabilis dissimilitudo est. Sicut enim si quis duo sibi, ut ita dixerim, cinctoria consuere aut colligare voluerit, minus de reliquis partibus curans, ipsa quæ sibi copulanda sunt capita, uniformiter parat, ne dissideant a se ipsis; ita dico vobis, quantumlibet extiterit conversatio spiritualis, si carnalis fuerit consummatio nostra, vitæ illi spirituali penitus non colæreret, nec caro et sanguis regnum Dei poterunt possidere. *Fili, ait Sapiens, memorare novissima tua, et non peccabis (Eccli. vii, 40).* Nimirum quod hæc maxime recordatio faciat timoratum; timor expellat peccatum, negligentiam non admittat.

7. Hinc et Moyses de quibusdam: *Utinam, ait, saperent, et intelligerent, ac novissima providerent! (Deut. xxxii, 29.)* In quibus utique verbis tria quædam nobis video commendari; sapientiam, intelligentiam, providentiam. Arbitror sane tribus eas assignari posse temporibus, ut æternitatis quædam imago reformari videatur in nobis, præsentia moderantibus per sapientiam, præterita per intelligentiam, dijudicantibus, novissima providentibus ad cautelam. Hæc nempe spiritualis est exercitii summa, hæc studii spiritualis; ut sapienter disponamus præsentia nostra, recogitemus in amaritudine animæ nostræ præterita, futura quoque **993** sollicitè provideamus. *Sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo, ait Apostolus (Tit. ii, 12):* ut videlicet in præsentī sobrietas observetur; ut justa satisfactione præterita, quæ nobis sine fructu salutis præteriere, tempora redimantur; ut pietatis clypeum imminentibus de futuro periculis opponamus. Sola est enim quæ ad omnia valet pietas, cultus scilicet Dei humilis et devotus: nec aliter nobis est providere novissima, nisi ut universa, quæ nobis imminere videntur pericula, sedula nobiscum cogitatione versantes, discamus de nostra omnino industria, magis autem de nostris diffidere meritis, et soli divinæ nos protectioni committere pio quodam mentis affectu, et affectu [*alias decet et effectu.*] piæ intentionis in ipsum, cuius datum optimum, et donum perfectum est consummatio felix, et mors pretiosa.

8. Habes in Evangelio tria hæc ipsa, tibi sermone Domini commendata: *Beati, inquit, pauperes, beati mites, beati qui lugent (Matth. v, 3-5).* Beati qui futura sapiunt, præ desiderio celestium interna

quodam sapore mentis præsentia respicientes. Beati qui novissima provident, in mansuetudine suscipientes insumit verbum, quod eorum salvare animas potest, et pietate cordis ad futuram tendunt hæreditatem. Beati qui pristinum intelligentes errorem, crebris lavant læcymis lectum suum. Vides quid optat vir sanctus, quid obtinere cupit eis, pro quibus orat? *Utinam, inquit, saperent, et intelligerent, ac novissima providerent!* Ac si manifestius dicat: *Utinam esset in eis spiritus sapientiæ, et intelligentiæ, atque consilii!* Utinam hæc in nobis inveniantur, fratres, ut suaviter omnia nostra per sapientiam disponamus, ut intellectu præterita peccata damnemus, ut provideamus futura consilio! Utinam sapiamus ad præsentis vitæ moderationem! utinam intelligentiam ad præteritæ correctionem! utinam devota in Deum fide provideamus, ut felicem habeamus, ipso miserante, consummationem! Hic enim est funiculus triplex, quo trahimur ad salutem; ordinata conversatio, rectum iudicium, fides devota.

SERMO III.

De lectione libri Sapientiæ: « Hi sunt viri misericordix. » (Eccl. xlii, 10, 11.)

1. Merito, fratres, apostolis sanctis attribuit mater Ecclesia, quod in Sapientiæ libris legitur: *Hi sunt viri misericordix, quorum iustitiæ oblivionem non acceperunt: cum semine eorum permanent bona.* Sunt enim hi plane viri misericordix, sive quia misericordiam consecuti, sive quia misericordia pleni, seu quia misericorditer a Deo nobis donati sunt. Et vide quam misericordiam consecuti sunt. Paulum interroga de se ipso, vel magis sponte confitentem ausculta. *Qui sui blasphemus, et persecutor, et iniquus; sed misericordiam consecutus sum (I Tim. i, 13).* Quis enim non audivit quanta mala fecerit sanctis in Jerusalem? nec solum in Jerusalem, sed et per totam Judæam insanix ferebatur habens, ut Christi membra laniaret in terris. Denique hæc furivectus erat, sed præventus a gratia est. Ibat spirans minarum et cædis in discipulos Domini, et discipulus Domini factus est, cui ostenderetur quanta eum oporteret pro nomine ipsius pati. Ibat dirum toto corpore virus exhalans, et subito in electionis vas mutatus est, ut jam cor illius eructaret verbum bonum, verbum pium, et diceret: *Domine, quid me vis facere? (Act. ix.)* Hæc utique, hæc mutatio dexteræ Excelsi. Merito proinde loquebatur: *Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quoniam Dominus Jesus venit peccatores salvos facere quorum primus ego sum (I Tim. i, 15).* Hoc ergo apud beatum Paulum fiducia et consolationis accipite, fratres, ut ad Dominum jam conversos non nimis cruciet præteritorum, conscientia delictorum; sed tantum humiliet vos, sicut et ipsum. *Ego sum, inquit, minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei (I Cor. xv, 9).* Ita et nos humiliemur subpotenti manu Dei, et fiduciam habeamus, **994** quia et nos misericordiam consecuti sumus, abluti sumus, sanctificati sumus. Et hoc quidem omnibus nobis:

quoniam omnes peccavimus, et egemus hac gloria Dei. A

2. Verum apud beatum Petrum aliud habeo quod apponam, eo carius, quo rarius; et quo singularius, eo sublimius. Nam peccavit Paulus, sed ignorans fecit in incredulitate sua: Petrus cum cecidit, apertos habebat oculos. Porro ubi abundavit delictum, ibi superabundavit et gratia. Eorum siquidem qui peccant antequam Deum noverint, antequam miserationes ejus experti sint, antequam portaverint jugum suave et onus leve, priusquam devotionis gratiam, et consolationes acceperint Spiritus sancti; eorum, inquam, copiosa redemptio est. Et tales omnes nos fuimus. At eorum qui post conversionem suam peccatis et vitiis implicantur, ingrati acceptæ gratiæ, et post missam manum ad aratrum retro respiciunt, tepidi et carnales facti, aut post agnitam B viam veritatis retro eunt apostatæ manifesti: eorum utique perpaucos invenias, qui post hæc redeant in gradum pristinum, sed magis in sordibus positi sordescant adhuc. Super quos propheta deplorat: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? et: Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercorea* (Thren. iv, 1, 5).

3. Nec tamen si quis hujusmodi est, desperamus de eo, tantum ut resurgere velit cito. Quanto enim diutius permanebit, tanto evadet difficilius. Beatus vero qui tenebit, et allidet parvulos Babylonis ad petram: etenim si creverint, vix poterunt superari. Filioli, hæc dico ut non peccetis. Sed et si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, qui potest quod nos minime possumus: tantum qui cecidit, non adjiciat in malum ut profundius cadat, sed magis ut resurgat, confidens quod nec ei negabitur venia, si tamen ex corde confiteatur peccata sua. Si enim is, de quo loquimur, Petrus post tam gravem lapsum ad tantam rediit eminentiam sanctitatis; quis de cætero desperet, si tantum egredi voluerit a peccatis? Attende quod scriptum est: *Egressus foras, flevit amare* (Math. xxvi, 75). In egressu confessionem oris, in amaro fletu compunctionem cordis intellige. Et attende, quod tunc primum recordatus est verbi quod dixerat Jesus: tunc primum cordi fuit verbum, quo prædicta fuerat ejus infirmitas, cum evanuit præsumpta temeritas. Væ tibi, qui post lapsum fortorem te nobis exhibes. Utquid tam rigidus es in tuam ipsius perniciem? Inclinare potius, ut melius erigaris, et ne prohibeas frangi quod distortum est, ut possit melius solidari. Quid indignaris increpanti gallo? tibi potius indignare. *Pluviam voluntariam, ait Psalmista, segregabis, Deus, hæreditati tuæ, et infirmata est.* Bona infirmitas, quæ segregatur hæreditati, quæ medicum non repellit. Induratos enim, tanquam vas figuli in virga ferrea conteret: et hæreditas *infirmata est, ait, tu vero perfecisti eam* (Psal. lxxvii, 10).

4. Audistis certe quam misericordiam consecuti sint apostoli nostri, ut jam nemo ex vobis super peccatis præteritis ultra quam necesse sit confundatur, in cubili conscientie suæ compunctus. Quid

enim? forte peccasti in sæculo; nunquid amplius Paulo? Quod si et ipsa in religione; nunquid plus Petro? Attamen illi in toto corde pœnitentiam agentes, non modo salutem, sed et sanctitatem consecuti sunt; etiam et salutis ministerium, et magisterium adepti sunt sanctitatis. Et tu ergo fac similiter, quoniam propter te Scriptura loquitur, viros illos esse misericordie: utique propter multam misericordiam, quam consequi meruerunt.

5. Potes tamen in hoc verbo etiam illud non inconvenienter accipere, viros misericordie fuisse apostolos, id est plenos misericordie, seu viros misericordie, id est misericorditer datos Ecclesie: universæ. Scimus enim quod viri isti nec sibi vivere, nec sibi mortui sunt, sed ei qui pro ipsis mortuus est; magis autem nobis omnibus propter illum. Quantum enim proderit nobis eorum justitia, quando ipsa quoque, sicut 995 ostensum est, tantum profuere peccata? Pro nobis facit eorum vita, eorum doctrina, etiam et mors ipsa. Etenim in conversione continentiam, in prædicatione sapientiam, in passione sua patientiam nobis beati apostoli contulerunt. Quartum usque hodie conferre non cessant misericordia pleni, quod est sanctarum fructus orationum. Quamvis et in ipsa eorum vita adhuc invenias quod annumeres, fiduciam scilicet, quam nobis miraculorum exhibitione præbuerunt. Et quis enumeret quam multa nobis per eos beneficia provenerunt? Bene ergo de eis Scriptura loquitur: *Quoniam hi sunt viri misericordie; et addidit: Quorum justitiæ oblivionem non acceperunt* (Eccli. xlv). C

6. Vis ut nec tua accipiat oblivionem? A triplici cave periculo: et floreat in æternum ante Dominum. Legis enim: *Quia tepidus es, incipiam te emovere ex ore meo* (Apoc. iii, 16); legis: *Si averterit se justus a justitia sua, etc., omnium justitiarum ejus non recordabor* (Ezech. xviii, 24); legis quibusdam dicendum in judicio: *Non novi vos* (Math. vii, 23); illis sine dubio, qui receperunt mercedem suam. Ergo omnis justitia tepida, omnis transitoria, omnis vendita, erit in oblivione coram Deo. Sed non ita apostolorum justitiæ. Quod ex eo satis apparet, quod sequitur: *Cum semine eorum permanent bona.* Mænent enim usque hodie in nobis apostolorum vestigia; et eorum religio, quia ex Deo est, non potest dissolvi. Vestes Israelitici populi quadraginta annis in deserto perseveraverunt integræ (Deut. viii, 4); multo magis apostolorum vestes super jumentum Salvatoris impositæ. *Cum semine, inquit, eorum.* Quod est semen, quia secutus adjungit: *Hæreditas sancta nepotes eorum?* Idem profecto et semen sunt, et nepotes. Meministis credo: scientibus enim legem loquor: meministis, inquam, legalis mandati, ut suscitet frater superstes semen fratri defuncto sine semine (Gen. xxxviii, 8; Deut. xxv, 5). Quis sine semine? *Singulariter, ait, sum ego donec transeam* (Paul. cxi, 10). Ideoque resurgens: *Vade, inquit, dic fratribus meis* (Joan. xx, 17). Ac si dicat: Fratres sunt, faciant quod fratres. Ergo per Evau-

gelium ipsi nos genuerunt; non tamen sibi, sed Christo, quia per Evangelium Christi. Hinc est quod moleste tulit Paulus quosdam eorum dici, a quibus geniti fuerant per Evangelium, indignans adversus eos qui dicebant: *Ego sum Pauli, ego sum Cephar,*

A ego Apollo (1 Cor. i, 12; 1 Cor. iii, 4); Christi magis omnes et fieri volens, et dici. Itaque semenolorum sumus per prædicationem; sed per adoptionem et hæreditatem semen Christi, et apostolorum nepotes.

IN ASSUMPTIONE B. V. MARIÆ.

SERMO I.

De gemina susceptione, Chris'i scilicet et Mariæ.

1. Virgo hodie gloriosa cælos ascendens, superiorum gaudia civium copiosis sine dubio cumulavit augmentis. Hæc est enim, cujus salutationis vox et ipsos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viscera claudunt (Luc. i, 41). Quod si parvuli necdum nati anima liquefacta est ut Maria locuta est, quid putamus quænam illa fuerit cælestium exultatio, cum et vocem audire, et videre faciem, et beata ejus frui præsentia meruerunt? Nobis vero, charissimi, quæ in ejus Assumptione solemnitatis occasio, quæ causa lætitiæ, quæ materia gaudiorum? Mariæ præsentia totus illustratur orbis: adeo ut et ipsa jam cælestis patria clarius rutilet virginæe lampadis irradiata fulgore. Merito proinde resonat in excelsis gratiarum actio et vox laudis; sed plangendum nobis quam plaudendum magis esse videtur. Quantum enim de ejus præsentia cælum exultat, nunquid non consequens est, ut tantum luceat hic noster inferior mundus ejus absentiam? Cesset tamen querela nostra, quia nec nobis hic est manens civitas; sed eam inquirimus, ad quam hodie Maria benedicta pervenit. In qua si conscripti cives sumus, dignum profecto est etiam in exsilio, etiam super flumina Babylonis ejus nos recordari, ejus communicare gaudiis, ejus participare lætitiâ, maximeque **996** eam, quæ tam copioso impetu lætificat hodie civitatem Dei, ut sentiamus et ipsi stillicidia stillantia super terram. Præcessit nos regina nostra, præcessit, et tam gloriæ suscepta est, ut fiducialiter sequantur Dominam servuli clamantes: *Trahe nos post te; in odorem unguentorum tuorum curremus* (Cant. i, 3). Advocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam Judicis mater, et mater misericordiæ, suppliciter et efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit.

2. Pretiosum hodie munus terra nostra direxit in cælum, ut dando et accipiendo felici amicitiarum fœdere copularentur humana divinis, terrona cælestibus, ima summis. Illo enim ascendit fructus terræ sublimis, unde data optima, et dona perfecta descendunt. Ascendens ergo in altum Virgo beata, dabit ipsa quoque dona hominibus. Quidni daret? Siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas. Regina cælorum est, misericors est; denique mater est unigeniti Filii Dei. Nihil enim sic potest potestatis ejus seu pietatis magnitudinem commendare: nisi forte aut non creditur Dei Filius honorare matrem; aut dubitare quis potest omnino in affectum charitatis transisse Mariæ viscera, in qui-

bus ipsa quæ ex Deo est charitas novem mensibus corporaliter requievit.

3. Et hæc quidem propter nos dixerim, fratres, sciens difficile esse ut in tanta inopia charitas illa perfecta, non quærens quæ sua sunt, valeat inveniri. Ut tamen interim sileam beneficia, quæ pro illius glorificatione consequimur; si eam diligimus, gaudebimus utique, quia vadit ad Filium. Plane, inquam, congratulabimur ei, nisi forte, quod absit! inventrici gratiæ omnimodis inveniamur ingrati. Quem enim in castellum mundi hujus intrantem prius ipsa susceperat, ab eo suscipitur hodie sanctam ingrediens civitatem. Sed cum quanto putas honore, cum quanta putas exultatione, cum quanta gloria? Nec in terris locus dignior uteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria suscepit; nec in cælis regali solio, in quo Mariam hodie Mariæ filius sublimavit. Felix nimirum utraque susceptio; ineffabilis utraque, quia utraque inexcogitabilis est. Uquid enim ea hodie in ecclesiis Christi evangelica lectio recitatur, in qua mulier benedicta in mulieribus excepisse intelligitur Salvatorem? Credo ut hæc quam celebramus, ex illa susceptione aliquatenus æstimetur, imo ut juxta illius inæstimabilem gloriam inæstimabilis cognoscatur et ista. Quis enim, etiamsi linguis hominum angelorumque loquatur, explicare queat quemadmodum superveniente Spiritu, obumbrante virtute Altissimi, carofactum sit Verbum Dei, per quod facta sunt omnia; et Dominus majestatis quem non capit universitas creaturæ, intra virgineæ sese clausit viscera factus homo?

4. Sed et illud quis vel cogitare sufficiat, quam gloriosa hodie mundi regina processerit, et quanto devotionis affectu tota in ejus occursum cælestium legionum prodierit multitudo: quibus ad thronum gloriæ canticis sit deducta; quam placido vultu, quam serena facie, quam lætis [*alias*, divinis] amplexibus suscepta a Filio, et super omnem exaltata creaturam, cum eo honore, quo tanta mater digna fuit, cum ea gloria, quæ tantum decuit Filium? Felicia prorsus oscula labiis impressa lactentis, cui virgineo mater applaudebat in gremio. Verum nunquid non feliciora censebimus, quæ ab ore sedentis in dextera Patris hodie in beata salutatione suscepit, cum ascenderet ad thronum gloriæ, epithalamium canens, et dicens: *Osculetur me osculo oris sui?* (Cant. i, 4.) Christi generationem, et Mariæ assumptionem quis enarrabit? Quantum enim gratiæ in terris adepta est præ cæteris, tantum et in cælis obtinet gloriæ singularis. Quod si oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se: quo præparavit

gignenti se, et, quod omnibus est certum, diligenti præ omnibus, quis loquatur? Felix plane Maria, et multipliciter felix, sive cum excipit Salvatorem, sive cum a Salvatore suscipitur: utrobique miranda dignitas Virginis matris: utrobique amplectenda dignatio majestatis. **997** *Intravit, inquit, Jesus in quoddam castellum, et mulier quædam excepit illum in domum suam (Luc. x, 38).* Sed laudibus magis vacandum est, quod festivis præconiis hæc dies debeatur. Quia vero copiosam nobis materiam lectionis hujus verba ministrant; cras quoque, convenientibus nobis in unum, communicandum erit sine invidia quod fuerit desuper datum, ut in memoria tantæ Virginis non modo affectus devotionis excitetur, sed et mores ædificentur ad profectum conversationis, in laudem et gloriam Filii ejus Domini nostri, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO II.

De domo mundanda, ornanda, implenda.

1. *Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam (Luc. x, 38).* Opportune satis hoc mihi loco prophetica exclamatio assumenda videtur: *O Israel, quam magna est domus Domini, et ingens locus possessionis ejus! (Baruch iii, 24).* An non ingens, cujus comparatione castellum dicitur terræ hujus spatiosissima latitudo? an non ingens patria et regio inæstimabilis, quando ab ea Salvator adveniens, cum ingrederetur orbem terræ, dicitur introire castellum? Nisi forte castellum quis aliud intelligendum putet, quam atrium fortis armati, principis mundi hujus, cujus vasa diripere fortior supervenit (*Luc. xi, 21, 22*). Festinemus in illam ingredi beatitudinis amplitudinem, fratres, ubi nemo alium coangustat: ut possimus cum omnibus sanctis comprehendere, quænam sit longitudo et latitudo, sublimitas et profundum (*Ephes. iii, 18*). Neque id desperemus, quandoquidem ipse cælestis habitator patriæ, etiam et creator, nostri hujus castelluli angustias non refugit.

2. Sed quid introisse cum dicimus in castellum? Etiam in angustissimum virginalis uteri diversorium introivit. Denique et *mulier quædam excepit illum in domum suam.* Felix mulier, quæ non jam exploratores Jericho, sed ipsum potius fortissimum expoliatores stultitiam illius, qui vere ut luna mutatur; non legatos Jesu filii Nave, sed ipsum magis suscipere meruit verum Jesum Filium Dei. Felix, inquam, mulier, cujus domus Salvatore suscepto inventa est munda quidem, sed plane non vacua. Quis enim vacuam dixerit, quam salutat angelus gratia plenam? Neque hoc solum; sed adhuc quoque in eam superventurum asserit Spiritum sanctum. Ad quid putas, nisi ut etiam superimpleat eam? Ad quid, nisi ut adveniente jam Spiritu plena sibi, eodem superveniente nobis quoque superplena et superrefluens fiat? Utinam fluant in nos aromata illa, charismata scilicet gratiarum, ut de plenitudine tanta omnes accipiamus! Ipsa nempe mediatrix nostra, ipsa est

per quam suscepimus misericordiam tuam, Deus: ipsa est per quam et nos Dominum Jesum in domos nostras excipimus. Et nobis enim singulis castra sunt singula, et singulæ domus; et Sapientia pulsat ad ostia singulorum: si quis ei aperuerit, introibit, cœnabitque cum eo. Est vulgare proverbium, quod multorum in ore, magis autem in corde versatur: Bonum, inquit, servat castellum, qui custodierit corpus suum. Sapiens tamen non sic, sed magis inquit: *Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit (Prov. iv, 23).*

3. Esto tamen, cedendum sit multitudini; bonum castrum custodiat, qui custodierit corpus suum. Illud sane quærendum quænam huic sit adhibenda custodia castro. Rectene custodisse tibi videtur anima illa corporis sui castrum, cujus membra, velut conjuratione facta, inimico ejus dominium tradidere? Sunt enim qui cum morte fœdus inierunt, pactum pepigerunt cum inferno (*Isa. xxviii, 15*). *Incrassatus est, inquit, dilectus, et recalcitravit; incrassatus, impinguatus, dilatatus (Deut. xxxii, 15).* Hæc plane custodia, quæ laudatur a peccatoribus in desideriiis carnis suæ. Quid vobis videtur, fratres? num et in hac parte cedendum est multitudini? Absit! Paulam **998** magis interrogemus, utpote ducem strenuum militiæ spiritualis. Dic nobis, Apostole, quæ sit tui custodia castri? *Ego, ait, sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aerem verberans, Castigo enim corpus meum, et in servitatem redigo, ne forte, cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar (I Cor. ix, 26, 27).* Et alio in loco: *Non regnet, inquit, peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum concupiscentiis ejus (Rom. vi, 12).* Utilis profecto custodia, et felix anima, quæ sic custodierit corpus suum, ut nunquam sibi vindicet illud inimicus. Fuit enim aliquando, cum hoc meum castrum tyrannidi suæ impius ille subjecerat sibi, potestative membris imperans universis. Quantum eo nocuerit tempore, præsens adhuc indicat desolatio et egestas. Heu! nec continentiae murum in eo, nec patientiæ antemurale reliquit. Exterminavit vineas, messuit segetes, arbores extirpavit: quippe etiam oculus iste meus deprædabatur animam meam. Denique nisi quia Dominus adjovit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea. Dico autem infernum inferiorem, ubi nulla confessio, unde nemini datur exire.

4. Cæterum etiam tunc nec carcer illi deerat, nec infernus. Ab ipso nempe conjurationis et proditionis pessimæ deprehensa principio, non alibi quam in domo propria carcerali est mancipata custodiæ, nec aliis quam suæ ipsius familiæ data tortoribus. Erat enim illi conscientia carcer, erant tortores ratio et memoria, atque hi quidem crudeles, austeri et immisericordes: sed longe minus et rugientibus illis præparatis ad escam, quibus erat jam jamque tradenda. Sed benedictus Deus, qui non dedit me in captionem dentibus eorum. Benedictus, inquam, Dominus, qui visitavit et fecit redemptionem. Cum enim

inferiori eam carceri tradere malignus [additur alias et tortoribus], acceleraret, sed et castrum ipsum ignibus cremare perpetuis, ut digna perjuris etiam fieret retributio membris, fortior supervenit. Intra- vit in castellum Jesus, qui fortem alligans, ejus vasa diripuit; ut quæ prius erant in contumeliam, faceret in honorem. Contrivit portas æreas, et confregit ferreos vectes, vinculum de domo carceris et umbra mortis educens. Porro egressus ejus in confessione. Ipsa est enim scopa, qua mundatus carcer et ornatus, deinceps regularium institutionum juncis quibusdam pulchre virentibus de carcere redit in domum. Habet ergo mulier jam domum suam, habet ubi suscipiat eum, cui super tantis beneficiis exstat obnoxia. Alioquin væ ei, si eum excipere renuit, si non detinet, si non cogit manere secum, quoniam advesperascit. Rediens enim qui prius ejectus est, mundatam quidem et ornatum domum invenit, sed vacantem.

5. Relinquitur siquidem mulieri domus sua deserta, quam [alias, quia] Salvatoris hospitio dignam exhibere neglexit. Quomodo, inquis? Poteritne domus mundata confessione priorum delictorum, et observatione regularium institutionum ornata, indigna adhuc judicari habitaculo gratiæ, Salvatoris ingressu? Poterit sine dubio, si superficie tenus emundata, et juncis, ut dictum est, strata virentibus, interius plena sit luto. Quis enim suscipiendum Dominum arbitretur in dealbatis mortuorum sepulcris, quæ videntur a foris speciosa, intrinsecus autem spurcitia et sanies universa replevit? Esto siquidem ut aliquando tanquam ipsa superficie delectatus, incipiat velut primum apponere pedem, ei qui hujusmodi est, primam aliquam visitationis suæ gratiam indulgendo: nunquid non resiliet illico cum indignatione? nunquid non aufugiet clamitans: *Infixus sum in limo profundi, et non est substantia?* (Psal. LXVIII, 3.) Virtutis enim species, et non veritas, quasi qualitas est, non substantia. Neque vero ingressum ejus exterioris potest conversationis tenuis superficies sustinere; quoniam omnia penetrat, et in intimis cordibus ejus habitatio est. Quod si nequaquam spiritus disciplinæ subditum manifeste peccatis corpus inhabitat, fictum utique non modo declinat, sed et effugit atque elongatur ab eo (Sap. 1, 5). An vero aliud est quam fictio execranda, si peccatum superficie tenus radas, **999** non intrinsecus eradices? Certus esto quoniam pullulabit uberius, et mundatam, sed vacantem domum cum nequioribus septem, qui ejectus fuerat, hospes [alias, hostis] malignus intrabit. Reversus enim ad vomitum canis, odibilis erit multo plus quam ante; et fiet filius gehennæ multipliciter, qui post indulgentiam delictorum in easdem denuo sordes inciderit, ut sus lota in volutabro luti.

6. Vis videre mundatam, ornatam et vacantem domum? Hominem intueri qui confessus est, et deservit manifesta peccata præcedentia ad iudicium, et nunc solas movet manus ad opera mandatorum,

corde penitus arido, ductus consuetudine quadam, plane quasi vitula Ephraim, docta diligere trituram. Exteriorum quæ ad modicum valent, ne unum iota præterit aut apicem unum; sed camelum glutit, dum culicem liquat. In corde enim servus est propriæ voluntatis, cultor avaritiæ, gloriæ cupidus, ambitionis amator; aut hæc omnia, aut singula quæque intus vitia fovens: et mentitur iniquitas sibi, sed Deus non irridetur. Videas enim interdum sic palliatum hominem, ut seducat etiam semetipsum, penitus non attendens vermem, qui interiora depascitur. Manet enim superficies, et salva sibi omnia arbitrat. *Comederunt*, ait propheta, *alieni robur ejus, et ignoravit* (Osee VII, 9). Dicit: *Quia dives sum, et nullius ego: cum sit pauper, et miser, et miserabilis* (Apoc. III, 17). Nam et inventa occasione ebullire saniein, quæ latebat in ulcere, et excisam, non extirpatam arborem in silvam pullulare videas densiorem. Quod periculum si volumus declinare, securim ponamus necesse est ad radices arborum, non ad ramos. Non sola inveniat in nobis exercitatio corporalis, ad modicum valens: sed inveniat utilis ad omnia pietas, et exercitium spirituale.

7. *Mulier, inquit, Martha nomine, excepit illum in domum suam; et huic erat soror, nomine Maria.* Sorores sunt, et debent esse contubernales. Occupatur hæc circa frequens ministerium, illa Dominicis est intenta sermonibus. Ad Martham spectat ornatus, sed impletio ad Mariam. Vacat enim Domino, ut non sit domus vacans. Sed mundationem cui possimus attribuire? Erit enim, si et hoc invenimus, domus, in qua Salvator suscipitur, et munda, et ornata, et non vacans. Demus eam Lazaro, si et vobis ita videtur. Et ei siquidem fraternitatis jure cum sororibus est domus ista communis. Dico autem Lazarum, quem quadriduanum, jam jamque fetentem a mortuis excitat vox virtutis, ut videatur satis congrue formam gerere pœnitentis. Intret ergo domum Salvator, et frequenter visitet eam, quam pœnitens Lazarus mundat, ornat Martha, et Maria replet internæ dedita contemplationi.

8. Sed forte curiosius quisquam requirat, cur in præsentem evangelicam lectionem nulla prorsus Lazari similitudine dissidere. Virginealem etenim domum intelligi volens Spiritus, siluit non incongrue pœnitentiam, quæ malum utique comitatur. Absit enim ut proprii quidquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, ut in ea proinde scopa Lazari quæreretur. Quod si originalem a parentibus maculam traxit; sed minus a Jeremia sanctificatam in utero, aut non magis a Joanne Spiritu sancto repletam credere prohibet pietas Christiana: nec enim festis laudibus nascens honoraretur, si non sancta nasceretur (66*). Postremo cum omnimodis contet, ab originali contagio sola gratia mundatam esse Mariam, quippe cum et nunc in baptisate

(66*) Male apud Horstium, *Hæc enim festis laudibus nascens honoratur. Postremo.*

sola hanc maculam lauet gratia, et sola eam raserit. A olim petra circumcisionis : si, ut omnino pium est credere, proprium Maria delictum non habuit, nihilominus ab innocentissimo corde etiam pœnitentia longe fuit. Sit ergo Lazarus apud eos, quorum necesse est ab operibus mortuis conscientias emundari : secedat inter vulneratos dormientes in sepulcris, ut in thalamo virginali inveniantur Martha et Maria tantum. Ipsa est enim **1000** quæ Elisabeth gravidæ et grandævæ quasi mensibus tribus humili deservivæ officio (*Luc. i, 56*) ; ipsa quæ verba, quæ de Filio dicebantur, conservabat conferens in corde suo (*Luc. n, 19*).

9. Neminem ergo moveat, quod suspiciens mulier Dominum, non Maria, sed Martha vocatur : quando in hac una et summa Maria et Marthæ negotium, et Mariæ non otiosum otium invenitur. Omnis quidem gloria filix regis ab intus : nihilominus tamen in simbriis aureis circumamicta est varietate. Non est de numero fatuarum virginum : prudens est virgo ; lampadem habet, sed in vase oleum portat. An forte excidit vobis evangelica illa parabola, quæ fatuas virgines prohibitas narrat ab introitu nuptiarum? (*Matth. xxv, 1-13.*) Erat quidem domus earum munda, virgines enim erant : erat ornata, quia simul omnes, id est fatuæ cum prudentibus, lampades ornaverunt ; sed erat vacans, quia in vasis suis oleum non acceperunt. Hinc est, quod nec ab eis suscipi in domos suas, nec admittere eas dignatur sponsum cœlestis ad nuptias. Non sic mulier illa fortis, quæ serpentis caput contrivit. Habes enim post multa in laudibus ejus, quia *non exstinguetur in nocte lucerna ejus* (*Prov. xxxi, 18*). In sugillationem hoc dicitur fatuarum, quæ veniente media nocte sponso, conqueruntur sero, et dicunt : *Quia lampades nostræ exstinguuntur*. Processit igitur gloriosa Virgo, cujus lampas ardentissima ipsis quoque angelis lucis miraculo fuit, ut dicerent : *Quæ est ista, quæ progreditur sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol?* (*Cant. vi, 9*). Clarius enim cæteris rutilabat, quam repleverat oleo gratiæ præ participibus suis Christus Jesus, Filius ejus, Dominus noster.

SERMO III.

De Maria, Martha et Lazaro. (Luc. x, 38-42.)

1. *Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam. Quid est, fratres, quod e duabus sororibus altera tantum Dominum legitur excepisse, et ea ipsa quæ videtur inferior? Optimam enim partem elegit Maria, teste ipso quem Martha suscepit. Sed prior natus Martha videtur, et salutis initium sibi magis actio, quam contemplatio noscitur vindicare. Laudat Christus Mariam, sed a Martha suscipitur. Amat Rachelem Jacob, sed Lia supponitur ignorantis. Si de fraude queritur, audiet non esse consuetudinis ut juniores prius tradantur ad nuptias* (*Gen. xxix,*

(67) Hic unam agnoscit Mariam Bernardus, ut supra sermone 3 in Dominica 6 post Pentecosten, et ser-

25-26). Quod si luteam hanc cogites domum, facile erit nosse quemadmodum in ea Dominum Martha magis excipiat quam Maria. Quod enim ait Apostolus : *Glorificate et portate Deum in corpore vestro* (*I Cor. vi, 20*), Marthæ dicitur, non Mariæ. Hæc nimirum corporis utitur instrumento, cum illi potius sit impedimento. Denique *corpus, inquit, quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* (*Sap. ix, 15*). Nunquid et operantem? Martha igitur in domum suam excipit Salvatorem in terris : Maria potius cogitat quemadmodum suscipiatur ab eo in domo non manu facta, æterna in cœlis. Forte tamen et ipsa Dominum suscepisse videtur, sed in spiritu : Dominus enim spiritus est.

B 2. *Hic, inquit, haud dubium quin Marthæ, soror erat, nomine Maria : quæ etiam sedens secus pedes Jesu, audiebat verbum illius. Vides quod utraque suscepit Verbum, hæc in carne, illa in voce. Martha autem satagebat circa frequens ministerium. Quæ stetit, et ait : Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? Putas, in domo, in qua Christus suscipitur, vox murmurationis audietur? Felix domus, et beata semper congregatio est, ubi de Maria Martha conqueritur. Nam Mariæ Martham æmulari prorsus indignum, prorsus illicitum est. Alioquin ubi legis Mariam causantem, Quia soror mea reliquit me solam vacare? Absit, absit ut qui Deo vacat, ad tumultuosam **1001** aspiret fratrum officialium vitam! Martha semper insufficienti sibi et minus idonea videatur, aliisque magis in operis quod administrat optet imponi. Respondit autem ei Jesus : *Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima. Vide prærogativam Mariæ, quem in omni causa habeat advocatum. Indignatur siquidem Pharisæus* (*Luc. vii, 39*), conqueritur soror, etiam discipuli murmurant (*Matth. xxvi, 8*) : ubique Maria tacet, et pro ea loquitur Christus (67). *Optimam, inquit, partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea in æternum. Hoc unum illud quod necessarium est ; hæc una, quam Propheta tam sedulo requirebat : Unam, inquit, petii a Domino, hanc requiram* (*Psal. xxvi, 4*).*

3. Quid tamen sibi vult, fratres, quod optimam D partem Maria dicitur elegisse? Ubi jam erit, quod adversus eam proferre solemus, si quando forte administrantis Marthæ turbationem, inæqualitatem diducere voluerit : *Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier?* (*Eccli. xlii, 14.*) Ubi erit et illud : *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus?* (*Joan. xii, 26.*) Et illud : *Qui major est vestrum, erit minister vester?* (*Matth. xx, 26.*) Postremo, quæ consolatio est laboranti, quasi in ejus sugillationem, partem sororis attollere? Unum ergo arbitror e duobus, ut aut de electione Maria laudetur, quod pars ipsa, quantum in nobis est, sit omnibus eligenda ; aut certe ut neutrum dicatur defuisse, mone 4 de Dedicatione ecclesiæ, num. 3. Confer sermonem 12 et 13 in Cantica, ubi hac de re dubius hæret.

nec in partem quamlibet præcipitasse sententiam, sed ad obedientiam præceptoris in utrumlibet sit parata. *Quis enim sicut David fidelis, ingrediens et egrediens, et pergens ad imperium regis? (I Reg. xxi, 14.)* Denique *paratum, inquit, cor meum, paratum cor meum (Psal. lvi, 8)*; non semel tantum, sed et secundo, et vacare tibi, et proximis ministrare. Hæc plane pars optima, quæ non auferetur: hæc mens optima, quæ non mutabitur quocunque vocaveris eam. *Bonum, inquit, acquirit gradum, qui bene ministraverit (I Tim. iii, 13).* Forte meliorem qui bene vacaverit Deo; optimum autem qui perfectus est in utroque. Unum adhuc dico, si tamen id de Martha liceat suspicari. Nonne enim quasi otiosam reputasse videtur, quam sibi dari petiit adjutricem? Sed carnalis est, et omnino non percipit quæ sunt spiritus Dei, si quis forte vacantem animam sua de vacatione redarguit. Audiat igitur optimam esse hanc partem, quæ maneat in æternum. Nunquid enim non rudis quodammodo videtur anima, quæ divinæ contemplationis penitus expers, illam intraverit regionem, ubi hoc unum omnium opus, unum studium, eadem vita?

4. Sed consideremus, fratres, quemadmodum in hæc domo nostra tria hæc distribuerit ordinatio charitatis, Marthæ administrationem, Mariæ contemplationem, Lazari poenitentiam. Habet hæc simul quæcunque perfecta est anima; magis tamen videntur ad singulos singula pertinere, ut alii vacent sanctæ contemplationi, alii dediti sint fraternæ administrationi, alii in amaritudine animæ suæ recogitant annos suos, tanquam vulnerati dormientes in sepulchris. Sic plane, sic opus est, ut Maria pie et sublimiter sentiat de Deo suo, Martha benigne et misericorditer de proximo, Lazarus misere et humiliter de se ipso. Gradum suum quisque consideret. *Si inventi fuerint in civitate hac Noe, Daniel, Job; ipsi iustitia sua liberabuntur, ait Dominus: sed filium aut filiam non liberabunt (Ezech. xiv, 14-16).* Nemini nos blandimur: utinam nec vestrum quispiam se seducat! Quibus enim nulla credita est dispensatio, administratio nulla commissa, his omnino sedendum erit, aut secus pedes Jesu cum Maria, aut certe cum Lazaro intra septa sepulchri. Quidni erga multa turbetur Martha, quæ sollicita est pro multis? Tibi vero cui necessitas hæc non incumbit, e duobus unum est necessarium: aut non turbari penitus, sed delectari magis in Domino; aut, si id necdum potes, turbari non erga plurima, sed, ut de se propheta loquitur, ad te ipsum (*Psal. xli, 7*).

5. Iterum dico, ne quis de ignorantia habeat excusationem: **1002** oportet te, frater, ad quem de fabricanda seu regenda inter undas diluvii Noe arca nihil spectat, aut virum esse desideriorum, ut Daniel erat; aut cum beato Job virum dolorum, et scientem infirmitatem. Alioquin vereor ne tepidum te et nauseam provocantem evomat ex ore suo, qui te invenire cupit aut sui consideratione calidum et charitatis igne flagrantem; aut una ipsius cognitione frigidum, et aqua compunctionis ignita diaboli jacula

A restinguentem. Sed et ipsam quoque Martham admonitam esse necesse est, id maxime queri inter dispensatores, ut fidelis quis inveniat. Erit autem fidelis, si neque quæ sua sunt quærat, sed quæ Jesu Christi, ut sit intentio pura; nec suam faciat, sed Domini voluntatem, ut sit actio ordinata. Sunt enim quorum non simplex est oculus, et recipiunt mercedem suam. Sunt qui feruntur propriis motibus animorum, et contaminata sunt universa quæ offerant, quippe cum voluntates eorum inveniantur in eis. Veni nunc mecum ad nuptiale carmen, et consideremus quemadmodum sponsus, ubi sponsam vocat, nec ullum omiserit ex his tribus, nec his addiderit quidquam. *Surge, inquit, propera, amica mea, formosa mea, columba mea, et veni (Cant. ii, 10).* An non amica est, quæ Dominicis lucris intenta, fideliter ipsam quoque pro eo ponit animam suam? Quoties enim pro uno ex minimis ejus spirituale studium intermittit [*alias, interponit*], toties pro eo spiritualiter ponit animam suam. An non formosa, quæ revelata facie gloriam Domini speculando, in eandem imaginem transformatur de claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu? (*II Cor. iii, 18.*) An non columba, quæ plangit et gemit in foraminibus petreæ, in cavernis maceræ (*Cant. ii, 14*), tanquam sepulta sub lapide?

6. *Mulier, ait, Martha nomine, excepit eum in domum suam.* Certum est hujus tenere locum fratres officiales, quos fraternæ charitatis intuitus variis administrationibus deputavit. Utinam autem et ego ipse inter dispensatores fidelis merear inveniri! Quibus enim convenientius videtur aptandum quod Dominus ait: *Martha, Martha, sollicita es, quam prælati, si tamen digna in sollicitudine præsumunt? Aut quis turbatur erga plurima, nisi cui et Mariæ vacantis, et Lazari poenitentis, sed et ipsorum, quibus onera sua partitur, universa incumbit sollicitudo? Vide Martham sollicitam, vide Martham erga plurima turbatam.* Apostolum loquor, qui prælatos sollicitudinis admonens, gerit ipse sollicitudinem omnium Ecclesiarum. *Quis infirmatur, inquit, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? (II Cor. xi, 29.)* Suscipiat igitur Martha Dominum in domum suam, cui nimirum credita est dispensatio domus. Mediatrix est, ut sibi pariter et subjectis salutem obtineat, suscipiat gratiam, sicut scriptum est: *Suscipiant montes pacem populo, et colles justitiam (Psal. lxxi, 3).* Suscipiant cæteri coadjutores ejus singuli pro qualitate ministerii sui; excipiant Christum, serviant Christo, ministrent ei in membris suis, ille in infirmis fratribus, ille in pauperibus, ille in hospitibus et peregrinis.

7. Quibus ita sollicitis circa frequens ministerium, videat Maria quemadmodum vacet, et videat quoniam suavis est Dominus. Videat, inquam, quam devota mente, quam tranquillo sedeat animo secus pedes Jesu, providens eum semper in conspectu suo, et verba ex ore ejus excipiens, cujus et aspectus delectabilis, et eloquium dulce. Diffusa est enim

gratia in labiis ejus, et est speciosus forma præ filiis hominum, iuno etiam super omnem gloriam angelorum. Gaude et gratias age, Maria, quæ partem optimam elegisti. Beati enim oculi qui vident quæ tu vides, et aures quæ merentur audire quod audis. Beata plane, quæ venas susurrii divini percipis in silentio, in quo utique bonum est homini Dominum expectare. Simplex esto, non tantum sine dolo et simulatione, sed et absque multiplicitate occupationum, ut tecum sit sermocinatio ejus, cujus et vox dulcis, et facies decora. Unum cave, ne abundare incipias in sensu tuo, et velis plus **1003** sapere quam oportet sapere: ne forte dum lucem sectaris, impingas in tenebras, illudente tibi dæmonio meridiano, de quo non est hujus temporis disputare. Nam Lazarus quo devenit? ubi posuistis eum? Sorores alloquor, quæ sepelierunt fratrem prædicatione et ministerio, exemplo et oratione. Ubi ergo posuistis eum? Absconditus est fossa humo, sub lapide jacet, non facile invenitur. Propterea non erit incongruum quatruiduano quartum reservare sermonem, ut juxta Salvatoris exemplum audientes: *Ecce quem amas, infirmatur* (Joan. xi, 3), et nos mancamus hic die isto.

SERMO IV.

De quatruiduo Lazari, et præconio Virginis.

1. Tempus loquendi est omni carni, cum assumitur incarnati Verbi mater in cælum; nec cessare debet a laudibus humana mortalitas, cum hominis sola natura supra immortalis spiritus exaltatur in Virgine. Sed de ejus gloria nec silere devotio patitur, nec dignum aliquid sterilis concipere cogitatio, aut inerudita potest locutio parturire. Hinc est quod et ipsi cælestis curiæ principes in consideratione tantæ novitatis clamant non sine admiratione: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens?* (Cant. viii, 5.) Ac si manifestius dicant: Quanta est hæc? aut unde ei ascendenti utique de deserto affluentia tanta deliciarum? Nec enim pares inveniuntur deliciæ vel in nobis, quos in civitate Domini lætificat fluminis impetus, qui a vultu gloriæ voluptatis torrente [*alias, gloria*] potamur. Quæ est ista, quæ de sub sole, ubi nihil est nisi labor et dolor, et afflictio spiritus, ascendit deliciis spiritualibus affluens? Quidni delicias dixerim, virginitatis decus cum munere fecunditatis, humilitatis insigne, distillantem charitatis favum, misericordiæ viscera, plenitudinem gratiæ, prærogativam gloriæ singularis? Ascendens igitur de deserto regina mundi, etiam angelis sanctis, ut canit Ecclesia, speciosa facta est et suavis in deliciis suis. Desinant tamen deserti hujus mirari delicias, quia Dominus dedit benignitatem, et terra nostra dedit fructum suum (*Psal. lxxxiv, 13*). Quid mirantur de terra deserta Mariam ascendere deliciis affluentem? Mirentur potius pauperem Christum de cælestis regni plenitudine descendentem. Longe enim ampliori miraculo dignum videtur, Dei Filium paulo minus ab angelis minorari, quam Dei matrem super angelos exaltari. Illius si-

A quidem exinanitio, facta est: repletio nostra: illius miseriæ, mundi deliciæ sunt. Denique cum dives esset, propter nos pauper factus est, ut nos ejus inopia ditaremur (*II Cor. viii, 9*). Sed et crucis ignominia, credentium facta est gloria.

2. Adhuc autem et ad monumentum properat vita nostra, ut quatruiduanum reducat a monumento: et eum, de quo vobis hodie (si bene meminit charitas vestra) sermo debetur, Lazarum quærit, ut quærat, et inveniat a Lazaro. In hoc enim est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos. Age igitur, Domine, quære quem amas, ut et amantem facias, et quærentem. Quære ubi posuerunt eum: jacet enim clausus, ligatus, oneratus. Jacet in ergastulo conscientiæ, tenetur vinculis disciplinæ, et tanquam lapide superposito premitur et opprimitur onere pœnitentiæ, maxime quod desit interim fortis et mors dilectio, et charitas omnia sustinens; et in his omnibus jam fetet, Domine: quatruiduanus est enim. Credo jam multorum ingenia prævolant, ut intelligant quem velim dicere Lazarum: eum sine dubio, qui nuper peccato mortuus fodit sibi parietem, ut videat abominationes multas (*Ezech. viii, 8, 9*), et malas pravi et inscrutabilis cordis sui, et juxta prophetam alium ingressus est in petram, absconditus fossa humo a facie furoris Domini (*Isai. ii, 10*).

3. Sed quid est: *Domine, jam fetet; quatruiduanus est enim?* Forte enim fetorem istum, et quatuor dies istos non continuo quisvis intelligat. Ego primam arbitror timoris diem, qua nimirum irradiante cordibus nostris **1004** peccato morimur, et quodam modo sepelimur in conscientiis nostris. Secunda, ni fallor, agitur in labore certaminis. Solet nempe inter primordia conversionis acrius insurgere tentatio pravi consuetudinis, et vix exstingui possunt jacula ignita diaboli. Tertia nihilominus doloris esse videtur; dum recogitat quis annos suos in amaritudine animæ suæ, et nec tam laborat declinando futura, quam præterita plangendo deplorat. Miraris quod hos dixerim dies? Sed tales sepulturæ debentur, dies nebulae et caliginis, dies luctus et amaritudinis. Sequitur dies pudoris, non dissimilis tribus: quando jam horribili confusione operitur anima miseranda, dum nimis considerat quæ et quanta deliquerit, et in oculis cordis tetras versat imagines peccatorum. Animus hujusmodi nihil dissimulat, sed dijudicat, sed aggravat, sed exaggerat universa: non sibi parcit durus iudex in semetipsum. Utilis quidem exacerbatio, et digna miseratione crudelitas, facile sibi divinam concilians gratiam, dum pro eo mens æmulatur etiam contra se ipsam. Verumtamen, Lazare, veni foras, ne in tanto fetore diutius immereris. Caro putida putredini proxima est; et qui confunditur vehementius et tabescit, prope est ut desperet. Propterea, Lazare, veni foras. Abyssus abyssum invocat: abyssus luminis et misericordiæ, abyssum miseriæ et tenebrarum. Major illius bonitas quam iniquitas tua: et ubi peccatum abundat, super-

abundare gratiam facit. *Lazare, inquit, venti foras* (Joan. xi, 39, 43). Ac si manifestius dicat: Quousque conscientiæ tuæ caligo te detinet? quandiu in cubili tuo gravi corde compungeris? Veni foras, procede, respira in lucem miserationum mearum. Hoc enim est quod in propheta legisti: *Infrenabo os tuum laude mea, ne pereas* (Isai. XLVIII, 9). Evidentius quoque propheta allus de se ipso: *Ad me ipsum, inquit, anima mea turbata est; propterea ero memor tui* (Psal. xli, 7).

4. Jam vero quid sibi vult quod ait: *Tollite lapidem, et post pauca, solve eum?* (Joan. xi, 39, 44.) Nunquid post visitationem gratiæ consolantis cessabit agere poenitentiam, quoniam appropinquavit regnum cœlorum; aut abiciet disciplinam, si forte irascatur Dominus, et pereat de via justa? Absit hoc! Tollatur lapis, sed poenitentia maneat, non jam premens et onerans, sed vividam et robustam mentem roborans magis atque confirmans: nimirum cujus cibus sit, quem antea nesciebat, Domini facere voluntatem. Sic et disciplina non jam stringit liberum, secundum illud: *Justis non est lex posita* (I Tim. i, 9); sed voluntarium regit, et dirigit in viam pacis. Super hac Lazari suscitatione manifestius psallit propheta: *Non derelinques animam meam in inferno*; quia, ut dixisse me memini secundo hujus festivitatis die, infernus quidam et carcer animæ, rea conscientia est. *Nec dubis sanctum tuum* (non suum ipsius, sed tuum utique, quem ipse sanctificas) *videre corruptionem*. Corruptione siquidem proximus erat quatruiduanus, qui cœperat jam fetere. Prope erat ut penitus dissolveretur, et veniens in profundum malorum contemneret impius; sed preventus voce virtutis, et ab ea vivificatus gratias agit dicens: *Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitiis cum vultu tuo* (Psal. xv, 10, 11). Ad ipsius siquidem contemplationem evocasti et eduxisti ab inferno animam meam: dum anxietur super me spiritus meus, intuens conscientiæ propriæ faciem nimis abominandam. *Clamavit, inquit, voce magna: Lazare, veni foras*; magna utique voce, non tam sono clamosa, quam pietate et virtute magnifica.

5. Sed quo devenimus? Nunquid non supra cœlos Virginem prosequeremur euntem? Et ecce cum Lazaro descendimus in abyssum. A splendore virtutis ad fetorem quatruiduani proclivis decurrit oratio. Cur hoc, nisi quia pondere proprio ferebamur; et traheretur materia, tanto uberius utique, quanto familiarior? Fateor imperitiam meam, pusillanimitatem propriam non abscondo. Non est equidem quod me magis delectet, sed nec quod terreat magis, quam de gloria Virginis matris habere sermonem. Ut enim sileam interim ineffabile privilegium meritum, et prærogativam **1005** penitus singularem, tanto eam devotionis affectu amplectuntur, honorant, suscipiunt, ut dignum est, universi, ut licet de ea loqui gestiant omnes; tamen quidquid dicitur de indicibili, eo ipso quod dici potuerit, minus gratum sit, minus placeat, minus acceptetur. Quidni minus

sapiat, quidquid de incomprehensibili gloria comprehendere potuerit mens humana? Ecce enim si in ea laudavero virginitatem, mihi multæ virgines post eam videntur offerri. Si humilitatem prædicavero, inveniuntur forte vel pauci, qui, docente Filio ejus, mites facti sunt et humiles corde (Matth. xi, 29). Si magnificare voluero misericordiæ ejus multitudinem, sunt aliqui misericordiæ viri, etiam et mulieres. Unum est, in quo nec primam similem visa est, nec habere sequentem, gaudia matris habens cum virginitatis honore. *Optimam, inquit, partem elegit sibi Maria* (Luc. x, 42). Optimam plane, quia bona fecunditas conjugalis, melior autem castitas virginalis; prorsus autem optima est fecunditas virginea, seu fecunda virginitas. Mariæ privilegium est, non dabitur alteri, quia non auferetur ab ea. Singulare est, sed continuo etiam indicibile invenitur, ut nemo assequi possit, sic nec eloqui quidem. Quid si et illud adjicias, cujus mater? Quæ jam poterit lingua, etiamsi angelica sit, dignis extollere laudibus Virginem matrem; matrem autem non e juscunquæ, sed Dei? Duplex novitas, duplex prærogativa: duplex miraculum, sed digne prorsus aptissimeque conveniens. Neque enim filius alius virginem, nec Deum decuit partus alter.

6. Veruntamen non hoc tantum, si diligenter attendas, sed cæteras quoque virtutes singulares prorsus invenies in Maria, quæ videbantur esse communes. Quæ enim vel angelica puritas virginitati illi audeat comparari, quæ digna fuit Spiritus sancti sacrarium fieri, et habitaculum Filii Dei? Si rerum pretia de raritate pensamus, quæ prima in terris angelicam proposuit ducere vitam, super omnes est. *Quomodo, inquit, fiet istud? quoniam virum non cognosco*. Immobile propositum virginitatis, quod nec angelo filium promittente aliquatenus titubavit. *Quomodo, inquit, fiet istud?* Neque enim eo modo, quo fieri solet in cæteris. Virum penitus non cognosco, nec filii desiderio, nec spe prolis.

7. Quanta vero et quam pretiosa humilitatis virtus cum tanta puritate, cum innocentia tanta, cum conscientia prorsus absque delicto, imo cum tanta gratiæ plenitudine? Unde tibi humilitas, et tanta humilitas, o beata? Digna plane quam respiceret Dominus, cujus decorem concupisceret rex, cujus odore suavissimo ab æterno illo paterni sinus attraheretur accubitu. Vide enim quam manifeste sibi concinant Virginis nostræ canticum, et nuptiale carmen: nimirum cujus uterus, sponsi thalamus fuit. Audi Mariam in Evangelio: *Respexit, inquit, humilitatem ancillæ suæ* (Luc. i, 34, 48). Audi eandem in epithalamio: *Cum esset rex, inquit, in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum* (Cant. i, 11). Nardus quippe herba humilis est, et pectus purgat: ut manifestum sit humilitatem nardi nomine designari, cujus odor et decor invenerit gratiam apud Deum.

8. Sileat misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est, qui invocatum te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. Nos quidem servuli tui

cæteris in virtutibus congrædemus tibi, sed in hac A potius nobis ipsis. Laudamus virginitatem, humilitatem miramur; sed misericordia miseris sapit dulcius, misericordiam amplectimur charius, recordamur sæpius, crebrius invocamus. Hæc est enim quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetravit. Constat enim pro universo genere humano fuisse sollicitam, cui dietum est: *No timeas, Maria, invenisti gratiam (Luc. 1, 30)*, utique quam quærebas. Quis ergo misericordię tuæ, o benedicta, longitudinem et latitudinem, sublimitatem et profundum queat investigare? Nam longitudo ejus usque in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis. Latitudo ejus replet orbem terrarum, ut tua quoque misericordia plena sit omnis terra. Sic et **1006** sublimitas ejus civitatis supernæ invenit restaurationem, et profundum ejus sedentibus in tenebris et in umbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cælum repletum, infernus evacuatus est, instauratæ ruinæ

cælestis Jerusalem, expectantibus miseris vita perdita data. Sic potentissima et piissima charitas et affectu compatendi, et subveniendi abundat effectu, æque locuples in utroque.

9. Ad hunc igitur fontem sitibunda properet anima nostra: ad hunc misericordię cumulum tota sollicitudine miseria nostra recurrat. Ecce jam quibus potuimus votis ascendentem te ad Filium deduximus, et prosecuti sumus saltem a longe, Virgo benedicta. Sit deinceps pietatis tuæ ipsam, quam apud Deum gratiam invenisti, notam facere mundo; reis veniam, medelam ægris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adjutorium et liberationem sanetis tuis precibus obtinendo. In hac quoque die solemnitatis et lætitiæ dulcissimum Mariæ nomen cum laude invocantibus servulis per te, regina clemens, gratiæ suæ munera largiatur Jesus Christus Filius tuus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASSUMPTIONIS B. V. MARIE.

SERMO

De duodecim prerogativis B. V. Mariæ, ex verbis Apocalypsis xii, 1: « Signum magnum apparuit in cælo: Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim. »

1. Vehementer quidem nobis, dilectissimi, vir C unus et mulier una nocuere: sed, gratias Deo, per unum nihilominus virum, et mulierem unam omnia restaurantur; nec sine magno fenore gratiarum. Neque enim sicut delictum, ita et donum; sed excedit damni æstimationem beneficii magnitudo. Sic nimirum prudentissimus et clementissimus artifex, quod quassatum fuerat, non confregit, sed utilius omnino refecit, ut videlicet nobis novum formaret Adam ex veteri, et Evam transfunderet in Mariam. Et quidem sufficere poterat Christus; siquidem et nunc omnis sufficientia nostra ex eo est; sed nobis bonum non erat esse hominem solum. Congruum magis, ut adesset nostræ reparationi sexus uterque, quorum corruptioni neuter defuisset. Fidelis plane et præpotens mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, sed divinam in eo reverentur homines majestatem. Absorpta videtur in deitatem humanitas, non quod mutata sit substantia, sed affectio deificata. Non sola illi cantatur misericordia, cantatur pariter et iudicium (*Psal. c. 4*); quia, etsi didicit ex his quæ passus est compassionem, ut misericors fieret, habet tamen et judicariam potestatem. Denique Deus noster ignis consumens est (*Deut. iv, 24; Hebr. xii, 29*). Quidni vereatur peccator accedere, ne, quemadmodum fuit cera a facie ignis, sic pereat ipse a facie Dei?

2. Jam itaque nec ipsa mulier benedicta in mulieribus videbitur otiosa: invenietur equidem locus ejus in hac reconciliatione. Opus est enim mediatore ad mediatorem istum, nec aliter nobis utilior quam Maria. Crudelis nimum mediatrix Eva, per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infudit; sed fidelis Maria, quæ salutis antidotum

et viris, et mulieribus propinavit. Illa enim ministra seductionis; hæc, propitiationis: illa suggestit prævaricationem, hæc ingessit redemptionem. Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile: tota suaviss est, omnibus offerens lac et lanam. Revolve diligentius evangelicæ historiæ seriem universam: et si quid forte increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de cætero suspectam habeas, et accedere verearis. Quod si, ut vere sunt, plena magis omnia pietatis et gratiæ, plena mansuetudinis et misericordię, quæ ad eam pertinent invenieris; age **1007** gratias ei qui talem tibi mediatricem benignissima miseratione providit, in qua nihil possit esse suspectum. Denique omnibus omnia facta est, sapientibus et insipientibus copiosissima charitate debtricem se fecit. Omnibus misericordię sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristes consolationem, peccator veniam, justus gratiam, angelus lætitiæ, denique tota Trinitas gloriam, Filii persona carnis humanæ substantiam; ut non sit qui se abscondat a calore ejus.

3. Putasne, ipsa est sole amicta mulier? Esto siquidem, ut de præsentī Ecclesia id intelligendum propheticæ visionis series ipsa demonstret; sed id plane non inconvenienter Mariæ videtur attribuentum. Nimirum ea est, quæ velut alterum solem induit sibi. Quemadmodum enim ille super bonos et malos indifferenter oritur, sic ipsa quoque præterita non discutit merita; sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur

affectu. Nam et defectus omnis sub ea : et quidquid fragilitatis seu corruptionis est, excellentissima quædam sublimitate præ cæteris omnibus excedit et supergreditur creaturis, ut merito sub pedibus ejus luna esse dicatur. Alioquin nihil magnum dixisse videbimur, ut sit luna ista sub pedibus ejus, quam super omnes angelorum choros, super cherubin quoque et seraphim exaltatam nefas est dubitare. Solet autem luna non modo defectum corruptionis, sed et stultitiam mentis, nonnunquam vero et Ecclesiam hujus temporis designare; illam quidem propter mutabilitatem, hanc sane propter susceptum aliunde splendorem. Utraque vero, ut ita dixerim, luna sub Mariæ pedibus congrue satis ponitur, alio tamen atque alio modo: siquidem *stultus ut luna mutatur; sapiens autem permanet ut sol* (*Eccli. xxvii, 12*). In sole nimirum et fervor, et splendor stabilis; in luna solus splendor, atque is omnino mutabilis et incertus, qui nunquam in eodem statu permanet. Jure ergo Maria sole perhibetur amicta, quæ profundissimam divinæ sapientiæ, ultra quam credi valeat, penetravit abyssum: ut quantum sine personali unione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessiblei videatur immersa. Illo nimirum igne prophetæ labia purgantur (*Isa. vi, 7*), illo igne seraphim accenduntur. Longe vero aliter Maria meruit, non velut summam tangi, sed operiri magis undique, et circumfundi, et tanquam ipso igne concludi. Candidissimus sane, sed et calidissimus hujus mulieris amictus: cujus omnia tam excellenter irradiata noscuntur, ut nihil in ea, non dico tenebrosum, sed ne subobscurum saltem, vel minus lucidum, sed ne tepidum quidem aliquid, aut non ferventissimum, liceat suspicari.

4. Insipientia vero omnis longe sub pedibus ejus est, ut penitus absit hæc ab insipientium mulierum numero, et collegio virginum fatuarum. Imo vero et unicus ille stultus, et totius stultitiæ princeps, qui vere mutatus ut luna, sapientiam perdidit in decore suo, sub Mariæ pedibus conculcatus et contritus, miseram patitur servitutem. Nimirum ipsa est quondam a Deo promissa mulier, serpentis antiqui caput virtutis pede contritura: cujus plane calcaneo in multis versutiis insidiatus est (*Gen. iii, 15*), sed sine causa. Sola enim contrivit universam hæreticam pravitatem. Alius non de substantia carnis suæ Christum edidisse dogmatizabat; alius parvulum non peperisse, sed reperisse sibilabat; alius, vel post partum, viro cognitam blasphemabat; alius Dei Matrem audire non sustinens, magnum illud nomen Theotocos impiissime suggillabat. Sed contritii sunt insidiatores, conculcati supplantatores, confutati derogatores, et beatam eam dicunt omnes generationes. Denique et continuo per Herodem draco insidiatus est parienti, ut nascentem excipiens filium devoraret, quod inimicitie essent inter semen mulieris et draconis.

5. Jam si Ecclesia lunæ magis intelligenda videtur vocabulo, quod videlicet non ex se splendeat,

sed ab **1008** eo qui dicit: *Sine me nihil potestis facere* (*Joan. xv, 5*); habes mediatricem, quam tibi paulo ante commendavimus, evidenter expressam. *Mulier, inquit, amicta sole, et luna sub pedibus ejus.* Amplectamur Mariæ vestigia, fratres mei, et devotissima supplicatione beatis illius pedibus provolvamur. Teneamus eam, nec dimittamus donec benedixerit nobis: potens est enim. Nempe vellus est medium inter rorem et aream, mulier inter solem et lunam, Maria inter Christum et Ecclesiam constituta. Sed forte miraris non tam vellus opertum rore, quam amictam sole mulierem. Magna siquidem familiaritas, sed mira omnino vicinitas solis et mulieris. Quomodo enim in tam vehementi fervore tam fragilis natura subsistit? Merito quidem admiraris, Moyses sancte, et curiosius desideras indueri. Verumtamen solve calcamenta de pedibus tuis, et involucra pone carnalium cogitationum, si accedere concupiscis. *Vado, inquit, et ridebo visionem hanc magnam* (*Exod. i:1, 3*). Magna plane visio, rubus ardens sine combustione; magnum signum, mulier illæsa manens amicta sole. Non est rubi natura, opertum undique flammis, manere nihilominus incombustum; non mulieris potentia, ut sustineat solis amictum. Non est virtutis humana, sed nec angelicæ quidem: sublimior quædam necessaria est. *Spiritus sanctus, inquit, superveniet in te.* Et tanquam responderet illa: Quoniam spiritus est Deus, et Deus noster ignis consumens est: *Virtus, ait, non mea, non tua, sed Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc. i, 35*). Nihil itaque mirum si sub tali obumbraculo talis sustineatur amictus.

6. *Mulier, inquit, amicta sole.* Plane amicta lumine tanquam vestimento. Non percipit forte carnalis: nimirum spirituale est, stultitia illi videtur. Non sic videbatur Apostolo, qui dicebat: *Induimini Dominum Jesum Christum* (*Rom. xii, 14*). Quam familiaris ei facta es, Domina! quam proxima, imo quam intima fieri meruisti, quantum invenisti gratiam apud eum! In te manet, et tu in eo; et vestis eum, et vestiris ab eo. Vestis eum substantia carnis, et vestit ille te gloria suæ majestatis. Vestis solem nube, et sole ipsa vestiris. Novum enim fecit Dominus super terram, ut mulier circumdaret virum (*Jerem. xxxi, 22*), nec alium quam Christum, de quo dicitur: *Ecce vir, Oriens nomen ejus* (*Zach. vi, 12*). Novum quoque fecit in cælo, ut mulier sole appareret amicta. Denique et coronavit eum, et vicissim ab eo meruit coronari. Egredimini, filie Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua (*Cant. iii, 11*). Verum hoc alias. Interim sane ingredimini magis, et videte reginam in diademate, quo coronavit eam filius suus.

7. *In capite ejus, inquit, corona stellarum duodecim.* Dignum plane stellis coronari caput, quod et ipsis longe clarius micans, ornet eas potius quam ornatur ab eis. Quidni coronent sidera quam sol vestit? Sicut dies verni, ait, circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium (*Eccli. l, 8*). Nimirum

leva sponsi sub capite ejus et jam dextera illius amplectatur eam (*Cant.* II, 6). Quis illas æstimet gemmas? quis stellas nominet, quibus Mariæ regium diadema compactum est? Supra hominem est coronæ hujus rationem exponere, indicare compositionem. Nos tamen pro modulo nostræ exiguitatis, abstinentes a periculoso scrutinio secretorum, non incongrue forsitan duodecim stellas istas, duodecim prærogativas gratiarum intelligere videamur [*alias, valeamus*], quibus Maria singulariter adornatur. Siquidem invenire est in Maria prærogativas cæli, prærogativas carnis, prærogativas cordis: et si fuerit ternarius iste per quaternarium multiplicatus, habemus forte stellas duodecim, quibus reginæ nostræ diadema præfulgeat universis. Mihi sane singularis rutilat fulgor; primo quidem, in Mariæ generatione; secundo, in angelica salutatione; tertio, in Spiritus superventione; quarto, in Filii Dei incenarrabili conceptione. Sic et in his quoque sidereum plane irradiat decus, quod virginittatis primiceria, quod siue corruptione secunda, quod sine gravamine grvida, quod sine dolore puerpera. Nihilominus etiam speciali quodam splendore in Maria coruscant mansuetudo pudoris, devotio humilitatis, magnanimitas credulitatis, martyrium cordis. Vestræ quidem sedulitatis erit singula quæque diligentius intueri. Nos interim satis fecisse videbitur, si breviter ea potuerimus demonstrare.

8: Quid ergo sidereum micat in generatione Mariæ? Plane quod ex regibus orta, quod ex semine Abrahæ, quod generosa ex stirpe David. Si id parum videtur, adde quod generationi illi ob singulare privilegium sanctitatis divinitus noscitur esse concessa; quod longe ante eisdem patribus cœlitus repromissa; quod mysticis præfigurata miraculis; quod oraculis prænuntiata prophetiis. Hanc enim sacerdotalis virga, dum sine radice floruit (*Num.* XVII, 8); hanc Gedeonis vellus, dum in medio sicæ areæ maduit (*Judic.* VI, 37, 38); hanc in Ezechielis visione orientalis porta, quæ nulli unquam patuit (*Ezech.* XLIV, 1, 2), præsignabat. Hanc denique præ cæteris Isaias nunc virgam de radice Jesse orituram promittebat (*Isa.* XI, 1); nunc evidentius virginem parituram. Merito signum hoc magnum in cœlo apparuisse scribitur, quod tanto ante de cœlo noscitur fuisse promissum. Dominus ait: *Ipse dabit vobis signum. Ecce virgo concipiet* (*Isa.* VII, 14). Magnum profecto signum dedit, quia et magnus ipse qui dedit. Hujus ergo prærogativæ fulgor quorum non vehementer reverberat aciem oculorum? Jam in eo quod tam reverenter atque officiosissime ab archangelo salutata est, ut jam tunc in regali solio supra omnes cœlestium ordines legionum exaltatam cernere videretur, et paulo minus adoraturus feminam, qui solebat ab hominibus hactenus æquanimiter adorari; excellentissimum nobis Virginis nostræ meritum, et singularis gratia commendatur.

9. Nihilominus fulget etiam novus ille conceptionis modus, ut non in iniquitate, quemadmodum

cæteræ omnes, sed superveniente Spiritu sancto, sola, et de sola sanctificatione Maria conciperet. Nam quod verum Deum et Dei Filium genuit, ut idem ipse Dei atque hominis filius, unus omnino Deus et homo prodiret ex Maria, abyssus est luminis: nec facile dixerim, quod vel angelicus oculus ad hujus fulgoris vehementiam non caliget. De cætero sane et virginitatem carnis et propositum virginittatis, maxime et ipsius quoque propositi novitas evidenter illustrat: quod videlicet in libertate spiritus legis Mosaicæ decreta transcendens, illibatam Deo corporis simul et spiritus sanctimoniam vovit. Probat enim propositi inviolabile fundamentum, quod tam constanter promittenti filium angelo respondit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* (*Luc.* I, 34.) Forte enim propterea primo turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio, quod benedictam sese audisset in mulieribus, quæ nimirum benedici in virginibus semper optabat. Et tunc quidem cogitabat qualis esset ista salutatio [*alias, benedictio*], quod jam videretur esse suspecta. Ubi vero in promissione filii manifestum virginittatis periculum videbatur, non potuit ultra dissimulare quin diceret: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Merito proinde et illam meruit benedictionem, et hanc non amisit; ut longe gloriosior fiat et virginittas ex secunditate, et ex virginittate secunditas, ac mutuis sese radiis illustrare hæc duo sidera videantur. Magnum enim est virginem esse; sed virginem matrem esse, longe amplius per omnem modum. Jure etiam illud molestissimum tædium, quo reliquæ omnes gravidæ mulieres laborare noscuntur, sola non sensit, quæ sola sine libidinosa voluptate concepit. Unde et in ipso suæ conceptionis initio, quando potissimum cæteræ mulieres miserabilibus affliguntur, Maria tota alacritate montana conscendit, ut Elisabeth ministraret. Sed et ascendit Bethlehem, imminente jam partu, portans pretiosissimum illud depositum, portans onus leve, portans a quo portabatur. Sic et in partu quam lucidum est quod nova exultatione novam edidit prolem, sola inter mulieres a communi maledicto et dolore parturientium aliena. Si rerum pretia de raritate pensamus, nihil his potest rarius inveniri. Siquidem in omnibus istis nec primam similem visa est, nec habere sequentem. E quibus nos, si ea fideliter intuemur, sine dubio admirationem concipimus, sed venerationem, sed devotionem, sed consolationem.

10. Cæterum quæ restant adhuc, et imitationem requirunt. Non est nobis ante ortum tam multifarie multisque modis promitti divinitus, cœlitus prænuntiari: sed nec ab archangelo Gabriele tam novæ salutationis obsequiis honorari. Minus autem cætera duo communicat nobis: plane secretum suum sibi. Sola enim est, de qua dicitur: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est* (*Matth.* I, 20): sola cui dicitur: *Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* I, 35). Offerantur regi virgi-

res, sed post eam : nam primatum sola vindicat sibi. Multo magis autem sola sine corruptione concepit, sine gravamine tulit, sine dolore filium parturivit. Itaque nihil horum a nobis exigitur; sed exigitur plane nonnihil. Nunquid enim, si defuerit nobis etiam mansuetudo pudoris, si humilitas cordis, si magnanimitas fidei, si compassio mentis, negligentiam nostram munerum singularitas excusabit? Gratissima sane gemma in diademate, micans in capite stella, rubor in facie hominis verecundi. An vero quis putat, quod hæc caruerit gratia, quæ gratia plena fuit? Pudibunda fuit Maria : ex Evangelio id probamus. Ubi enim aliquando loquax, ubi præsumptiosa fuisse videtur? Foris stabat quærens loqui filio (*Math. xii, 46*), nec materna auctoritate aut sermonem interrupit, aut habitationem irrupit, in qua Filius loquebatur. In omni denique textu quatuor Evangeliorum, si bene intexamus, nonnisi quater Maria loquax auditur. Primo quidem ad angelum, sed cum jam semel atque iterum allocutus eam fuisset : secundo, ad Elisabeth, quando vox salutationis ejus Joannem exultare fecit in utero, et ea magnificante Mariam, ipsa magis Dominum magnificare curavit (*Luc. i, 34-35*) : tertio, ad Filium, cum jam esset annorum duodecim, quod ipsa et pater ejus dolentes quæsisissent eum (*Luc. ii, 48*) : quarto, in nuptiis ad Filium et ministros (*Joan. ii, 3, 5*). Et is quidem sermo certissimus index idgenitæ mansuetudinis, et virginalis verecundiæ fuit. Aliorum quippe verecundiam suam reputans, sustinere non potuit, non potuit vini dissimulare defectum. Ubi sane increpata est a Filio, tanquam mitis et humilis corde, nec illi respondit, nec tamen desperavit, ministros adinonens facere quod diceret eis.

11. Nunquid non ab initio venisse pastores, et primam omnium Mariam invenisse leguntur? *Invenierunt*, ait evangelista, *Mariam et Joseph, et infantem positum in præsepio* (*Luc. ii, 16*). Sic et magi quoque, si recolis, non sine Maria matre ejus puerum invenerunt (*Math. ii, 11*), et inducens in templum Domini templi Dominum, multa quidem a Simone audivit tam de eo, quam de se ipsa (*Luc. ii, 34, 35*), ad loquendum tarda, velox ad audiendum. Et quidem *Maria conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo* (*Luc. ii, 51*) : sed in his omnibus neque de ipso incarnationis Dominicæ sacramento quodcumque verbum fecisse reperies. Væ nobis, qui spiritum habemus in naribus! Væ qui totum profecerimus spiritum, qui, juxta illud comici, pleni rimarum effluimus undique (*Terent. in Eunuchis, I, ii, 25*). Toties denique Maria filium audivit, non modo turbis loquentem in parabolis, sed et discipulis scorsum regni Dei mysteria revelantem, vidit miracula facientem, vidit deinde in cruce pendentem, vidit expirantem, vidit resurgentem, vidit ascendentem : sed in his omnibus quoties verecundissimæ virginis, quoties pudicissimæ turturis vox memoratur audita? Denique legis in Actibus apostolorum, quod sedeutes a monte Oliveti unanimiter perseverabant

A in oratione. Qui? si forte Maria adfuit, nominetur prima, quæ supra omnes est, tam Filii prærogativa, quam suæ privilegio sanctitatis. *Petrus et Andreas, ait, Jacobus et Joannes, et cæteri qui sequuntur. Hi omnes perseverabant unanimiter cum mulieribus, et Maria matre Jesu.* Itane et mulieram sese ultimam exhibebat, ut novissima omnium **1011** poneretur? Vere carnales adhuc discipuli, quibus necdum Spiritus erat datus, quia Jesus necdum fuerat glorificatus (*Joan. vii, 39*), quando facta est inter illos contentio de primatu (*Luc. xxi, 24*); cum Maria, quanto major erat, humiliaret se non modo in omnibus, sed et præ omnibus. Merito facta est novissima prima, quæ, cum prima esset omnium, sese novissimam faciebat. Merito facta est omnium domina, quæ se omnium exhibebat ancillam. Merito denique super angelos exaltata est, quæ et infra viduas et pœnitentes, infra eam de qua ejecta fuerant septem demonia, ineffabili sese mansuetudine inclinabat. Obsecro vos, filii, æmulamini hanc virtutem, si Mariam diligitis; si contenditis ei placere, æmulamini modestiam ejus. Nihil enim tam idoneum homini, nihil tam congruum Christiano, maximeque monachum nihil adeo decet.

12. Et quidem manifesta satis in Virgine ex hæc ipsa mansuetudine virtus humilitatis elucet. Nimirum collectanæ sunt humilitas et mansuetudo, in eo confederatæ germanius, qui dicebat : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Math. xi, 29*). Sicut enim mater præsumptionis elatio, sic mansuetudo vera nonnisi ex vera humilitate procedit. Nec in sola tamen Mariæ taciturnitate commendatur humilitas, sed evidentiùs resonat in sermone. Audierat : *Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei* : et nihil aliud quam ancillam ejus se esse respondit. Inde ventum est ad Elisabeth, et continuo Virginis gloria singularis eidem per Spiritum revelatur. Denique et mirabatur personam venientis, dicens : *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Commendabat et vocem salutantis, adjiciens, *Ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo* : et beatificabat fidem credentis : *Beata*, inquit, *quæ credidisti, quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi a Domino.* Magna quidem præcœuia : sed et devota humilitas nihil sibi passa relinere, in eum magis universa refudit, cujus in se beneficia laudabantur. Tu, inquit, magnificas matrem Domini : sed *magnificat anima mea Dominum.* In voce mea filium perhibes exsultasse in gaudio : sed *exsultavit spiritus meus in Deo salutari meo*; et ipse quoque, tanquam amicus sponsi, gaudio gaudet ad vocem sponsi. Beatam esse dicis quæ credidisset; sed credulitatis et beatitudinis causa respectus est supernæ pietatis, ut ex hoc magis *beatam me dicant omnes generationes* (*Luc. i, 35-48*), quia ancillam humilem et exiguum respexit Deus.

13. Verumtamen nunquid putamus, fratres, Elisabeth sanctam in eo, quod per Spiritum utique la-

quebatur, errasse. Absit! Beata plane quam respexit Deus, et beata quæ credidit. Hic enim magnus divinx respectiois exiit fructus. Ineffabili siquidem artificio Spiritus supervenientis tantæ humilitati magnanimitas tanta in secretario virginei cordis accessit, ut, quemadmodum de integritate et fecunditate prædiximus, hæc quoque nihilominus sicut stellæ ex respectu mutuo clariore, quod videlicet nec humilitas tanta minuit magnanimitatem, nec magnanimitas tanta humilitatem: sed cum in sua æstimatione tam humilis esset, nihilominus et in promissionis credulitate magnanimis, ut quæ nihil aliud quam exiguam sese reputabat ancillam, ad incomprehensibile hoc mysterium, ad admirabile commercium, ad inscrutabile sacramentum nullatenus se dubitaret electam, et veram Dei et hominis genitricem crederet mox futuram. Agit hoc nimirum in cordibus electorum gratiæ prærogativa divinx, ut eos nec humilitas pusillanimes faciat, nec magnanimitas arrogantes; magis autem cooperentur sibi, ut non solum nulla ex magnanimitate subintret elatio, sed hinc maxime provehatur humilitas: ut inveniantur eo amplius timorati, et largitori munera non ingrati; ac vicissim ex occasione humilitatis pusillanimitas nulla subrepat: sed quæ minus de sua quisque vel in minimis præsumere consuevit, eo amplius **1012** etiam in magnis quibusque de divina virtute confidat.

14. Martyrium sane Virginis (quam nimirum inter stellas diadematis ejus, si meministis, duodecimam nominavimus) tam in Simeonis prophetia, quam in ipsa Dominicæ passionis historia commendatur. *Positum est hic*, ait sanctus senex de parvulo Jesu, *in signum cui contradicetur: et tuam ipsius animam*, ad Mariam autem dicebat, *pertransibit gladius* (Luc. 11, 34, 35). Vere tuam, o beata mater, animam gladius pertransivit. Alioquin non nisi eam pertransiens, carnei Filii tui penetraret. Et quidem posteaquam emisit spiritum tuus ille Jesus (omnium quidem, sed specialiter tuus), ipsius plane non attigit animam crudelis lancea, quæ ipsius (nec mortuo parcens, cui nocere non posset) aperuit latus, sed tuam utique animam pertransivit. Ipsius nimirum anima jam ibi non erat; sed tua plane inde nequibat avelli. Tuam

A ergo pertransivit animam vis doloris, ut plus quam martyrem non immerito prædicemus, in qua nimirum corporeæ sensum passionis excesserit compassionis effectus.

15. An non tibi plus quam gladius fuit sermo ille, revera pertransiens animam, et pertingens usque ad divisionem animæ et spiritus: *Mulier, ecce filius tuus*? (Joan. xix, 26.) O commutationem! Joannes tibi pro Jesu traditur, servus pro Domino, discipulus pro magistro; filius Zebedæi pro Filio Dei, homo purus pro Deo vero! Quomodo non tuam affectuosissimam animam pertransiret hæc auditio, quando et nostra, licet saxea, licet ferrea pectora sola recordatio scindit? Non miremini, fratres, quod Maria martyr in anima fuisse dicatur. Micitur, qui non meminerit se audisse Paulum inter maxima gentium crimina memorantem, quod sine affectione fuisset (Rom. 1, 31). Longe id fuit a Mariæ visceribus, longe id sit etiam a servulis ejus. Sed forte quis dicat: Nunquid non eum præscierat moriturum? Et indubitanter. Nunquid non sperabat continuo resurrecturum? Et fidenter. Super hæc doluit crucifixum? Et vehementer. Alioquin quisnam tu, frater, aut unde tibi hæc sapientia, ut mireris plus Mariam compatiens, quam Mariæ filium patientem? Ille etiam mori corpore potuit, ista commori corde non potuit? Fecit illud charitas, qua majorem nemo habuit; fecit et hoc charitas, cui post illam similis altera non fuit. Jam te, mater misericordiæ, per ipsum sincerissimæ tuæ mentis affectum, tuis jacens provoluta pedibus luna (67*), mediaticem sibi apud solem justitiæ constitutam devotis supplicationibus interpellat: ut in lumine tuo videat lumen, et solis gratiam tuo mercatur obtentu, quam vere amavit præ omnibus, et ornavit, stola gloriæ induens, et coronam pulchritudinis ponens in capite tuo. Plebs es gratiarum, plena rore cælesti, innixa super dilectum, deliciis affluens. Ciba hodie pauperes tuos, Domina; ipsi quoque catelli de micis edant, nec puero Abraham tantum, sed et camelis potum tribuas de superfluenti hydria tua (Gen. xxiv, 15-20): quia tu vere puella es prælecta et præparata Altissimi Filio, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

IN NATIVITATE B. V. MARIE

SERMO.

De aquæductu.

1. Fecundæ Virginis amplectitur cælum præsentiam, terra memoriam veneratur. Sic nimirum totius boni illi exhibitio, hic recordatio invenitur; ibi salietas, hic tenuis quedam libatio primitiarum; ibi res, et hic nomen. *Domine*, inquit, *nomen tuum in æternum, et memoriale tuum in generationem et ge-*

D *nerationem* (Psal. c1, 13). *Generatio et generatio, non angelorum profecto, sed hominum est. Vis scire quia nomen et memoriale ejus in nobis est, præsentia in excelso? Sic orabitur, inquit: Pater noster qui es in cælis, 1013 sanctificetur nomen tuum* (Matth. vi, 9). *Fidelis oratio, ejus ipsa pri-*
episcopum Cantuariensem, lib. iv, epistola 41 ad Ernulfum priorem Cantuariensem.

(67*) Id est, *Ecclesia*. Vide supra nn. 3, 5.

(68) De hoc festo vide epistolas 86, 152, 174 et 110. Item de Octavis ejusdem festi lege Anselmum

mordia et divinæ adoptioni, et terrenæ peregrinationis admoneant : ut hoc scientes, quod quando non sumus in cœlo, peregrinamur a Domino, gemamus intra nosmetipsos, adoptionem filiorum expectantes, præsentiam utique Patris. Signanter proinde et de Christo propheta loquitur, dicens : *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus : in umbra ejus vivemus inter gentes* (Thren. iv, 20). Nam inter cœlestes quidem beatitudines non in umbra vivitur, sed potius in splendore. *In splendoribus sanctorum*, inquit, *ex utero ante luciferum genui te* (Psal. cix, 3). Verum id quidem Pater.

2. At mater sane eundem ipsum in splendore non genuit, sed in umbra, non nisi ea tamen, qua obumbravit Altissimus. Merito proinde canit Ecclesia, non illa quidem Ecclesia sanctorum, quæ in excelsis et in splendore est, sed quæ interim peregrinatur in terris : *Sub umbra ejus quem desideraveram sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo* (Cant. ii, 3). Lucem quippe meridianam, ubi pascit sponsus, sibi petierat indicari : sed repressa est, et pro plenitudine luminis umbram, pro satietate interim gustum recepit. Denique non ait : *Sub umbra ejus quam desideraveram*; sed : *Sub umbra ejus quem desideraveram sedi*. Neque enim ipsius expetierat umbram, sed ipsum profecto meridiem, lumen plenum de lumine pleno. *Et fructus ejus*, ait, *dulcis gutturi meo* : ac si dicat, gustui meo. Usquequo non parcis mihi, nec dimittis me, ut glutiam salivam meam? Quousque manet illa sententia : *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus*? (Psal. xxxiii, 9.) Et quidem suavis gustui, et dulcis gutturi, ut merito etiam super hoc sponsa proruperit in vocem gratiarum actionis et laudis.

3. Sed quando dicitur : *Comedite, amici, et bibite; et inebriamini, charissimi*? (Cant. v, 1.) *Justi epulentur*, ait Propheta, sed *in conspectu Dei* (Psal. lxxvii, 4), utique non in umbra. Et de se ipso : *Satiabor*, ait, *cum apparuerit gloria tua* (Psal. xvi, 15). Sed et Dominus ad apostolos ait : *Vos estis qui permansistis mecum in temptationibus meis; et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam* (Luc. xxii, 28-30). Sed ubi? *In regno meo*, inquit. Beatus plane qui manducabit panem in regno Dei. Sanctificetur itaque nomen tuum, per quod utcumque interim in nobis es, Domine, per fidem in cordibus habitans, quoniam nomen tuum jam invocatum est super nos. Adveniat regnum tuum. Veniat utique quod perfectum est, et evacuetur quod est ex parte. *Habetis*, ait Apostolus, *fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam* (Rom. vi, 22). Vita æterna, fons indeficiens, qui universam irrigat superficiem paradisi. Nec modo irrigat, sed inebriat, fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano : et fluminis impetus lætificat civitatem Dei. Quis vero fons vitæ, nisi Christus Dominus? *Cum Christus*, inquit, *apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (Coloss. iii, 4). Sane ipsa scæ plenitudo exinanivit, ut fieret nobis justitia,

A et sanctificatio, et remissio; necdum apparens vita, aut gloria, aut beatitudo. Derivatus est fons usque ad nos, in plateis derivatæ sunt aquæ, licet non bibat alienus ex eis (Prov. v, 16, 17). Descendit per aquæductum vena illa cœlestis, non tamen fontis exhibens copiam, sed stillicidia gratiæ arentibus cordibus nostris infundens, aliis quidem plus, aliis minus. Plenus equidem aquæductus, ut accipiant cæteri de plenitudine, sed non plenitudinem ipsam.

4. Advertistis jam, ni fallor, quem velim dicere aquæductum, qui plenitudinem fontis ipsius de corde Patris excipiens, nobis edidit illum, si non prout est, saltem prout capere poteramus. Nostis enim cui dictum sit : *Ave, gratia plena*. An vero inveniri potuisse miramur, unde talis ac tantus fieret aquæductus, cujus nimirum summitas, instar profecto scalæ illius quam vidit patriarcha Jacob, cœlos tangeret (Gen. xxviii, 12), imo et transcenderet cœlos, et vividissimum istum aquarum, quæ super cœlos sunt, posset attingere fontem? Mirabatur et Salomon, et velut desperanti similis aiebat : *Mulierem fortem quis inveniet?* (Prov. xxxi, 10.) Nimirum propterea tanto tempore humano generi fluenta gratiæ defuerunt, **1014** quod necdum intercederet is, de quo loquimur, tam desiderabilis aquæductus. Nec mirabere diutius expectatum, si recordaris, quot annis Noe, vir justus, in arcæ fabrica laboravit, in qua paucæ, id est octo animæ, salvæ factæ sunt, idque satis ad modicum tempus.

5. Sed quomodo noster hic aquæductus fontem illum attingit tam sublimem? Quomodo putas, nisi vehementia desiderii, nisi fervore devotionis, nisi puritate orationis? sicut scriptum est : *Oratio justî penetrat cœlos* (Eccli. xxxv, 21). Et quis justus, si non Maria justa, de qua sol justitiæ ortus est nobis? Quomodo ergo illa inaccessam attingit majestatem, nisi pulsando, petendo, quærendo? Denique et quod quærebat invenit, cui dictum est : *Invenisti gratiam apud Deum* (Luc. i, 30). Quid? plena est gratia, et gratiam adhuc invenit? Digna prorsus invenire quod quærit, cui propria non sufficit plenitudo, nec suo potest esse contenta bono; sed, quem admodum scriptum est : *Qui bibit me, adhuc sitiet* (Eccli. xxiv, 29); petit superfluentiam ad salutem universitatis. *Spiritus sanctus*, ait, *superveniet in te* (Luc. i, 35), et pretiosum illud balsamum tanta tibi copia, tantaque plenitudine influet, ut copiosissime effluat circumquaque. Ita est : jam sentimus, jam exhilarantur facies nostræ in oleo. Jam clamamus : *Oleum effusum nomen tuum*, et memoriale tuum in generationem et generationem. Verum id quidem non in vanum : et si oleum effunditur, sed non perit. Propterea siquidem et adolescentulæ, parvulæ scilicet animæ, sponsum diligunt (Cant. i, 2), idque non parum; et unguentum descendens de capite, non modo barba, sed et ipsa vestimenti ora suscepit.

6. Intuere, o homo, consilium Dei, agnosce consilium sapientiæ, consilium pietatis. Cœlesti rore

aream rigaturus, totum vellus prius infudit (*Jud. vi, 37-40*) : redempturus humanum genus, pretium universum contulit in Mariam. Utquid hoc? Forte ut excusaretur Eva per filiam, et querela viri adversus feminam deinceps sopiretur. Ne dixeris ultra, o Adam : *Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vetito (Gen. iii, 12)*; dic potius : *Mulier quam dedisti mihi, me cibavit fructu benedicto. Piissimum sane consilium ; sed latet forsitan aliud, nec totum hoc est. Verum id quidem, sed parum est, ni fallor, desiderii vestris. Dulcedo lactis est; elicietur forte, si fortius premimus, et pinguedo butyri. Alius ergo intueamini, quanto devotionis affectu a nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria : ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare, quæ ascendit deliciis affluens. Hortus plane deliciarum, quem non modo afflaverit veniens, sed et perflaverit superveniens auster ille divinus, ut undique fluant et effluant aromata ejus, charismata scilicet gratiarum. Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum : ubi dies? Tolle Mariam, hanc maris stellam, maris utique magni et spatiosi : quid nisi caligo involvens, et umbra mortis, ac densissimæ tenebræ relinquuntur?*

7. Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam hanc veneremur; quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. Hæc, inquam, voluntas ejus est, sed pro nobis. In omnibus siquidem et per omnia providens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem. Ad Patrem verebaris accedere, solo auditu territus, ad folia fugiebas; Jesum tibi dedit mediatorem. Quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat? Exaudietur utique pro reverentia sua : Pater enim diligit Filium. An vero trepidas et ad ipsum? Frater tuus est et caro tua, tentatus per omnia absque peccato, ut misericors fieret. Hunc tibi fratrem Maria dedit. Sed forsitan et in ipso majestatem vereare divinam, quod licet factus sit homo, manserit tamen Deus. Advocatum habere vis et ad ipsum? Ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria, non modo pura ab omni contaminatione, sed et pura singularitate naturæ. Nec dubius dixerim, **1015** exaudietur et ipsa pro reverentia sua. Exaudiet utique Matrem Filius, et exaudiet Filium Pater. Filioli, hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. Quid enim? potestne Filius aut repellere, aut sustinere repulsam; non audire, aut non audiri Filius potest? Neutrum plane. *Invenisti, ait angelus, gratiam apud Deum. Feliciter. Semper hæc inveniet gratiam, et sola est gratia qua egemus. Prudens Virgo non sapientiam, sicut Salomon, non divitias, non honores, non potentiam, sed gratiam requirebat. Nimirum sola est gratia, qua salvamur.*

8. Quid nos alia concupiscimus, fratres? Quæra-

mus gratiam, et per Mariam quæramus; quia quod quærit, invenit, et frustrari non potest. Quæramus gratiam, sed gratiam apud Deum : nam apud homines gratia fallax. Quærant alii meritum, nos invenire gratiam studeamus. Quid enim? num gratiæ est quod hic sumus? Profecto misericordiæ Domini est, quod non sumus consumpti nos. Qui nos? Nos parjuri, nos adulteri, nos homicidæ, nos raptores, purgamenta utique mundi hujus. Consultite conscientias vestras, fratres, et videte, quia ubi abundavit delictum, superabundat et gratia. Maria non prætendit meritum, sed gratiam quærit. Denique usque adeo fudit gratiæ, et non altum sapit, ut salutationem angelicam vereatur. *Maria, inquit, cogitabat qualis esset ista salutatio (Luc. i, 29)*. Nimirum sese salutatione angelica reputabat indignam. Et forsitan talia meditabatur : Unde hoc mihi, ut veniat angelus Domini mei ad me? Ne timeas, Maria, ne mireris angelum venientem : et major angelo venit. Ne mireris angelum Domini : et Dominus angeli tecum. Postremo, quidni videas angelum, cum jam angelice vias? quidni visitet angelus vitæ sociam? quidni salutet civem sanctorum, et domesticam Dei? Angelica plane vita virginitas : et qui non nubent, neque nubentur, erunt sicut angeli Dei.

9. Videsne quod et hoc nihilominus modo aqueductus noster ascendit ad fontem; nec sola jam oratione cælos penetrat, sed etiam incorruptione, quæ proximum Deo facit, sicut Sapiens ait? (*Sap. vi, 20.*) Erat enim virgo sancta corpore et spiritu, cui specialiter esset dicere : *Conversatio nostra in cælis est (Philipp. iii, 20)*. Sancta, inquam, corpore et spiritu, ne quid forsitan super hoc dubites aqueductu. Sublimis equidem valde, sed nihilominus integerrimus manet. Hortus conclusus, fons signatus, templum Domini, sacrarium Spiritus sancti. Nec enim est fatua virgo, cui non modo oleum est, sed olei plenitudo in vase recondita. Ascensiones in corde suo disposuit, conversatione pariter, sicuti jam diximus, et oratione ascendens. Denique abiit in montana cum festinatione, et salutavit Elisabeth, et in ministerio ejus erat quasi mensibus tribus, ut jam tunc posset dicere matri mater, quod tanto post alio dixit Filius : *Sine modo; sic enim decet nos implere omnem justitiam (Matth. iii, 15)*. Plane montana conscendens, cujus justitia sicut montes Dei. Tertius enim hic ascensus Virginis fuit, ut funiculus triplex difficile rumperetur. Fervebat siquidem in quærenda gratia charitas, splendebat in carne virginitas, humilitas in obsequio eminebat. Etenim si omnis qui se humiliat exaltabitur, quid hac humilitate sublimius? Venisse eam mirabatur Elisabeth, et dicebat : *Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? (Luc. i, 43)*. Sed jam magis miretur, quod instar utique Filii et ipsa non ministrari venerit, sed ministrare. Merito proinde cantor ille divinus in ipsius admiratione præcinnens, aiebat : *Quæ est ista quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum*

acies ordinata? (*Cant.* vi, 9.) Ascendit plane supra humanum genus, ascendit usque ad angelos, sed et ipsos quoque transcendit, et cœlestem omnem supergreditur creaturam. Nimirum supra angelos hauriat necesse est, quam refundat hominibus aquam vivam.

10. *Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Vere sancta corpore et spiritu, et integritate: carnis habens, et propositum integritatis. Respondens autem angelus, dixit: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* i, 34, 35). Ne me interrogaveris, inquit; supra me est, et non potero ad illud. *Spiritus sanctus, non angelicus, superveniet* **1016** *in te; et virtus Altissimi obumbrabit tibi, non ego. Ne steteris vel intra angelos, Virgo sancta; sublimius aliquid tuo sibi ministerio propinandum terra sitiens præstolatur. Paululum cum pertransieris eos, invenies quem diligit anima tua. Paululum, inquam, non quia non incomparabiliter supereminet, sed quod inter eum et ipsos medium nihil invenias. Transi ergo virtutes et dominationes, cherubin quoque et seraphin, ut ad eum pervenias, de quo vociferantur ad invicem: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth* (*Isai.* vi, 3). *Quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc.* i, 35). Fons sapientiæ, Verbum Patris in excelsis. Hoc Verbum mediante te caro fiet: ut qui dicit: *Ego in Patre, et Pater in me* (*Joan.* xiv, 10); dicat nihilominus, quia *ego a Deo processi et veni* (*Joan.* viii, 42). *In principio, inquit, erat Verbum. Jam scateo fons; sed interim tantum in semetipso. Denique et Verbum erat apud Deum* (*Joan.* i, 1), lucem profecto habitans inaccessibilem; et dicebat Dominus ab initio: *Ego cogito cogitationes pacis, et non afflictionis* (*Jerem.* xxix, 11). Sed penes te est cogitatio tua, et quid cogites, nos nescimus. Quis enim cognoverat sensum Domini? aut quis consiliarius ejus erat? Descendit itaque cogitatio pacis in opus pacis: Verbum caro factum est, et habitat jam in nobis. Habitat plane per fidem in cordibus nostris, habitat in memoria nostra, habitat in cogitatione, et usque ad ipsam descendit imaginationem. Quid enim prius cogitaret homo de Deo, nisi forsitan idolum corde fabricaret?

11. Incomprehensibilis erat et inaccessibleis, invisibilis et inexcogitabilis omnino. Nunc vero comprehendi voluit, videri voluit, cogitari voluit. Quoniam modo, inquis? Nimirum jacens in præsepio, in virginali gremio cubans, in monte prædicans, in oratione pernoctans, aut in cruce pendens, in morte pallens, liber inter mortuos, et in inferno imperans, seu etiam tertia die resurgens, et apostolis loca clavorum victoriæ signa demonstrans, novissime coram eis cœli secreta conscendens. Quid horum non vere, non pie, non sancte cogitatur? Quidquid horum cogito, Deum cogito. et per omnia ipse est Deus meus. Hæc ego meditari dixi sapientiam, et prudentiam judicavi eructare memoriam suavitatis, quam in hujusmodi nucleis virga sacer-

dotalis copiose produxit; quam in supernis hauriens, uberius nobis Maria refudit. In supernis plane, et ultra angelos, quæ Verbum ex ipso Patris corde suscepit, ut scriptum est: *Dies diei eructat verbum* (*Psal.* xviii, 3). Utique dies Pater: siquidem dies ex die Salutare Dei (*Psal.* xcvi, 2). An non etiam Virgo dies? Et præclara. Rutilans plane dies, quæ procedit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol.

12. Intuere igitur quemadmodum usque ad angelos plenitudine gratiæ, supra angelos superveniente Spiritu sancto pervenit. Est in angelis charitas, est puritas, est humilitas. Quid horum non enituit in Maria? Sed ostensum est superius, ut quidem a nobis ostendi potuit: supereminentiam prosequamur. Cui enim angelorum aliquando dictum est: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei?* Denique Veritas de terra orta est, non de angelica creatura: nec angelos, sed semen Abrahæ apprehendit. Magnum est angelo ut minister sit Domini; sed Maria sublimius quiddam meruit, ut sit mater. Fecunditas itaque Virginis supereminens gloria est, tantoque excellentior angelis facta munere singulari, quanto differentius præ ministris nomen matris accepit. Hanc invenit gratiam plena jam gratia, ut charitate fervida, virginitate integra, humilitate devota, fieret nihilominus sine viri cognitione gravida, sine muliebri dolore puerpera. Parum est: quod ex ea natum est, Sanctum vocatur, et est Filius Dei.

13. De reliquo, fratres, curandum nobis summo-pere est, ne Verbum, quod de ore Patris ad nos egressum **1017** est Virgine mediante, vacuum revertatur: sed per eandem nihilominus Virginem gratiam pro gratia referamus. Eructemus memoriam, donec præsentiam suspiramus, et suæ redantur origini fluente gratiæ, ut uberius fluant. Alioquin nisi ad fontem redeant, exsiccantur, et infideles in modico, quod maximum est accipere non meremur. Modicum plane memoria ad præsentiam, modicum ad id quod cupimus, magnum ad id quod meremur: longe infra desiderium, sed nihilominus supra meritum. Sapienter proinde sponsa et pro hoc modico non modice gratulatur [*alias, gloriatur*]. Cum enim dixisset: *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie* (*Cant.* i, 6); recipiens exigua pro immensis, et pro pastu meridiano libans sacrificium vespertinum, minime tamen, ut solet fieri, murmurat aut tristatur, sed gratias agit, et in omnibus sese exhibet devotioem. Novit enim quod si fidelis fuerit in umbra memoriæ, lucem præsentæ sine dubio obtinebit. Itaque, qui reminiscimini Domini, ne taceatis, et ne detis silentium. Nimirum qui præsentem habent Dominum, exhortatione non indigent: et quod ait Propheta alius: *Lauda, Jerusalem, Dominum; lauda Deum tuum, Sion* (*Psal.* cxlvii, 4), congratulationis est potius, quam commotionis. Qui in fide ambulant, egent admonitione ne taceant.

et ne dederint silentium ei. Loquitur enim, et loquitur pacem in plebem suam, et super sanctos suos, et in eos qui convertentur ad eor. Cæteram cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris (*Psal. xvii, 26*): et audientem sese audiet, et loquenti sibi loquetur. Alioquin silentium ei dedisti si taceas. Sed unde si taceas? A laude. *Ne taceatis*, inquit, *et ne detis silentium ei, donec stabiliat, et donec ponat Jerusalem laudem in terra* (*Isai. lxxii, 6, 7*). Laus Jerusalem, jucunda et decora laudatio. Nisi forte angelos cives Jerusalem mutuis opinamur laudibus delectari, et decipere de vanitate in idipsum.

14. Fiat voluntas tua, Pater, sicut in cælo et in terra, ut laus Jerusalem stabiliat in terra. Quid enim modo est? Non quærit angelus ab angelo gloriam in Jerusalem, et homo ab homine laudari cupit in terra? Exsecranda perversitas! sed eorum sit, qui ignorantiam Dei habent, qui oblitii sunt Domini Dei sui. Vos qui reminiscimini Domini, ne taceatis a hude ejus, donec stabiliat et perficiatur in terra. Est enim silentium irreprehensibile, imò et laudabile magis. Est et sermo non bonus. Alioquin non diceret propheta, *bonum esse homini præstolari cum silentio Salutare Dei* (*Thren. iii, 26*). Bonum silentium a jactantia, bonum a blasphemia, bonum a murmure et detractone. Alius enim ob laboris magnitudinem et pondus diei exasperatus, animo murmurat; et dijudicat eos qui pro anima sua pervigilant, tanquam reddituri utique rationem. Clamor est, sed supra omne silentium clamor iste animi obdurati silere facit, quam audiri non patitur, vocem verbi. Alius pusillanimitate spiritus in expectatione deficit: pessimumque hoc verbum blasphemie est, quod nec in hoc sæculo remittitur, nec in futuro. Tertius in magnis ambulat, et in mirabilibus super se, dicens: Manus nostra excelsa; putans se aliquid esse, cum nihil sit. Quid loqueretur huic, qui loquitur pacem? Dicit enim: Quia dives sum, et nullius egeo. Porro Veritatis sententia est: *Væ vobis divitibus, quia habetis hic consolationem vestram* (*Luc. vi, 24*). Contra vero: *Beati, inquit, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth. v, 5*). Sileat ergo in nobis lingua maledica, lingua blasphemia, lingua magniloqua; quoniam bonum est in hoc triplici silentio Salutare Domini præstolari, ut dicas: *Loquere, Domine, quia audit servus tuus* (*I Reg. iii, 10*). Ejusmodi quippe voces non ad eum sunt, sed adversus eum, sicut legislator murmurantibus ait: *Non enim contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum* (*Exod. xvi, 8*).

15. Ita tamen ab his taceas, ne omnino taceas, ne dederis silentium ei. Loquere illi contra jactantiam in confessione, ut obtineas veniam de præteritis. Loquere in gratiarum actione contra murmurationem, **1018** ut ampliorem invenias gratiam in præsentibus. Loquere in oratione contra diffidentiam, ut consequaris et gloriam in futuro. Confiteri, inquam, præterita, et pro præsentibus gratias age, ac

A deinceps ora studiosius pro futuris: ut ne ipse quidem sileat a remissione, ab immisatione, a promissione. Ne taceas, inquam, et ne dederis silentium ei. Loquere, ut et ipse loquatur, et dicere possis: *Dilectus meus mihi, et ego illi* (*Cant. ii, 16*). Jucunda vox, et eloquium dulce. Nimirum non vox murmuris hæc, sed vox turturis est. Et ne dixeris: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* (*Psal. cxxvi, 4*.) Non jam aliena reputabitur, de qua sponsus ait: *Vox turturis audita est in terra nostra*. Audierat enim dicentem: *Capite nobis vulpes parvulas* (*Cant. ii, 12, 13*): et forte ex eo in vocem exsultationis erupit, ut diceret: *Dilectus meus mihi, et ego illi*. Plane vox turturis, quæ tam viventi, quam mortuo, singulari utique castimonia, suo compari perseverat, ut eam neque mors, neque vita a Christi separet charitate. Intuere etenim, utrumnam aliquid hunc dilectum avertere potuerit a dilecta, quominus ei et peccanti, et aversæ perseveraret. Glomeratæ nubes radios offundere contendebant, ut iniquitates nostræ separarent inter nos et Deum: sed incaluit [alias, invaluit] sol, et universa dissolvit. Alioquin quando reliisses ad eum, nisi ille tibi perseverasset, nisi clamasset: *Revertere, revertere, Sunamitis; revertere, revertere, ut intueamur te?* (*Cant. vi, 12*.) Esto ergo illi et tu nihilominus perseverans, ut nullis ab eo flagellis aut laboribus avertaris.

16. Luctare cum angelo, ne succumbas; quia regnum cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. An non lucta, *dilectus meus mihi, et ego illi?* (*Matth. xi, 12*.) Notam fecit dilectionem suam; experiatur et tuam. In multis enim tentat te Dominus Deus tuus. Declinat sæpius, avertit faciem, sed non in ira. Probationis istud est, non reprobationis. Sustinuit te dilectus; sustine tu dilectum, sustine Dominum, viriliter age. Non illam vivere peccata tua; te quoque ipsius flagella non superent, et obtinebis benedictionem. Sed quando? Cum aurora fuerit, cum aspiraverit jam dies, cum stabilierit Jerusalem laudem in terra. Ecce, inquit, *vir luctabatur cum Jacob usque mane* (*Gen. xxxii, 24*). Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia speravi in te, Domine. Non tacebo, nec dabo tibi silentium usque mane; nitiam nec jejunium. Nimirum dignaris et pasci, sed inter lilia. *Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia*. Nimirum et supra, si meministi, in eodem Cantico evidenter expressum est, quod florum apparitio turturis comitetur auditum. Sed attende, quod locum, non cibum indicare videtur; nec quibus pascitur exprimit, sed inter quæ. Fortæ enim non cibo, sed consortio pascitur liliorum; nec liliis vescitur, sed versatur. Nimirum odore potius quam sapore lilia placeat; et visui magis sunt apta quam esui.

17. Ita ergo pascitur inter lilia, donec aspiret dies, et venustati florum fructuum succedat ubertas. Interim [alias, ita] quippe florum, non fructuum tempus est, dum in spe magis, quam in re sumus;

et per fidem, non per speciem ambulantes, expectatione magis quam experientia gratulamur. Considera denique floris teneritudinem, et memento verbi, quod ait Apostolus, quia *habemus thesaurum istum in vasis fictilibus* (II Cor. iv, 7). Quanta enim videtur imminere pericula floribus! Quam facile spinarum aculeis liliū perforatur! Merito proinde canit dilectus: *Sicut liliū inter spinas, sic amica mea inter filias* (Cant. ii, 2). An non erat liliū inter spinas, qui dicebat: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus?* (Psal. cxix, 7.) Cæterum etsi justus germinat sicut liliū, sed non ad liliū sponsus pascitur, nec in singularitate complacet sibi. Audi denique inter lilia commemorantem. *Ubi, inquit, duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (Matth. xviii, 2). Amat semper media Jesus, diverticula semper et reclinatoria reprobatur Filius hominis, Dei et hominum mediator. *Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia.* Curemus habere lilia, **1019** fratres, extirpare spinas et tribulos, et inserere lilia festinemus: si quando forte et ad nos pasceus dignetur dilectus descendere.

18. Apud Mariam utique pascebatur, idque copiosius pro multitudine liliorum. An non lilia virgi-

nitatis decus, humilitatis insigne, supereminentia charitatis? Erunt tamen et nobis lilia, quamvis inferiora valde: sed ne inter hæc quidem dedignabitur pasci sponsus; siquidem eas, quas prædiximus, actiones gratiarum devotionis hilaritas illustraverit, orationem intentionis puritas candidaverit, confessionem indulgentia dealbaverit, sicut scriptum est: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabitur; et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt* (Isai. i, 18). Cæterum quidquid illud est, quod offerre paras, Mariæ commendare memento, ut eodem alveo ad largitorem gratiæ gratia redeat quo influit. Neque enim impotens erat Deus, et sine hoc aquæductu infundere gratiam, prout vellet; sed tibi vehiculum voluit providere. Forte enim manus tuæ, aut sanguine plenæ, aut infectæ muneribus, quod non eas ab omni munere excussisti. Ideoque [alias, itaque] modicum istud quod offerre desideras, gratisaimis illis et omni acceptione dignissimis Mariæ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam. Nimirum candidissima quædam lilia sunt: nec causabitur ille liliorum amator inter lilia non inventum, quidquid illud sit quod inter Mariæ manus invenit. Amen.

IN FESTO SANCTI MICHAELIS.

SERMO I.

De angelorum erga nos officiis, et nostra erga ipsos reverentia [alias, de triplici causa, qua pro nobis solliciti sunt angeli].

1. Angelorum hodie memoria celebratur, et exigitis debitum pro tanta solemnitate sermonem. Sed quid de angelicis spiritibus viles loquantur vermiculi? Credimus sane, et indubitata fide tenemus, divina eos præsentia et visione beatos sine fine lætari in bonis Domini, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. Quid ergo de his homo loquatur hominibus, quæ nec ipse quidem cogitare, nec illi saltem audire sufficiant? Profecto si ex abundantia cordis os loquitur, sileat nihilominus lingua necesse est ex inopia cogitationis. Attamen si multum est ad nos loqui de ea claritate et gloria, qua in semetipsis, imo in Deo suo angeli sancti nostri omnino supereminenti cordibus; de ea loquamur, quam nobis exhibent, gratia et charitate. In supernis enim spiritibus non solum admirabilis dignitas, sed et dignatio amabilis invenitur. Dignum est proinde, fratres, ut gloriam non capientes, tanto magis amplectamur misericordiam, qua nimirum constat nihilominus abundare domesticos Dei, cæli cives, principes paradisi. Testatur denique Apostolus ipse, qui raptus usque ad tertium cælum, beatæ illi curiæ meruit interesse, atque ejus nosse secreta, quoniam *omnes administratorii sunt spiritus, missi in ministerium propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis* (Hebr. i, 14).

2. Neque id cuiquam incredibile videatur; quandoquidem ipse quoque Creator et rex angelorum venit, non ministrari, sed ministrare, et animam suam dare pro multis (Matth. xx, 28). Ut quid ergo ministerium illud angelorum quispiam dedignetur, in quo præcedit eos, cui in excelsis tota cum aviditate et felicitate ministrant? Si et hinc dubitas, utique qui vidit, testimonium perhibuit: *Millia, inquit, millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant ei* (Dan. vii, 10). Alius quoque propheta ad Patrem de Filio loquens, ait: *Minuisti eum paulo minus ab angelis* (Psal. viii, 6). Sic plane, sic decet ut vincat et humilitate, qui sublimitate vincebat; sitque tanto minor angelis, quanto inferiori sese ministerio mancipavit: qui tanto excellentior est, quanto differentius præ eis nomen hæreditavit. Sed quæras fortasse, in quo minoratus videatur ab angelis, cum **1020** ministrare venit; quandoquidem, ut supra meminimus, in ministerium mittuntur et illi. In eo utique quod non modo ministravit, sed et ministratus est, eratque unus et idem qui ministrabat, et qui ministrabatur. Merito proinde sponsa in Canticis canticorum: *Ecce, inquit, venit is saliens in montibus, transiliens colles* (Cant. ii, 8). Ministrans enim salit inter angelos: sed et ipsos transiliit ministratus. Ministrant enim angeli, sed de alieno, offerentes Deo bona opera, non sua, sed nostra. ac nobis ejus gratiam referentes. Unde et Scriptura dicens: *Quoniam ascendit fumus aromatum in conspectu Domini de manu angeli, sollicitè præcepit data*

fuisse incensa multa (*Apoc. viii, 4, 5*). Nostros enim sudores, non suos; nostras, non suas lacrymas offerunt Deo: nobis quoque ejus munera referunt, et non sua.

3. Non sic minister ille sublimior cunctis, sed et humilior universis, qui semetipsum obtulit sacrificium laudis, qui Patri offerens animam suam, nobis ministrat usque hodie carnem suam. Illius utique tanti ministri gratia nihil mirum, si dignanter nobis, imo et libenter angeli sancti ministrent. Ipsi enim amant nos, quia nos Christus amavit. Dicitur certe vulgari quodam proverbio: Qui me amat, amat et canem meam. Nos vero, o beati angeli, catelli sumus Domini illius, quem tanto affectu diligitis; catelli, inquam, cupientes saturari de micis, quæ cadunt de mensa dominorum nostrorum, qui estis vos. Et hæc dixerim, fratres, ut ampliorem de cætero erga beatos angelos fiducia habeatis, ac proinde familiarius in omni necessitate vestra eorum introceteris auxilia; sed et dignius in eorum præsentia conversari, et magis ac magis eorum vobis conciliare gratiam, captare benevolentiam, exorare clementiam studeatis. Cujus rei gratia necessarium duco et alias quoque charitati vestræ exponere causas, quæ et ipsæ beatos angelos pro nostra infirmitate reddant sollicitos; absque sua sane anxietate, sed non absque utilitate nostra; nec ad detrimentum felicitatis suæ, sed ad nostræ salutis augmentum.

4. Constat sine dubio, rationis participes et capaces beatitudinis humanas animas angelicæ, si dicere id audeamus, cognatas esse naturæ: nec decet vos, o beati spiritus, contra legis præceptum dedignari, quam visitare debetis, speciem vestram, licet in ultam, ut ipsi cernitis, dejecta sit vilitatem. Sed neque arbitramur vos, superni cives, civitatis vestræ excidio delectari, et ruina murorum, quos semirutos esse ipsi videtis. Cujus instaurationem si desideratis, ut dignum est; frequenter, quæso, ante thronum gloriæ verbum precis iterate, dicentes: *Benigne, fac, Domine, in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Jerusalem (Psal. l, 20)*. Si diligitis decorem domus Dei, imo quia vere diligitis; experiantur zelum vestrum vivi et rationales lapides, qui soli in instaurationem ejus vobis possunt coædificari. Hic est, dilectissimi, funiculus triplex, quo de excelso cælorum habitaculo ad consolandos, ad visitandos, ad adjuvandos nos attrahitur supereminens charitas angelorum, propter Deum, propter nos, propter se ipsos. Propter Deum utique, cujus tanta erga nos misericordix viscera ipsi quoque, ut dignum est, imitantur. Propter nos, in quibus nimirum propriam similitudinem miserantur. Propter se ipsos, quorum ordines instaurandos ex nobis toto desiderio præstolantur. In ore enim parvulorum qui lacte modo vescuntur, et nondum solido cibo, perficienda est laus illa majestatis divinæ, cujus habentes primitias angelici spiritus, beata nimirum delectatione fruuntur: sed tanto avidius nos expectant, quanto consummationis ejus expectatione et petitione sollicitantur.

5. Quæ cum ita sint, pensate, quanta etiam nobis sollicitudine opus est, dilectissimi, ut dignos nos exhibeamus eorum frequentia, et eo modo conversemur in conspectu angelorum, ne forte sanctos offendamus obtutus. Væ enim nobis, si quando provocati peccatis et negligentis nostris, indignos nos judicaverint præsentia et visitatione sua, ut jam necesse habeamus et nos plangere, et dicere cum Propheta: *Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt; et qui juxta me erant, de longe steterunt, et vim faciebant qui quærebant animam meam (Psal. xxxvii, 42, 43)*; elongatis nimirum eis, quorum præsentia protegere nos, et propulsare poterat inimicum. Quod si tam necessariam habemus familiaritatem dignationis angelicæ, cavenda nobis eorum offensa, et in his maxime exercendum, quibus eos novimus oblectari. Sunt enim plurima quæ eis placent, et quæ in nobis invenire delectat: ut est sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, crebri in cælum gemitus, et orationes cum lacrymis, et cordis intentione. Attamen super omnia hæc unitatem et pacem a nobis exigunt angeli pacis. Quidni maxime delectentur in his, quæ formam quamdam civitatis suæ repræsentant in nobis, ut mirentur Jerusalem novam in terra? Dico autem, ut quomodo civitatis illius participatio est in idipsum (*Psal. cxxi, 3*), sic et nos idipsum sentiamus, idipsam dicamus omnes, et non sint in nobis schismata; sed magis omnes simul unum corpus simus in Christo, singuli autem alter alterius membra.

6. E contra vero nihil æque offendit, et ad indignationem provocat eos, quomodo dissensiones et scandala, si forte inveniantur in nobis. Audiamus siquidem, quid loquatur ad Corinthios Paulus. *Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis? (I Cor. iii, 3)* In Epistola quoque Judæ apostoli legimus sic: *Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, Spiritum non habentes (Judæ 19)*. Videre est animam hominis quemadmodum universa corporis membra vivifice cohærentia sibi. Separa ergo quodvis a junctura cæterorum, et vide an de cætero illud vivificet. Sic est omnis qui dicit anathema Jesu (*I Cor. xii, 3*): quod nemo dicit loquens in Spiritu Dei, quia anathema separatio est. Sic est, inquam, omnis qui ab unitate dividitur, nec dubites quin ab eo recesserit spiritus vitæ. Digne igitur contentiosos, et qui separant semetipsos, apostoli carnales vocant et animales, Spiritum non habentes. Dicunt ergo sancti illi et beati spiritus, ubi scandala invenerint et dissensiones: Quid nobis et generationi huic Spiritum non habenti? Nam si adesset Spiritus, per eum utique charitas diffunderetur, et unitas non scinderetur. Et dicunt: Non permanemus cum hominibus istis in æternum, quia caro sunt. Quæ enim conventio luci ad tenebras? Nos de regno unitatis et pacis sumus, et homines istos in eandem unitatem et pacem sperabamus esse venturos. Nunc

autem qua ratione nobis cohæreant, qui dissident a se ipsis? Videtis quam congruat huic solemnitati evangelica lectio, quæ sic deterret nos a scandalo parvulorum, quandoquidem tam vehementer angelis displicent scandala. *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis (Matth. xviii, 6): durum est quod sequitur.* Sed jam præterit hora, ad missas nobis eundum est. Peto ne sit vobis molesta dilatio, quæ poterit non inutilis fore, si capitulum præsens sermone altero diligentius prosequamur.

SERMO II.

In illud, « Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, » etc. (Matth. xviii, 6-9).

1. Audistis, fratres, evangelicam lectionem adversus eos, qui pusillos scandalizant, satis terribiliter intonantem. Nemini blanditur Veritas, neminem palpat, nullum seducit, aperte denuntians quoniam *væ homini illi, per quem scandalum venit. Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille (Matth. xxvi, 24).* Natus sane denuo, natus ad vitam, natus de Spiritu, qui nimirum carne postmodum consummatur. Expediit ei, si quis est, qui scandala suscitavit in hac domo, in hac sancta, Deo placita, et angelis ejus a. modum grata **1022** ac familiari congregatione, ut suspendatur in collo ejus mola asinaria, et pro suavi jugo et levi onere Salvatoris, gravi mole terrenæ cupiditatis humeris ejus imposita, demergatur in profundum maris hujus magni et spatiosi manibus, quod est sine dubio sæculum nequam. Minus enim damnabile erat ei in sæculo magis perire, quam in monasterio. Perire siquidem necesse est hominem, qui charitatem non habet, etiamsi tradiderit corpus suum ita ut ardeat. Et hoc diximus, fratres, non quasi minus bene de vobis sentiam, aut regnare videatur in vobis nequissimum istud vitium; sed ut in ea charitate et unanimitate, et pace in qua statis in Domino, solliciti sitis perseverare, et abundare magis. Quæ est enim spes nostra, et gaudium nostrum, et corona gloriæ? Nonne unitas et unanimitas vestra, in qua gaudeo vos inveniri fraternitatis amatores, et ante omnia mutuum in vobismetipsis charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis? Propter quod obsecro vos, sic state in Domino, charissimi. In hoc enim cognoscunt omnes, etiam angeli sancti, quod Christi estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem.

2. Denique si tenetis memoria, quam vobis præcedenti sermone tradidimus triplicem angelicæ erga nos charitatis et sollicitudinis causam, potest hinc quoque fraternæ dilectionis utilitas magnifice commendari. Facile siquidem considerare est homini, qui non diligit proximum, nullam ex his, quas tunc diximus, suppetere causam. Nunquid enim Christi gratia diligemur ab angelis, si de mutæ dilectionis inopia cognoverint, nequaquam ejus nos esse discipulos? Nunquid diligemur ab eis propter nos ipsos, id est spiritualis naturæ similitudinem [*alias, similitudine*], si invenimur non diligere humanæ naturæ nostræ consortes: imo vero si ex eis quæ

inter nos sunt contentionibus, carnos nos magis, quam spirituales esse constiterit? Denique nunquid diligant nos propter se ipsos, et futuram de nobis civitatis suæ restorationem, si, quod absit! unum illud, quo solo uniri et coedificari eis possumus, defuerit glutinum charitatis? Quomodo sperabunt reedificandos de nobis perpetuos civitatis illius muros, si cognoverint, si videriat nos, non lapides esse vivos, qui possint invicem cohærere; sed magis pulverem, quem projiciat ventus a facie terræ, quem unius verbi flatus in turbinem excitet, et suspiciōnis cujuslibet levissima aura dispergat? Et hæc quidem dixisse sufficit pro eo quod ait Dominus: *Si quis scandalizaverit unum de pusillis istis.* Credo enim quod majori sollicitudine deinceps ab hac tara nequissima peste cavebitis.

3. Jam vero quem non moveat quod sequitur in Evangelio: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum?* Nunquid enim corporalem huic oculum monemur eruere, aut unam ex manibus istis, similiter et unum abscindere pedem? Absit a nobis hujusmodi carnalis omnino, et nimis ridiculosa cogitatio! Imo vero postquam ab exterioribus scandalis deterruit nos sermo divinus asperè sat'is, sicut audistis, consilium dat quid de eo nobis agendum sit scandalo, quod interius patimur, contrariam invenientes legem in membris nostris. Ipse enim novit figmentum nostrum, quod ejusmodi scandalum non tam facile a nobis valeat evitari. Porro tripliciter fieri scandalum istud, quotidianum nobis nosse licet experimento. Interdum enim est in nobis spiritualis intentionis oculus simplex, et qui gratiæ magis quam noster dicendus sit: sed scandalizat nos oculus noster, et qui vere a nobis est, dum voluntas nostra aliam minus castam importune ingerit intentionem. Sed habemus jam super hoc salubre consilium Salvatoris: *Erue eum, inquit, et projice abs te.* Hoc autem fiet, si non consentias, si abjicias si resistas. Simili modo de manu ac pede est intelligendum. Cum enim bonis operibus intentos, ad alia opera trahere voluntas propria conatur, manus nostra est quæ scandalizat nos; sed abscindi debet et projici a nobis, ut non ei consentiamus.

1023 4. Sic etiam proficere in sancta conversatione, et ascendere per gradus scaliæ quæ Jacob apparuit, ac juxta quod ait Psalmista, de virtute in virtutem ire (*Psal. lxxxiii, 8*) desiderantes, sapius scandalum patimur a pede quodam pusillanimitatis et negligentia nostræ, qui nimirum descendere magis ac remissius ire conatur; sed abscindi eum necesse est, ut pes gratiæ, qui stat in directo, currere possit sine offensione, sine scandalo, sine impedimento. Quod autem dicit: *Bonum nobis esse ad vitam intrare cum uno oculo, aut manu, aut pede, quam duos habentes ire in gehennam ignis: eos notat qui voluntatem suam, sive bona, sive mala sit, æque sequuntur, et ingrediuntur duabus viis, nunc bona, nunc mala sectantes, secundum quod variantur desideria sua.* Quibus merito utilius fuerat gratiæ in

omnibus inhærere, et ubi obviat propria voluntas, A abscindere et a se ipsis abjicere eam. Est autem cum multo tempore in abscissione propriæ voluntatis nostræ exercitati aliquatenus eam domamus, ut discat jam non superbire, sed magis sine omni scandalo vel contradictione Deo subjecta sit anima nostra; nec jam abjicere necesse sit oculum nostrum, nempe qui simplici adhærens oculo factus est et ipse simplex, aut certe jam non alter est oculus, sed unus cum eo, Apostolo teste: quoniam qui

adhæret Domino, unus spiritus est cum eo (I Cor. vi, 17). Quod autem de oculo dictum est, de manu quoque et pede eodem modo est intelligendum. Cujus enim voluntas ex affectione et cum desiderio gratiæ cohæret, ut nec concupiscat mala agere, nec bona minora, nec minus bene, quam gratia suggerit; hic plane perfectus est vir. Sed pax ista potius est felicitatis: abscissio vero scandalorum, et tentationum victoria, fortitudo: illa, inquam, gloriæ, hæc virtutis.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

SERMO I.

De lectione evangelica, « Videns Jesus turbas, » etc. (Math. v, 1-12.)

1. Festivitatem hodiernam Sanctorum omnium cum omni devotione dignum est celebrari. Nimirum si magna videtur, et est, beati Petri solemnitas, seu beati Stephani, aut cujuslibet cæterorum; quanta ista est, quæ non unius tantum est, sed universorum? Verum non ignoratis, fratres, sæcularibus id moris esse, ut diebus festis festiva sibi convivia parent: et quanto fuerit solemnitas clarior, tanto splendidius epulentur. Quid ergo? nonne et his qui convertuntur ad cor, cordis deliciæ sunt quærendæ, et spiritualibus spiritualia comparanda? Propterea jam paratum est convivium nostrum, fratres, jam cocta sunt omnia, et epulandi tempus advenit. Dignum est enim ut prius anima satietur, quod hæc portio sine dubitatione, et sine comparatione sit potior: præsertim cum Sanctorum solemnitates manifestum sit ad animas magis, quam ad corpora pertinere; et quæ animarum sunt, animæ plus acceptent, quippe naturali quadam eis cognatione conjunctæ. Quibus propterea quoque sancti isti compatiuntur amplius, propterea magis desiderant animarum bona, et plus earum refectionibus delectantur, quoniam et ipsi similes nobis fuere passibiles; et ipsi peregrinationis hujus et exilii miserabilis deploravere molestias; et ipsi grave hujus corporis onus, et tumultus sæculi, et tentationes experti sunt inimici. Nihil itaque dubium, quin gratior eis sit et multo acceptabilior illa festivitas, qua intenditur epulis animarum, quam sit ea, quæ celebratur a sæcularibus, curam carnis perlicentibus in desideriis voluptatum.

2. Verumtamen unde nobis animarum panis in terra deserta, in loco horrois, et vastæ solitudinis? Unde nobis sub sole spiritualis cibus, ubi nihil est nisi labor et dolor, et afflictio spiritus? Sed scio quis dixerit: *Petite, et accipietis*: et illud: *Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quanto magis Pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se?* (Math. vii, 7, 11; Luc. xi, 9, 13) Nec ignoro, **1024** quam obnixè tota hac nocte et die petieritis mendicantes dari vobis panem de cælo vivum; non eum qui corpus roborat, sed qui confirmat cor hominis. Nam convivas quidem non ausim dicere, sed mendici sumus, in præbenda Dei

B viventes. Mendici, inquam, jacentes ante januam regis prædivitis, ulceribus pleni, et cupientes saturari, imo et sustentari de micis, quæ cadunt de mensa dominorum nostrorum, quorum celebramus hodie solemnitatem. Nempe deliciis affluunt, et mensuram accipiunt bonam, et confortam, et superfluentem. Confidimus autem quoniam erit qui det nobis: chaos enim magnum et distantia est multa nimis inter liberalitatem et benignitatem Dei, et avari divitis crudelitatem. Propterea dedit hodie Pater noster panem: Patrem enim misericordiarum, patrem esse necesse est etiam miserorum; dedit, inquam, nobis panem de cælo, et cibaria in abundantia: quorum utinam ego fidelis coquus, utinam anima mea coquina utilis videatur!

C 3. Siquidem ad præparanda infercula vestra, tota hac nocte concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exarsit ignis: ille sine dubio, quem Dominus Jesus misit in terram, et voluit vehementer accendi (Luc. xii, 49). Nam spiritualem cibum, et coquinam, et ignem habere necesse est spiritualem. Superest jam ut distribuam quæ paravi: vos autem considerate potius dantem Dominum, quam ministrum distribuentem. Ego enim, quantum in me est, nihil aliud sum quam conservus vester, qui vobiscum pariter, et mihi, et vobis, sicut ipse Dominus novit, mendico panem de cælo, et alimoniam vitæ. Propterea non ego do vobis, sed Pater vester ipse est, qui dat vobis panem de cælo vivum: ipse vos pascit, et operibus, et sermonibus, etiam et carne Filii sui, quæ est vere cibus. Nam et de operibus lego: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei* (Joan. iv, 34); et de verbis, quoniam *non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* (Deut. viii, 3); Ergo nunc quidem cibari habemus factis ejus et verbis; post hæc etiam illibatum Dominicæ corporis sacramentum in altaris mensa sacrosancta, ipso propitio, percepturi.

D 4. Legimus in Evangelio hodie, quoniam videns turbas Jesus, ascendit in montem. Prædicantem enim Dominum de civitatibus et castellis populi sequebantur: quorum salvabat animas, sanabat corpora, et adhærebant ei, affatu pariter et aspectu illius delectati: cujus nimirum vox suavis, et facies ejus decora, sicut scriptum est: *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis* (Psal.

XLV, 3). Talis est quem nos sequimur, cui adhæremus; totus desiderabilis, in quem non solum populi, sed et ipsi quoque angeli sancti desiderant prospicere. Quid vobis suavius apponemus? Nimirum hæc sunt delicie angelorum. Gustate proinde, et videte, quoniam suavis est Dominus. Et huic suavitati, huic saponi, huic sapientie, quæ vere trahitur de occultis, omne quod desideratur, non valet comparari. Quid enim? Miraris in sole splendorem, in flore pulchritudinem, in pane saporem, in terra fecunditatem? Sed a Deo hæc universa donata sunt: nec dubium, quin multo amplius reservaverit sibi, quam dederit creaturis.

5. Jam ne hoc quidem otiosum putemus, quod ascendit in montem, nimirum quod tanto ante prædictum est, tanquam a longe clamante propheta: *Super montem excelsum ascende tu qui evangelizas Sion; exalta in fortitudine vocem tuam qui evangelizas Jerusalem (Isai. xl, 9)*. In qua ascensione, si vos melius non habetis, ego illud intelligendum puto, quod initio Actuum apostolorum beatus Lucas meminit, dicens: *Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cæpit Jesus facere, et docere (Act. i, 1)*. Utique non juxta Pharisæorum morem, qui alligabant onera gravia et importabilia, et imponebant ea in humeros hominum, digito autem suo volebant ea movere (*Matth. xxiii, 4*). An non bonus animæ panis est iste, et plurimum confirmans cor hominis? Fiducialiter sequor te, Domine, quocumque ieris, et secure incedo **1025** viam mandatorum tuorum sciens quod per eam præcesseris ipse. Secure, inquam, viam mandatorum tuorum curro, quandoquidem novi quod a summo cælo egressio tua ad currendum hanc viam, et occursum tuum usque ad summum ejus fuerit per hanc viam. Non possum modo, fratres, in hunc modum singula masticare: vos estote animalia munda et ruminantia, ut fiat sicut scriptum est: *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis (Prov. xxi, 20)*. Cogit enim succingere forsitan et præscindere verbum tam brevitatis horæ, quam materiæ magnitudo.

6. *Videns turbas Jesus, ascendit in montem*. Videns mirationis intuitu, quoniam erant sicut oves errantes, non habentes pastorem. Quid est quod priusquam docere inciperet, ascendit in montem, nisi quod in hoc ipso docuit necesse habere prædicatores verbi Dei desiderii animi et conversatione sancta ad sublimia tendere, et virtutum conscendere montem? *Et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Cum sedisset, inquit*. Alioquin quis ad excelsum illum gigantem posset accedere? Benignissime prorsus inclinavit se, et exinanivit usque ad sessionem, ita ut dicat Patri: *Tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam (Psal. cxxxviii, 2)*. Sedit enim, ut ad eum, quem ne ipsi quidem angeli stantem attingere poterant, etiam publicani et peccatores accedant, accedat Maria Magdalene, accedat et Latio de cruce. *Et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus*. Accesserunt non tam incesso

A pedum, quam affectu cordis, et imitatione virtutum. Bene autem non turbæ, non quilibet de populo, sed discipuli accessisse dicuntur: quatenus sicut Testamentum Vetus datum legitur in monte Sina, solo Moyse ascendente, et populo exspectante deorsum (*Exod. xxiv, 12-18*); sic et modo susciperent montes pacem populo, et colles justitiam; et velut in tenebris quibusdam, et in occulto diceretur apostolis quod postea dicerent in lumine, et audirent in aure quod prædicarent postmodum super tecta. Unde et sequitur:

7. *Et aperiens os suum, docebat eos*. Aperuit nunc os suum, qui prophetarum prius aperuerat ora. Hinc est quod legitur in psalmo, Propheta dicente: *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam (Psal. l, 17)*. Nunc autem qui multifarie, multisque modis olim locutus fuerat in prophetis, demum suo ipsius ore locutus est, tanquam si diceret: *Et qui loquebar, ecce adsum (Isa. lxi, 6)*. Beati qui audierunt loquentem in carne Sapientiam: beati qui Verbi Dei verba, quæ ab ipsius ore processerunt, audierunt. Veruntamen quod audierunt illi, adhuc reservatur nobis; quia et nos audire possumus, quamvis non ab ipso. *Aperiens os suum docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu*. Vere apertum est os ejus, in quo omnes thesauri sapientie et scientie sunt reconditi. Et vere ejus hæc doctrina, qui in Apocalypsi loquitur: *Ecce nova facio omnia (Apoc. xxi, 5)*: qui per Prophetam ante prædixerat: *Aperiam os meum, eructabo abscondita a constitutionibus mundi (Psal. lxxvii, 2; Matth. xiii, 35)*. Quid enim tam absconditum, quam pauperitatem esse beatam? Attamen Veritas loquitur, quæ nec falli, nec fallere potest; et ipsa est quæ dicit quoniam *beati pauperes spiritu*. Sic vos, insensati filii Adam, divitias queritis, divitias desideratis usque adhuc: cum jam beatitudo pauperum divinitus commendata, prædicata mundo, credita sit ab hominibus? Querat eas paganus, qui sine Deo vivit; querat Judæus, qui terrenas promissiones accepit: sed qua fronte, magis autem qua mente Christianus divitias querit, postquam Christus beatos esse pauperes prædicavit? Quousque, filii alieni, quousque vanitatem loquetur os vestrum, ut beatum dicatis populum cui hæc sunt, hæc visibilia, hæc præsentia; cum Filius Dei os suum aperiens locutus sit veritatem, beatos esse pauperes, et væ divitibus?

8. Sed diligenter attende, quod non simpliciter pauperes nominat, propter plebeios pauperes necessitate miserabili, non laudabili voluntate. Spero equidem profuturam eis apud divinæ bonitatis misericordiam hanc ipsam afflictionis suæ miseriam: scio tamen **1026** Dominum hoc in loco non de hujusmodi fuisse locutum, sed de his qui possunt dicere cum Propheta: *Voluntarie sacrificabo tibi (Psal. lxxxviii, 8)*. Attamen nec voluntaria quidem paupertas omnis laudem habet apud Deum: nam et philosophi omnia sua reliquisse leguntur, ut expediti mundialibus curis, studio vanitatis possent vacare

liberius; et nolebant censu abundare terreno, ut abundarent magis in sensu suo. Hos discernit quod dictum est, *spiritu*, id est, spirituali voluntate. *Beati ergo pauperes spiritu*, spirituali scilicet intentione, desiderio spirituali, propter solum beneplacitum Dei, et animarum salutem, *quoniam ipsorum est regnum cælorum*. Sed quis est qui sic loquitur, qui sic beatificat pauperes, et sic ditat? Putas, poterit verum esse? Erit sine dubio, siquidem verax et potens est qui promittit. Si murmurat inimicus, respondebitur ei: *An non licet mihi facere quod volo? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? (Matth. xx, 15.)* Si tu jure humiliatus es pro eo quod adversum me exaltare te voluisti; nonne qui se humiliant propter me, merito sunt exaltandi? Et vere, fratres, si miserimus ille e cælo dejectus est, quoniam affectavit celsitudinem, altitudinem concupivit, sublimitatem præsumpsit: nonne consequens est beatos esse, qui sponte in paupertatis humilitatem sese deponunt, et juxta Domini promissionem, *ipsorum est regnum cælorum*, quod perdidit iste? Et attende quam sapienter ordinaverit Sapientia, contra peccatum primum, remedium primum opponens. Ac si apertius dicat: Vis obtinere cælum quod perdidit superbiens angelus, qui confusus est in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum? Paupertatis vilitatem amplectere, et tuum erit. Sequitur:

9. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*. Bene, optime. Sic enim oportebat, commendata paupertate, etiam mansuetudinem prædicari; quoniam relinquendis omnia, prima solet esse tentatio de molestiis corporis, et afflictione carnis insolita. Quid vero paupertas proderit, si, quod absit! pauper in murmurationem deveniat, factus exasperans, et impatiens disciplinæ? Optime quoque post regni promissionem minus aliud regnum velut in arrham datur, ut secundum Scripturam, *promissionem habeamus vitæ ejus quæ nunc est, pariter et futuræ (I Tim. iv, 8)*; et de exhibitione præsentium firma sit expectatio futurorum. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*. Hanc ego terram corpus nostrum intelligo: quod si possidere vult anima, si regnare desiderat super membra sua, necesse est ut sit ipsa mitis, et superiori suo subjecta; quoniam tale inveniet inferius suum, qualem se exhibuerit superiori. Armatur enim creatura ad ulciscendam sui injuriam Creatoris. Et ideo noverit anima, quæ rebellem sibi invenit carnem suam, se quoque minus, quam oporteat, superioribus potestatibus esse subjectam. Mansuescat ipsa, et humilietur sub potenti manu Altissimi; et subjecta sit Deo, et his pariter quibus vice ejus habet obedire prælatis: et continuo corpus suum inveniet obediens et subjectum. Veritas enim est quæ loquitur: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*. Et vide, si non adversus secundi peccati vulnus secunda processerit medicina. Prima siquidem post angelicæ prævaricationis ruinam Eva peccavit, inquietudine spiritus agitata, et interdicti Domini jugum suave, et leve onus abiciens; quoniam

A expectare noluit, ut de manu Domini, unde jam cætera acceperat, perfectionem quoque beatitudinis mereretur, sed præripere illam serpentis consilio attentavit. Propter hoc paradysum perdidit, terram deliciarum: propter hoc in ipso corpore suo contrariam legem invenit. Sed jam fortassis ad hanc Domini vocem desiderio mansuetudinis æstuas, et conquereris super asperitate cordis tui, et belluinis quibusdam motibus atque indomita feritate. Attende ergo quod sequitur:

10. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*. Equum indomitum flagella domant; animam immitem contritio spiritus et assiduitas lacrymarum. Ergo in omnibus operibus tuis memorare novissima tua: **1027** mortis horrorem, judicii tremendum discrimen, ardentis gehennæ metum ab oculis cordis tui elongari nullatenus patiaris. Cogita peregrinationis tuæ miseriam, recogita annos tuos in amaritudine animæ tuæ; cogita vitæ humanæ pericula, cogita fragilitatem propriam: et in hujusmodi cogitatione si perseveraveris, dico tibi, parum senties quidquid foris videtur esse molestum, dum toto corde circa interiorem molestiam occuparis. Sed nec patietur Dominus sine consolatione te esse, quoniam Pater misericordiarum est, et Deus totius consolationis; et complebitur omnino quod Veritas pollicetur: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*. Concordat autem huic sententiæ etiam illud, quod in Salomone legisti: *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivi (Eccl. vii, 3)*. Propterea beata esses, Eva, si post culpam consolationem quæreres lacrymarum, et conversa ad pœnitentiam veniam citius obtineres. Nunc autem miseriam quæsisti consolationem de simili casu viri tui, et veneno pessimo, nequissimo videlicet vitio, totam infecisti posteritatem tuam: ut usque hodie perditionem alterius, alter suam reputet consolationem. Misera prorsus Evæ consolatio, et eorum qui miseriam hanc imitantur! Sed *beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*. Verum quid aliud est hæc consolatio, quam procedens de spe veniæ gratia devotionis, et suavissima delectatio boni, et gustus sapientiæ, licet exiguus, quibus interim benignus Dominus afflictam refrigerat animam? Sed gustus ille nihil aliud est, quam irritamentum desiderii, et incentivum amoris, sicut scriptum est: *Qui edunt me, adhuc esurient; et qui bibunt me, adhuc sitiunt (Eccl. xxiv, 29)*. Propterea illico subinfertur:

11. *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur*. Qui esurit, esuriet amplius, et qui desiderat, abundantius adhuc desideret; quoniam quantumcunque desiderare potuerit, tantum est accepturus. Imo vero non secundum imperfectionem modumve desiderii, quoniam quidem donec perfecte habeat, perfecte desiderare non potest; sed nec et perfecte habere, donec perfecte desideret; sed mensuram accepturus est bonarum, et confertam, et coagitatam, et superfluentem. *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur*.

buntur. Infirmiori palato cordis, et animæ languenti adhuc dura et insipida res videtur esse justitia; sed qui gustaverunt, ecce ipsi sciunt quam beati sunt qui esuriunt illam, *quoniam ipsi saturabuntur.* O vere felix et gloriosa satietas! o sanctum convivium! o desiderabiles epulæ! ubi nimirum anxietas nulla, nullum poterit esse fastidium, quoniam satietas summa, et summum inerit desiderium. *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Jam vero hoc verbum adversus Adam procedere credo, qui portionem quidem aliquam videtur tenuisse justitiæ, in eo quod mulieri compassus est; sed si esurisset justitiam, curasset sine dubio reddere quod debebat, non modo uxori, sed multo magis Creatori. Debebat enim uxori compassionem utique et disciplinam, tanquam inferiori. Caput enim mulieris vir (*Ephes. v, 23*). Debebat autem Deo obedientiam atque subjectionem. Sed quid putamus, fratres, quamplurimi usque hodie factum illud graviter dijudicant, et tamen insipienter imitantur? Indignantur adversus Adam, quod obedierit voci uxoris suæ, plus quam Dei; et ipsi quotidie Evam suam, carnem videlicet, audiunt plus quam Deum. Fratres, si modo præsentem videremus Adam in eo articulo positum, ascendentibus cogitationibus in cor ejus, coartari inter precem uxoris, et præceptum Creatoris; nonne clamaremus adversus illum, dicentes: Cave tibi, miser, vide ne feceris; seducta est mulier, non acquiescas ei? Ut quid ergo, quoties apprehendit nos tentatio similis, non persuademus similiter nobis ipsis? *Beati enim qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Sed quid potest esse omnis justitia nostra coram Deo? Nonne juxta prophetam, *velut pannus menstruatus reputabitur* (*Isai. Lxiv, 6*) et **1028** si districte judicetur, injusta invenietur omnis justitia nostra, et minus habens? Quid ergo de peccatis erit, quando ne ipsa quidem pro se poterit respondere justitia? Propterea obnixè cum Propheta clamantes: *Non intres in judicium cum servo tuo, Domine* (*Psal. cxlii, 2*), tota humilitate ad misericordiam recurramus, quæ sola potest salvare animas nostras, et sollicitè pensemus quod sequitur:

12. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Et attende, quemadmodum Zacchæus breviter uno verbo utrumque complectitur, dicens: *Dimidium bonorum meorum do pauperibus, et si quempiam defraudavi, reddo quadruplum* (*Luc. xix, 8*). Vides quantum esurit iste justitiam, cui non sufficit æqua mensura reddere, nisi reddat quadruplum. Misericordia quoque magna est, quod dimidium bonorum suorum dat pauperibus. Verumtamen non silebo ego quod sentio. Laudem Domini loquetur os meum: Domini plane, non vestram. Neque enim vobis, sed nomini ejus do gloriam. Zacchæus certe, cujus laus est in Evangelio, dimidium bonorum suorum dedit pauperibus; sed ego multos Zacchæos hic video, qui nihil sibi ex omnibus reliquere. Quis mihi scribet hoc Evangelium de Zacchæis istis, imo

A de Petris istis, qui fiducialiter loquantur Domino: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te?* (*Matth. xix, 27.*) Sed scriptum est jam in Evangelio æterno, in libro vitæ scriptum est et signatum: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Jam vero, fratres, Adæ crudelitatem hæc sententia tangit, qui videbatur prius uxoris amore peccasse. Ecce enim scimus, o Adam, quia os de ossibus tuis, et caro de carne tua est, et ejus amore peccasti. Videamus nunc quantum diligas eam. Venit Dominus igneum tenens gladium in ultionem prævaricationis: oppone te discrimini propter illam, et dic: Domine, mulier infamior est, mulier seducta est: mea est iniquitas, meum peccatum, in me solum vindicta procedat. Sed non loquitur sic: *Mulier,* inquit, *quam dediisti mihi, dedit mihi de ligno, et comedi* (*Gen. iii, 12*). O perversitas! Pœnam pro ea suscipere refugis, et culpam admittere non recusasti! Quomodo, proh dolor! omnia confudisti! perniciosus misericors, ubi severus esse debueras; et perniciosus crudelis, ubi misericordiam impedere oportebat? Nam delinquere propter illam nullo modo, satisfacere vero pro ea libenter animo debuisti. Sic enim oportet fieri, fratres, ut nunquam propter alium homo peccet, quod est justitiæ: et libenter aliena peccata portet, quod est misericordix. *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Sequitur:

C **13.** *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Beati plane, et omnino beati, qui videbunt in quem desiderant angeli prospicere, quem videre vita æterna est. Tibi dixit cor meum, *exquisivit te facies mea: faciem tuam, Domine, requiram* (*Psal. xxvi, 8*). *Quid enim mihi est in cælo? et a te quid volui super terram? Defecit caro mea et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum* (*Psal. lxxii, 25, 26*). Quando adimplebis me lætitia cum vultu tuo? Væ nihili ab immanitate cordis mei! qua impediente, necdum mereor ad beatam illam visionem admitti. Quanta sollicitudine, fratres, quanto studio danda est opera, ut mundari possit oculus, quo videndus est Deus? Et ego quidem triplici sorde inquinari me sentio; concupiscentia carnis, et concupiscentia gloriæ temporalis, et præteritorum conscientia delictorum. Sunt enim in anima motus quidam utrorumque desideriorum, quos nec ratione, nec viribus extinguere possum, quoad sum in hoc sæculo nequam, et in corpore mortis teneor alligatus. Attamen contra sordes istas orationis oppono remedium; et propterea sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum; ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur mundum de immundo conceptum semine. Sic et contra peccati conscientiam remedium confessionis est institutum; et omnia in confessione lavantur. Ecce hæc sunt quæ mundant **1029** oculum cordis, oratio et confessio. Porro *beati mundo corde, quo-*

niam: ipsi Deum videbunt. Videbunt quidem in sine facie ad faciem; videbunt etiam nunc, sed per speculum in ænigmate; et nunc cognoscunt ex parte, perfecte postea cognituri. Omnis enim in cujus conscientia clausum adhuc peccatum vivit, aut peccat in spe, et ita sentit de Deo, tanquam si minus ei peccata displiceant; aut peccat in desperatione, immisericordem sentiens Deum. Quorum utriusque merito dicitur: *Existimasti inique, quod ero tui similis (Psal. XLIX, 21)*: quoniam neuter Deum videt, sed mentitur iniquitas sibi, formans sibi idolum pro eo quod non est ipse. Beati vero mundo corde, quoniam ipsi soli Deum vident, soli de eo sentiunt in bonitate: sicut vere bonus est, ita ut nemo bonus sit nisi ipse. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Miseri proinde Adam et Eva, qui conversi in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, dum confessionis mundationem fugiunt, immundo remanente corde, et a facie Domini ejiciuntur. Sequitur:

14. *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Merito filii nomine vocabuntur, qui filii opus impleverint. Ipse enim est, per quem reconciliati pacem habemus ad Deum: ipse qui pacificavit in sanguine suo quæ in cælis sunt, et quæ super terram, mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus. Et attende quemadmodum in tribus quidem prioribus sibi ipsi reconciliatur anima; in duobus quæ sequuntur, proximo; in sexto, Deo; in septimo etiam alios reconciliat, tanquam receptus in gratiam Domini, et felici familiaritate donatus. Nam paupertate, mansuetudine, fletu renovatur in anima similitudo quædam et imago æternitatis omnia tempora complectentis, dum paupertate futura meretur, mansuetudine sibi præsentia vindicat, luctu poenitentis præterita quoque recuperat, sicut scriptum est: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ (Isai. xxxviii, 15)*. Porro justitia et misericordia perfecte proximo cohæremus, dum quidquid nolamus nobis fieri, aliis non faciamus per justitiam; et quæcumque volumus ut faciant nobis homines, et nos faciamus illis per misericordiam. Jam reconciliati nobis, reconciliati etiam proximo, fiducialiter per munditiam cordis reconciliamur Deo. Beati vero, qui de sua reconciliatione non ingrati, et pro fratribus suis pie solliciti, eos quoque, quantum prævalent, et sibi, et Deo reconciliare laborant. Quibus enim laudibus dignum, quanto amplectendum putas affectu fratrem illum, qui sine querela conversans inter fratres, tota sollicitudine cavet, ne quid in eo sit quod ab aliis portari oporteat; et quidquid in aliis est onerosum, patientissime portat? qui singulorum scandala sua reputat; qui cum Apostolo loquitur: *Quis scandalizatur, et ego non uror? quis infirmatur, et ego non infirmor? (II Cor. xi, 29.)* *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Non est enim Deus dissensionis, sed pacis: ideoque filios pacis, Dei quoque filios dignum est appellari.

15. Jam quæ sequitur octava beatitudo, martyrum est prærogativa: cujus nobis tolerantis nec

A tempus videtur esse, nec virtus. Honoratur nunc justitia magis quantum in facie est: aut nulli, aut pauci pro ea sustinent persecutionem. Felices tamen, si qui sunt, quoniam ipsorum est regnum cælorum, ut [aliis, ubi] eos nemo persequatur. Quod si multiplex fuerit tribulatio, tunc quoque multiplicius exsultandum, non inveniuntibus quæ videntur incommoda; sed præmia, quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna. *Beati, inquit, eritis cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et ejecerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me. Gaudete in illa die, et exsultate: ecce enim merces vestra copiosa est in cælis, copiosior longe quam sit labor in terris.* Verumtamen quid sibi vult, quod eadem promissio facta est pauperibus et martyribus, nisi quia vere martyrii genus paupertas voluntaria est? *Beatus vir, ait Propheta, qui post aurum non abiit nec speravit in thesauris pecunie. Quis est hic, et laudabimus eum?*

1030 *Fecit enim mirabilia in vita sua (Eccli. xxxi, 8, 9)*. Quid mirabilius, aut quod martyrium gravius est, quam inter epulas esurire, inter vestes multas et pretiosas algere, paupertate premi inter divitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster ipse appetitus? Au non merito coronabitur qui sic certaverit, mundum abiciens promittentem, irridens inimicum tentantem, et, quod gloriosius est, de semetipso triumphans, et crucifigens concupiscentiam prurientem? Denique propterea pauperibus pariter et martyribus regnum cælorum promittitur, quia paupertate quidem emittitur, sed in passione pro Christo absque omni dilatione percipitur.

SERMO II.

De statu sanctorum ante resurrectionem.

1. Quia Sanctorum omnium festivam hodie, dilectissimi, omnique dignissimam devotione memoriam celebramus, operæ pretium puto de communi eorum felicitate, in qua beata jam requie perfuuntur, et futura quam præstolantur consummatione, adjuvante Spiritu sancto sermonem facere charitati vestræ, ita sane, ut non opinionis propriæ conjecturas, sed divinorum librorum sequar auctoritatem; ne prophetare videar de corde meo, sed innotar, quoad potero, testimoniis Scripturarum. Erit enim, præstante Domino, triplex sermonis hujus utilitas, quatenus agnita, vel ex parte aliqua, felici retributione sanctorum, abundantiori deinceps sollicitudine ipsorum inhærere vestigiis, ac ferventiori desiderio ad eorum suspirare consortia, propensiori quoque devotione eorundem nos commendare patrociniis studeamus. Fidelis quippe sermo, et omni acceptione dignus, ut quos solemniter veneratione prosequimur, etiam simili conversatione sequamur: quos beatissimos prædicamus, ad eorum beatitudinem tota aviditate curramus: quorum delectamur præconiis, sublevemur eorum patrociniis. Nec sane parum fructuosa invenitur

memoria festiva sanctorum, languorem, teporem, erroremque depellens : cum eorum intercessione juvetur infirmitas nostra, consideratione beatitudinis excitetur negligentia nostra, ignorantia quoque nostra ipsorum erudiat exemplis. Propterea cum perfecte eruditos vos ad imitanda sanctorum vestigia, hodierna sancti Evāgelii lectione, et ipsius Domini sermone non dubitem, erecta nimirum ante oculos vestros scala, per quam universus, quem hodie veneramus, sanctorum chorus ascendit; nec ignorem implorandis eorum suffragiis totum paulo minus noctis et diei hujus religiosa devotione tempus expensum : jam de eorum felicitate loqui vel exiguum aliquid attentabo, quod donaverit ipse, qui eos et magnificat jam et glorificat, quos vocavit prius atque justificavit.

2. Legimus in Propheta : *Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi; quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu (Psal. cxiv, 7, 8); et in alio psalmo : Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium (Psal. cxxiii, 7).* Multa quoque similia in divinarum reperisse mihi videor serie Scripturarum verba hominum, qui liberatos se esse non sine multa admiratione letantur, verba perfectæ securitatis et felicitatis immensæ, vocem gratiarum actionis et lætitiæ, quam pro meo sapere his qui luteas adhuc domos inhabitant, et in sudore vultus sui comedunt panem suum, omnino non arbitror convenire. Quis enim eorum gloriabitur castum se habere cor? quis audeat gloriari contritum esse laqueum, liberatos pedes suos a lapsu, reclamante nimirum Apostolo, et dicente : *Qui stat, videat ne cadat? (I Cor. x, 12.)* Unde et de semetipso : *Infelix, inquit, ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? (Rom. vii, 24.)* Et alio in loco : *Fratres, inquit, ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ retro sunt oblitus, et in ea quæ ante me sunt extensus, sequor ad palmam (Philipp. iii, 13, 14), etc.* **1031** Itemque : *Ego, ait, sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aerem verberans : sed castigo corpus meum et servituti subijcio, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar (I Cor. ix, 26, 27).* Hæc plane tuba militiæ est, hæc verba ducis strenui fortiter dicantis. Nam superiora quidem videntur potius triumphantis, aut certe necdum quidem triumphantis, sed cum victoria jam redeuntis de prælio, et futuram magni triumphi diem læta ac secure conscientia præstolantis.

3. Quid enim loquitur reversus de prælio fortis miles, servus fidelis? *Convertere jam, inquit, anima mea, in requiem tuam.* Dum enim in corpore mortis Domino militares, nulla requies erat, tum pro labore certaminis, tum pro periculo exitus adhuc incerti. Hinc excitabat tumultus tentationum, inde succumbendi metus gravior sollicitabat. Habebat tamen, fratres, etiam tunc gloriam miles Christi, licet requiem non haberet. Ait siquidem strenuus

A ille et fortissimus miles, cujus et paulo ante fecimus mentionem : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ (II Cor. i, 12).* Quod conscientiæ testimonium non sic intelligendum puto, tanquam ipsa sibi conscientia attestetur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat (*II Cor. x, 18*). Est ergo testimonium conscientiæ, in quo gloriatur Apostolus, non quod perhibeat conscientia, sed quod loquitur Spiritus veritatis in ipsa, testimonium perhibens spiritui nostro, quod filii Dei sumus (*Rom. vii, 16*). Est enim testimonium conscientiæ non perhibentis, sed percipientis. Cum enim veritas applaudit, cum justitia attestatur, Dei sine dubio commendantis vox est, et Spiritus sancti testimonium perhibentis, ac si decertanti viriliter militi rex suus, pro cujus amore et honore decertat, prope assistens lætus applaudit, laudet fortia facta, proximam clamitet esse victoriam, parata jam præmia, et coronam polliceatur æternam. In quo testimonio gloriatur quidem probatus et strenuus miles; minime tamen quiescit, sed tanto acrius virilisque decertat. Itaque dum adhuc militant, gaudent utique electi Dei, sed tantum de primitiis Spiritus, qui et infirmitatem eorum adjuvat virtute sua, et pusillanimitatem sua consolatur attestatione. Unde et is, de quo loquebamur, Apostolus : *Non est, inquit, regnum Dei esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto (Rom. xiv, 17).*

C 4. Jam vero consummato militiæ tempore gaudium habent sancti etiam in spiritu suo, donec adveniat dies illa, qua introire mereantur in gaudium Domini sui, gaudium habituri et in ipso corpore suo. Sic enim habemus in Psalmo : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine; dedisti lætitiā in corde meo.* Unde? Plane ex his quæ sequuntur : *A fructu frumenti, vini et olei sui (Psal. iv, 7, 8).* Audivit enim ejusmodi anima vocem dicentis : *Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus (Prov. xxxi, 31).* Unde et Joannes scribere jubetur in Apocalypsi, quoniam beati mortui qui in Domino moriuntur. Quare beati? *A modo enim jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis (Apoc. xiv, 13).* Unde et in ipso de quo paulo ante loquebamur psalmo, eis quæ supra posuimus verbis adjunctum est : *In pace in idipsum dormiam et requiescam (Psal. iv, 9).* Et de operibus habemus in Apocalypsi : *Opera enim illorum sequuntur illos (Apoc. xiv, 13).* Ad quid vero sequuntur, nisi ut laudent eos in portis? Ad quid sequuntur, nisi ut multiplicentur a fructu eorum, et accipientes de fructu manuum suarum, saginentur vituli, quos ex prophetico testimonio, cum reædificabuntur muri Jerusalem, super altare Domini novimus imponendos? (*Psal. l, 20, 21*). Interim quippe sub altari eos esse, et non supra, ipse nos doceat, cujus testimonium credibile factum est nimis, qui, ut scribit in Apocalypsi, sub altari ipso eorum etiam voces

audivit (*Apoc.* vi, 9, 10). Adhuc ergo signatum (69) A cum 1032 vultu suo. Interim, inquam, convertantur animæ illæ in requiem suam, donec veniat dies, qua introire mereantur in requiem Domini. Adhuc laudant eas in portis opera sua, donec ve-

(69) Id est obsignatum, nondum reseratum et manifestatum, uti apparet ex consequentibus, tum ex sermone 4, num. 2, ubi ait animabus beatorum nunc solam conspicuam esse Christi humanitatem, non ipsam divinitatem. Plura ejusmodi loca occurrunt in Bernardo, quibus eorum videtur accedere sententiæ, qui docent animas justorum post hanc vitam, ante generale corporum resurrectionem et extremum iudicium, non admitti ad illam beatitudinem quæ in Dei visione consistit; sed interim versari in quadam felicitate imperfecta, quæ dolorem quidem omnem excluderet, refrigerium, quietem, lucem, gaudium præstaret, nondum tamen earum desiderium expleret. Hoc docuisse ferunt Joannem XXII pontificem, et Parisiensibus theologis idem mandasse docendum. Huic, inquam, opinioni videtur favere Bernardus compluribus locis, quibus hic simul et senel antidotum adhibere non abs re fuerit. Nam, præter verba citata, rursus serm. 3 de Omnibus sanctis, tres facit animarum sanctarum status: primum, in corpore corruptibili; secundum, sine corpore; tertium, in beatitudine consummata: primum, in tabernaculis; secundum, in atriis; tertium, in domo Dei, in quam domum negat eas sine corporibus intraturas. Et serm. 4 dicit animas martyrum esse sub altari, quia solum vident Christi humanitatem; post corporum autem resurrectionem exaltantur esse super altare ad videndum ejus divinitatem. Similis locus est sermone 4 in Dedicatione Ecclesiæ, et alibi.

Porro communis sanctorum Patrum et Ecclesiæ doctorum sententia est, animas piorum corporibus solutas non modo jam cælo receptas esse, et cum Christo regnare, sed simpliciter beatas esse, et Dei conspectu frui. De Augustini circa hæc questionem sententia varie censent. Sunt qui putent illum de loco animarum justarum hæsisse ancipitem, utrum jam in cælo sint an alibi. Lib. de cura pro mortuis gerenda, cap. 3, Euch. cap. 108, lib. xii De Civitate Dei, cap. 9, et alibi, animas justorum collocat in occultis sedibus, in secretis et abditis receptaculis. Tract. 49 in Joannem, inter ea quæ promissa illis, et nondum præstita, numerat vitam æternam cum angelis, et lib. i Retract., cap. 14, dicit merito queri de sanctis hominibus jam defunctis, utrum ipsi saltem dicendi sint jam in illa possessione consistere, in qua sanctos angelos esse non dubitatur. Vide similia apud eundem. Lib. xii de Genesi ad litt., cap. 35. Item in psal. xxxvi: « Post hanc vitam, » inquit, « nondum eris ubi erunt sancti, quibus dicitur: « Venite, benedicti, » etc. Vide epist. 111 ad Fortun.; Tract. 53 et 111 in Joannem; Expos. psal. lxxxv; serm. 1 super psal. xlvi; lib. De spiritu et littera, cap. 21. Quibus locis significat pios non admittendos ad visionem beatificam ante extremum iudicium.

Verum non de loco, sed potius de statu animarum ambigere Augustinum, studiosus ejus lector advertet. Sensit quippe animas sanctorum videre quidem Deum facie ad faciem, sed non ita perfecte quomodo videbunt post resurrectionem; ilque propterea, quod naturalis earum appetitus, quo feruntur erga corpus, ut ei rursus uniantur ipsumque administrent, remoretur eas, quominus tota intentione ferantur in Deum, et proinde nondum pervenerint ad æqualitatem angelorum, qui nullo impedimento retardantur quominus toti ferantur in Deum. Hoc ipsum tamen non ita sensit Augustinus, ut id pro certo haberet. Nam, licet lib. xii de Genesi ad litt. id affirmare videatur, attamen postea, lib. i Retract., cap. 14, significat se adhuc dubitare. Quæ quidem quæstio, an videlicet animæ beatorum ita perfecte Deum nunc

videant, ac post resurrectionem, necdum quidem omnino determinata est, nisi quod concilium Florentinum, cum dicit sanctorum animas perfecta frui felicitate, perfectiori tamen fruituras cum suis corporibus, postquam resurrexerint, videri cuiquam possit ad Augustini sententiam deflectere. Quamvis hoc alii rectius non de intentiori, sed extensiori beatitudine putent esse intelligendum, propter beatitudinem corporis, quæ ad priorem animæ beatitudinem accedet.

Eodem modo verba S. Bernardi intelligenda sunt. Tantum enim negat animas sanctorum tam perfecte nunc videre Deum, quam visuræ sint receptis corporibus. Nam hoc eum sentire probant ista verba serm. 3 de Omnibus sanctis, quibus sic carnem alloquitur: « Animæ sanctæ te desiderant: ipsarum sine te compleri lætitia, perfici gloria, consummari beatitudo non potest. Adeo siquidem viget in iis desiderium hoc naturale, ut necdum tota earum affectio libere pergat in Deum, sed contrahatur quodammodo, et rugam faciat, dum inclinatur desiderio tui. » Et serm. 87 de Divers. : « A perfecta, » inquit, « contemplatione divinitatis quodammodo retardantur, dum adhuc resurrectionem sui corporis in fine sæculi præstolantur. »

Sic Bernardus Augustini sententiam in ea re secutus, quam et sequitur S. Thom. Bonavent. Richard. et Marsil. scribentes in dist. 49, 4 sent. Tametsi S. Thomas sententiam postea mutarit. Nam t. 2, q. 4, art. 5, aperte docet, quod resumpto corpore beatitudo animæ crescit non intensive, sed extensive.

Cæterum de statu animarum sanctarum post hanc vitam, censet primo Bernardus eas esse in cælo, ut clare testatur variis in locis, maxime serm. 4 de Omnibus sanctis, ubi distinguens inter sinum Abrahæ et animarum beatarum, dicit « illum fuisse in tenebris, hunc in luce multa; in inferno illum, istum in cælo. » Secundo, « recepisse jam stolas singulas, sed nondum duplices, » serm. 3 de Omnibus sanctis, ubi explicans stolas utramque, « Stola, » inquit, « prima, ipsa est quam diximus, felicitas et requies animarum: secunda vero, immortalitas et gloria corporum. » Tertio denique, quod etiam fruuntur visione divina, satis aperte suam protulit sententiam variis in locis. Nam lib. De diligendo Deo, circa finem dicit: « Martyres immersos esse immenso pelago æterni luminis, et luminosæ æternitatis. » Et epistola ad fratres de Hibernia dicit: « Animam Malachiæ non jam in fide ambulare, sed in specie regnare. » Et sermone de eodem, dicit: « Eum pari gloria et felicitate regnare cum angelis. » Serm. 3 in die Palmarum, num. 5, serm. 1 Pentecost., serm. 2 de Ascens.; item serm. 6 in Cant. dicit quosdam jam meruisse introduci in Sancta sanctorum, ubi videant faciem stantis, id est claritatem incommutabilis Dei. Similia quædam generaliter de sanctorum animabus testatur serm. 4 et 5 de Omnibus sanctis et de Obitu Humberti, epist. 98, n. 8, rursus epist. 266, et alibi sæpius. Et hæc quidem sententia definita est in concilio Florentino, in quo Patres definiere, « animas purgatas in cælum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum sicuti est. » Cui accessit decretum concilii Tridentini, sess. 25, assentis « sanctis cum Christo regnare, et æterna felicitate in cælo frui. » Vide Bened. Justin. in epist. ad Philipp., cap. 1, § 21, in illa verba, *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum*, ubi observat ex Chrysostomo, Theophylacto et aliis, non vere pro lucro habendam esse mortem, nisi statim justorum animæ ad Dei conspectum evehantur.

niat, cum erit unicuique laus a Deo. Videtis, fratres, quanta est unitas Scripturarum, quam uno sensu et eisdem pene verbis de beatitudinis loquantur animarum.

5. Jam vero nemo ex vobis parvam aliquam requiem, aut lætitiã suspicetur eorum, qui ab omni penitus molestia liberi recogitant annos suos in dulcedine animæ suæ; lætantur pro diebus quibus humiliati sunt, annis quibus viderunt mala; cum jucunda admiratione et mira jucunditate considerant pericula quæ evaserunt, labores quos pertulerunt, certamina quæ vicerunt; et pro his omnibus certa et indubitata fide expectant beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris sui, qui resuscitabit et reformabit corpora eorum, configurata proprii corporis claritati.

6. Quanta est felicitas eorum, quam immensa lætitiã! qui nimirum triplici gaudio, de recordatione transactæ virtutis, de exhibitione præsentis quietis, de certa expectatione futuræ consummationis exsultant. Nam de futura illa consummatione habemus vocem eorum in fine ejus psalmi, de quo superius loquebamur. Dicunt enim singulæ animæ, quibus jam datum est ad hanc requiem pervenire: *In pace in idipsum dormiam et requiescam; quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me.* Singulariter, inquam, in spe, non jam inter spem et metum, ubi prius non sine sollicitudine et anxietate plurima fluctuabam. Sic et de præsentis sanctorum requie habemus in alio psalmo scriptum: *Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.* Bene, inquam, fecit, quamvis necdum optime. Denique audi quam bene: *Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu (Psal. cxiv, 7, 8):* id est a peccato omni et a peccati pœna, a timore quoque et a periculo recidendi penitus liberavit. Hoc est suavissimum animæ stratum, quod nullis jam lavet aut riget lacrymis, quando absterget Deus omnem lacrymam ab oculis ejus. Hoc cubile, in quo jam non compungitur, nec convertitur in ærumna sua, dum configitur spina. Exiit enim de terra illa, quæ spinas ei et tribulos germinabat. Hoc plane stratum animæ, quod minime jam versatur in infirmitate ejus; quoniam universa quæ infirmitatis erant, pariter transierunt. Hæc est, inquam, animæ suavissima et saluberrima requies, conscientia munda, quieta, secunda. Sit ergo beate animæ culcitra conscientiæ suæ puritas, sit capitale tranquillitas, sit oportorium ejus securitas: ut in hoc interitum strato dormiat delectabiliter, feliciter requiescat.

7. Jam vero de recordatione transactæ virtutis habes in psalmo centesimo vicesimo tertio manifeste verba eorum, quæ superius quoque commemoravi. Considerant enim et multa cum admiratione recogitant, a quibus laqueis, quantisque periculis divino meruerint auxilio liberari, et exsultantes in Domino dicunt: *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis,*

A cum exurgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos. Torrentem pertransiit anima nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem; et addunt: Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum (Psal. cxxiii, 4-6). Sed et verba quæ jam tempore suæ resolutionis instante loquebatur Apostolus, de eo in quo nunc feliciter requiescit statu præsumpta, videntur et nunc ei multo melius convenire: nunc enim jam secure loquitur: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: de reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illum diem justus judex (II Tim. iv, 7, 8).* Hæc sunt, dico vobis, fratres, hæc modo sunt uni-

versa sanctorum negotia, hic cibus, hic somnus eorum: et propterea **1033** voluit Spiritus sanctus scribi verba ea quæ protulimus, cæteraque similia, ut ex his aliquatenus innotesceret nobis status eorum.

8. Longe aliter tamen afficiuntur in hujusmodi meditationibus, et multo amplius delectantur, quam nostra aut cogitatio capere, aut explicare queat oratio. Audi enim quomodo laboret propheta inculcans, et multiplicans verba, nec tamen sic digne magnificare valens quod intendit. *Quam magna, inquit, multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! Quid tamen addidit? Perfecisti, inquit, eis qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum (Psal. xxx, 20).* Est ergo multitudo dulcedinis, quæ abscondita est, magna quidem et magna valde, necdum tamen perfecta; quoniam in manifesto perficietur, non in abscondito, quando non sub altari requiescent sancti, sed super thronos tanquam judices residebunt. Ad requiem enim exutæ a corporibus animæ sanctæ protinus admittuntur; ad plenam autem gloriam regni non ita. *Me expectant justii, ait Propheta, cum adhuc detineretur in custodia corporis hujus, donec retribuas mihi (Psal. cxli, 8).* Et vox divina ad animas sanctas corporum suorum resurrectionem flagitantes: *Sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum (Apoc. vi, 11).* Sed jam sermo claudendus est: vocant enim nos missarum adhuc celebranda solemnia. Quod ergo restat adhuc de eadem materia, sermoni alteri reservemus.

SERMO III.

Quomodo animæ sanctæ erunt sine macula et ruga.

1. Advertistis, nisi fallor, ex his quæ præcedente sermone sunt dicta, tres esse sanctorum status animarum: primum videlicet in corpore corruptibili, secundum sine corpore, tertium in corpore jam glorificato. Primum in militia, secundum in requie, tertium in beatitudine consummata; primum denique in tabernaculis, secundum in atriis, tertium in domo Dei. *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!* multo magis tamen atria concupiscibilia, secundum quod addit: *Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini (Psal. lxxxiii, 1, 2).* Sed quoniam in ipsis quoque atriis nonnullus, ut audis, defectus est, beati omnino qui ha-

bitant in domo tua, Domine. Lætatus sum plane A in his quæ dicta sunt mihi, fratres, quoniam in domum Domini ibimus. Quod si quæritis, unde id tam fideiæliter præsumam : inde sine dubio, quod jam multi ex nobis in atriis stent, expectantes donec recipiant corpora sua, donec impleatur numerus fratrum. In istam enim beatissimam domum nec sine nobis intrabunt, nec sine corporibus suis, id est nec sancti sine plebe, nec spiritus sine carne. Neque enim præstari decet integram beatitudinem, donec sit homo integer cui detur; nec perfectione donari Ecclesiam imperfectam. Propterea cum resurrectionem expeterent corporum, sicut priora sermone jam diximus, acceperunt divina responsum, dicens : *Sustinete modicum tempus, donec compleatur numerus fratrum vestrorum* (Apoc. vi, 11). Acceperunt tamen jam singulas stolas; sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur et nos : quomodo de patriarchis et de prophetis ait Apostolus : *Deo melius aliquot providente pro nobis, ut non sine nobis consummarentur* (Hebr. xi, 40). Stola enim prima ipsa est, quam diximus, felicitas et requies animarum : secunda vero immortalitas et gloria corporum. Unde et dicunt : *Vindica, Domine, sanguinem sanctorum tuorum qui effusus est* (Apoc. vi, 10), non tanquam vindictæ cupidi, nec de propria ultionis zelo; sed ex desiderio resurrectionis et glorificationis corporum suorum, quam nimirum usque in diem iudicii differendam esse non dubitant.

2. Sed unde hoc tibi, o misera caro, o fœda, o fetida, unde tibi hoc? Animæ sanctæ, quas propria Deus insignivit imagine, te desiderant; quas redemit proprio sanguine, te expectant; et ipsarum sine te compleri **1034** lætitia, perfici gloria, consummari beatitudo non potest. Adeo siquidem viget in eis desiderium hoc naturale, ut necdum tota earum affectio libere pergat in Deum, sed contrahatur quodam modo, et rugam faciat, dum inclinantur desiderio tui. Unde et beatus Joannes, qui multa nobis de eo statu, in quo feliciter beatæ animæ requiescunt, per Spiritum reseravit : *Sine macula, inquit, sunt ante thronum Dei* (Apoc. xiv, 5). Sine macula, inquam, sed necdum sine ruga; donec veniat dies, cum sibi gloriosam Christus exhibebit Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam. In his namque qui adhuc militant, nec sine macula quidem Ecclesia est; quoniam nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram : quam utique vitam beatus Job militiam esse testatur (Job vii, 1). In his vero qui sub altare Domini requiescunt, jam quidem sine macula est Ecclesia, sicut habes in psalmo : *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur, inquit, sine macula* (Psal. xiv, 1, 2). Hic ergo requiescet in monte Domini, qui ingreditur sine macula : qui vero fuerit sine ruga, exaltabitur supra montem. Sed si vis scire quando erunt sine ruga animæ sanctæ, quando extendentur cœli sicut pellis, quæ

dilatatur penitus. ut nec minima quidem ruga inveniat in ea : tunc sine dubio, quando jam sequentur Agnum quocumque ierit. Vere enim extendi et dilatari necesse est animas, quibus utique sequendus est Agnus. Quo enim vadit? Attingit profecto a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.

3. Vis adhuc nosse quo eat Agnus, et quo necesse habeant beatæ animæ æqui cum? *In omnibus requiem quæsi* (Eccli. xxiv, 11). Hæc est plane requies Domini, non intercesa, non circa aliquid certum restricta; quoniam in omnibus gaudet, in omnibus delectatur, in omnibus requiem quærit, et invenit. Nam et bona ei placent in seipsis, et delectatur nihilominus bona ordinatione malorum. Diligit misericordiam et iudicium : nec modo in bonorum gloria sibi complacet, sed in ipsis quoque, utpote justis, suppliciis impiorum. Quid ergo? putasne, poterit humana anima in hoc gaudium Domini sui, et in hanc ejus requiem intrare, ut et ipsa quoque in omnibus delectetur; nec aliqua jam privata affectione contrahatur in rugam, sed transcat in affectum quemdam generalem atque divinum? Poterit sine dubio, si fidelis inveniat super pauca, quæ accepit militiæ suæ tempore, id est, super artus, super sensus, super appetitus suos, quos suscepit regendos, ut in his probetur, quam fidelis sit Domino suo. Sciat igitur servus Christi vas suum possidere in sanctificatione, glorificet et portet Deum in corpore suo : nec dubium quin fidelem in modico servum supra multa constituat Dominus liberalis et dives. Supra multa plane, quoniam constituet eum dominum domus suæ, et principem omnis possessionis suæ. Neque id vobis incredibile videatur, fratres, tanquam a meipso id loquar : quoniam Veritas ipsa manifeste id pollicetur, cujus de promissione omnino dubitare non licet. *Beatus, ait, servus ille, quem cum venerit Dominus ejus, invenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum* (Matth. xxiv, 46, 47). Tunc enim fidelis servus constituitur super omnia bona Domini sui, cum in gaudium ejus meretur intrare, et cum eo deinceps lætari in universis, in cunctis gaudere, in omnibus delectari. Etenim *qui adheret Deo, Apostolo teste, unus cum eo spiritus efficitur* (I Cor. vi, 17); et voluntas ejus omnino divinæ adherens voluntati fit una cum ea, ut nihil jam, quod contra eam sit, inveniatur in omnibus creaturis; sed universa fiant, vel magis maneant pro ejus arbitrio.

4. Hæc est ergo beata spes, quam expectant animæ sanctæ : et licet in gratiarum actione versentur pro ea felicitate, in qua jam requiescunt; adhuc tamen orant et clamant ad Deum pro ea consummatione, quam præstolantur. Unde quemadmodum sine macula quidem vetustatis, sed non sine ruga contractionis eas diximus esse; sic ad gratiarum actionem jam pervenisse videntur, sed necdum ad vocem laudis; quoniam perfectum **1035** perfectos laudare deceat, ut laudetur cum hæreditate sua, quando jam et ipsi laudabunt eum, et erit unicuique laus a Deo.

Unde et Propheta signanter futuri temporis verbo usus videtur: *Beati, inquit, qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te* (Psal. LXXXIII, 5). Nam et beatus Joannes in Apocalypsi non vocem laudis, sed potius vocem precis audivit. Sic enim habes: *Sub altare Dei audivi voces occisorum. Quas voces? Vindica, Domine, sanguinem sanctorum tuorum qui effusus est* (Apoc. vi, 10). Vox precis, non laudis est ista. Sed quousque a longe circumdamus altare istud; et veremur accedere? Desiderat, nisi fallor, charitas vestra audire sacramentum altaris hujus, et sacrum secretumque nosse mysterium. Sed quis ego sum, qui sanctorum cubiculum facile audeam temerarius perscrutator irrumperere? Quasi vero non legerim scrutatorem majestatis opprimendum a gloria (Prov. xxv, 27). Verum tamen pausemus hic, si placet, hodie si forte pulsanibus nobis aperire dignentur mysterium altaris illius inhabitatrices animæ sanctæ, non nostro merito sane, sed propter eum qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo: agnoscentes et nos inter cives et domesticos Dei, nec tanquam hospites et advenas a secreta illa habitatione censeant propulsandos.

SERMO IV.

De sinu Abrahæ, et altari sub quo sanctorum animas beatus Joannes audivit, et septem panibus, ex quibus totidem sportæ remansisse leguntur.

1. Cum de altari illo cœlesti, sub quo beatus Joannes sanctorum voces audivit (Apoc. vi, 9, 10), sermo incidisset, distulimus, sicut meminisse arbitrator charitatem vestram, ut oratione præmissa securior nobis ad tam sacrum secretumque cubiculum pateret accessus. Tempus est, ut jam dicamus quod de eo nobis sentire datum est, sine præjudicio sane, si cui forte aliter fuerit revelatum. Illud ergo primum movere potest, quid sibi velit, quod beatus Joannes sub altare Dei audisse se perhibet sanctorum voces animarum, cum Salvator in Evangelio de Lazari anima loquens, non sub altare Dei, sed in sinum Abrahæ dicat eam ab angelis deportatam (Luc. xvi, 22). Nam et sanctus Job, ut apparet, nequaquam ad altare Dei ausus est aspirare, cum diceret: *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus, et constituas mihi tempus, in quo recorderis mei?* (Job xiv, 13.) Sed jam venerat tempus, fratres, illud, quod beatus Job postulabat, jam recordandi tempus, jam venerat tempus miserendi, quando sanctorum voces sub altare Dei beatus Joannes audivit. Donec enim veniret desideratus ille, qui sanguine suo deleret chirographum damnationis nostræ, et flammæum extinguens gladium, aperiret credentibus regna cœlorum; nullus omnino cuiquam sanctorum ad ea patebat ac-

(70) Huic sententiæ adversatur Augustinus in lib. xii de Genesi ad litt. cap. 33, num. 63, ubi putat antiquos justos nunquam inferis fuisse detentos, et inferorum appellationem in Scripturis non competere nisi loco pœnarum.

(70^a) Sic Bernardus ipse vocat in lib. v de Con-

cessus: sed providerat eis Dominus in inferno ipso (70) locum quietis et refrigerii, chaos magnum firmans inter sanctas illas animas, et animas impiorum. Quavis enim utraq̃ue in tenebris essent, non utraq̃ue erant in pœnis; sed cruciabantur impii, justi vero consolabantur. Quod autem in tenebris essent, beati Job testimonio didicimus, qui se quoque in locum tenebrosum et opertum mortis caligine perhibebat iturum (Job x, 21). Hunc ergo locum, obscurum quidem, sed quietum, sinum Abrahæ Dominus vocat: pro eo, ut arbitrator, quod in fide et exspectatione quiesceret Salvatoris. Abrahæ enim fides tam manifeste probata est, et approbata, ut primus ipse futura incarnationis Christi meruisset accipere promissionem. In hunc ergo locum **1036** Salvator descendens, contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit, eductosque vinctos de domo carceris, sedentes quidem, hoc est quiescentes, sed in tenebris et umbra mortis, jam tunc quidem sub altare Dei collocavit, abscondens eos in tabernaculo suo in die malorum, et protegens eos in abscondito tabernaculi sui, donec veniat tempus, quo procedant completo jam numero fratrum, et percipiant regnum, quod eis paratum est ab origine mundi. Jam vero sicubi forte presens quoque sanctorum requies Abrahæ sinus vocatur (70^a), certum est de Evangelio hanc inolevisse consuetudinem: licet neminem oporteat dubitare, longe alium hunc sinum esse, quam illum: quippe cum ille in tenebris, hic in luce multa; in inferno ille fuerit, iste in cœlo. Non incongrue tamen etiam nunc dictum videtur patriarcharum filios paternum in sinum recipi, cum ad eorum consortium ab hoc sæculo transire merentur [*alias*, meruerint].

2. Porro altare ipsum, de quo nobis habendus est sermo, ego pro meo sapere nihil aliud arbitrator esse, quam corpus ipsum Domini Salvatoris (71). Credo autem quod et ego super hoc sensum ejus habeam, præsertim cum audiam eum in Evangelio promittentem: *Ubique fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ* (Luc. xvii, 37). Interim ergo sub Christi humanitate feliciter sancti [*alias*, felices animæ] quiescunt, in quam nimirum desiderant etiam angeli ipsi prospicere, donec veniat tempus, quando jam non sub altari collocentur, sed exaltentur super altare. Sed quid dixi? nunquid humanitatis Christi gloriam, non dicam hominum, sed vel angelorum assequi poterit quis, nedum superare? Quoniam igitur modo super altare dixerim exaltandos eos, qui nunc sub altare quiescunt? Visione utique et contemplatione, non prælatione. Ostendet enim nobis Filius, ut pollicitus est, semetipsum (Joan. xiv, 21); non in forma servi, sed in forma Dei. Ostendet etiam nobis Patrem et Spiritum sanctum, sine qua nimirum visione nihil sufficeret nobis; quoniam hæc est consideratione, num. 9.

(71) Hæc Bernardi non absoluta definitio, sed opinio est, ut patet ex num. 1, ubi id dictum vult accipi sine præjudicio sane, si cui forte aliter fuerit revelatum. Lege præfationem ad hunc tomum num. 20 et 21.

vita æterna, ut cognoscamus Patrem verum Deum, et quem misit Jesum Christum (Joan. xvii, 3), et in eis, quod non est dubium, etiam Spiritum utriusque. Transiens quippe ministrabit nobis, novas utique, et usque ad tempus illud nobis penitus inexpertas delicias manifestæ suæ contemplationis. Unde et beatus Joannes in Epistola sua: *Nunc, inquit, filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus*; et addit: *Scimus autem quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est* (I Joan. iii, 2). Audi denique sponsam in Canticis canticorum fiducialiter loquentem, et spe quidem jam super altare locatam. *Lava ejus, haud dubium quæ sponsi, sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me* (Cant. ii, 6). Transcendit enim beata anima Christi incarnationem et humanitatem, quæ nimirum lava ejus jure vocatur; ut divinitatem ejus et majestatem ejus, quam non incongrue dexteram nominat, sublimius contempletur.

3. Tripliciter enim, fratres, in æterna illa et perfecta beatitudine fruemur Deo, videntes eum in omnibus creaturis, habentes eum in nobis ipsis, et (quod his omnibus ineffabiliter jucundius sit atque beatius) ipsam quoque cognoscentes in semetipsa Trinitatem, et gloriam illam sine ullo ænigmate mundo cordis oculo contemplantes. In hoc enim erit vita æterna et perfecta, ut cognoscamus Patrem, et Filium cum sancto Spiritu, et videamus Deum sicuti est: id est, non modo sicut inest nobis videlicet, aut cæteris creaturis, sed sicut est in semetipso. Unde duo illa velut circumjacentia esse videntur quæ prædiximus, et quasi cortex tritici: hæc vero cognitio, summa beatitudinis, tritici medulla, adeps frumenti, quo nimirum civitas sancta Jerusalem satiatur (Psal. cxlvii, 14). Verum quam magna est beatitudo illa, tam abscondita est ab oculis nostris; quoniam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor **1037** hominis ascendit, quanta claritas, quanta suavitas, quanta jucunditas maneat nos in illa cognitione. Pax Dei est illa, quæ exsuperat omnem intellectum; quanto magis omnem sermonem nostrum? Quod ergo nulli datum est experiri, nullus conetur effari. *Mensuram, ait Dominus, plenam, et confertam, et coagitatam, et superfluentem dabunt in sinus vestros* (Luc. vi, 38). Plenam universitate creaturarum, confertam in interiore homine nostro, cogitatam in exteriori, superfluentem in Deo ipso. Ibi cumulus felicitatis, ibi supereminens gloria, ibi superfluens beatitudo.

4. Nam quomodo videndus sit in creaturis, quomodo in nobis habendus, possumus vel ex parte conjicere, ex ipsis nimirum, quas accepimus jam, primitiis spiritus. Cognitio autem illa omnino adhuc nobis incognita est: mirabilis facta est; confortata est, ut non possimus ad eam. At vero quemadmodum in creaturis videndus sit, possumus aliquatenus intelligere, nimirum cum et modo videatur in ipsis: unde et philosophi, Apostolo teste, per ea quæ facta sunt, Dei invisibilia conspexere (Rom. i, 20). Verum

A quantumcunque proficiat quis intelligendo conspicerere, quam potentissime, quam prudentissime, quam benignissime majestas æterna omnia fecerit, cuncta regat, ordinet universa; prorsus modicum ab eo quod est comprehendit. Veniet autem, quando jam, ut in præcedenti sermone diximus, sequemur Agnum quocunque ierit, et in omnibus consequemur creaturis, ut in omnibus gaudeamus, quod est gaudium Domini Dei nostri. Gaudeamus sane in omnibus, sed non aliunde quam de ipso, sicut et ipse non aliis fruitur, sed semetipso.

5. Jam vero quemadmodum in nobis habendus sit, et hoc vel ex parte possumus cogitare. Constat enim animarum triplicem esse naturam. Unde et sapientes mundi hujus animam humanam, rationalem, irascibilem, concupiscibilem esse tradiderunt: quam utique triplicem vim animæ ipsa quoque natura et quotidiana experimenta nos docent. Porro quemadmodum circa rationale nostrum, et scientia, et ignorantia constat, tanquam habitus et privatio: sic et circa concupiscibile, desiderium et contemptus: et circa id quod dicitur irascibile, et lætitia pariter, et ira versatur. Implebit ergo Deus rationale nostrum luce sapientiæ, ita ut penitus nobis nihil desit in ulla scientia. Implebit concupiscibile nostrum fonte justitiæ, ut omnino desideremus eam, et ea penitus repleamur, sicut scriptum est: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (Matth. v, 6). Nulla enim alia res implere potest desiderium animæ, nulla alia præter justitiam beatificare animam potest. Cum ergo repleverit Deus concupiscibile nostrum justitia; quidquid respuere debet anima, respuet; quidquid debet concupiscere, concupiscent: et ex omnibus id magis appetet, quod magis fuerit appetendum. Merito denique concupiscibili nostro justitiam attribuimus, ex quo nimirum aut justus, aut injustus reputamur. Jam vero quod dicitur in nobis irascibile, cum repleverit illud Deus, perfecta erit in nobis tranquillitas, et in summam jucunditatem atque lætitiam replebimur pace divina. Et vide si non etiam in his tribus perfecta, quantum sane ad animam spectat, beatitudo consistit: quando scientia jam non inflabit propter justitiam; jam non contristabit propter lætitiam, ut cesset proverbium illud: *Qui apponit scientiam, apponit et dolorem* (Eccle. i, 18): quando justitia nec indiscreta erit propter scientiam; nec onerosa propter lætitiam: quando lætitia nec inepta [*alias, suspecta*] erit propter scientiam, nec impura propter justitiam.

6. Sed in his omnibus nihil adhuc exterior homo noster accepit. Ipsi ergo, ut inhabitet gloria etiam in terra nostra (Psal. lxxxiv, 10), et juxta alium prophetam repleatur majestate Domini omnis terra (Isai. vi, 3), quatuor sunt querenda, quem nimirum constat ex elementis quatuor esse compactum. Nec mireris quod pluribus indigere videtur qui miserior est, cum et in psalmo legeris, dicente Propheta: *Sitavit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea!* (Psal. lxxii, 2). Habeat ergo terra nostra imact-

talitatem **1038**, ne jam timeat denuo se in pulverem redigendam. Resurgens enim corpus nostrum jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Sed quid proderit, si forte contingat in æternum vivere in miseris et ærumnis passibilitatis hujus, qua nimirum incessanter corruptibile hoc corpus affligitur; et si non semel, utique semper moritur? Habeat certe etiam aliquando omnimodam impassibilitatem. Ab humoribus enim inordinatis causas aiunt procedere passionum. Sed jam desiderat corpus nostrum etiam levitatem, secundum eam nimirum quam habet ex acre portionem, ne vel ipso onere sit molestum. Tanta itaque futura credenda est corporum levitas et agilitas beatorum, ut possint, si velint, absque omni mora seu difficultate ipsam quoque cogitationum nostrarum sequi ad omnia velocitatem. Quid ultra deest ad perfectam corporis beatitudinem? Sola utique pulchritudo. Hanc perfectissimam habituri, non immerito possumus attribuere ei parti, quam habemus ab igne. *Salvatorem enim expectamus*, ut ait Apostolus, *qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ* (*Philipp. III, 20, 21*), exhibens quod pollicitus est, quoniam *fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum* (*Matth. XIII, 43*). Sic ergo replebit animas nostras Deus, cum perfecta in eis scientia fuerit, perfecta justitia, perfecta lætitia. Sic replebitur majestate ejus omnis terra, cum fuerit corpus incorruptibile, impassibile, agile, configuratum denique corpori claritatis suæ. Et vide ne forte isti sint septem panes, quibus quatuor hominum millia Salvator legitur satiasset, e quibus ejusdem numeri sportas plenas apostoli reservandas sustulerunt (*Matth. xv, 32, 38*). Nunc enim reficimur panibus istis, cum jucunda meditatione beatam spem ruminamus: donec veniat, cum jam non de spe, sed de re ipsa et exhibitione gaudentes, quasi plenas sportas recipere pro panibus singulis mereamur.

SERMO V.

1. Festiva nobis est dies, et inter præcipuas solemnitates hodierna solemnitas numeratur. Quid ergo dicimus? cujus apostoli, cujus martyris, cujus sancti? Non unius alicujus singulariter, sed pariter universorum. Omnes siquidem novimus festivitatem Omnium Sanctorum dici, et esse, quam hodie celebramus. Omnium, inquam, sive cælestium, sive terrestrium. Sunt enim sancti de cælo, et sunt sancti de terra: itemque eorum qui de terra sunt, quidam adhuc in terra, alii jam in cælo. Celebratur ergo festivitas omnium horum communiter, sed forsitan non uniformiter. Neque hoc mirum, cum non sit ne ipsa quidem sanctitas omnium uniformis, sed inter sanctos et sanctos distet, idque non parum. Nec modo dico, quia alius alio sanctior (hæc enim quantitatis potius, quam qualitatis distantia est); sed quod non modo magis et minus, verum etiam aliter atque aliter sanctos dici, et vere dici inveniamus. Et forte inter angelos atque homines assignari possit ista diversitas sanctitatis pariter

A et celebritatis. Neque enim tanquam triumphantes honorari posse videntur, qui nunquam pugnasse noscuntur. Aliter tamen honorandi sunt nimis etiam ipsi, tanquam amici tui, Deus, cujus nimirum voluntati semper adhæserunt, tanta utique felicitate, quanta facilitate. Nisi forte in eo pugnasse creduntur, quod peccantibus aliis viriliter perstiterunt, non abeuntes in concilio impiorum, sed singuli quique dicentes: *Mihi autem adherere Deo bonum est* (*Psal. LXXII, 28*). Celebranda ergo in eis gratia præveniens in benedictione dulcedinis; honoranda benignitas Dei, non ad pœnitentiam adducens, sed abducens, ab omnibus, quibus pœnitentia deberetur; non eripiens a tentatione, sed a tentatione conservans.

B 2. Aliud sane in his sanctitatis genus, et proprio modo videbitur honorandum, qui venerunt ex magna tribulatione, et dealbaverunt stolas suas in sanguine **1039** Agni (*Apoc. VII, 14*): qui post multos agones jam nunc triumphant in cælis coronati, quoniam legitime certaverunt. Estne adhuc sanctorum aliquod tertium genus? Est, sed occultum. Sunt enim sancti qui adhuc militant, adhuc pugnant; currunt adhuc, necdum comprehenderunt. Temerarie forsitan hujusmodi videar dicere sanctos; sed tamen novi unum ex his non veritum dicere Deo: *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum* (*Psal. LXXXV, 2*). Sic et Apostolus, divinorum conscius secretorum, evidentius ait: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti* (*Rom. VIII, 28*). Hæc nimirum diversitas appellationis in nomine sanctitatis, ut alii quidem jam secundum consummationem sancti vocentur, alii juxta solam adhuc prædestinationem. Latet ergo hujusmodi sanctitas penes Deum; clausa est, et clausa quodammodo celebratur. Siquidem nescit homo, utrum amorem, an odio dignus sit; sed in futurum omnia reservantur incerta (*Eccle. IX, 1, 2*). Sit ergo istorum celebritas sanctorum in corde Dei; quoniam novit Dominus qui sunt ejus, et ipse scit quos elegerit a principio. Sit etiam apud administratorios illos spiritus, qui mittuntur in ministerium propter eos qui hereditatem capient salutis: nos in vita sua laudare hominem prohibemur. Quomodo namque secunda laudatio, ubi nec ipsa vita secunda? *Non coronabitur nisi qui legitime certaverit*, ait tuba illa cælestis (*I Tim. II, 5*). Et legem certaminis ab ore ipsius legislatoris ausculta: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth. X, 22*). Nescis quis sit perseveraturus, nescis quis sit legitime certaturus, nescis quis coronam sit accepturus.

3. Illorum lauda virtutem, quorum jam certa victoria est; illos devotis extolle præconiis, quorum secure potes adgaudere coronis. Cantavimus sanctis hac nocte, dicentes: *Time Deum, omnes sancti ejus* (*Psal. XXXIII, 10*); sed non istis. Non, inquam, eos qui perseveraverunt usque in finem, timere hortabamur, quia scriptum est: *Jam non erit timor in finibus nostris*. Illis potius dicebamus sanctis,

quibus custodia multiplex necessaria est pro multitudine periculorum. Siquidem non est eis collectatio adversus carnem et sanguinem tantum, sed adversus principatus quoque et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in caelestibus (*Ephes. vi, 12*). Egent plane custodia, qui tam multipliciter, non modo cominus, sed eminus appetuntur. Et ubi tot pugnae foris, non debent intus deesse timores, ut merito his dicatur: *Timeate Dominum, omnes sancti ejus*. Tota interim beatitudo nostra est timere Deum, dicente Scriptura: *Beatus homo qui semper est pavidus (Prov. xxviii, 14)*. Et item Psalmista ait: *Beati omnes qui timeant Dominum, qui ambulat in viis ejus (Psal. cxxvii, 1)*. Cæterum longe aliter beati, in quibus jam perfecta charitas foras misit timorem, nec jam timeant ambulantes in viis, sed laudant potius habitantes in domo, sicut idem ait: *Beati qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te (Psal. lxxxiii, 5)*. Nostra ergo felicitas, nostra interim festivitas, in timore Dei: nam illorum magis in exultatione et laude versatur.

4. Inde est quod secure laudantur homines, qui non sua jam vivunt vita, sed Dei: nam hominum utique vita tentatio est. Est autem gemina quaedam securitas laudis hujus: nisi quod forte videbitur, si diligenter attendimus intra alteram altera comprehendendi. Siquidem non est quod laudare vereamur verissime, certissimeque laudabiles: non est quod glorificare cunctemur sic absorptos in gloria, ut nostra omnino nequeant laudatione moveri. Non enim est quo vanitas intret, ubi veritas jam totum occupavit. Sed quænam, inquires, gloria sanctis? Neque enim singuli sese glorificant, quia scriptum est: *Non te laudet os tuum (Prov. xxvii, 2)*. Non vicissim alter alterum laudat, quia in laudem Conditoris intenti et extenti, in quo nimirum tota eis reposita est beatitudo, mutuis nunquam vacare laudibus possunt, dicente Propheta, sicut supra quoque meminimus: *Beati qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te*. Verumtamen non acquiesco experies gloriae credere sanctos, maxime propter illud quod Apostolus ait: *Quod in presenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitatem æternam gloriae pondus operabitur in nobis (II Cor. iv, 17)*. Et Propheta: *Visita nos in salutari tuo, ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, ut lauderis cum hæreditate tua (Psal. cv, 4, 5)*. Non enim ait: Ut lauderis ab hæreditate tua; sed, *cum hæreditate tua*, ut communis intelligatur futura laudatio. Quod si ipsa laudat hæreditas Patrum; hæreditatem quis laudet, ab Apostolo audiamus. *Tunc, inquit, unicuique laus erit. A quo? A Deo (I Cor. iv, 5)*. Magnus laudator, et vehementer ambfenda laudatio. Felix commutatio laudis, ubi et laudare beatum est, et laudari.

5. Ad quid ergo sanctis laus nostra? ad quid glorificatio nostra? ad quid nostra hæc ipsa solemnitas?

A Quo eis terrenos honores, quos juxta veracem Filii promissionem honorificat Pater caelestis? Quo eis præconia nostra? pleni sunt. Prorsus ita est, dilectissimi, honorum nostrorum sancti non egent, nec quidquam eis nostra devotione præstatur. Plane quod eorum memoriam veneramur, nostra interest, non ipsorum. Vultis scire quantum interest nostra? Ego in me, fateor, ex hac recordatione sentio desiderium vehemens inflammari, et desiderium triplex. Vulgo dicitur: Quod non videt oculus, cor non dolet. Oculus meus, memoria mea; et cogitare de sanctis, quodam modo eos videre est. Sic nempe portio nostra in terra viventium, nec modica sane portio: si tamen, ut decet, memoriam affectio comitetur. Sic, inquam, conversatio nostra in caelis est; verumtamen non sic nostra, sicut illorum. Ipsorum enim substantia ibi est, nostra autem desideria; ipsi per præsentiam, nos per memoriam ibi sumus. Quando et nos addemur ad patres nostros? quando essentialiter præsentabimur eis? Hoc enim primum desiderium, quod in nobis sanctorum memoria vel excitat vel incitat magis, ut eorum tam optabili societate fruamur, et mereamur concives et contubernales esse spirituum beatorum, misceri cœtui patriarcharum, cuneis prophetarum, senatui apostolorum, martyrum exercitibus numerosis, confessorum collegiis, virginum choris; in omnium denique colligi et collædari communionem sanctorum.

6. Singulorum quippe recordationes, quasi scintillæ singulæ, imo quasi ardentissimæ faces, devotos accendunt animos, ut eorum et conspectum sitiunt [*alias, sentiant*] et complexum: adeo ut plerumque etiam inter eos esse se reputent, modo ad omnes simul, modo ad hos vel ad illos tota aviditate et vehementia corda vibrantes. Alioquin quid istud negligentiae, quid pigritiae, imo quid recurdiae est, ut non crebris suspiriis et ferventissima affectione abrumpere hinc, et in illa tam felicia agmina jaculari animos studeamus? Væ nobis a duritia cordis nostri! væ a peccato gentium, quas Apostolus memorat sine affectione fuisse! (*Rom. i, 31*). Præstolatur nos Ecclesia illa primitivorum, et negligimus; desiderant nos sancti, et parvipendimus; expectant nos justii, et dissimulamus. Excitemur aliquando, fratres; rosurgamus cum Christo, quæramus quæ sursum sunt, quæ sursum sunt sapiamus. Desideremus desiderantes nos, properemus ad præstolantes nos, expectantes nos votis præoccupemus animorum. Ecce enim nihil in hac nostra communionem securitatis, nihil perfectionis, nihil quietis: et tamen hic quoque quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum? Quidquid enim, sive interius, sive exterius, molestum occurrit, ipso utique tam germanorum consortio fratrum, cum quibus est nobis cor unum et anima una in Deum, tolerabilius invenitur. Quam dulcior erit, quam delectabilior, quam beatorum unio ubi nulla suspicio esse poterit, nulla dissensionis occasio; ubi omnes perfecta charitas indissolubili foedere colligabit, ut sicut Pater et **104**

Filius unum sunt, sic et nos unum simus in ipsis!

7. Non tantummodo societas, sed etiam felicitas nobis est optanda sanctorum, ut quorum desideramus præsentiam, gloriam quoque ferventissimis studiis ambiamus. Neque enim perniciosa hæc ambitio, aut illius affectatio gloriæ ullatenus periculosa est. Nam quod dicimus: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (Psal. cxiii, 4); hujus temporis vox est, quando et ipsi angeli clamant: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (Luc. ii, 14) *Noli me tangere*, ait: *nondum enim ascendi ad Patrem meum* (Joan. xx, 17). Verbum gloriæ est. Nempe Filius sapiens gloria Patris. *Noli ergo*, ait gloria, *noli me tangere*. Noli interim quærere gloriam, fuge potius: et vide omnino ne me tetigeris, donec perveniamus ad Patrem, ubi sit gloriatio omnis jam segura. Ibi in Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti, et lætentur. Nunquid non videtur audisse dicentem: *Noli me tangere; nondum ascendi ad Patrem meum*, quæ in Cantico clamat: *Fuge, dilecte mi, fuge?* (Cant. viii, 14). Hoc est enim quod supra meminimus: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*. Unde et in hymno hodie nos canimus: « Des pacem famulis, nos quoque gloriam per cuncta tibi sæcula, » juxta angelicam scilicet distributionem.

8. Quia enim tentatio est vita hominis super terram, merito in terra homini, non gloria, sed pax est quærenda: pax cum Deo, pax cum proximo, pax in seipso. *O custos hominum! quare me posuisti contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis?* (Job vii, 20.) Vicina nimirum lucta et intestina scilicet bellum non civile, sed domesticum, spiritus adversus carnem, et caro adversus spiritum concupiscens. Unde hoc, nisi quia posuisti me contrarium tibi? Tu enim vera libertas, tu vita, tu gloria, tu sufficientia, tu beatitudo; ego pauper, et miser, et miserabilis, confusus et humiliatus usquequaque, mortuus propter peccatum, venundatus sub peccato. Denique tu perfecta et sancta voluptas, et requies spirituum beatorum, posuisti me ab initio contra Eden (quod voluptatem sonat) in labore utique et ærumna. Attamen dicis: *Convertimini ad me in toto corde vestro*. Liquet quia sumus aversi, quos ut revertamur hortaris: liquet quia contrarii, quos revocas ut convertamur. Sed quomodo? *In jejuniis*, inquit, *et fletu, et planctu* (Joel. ii, 12). Mira res! Itane in jejuniis tu versaris, et in fletu degis, et in planctu habitas? Procul a te omnia ista: procul ipse ab his vehementer. Nimirum regnum tuum in Jerusalem, quam satias adipe frumenti; nec ibi luctus aut clamor, sed nec ullus dolor, magis autem gratiarum actio, et vox laudis. *Justi*, inquit, *epulentur in conspectu Dei, et delectentur in lætitia et exultatione* (Psal. lxxvii, 3). Quomodo ergo in jejuniis, et fletu, et planctu convertemur ad ipsum? An vero justus cum in lætitia et exultatione; qui vero nondum justus est, nonnisi in jejuniis, et fletu, et

planctu reperiet? Ita plane; sed justus qui jam conspectum meruerit, non qui adhuc vivat ex fide. Nimirum quod ait Dominus: *Cum ipso sum in tribulatione* (Psal. xc, 15), ad eum pertinet qui per fidem ambulat; non autem qui ad faciem jam pervenit. Equidem utrisque est caput unum, sed non uno modo membris omnibus exhibetur. Quibusdam enim ostenditur caput hirsutum spinis, inclinatum in cruce, ut humilietur pariter, pariter et compungantur. Quibusdam gloriosum apparet, ut ab ipso glorificentur, ut in ipso glorientur facta ei similia, quem [alias, quod] vident sicuti est.

9. Hoc ergo secundum desiderium, quod ex sanctorum commemoratione flagrat in nobis, ut sicut illis, sic nobis etiam Christus appareat vita nostra, et nos quoque cum ipso appareamus in gloria. Interim nempe non sicut est, sed sicut pro nobis factum est, caput nostrum nobis representatur non coronatum gloria, sed peccatorum nostrorum circumdatum spinis, dicente Scriptura: *Egredimini, filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua* (Cant. iii, 11). O regem! o diadema! Mater siquidem Synagoga, non matrem sese exhibens, sed novercam, regem nostrum **1042** corona spinica coronavit. Pudeat sectari gloriam membra, quibus caput suum tam inglorium exhibetur, non habens speciem aut decorem, vel aliquid ejusmodi. Nimirum Salomon est, quod interpretatum est *pacificus*, sane quod in præsentem est; non utique beatificus, aut glorificus: ut in omnibus angelicum illud elogium commendatur, quo terris pacem, cœlis gloriam tradiderunt. Pudeat sub spinato capite membrum fieri delicatum, quod omnis ei interim purpura non tam honoris sit, quam irrisionis. Videre est tamen hodie multis in locis, non sine multa ambitione et concessatione, præsentem diem honorari. Honorari an dehonestari dicam? Ipsi viderint qui hæc agunt. Ipsorum est enim hujusmodi celebritas, non sanctorum: quod sibi libet faciunt, non quod sanctis. Erit cum venerit Christus, nec mors ejus ultra annuntiabitur, ut sciamus quoniam ipsi quoque mortui sumus, et cum eo abscondita est vita nostra. Apparebit caput gloriosum, et cum eo membra glorificata fulgebunt, cum videlicet reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum gloriæ capitis, quod est ipse. Hanc ergo gloriam tota et tuta ambitione concupiscamus, ne forte audiamus et nos: *Quia gloriam quæ ab invicem est quæritis, et gloriam quæ a solo Deo est non vultis* (Joan. v, 44).

10. Sane ut eam nobis sperare liceat, et ad tantam beatitudinem aspirare, summopere nobis desideranda sunt suffragia quoque sanctorum, ut quod possibilitas nostra non obtinet, eorum nobis intercessione donetur. Misereamini mei, misereamini mei, saltem vos amici mei (Job xix, 21). Nostis, ipsi periculum nostrum, nostis figmentum nostrum; nostis ignorantiam nostram, et dolus adversariorum; nostis eorum impetus, et nostram

fragilitatem. Vobis enim loquor, qui in eadem tentatione fuistis; qui eosdem superastis conflictus, eosdem laqueos evasistis; qui didicistis ex his quæ passim estis, compassionem. Confido equidem et de angelis, quod nec ipsi suam visitare speciem dedignentur, maxime quia scriptum est: *Visitabis speciem tuam, et non peccabis (Job v, 24)*. Cæterum etsi de eis mihi arbitrator præsumendum ob spiritualis substantiæ et rationalis formæ similitudinem; ampliori tamen fiducia ad eos mihi reor utendum [*alias*, vertendum], quos habere me noverim et in ipsa humanitate consortes, ut oporteat eos familiaris et specialius misereri ossi de ossibus suis, et carni de carne sua.

11. Denique transeuntes ex hoc mundo ad Patrem, sancta nobis pignora reliquerunt. Apud nos siquidem corpora eorum in pace sepulta sunt, quorum nomina vivent in sæculum, id est, quorum nunquam gloria sepelitur. Absit, absit a vobis, animæ sanctæ, Ægyptia illa crudelitas pincernæ Pharaonis, qui in gradum pristinum restitutus, statim oblitus est Joseph sancti, qui in carcere tenebatur (Gen. xl). Non enim erant unius capitis membra, nec aliqua pars fideli cum infideli, aut ulla societas Israelitæ ad Ægyptium, non plus quam luci ad te-

nebras. Interpretatur enim Ægyptus *tenebræ*, Israel vero *Videns Deum*: atque ileo ubicunque Israel erat, lux erat. Non sic noster Jesus crucifixi secum latronis potuit oblivisci: factum est utique quod promissum est; ipsa die qua compassus est, et conregnavit (*Luc. xx*). Nos quoque si non sumus ipsius capitis membra, cujus et sancti, unde eis tam sollempnibus hodie votis, et tanto gratulamur affectu? Cæterum qui dixit: *Si glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra*; hoc quoque nihilominus ait: *Quod si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra (I Cor. xii, 26)*. Hæc igitur nostra et eorum cohærentia est, ut nos congratulemur eis, ipsi compatiantur nobis: nos devota meditatione regnemus in eis, ipsi in nobis, et pro nobis militent pia interventione. Nec est quod de eorum pia erga nos sollicitudine dubitemus, quandoquidem non consummandi sine nobis, sicut supra meminimus, exspectant nos usque dum retribuatur nobis: ut videlicet in novissimo die magno festivitatis omnia simul in virum perfectum cum suo tam excelso capite membra concurrant, et laudetur **1043** cum hæreditate sua Jesus (Christus Dominus noster, qui est super omnia benedictus, et laudabilis, et gloriosus in sæcula. Amen.

IN TRANSITU S. MALACHIE EPISCOPI (72)

SERMO I.

1. De cælo vobis hodie, dilectissimi, copiosa quædam est benedictio destinata: et fideliter cam non distribui, vobis quidem damnosum esset; mihi vero periculosum, cui nimirum hæc dispensatio videtur esse commissa. Timeo itaque damnum vestrum, timeo damnationem meam, si forte dicatur: *Parvuli petierunt panem, et non fuit qui porrigeret illis (Thren. iv, 4)*. Scio enim quam necessaria vobis sit e cælo veniens consolatio, quos constat illecebris carnalibus et oblectamentis sæcularibus viriliter abrenuntiassent. Nemo sane beneficii esse cælestis, et superno dubitet consilio definitum, ut episcopus Malachias hodie inter vos obdormiret, et desideratam inter vos haberet sepulturam. Cum enim nec folium quidem arboris sine divino nutu cadat in terram; quis tam hebes, ut non evidenter in hujus beati viri adventu et transitu magnum prorsus consilium supernæ pietatis advertat? A finibus terræ, terram hic positurus advenit, alia quidem occasione festinans, quamvis ob specialem erga nos charitatem id plurimum desiderasse noscatur. Multa quidem in itinere ipso impedimenta sustinuit, nec transfretare permissus est, donec appropinquaret tempus consummationis ejus, et terminus qui non poterat præteriri. Quem quidem multis ad nos pervenientem laboribus, tanquam angelum Dei pro reverentia sanctitatis suæ suscepimus: sed et nos ipse pro sua mansuetudine et humilitate alius radicata, longe supra quam mereremur, devoto suscipiebat affectu. Paucos deinde

C apud nos dies fecit in incolumitate sua, dum socios præstolaretur, qui dispersi in Anglia fuerant, cum regis illius vana suspicio Dei hominem impediret. Jamque omnibus ad eum collectis, ad Romanam, pro qua venerat, curiam parabat iter: cum subito infirmitate præventus, sensit protinus ad cælestem magis sese palatium evocari. Deo melius aliquid providente pro nobis, ne a nobis egressus alibi consummaretur.

2. Nullum quidem in eo, non dico mortis, sed vel gravis ægritudinis signum medicis apparebat: ille tamen exhilaratus spiritu, aiebat omnimodis oportere, ut hoc anno Malachias ab hac vita egrediretur. Laboratum est econtra, et devotis precibus apud Deum, et quibuscunque potuimus modis: sed D illius prævalere merita, ut desiderium cordis ejus tribueretur ei, et non fraudaretur voluntate labiorum suorum. Sic enim pro votis omnia ei concurrere, ut hunc maxime locum, divina sibi inspirante clementia, elegisset: et hunc quoque ex longo optaret sepulturæ habere diem, quo fidelium omnium generalis memoria celebratur. Sed et illud nostra hæc gaudia merito cumulavit, quod fratrum nostrorum ossibus, de priore cæmeterio huc asportandis et recondendis (73), eadem nobis dies, auctore Deo, fuisset electa. Quæ nimirum deportantibus nobis, et ex more psallentibus, idem vir sanctus plurimum sese illo cantu delectari dicebat: et non multo post ipse quoque secutus est, somno suavissimo et felicissimo soporatus. Agimus itaque gratias Deo super omnibus primorum illorum sanctorum monachorum in sacro subterraneo, ad pietatem sane toto composita.

(72) Obiit anno 1148. Vitam ejus habes tomo II.

(73) Visebantur olim apud Claram-Vallem ossa.

dispositionibus suis, quod indignos nos beatæ mortis A
ejus honorare præsentia, quod pauperes suos pretio-
sissimo corporis ejus locupletare thesauro, quod
infirmos nos tanta Ecclesiæ suæ voluit fulcire col-
lumna. Alterum siquidem e duobus signum istud,
quod nobis in bonum factum est, persuadet, quod
aut placitus Deo sit locus, aut sibi placitum facere
velit, ad quem tantæ sanctitatis virum a sinibus
terræ moriturum, sepeliendumque perduxit.

3. Cæterum populo illi affectuosius condolere, et
ejus quæ tam miserabili Ecclesiæ dirum hoc vulnus
1044 non pepercit inferre, crudelitatem mortis
vehementius t̄horrere, beati hujus patris charitas
ipsa compellit. Dira profecto et inexorabilis mors,
quæ tantam hominum multitudinem unius percus-
sione multavit: cæca et improvida, quæ Malachiæ
ligavit linguam, impedivit gressus, dissolvit manus,
oculos clausit. Illos, inquam, devotos oculos, qui
piissimis fletibus divinam peccatoribus reconciliare
gratiam consuevere: illas mundissimas manus, quæ
laboriosis et humilibus operibus exerceri semper
amaverant, quæ Dominici corporis hostiam saluta-
rein pro peccatoribus toties offerebant; et sine ira
et disceptatione in oratione levabantur in cælum;
quæ infirmis multa beneficia præstitisse, et signis
variis effulsisse noscuntur: illos quoque speciosos
gressus evangelizantis pacem, evangelizantis bona;
illos pedes, qui toties fatigati sunt studio pietatis;
vestigia illa, digna quæ semper devotis oculis pre-
merentur: sancta denique labia illa sacerdotis, quæ
custodiebant scientiam; os justi, quod sapientiam
meditabatur: et linguam ejus, quæ judicium loquens,
imo et misericordiam, tantis mederi solebat vulne-
ribus animarum. Nec mirum, fratres, inquam mor-
tem esse, quam generavit iniquitas: inconsideratam,
quam noscitur seductio peperisse. Nihil, inquam,
mirum, si ferit sine discretionem, quæ venit ex præ-
varicatione; si sit crudelis et fatua, quæ ex antiqui
serpentis fallacia, et mulieris insipientia prodiit.
Quid tamen causamur quod Malachiam ausa sit at-
tentare, fidele equidem membrum Christi, quando
et ipsum Malachiæ pariter et omnium electorum ca-
put furibunda pervasit? Pervasit utique immunem,
sed non immunis evasit. Impegit in vitam mors, et
inclusit intra se vitam mortem, et absorpta est mors
a vita. Hamum sibi devorans, inde teneri cœpit,
unde visa est tenuisse.

4. At fortasse quis dicat: Quomodo mors a capite
superata videtur, quæ tanta adhuc libertate sævit in
membra? Si mors mortua, quomodo Malachiam oc-
cidit? si victa, quomodo adhuc prævalet universis;
et non est homo qui vivat, et non videat mortem?
Victa plane mors, opus diaboli, et peccati pœna;
victus peccatum, causa mortis; victus et malignus
ipse, et peccati auctor, et mortis. Nec modo victa
sunt hæc, sed et judicata jam et damnata. Definita
quidem, sed nondum promulgata sententia est. De-
nique jam diabolo ignis paratus, etsi nondum ille
precipitatus in ignem, modico adhuc tempore sini-

tur malignari. Tanquam malleus cœlestis opificis
factus est, malleus universæ terræ: terit electos ad
eorum utilitatem, reprobos conterit in eorum dam-
nationem. Qualis ergo paterfamilias, tales et domes-
tici ejus, peccatum scilicet et mors. Nam et pecca-
tum, hæc simul cum Christo cruci ipsius non du-
bitetur affixum, adhuc tamen interim non regnare
quidem, sed habitare etiam in ipso, dum viveret,
Apostolo permittebatur. Mentior si non ipse ait: *Jam
non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*
(Rom. vii, 17). Sic et mors ipsa minime quidem
adhuc abesse cogitur, sed cogitur non obesse. Erit
autem cum dicetur: *Ubi est, mors, victoria tua* (I
Cor. xv, 55). Et ipsa siquidem inimica novissima de-
struetur. Nunc vero moderante eo qui imperium
B habet vitæ et mortis, et mare ipsum certis littorum
coercet metis, mors ipsa dilectis Domini somnus
refrigerii est, Propheta attestante, qui ait: *Cum
dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini*
(Psal. cxxvi, 2, 3). Pessima quidem mors peccato-
rum, quorum et nativitas mala, et vita pejor; sed
pretiosa est mors sanctorum (Psal. cxv, 15). Pretiosa
plane, tanquam finis laborum, tanquam victoriæ
consummatio, tanquam vitæ janua, et perfectæ se-
curitatis ingressus.

5. Congratulemur itaque, fratres, congratulemur,
ut dignum est, patri nostro; quia et pium est de-
functum plangere Malachiam, et pium magis Mala-
chiae congaudere viventem. Nunquid non vivit? Et
beate. Nimirum visus est oculis insipientium mori,
ille 1045 autem est in pace. Denique jam concivis
sanctorum et domesticus Dei, psallit pariter et gra-
tias agit, dicens: *Transivimus per ignem et aquam,
et eduxisti nos in refrigerium* (Psal. lxxv, 12). Trans-
ivit plane viriliter, et feliciter pertransivit. Verus
Hebræus Pascha celebravit in spiritu, et nobis trans-
iens loquebatur: Desiderio desideravi hoc Pascha
manducare apud vos. Transivit per ignem et aquam,
quem nec tristia frangere, nec detinere mollia po-
tuerunt. Erit enim deorsum nos locus, quem sibi
totum vindicat ignis, adeo ut ne minimam quidem
aquæ guttam de Lazari digito miser ille dives ibi
habere potuerit. Est et sursum civitas Dei, quam
lætificat fluminis impetus, voluptatis torrens, calix
inebrians quampræclarus. In hoc sane medio boni
et mali scientia continetur, et voluptatis et tribula-
tionis hic capere est experimentum. Infelix Eva in
has vicissitudines nos induxit. Illic plane dies et nox:
nam in inferno tantum nox, et in cælo tantum dies.
Beata proinde anima quæ utrumque pertransit, nec
voluptati inhærens, nec deficiens in tribulatione.

6. Breviter vobis unum aliquid ex multis hujus
viri magnificis actibus arbitrator referendum, in quo
strenue satis et ignem, et aquam noscitur pertrans-
isse. Magni illius Patricii Hiberniensium apostoli
sedem metropolitanam tyrannica sibi progenies,
successionis ordine creans archiepiscopos, vindica-
bat, hæreditate possidens sanctuarium Dei. Rogatus
itaque a fidelibus Malachias noster, ut tantis sese

malis opponeret; animam suam in manibus suis ponens, accessit intrepidus, suscepit archiepiscopatum, tradens sese discrimini manifesto, ut tanto crimini finem daret. Inter pericula rexit Ecclesiam; post pericula sibi continuo successorem alterum canonicè ordinavit. Ea siquidem conditione suscepit, ut postquam, cessante persecutionis rabie, alter secure posset institui, ad sedem propriam remeare permitteretur: ubi sine ecclesiasticis sæcularibusve redditibus in congregationibus religiosis, quas ipse extruxerat, degens inter eos tanquam unus eorum, usque ad hoc tempus vixit absque ulla proprietate. Sic Dei hominem examinavit, non exinanivit tribulationis incendium: siquidem aurum erat; sic nec illecebra tenuit aut resolvit; nec curiosus spectator in via substitit, propriæ peregrinationis oblitus.

7. Quis vestrum, fratres, non vehementer ejus imitari cupiat sanctitatem, si id audeat vel sperare? Credo igitur libentius audiuros, si dicere forte poterimus, quid sanctum fecerit Malachiam. Sed ne nostrum forsitan minus acceptabile testimonium videatur, Scripturam audite dicentem: *In fide et lenitate ipse sanctum fecit illum (Eccli. XLV, 4). Fide calcabat mundum, Joanne attestante, qui ait: Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra (I Joan v, 4). Nam in spiritu lenitatis dura quælibet et adversa æquo animo tolerabat. Hinc quidem post Christum fide calcabat maria, ne caperetur illecebris: inde in patientia sua possidebat animam suam, ne molestiis frangeretur. De his enim duobus habes in psalmo, casuros a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis (Psal. xc, 7): quod multo plures prosperitatis fallaciæ, quam adversitatis flagella dejiciant. Nemo itaque nostrum, charissimi, plana mollioris viæ [alias, undæ] superficie delectatus, iter illud marinum [alias, maximum] sibi commodius arbitretur. Magnos hic campus montes habet, invisibiles quidem, sed eo ipso periculosiores. Laboriosior forte via videtur inter ardua collinum, et aspera rupium; sed expertis longe securior et desiderabilior invenitur. Utrobique tamen laborein, utrobique periculum esse noverat, qui dicebat: *Per arma justitiæ a dextris, et a sinistris (II Cor. vi, 7): ut merito congratulemur eis qui transierunt per ignem et aquam, et in refrigerium sunt educli. Refrigerium vultis audire? Utinam id vobis alius loqueretur! nam ego quod non gustavi, eructare non possum.**

8. Videor tamen mihi hodie super hoc refrigerio Malachiam audire dicentem: *Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi; quia eripuit animam meam de morte (Psal. cxiv, 7, 8), etc.* In quibus verbis quid intelligam, **1046** paucis audite: siquidem inclinata est jam dies, et longius quam speraveram sermo processit, quod invitus avellar a paterni dulcedine nominis, et Malachiam silere lingua formidans, suam facere vereatur. Mors animæ, fratres mei, peccatum est: nisi forte excidit vobis quod in propheta legistis, *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur (Ezech. xviii,*

A 4). Triplex proinde congratulatio est hominis, ab omni peccato, et labore, et periculo liberati. Ex hoc siquidem nec peccatum in eo habitare dicitur, nec pœnitentiæ luctus indicitur, nec ab ullo deinceps lapsu ei prædicitur esse cavendum. Posuit Elias pallium; non est quod timeat, non est quod tangi, nedum teneri ab adultera vereatur. Currum conscendit; non est jam trepidare ne cadat: suaviter scandit; non laborans volatu proprio, sed celeri in vehiculo sedens. Ad hoc nos refrigerium, dilectissimi, tota animi aviditate curramus in odore unguentorum hujus beati patris nostri, qui nostrum hodie torporem in ferventissimum desiderium visus est excitasse. Curramus, inquam, post eum, crebrius illi clamantes: *Trahe nos post te: et affectu cordis, et profectu conversationis devotas omnipotenti misericordiæ gratias referentes, quod indignis servulis suis, quibus propria desunt merita, aliena saltem voluit suffragia non deesse.*

SERMO II.

1. Liquet, dilectissimi, quod dum corpore retinemur, peregrinamur a Domino (*II Cor. v, 6*): ac per hoc luctum magis, quam gaudium, miserandum nobis indicit exsilium et conscientia delictorum. Quia tamen apostolico ore gaudere cum gaudentibus admonemur (*Rom. xii, 15*), in omnem nos suscitari lætitiã, tempus et causa requirit. Nam si vere, quod Prophetas sensit, exsultent justi in conspectu Dei (*Psal. Lxvii, 4*), exsultat sine dubio Malachias, qui in diebus suis placuit Deo, et inventus est justus. In sanctitate et justitia coram ipso ministravit: placuit ministerium, placuit et minister. Quidni placuerit? Posuit sine sumptu Evangelium, replevit Evangelio patriam, suorum maxime feralem edomuit barbariem Hibernorum; levi jugo Christi in gladio spiritus exterius subdidit nationes, usque ad extrema terræ restituens hæreditatem suam illi. O ministerium fructuosum! o ministrum fideli! Nunquid non per ipsum Filio est paterna adimpleta promissio? Nunquid non hunc olim intuebatur Pater, cum ad Filium loqueretur: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ? (Psal. ii, 8).* Quam libens Salvator recipiebat quod emerat, et emerat pretio sanguinis sui, ignominia crucis, horrore passionis! Quam libens de manibus Malachiæ, pro eo quod gratis ministraret! Ergo in ministro quidem gratum erat munus gratuitum, in ministerio autem placita conversio peccatorum. Grata, inquam, et placita in ministro simplicitas oculi, in ministerio autem salus populi.

2. Quanquam etsi ministerii quidem minor efficientia sequeretur, nihilominus tamen ad Malachiam et ad opera ejus ille merito respexisset, cui amica puritas, cui familiaris simplicitas: cujus justitiæ est de intentione pensare opus, et de oculi qualitate totius æstimare corporis statum. Nunc vero magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates et studia Malachiæ: magna et multa, et bona valde, etsi pro bona castæ intentionis origine meliora. Quod

opus pietatis præterit Malachiam? Pauper sibi, sed A dives pauperibus erat. Pater orphanorum, maritus viduarum, patronus exstitit oppressorum. Hilaris dator, petitor rarus, acceptor verecundus. Pacis reformandæ inter discordantes fuit illi cura maxima, et efficacia multa. Quis æque pius ad compatendum, ad subveniendum promptus, ad corripiendum liber? Nam et zelans erat, nec deerat scientia, zeli ipsius moderatrix. Et quidem infirmus infirmis, sed nihilominus potentibus potens, superbis resistebat, tyrannos verberabat, regum magister ac 1047 principum. Ipse est, qui regi orando visum et malignanti tulit, et humiliato restituit. Ipse est, qui pacis quam fecerat violatores, spiritui erroris traditos, frustratus est in malo quod facere cogitabant: ac denuo coegit ad pacem, confusos quidem B et stupefactos in eo quod sibi contigerat. Ipse enim est, cui adversus alios, pacti æque prævaricatores, rivus officiosissime adfuit, miro modo objectu sui evæans nolumina impiorum. Imbres non erant, non illuvies aquarum, non concursus nubium, non liquefactio nivium: cum subito factus est in fluvium magnum, qui rivulus erat: et rivus ibat, et intumescbat inundans, et negans omnino transitum volentibus malignari.

3. Quanta audivimus et cognovimus ea de zelo viri et ultione inimicorum, cum tamen esset suavis et mitis, et multæ misericordiæ omnibus necessitatem patientibus? Qui quasi unus omnium parens, vivebat omnibus; quasi gallina pullos suos, sic fo- C vebat omnes, et in velamento alarum suarum protegatur, aut persona: deerat nemini, expanso omnibus gremio pietatis. De quacunque tribulatione clamaretur ad eum, propriam reputabat: nisi quod in sua patiens, in aliena compatiens erat, plerumque et impatiens. Nonnunquam siquidem repletus zelo, pro aliis in alios movebatur, ut eripiens inopes, et reprimens fortes, consuleret proinde omnibus in salutem. Itaque irascebatur, sed ne non irascendo [alias, ne irascendo] peccaret, juxta illud de psalmo: *Irascimini, et nolite peccare* (Psal. iv, 5), non ira illi, sed ipse animo dominabatur. Erat suimet potis. Sane victor sui, ira superari non poterat. Ira ejus in manu ejus. Vocata veniebat, exiens, non crumpens; D nutu non impetu ferebatur. Non urebatur illa, sed utebatur. Magna illi tam in hoc, quam in cunctis utriusque hominis sui motibus regendis vel cohibendis, censuræ diligentia, et circumspectio multa. Non enim ita omnibus intendebat, ut se solum exponeret, solum curæ exciperet generali. Erat et sui sollicitus. Se ipsum custodiebat. Ita denique totus suus, et totus omnium erat, ut nec charitas a custodia sui, nec proprietates ab utilitate communi eum impedire vel retardare in aliquo videretur. Si videres hominem mediis immersum turbis, et implicitum curis, diceres patriæ natum, non sibi. Si videres hominem solum, et secum habitantem, putares soli vivere Deo et sibi.

4. Sine turbatione versabatur in turbis: sine otio tempus, quod otio dederat, transigebat. Quomodo otiosus, quando exercebatur in justificationibus Domini? Nam etsi habebat tempus liberum a necessitatibus plebium, non tamen a sanctis meditationibus feriatum, non orandi studio, non ipso otio contemplandi. Sermo illi in tempore otii aut serius, aut nullus. Aspectus ejus aut officiosus, aut demissus, et cohibitus intra se. Nempe (quod non mediocri laudi inter sapientes ducitur) oculus ejus in capite ejus (Eccle. ii, 14), nusquam avolans, nisi cum virtuti paruisset. Risus aut indicans charitatis, aut provocans: rarus tamen et ipse. Equidem interdum eductus, excussus nunquam: qui ita nuntiaret cordis lætitiā, ut orī gratiam non minneret, sed au- geret. Tam modestus, ut levitatis non posset esse suspectus: tantillus tamen, ut hilarem vultum ab omni tristitiæ nævo vel nubilo vindicare sufficeret. O munus perfectum! o holocaustum pingue! o obsequium gratum mente et manu! Quam bonus odor Deo in orationibus otiosi! quam bonus hominibus in sudoribus occupati!

5. Pro hujusmodi ergo dilectus a Deo et hominibus, non immerito hodie Malachias in consortium angelorum recipitur, re adeptus, quod nomine dicebatur. Et quidem ante angelus erat non minus puritate, quam nomine; sed nunc feliciter gloriosi in eo interpretatio nominis adimpletur, quando pari cum angelis gloria et felicitate lætatur. Congratulemur itaque, fratres, congratulemur, ut dignum est, patri nostro; quia et piū est, defunctum plangere Malachiam; 1048 et piū magis, Malaciæ congaudere viventi. Nunquid non vivit? Et beate. Nimirum visus est oculis insipientium mori, ille autem est in pace. Denique jam concivis sanctorum et domesticus Dei, psallit pariter, et agit gratias, dicens: *Transivimus per ignem et aquam, et induxisti nos in refrigerium* (Psal. lxx, 12). Transivit plane viriliter, et feliciter pertransivit. Verus Hebræus pascha celebravit in spiritu, et nobis transiens loquebatur: Desiderio desideravi hoc Pascha manducare apud vos. Transivit per ignem et aquam, quem nec tristitia frangere, nec detinere mollia potuerunt. Lætetur, quod angelus noster ascendit ad cives suos, pro filiis captivitatis legatione fungens, corda nobis concilians beatorum, vota illis intimans miserorum. Lætetur, inquam, et exsulemus, quia cœlestis illa curia ex nobis habet, cui sit cura nostri, qui suis nos protegat meritis, quos informavit exemplis, miraculis confirmavit.

6. Sanctus pontifex, qui in spiritu humilitatis hostias pacificas cœlis frequenter invexerat, hodie per semetipsum introivit ad altare Dei, ipse hostia et sacerdos. Migrante sacerdote, sacrificii ritus in melius mutatus est; fons lacrymarum siccatus est, holocaustum omne conditur in lætitiā et exultatione. Benedictus Dominus Deus Malaciæ, qui tanti pontificis ministerio visitavit plebem suam, et nunc assumpto eo in sanctam civitatem, tantæ

recordatione suavitatis nostram non desinit consolari captivitatē. Exsultet in Domino spiritus Malachiae, quod levatus pondere corporeae molis, nulla jam faeculenta vel terrena materia praegravatur, quominus tota alacritate ac vivacitate corpoream omnem et incorpoream transiens creaturam, pergat totus in Deum, et adhærens illi, unus sit cum eo spiritus in æternum.

7. Domum istam decet sanctitudo, in qua tantæ frequentatur memoria sanctitatis. Sancte Malachia, serva eam in sanctitate et justitia, misertus nostri, qui inter tot et tantas miserias memoriam abundantie suavitatis tuæ eructamus. Magna est super te divinæ dispensatio pietatis: qui te parvum fecit in oculis tuis, magnum in suis; qui magna fecit per te, salvans patriam tuam, magna fecit tibi, introducens te in gloriam suam. Festivitas tua, quæ merito tuis virtutibus votiva impenditur, tuis nobis efficiatur meritis et precibus salutaria. Gloria sanctitatis tuæ, quæ a nobis frequentatur, continuatur ab angelis, sic erit nobis digne jucunda, si fuerit et fructuosa. Liceat nobis aliquas, te migrante, retinere reliquias de fructibus spiritus, quibus onustus ascendis qui in tuo hodie tam delucioso convivio congregamur.

8. Esto nobis, quæsumus, Malachia sancte, alter Moyses, vel alter Elias, impericiens et tu de spiritu

A tuo nobis: ipsorum siquidem in spiritu et virtute venisti. Vita tua, lex vitæ et disciplina: mors tua, mortis portus, et porta vitæ; memoria tua, dulcedo suavitatis et gratiæ; præsentia tua, corona gloriæ in manu Domini Dei tui. O oliva fructifera in domo Dei! o oleum lætitiæ ungens et lucens, fovens beneficiis, coruscans miraculis! fac nos ejus, qua frueris, lucis suavitatisque participes. O odoriferum lilium, in æternum ante Dominum germinans, et florens, et spargens ubique vivificum suavitatis odorem, cujus apud nos memoria in benedictione est, apud superos præsentia in honore! da canentibus te tantæ plenitudinis participio non fraudari. O luminifera magnum, et lux in tenebris lucens, signorum radiis et meritorum illuminans carcerem, lætificans civitatem! fuga de cordibus nostris, virtutum splendoribus tenebras vitiorum. O stella matutina, eo cæteris clarior, quo Diei [*alias*, Deo] vicinior, similior soli! dignare præire nobis, ut et nos in lumine ambulemus, quasi filii lucis, et non filii tenebrarum. O aurora diescens super terram, sed superiores cœli plagas lux meridiana perlustrans! recipe nos in consortio luminis, qui illuminant et late foris lucet, et intus suaviter ardes, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre 1049 et Spiritu sancto regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

IN FESTO S. MARTINI EPISCOPI.

SERMO.

De exemplis obedientiæ.

1. Puto, sermonem a nobis expetit tam vester iste conventus, quam adventus, harum honorabilium personarum, quas de longinquo gratulamur adesse. Sane audirem eos ipse libentius: sed quoniam eligunt, imo et exigunt magis ut loquar, mihi si non licet audire eos, eis necesse est obaudire. Et quidem vivus est nobis sermo tam multa mansuetudo eorum, qua videlicet meritis sanctiores, dignitate superiores, sapientia locupletiores, non modo ad visitandos, sed etiam ad audiendos nos dignati sunt declinare. Efficax eruditio, et omni digna acceptione doctrina. Siquidem non verbo et lingua, sed opere et veritate nos admonent imitatores suos esse, sicut ipsi sunt Christi; et discere quod ab ipso utique didicerunt, mites esse, et humiles corde. Sic Maria Elisabeth petiit (*Luc. 1, 39, 40*), conjugatam virgo, ancillam domina; præcursoris matrem, judicis mater; Dei Genitrix, servuli genitricem. Sic postmodum Jesus etiam ipse Joannem adiit, et adiit baptizandus, utpote quem decebat implere omnem justitiam (*Matth. 11, 13, 15*). Vos quoque, reverendi Patres, deteriorē vobis non facitis partem vestram [*alias*, deteriorē vobis facitis partem nostram]: ad audiendum quippe quam ad loquendum velociores, etiam frater ipsos qui vestro magis egerant documento. Nam nos quidem, quia omnem non possumus implere justitiam, vel nonnullam vobis exhibere curamus, justum esse non ignorantēs inferiorem superioribus obedire.

2. Sed unde loquemur? *Qui de terra est, de terra loquitur*, ait vox illa clamantis (*Joan. 11, 31*). De terra ergo loquamur, quia de terra subsistimus, et in terra. Audite, quique terrigenæ et filii hominum: vobis dicimus, et de vobis. In terra orimur, in terra moramur, in terra morimur, revertentes in eam unde sumus assumpti. Hic nobis angustus introitus, mora brevis, sola mors certa. Cogitur totus Adam judicium portare quod meruit. Dilatatus est vehementer, multiplicatus est, et replevit terram. Attamen velit, nolit, quantumcunque recalcitret, universus adhuc fert sententiam quam excepit: *Terra inquit, es, et in terram ibis* (*Gen. 11, 19*). Gravis equidem sententia, sed non sine grandis misericordiæ temperamento. Dura admodum, sed si merita pensēs, indulgentiæ plena. Siquidem non minus juste peccanti diceretur: *Terra es, sed ex hoc sub terram ibis*. Justus foret etiam tunc justus Dominus, et laudabilis nimis. Dignus plane qui laudaretur, sed non ego idoneus qui laudarem. Alioquin tunc quoque nihilominus vere dicerem, si tamen dicere possem: *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum* (*Psal. cxviii, 137*). At non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te; sed nos qui vivimus, benedicimus Domino. Pepercisti ergo creaturæ tuæ, pepercisti gloriæ nominis tui, ut descendentem de Jerusalem, minime tamen usque in Jericho patereris abduci. Semivivus adhuc relictus in via semilaudare possum (*Luc. x, 30*): ubi totus

vixero, ibi-totus erumpam in laudem, et dicent **A** omnia ossa mea: Domine, quis similis tibi (*Psal. xxxiv, 10*)? Propter hoc nempe cum iratus fuisses, misericordiae meministi, non damnans hominem in loco perditionis, sed in loco afflictionis humilians. Quid causaris, homo? quid sententiam quereris duriolem? Terræ addictus es, factus e terra, ut ipsa tibi sit patria, quæ materia fuit.

3. Sed audire, inquires, velim: Quia spiritus es, et ad spiritum ibis. Siquidem etiam spiritus sum, quod ad animam pertinet; nec portionem hanc mei dubitaverim potiolem. Audivi sane ab Apostolo, quia Dominus spiritus est (*II Cor. III, 17*), et ab ipso Domino, quia spiritus est Deus (*Joan. IV, 24*). Nec modo spiritus, sed et spirituum Pater. Utquid

ergo tenet me mater carnis, quia caro ex parte **B** spirituum Pater non recipit, cum ex parte sim spiritus? Scio, scio, agit hoc non tam substantia ipsa, quam culpa. Sicut enim peccatores spiritus inter cælum et terram ventosum hoc medium tenent, unde et potestates hujus aeris nominantur (*Ephes. II, 2*); sic peccata nostra inter nos et Deum separant, inter Creatorem Patremque spirituum, et spirituales utique creaturam. Traxit animam corpus in regionem suam, et ecce prævalens opprimat peregrinam. Factum est nempe talentum plumbi, non aliunde tamen, nisi quia sedet iniquitas super illud. Corpus enim aggravat animam, sed utique quod corrumpitur (*Sap. IX, 15*); corrumpitur autem, imo etiam, Apostolo teste, mortuum est propter peccatum (*Rom. VIII, 10*). Itaque licet quodam modo cælum sit homo, cælestibus sine dubio spiritibus similis, simul et forma; substantia quidem quoniam spiritualis, forma vero quia rationalis est: minime tamen jam levare eum duo ista sufficiunt, ut mereatur audire: Quia cælum es, et in cælum ibis. Frustra glorietur de libertate arbitrii, quæ in mente est: captivus ducitur in legem peccati, quæ in carne est. Nam etsi forsitan videretur duplex funiculus posse alteri æque duplici prævalere, ut videlicet quem sibi terra gemino quodam jure tanquam patria pariter et materia vindicat, ob geminam nihilominus, quæ prædicta est, substantiæ scilicet et formæ similitudinem, cælum quoque recipiat ut cælestem: sed jam triplicatus inferior ille et deorsum trahens peccato equidem accedente funiculus, nisi illinc quoque **C** occurrerit gratia, non rumpetur. Sane ubi illa adfuerit, haud dubium quin solvatur facile gravis iste quo trahimur, imo quem trahimus, funiculus iniquitatis. Hæc enim inter nos et Deum non separans intervenit, sed reparans et conjungens.

4. Itaque ibo mihi ad montem gratiæ, et colles miserationum, quarum thesauros omnes repositos audio penes Christum. Ibo ad eum qui est plenus gratiæ et veritatis, si forte accipiam aliquid de plenitudine illa, imo si forte accipiam in plenitudine illam: ut cum cæteris aliquando membris occurram in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Novo quippe ascendit in cælum, nisi qui descendit

de cælo (*Joan. III, 13*). Fidelissimus plane et benignissimus mediator, qui quidem non discrevit, sed fecit utraque unum, medium parietem maceriæ solvens (*Ephes. II, 14*), donans nobis omnia delicta, delens quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, exspolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos (*Coloss. II, 13-15*), pacificansque per sanguinem suum quæ sunt in cælo, et quæ super terram (*Coloss. I, 20*). Propter hanc nempe salutem, quam in medio terræ erat operaturus, non confestim sub terra posuit hominem, sicut peccando meruerat; sed in terra. Siquidem respirandum est nobis, et nullatenus desperandum, donec in terra adhuc **B** interim constituti, et suspicere cælum possumus, et suscipere data optima et dona perfecta desursum a Patre luminum, a Patre spirituum, a Patre misericordiarum. Nam et propterea rectum fecit hominem, etiam corpore ipso, et os homini sublime dedit, cum prona utique spectent animantia cætera terram: ut attollens ad sidera vultus illo suspiret, ubi tam beatam et perennem conspiciat mansioem.

5. Nonne enim pie et fideliter intuentibus nobis vehementissimum quoddam incentivum amoris, et provocatio flagrantissimi desiderii est visio ipsa tam lucidissimæ regionis? Non sunt stellæ cæli similes glebis terræ. Inter splendorem solis, et caliginem soli hujus, non parva distantia est. Forte tamen hic quoque nonnulla, sed in suo genere pulchra videntur: et hæc ipsa undique mista non pulchris, ut aurum in luto, gemma in sterquilinio, liliū inter spinas. Tota pulchra es, patria mea, et macula non est in te: tota pulchra es, absque eo quod intrinsecus latet. Quid illud? Nempe illi beati angelici spiritus, et animæ ipsæ sanctorum, quæ jam ingredi meruerunt in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. Sicut enim **1051** sunt corpora terrestria, sunt et corpora cælestia; longe vero alia est cælestium gloria, quam terrestrium: sic sunt cælestes spiritus et terrestres, nec minor sane distantia inter eos: Angeli, archangeli, virtutes, principatus, potestates, dominationes, throni, cherubini atque Seraphin. Bene nomina novi. Forte hoc totum **D** est. Quid enim amplius capiam terrigena de cælestibus, carnalis homo de spiritualibus et divinis? Veruntamen etsi ignoro quid lateat in his tantis appellationibus, illud equidem certissime novi, quod magnum et mirabile aliquid sub hac tanta verborum majestate clausum sit et signatum. Non sine causa cælum hoc dicitur: plane eximium nescio quid celatur in eo. Celatur, inquam, sed tamen non negatur fidei usquequaque. Videre enim nobis datur in terra ipsam exteriorē cæli pulchritudinem, non adire; internam quoque gloriam secretorum ejus, etsi non comprehendere, conceditur vel audire. Videmus patriam, sed a longe salutamus; odoramus illas delicias, non gustamus.

6. Enimvero non sine causa Unigenitus, qui est

in sinu Patris, ipse nobis in regione hac umbræ A mortis, quam inhabitamus, cœlestium gloriam spirituum sane per fidem enarrat, corporum vero per speciem manifestat. *Audi, inquit, filia et vide. Et factum est.* Quorsum ista? *Inclina, ait, aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui (Psal. XLIV, 11).* Vult nos ponere contumaciam, discere obedientiam, apprehendere disciplinam. Vult etiam nos oblivisci posteriora, despiciere inferiora, terrenos mores et vitia genuina [*alias*, vitiata germina] deserere, cœlestia sapere, superna quærere, anterioribus inhiare. Vult et illum tantum decorem domus suæ ingenuam concupiscere creaturam, quo scilicet in eandem imaginem transformetur de claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu; ac proinde concupiscat etiam rex decorem illius, utique spirituales. Sed in quo visus ille, inquires, vel auditis inclinare me aurem, et obaudire monet? Nam quod desiderium pariat, manifestum est.

7. Sane ergo considera universam hanc cœlestium gloriam corporum incessanter legibus obtemperare divinis, nec unquam sibi positas in tam continuis motibus metas excedere temporum, aut locorum terminos transgredi constitutos. Sed et ipsos spiritus tam sublimes audi omnes administratorios esse, et in ministerium mitti dignantissimum, ut ne indignum dicam: minime tamen, puto, reperies in Scripturis aliquando quemquam illorum vel contradixisse mittenti, vel erga ipsos tam inferiores se, propter quos in ministerium mittebantur, saltem tenuiter fuisse commotum. Exempla sunt obedientiæ, si diligenter attendas, eo sane acceptabiliora, quo in materia digniori. Sed novi quid ad ista submurmuret sensus hominis, et cogitatio prona semper ad malum. Quid tu mihi, inquit, elementorum propositis obedientiam supernorum? Quasi vero aut sensus ullus in eis, aut ulla vigeat deliberatio rationis, et non potius agi ipsa, quam agere videantur. Quid vero vel ipsorum angelorum obedientiam sic commendas? Sentiant quidem angeli, sed delectabilia sola; obedientes equidem Creatori, sed tam felici quam facili voluntate. Quidni obediant? Semper enim vident faciem Patris, quem videre perfecta beatitudo, æterna gloria, summa voluptas est.

8. Produc nobis, Domine, patriarchas et prophetas, viros obedientes præceptis tuis, obedientes ex voluntate, obedientes contra propriam voluntatem. Factum est. Exhibetur nobis, ut cæteros brevitatis causa præteream, exhibetur, inquam, nobis Abraham ad præceptum Domini exiens de terra sua, eiciens ancillam et filium ejus, etiam charissimum filium Isaac immolare paratus. Quid hic humana astutia poterit cavillari? Forte respondeat, quoniam multifarie, multisque modis apprensus ei Deus, suscipiebatur hospitio, participabat convivio, amabat alloquio, instruebat consilio, donabat filiis, illustrabat victoriis, 1052 divitiis cumulabat. Quid dicas, cum venerit Christus factus obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis? Multum,

inquit, per omnem modum. Quando enim Unigenitum Dei Patris, Dei virtutem, et Dei sapientiam Christum, quando præsumerem æmulari? Oblatus est quia ipse voluit, quando et quantum voluit passus est, utpote verus quidem homo, sed verus nihilominus Deus. Imo vero ne ipsam apostolicam obedientiam afferas velim; quos nimirum juxta prophetica promissionem oculis suis vidisse constat præceptorem suum, et auribus suis vocem audisse mentis (*Isai. xxx, 20, 21*). Unde et unus eorum expressius scribens ait: *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostræ tractaverunt de Verbo vite (Joan. 1, 1).* Quidni retinuerent omnia? quidni ad omnia sequerentur tantæ præsentiam majestatis? Quid ego non facerem, si mihi eadem copia præstaretur? Sed non fecit taliter omnium nationi, non præeunti utique, non sequenti. Siquidem ut multi reges optaverunt videre, et non viderunt; sic nihilominus venerunt jam dies, quando desideremus videre diem unum Filii hominis, nec tamen mereamur.

9. Opportune ergo jam Martinus ad medium veniat, ut de medio fiat occasio peccatorum. Hodie enim ille per omnia similis nobis, plane et sensibilis, et passibilis; sed et longe post illa patriarchalium et prophetarum tempora visionum, et homo purus, nihil de natura divinitatis habens, credens autem in eum quem non vidit; plenus fructu obedientiæ, et virtutum locuples, solum deseruit, polium subit, terræ commendans quod habebat e terra; spiritum dirigens ad Patrem spirituum, cui fideliter in adoptionis spiritu deservivit. Non fuit cœleste corpus, sed nec spiritus quidem cœlestis: rationale animal, etiam et mortale, terrigena, filius hominis. In terra natus est, in terra educatus, in terra exercitatus et probatus, in terra etiam consummatus. Nec vero patriarcha erat, aut unus ex prophetis, de quibus sane in Evangelio Veritas ait: *Quia Lex et Propheta usque ad Joannem (Matth. xi, 13).* Multo magnis non erat ipse Christus; sed erat tamen Christus in ipso, haud aliter utique quam per fidem.

10. Enimvero juxta hunc modum etiam modo prope est verbum in corde tuo et in ore tuo (*Deut. xxx, 14*), tantum si recto quæsieris corde. Nempe Apostolo interpretante verbum fidei istud est (*Rom. x, 8*), de quo Moyses ait. Unde et alibi idem apostolus: *Jesus Christus, inquit, heri, et hodie, et in æternum (Hebr. xiii, 8).* Hesternum quidem ab initio sæculi usque ad ascensionem Dominicam; hodiernum vero diem exinde usque ad sæculi consummationem; porro in æternum intellige post communem omnium resurrectionem. Nulli horum deest Christus, nulli deest Jesus; nulli deest unctio, nulli salus. Patriarchis et prophetis in visione exhibitus est, apostolis in humanitate, Martino in fide, angelis jam in specie. Quam sane speciem et electis omnibus ostensurum sese promisit, non quidem hodie, sed in æternum. Denique jam transierat heri, jam istud nostrum illuxerat hodiernum cum Apostoli loquerentur: *Etsi cognovimus Christum secundum carnem,*

sed nunc jam non novimus (II Cor. v, 16). Videtur tamen etiam in hoc mane de carnibus Agni non nihil esse servatum : sed quod residuum est, utique jam datur igni; quod videlicet usque hodie eadem caro nobis, sed spiritualiter utique, non carnaliter exhibeatur.

11. Neque enim est quod causemur nostro huic negatam tempori, sive eam quæ ad patres veteris Testamenti facta est apparitionem sive eam quæ apostolis exhibita est præsentiam carnis ejus. Siquidem fideliter considerantibus neutram deesse liquet. Adest enim nobis etiam nunc carnis ipsius vera substantia, haud dubium sane quin in sacramento. Adsunt revelationes, sed in spiritu et virtute ut tempori gratiæ, quod nunc est, nihil in ulla gratia deesse probetur. Denique nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se, nobis tamen revelavit per Spiritum **1053** suum. Nec mireris quod carnales eis manifestationes exhibuit, qui carnalem ejus præstolabantur adventum. Nobis enim tanto efficacior gratia et revelatio dignior necessaria est, quanto nimirum excellentiora constat esse quæ expectamus.

12. Itaque, ut supra diximus, Martinus iste Christus non fuit, sed tamen Christum habuit : non quomodo angeli in præsentia majestatis ; non quomodo apostoli in visionem humanitatis ; non quomodo olim locutus est in visionem sanctis suis : sed quomodo eum etiam nunc habet Ecclesia, in fide et sacramentis. Non erat ille lux (Joan. i, 8), sed lucerna plane ardens et lucens (Joan. v, 35), de Joanne dictum est. Sed si illum protuleris, puto, dicitis : Maximus hominum est, plus quam propheta est, etiam angelus est Dei Patris, sicut ipse testatur : *Ecce mitto angelum meum* (Luc. vii, 27), etc. Et Martinus lucerna erat ardens et lucens : eum saltem non pigeat imitari ; sed imitari in eo quod est imitabile, non autem quod mirabile exhibetur. *Ad mensam divitis sedes hodie ; diligenter considera quæ tibi apponuntur.* Discerne inter cibos, et vasa ciborum. Illos enim jubetis tollere, sed non illa. Dives est iste Martinus ; dives in meritis, dives in miraculis, dives in virtutibus, dives in signis. Diligenter ergo considera quæ apponuntur tibi ; quænam videlicet ad admirationem, quæ vero ad imitationem. Aut certe quia sequitur in Scriptura illa, *quoniam talia oportet te præparare* (Prov. xxiii, 1, 2, juxta LXX) ; diligenter considera quid apponitur, et in quo. Suscitavit Martinus tres mortuos, quot nimirum Salvatorem legerat suscitate. Reddidit visum cæcis, surdis auditum, mutis loquelam, claudis gressum, aridis sospitalem. Evasit divina virtute pericula, proprii corporis obice flammam repulit, immanem sacrilegæ machinæ molem columna parili e cælo descendente prostravit, leprosum mundavit osculo, curavit oleo paralyticum, dæmones vicit, angelos vidit, futura prævidit.

13. Verum hæc quidem, cæteraque ejusmodi altissima quæ fecit magnalia, quidni mirifica quædam vasa dixerim divitis hujus, auro gravis, gemmis micantia, pariterque materia et opere pretiosa ? Noti

in his saporem quærere, sed mirare splendorem. Luceat in hujusmodi lucerna nostra, ut in lumine ejus videamus lumen, quod quidem purum, prout in se est, necdum prævalere intueri. Non enim est iste lux, sed ut testimonium perhibeat de lumine ; et appareat tibi interim gloriosus Deus in sancto suo, dum non potes ad gloriam ejus, sicut est in se ipso. Cæterum ne putaveris ornatas quidem Martini lampades, sed vacuas inveniri : non est fatua virgo, habet in vasis oleum. Habet vinum in phialis, habet intra paropsides istas ciborum copiam, delicias utique spirituales : ut non modo videant et mirentur, sed edant pauperes, et saturentur ; atque in illis quidem Dominum laudent, porro in his vivant corda eorum. Alioquin quomodo mortui laudabunt te, Domine ? Ut ergo sit jucunda decoraque laudatio in admiratione, etiam vivant ex imitatione ; et, ut avidius sumant delicias, ipsas quoque divitias curiosius contemplantur. Sic nimirum inter splendorem et fervorem lucernæ hujus vicariis quibusdam affectibus discurrendum, ut nobis alter ex altero commendetur, et ex mutua collatione uterque complacitior fiat. Siquidem humilis fuit et spiritu pauper iste Martinus, sicut evidentissime probat effectus ipse divinæ gratiæ, quam profecto tam nullam nisi multum humili non dedisset.

14. Ut tamen pauca virtutum ejus indicia promam, pauperem illum spiritu beatus novit Hilarius, cum imponere ei diaconatus officium tentans, nec prævalens, quod indignum sese vociferaretur, exorcistam eum esse præcepit : in quo quidam locus injuriæ videretur, sciens nimirum quod humiliorem ordinationem minime repudiaret. Pauper fuit, veste sordidus, crine incultus, facie despicibilis : quæ quidem licet in electione ejus a quibusdam malevolis objecta fuissent, **1054** in ipso tamen episcopatu, sicut scriptum est, penitus non mutavit (Sulpit. *De vita Mart.*, cap. 7). Denique quia vere pauper fuit spiritu Martinus, pauper et modicus meruit nominari. Audi vero mansuetudinem ejus, suo illo Sulpitio sic scribente : « Tantam adversus omnes injurias patientiam assumpsit ut cum esset summus sacerdos, impune etiam ab infamis clericis læderetur : nec propter in eos aut loco unquam amoverit, aut a sua, quantum in ipso fuit, charitate repulerit (Id. *Dial.* iii, cap. 20) : » quod quidem in Briccio manifeste probatum, omnes vos arbitror meminisse. Eum nempe ex omnibus sibi successorem elegit, et de tanta post futura adversitate præmonuit : postremo in fide et lenitate ipsius sanctum fecit illum, ad ejus os aures suæ fuerant, cum responderet homini, qui de eo sciscitabatur : Si illum delirum quæris, prospice eminus ; ecce cælum solito sicut amens respicit. Crebro siquidem homo Dei, utpote terram despiciens, cælum suspiciebat. Nempe sciebat ad hoc sese (ut supra meminimus) rectam et in ipso corpore accepisse staturam. Sciebat illic esse thesaurum suum, sciebat nunquam sese, donec illuc perveniret, quod desiderabat assecuturum. Unde et hoc ipsum, quod delirus

vocabatur in terra merito non attendit, cujus nimirum conversatio esset in cœlis, cujus oculi in capite suo. Sane illuc etiam lacrymæ ejus a maxilla ascendere consueverant, quibus sic abundabat, ut soleret pro illorum quoque, qui obrectatores sui videbantur, flere peccatis.

15. Sane quantum justitiam esurierit, tum in cæteris ejus actibus, tum specialiter in idololatriæ persecutione probatum est, in templorum destructione, in statuarum dejectione, in succisione lucorum. Ubi se quoque aliquando non est veritus dare discrimini, ut occasio tantæ criminis de medio tolleretur. Nam misericordem eum in paupere se expertem Salvator ipse apud angelos gloriabatur, datam sibi medietatem vestis ostentans. Utinam nobis etiam miseris apud summum judicem, in cujus admirabile tabernaculum introivit, misericordiam illam exhibere dignetur; qua et illos olim morti destinatos, et tormentis variis deputatos eripuit pro quibus ante terreni judicis januam nocte media scribitur jacuisse. Quomodo enim non audiet eum nunc, qui tunc quoque fecit audiri? Porro munditiam cordis ejus illud vel maxime indicat, quod non est confusus inimico loquens in porta: « Nihil in me, funeste, reperies; Abrahæ me sinus recipiet. » Nam in opere pacificorum feliciter plane consummans labores suos, licet dierum suorum finem non ignoraret, clericos tamen adiit dissidentes, inter quos reformata pace, in pace ipse quievit.

16. Cæterum persecutiones, quas sustinuit propter justitiam, longum est numerare, quomodo apud Julianum Augustum in civitate Waugionum intrepidus, imo et illato terrore constantior, custodiae mancipatus est, ut inermis postero die barbaris opponeretur; quomodo circa Alpes sub securi, quam in verticem ejus latro vibrabat, securissimus fuit; quomodo illum Mediolani Auxentius Arianus graviter insectatus, multisque appetitum injuriis, tandem de civitate exturbavit; quomodo et alibi prius adversus sacerdotum perfidiam acerrime pugnans, suppliciiis fuit affectus, publice virgis cæsus, inde quoque exire compulsus est; quomodo item in cujusdam fani eversione, cum gentilis eum stricto gladio peteret, nudam cervicem præbuit percussuro, donec ille extollens ad ictum dexteram, cecidit resupinus; quomodo alter eum cultro ferire voluit, sed ferrum de manibus ejus elapsum, repente disparuit. Pro quibus omnibus dubium non est multipliciter coronari eum, qui quidem etsi non semel effectu consummatæ passionis, sed toties martyr fuit affectu devotissimæ voluntatis. Comedit jam, amici, et bibite; et inebriamini, charissimi. Sic enim vivitur, et in talibus vita spiritus vestri. Nisi forte beatos prædicat sermo divinus, qui mortuos 1055 suscitant, cæcos illuminant, morbosos sanant, leprosos mundant, paralyticos curant, dæmonibus imperant, futura prænuntiant, miraenlis coruscant; et non magis pauperes spiritu, mites, lugentes, esurientes et sitiennes justitiam, misericordes, mundicordes, pa-

cificos, persecutionem propter justitiam sustinentes.

17. Ignoscite mihi, fratres: exemplum obedientiæ paulo minus præterivi, quod quidem vel solum juxta propositum ordinem in Martino quoque nobis convenit exhiberi. Sane moram facimus, sed, ut arbitror, bonum nos hic esse: tardius enim hodie venimus ad Martinum. « Domine, inquit, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua (74). » O vere sanctissimam animam! o inestimabilem charitatem! o obedientiam singularem! Bonum certamen certasti, cursum consummasti, fidem servasti; de reliquo superest tibi corona justitiæ, quam reddet tibi Dominus hodie justus judex; et adhuc dicis: Non recuso laborem, fiat voluntas tua! Obtulisti plane Isaac; unicuique illum quem diligis, quod in te est, jugulasti; immolasti singulare gaudium tuum pia devotione, paratus redire iterum in pericula, innovare certamina, denuo subire laborem, sustinere tribulationem, prolongare tentationem, deinde differri adhuc ab illa tanta felicitate, et diu desiderata societate spirituum beatorum, atque in hujus mortalitatis ærumnas ab ipso introitu gloriæ revocari; postremo, quod maximum est, a Christo tuo peregrinari diutius, si modo ipse voluisset. Nec sane dubium quin ampliorem gratiam mereatur, qui paratum se exhibeat etiam ante mandatum quam qui obedire satagit post mandatum. Magna quidem obedientia vestra, angeli sancti; sed, quod dicere audeam pace vestra, nescio an inveniatur in vobis quisquam paratus in tale aliquando ministerium mitti, in quo necesse habeat non videre faciem Patris. Magnum est, Petre, quod Dominum secutus, omnia reliquisti; sed audivi te in monte dicentem, ubi transfiguratus est coram vobis: *Domine, bonum est nos hic esse; faciamus hic tria tabernacula (Matth. xvii, 4)*. Non est hoc, « Si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem. » Paratum cor tuum, Martine, paratum cor tuum, sive manere in corpore, sive dissolvi et esse cum Christo.

18. Et magna quidem in horrenda morte securitas; magna in visione Christi desideranda, et tam ferventer ac singulariter desideranda perfectio reperitur; sed id quidem longe amplius per omnem modum, quod qui mori non metuis, imo qui tanto desiderio præsentiam Domini concupiscis, vivere quoque non renuis, et expectatione molestissima fatigari. In quo enim alio non obedire potuerat, qui in hoc tanto articulo tam devote clamabat: « Fiat voluntas tua? » Hæc ergo pars nostra sit, fratres, in convivio hodierno, hanc nobis obedientiam in mensa pauperis, imo jam divitis hujus appositam diligenter consideremus, scientes quoniam ipsa est quæ a nobis exigitur, ipsa quam oportet nos præparare, ut singuli quique dicamus: *Quia paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua (Psal. cxviii, 60)*. Nec modo semel, aut in parte; sed *paratum cor meum, Deus, paratum cor meum (Psal. lvi, 8)*; paratum ad utrumque, et in nullo tuo

(74) (SULPIT. epist. 3 ad Bassul.)

præscribens dispositioni. Forte hoc cupio, et specialiter et vehementer: sed ne quidem illud recuso;

A sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat. Desidero requiem, sed non recuso laborem, fiat voluntas tua.

DE S. CLEMENTE PAPA ET MARTYRE SERMO.

De tribus aquis.

1. Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus (Psal. cxv, 15). Audiat peccator, et irascatur; dentibus suis fremat, 1056 et tabescat. Deprehensus est in astutia sua, cecidit in foveam quam fecit, in laqueum incidit quem tetendit. Invidia siquidem diaboli mors intravit in orbem terrarum; sed ecce pretiosa facta est mors sanctorum. Audi igitur, hostis vitæ; mortis auctor, attende. Quid valet jam fraus tua? versutia tua quid nocet? Imo vero, ut plus doleas, etiam omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti (Rom. viii, 28). Neque enim aliter quam ipsa (quæ tui est operis) de te hodie beatus martyr, cujus solemnia celebramus, morte corporis triumphavit. Fecit siquidem de necessitate virtutem, penam peccati in meritum gloriæ commutavit; fidelem se probavit in modico, ut dignus inveniretur supra multa constitui. Modicum namque erat, et omnino modicum, quidquid prius acceperat anima illa beata, quantum ad eam gloriam, quam præsentem promeruit passione. Omnis enim delectatio hujus mundi, universa ejus gloria, quidquid denique in eo concupiscitur, prorsus modicum est in illius felicitatis, in illius beatitudinis comparatione: si tamen vel modicum dici debet, et non potius nihilum, vapor ad modicum parens. Acceperat beatus Clemens nobile genus, amplas possessiones, hæreditatem multam, scientiam quoque quamplurimam, ita ut optimus quidam illius temporis philosophus haberetur. Acceperat hæc universa a Domino: Dei enim dona sunt etiam hæc. Fidelem ergo se probavit ei qui dederat, cum pro ejus amore universa contempsit, omnia detrimentum faciens, et arbitratus ut stercora, ut lucrificeret Christum.

2. Sed forte murmurat etiam nunc inimicus: *Pelle, inquit, pro pelle, et omnia quæ habet homo, dabit pro anima sua (Job ii, 4).* Quid ergo? putas quod in ipsa corporis sui vita, quam accepit a Domino, infidelis invenitur, ut vel ipsam præferat illi? Ecce habes potestatem: irrue in eum per satellites tuos, ut coarctetur e duobus, aut a Domino necesse habens, aut a corpore separari. Varia et inmania exquire genera tormentorum; sed noveris te martyri nostro fabricare coronas. Sicut enim ipsa vitæ hujus ornamenta et adjumenta contempsit, sic contemnit et ipsam. Corpus omne tibi exposuit in mortem, et in faciem maledicit tibi, atque idola tua sacro ore blasphemat, Dominum Deum suum etiam inter tormenta tua libere prædicat, ingenue [*alias in igne*] constetur. Coronabitur ergo, quia legitime certavit, quia fideliter vicit, quia nec blandimentis vitæ hujus, nec mortis horrore a charitate Christi noluit separari. Dic, queso, nobis, anima sancta,

quæ sic corpus tuum suppliciiis exponebas: obsecro, diligebas illud, an non? Utique diligebam, inquit. Nemo enim unquam odio habuit carnem suam (Ephes. v, 29). Diligebam ergo eam: sed parum diligebam, tanquam ancillam; et multo magis diligebam Dominum Deum. Utque probatio esset dilectionis, operis exhibitio; libenter ipsam quoque pro ejus gloria mortem corporis amplectebam.

B 3. Quid nos ad hæc dicimus, fratres? Congratulamur martyri, sed jam gloria ejus non sine nostra confusione est. Ecce enim beatus Clemens homo erat similis nobis, passibilis, eadem circumdatus infirmitate, et carni suæ eodem vinculo naturalis affectionis inhærens. Si ergo ille sic glorificavit Christum in corpore suo, et calicem salutaris accepit; quid nos retribuimus Domino pro omnibus quæ retribuit nobis? Eadem certe nos insignivit imagine, eodem sanguine nos redemit, et vocavit in eadem hæreditatem, incorruptibilem et incontaminatam, æternam, conservatam in cœlis. Utquid ergo non possumus et nos cum beato Clemente Christi libere calicem? sed forte respondent aliqui: Possemus, si opportunitas non desset; sed persecutionis tempus cessavit. At ego, fateor, non satis crediderim ista dicentibus. Quid enim? Quotidie ceditis punitioni æcus unius, et mucroni vos arbitramini posse resistere? In minimis probate conflictibus, quam 1057 viriliter in majori certamine stare possitis. Ecce enim vobis non dicitur: Sacrificate idolis, et vivite; aut si hoc non vultis, oportet vos diversis suppliciiis interire. Novit Dominus signum nostrum, nec dat nobis tam forte certamen. Beato Clementi certamen forte dedit ut vinceret, et disceret quoniam omnium potentior est sapientia.

4. Vestrum autem certamen quale est, fratres mei? Quotidie vobis suggeritur in cordibus vestris, Frange ordinem tuum, murmura, detrahe, age remissius, infirmitatem simula, responde ei qui forte durius tibi locutus est, ut satisfacias desiderio tuo; nec dicitur cuiquam: Nisi hæc feceris, morieris; sed ut multum, cum difficultate et labore resistes animo tuo. Et quis sustineret tanta? Hæc enim intus audire, hæc respondere consuevimus exhortantibus nos, aut foris homini, aut intus Spiritui sancto. Si ergo in hujusmodi certamine periclitamur, si vix resistimus, si interdum etiam succumbimus, quid in illo tam gravi certamine faceremus? Si juncis fragilibus cedit infirmitas nostra, quomodo telis resisteret? Videtis quomodo ad nihilum redacti sumus, et sicut solent mulieres aut parvuli, pugnantem laudamus alios, pugnare ipse non possumus. Quid tamen agimus? Omnes certe ad nuptias Agni vocati sumus, et in conspectu ejus vacuos apparere non

licet. Diligenter ergo consideremus quæ apponuntur nobis, quoniam talia oportet nos præparare. Consideravit beatus Clemens vinum sibi appositum esse a Domino, et ipse quoque, quoniam dives fuit, ad nuptias illas vinum nihilominus proprii sanguinis effusione portavit. Sed nos pauperes sumus, et vinum, Domine, non habemus. At ille: *Implete*, inquit, *hydrias aqua* (Joan. 11, 7). Ergone et ipsa suscipietur aqua, si attulerimus eam? Uti que suscipietur. Nam et ipsam cum vino nobis appositam inveniet, qui secundum monita Sapientis, diligenter consideraverit quæ sibi apponuntur (Prov. xxiii, 1), ab eo nimirum qui venit non in aqua solum, sed in aqua et sanguine. Testimonium enim perhibuit qui vidit, quod aperto latere Domini dormientis in cruce exierit sanguis et aqua (Joan. xix, 34, 35).

5. Et nos ergo, fratres, ut vel fideles nos probeamus Deo nostro, si martyrium sanguinis nos habemus (martyrium enim testimonium est), quæramus vel testimonium aquæ, et ne ipsum quidem despiciet Deus. Tres sunt enim qui testimonium dant in terra: Spiritus, aqua et sanguis (Joan. v, 8). Beati quibus trinum suppetit testimonium, quoniam funiculus triplex difficile rumpitur (Eccle. iv, 12). Nos si sanguinis testimonium non habemus, habeamus spiritum et aquam; quoniam sine spiritu nec sanguis, nec aqua sufficiet: imo vero si spiritus ipse sine aqua aut sanguine invenitur, sufficit testimonium ejus; quoniam spiritus veritatis est, nec sanguis, nec aqua quidquam proderunt a se ipsis, sed spiritus est qui testificatur in illis. Sane tamen aut vix, aut nunquam sine aqua aut sanguine spiritum arbitror inveniri. Propterea, charissimi, quæramus vel aquam, qui sanguinem non habemus. Et quoniam hydriarum supra fecimus mentionem, quæramus mensuras binas, vel ternas, quas hydriæ capiebant.

A Nam et Christus triplicem nobis apponit aquam, et perfectus omnis qui fuerit in nobis sicut ipse, qui videlicet tres metretas habere potuerit. Propter hoc enim sub distinctione dicitur, binas vel ternas, ut duas ad minus constet necessarias esse; tertiam non ab omnibus exigendam.

6. Accipe igitur triplicem aquam, quam tibi Salvator apponit. Plorat super Lazarum (Joan. xi, 35) et super civitatem Jerusalem (Luc. xix, 41); et hæc est aqua prima. Sudat imminente jam passionis hora; et hæc est aqua secunda, non ab oculis tantum, sed a toto corpore manans. Hæc autem rubea est, sanguineique coloris, sicut scriptum est: *Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram* (Luc. xxii, 44). Jam vero tertia est aqua, quam et prædiximus de latere ejus una cum sanguine emanasse. Et tu ergo primam quidem habes, si rigas **1058** lacrymis tuis conscientiam tuam stratum, et dolore compunctionis præteritorum diluis maculas peccatorum. Secundam aquam habes, si in sudore vultus tui vesceris pane tuo, et labore penitentiam corpus tuum castigas, ac restringis concupiscentiam flammam. Est autem sanguinei coloris, sive propter laborem, seu etiam propter ipsum quem exstinguit concupiscentiam ignem. Jam vero si proficere potes usque ad devotionis gratiam, potaberis aqua sapientiam salutaris; et spiritus Christi, qui super mel dulcis est, fiet in te fons aquæ salientis in vitam æternam. Et memento hanc esse aquam, quæ procedit de latere dormientis, et sine omni molestia fluit. C Oportet enim jam mortuum esse mundo, qui in hac voluerit gratia delectari. Ergo, ut breviter repetam, prima quidem a præteritis delictis abluit conscientiam; secunda, ut futura caveas, exstinguit concupiscentiam; tertia, si ad eam pervenire merueris, potat animam sitientem.

IN VIGILIA S. ANDREÆ APOSTOLI SERMO.

Quomodo jejuniis prævenire debeamus solemnitates sanctorum.

1. Sanctorum festa præcipua Patrum sanxit auctoritas votivis prævenienda jejuniis: utiliter plane, et non ad insipientiam nobis, si adfuerit qui advertat. Multa siquidem quotidie peccata contrahimus, et in multis offendimus omnes: nec tutum omnino est celebrandas suscipere festivitates sacras, maximeque eas quæ maximæ sunt, nisi prius abstinentiæ purificatione præmissa, quo et digniores, et capaciores inveniamur spiritualium gaudiorum. Sic enim justus in principio sermonis accusator est sui, nec nisi a propria reprehensione laudes incipit alienas. Quod si etiam justus trepidat sollicitus prævenire eum, qui ipsas quoque paratus est justitias judicare; quid agimus nos, quorum interim judicata non fuerint et tecta peccata? Timendum valde est, ne forte manifesta inveniantur præcedentia ad iudicium. Si nec justus sine modestia et verecundia quadam ad sanctorum præsumit accedere laudes; quanto magis peccator, in cuius ore non est laus

speciosa, timeat semper necesse est vocem illam: *Quare tu enarras justitias meas* (Psal. xlix, 16)? si-ve illum: *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem* (Matth. xxii, 12)? Beati proinde, qui stolam suam, dico autem gloriam conscientiam suam, solliciti sunt omni tempore conservare immaculatam, semper splendidam exhibere. Sed quia pauci sunt, qui sic omni custodia servant cor suum, pauciores autem, si tamen vel pauciores, qui in omni sanctimonia conservent illud: necesse est frequenti abstinencia maculas diluere subintrantes, præcipue cum præcipua quælibet solemnitas advenerit celebranda.

2. Nec modo tamen præparatio est ad proximam celebritatem observatio præmissa jejunii; est et admonitio quædam, eruditioque non parva. Discimus ex hoc ipso, quænam vera sit via festivitatis æternæ. Quid est enim quod jejuniis solemnitas prævenimus, nisi quod per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei? Indignus quippe so-

lemni lætitia est, qui statim in vigiliæ abstinentiam non observat. Plane, inquam, si tenuis affligere animam tuam in vigilia, indignus jure censeris requie et exultatione festiva. Est autem universum præsentis pœnitentiæ tempus, vigilia quædam solemnitatis magnæ, et æterni sabbatismi quem præstolamur. Nec causaberis vigiliam longiorem, si æternitatem festivitatis attendas. Licet enim habere præparationem soleant solemnia diurna diurnam: illa cum æterna sit, non exigit tamen æternam. Sed quo nos rapit jucundior illius memoria felicitatis? Hoc enim nomine et sæpius, et forte dignius nominatur illa festivitas. Redeundum nobis est ad id quod præ manibus est.

1059 3. Hodierni itaque jejunii, et ejus quam præstolamur solemnitatis et lætitiæ, causa est beata passio Andreæ apostoli. Dignum est enim ut, si cum eo pendere non possumus, cum eo vel jejunemus. Nam et ipsum cum biduo penderet in cruce, etiam jejunasse quis dubitet? Inveniamur ergo vel in exiguo communicantes passioni ejus, et si non simul affixi patibulo, simul afflicti jejunio: ut miserante Deo etiam coronæ participes simus; et in præsentibus quoque spiritualium socii gaudiorum. Quomodo enim non exultemus in memoria triumpho ejus, quem in ipsa sui præsentia supplicii tam vehementer novimus exultasse? An non erit læta festivitas, ubi et crux ipsa plena est gaudio? Siquidem et festivum solemus nominare quod lætum est; et crux a cruciatu utique dicitur, aut certe cruciatus a cruce. Quanta proinde exultatione universæ terræ celebrandum tantæ novitatis miraculum, tam magnificentum opus divinæ virtutis? Andreas homo erat similis nobis, passibilis, et tam vehementi ardore spiritus crucem sitiēbat, tam inaudito a sæculis gaudio tripudiabat, cum paratum sibi eminus patibulum conspexisset. « O crux, » inquit, « diu desiderata et jam concupiscenti animo præparata! securus et gaudens venio ad te, ita ut et tu exsultans suscipias me (74*). » Videtis quia non se capit præ magnitudine gaudii. « Ita, » inquit, « ut et tu exsultans. » Ergone tanta est exultatio, ut exsulet et ipsa crux, nec læti quidquam habeat, sed totum lætitiæ sit? Aut quis dicat minus contra consuetudinem, supra rationem, ultra naturam, crucem exsultare, quam crucifixum [alias, crucifixum] exsultare quam cru-

cem? Illi sensum lætitiæ natura negavit: huic si quid prævalet, gaudium omne exterminat, ingeritque dolorem. « Amator, » ait, « tuus semper fui, et desideravi amplecti te. » Fratres, ignis vibrans est, non lingua loquens: et si lingua, certe ignea est. Carbones sunt ignis illius, quem de excelso Christus miserat in ossibus ejus. Atque utinam desolatorii nobis sint, consumentes et exurentes quidquid in nobis est carnalis affectionis! Quales enim scintille sunt istæ, aut a quanto interiori incendio micant?

4. Plane, beate Andrea, granum sinapis est fides tua, quæ tam insperatum, ubi teri cœpit, cœpit ex se proferre fervorem. Quid si paulo amplius tereretur? Quis fervorem illum animus, quis verba illa sustinere posset auditus? Dum enim minus minaretur Ægeas, adhuc granum sinapis despicabile videbatur. Integrum erat, nesciebamus quid intus lateret. « Dominus, » inquit, « me misit ad istam provinciam, in qua non parvum ei populum acquisivi. » Accedat comminationis pistillum; longe jam acrius sapiet, constantiusque loquetur. Terrendum eum putat Ægeas, crucis supplicium minitans: sed non est ita. Accenditur magis in verbo hoc, et libere clamat: « Ego si patibulum crucis expavescerem, crucis gloriam non prædicarem. » At ubi paratum sibi lignum intuitus est, ex hoc jam plane totus ignescens applaudebat, et blandiebatur illi amatæ suæ: officiosissime salutabat, devotissime suscipiebat [alias, suscipiebat]; magnifice attollebat eam, et in ipsius præconio gloriabatur, clamans magis affectione quam voce: « Salve, crux pretiosa, quæ decorem et pulchritudinem de membris Dominicis accepisti! Salve, crux quæ in corpore Christi dedicata es, et ex membris ejus tanquam margaritis ornata! » Merito proinde crucis amatorem venerantur quicumque sunt servi crucis: sed ab his ampliore jure devotionem exigit, qui specialius proposuerunt tollere crucem suam. Vobis hoc et de vobis dico, fratres mei, qui non surda aure audistis illam evangelicam tubam: *Qui non bajulat crucem suam, et sequitur me, non potest meus esse discipulus (Luc. xiv, 27)*. Parati estote totam animi diligentiam huic adhibere solemnitati, et corde magno celebrare eam; quia magnus omnino consolationis pariter et exhortationis thesaurus vobis repositus est in ea, si fuerit qui fodiat et scrutetur.

IN FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI.

1060 SERMO I.

De tribus generibus piscium, qui sunt in mari, in flumine, et stagno [alias, de Mundis piscibus].

1. Celebrantes hodie gloriosum beati Andreæ triumphum, in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus exsultavimus et delectati sumus. Neque enim locus poterat esse tristitiæ, ubi tam vehementer lætabatur et ipse. Nemo ex nobis compassus est sic patienti; nemo ausus est plangere exsultantem. Alioquin et nobis ipse non incongrue dicere poterat, (74*) hæc relata ex sancti Andreæ actis, quæ presbyteris Achaïæ tribuuntur, quorum meminit ante

D quod Salvator crucem bajulans sequentibus se et lugentibus ait: *Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete (Luc. xxiii, 28)*. Denique cum duceretur ipse beatus Andreas ad crucem, populus qui sanctum et justum dolebat injuste damnari, prohibere voluit ne puniretur: sed magis ipse instantissima prece prohibuit eos, ne non coronaretur, imo ne non pateretur. Desiderabat siquidem dissolvi, et cum Christo esse, sed in cruce, quam semper amaverat; desiderabat regnum intrare, sed annos nongentos Beatus abbas Hispanus sub finem libri i contra Elipandum, haud scio an ullus ante eum.

per patibulum. Quid enim dicit illi amatæ suæ? « Per te, » inquit, « me recipiat, qui per te me redemit. » Ergo si diligimus eum, congaudemus ei, non solum quia coronatus, sed et quia crucifixus: quia desideria animæ ejus tribuit ei Dominus, et posuit in capite ejus coronam de lapide pretioso. Verumtamen dum congratulamur ei, quod diu desideratæ crucis frui mereatur amplexu, mirum valde est, si non ipsum ejus miramur gaudium, cui congratulamur.

2. Dum enim noctis hujus vigiliis celebrantes, in verbis tantæ exultationis cantando delectaremur, putas, non fuit in nobis, qui secum cogitaret et diceret: Quid sibi vult hoc? aut unde tam nova lætitia? Certe et crux pretiosa est, et crux amari potest, et crux habet exultationem? Ita est, fratres mei. Si fuerit qui colligat, semper lignum crucis vitam germinat, fructificat jucunditatem, oleum lætitiæ stillat, balsamum sudat spiritualium charismatum. Non est silvestris arbor; lignum vitæ est apprehendentibus eam. Arbor fructifera, arbor saluifera est: alioquin quomodo Dominicam occuparet terram? Illam dico pretiosissimam glebam, cui clavorum est infixæ radicibus. Si non esset hæc pretiosior cunctis, fructuosior universis; nunquam illo plantaretur in hortu, nec illam permetteretur vineam occupare. Denique quid mirum si cruci suavitatem dedit, qui dedit et igni? aut quomodo crux judicatur insipida, ubi dulce sapit et flamma? Quid enim sapiebat Laurentio ignis ille, cum rideret carnifices, judicem subsannaret? Quid nos ad ista dicemus, fratres? Cur non sapit etiam nobis, quæ pro Christo est tribulatio, nec gustamus et nos manna istud absconditum? Sic enim victus esset omnino diabolus, nec haberet penitus quod afferret [*alias*, auferret]. Sufficeret nobis hoc unum adversus duplicem malitiam inimici.

3. Habet quippe nequissimus ille laqueos, habet et jacula, utpote callidissimus venator hominum, solum sitiens sanguinem animarum. Alios telis appetit malitiæ cujuslibet suggestionis; et in eis vulnerat multos, quorum tenuis est patientia. Alios voluptatibus irretire laborat; et in his certe includit multitudinem copiosam eorum qui in terra repunt, aut volitant juxta eam. Sit ergo gaudium in tribulatione; et jam non habet malignus unde illiciat, non habet unde dejiciat: liberati sumus a laqueo venantium, pariter et a verbo aspero. Nihil enim proficiet inimicus in eo, quem crux Christi delectat, si carnalem suggererit delectationem: et filius iniquitatis non apponet nocere ei, si ad exasperandum animum ejus quamlibet immittere tentaverit **1061** amaritudinem. Non curat delicias, qui jejuniu pascitur: multo minus murmurare pro ea potest, in quo etiam delectatur. Plane altissimum posuit refugium suum, ubi nec muscipula inimici timenda sit, nec sagitta; inno vero mundus piscis est, squamas pariter et pinnulas habens. Porro sicut frustra jacitur rete ante oculos pennatorum, sic frustra jacitur telum in squamas loricatorum. Hujusmodi siquidem pisces mundos esse legalis sanctio judicabat, qui et

pinnis levantur, et proteguntur squamis: sive illi in mari sint, sive in flumine, sive in stagno (*Levit. xi, 9; Deut. xiv, 2*). Habet enim etiam mare hoc magnum et spatiosum pisces mundos, et Dominica dignos mensa; quia ex his qui in sæculi latitudine, habitu, actuque versantur, reliquit sibi multa millia, quos apostolica sagena trahit, ut cumeducta fuerit, segregentur a malis. Ubi sane sedebit et hic noster piscator hominum, qui totam nunc post se Achaiam trahit. Habet et flumen pisces mundos, quicumque inter dispensatores fideles inveniuntur. Fluvius quippe est prædicatorum ordo, non in eodem permanens loco, sed extendens se et currens, ut diversas irriget terras. Sunt et in stagnis mundi pisces, qui in claustris Deo serviunt in spiritu et veritate.

B Merito siquidem stagnis monasteria comparantur, ubi quodam modo incarcerati pisces evagandi non habeant libertatem, quo videlicet parati sint semper ad epulas spirituales, dicentes singuli intra se: Quando veniet qui me deferat? Cunctis diebus, quibus nunc milito, exspecto donec veniat immutatio mea.

4. Porro, ut de lege supra meminimus, sive in mari, sive in flumine, sive in stagno, illi mundi sunt pisces, qui squamas et pinnulas habent. Sunt autem squamæ multæ, sed una ex eis quodam modo lorica contextitur; quia una est patientiæ virtus, licet singulis tribulationibus exhibere singulas videamur. Jam vero sicut squamas ad patientiam, sic pinnulas quoque ad hilaritatem arbitror non incongrue posse referri. Hilaritas quippe levat et sublevat, ut saltus quosdam in altum dare videatur, quisquis exhilaratur. Sane ut duas habeamus pinnulas, duplex nobis hilaritas quærenda est. Et forte propterea docet Apostolus (ille enim vere pennas habebat, quibus et in tertium usque cælum raptus est, et volavit etiam in paradisu) non solum gloriari in spe, sed etiam gloriari in tribulationibus (*Rom. v, 2, 3*). Prorsus subllime volat quisquis ille est, quem non modo futurorum exspectatio bonorum, sed præsentium quoque malorum exhibitio ipsa delectat, ita ut in ea etiam gloriatur. Talem invenimus hunc beatum Apostolum, talem miramur, talem merito prædicamus.

5. Unde et triplicem hic licet considerare gradum; incipientium, proficientium, perfectorum. Initium D enim sapientiæ, timor Domini (*Eccli. 1, 16*); medium, spes; charitas, plenitudo. Denique Apostolum audi, quia *plenitudo legis est charitas* (*Rom. xiii, 10*). Qui initiatur a timore, crucem Christi sustinet patienter; qui proficit in spe, portat libenter; qui vero consummatur in charitate, amplectitur jam ardentem. Solus etenim iste est qui dicere possit, quia « amator tuus semper fui, et desideravi amplecti te. » Longe est vox ista ab eo qui sustinet quidem, sed optaret omnino, si posset, non venisse in hanc horam. Denique, si non videor temerarius longe est ab ea voce: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* (*Math. xxvi, 39*). Quid enim? Certe super asellum ascenderat, ut ne hic quidem hostibus relinqueretur. Agnosco plane in duce Belli pusillanimo-

rum trepidationem, agnosco ægroti vocem in medico, agnosco infirmantem gallinam cum pullis; considero charitatem, stupeo miserationem, expavesco dignationem. Misericors Dominus non beati Andree robustum sibi suscepit affectum; quia non est sanis opus medicus, sed male habentibus (*Matth. ix, 12*). Si quem forte dignatio scandalizat, plane meretur audire: *Nonne oculus tuus nequam est, quia ego bonus?* (*Matth. xx, 15*.) Huic enim odor vitæ in mortem est.

6. Quid magnum fuerat, Domine Jesu, si accedente hora propter quam veneras, intrepidus stares, tanquam **1062** qui potestatem habebas ponendi animam tuam, et nemo eam tollebat a te? Aut non longe gloriosius fuit, quandoquidem totum propter nos agebatur, ut non modo passio corporis, sed etiam cordis affectio pro nobis faceret: et quos vivificabat mors tua, tua nihilominus et trepidatio robustos, et mœstitia lætos, et tædium alacres, et turbatio quietos faceret, desolatio consolatos? Lego quidem in Lazari resurrectione, quia *infremuit spiritu, et turbavit se ipsum* (*Joan. xi, 33, 38*). Sed esto interim, quia se ipse turbavit; non conditionis necessitate, sed suæ beneplacito voluntatis. Nunc autem aliquid jam amplius audio. Usque adeo siquidem prevaluit ea quæ fortis est ut mors dilectio, ut Christum angelus Dei confortaverit. Quis, quem? Evangelistam audi: *Apparuit, inquit, angelus confortans eum* (*Luc. xxii, 43*). Quem eum? Plane eum, cui nascitur o clausus patuit Virginis uterus; cujus nutu in vinum aqua mutata est; cujus tactu lepra fugata; sub cujus plantis solidum mare stetit; ad cujus vocem mortui surrexerunt: denique eum, qui portat omnia verbo virtutis suæ; per quem facta sunt omnia; per quem universa subsistunt, etiam et angelus ipse. Et quid dicam? Quem eum? Minus enim morarer, si non penitus esset indicibilis. Confortans ergo eum, cujus ne ipse quidem confortator suus capere poterat majestatem.

7. Rogo te, angele, quem consolaris? An ignorabas quis esset, ad quem consolandum veniebas? Certe consolator est, certe Paracletus est: alioquin non diceret, alium Paracletum a Patre mittendum apostolis (*Joan. xiv, 16*), si non esset et ipse Paracletus. Denique agnosco et in hoc ipso Paracletum maximum, agnosco Paracletum benignissimum, qui prope sit his qui tribulato sunt corde. Non despero jam, Domine, etiamsi molesta mihi videatur tribulatio quam patior, etiamsi pusillanimis sum, etiamsi desidero ut transferatur calix a me. Non despero, inquam, dummodo addam et ipse: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu* (*Matth. xxvi, 39*). Didici etiam ex hoc ipso, non ad carnalem sive caducam recurrere consolationem, sed ad angelicam, sed ad cœlestem. Ita plane, dummodo non murmurem (idenim penitus separaret a te, si non citius resipiscerem); non renuo, etiamsi opus habeo consolari. Quidenim? agnosco vocem meam in Salvatore, et de salute desperem? Plane in patientia mea possidebo animam meam.

8. Verumtamen proficere volo, si possum, nec

A statim adepta salute esse contentus. *Qui timet Deum, ait Sapiens, faciet bona* (*Eccli. xv, 1*). Sed parum est; scriptum est enim: *Declina a malo, et fac bonum; inquire pacem et persequere eam* (*Psal. xxxvi, 27*). Noli esse salute contentus: quære pacem, ne tibi sit in periculo etiam salus ipsa. Audi ergo angelum nato eo, qui factus est pax nostra, exultantem atque canentem: *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis* (*Luc. ii, 14*). Quæ autem bona, nisi ordinata voluntas? Quænam est illa, inquis? Profecto quæ rationi consentanea est, dicenti: *Quia non sunt condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom. viii, 18*). Hoc si jam sentire cœpisti, haud dubium quin libenter feras crucem Domini, et dicas: *Paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua* (*Psal. cxviii, 60*).

B 9. Attamen si vis perfectus esse, unum adhuc tibi est necessarium. Quid illud, inquis? Profecto gaudium in Spiritu sancto. Siquidem et is qui timore coercetur, et patiens est; et qui ratione spei ducitur, et benevolus est; nisi etiam fuerit fervens spiritu, facile labi potest. Porro quæ per Spiritum diffunditur charitas, et patiens, et benigna est; et, quod est amplius, nunquam excidit. In primo denique mandato quod parentibus nostris datum est, si diligenter consideres, et Eva patiens, et Adam benevolus fuisse videntur. Quia tamen uterque cecidit, liquet quod stabili non erat ille vel illa gradu. *Vidit mulier lignum, ait Scriptura, quod esset pulchrum visu, et ad vescendum suave*. Non tibi videtur vix continere manum? Sic et ubi a serpente interrogata est, vide si non manifeste sonant verba ejus molestum ei fuisse mandatum. *Ex omni, inquit, ligno paradisi comedimus, de ligno autem scientiæ boni et mali dixit nobis: Ne comedamus* (*Gen. iii, 2, 3*). Non dicit: Sic est voluntas Creatoris: quare sic, ipse novit; nobis sufficit obedire, quia vita nostra in voluntate ejus. Itaque facile seducta est mulier et promissioni credere, et acquiescere persuasioni. Vir autem non seductus est (*I Tim. ii, 14*), sed subversus mulieris amore. Optaret enim semper servare mandatum, quod sibi utile noverat, si non mulier ei aliud suaderet. Nec aliquam in servando mandato visus est pati difficultatem; sed quæ bona voluntas erat, non habuit fortitudinem, quia non habuit fervorem.

D 10. Fortis quippe est ut mors, non patientia aut spes, sed dilectio (*Cant. viii, 6*); non timor aut ratio, sed spiritus fortitudinis est. Dicit patientia: Sic oportet fieri, quia timore urgetur. Dicit voluntas bona: Sic expedit, et sic agendum est; quia spei attrahitur ratione. Charitas vero quæ inflammatur a spiritu, neque: Sic oportet, dicit, neque: Sic expedit; sed: Sic volo, inquit, sic cupio, sic desidero vehementer. Videtis quanta sublimitas, videtis quanta securitas, quantaque suavitas charitatis. Felix anima, quæ ad hunc charitatis pervenerit statum! Nec sane desperandum nobis, quandoquidem ejus, qui ad hunc pervenit gradum, ob hoc maxime

memoria celebratur, ut ipsius et invocemus auxilium, et provochemur exemplo. Plus dico, et ex nobis nonnullos videre mihi videor in hoc gradu. Si dicis beatum Andream apostolum esse, nec posse te, qui pusillus es, ejus sequi vestigia; pudeat certe vel eos qui tecum sunt, non imitari. Nemo repente fit summus; ascendendo, non volando apprehenditur summitas scælarum. Ascendamus igitur, velut duobus quibusdam pedibus, meditatione et oratione. Meditationis quidem docet quid desit; oratio ne desit obinet. Illa viam ostendit, ista deducit. Meditatione denique agnoscimus imminetia nobis pericula; oratione evadimus, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO II.

De quatuor cornibus crucis.

1. Beati Andree apostoli solemnitas hodie celebratur: quam si pia sollicitudine perscrutemur, multa invenimus in ea quæ ædificant animas nostras. In ipso siquidem conversionis suæ initio magnum nobis perfectæ obedientiæ præstat exemplum. Quod quidem Christianis omnibus necessarium, nobis tamen est charius amplectendum, qui nimirum specialiter ex ipsa professione nostra tenemur obedientiæ debitores. Sapiens nummularius [*alias*, mercator] est, imo ipsa Sapietia, cui necesse habemus reddere hunc obedientiæ nummum; nec suscipiet eum, nisi et integer inveniat, et sine aliqua falsitate. Nam si discutimus, si dijudicamus, et in hoc quidem præcepto obedimus, sed non in illo; fractus est nummus; non suscipiet eum Christus, a quo nimirum tenemur nummi, non fracti, sed integri debitores. Omnes enim obedientiam simpliciter, et sine ulla exceptione promisimus. Quod si quis obediatur quidem, sed simulatorie et ad oculum, murmuret autem in abscondito: falsus est nummus ejus; plumbum habet, non argentum, et iniquitas sedet super talentum plumbi. Dolose agit, sed in conspectu Dei, quoniam Deus non irridetur.

2. Vis audire perfectæ obedientiæ formam? *Vidit Dominus*, ait evangelista, *Petrum et Andream mittentes rete in mare; et ait illis: Venite post me, faciam vos fieri pisces hominum.* Faciam, inquit, de piscatoribus pisces, imo prædicatores. *At illi continuo*, nihil dijudicantes aut hæsitantes, non solliciti unde viverent, non considerantes quoniam modo rudes homines et sine litteris prædicatores fieri possent; nihil denique interrogantes, sine omni mora *relictis retibus et navi secuti sunt eum* (*Matth. 17, 18-20*). Agnoscite, fratres, quoniam propter vos singulis annis in Ecclesia 1064 recitantur; ut discentes veræ obedientiæ formam, castigetis corda vestra in obedientia charitatis. Hæc nimirum est quæ sola commendat obedientiæ nummum, hoc illius argentum est probatum atque purgatum. Sola enim est charitas, quæ obedientiam gratam facit et acceptabilem Deo. *Hilarem quippe datorem diligit Deus* (*II Cor. 13, 7*). Et item: *Si tradidero*, inquit, *cor-*

pus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest (*I Cor. 13, 5*).

3. Vultis ut de ipsa quoque beati hujus apostoli passione, quam nimirum hodie celebramus, loquamur aliquid ad laudem Christi, et ad ædificationem vestram? Audistis certe, cum pervenisset beatus Andreas ad locum ubi crux parata erat, quomodo confortatus sit in Domino; et per Spiritum, quem una cum cæteris apostolis in igneis linguis acceperat, verba vere ignea loqueretur. Videns enim paratam eminus crucem, nequaquam, ut exigere videtur mortalis infirmitas, facies ejus expalluit, nequaquam sanguis ejus gelatus est; non steteret comæ, aut vox faucibus hæsit; non contremuit corpus, non mens ejus turbata est; non recessit, ut assolet, intellectus.

B Ex abundantia cordis os locutum est, et charitas quæ fervebat in corde, quasi scintillas quasdam ardentissimas emittebat in voce. Quid enim beatus Andreas, cum sibi paratam, ut dixi, crucem eminus cerneret, loquebatur? « O crux, » inquit, diu desiderata, et jam concupiscenti animo præparata! securus et gaudens venio ad te; ita ut et tu exultans suscipias me, discipulum ejus, qui pependit in te; quia amator tuus semper fui, et desideravi amplecti te. » Obsecro, fratres, homo est qui loquitur hæc? an non est homo, sed angelus, aut nova aliqua creatura? Homo plane similis nobis, passibilis. Nam passibilem eum passio ipsa testatur, qua appropinquante tam lætabundus exultat. Unde ergo in homine nova hæc exultatio, et lætitia hactenus inaudita? Unde in tanta fragilitate tanta constantia? Unde in homine tam spiritualis mens, tam fervens charitas, animus tam robustus? Absit ut a se ipso tantam ei credamus inesse virtutem! Donum perfectum est, descendens a Patre luminum, ab eo utique qui facit mirabilia magna solus.

4. Plane spiritus erat, dilectissimi, qui adjuvabat infirmitatem ejus, per quem diffundebatur in corde ipsius charitas fortis ut mors, imo et fortior morte. Cujus, o si et nos participes inveniamur! Ecce enim molestus est nobis pœnitentiæ labor, corporis afflictio gravis, abstinentia onerosa. In vigiliis dormitat anima nostra præ tædio, non ob aliud sane, quam propter inopiam spiritus. Ipse enim si adesset, adjuvaret sine dubio infirmitatem nostram: et sicut beato Andree crucem et mortem ipsam, sic nobis quoque laborem, et pœnitentiam nostram faceret, non solum non modestam, sed etiam desiderabilem, atque omnino delectabilem esse. *Spiritus enim meus*, ait Dominus, *super mel dulcis* (*Ecl. 14, 27*); ita ut ne ipsa quidem dulcedini ejus prævalere queat, amarissima licet, mortis amaritudo. Quid non temperabit illa dulcedo, quæ mortem quoque facit esse dulcissimam? quæ resistere possit asperitas unctioni illi, quæ mortem quoque facit suavissimam? *Cum dederit*, ait, *dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini* (*Psal. cxxvi, 2, 3*). Quam molestiam non expellet gaudium illud, quod mortem quoque ipsam facit lætissimam? Queramus

hunc spiritum, fratres : tota sollicitudine operam denus, ut mereamur habere hunc spiritum, imo ut quem jam habemus, abundantius adhuc habeamus. Quicumque enim spiritum Christi non habet, hic non est ejus (Rom. viii, 9). Nos autem non accepimus spiritum hujus mundi, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis (I Cor. ii, 12). Testimonium præsentiae ejus præbent opera ipsa salutis et viæ, quæ nullatenus agere possemus, nisi spiritus Salvatoris adesset qui vivificat animas nostras. Quæramus igitur ut dona sua multiplicet Deus in nobis, et spiritum suum augeat, qui jam primitias dedit. Nullum enim omnino præsentiae ejus certius testimonium est, quam desiderium gratiæ amplioris, quoniam ipse dicit : **1065** *Qui edunt me, adhuc esurient; et qui bibunt me, adhuc sitient* (Ecclesi. xxiv, 56).

5. Sed fortasse multorum nobis conscientiae jam respondent : Desideramus quidem hunc Spiritum, qui sic adjuvet infirmitatem nostram ; sed invenire non possumus. Et ego dico : Propterea non invenitis, quia non quæritis ; propterea non accipitis, quia non petitis. Petitiss, et non accipitis, eo quod negligenter petatis (75). Nihil enim aliud expectat, nihil aliud quærit Deus, nisi ut sedule et cum desiderio requiratur. Denique quando negabit petentibus, qui etiam non petentes provocat, et hortatur ut petant ? Si vos, inquit, cum sitis mali, nostris bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se ? (Luc. xi, 43). Petite ergo, charissimi, petite sine intermissione, petite sine hæsitatione ; et in omnibus operibus vestris dulcissimi semper hujus ac suavissimi Spiritus præsentiam et auxilium invocate. Et nos enim, fratres, cum beato Andrea necesse habemus tollere crucem nostram, imo cum eo, quem et ipse secutus est, Domino Salvatore. Inde enim sic lætabatur, inde sic exultabat, quod non solum pro eo, sed etiam cum eo mori videretur, et complantari similitudini mortis ejus, ut compatiens etiam conregnaret. Cum quo ut simul crucifigamur et nos, attentis auribus cordis audiamus vocem dicentis : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* (Luc. ix, 23). Ac si dicat : Qui me desiderat, se despiciat : qui vult facere voluntatem meam, discat frangere suam.

6. Sed continuo bella insurgunt, armantur protinus adversum eos inimici. Et nos armemur contra ; imitemur arma regis nostri, ut tollamus et nos crucem nostram, in qua de inimicis omnibus triumphemus. Audi enim quid Psalmista promiserit, imo Spiritus sanctus per os ejus : *Scuto, inquit, circumdabit te veritas ejus*, haud dubium quin Altissimi ; de eo siquidem loquebatur, sicut manifeste indicant ipsius psalmi præcedentia verba. Ad quid, fratres, scuto circumdamur, nisi quia nos undique bella circumdant ? Denique quid causæ sit ut te scuto circumdet, attende. *Scuto, inquit, circumdabit te*

A veritas ejus. Ad quid enim ? Non timebis, inquit, a timore nocturno ; a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et dæmonio meridiano (Psal. xc, 5, 6). Videsne quam necesse sit, ut scuto circumdet te veritas, quem sic hostium tela circumdant ? ab inferiori enim parte timor nocturnus insurgit, a sinistris sagitta volat in die, a dextris perambulat negotium tenebrosum : et ut nihil sit vacuum, a superiori parte dæmonium meridianum insurgit [*alias, occurrit*]. Nos autem miseri et miserabiles, vicinis tot serpentibus, et igneis telis undique volantibus, undique insurgentibus inimicis, nihilominus perniciose securitate et negligentia dormitamus, torpemus otio, vanitatibus et scurrilitatibus indulgemus, tam pigri ad spiritualia exercitia, ac si jam pax sit et securitas, et non sit militia vita hominis super terram. Hoc est, dico vobis, charissimi, quod me vehementius terret, quod omnino timoris acerbissimi gladio transverberat animam meam ; quod inter tanta pericula minus timorati, minus exercitati [*alias, excitati*], minus quam necesse sit solliciti videamur. Siquidem unum e duobus hæc ipsa negligentia nostra probat ; aut omnino traditos nos hostibus, et nescire ; aut certe, si inter hæc conservamur, ei qui tuetur nos, ingratos nimium inveniri. Quorum utrumque quid periculi habeat, satis manifestum est. Propterea, obsecro vos, dilectissimi, ipsa nos excitet hostium malitia pervigil, et instantia eorum maligna, qua tam seduli, tam solliciti sunt in nostram perditionem [*alias, persecutionem*], nos quoque sollicitos faciat et circumspectos, ut in timore et tremore nostram ipsorum salutem operemur.

7. Ecce enim in cruce est salus nostra : tantum ut ei **1066** viriliter inhæreamus. *Verbum crucis, ait Apostolus, pereuntibus quidem stultitia ; his autem qui salvi fiunt, id est nobis, virtus Dei est* (I Cor. i, 18). Ipsa est scutum quo circumdamur, ut ejus quatuor cornua quadrifaria hostium tela repellant. Sit ergo inferius cornu contra timorem nocturnum, id est adversus pusillanimitatem, quæ de carnis afflictione procedit, ut id quod sub nobis est, corpus castigare viriliter studeamus, ac subicere servituti. Si quis vero nobis in faciem maledicit, si quis aperte mala suadere conatur ; in die volat sagitta, et a sinistris est, sinistro nihilominus cornu crucis excipienda. Quod si adulator, si quasi consulens animo venenum propinat fraternæ detractionis, et odium seminare conatur, si denique iniquum aliquid tanquam justum persuadere tentat, a dextris est mihi iste ; sed Judas est, osculo me prodit, et dextro cornu crucis negotium perambulans in tenebris necesse est propulsari. Sed ecce dæmonium meridianum, superbix scilicet spiritus, qui nimirum in splendore majori virtutum acrius insurgere solet. Hæc autem quam perniciose sit, sæpius vobis intimare curamus. Initium quippe omnis peccati, et causa totius perditionis, superbia est. Propterea

(75) Ingratitudinem in causa esse dicit sermone 27 de Diversis.

quisquis es qui salutem tuam operari studes, adversus hanc super caput tuum cornu crucis habere memento, ut non eleveris in superbiam, non exaltetur cor tuum, non ambules in magnis, neque in mirabilibus super te; sed tela ea, quæ de sublimi veniunt, supereminens capiti tuo cornu crucis excipiat. Sane hoc solum est, cui salutis pariter et regni titulus inscribitur; quia solus qui se humiliat, salvari et exaltari meretur.

8. Jam ut breviter repetam, quatuor hæc cornua sunt continentia; patientia, prudentia et humilitas. Felix anima, quæ in hac cruce gloriatur, in hac cruce triumphat! tantum ut perseveret in ea, et

nullis valeat tentationibus dejici. Oret igitur quisquis in hac cruce est, oret cum beato Andrea Dominum et magistrum suum, ne patiat eum de cruce deponi. Quid enim malignus ille non audeat, quid non presumat impius attentare? Quod Ægææ manibus de discipulo, hoc Judæorum linguis facere cogitaverat et de magistro. In utroque tamen sera pœnitentia ductus, victus et confusus abscessit. Utinam abeat similiter et a nobis, eo vincente, qui et in se, et in discipulo triumphavit! Faciat ipse, ut mereamur et nos in hac nostra quocumque cruce pœnitentiæ, quam pro ipsius nomine tulimus, feliciter consummari, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

IN OBITU DOMNI HUMBERTI (75*), MONACHI CLARÆ-VALLENSIS SERMO.

1. Humbertus famulus Domini mortuus est, devotus famulus, servus fidelis. Ipsi vidistis, quomodo nocte præterita inter manus nostras exspiravit, tanquam unus ex vermiculis terræ. Per hoc triduum fatigavit eum mors, et demolita est intra fauces suas, ut satiaretur sanguine quem sitiivit. Eia, fecit quod potuit; occidit carnem, et ecce recondita est in corde terræ. Separavit a nobis dulcem amicum, prudentem consiliarium, auxiliarium fortem. Nec mihi, nec vobis pepercit insatiabilis homicida, mihi autem minus. Sicine separas, amara mors? O bestia crudelis! o amaritudo amarissima! o terror [alias, fetor] et horror filiorum Adam! quid fecisti? Occidisti. Sed quid? Carnem utique solam: animæ enim non habes quid facias. Volat ad Creatorem suum, quem tam ardentem concupierat, tam fortiter secuta fuerat omnibus diebus vitæ suæ. Sed **1067** et ipsum corpus quod videris habere, auferretur a te, cum tu novissima inimica destrueris, et absorberis in victoria. Reddes utique, reddes aliquando corpus istud, quod ad signum adventus tui tantis hesternis die sputis et execrationibus, ac multiplici sordium squalore repleveras, lætabunda et laudans, quia et hunc tuis laqueis irretisses. Veniet Unigenitus Patris cum potestate magna et majestate Humbertum quærere, et illud idem cadaverosum corpus configurare corpori claritatis suæ. Tu autem quid? Profecto, quod in Jeremia scriptum est, in novissimo dierum stulta remanebis (*Jerem. xvii, 41*), et Humberto in æternum vivente, tu in perpetuum morieris. Evomit prophetam marina bestia, quem deglutierat (*Jonæ ii, 41*): et tu Hum-

bertum reddes, quem videris tuo vastissimo ventre conclusisse.

2. De cætero, fratres, factitium vobis sermonem in omni forma sanctitatis iste Dei servus exhibuit (76), quem et longum fecit et magnum. Longum, quantum ad longinquitatem vitæ [alias, vitæ]; magnum, quantum ad vitæ sublimitatem. Non oportet me amplius aperire os meum, si bene retinueritis sermonem ejus, si vestris illum cordibus impressistis. Quinquaginta annos, et eo amplius, vixit in servitio illius, cui servire regnare est, quia puerilibus annis locatus est in sanctuario Dei (76*). Nobiscum triginta annis (77) ab ipso pene principio monasterii hujus conversatus est, non solum sine querela, sed et cum gratia: cujus ex hoc memoria in benedictione erit vobis, et generationi quæ ventura est. Sicut advena et peregrinus pertransiit viam et vitam istam, quantum minus potuit de mundi rebus accipiens, utpote sciens quia non erat de hoc mundo. Non habebat hic manentem civitatem, sicut nec patres sui; sed in anteriora extensus, sequebatur ad palmam supernæ vocationis. Nihil habet mundus, quod jure clamet in eo, vel de eo; quia nec mundus ei placuit, nec ipse mundo. Quantum parcius potuit, de substantia ejus accepit; et minus accepisset, si non obedientia coegisset. Victum et vestitum habens, his contentus fuit, non ad superfluitatem, sed ad necessitatem: nisi quod ipsam quoque necessitatem, superfluitatem esse sæpius causabatur. Ante hos paucos dies, si bene memini, dum colloqueremur ad invicem, dicebat se monasterii hujus præbendarium esse (77*), et tanquam nullius utilitatis bo-

Exordium magnum Cisterciense variis in locis, maxime lib. 3, cap. 4, ubi hujus sermonis fit mentio. (76) Id est factorum seu exemplorum, quæ Humbertus exhibuit. (76*) Nempe in monasterio Casæ-Dei, ubi viginti a prima ætate annos monachus vixit, antequam ad Claram-Vallem se reciperet: quod factum sub annum 1118. (77) Totidem annos habet Exordium magnum Cisterciense lib. 3, cap. 4. (77*) Præbendarii vocabantur etiam pauperes, qui quotidianum comestum ab aliis accipiebant. Ita Bernardus sermone I in festo Omnium Sanctorum, num. 2: «Mendici sumus, in præbenda Dei viventes.»

(75*) In codice regio post sermones de Dedicatione habetur hic sermo sub hoc titulo. *In obitu reverendissimi patris Humberti*, scilicet abbatis Ignaicensis, ad quem epistola 144, ubi a Bernardo arguitur, quod regimem inconsulto abdicasset. Mirum est, nullam hic de Humberti abbati dignitate fieri mentionem. Fuit et aliter Humbertus itidem Claræ-Valleensis, de quo Nicolaus Bernardi notarius in epistola 15: «Humbertus ille, qui hominem exuit, non est ille communis pater, de quo tu dubitas.» Porro similes in obitu suorum funebres orationes habebat Vir sanctus, ut de Gerardo fratre sermonem 25 in Cantica: item de quodam Converso in lib. 7 Vitæ, cap. 26. De Humberto abbate vide lib. 1 Vitæ, num. 48, et

minem pasci in domo Dei. Erat enim vere mitis, et humilis corde : et cum cæteris floreret virtutibus, gratiam tamen mansuetudinis specialiter obtinebat. Ideo sese amabilem et affabilem omnibus exhibebat, sicut erat amabilis valde.

3. Verumtamen in his omnibus quam circumcisum fuerit os ejus et lingua, omnes vos plenissime cognovistis, qui tandiu vidistis ejus conversationem, et sermonem ejus audistis. Quis unquam ex ore ejus sonum detractationis, verbum scurrilitatis, sermonem gloriæ, invidiæ vocem audivit? Quis eum vel alios judicantem, vel judicanti consentientem aliquando deprehendit? Quis eum loquentem inania audire potuit? imo quis non ab eo timuit, si talia forte loqueretur, audiri? Nimirum sollicite custodiebat vias suas, ut non delinqueret in lingua sua; sciens quia qui in verbo non offendit, hic perfectus est vir (*Jac. iii, 2*). Longe a te, Humberte, vae illud evangelicum: *Vae vobis qui nunc ridetis, quia flebitis* (*Luc. vi, 25*). Nunquid aliquis vestrum cum ridentem, etiam inter multos ridentes, invenit? Serenabat quidem vultum suum assidentium gratia, ne fieret onerosus; sed risum integrum, si bene recolitis, non admisit. Porro quanti fervoris in opere Dei diebus et noctibus fuerit, non solum vidistis, sed etiam admirati estis usque ad diem mortis suæ. Cum enim fere jam ad decrepitam pervenisset ætatem, præter incommoda senectutis, **1068** etiam tot et tantis infirmitatibus, quas multi vestrum non ignorant, lassatus atque quassatus; erat tamen, ut dicitur, animus victor annorum, et cedere nescius infirmitati. Denique in frigoribus et caloribus per montes et valles ascendens et descendens, juvenum laborem prosequatur, ita ut admirationi esset omnibus et stupori. Si eum quandoque propter multitudinem negotiorum consilii gratia retinuissem, tristis perseverabat et nubilus, donec vestro consortio redderetur. Rarissime unquam solemnibus vigiliis, quas tamen non raro anticipabat, rarissime cæteris horis psallentium choro inventus est defuisse: nec nisi ea necessitate, ut ex instanti responsum mortis habens, infirmitas sequeretur.

4. Porro in refectorio vix communibus utens cibis, si quid forte aliud apponeretur (78), aut non accipiebat, aut tam moleste accipiebat, ut super hoc universitatem nostram sæpius molestaret. Decreverat aquam libere semper, si non totis viribus restituissem. Vinum si quandoque bibere cogerebatur, erat vinum colore potius quam sapore, adeo illud aquis nimis obruebat. Vix unquam obedientia compellente infirmitorium introivit; vix, cum intrasset, teneri potuit. Fateor, minus obediens in hac parte, quod auctoritatis suæ mole me premeret. Laudo eum, in hoc non laudo; quia, sicut vos scitis, non parum in hujusmodi perstitit obstinatus. Credo quia si

(78) Ergo infirmis aliud nonnunquam in refectorio sanctus Pater præberi curabat præter communes cibos, ut in sermone 36 de Diversis, num. 2. De vini usu vide notas in epistolam 1.

A quid triste sensit, propter hoc sensit, quod nobis minus consensit de necessitate corporis sui (78*). Sed qualis erat in consiliis? Purus utique et discretus: quod ego tanto melius novi, quanto sæpius tetigi pectus ejus. Non solus autem novi hoc; novit et universitas vestra. Quis denique multitudine vel magnitudine tentationum percussus, non audivit ab ore ejus et radicem tentationis, et curationis remedium? Ita enim percurreret omnes angulos conscientia infirmantis, ut credere posset qui confitebatur, eum vidisse omnia, omnibus interfuisse.

5. Quantæ autem charitatis erat? Sic se induerat viscera pietatis, ut omnes excusaret, pro omnibus intercederet, nescientibus illis pro quibus loquebatur; non personarum acceptor, sed necessitatum. **B** Erat ergo humilis corde, dulcis sermone, strenuus opere, fervens charitate, in commisso fidelis, in consilio circumspectus et prudens. Compositus erat super omnes homines, quos viderim in diebus istis; unus et idem perseverans omni tempore, et omni hora. Plane in semitis Domini Jesu posuit vestigia, nec retraxit pedem, donec cursum itineris consummaret. Ille fuit pauper, pauper et iste fuit. Vixit ille in laboribus, et hic in laboribus multis. Crucifixus est ille, et iste multis et magnis crucibus affixus, stigmata Domini Jesu tulit in corpore suo, adimplens ea quæ deerant passionum Christi etiam in carne sua. Resurrexit ille, et iste resurget. Ille ascendit in cælum, et iste creditur ascensurus.

C Ascensurus plane, cum rex gloriæ propter nos descendet, sicut prius ascenderat, ut notam faciat potentiam suam: cum non minoris excellentiæ sit descendere per aera, quam per aërem ascendisse. Sic enim olim angeli prædixerunt; quia *hic Jesus qui assumptus est a nobis in cælum, sic veniet, quem admodum vidistis eum euntem in cælum* (*Act. i, 11*). Ne laudaveris hominem in vita sua, dicit Scriptura (*Eccli. xi, 30*), pro eo quod non est secunda laudatio nisi post mortem. Hoc et ego in eo studiose servavi, qui dum adviveret, in hujusmodi non aperui os meum; ne forte possemus vel ego adulationis notam, vel ille culpam incurrere vanitatis. Ex hoc sane neutrum jam timetur; nec ego eum video, et ille forsitan me non audit. Sed etsi audiat, non movetur hominum verbis, fortius inhærens atque felicius Verbo Dei. Nihil proficiet inimicus **1069** in eo, et vanitatis suggestor non apponet nocere ei.

6. Ecce jam coram te est, Pater dulcissime, fons ille puritatis, quem tanto ardore animi sitiebas: ecce immersus es in illam divinæ pietatis abyssum, cujus memoriam abundantia suavitatis tam devote eructare solebas. Quis enim tam devotus prædicator pietatis divinæ, quis humanæ puritatis commendator tam studiosus, quis utriusque rei tam affectuosus amator erat? aut cui aliquando quinque verba locu-

(78*) Idem legitur de eo in jam laudato Exordio. Conferendus Bernardi sermo 19 in Cantica, num. 7, ubi religiosos in ejusmodi austeritatibus propriae voluntati nimis quam addictos arguit.

tus es, in quibus non vera puritas resonaret, in quibus non sancta Dei pietas audiretur? Non ergo super te doleo, cui desiderium animæ tuæ tribuit Deus: mihi potius ademptum doleo fidele consilium, auxilium grande, virum unanimum, hominem secundum cor meum. In me hæc omnia mala reciderunt. In me transierunt iræ tuæ, Domine Jesu, et terrores tui conturbaverunt me. Elongasti a me amicum et proximum, et notos meos a miseria extrahens, me in miseris reliquisti. Abstulisti mihi germanos carne, germaniores spiritu, et in tuis negotiis, et in sæcularibus secundum te sapientes. Sustulisti hinc alios atque alios, qui onus meum portabant, onus grande, quod mihi imposuisti. Unus mihi et prope solus Humbertus supererat e tantis necessariis meis, eo suavior amicus, quo antiquior: et hunc tulisti, quoniam tuus erat. Ego, ego solus ad verbera relinquo, ego morior in singulis, et omnes fluctus tuos induxisti super me. Utinam quem flagellas, occidas semel, et non miserum hominem tot et tantis mortibus serves! Verumtamen non contradico sermonibus sancti; sed qui cœpit, ipse me conterat: et hæc mihi consolatio sit, quod affligens dolore, non parcat. Ego in flagella paratus sum, si forte pius Pater in beneficia flagella commutet. Unde et verba mea non murmure plena sunt, sed dolore. Non ploro Humbertum: neque enim ille plorandus est, qui vocatus est ad mensam divitis; sed super me et super vos ploro, super domum istam, super cæteros fratres nostros, qui omnes ab ejus ore consilium exspectabant. Sic et Salvator crucem suam, tanquam latro suum laqueum, portans, cum mulieres, quæ eum a Galilæa secutæ fuerant, super se lamentantes respiceret, conversus ad eas dixit: *Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros (Luc. xxiii, 28). Etenim ea quæ de me sunt, finem habent (Luc. xxi, 37)*. Quæ videtis mihi præparari, temporalia sunt; quæ non videtis, æterna. Si temporalia sunt, transitoria sunt; si transitoria sunt, et mortalia sunt: et transcundi vel moriendi argumentum hoc solum est, quia videri possunt. Temporalia fuerunt quæ in Humberti morte conspeximus: sed jam obtinet gaudium et lætitiā in perpetuas æternitates.

7. Non est ergo lugendus nobis, cui nec luctus,

nec dolor est. Sed nec pro nobis, quibus ille sublatus est, murmurandum: magis gratias agamus, quod tandiu concessus est nobis. Siquidem, ut ego arbitror, decennium jam decursum est, quod non vixit nisi nobis, et pro nobis (79): atque hic timor meus est, ne ideo translatus sit, quia non eramus jam digni consortio illius. Quis scit tamen si idcirco sublatus fuerit, ut nos suis intercessionibus protegat apud Patrem? Utinam ita sit! Si enim tantæ charitatis erat dum esset nobiscum, ut omnia quæ ad corpoream necessitatem spectant, libentius mihi quam sibi cederet; quanto magis nunc, cum illi summæ charitati, quæ Deus est, inhæret, majorem habet in me gratiam et charitatem? Sed forsitan nunc de me et de conversatione mea plenius novit veritatem; nec compatitur, ut solebat, sed, ut vereor, indignatur. Quod si etiam propter peccata nostra abstulit eum Deus, utinam idem ipse obtineat, ut nobis hoc ipsum misericorditer relaxetur, ne pœnam super pœnam sustineamus!

1070 8. De reliquo, fratres, dico vobis, si sequeremini vestigia ejus, non tam facile in vanis cogitationibus et otiosis sermonibus, in jocis et scurrilitatibus laberemini; quia in his multum perditis et de vita vestra, et de tempore vestro. Volat irrevocabile tempus; et dum creditis vos cavere pœnam istam minimam, incurritis ampliorem. Illud enim scitote, quia post hanc vitam in purgabilibus locis centupliciter, quæ fuerint hic neglecta, reddentur usque ad novissimum quadrantem. Scio ego quia durum est homini dissoluto apprehendere disciplinam, verboso silentium pati, vagari solito stabilem permanere; sed durius, et multo durius erit, futuras illas molestias tolerare. Et homo iste qui hic sepultus est, multa in principio, sicut ipse cognovi, super hujusmodi tentamenta sustinuit, sed cum multo luctamine pugnavit et vicit: et sicut tunc ei durum erat pugnam in tentationibus sustinere, sic ei modo durius esset ad illas ineptias revolvere, quia bona consuetudo venerat in naturam. Exercete vos in doctrina ista, et attendite formam illam, quam vidistis in eo et audistis: ut ad eum perveniat, ad quem ipse pervenit, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

IN DEDICATIONE ECCLESIAE (79*).

SERMO I.

De quinque sacramentis dedicationis.

1. Festivitas hodierna, fratres, tanto nobis debet esse devotior, quanto familiarior est. Nam cæteras quidem sanctorum solemnitates cum ecclesiis aliis habemus communes; hæc vero sic nobis est propria,

(79) Humbertus abbas anno 1138 se recepit ad Clarem-Vallem. Si decennium ibi supervixit, non anno 1145, ut Manrico placet, sed anno 1140 mors ejus designanda. Idem Manricus supremum Humberti diem 7 decembris, Chalemotus 7 septembris assignat.

(79*) Chalemotus dedicationem basilicæ Claræ-

D ut necesse sit vel a nobis eam, vel a nemine celebrari. Nostra est, quia de ecclesia nostra; magis autem nostra, quia de nobis ipsis. Miramini forsitan et erubescitis celebrari festa de vobis: sed nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus. Quid enim lapides isti potuerunt sanctitatis habere

Vallensis memorat tertio Idus Octob. sed posteriorem ea, de qua hic Bernardus, nempe novæ basilicæ, quæ, Bernardo e vivis migrante, necdum perfecta erat. Si sermones de Dedicatione recte in vetustis libris ordinati sunt, veteris basilicæ dedicatio post festu S. Andree celebrabatur.

ut eorum solemnia celebremus? Habent utique sanctitatem, sed propter corpora vestra. An vero corpora vestra sancta esse quis dubitet, quæ templum sancti Spiritus sunt, ut sciat nususquisque possidere vas suum in sanctificatione? Itaque sanctæ sunt animæ propter inhabitantem Spiritum Dei in vobis; sancta sunt corpora propter animas; sancta est etiam propter corpora domus. Adhuc certe corruptibili tenebatur in carne et in corpore peccati, in quo et grave adulterii crimen admisit illius anima, qui dicebat: *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum* (Psal. LXXXV, 2). Mirabilis plane Deus in sanctis suis, non modo in cælestibus, sed etiam in terrenis. Utrobique sanctos habet, et in utrisque mirabilis est, illos quidem beatificans, istos sanctificans.

2. An experimentum queritis ejus, de qua loquimur, sanctitatis, et sanctorum vobis istorum miracula desideratis ostendi? Multi certe ex vobis a peccatis et vitiis, in quibus computruerunt tanquam jumenta in stercore suo, exiere viriliter; et quotidie impugnantibus eis potenter resistunt, juxta Apostolum, qui de sanctis loquens utique: *Convaluerunt, inquit, de infirmitate, fortes facti sunt in bello* (Hebr. xi, 34). Quid mirabilius, quando is qui prius vix per hiduum poterat a luxuria, crapula, et comessationibus, et ebrietatibus, et cubilibus, et impudiciis, cæterisque similibus et dissimilibus vitiis continere, nunc ab eis continet multis annis, tota utique vita sua? Quod majus miraculum, quando tot juvenes, tot adolescentes, tot nobiles, universi denique quos hic video, velut in carcere aperto tenentur sine vinculis, solo Dei timore confixi; quod in tanta perseverant afflictione pœnitentiæ, ultra **1071** virtutem humanam, supra naturam, contra consuetudinem? Ipsi, credo, videtis quanta jam possemus invenire miracula, si perscrutari singillatim liceret singulorum exitum de Ægypto, et deserti viam, id est abrenuntiationem sæculi, introitum monasterii, in monasterio conversationem. Quid vero sunt hæc, nisi manifesta inhabitantis in vobis Spiritus sancti argumenta? Nam habitare in corpore animam probant vitales motus corporis: habitare in anima Spiritum probat vita spiritualis. Illud ex visu et auditu dignoscitur: istud ex charitate et humilitate, cæterisque virtutibus.

3. Vestra est igitur, fratres charissimi, vestra est hodierna festivitas. Vos dedicati estis Domino, vos elegit et assumpsit in proprios. *Tibi, inquit Propheta, derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor* (Psal. ix, 14). Quam bene commutastis, dilectissimi, quidquid habere potuistis in sæculo, quando nunc relinquendo ea, proprii esse meruistis auctoris sæculi, et eum habere propriam possessionem, qui sine dubio portio et hæreditas est suorum. Neque enim, sicut dixerunt filii iniquitatis: *Beatus populus cui hæc sunt*, temporalia scilicet quæ præmiserat, *promptuaria eructantia ex hoc in illud, oves fetosæ*, et similia: non, inquam, beatus populus cui hæc sunt;

sed *beatus populus cuius Dominus Deus ejus* (Psal. CXLII, 13, 15). Videte ergo si non dignum sit ut festum agamus diem quo nos assumpsit in proprios, et investivit se per ministeriales et vicarios suos, ut fiat sicut ipse jam olim promiserat: *Ego, inquiens, in medio eorum ero eorum Deus* (Zach. ii, 11): nos autem populus ejus et oves pascuæ ejus. Quando enim domus ista per manus pontificum dedicata est Domino, propter nos sine dubio factum est; non solum qui tunc præsentés fuimus, sed et quicumque usque in finem sæculi Domino sunt in hoc loco militaturi.

4. In nobis proinde spiritualiter impleri necesse est, quæ in parietibus visibiliter præcesserunt. Et si vultis scire, hæc utique sunt: aspersio, inscriptio, inunctio, illuminatio, benedictio. Hæc quidem in hac visibili domo fecere pontifices; hæc Christus assistens pontifex futurorum bonorum invisibiliter quotidie operatur in nobis. Primo siquidem aspergit nos hyssopo, ut mundemur, lavemur, dealbemur, dicaturque de nobis: *Quæ est ista quæ ascendit dealbata?* (Cant. viii, 5.) Lavat, inquam, nos in confessione, lavat nos lacrymarum imbre, lavat sudore pœnitentiæ; magis autem lavat nos aqua illa pretiosissima, quæ de fonte pietatis, id est ab ejus latere, emanavit. Aspergit nos hyssopo, quæ humilis herba est, et pectoris purgativa; aqua sapientiæ salutaris, quæ est timor Domini, initium sapientiæ et fons vitæ; etiam condimentum salis admiscens, ne sit insipidus timor sine spe, sine devotione. Non solum autem, sed inscribit digito Dei, in quo ejiciebat dæmonia, haud dubium quin in Spiritu sancto. Inscribit, inquam, legem suam, non jam in lapide, sed in tabulis cordis carnalibus, propheticam implens promissionem, quæ se pollicitus est ablaturum cor lapideum, et carneum cor esse daturum (Ezech. xi, 19), id est non durum, non obstinatum, non Judaicum, sed pium, sed mansuetum, sed tractabile, sed devotum. *Beatus quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum* (Psal. xciii, 12). Beati, inquam, qui docti et memores sunt mandatorum ejus, sed ad faciendum ea (Psal. cii, 18). Alioquin *scienti bonum et non facienti, peccatum est illi* (Jac. iv, 17); et *servus sciens voluntatem Domini sui et non faciens, plagis vapulabit multis* (Luc. xii, 47).

5. Unde necesse est ut unctio spiritualis gratiæ adjuvet infirmitatem nostram, observantiarum istarum et multimodæ pœnitentiæ cruces devotionis suæ gratia liniens; quia nec est sine cruce sequi Christum; et sine unctione crucis asperitatem ferre quis posset? Hinc est quod multi abominantur et fugiunt pœnitentiam, crucem quidem videntes, sed non etiam unctionem. Vos qui experti estis, ecce ipsi scitis quia vere crux nostra inuncta est, et per gratiam Spiritus adjuvantis, suavis et delectabilis est pœnitentia nostra, et, ut ita dicam, amaritudo nostra dulcissima. At postquam unctio gratiæ hujus præcesserit, jam lucernam suam Christus non po-

mit sub modio, sed super candelabram; **1072** quia A tempus est ut luceat lux nostra coram hominibus, et videant opera nostra bona, et glorificent Patrem nostrum qui in caelis est (*Matth.* v, 16).

6. Jam vero benedictionem quidem expectamus in fine, quando aperiet manum suam, et implebit omne animal benedictione. Nam in quatuor praemissis merita constant, in benedictione sunt praemia. In benedictione tota complebitur gratia sanctificationis, quando jam in domum transibimus non manufactam, aeternam in caelis. Ipsa est quae construitur vivis ex lapidibus, angelis scilicet et hominibus. Simul enim aedificatio et dedicatio ipsa complebitur. Disjuncta nimirum ligna et lapides domum non faciunt, nec in eis habitare quis potest; sola vero conjunctio domum facit. Sic caelestium spiritu perfectam unitas, sine ulla sibi divisione connexa, integram et congruam Deo reddit habitationem, quam ineffabiliter beatificat inhabitans gloria majestatis. Quis enim sic sciret universa regum consilia, aut quis eorum omnia dicta vel facta sic nosset, quomodo palatii ligna et lapides, si non deesset illis intelligentiae sensus? Itaque caelestis illius curiae lapides vivi ac rationabiles divinis intersunt consiliis, et Trinitatis mysteria norunt, audiuntque verba ineffabilia, quae non licet homini loqui. *Beati qui habitant in domo tua, Domine; in saecula saeculorum laudabunt te!* (*Psal.* lxxxiii, 5). Quanto enim plus vident, plus intelligunt, plus agnoscunt; tanto plus diligunt, tanto magis laudant tanto amplius admirantur.

7. Verum quia cohaerere quidem sibi domum illam et perfecte connexam esse jam diximus, superest ut juncturam et connexionem ipsam aliquatenus exprimamus. Legimus in *Isaia*: *Glutino bonum est* (*Isa.* xli, 7). Duplici igitur sibi cohaerent lapides illi glutino cognitionis plenae et perfectae dilectionis. Tanto siquidem majori ad se invicem dilectione copulantur, quanto ipsi charitati, quae Deus est, viciniore assistunt. Sed nec ulla separare eos ab invicem suspicio potest, ubi nihil omnino quod in altero sit, alterum latere patitur penetrans omnia radius veritatis. Quoniam adhuc *qui adharet Deo, unus spiritus est cum eo* (*I Cor.* vi, 17); nihil dubium est quin perfecte adhaerentes ei beati spiritus cum eo pariter et in eo penetrent universa. Ad hanc domum si pervenire desideras, sic concipiscat et desinat anima tua in atria Domini, sicut Propheta clamat: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitarem in domo Domini omnibus diebus vitae meae* (*Psal.* xxvi, 4). Ipsum nihilominus imitare Prophetam, qui *sicut juravit Domino, votum vorit Deo Jacob. Si introiero in tabernaculum domus meae, etc.* (*Psal.* cxxxii, 2, 3). Sed hinc alio sermone nobis tractandum erit quod Dominus ipse donaverit.

SERMO II.

Quomodo et nobis et aliis cohaerere debeamus.

1. Olim rex gloriosus et propheta Domini, David sanctus, religiosa quadam coepit cogitatione moveri,

PATROL. CLXXXIII.

indignum iudicans quod nullam adhuc Dominus sabaoth domum haberet in terris; ipse vero domum inhabitaret regiae dignitatis (*II Reg.* 7, 2; *I Par.* xvii, 1). Hoc ipsum, fratres, nos quoque decet cogitare fideliter, et viriliter effectui mancipare. Nam quod, licet Deo placuerit cogitatio illa Prophetæ, opus tamen reservatum est Salomoni, alia ratio est, forte prolixiore indigens disputatione. Jam vero, o anima, tu quidem sublimi in domo habitas, quæ a Deo tibi fabricata est. Corpus hoc dico: quod sic coepigit, quod sic aptavit, quod sic ornavit et ordinavit, ut gloriose in eo et delectabiliter habitares. Sed et ipsi corpori domum fecit excelsam, altissimam et decoram. Dico autem sensibilem hunc et inhabitabilem mundum. Nonne ergo indignum reputas, ut B tibi ipse fecerit domum, tu vero ei templum aedificare dissimules? Adhuc domum quidem habes, sed certa esto quoniam in brevi casura est domus tua: et tu nisi prius provideris aliam, eris pluviae, vento **1073** et frigori exponenda. Heu! a facie frigoris ejus quis sustinebit? Felix proinde, et multum felix anima quæ dicere potest: *Scimus quoniam si terrestri domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, aeternam in caelis* (*II Cor.* v, 1). Propterea jam ne dederis, o anima, somnum oculis tuis, et palpebris tuis dormitationem, donec invenias locum Domino, tabernaculum Deo Jacob (*Psal.* cxxxii, 4, 5).

2. Sed quid putamus, fratres? Ubi invenitur hujus aedificii locus, aut quis poterit esse architectus? Nam visibile istud templum utique propter nos factum est ad nostram habitationem: neque enim Altissimus in manufactis habitat. Quod ergo aedificabimus templum ei qui dicit, et vere dicit: *Caelum et terram ego impleo?* (*Jerem.* xxiii, 24.) Tribularet valde, et anxietur super me spiritus meus, nisi quod audio eum de quodam dicentem: *Quia ego et Pater ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* xiv, 23). Itaque jam scio, ubi praeparanda sit domus ei, quoniam non capit eum nisi imago sua. Anima capax illius est, quæ nimirum ad ejus imaginem est creata. Propter quod jam festina, adorna thalamum tuum, Sion; quoniam complacuit Domino in te, et terra tua inhabitabitur. Exsulta satis, filia Sion; habitabit in te Deus tuus. Dic cum Maria: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Dic juxta beatæ Elisabeth verba: *Et unde hoc mihi, ut veniat majestas Domini ad me?* (*Luc.* i, 38, 43.) Quanta enim Dei benignitas, quanta dignatio, quanta dignitas, quanta gloria animarum, quod Dominus universorum, et qui nullam habet indigentiam, templum sibi fieri jubet in illis?

Itaque, fratres, toto cum desiderio et digna gratiarum actione studeamus ei templum aedificare in nobis: primo quidem solliciti ut in singulis, deinde ut in omnibus simul inhabitet; quia nec singulos dedignatur, nec universos. Primo igitur

loco studeat unusquisque ne dissideat ipse a semetipso; quoniam omne regnum in se ipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet (*Math. xii, 25*); nec intrabit Christus, ubi fuerint parietes declinati, et maceræ depulsæ. Nonne enim corporis sui domum integram anima vult habere, et exire illam necesse est, si fuerint a se invicem membra dispersa? Videat ergo et ipsa, si desiderat habitare Christum per fidem in corde suo, id est in se ipsa: sollicitè caveat ne a se invicem membra ejus dissideant, id est ratio, voluntas atque memoria. Sit ergo sine errore ratio, ut bene congruat voluntati: talem enim voluntas amat. Sit et voluntas sine iniquitate, quoniam ratio talem approbat. Alioqui si sese judicat anima propter voluntatis pravitatem in eo quod per rationem probat, bellum intestinum est, et discordia periculosa; quoniam voluntatem hujusmodi ratio semper suggillat, sed accusat, sed dijudicat, sed condemnat. Propter quod ait Dominus in Evangelio: *Esto consentiens adversario tuo, dum es in via cum illo, ne forte adversarius tradat te judici, et iudex tradat te tortoribus, et in carcerem militaris* (*Math. v, 25*). Sit etiam memoria sine sorde, ut nullum in ea peccatum maneat, quod non pura confessione et dignis fructibus pœnitentiæ deleatur. Alioquin conscientiam, in qua peccatum latet, et voluntas odit, et ratio execratur. Bonum proinde parat habitaculum Deo, cujus nec ratio decepta, nec voluntas perversa, nec memoria fuerit inquinata.

4. Jam vero sic se habentibus singulis, etiam omnes nos connecti et conglutinari necesse est, mutua utique charitate, quæ est vinculum perfectionis. Nam cognitio quidem perfecta in hac vita haberi non potest, forsitan nec oportet. In cœlesti siquidem domo cognitio dilectionis est nutrimentum. Quis enim gloriabitur castum se habere cor? Propterea facile erat et confundi cognitum, et cognoscentem offendi. Ibi jucunda erit cognitio, ubi macula jam non erit. Illa ergo domus connexa firmius est, tanquam in æternum mansura: hæc, tanquam tabernaculum bellatorum, minus sibi perfecte cohæret. Illa nimirum domus lætitiæ, ista militiæ est; illa domus **1074** laudis, ista orationis. Hæc, inquam, est urbs fortitudinis nostræ, illa est civitas requiei nostræ. Proinde si victoriosi fuerimus hic, illic erimus gloriosi, habentes loco galeæ diadema, sceptrum et palmam pro gladio, pro scuto chlamydem deauratam, pro thorace stollam jucunditatis. Interim sane premi magis quam perimi videtur utilis; et sustinere pondus clypei et loriciæ quam maligni jaculis igneis vulnerari: a quibus nos superna sua protectione custodiat, qui est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO III.

De triplici apparatu quem habemus ad custodiam Dei.

1. Domus hæc, fratres, æterni Regis est oppi-

dum, sed obsessum ab inimicis. Quotquot igitur in ipsius arma jurati sumus, et ejus militiæ dedimus nomina, triplici nobis opus esse noverimus apparatu ad custodiam castri hujus: munitione videlicet, et armis, et alimentis. Quæ est ergo munitio? *Urbs fortitudinis nostræ Sion*, ait propheta, *Salvator ponetur in ea murus et antemurale* (*Isa. xxvi, 1*). Murus continentia, antemurale patientia est. Bonus continentia murus, qui sic undique circumdat et circumcingit, ut nec per oculorum fenestras, nec per cæteros sensus detur ingressus morti. Bonum antemurale patientiæ, quod primos hostium sustinet impetus, ut inter plurima tentamenta stemus viriliter, et perseveremus jugiter inconcussi. Unicum quippe remedium est, dum continentia quatitur et quodam modo nutat, objicere patientiam, et, quantumcunque ferveat sensus peccati, negare omni modo consensum. *In patientia vestra*, inquit, *possidebitis animas vestras* (*Luc. xxi, 19*). Ponitur ergo in civitate sua Salvator ipse murus et antemurale, factus nobis a Deo Patre justitia, et prophetæ patientia, sicut idem ait: *Quoniam tu es patientia mea, Domine* (*Psal. lxx, 5*). Murus, inquam, ponitur in conversatione, antemurale in passione, ab omnibus carnis et sæculi præsentis illecebris abstinens, et adversa sustinens fortiter universa.

2. Oportet autem et arma parare, sed arma spiritualia, potentia Deo, non modo ad resistendum, sed ad impugnandum quoque et expugnandum viriliter inimicum. *Induite vos armaturam Dei*, ait Apostolus (*Ephes. vi, 11*), etc. Quid enim putamus, fratres? Gravis equidem nobis est inimici tentatio; sed longe gravior illi oratio nostra. Lædit nos iniquitas ejus atque versutia; sed multo amplius nostra cum simplicitate et misericordia torquet. Humilitatem nostram non sustinet; uritur charitate nostra, mansuetudine et obedientia cruciatur. Jam vero nec fame quidem urgeri possumus, ut hostibus castrum tradere compellamur; quoniam, gratias Deo, non venit super nos terribilis illa comminatio prophetæ, imo Domini per prophetam, famis videlicet et sitis; non panis et aquæ, sed verbi [*alias, audiendi verbi*] Dei (*Amos viii, 11*). Sic enim habemus: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* (*Deut. viii, 3; Math. iv, 4*). Itaque non nobis alimenta desunt, qui et sermones frequenter, et frequentius sacras lectiones audimus, et interdum quoque spiritualis devotionis gustamus delicias, tanquam si catuli edant de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum? cœlestes illos convivas dico, qui replentur ab ubertate domus Dei. Habemus etiam panem lacrymarum, qui, licet minus suavis, optime tamen confirmat cor hominis. Habemus et obedientiæ panem, de quo loquitur ad discipulos Dominus: *Meus, inquit, cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei* (*Joan. iv, 34*). Habemus super omnia de cœlo panem vivum, corpus Domini Salvatoris, in cujus utique fortitudine cibi omnia adversæ partis dejicitur fortitudo.

3. Sic ergo munita est castrum Dominici fortitudo, A ut nihil jam timere oporteat, si tamen fideliter et viriliter agere voluerimus; ut videlicet nec proditores, nec pavidus, nec desides inveniamur. Nam proditores quidem sunt, quicumque in hoc Domini castrum inimicos ejus **1075** introducere moliantur, quales sunt utique detractores, Deo odibiles, qui discordias seminant, et nutriunt scandala inter fratres. Sicut enim in pace factus est locus Domini; sic in discordia locum diabolo fieri manifestum est. Non miremini, fratres, si durius loqui videor; quia veritas neminem palpat. Omnino proditorem sese noverit, si quis forte, quod absit! vitia quælibet in hanc domum conatur inducere, et templum Dei speluncam facere dæmoniorum. Gratias Deo, non multos hic invenimus hujusmodi. Sed tamen deprehendimus interdum forte nonnullos, qui colloquantur hostibus, et paciscantur sædus cum morte, hoc est, moliantur, quod in eis est, imminuere ordinis disciplinam, intepescere fervorem, turbare pacem, lædere charitatem. Verum nos quidem caveamus ab eis, quantum possumus; sicut scriptum est de quibusdam: *Jesus autem non credebat se eis* (Joan. 11, 24). Dico autem vobis quia, licet portentur modo, sed portabunt cito grave iudicium, nisi se citius emendaverint, sicut grave damnum moliantur inferre. Quid enim, frater? vanitati, aut tepiditati, seu cuilibet alteri vitio fidem servas operibus, et Deo per tonsuram mentiris? Optimum certe castrum tulisti Christo, si inimicis ejus tradideris Claram-Vallem. Optimos inde singulis annis, et pretiosos in oculis suis reditus accipit: et prædam multam, quam hostibus eripit, in hunc munitionis suæ locum solet inducere, et habet fiduciam multam in fortitudine ejus. Ecce enim quos redemit de manu inimici, et de regionibus congregavit eos, a solis ortu et occasu, ab aquilone et mari. Quibus ergo proditorem castrum hujus, postquam deprehensus et comprehensus fuerit (neque enim latere aut fugere potest), quibus, inquam, putas exponendum esse supplicii? Non utique communi cæterorum morte damnabitur, sed exquisitis illum necesse est interire tormentis. Sed non modo plus immoror circa ista: credo melius deinceps ab hac tam execrabili prodicione cavebimus, studentes de cætero majori sollicitudine non attrahere, sed repellere vitia, quæcunque illa sint, seu carnalia, seu etiam sæcularia, ne proditorum notam vel pœnam incurere mereamur.

4. Secundo loco etiam illud cavendum, ne quis forte, pusillanimitate dejectus, fugiat a munitione, ibi trepidans timore ubi non est timor; ubi vero summum periculum est, insana temeritate securus. Hostilibus enim manibus, hostilibus gladiis se exponit quicumque est ille qui fugit, ac si ignoret quoniam hostes illi omnino carent misericordia, crudeles quidem in alienos, sed multo crudeliores in suos, quippe crudelissimi in se ipsos.

5. Jam vero tertium quoque periculum breviter dico, quia jam hora præterit, dum vestræ, ut di-

gnum est, salutis plurimum cupidus, diversis morum infirmitatibus remedia diversa conquiro. Quid prodest, si nec prodere castrum, nec relinquere velis, sed segnis et desidiosus in eo permanes? Toto proinde animo, tota virtute, dilectissimi, commissum nobis castrum Domini et Regis nostri manu tenere laboremus, solliciti contra omnes inimici versutias, et adversus omnia ejus machinamenta parati, sicut scriptum est: *Resistite diabolo, et fugiet a vobis* (Jac. iv, 7). At quoniam scimus a quo dictum sit: *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam* (Psal. cxxvi, 1); humiliemur sub potenti manu Altissimi, et nos, et domum istam tota devotione ejus misericordiæ committentes, ut ipse nos custodiat ab omnibus insidiis inimicorum omnium, ad laudem et gloriam nominis sui, quod est benedictum in sæcula. Amen.

SERMO IV

De triplici mansione.

1. Votivis laudibus celebramus hanc diem, et festivis eam gaudiis honoramus. Quod si nec religiosis competit, nec sapientes decet ignorare quid venerentur, aut celebrare quod nesciant; quærendum **1076** nobis est, in cuius id agitur vel in quorum commemoratione sanctorum. Nec vero id mihi ex me arbitror præsumendum: prior loquatur alter, cuius testimonium majus sit, et credibilius videatur. Miramini forte cur ista præloquimur, cum vestris sese obtulibus ecclesia præsens manifestus ingerat, cuius anniversaria dedicatio celebratur. Quid enim parietes ejus sanctio dicere vereamur, quos manus sacratæ pontificum tantis sanctificaverit mysteriis? Extunc quoque et deinceps sanctarum inibi lectionum resultare frequentia, sanctarum orationum devota murmurare susurrata, sanctarum reliquiarum honorari beata præsentia, sanctorum spirituum indefessa noscitur custodia vigilare. Dicas forsitan: Cætera quidem evidentiæ sunt; sed quis angelicas sese vidisse excubias gloriatur? Etsi tu forte non vides, est tamen qui videt, ipse qui mittit. Quis ille? Nimirum qui loquitur per prophetam: *Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes* (Isai. lxii, 6). Est quidem sursum Jerusalem, quæ est libera, mater nostra: sed minime crediderim super muros ejus constitutos esse custodes, in cuius laudibus Propheta decantat: *Qui posuit fines tuos pacem* (Psal. cxlvii, 14). Tu vero si id parum judicas, perge audire quod sequitur in testimonio præcedenti: *Tota die, inquit, et tota nocte in perpetuum non tacebunt* (Isai. lxii, 6). Siquidem advertere est vel hoc, non hanc esse Jerusalem de qua legisi: *Portæ ejus non clauduntur per diem; nox enim non erit in ea* (Apoc. xxi, 25). Illa ergo Jerusalem nec vicissitudines patitur, nec custodibus eget: nostris potius custodes necesse est et diebus et noctibus deputari. *Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes.*

2. Benignus es, Domine, nec nostrorum hac fragili protectione murorum potes esse contentus, sed

ipsis hominum prælatis hominibus angelicam quoque custodiam superponis, ut et muros defensent, et eos qui murorum ambitu continentur. Ita, Pater, quoniam sic est placitum ante te, sic necessarium nobis. Insufficiens enim est administratio nostra, nisi et nobiscum et pro nobis administratorios illos spiritus in ministerium mittas, ut hæreditatem capiamus salutis. Quid enim si non videmus obsequium, cum experiamur auxilium? quid si non memoremus aspectum, cum sentiamus effectum? Discimus certe vel ex hoc ipso invisibilia visibilibus præferenda. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna (II Cor. iv, 18). Denique in invisibilibus visibilium causa consistit, ut, secundum Apostolum, *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, a creatura visibili intellecta conspiciantur* (Rom. i, 20). Sic nimirum Judæos olim, de invisibili peccatorum indulgentia sanctum Dei blasphemantes, sanitatis corporeæ signo visibili confutavit: *Ut sciatis quia Filius hominis potestatem habet in terra dimittendi peccata, (tunc ait paralytico): Surge, tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam* (Marc. ii, 10).

3. Sic et Pharisæum illum murmurantem adversus medicum qui salutem operabatur, et succensentem languidæ quæ sanabatur, manifestis revicit indicis, obsequia mulieris enumerans. Errabat siquidem qui tanquam adhuc peccatricem horrebat, quæ divinis inhærens vestigiis, rigabat fletibus, tergebat crinibus, osculo premebat, ungebat unguento. Quis eum crinina jam deleta recenseat, quis tangenti succenseat, quis eam peccatricem censeat, quæ, dum commissæ deplorat, odit iniquitatem; dum osculatur pedes Domini, diligit justitiam; et rursus dum tergit crinibus, exhibet humilitatem; dum ungit unguento, mansuetudinem præfert? Nunquid possibile est regnare peccatum in animo contrito et spiritu ingemiscienti, aut non multa charitas operit multitudinem peccatorum? *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (Luc. vii, 38-47). Merito proinde jam non peccatrix juxta tuam, Pharisæe, sententiam, sed sancta discipula Christi vocabitur, a quo etiam didicit in tam brevi esse mitis et humilis corde. Nimirum hoc est quod in propheta legisti, sed forsitan neglexisti: *Verte impios, et non erunt* (Prov. xii, 7). Sic, charissimi, sic et antiquus ille accusator fratrum, si, in quibus et vos erubescitis, præterita peccata vestra **1077** vobis impropere, Apostolum audite magnifice consolantem vos, et dicentem: *Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis* (I Cor. vi, 11); et illud: *Habetis nunc quidem fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam* (Rom. vi, 22); et manifestius exprimens: *Templum Dei, ait, sanctum est, quod estis vos* (I Cor. iii, 17).

4. Nimirum ipse est, cujus reverentiæ primam in

(80) De atrii quæ animas justorum nunc exeuntes excipiunt, nianus commodam videtur habere sententiam. Sed de hac re paulo ante satis egimus ad ser-

A hujus sermonis principio reservavimus vocem, dum quæreremus sanctos, quorum sanctimoniam congratulamur devotione solemnium. Licet enim parietes hos et dici sanctos et esse faciat consecratio episcoporum, frequentatio Scripturarum, instantia orationum, reliquæ sanctorum, visitatio angelorum, minime tamen eorum sanctitas propter se credenda est honorari, quos nec propter se certum est sanctificari. Quinimo sancta sunt propter corpora domus, corpora propter animas, animæ propter Spiritum inhabitantem. Neque hinc dubitet quis, cum invisibilis ejus gratiæ visibile nobis signum fiat in bonum. Dico autem in eo quod et ipsi iustar illius evangelici paralytici surgitis; quod corporeum hoc grabatum, in quo jacebatis languidi, tam facile tollitis; quod denique ambulatis in domum vestram, illam sape domum de qua lætaminii, dicentes cum Propheta: *In domum Domini ibimus* (Psal. cxxi, 4). O admirabilis domus, et dilectis tabernaculis, et atrii concupiscibilibus præferenda! *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini*. Verum multo magis: *Beati qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te* (Psal. lxxxiii, 2, 5). Siquidem gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. In tabernaculis enim gemitus est poenitentiae, in atrii gustus lætitiæ, in te satiety gloria. Hæc quidem est inlma domus orationis, media exspectationis, tu gratiarum actionis et laudis. Felix proinde qui hic declinaverit a malo, quod est culpa, et fecerit bonum: ut illic a malo, quod est poena, liberetur, et in te recipiat bonum. Hic nimirum primitiæ spiritus, illic divitiæ, in te plenitudo: ubi bona illa mensura, conferta, et coagitata, et supereffluens detur in sinus nostros. Hic denique sunt sancti, illic securi, in te beati. Hæc siquidem primitiæ spiritus, quæ militantibus interim prærogantur: sauetitas in conversatione, pietas in intentione, virtus in colluctatione. In sanctitate conversationis, poenitentiae fructus intellige, et corporalia quæque divinorum exercitia mandatorum. Et quoniam hæc, nisi simplex fuerit oculus, simplicia esse non possunt, necessario pietas intentionis et puritas cordis exigitur, ne vel honoris ambitus, vel laudis subrepat appetitus: sed solus ille desideretur qui solus desiderium replet, et ad proprii fontis originem omnis quam accepimus gratia revertatur. Memento tamen solam ex omnibus perseverantiam coronari, nec eam facile posse inter tot discrimina vindicari, nisi multiplicem obtineas in tam multiplici colluctatione virtutem. Hæc in tabernaculis.

5. Porro in atrii, quæ post molestos conflictus amœna jucunditate fovendos excipiunt exeuntes (80), jam divitiæ spiritus erogantur, requies a laboribus, securitas a sollicitudinibus, pax ab hostibus. Ipse enim amodo jam dicit Spiritus ut requies-

monem 2 de Omnibus sanctis. Vide Cornel. in Apoc. vi, 9; ibidemque Pererium, disput. Bellarini. lib. 1 De beatitudine sanctorum, cap. 3.

cant a laboribus suis, qui tanto fervore otium hactenus interdicere, labores indicere consuevit. Ipse seorsum a curis faciet, et ab omni sollicitudine sequestrabit, qui modo consilia ponit in anima sua, et sollicitam facit erga multa turbari. Ipse jam parta victoria in pace in idipsum suaviter dormire præstabit, qui, dum adhuc leo rugiens fremit, et ad vigiliis excitat, et accingit ad pugnam. Verum in his, ut supra tetigimus, liberatio magis a malo, quam boni muneratio est: nisi quod dura nos nostræ necessitatis experientia cogit, absentiam mali, boni cumulos aestimare; quemadmodum conscientia graviorum immunitatem criminum, plenitudinem reputat sanctitatis. Hinc advertere est quam longe agimus a summo bono, qui carere culpa, iustitiam, carere miseria, beatitudinem iudicamus.

6. Absit autem ut talem quis putet libertatem domus **1078** illius, et torrentem voluptatis, et si qua sunt alia quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se! Ne ergo audire velis, o homo, quod auris hominis non audivit; nec ab homine quæras quod humanus nec oculus videt, nec animus capit. Ne tamen hinc penitus taceamus, nostram hanc patriam a longe salutantes, triplicem quamdam odorari videmur, potentia scilicet, et magnificentia, et gloriae repositionem. Siquidem homo erat, et filius captivitatis hujus, qui dicebat: *Introibo in potentias Domini (Psal. Lxx, 16)*. Cæterum nos scire possumus quid sit infirmitate carere, tanquam infirmitate circumdati: quid vero sit virtute indui, et potentiam introire, nec modo potentiam, sed et multam potentiam, forte et omnipotentiam, interim scire non possumus. Clamat etiam testis fidelis, quia quos justificavit, illos et magnificavit (*Rom. viii, 30*). At magnificentiam, eam præsertim quam procedere deceat a magnitudine, cuius nec finis, nec numerus est, utinam nostræ interim exiguitati liceat exspectare; nam aestimare non licet. Jam vero ne ipsius quidem vereri necesse est, aut habere suspectam gloriae promissionem: feliciter tunc et fiducialiter hauries gloriam, a cuius interim appetitu tantis comminationibus deterreris. Erit enim tunc unicuique laus a Deo, segura certe et sempiterna, finis pariter et discriminis expers; et, ut scriptum est: *Jucunda, decoraque laudatio (Psal. cxlvi, 4)*. Eia ergo, fratres, viriliter interim in tabernaculis militemus, ut suaviter deinde in atriis requiescamus, ut novissime in domo sublimer gloriemur, cum momentaneum hoc et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimi, æternum pondus gloriae operabitur in nobis, cum in Domino laudabimur tota die, in veritate utique, non in vanitate.

SERMO V.

De gemina consideratione sui.

1. Etiam hodie, fratres, solemnitatem agimus, et præclaram. Atque id quidem facile dixerim: sed si

A pergittis quærere cuius sancti, illud forte jam nota. Quoties enim apostoli, seu martyris, vel confessoris alicujus memoria celebratur, haud difficile est dicere cuius, utputa sancti Petri, et Stephani gloriosi, aut sancti Patris nostri Benedicti, vel alicujus cæterorum magnorum principum magnæ curia cæli. Nunc vero nullius eorum solemnitas agitur: agitur tamen nonnulla solemnitas. Nec modo nonnulla, sed non parva. Et si jam vultis audire, festivitas est domus Domini, templi Dei, civitatis regis æterni, sponsæ Christi. Nemo sane ambigit sanctam esse sponsam Sancti sanctorum, et omni celebritatis honore dignissimam. An vero domum Dei sanctam esse quis dubitet, de qua legitur: *Domum tuam decet sanctitudo? (Psal. xcii, 5)*. Sic et sanctum est templum ejus, mirabile in aquitate (*Psal. lxxiv, 5, 6*): sed et civitatem sanctam Joannes sese vidisse testatur: *Vidi, inquit, sanctam civitatem: Jerusalem novam descendentem de cælo a Deo, paratam tanquam sponsam, ornataam viro suo (Apoc. xxi, 2)*. In quibus sane verbis aperire jam cæpi quod adhuc, fateor, dissimulare volebam. Dico autem quod eadem sponsa, quæ civitas est, sed et templum quoque, et domus nihilominus sit. Neque id mirum, præsertim cum similiter unus sit, qui se ei et sponsum dignatur, et regem, et Deum, et patremfamilias exhibere.

Necdum tamen vobis arbitror satisfactum, donec evidentius quæ domus hujus patrisfamilias, quod hoc templum Dei, quæ civitas regis istius, quænam denique hujus tam gloriosi sponsi sponsa dici et esse meruerit, addiscatis [*alias* audiat]. At ego super hoc quidem non parum vereor loqui quid sentiam, ne quem vestrum, quod absit! aut minus fideliter, aut minus humiliter audire contingat: ne quis forsitan ab hoc auditorio aut elatus præ magnitudine gloriae, aut incredulus exeat præ pusillanimitate spiritus sui. Opto enim semper vos et fideles et humiles inveniri, quod utrumque **1079** summopere sit necessarium ad salutem. Solis namque humilibus ipse dat gratiam, cui etiam sine fide placere impossibile est. Opto igitur et omnibus modis cupio ut et parvulos et magnos, imo, ut plus miremini, et nihil et aliquid, etiam grande [*alias*, nihil aliud quam grande] aliquid ei vos exhibere curetis. Neque enim sine magno animo bona illa tam magna capere, aut vim facere poteritis regno cælorum: non plus quam idem cælorum regnum intrare, nisi conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli (*Matth. xviii, 3*). Non sum homo profundi sensus, nec possum vobis quod non gustaverim eructare. Dicam tamen quid interdum in me sentiam actitari, ut si quis forte sibi utile iudicaverit, imitetur. Quia enim olim persuasum est mihi ut miserear animæ meæ, placiturus exinde Deo meo (*Eccli. xxx, 24*), frequenter de ea recogito: utinam autem semel, semperque [*alias*, magis semper] liceret! Erat quando id actitari minime libebat, nempe quod minus (si tamen minus, et non

magis minime) diligere eam. Quomodo enim amat quis, cuius mortem amat? Quod si, ut verum est et indubitabile, mors animæ iniquitas est, absolutam proinde liquet esse sententiam, quod *iniquitatem qui diligit, odit animam suam* (Psal. x, 6). Oderam ergo eam, et odissem adhuc, nisi hoc mihi quodcumque amoris ejus initium is qui prior eam dilexerat contulisset.

3. Ipsius proinde beneficio nonnunquam de ea cogitans, videor mihi in ea, fateor, velut duo quædam contraria invenire. Si ipsam, prout in se est et ex se, juxta rei veritatem intueor, nihil de ea verius sentire possum, quam ad nihilum esse redactam. Quid modo necesse est singulas ejus miseras numerare, quam sit onerata peccatis, offusa tenebris, irretita illecebris, pruriens concupiscentiis, obnoxia passionibus, impleta illusionibus, prona semper ad malum, in vitium omne proclivis, postremo totius confusionis et ignominie plena? Nimirum si ipsæ quoque justitiæ nostræ omnes, ad lumen veritatis inspectæ, velut pannus menstruæe inveniuntur (Isai. lxxv, 6); injustitiæ deinceps quales reputabuntur? Si lumen quod in nobis est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Facile est cuique nostrum, si sua plenius [alias, melius] universa et sine dissimulatione vestiget, et judicet sine acceptione personæ, attestari per omnia apostolicæ veritati, et libere proclamare: *Qui se putat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit* (Galat. vi, 3). *Quid est homo, quia magnificas eum?* ait fidelis et devota confessio; *aut quid apponis erga eum cor tuum* (Job. vii, 17)? Quid? Sine dubio vanitati similis factus est homo, ad nihilum redactus est homo, nihil est homo. Quomodo tamen penitus nihil est, quem magnificat Deus? Quomodo nihil est, erga quem appositum est cor divinum?

4. Respiremus, fratres, et si nihil sumus in cordibus nostris, forte in corde Dei potest aliud latere de nobis. O Pater misericordiarum! o Pater miserorum! quid apponis erga eos cor tuum? Scio, scio: ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum. Quomodo ergo nihil sumus, si thesaurus tuus sumus? Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt ante te, et tanquam nihilum et inane reputabuntur. Siquidem ante te, sed non sic intra te. Sic in judicio veritatis tuæ, sed non sic in affectu pietatis tuæ. Nimirum vocas ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Et non sunt ergo, quia quæ non sunt vocas: et sunt, quia vocas. Licet enim non sint quantum ad se, apud te tamen sunt, utique, juxta Apostolum, *non ex operibus justitiæ, sed ex vocante* (Rom. ix, 12). Sic nimirum, sic consolaris in tua pietate quem in veritate tua humiliasti, ut magnifice dilatetur in tuis, qui merito angustiatur in visceribus suis. Siquidem universæ viæ tuæ misericordia et veritas, requirentibus testamentum tuum et testimonia tua (Psal. xxiv, 10); testamentum utique pietatis, et testimonia veritatis.

5. Lege, homo, in corde tuo; lege intra te ipsum

de te ipso testimonia veritatis: etiam hac communi luce judicabis te indignum. Lege in corde Dei testamentum, quod firmatum est in sanguine Mediatoris: et invenies quam longe aliud spe possidere, quam re tenere videris. *Quid est, inquit, homo, quia magnificas eum?* Magnus utique, sed in illo: siquidem magnificatus est 1080 ab illo. Aut quomodo non magnus apud illum, cui tam magna cura est de eo? *Ipsi enim cura est de nobis*, ait apostolus Petrus (I Petr. v, 7). Et Propheta: *Ego autem mendicus sum et pauper, Dominus sollicitus est mei* (Psal. xxxix, 18). Plane artificiosa connexio utriusque considerationis, qua velut uno momento descendens pariter et ascendens, et se pauperem et mendicum, et Deum pro se sollicitum vidit. Angelicum est istud, ascendere et descendere simul. *Videbitis, ait, angelos ascendentes et descendentes super Filium hominis* (Joan. i, 51). Neque enim talis aliqua vicissitudo in eorum ascensionibus et descensionibus est. Simul et mittuntur in ministerium propter eos qui hæreditatem capiunt salutis, et assistunt vultui majestatis: Deo misericorditer providente ut et nobis sit consolatio, et eis tribulatio nulla. Alioquin quando æquanimiter paterentur ab illo vultu gloriæ, in quem semper prospicere desiderant propter nos, vel ad modicum separari? Denique ipsam audi in Evangelio Veritatem. *Angeli eorum*, ait, haud dubium quin parvulorum, *in cælis semper vident faciem Patris* (Matth. xviii, 10); sic videlicet parvulorum custodiæ deputati, ut non privati ullo modo beatitudine sua. Hinc est quod Joannes sanctus civitatem Jerusalem descendentem vidit, stantem non potuit intueri. Et advertite quod descendentem dixerit, non cadentem. Cecidit enim quondam non minima pars civitatis illius, sed ea quidem minime sancta, quippe cui gravissimus casus fuit, quod totius inimica facta est sanctitatis.

6. Verum hanc equidem ruinam et terribilem casum Joannes videre non potuit, quia necdum erat; sed vidit Verbum quod in principio erat, vidit principium quod apostolis loquebatur: *Videbam Satanam tanquam fulgur cadentem de cælo* (Luc. x, 18). Itaque pars illa quæ cecidit, a Deo reparanda est, cum implebit ruinas, et reedificabit muros Jerusalem, non tamen ex his qui ceciderunt. Hæc autem quæ descendens apparuit, jam parata erat, sicut secutus adjunxit: *A Deo paratam* (Apoc. xxi, 2). Siquidem quod descendunt, non cadunt angeli sancti, divina præparatio facit: a quo nimirum hæc ipsa eis et voluntas præparata est, et facultas. Unde non solum administratorios, sed et missos in ministerium Apostolus quoque testatur (Hebr. i, 14). Quidni mittat angelos, pro quibus et ipse a Patre voluit mitti? Quidni pro eis inclinet cælos, pro quibus ipse quoque cælorum rex inclinavit se, ita ut digito in terram scriberet? (Joan. viii, 6.) *Domine, inclina cælos tuos* (parum est), *et descende* (Psal. cxliii, 5). Quid ultra? Ut quibus condescendit, faciat etiam coascendere sibi. Cæterum, ut jam diximus, angeli-

cus ascensus et descensus caret vicissitudine; nos autem modo hac, modo illac versari necesse est, quod nec supra diutius stare liceat, nec expediat infra longius demorari. *Ascendant, ait, usque ad caelos, et descendunt usque ad abyssos: anima eorum in malis tabescebat (Psal. cvi, 26).* Utquid hoc? Propterea sane anima eorum in malis interim plus tabescit, quam delectetur in bonis, quod hæc in re, illa vero tantum in spe videantur haberi. *Quis poterit salvus esse, dicunt discipuli Salvatori? Et ille: Apud homines hoc impossibile est, sed non apud Deum (Matth. xix, 25, 26).* Hæc tota fiducia nostra, hæc unica consolatio nostra, hæc tota ratio spei nostræ.

7. Sed de possibilitate jam certi, de voluntate quid agimus? Quis scit si est dignus amore an odio? Quis novit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? (*Rom. xi, 34.*) Hic jam plane idem nobis subvenire necesse est, hic oportet succurrere veritatem [*alias pietatem*]: ut quod de nobis latet in corde Patris, nobis per ipsius Spiritum reveletur, et Spiritus ejus testificans persuadeat spiritui nostro quod filii Dei sumus. Persuadeat autem vocando et justificando gratis per fidem, in quibus nimirum velut medius quidam transitus est ab æterna prædestinatione ad futuram magnificationem. Propterea sane geminam illam considerationem, alteram quidem judicii et veritatis, alteram vero non incongrue vocari credimus fidei et pietatis. Nec mirabere in humanis qualitatibus tam dissimilia reperiri, si soletter advertas quanta et in ipsa ejus substantia convenisse videtur diversitas **1081** naturarum. Quid enim spiritu vitæ sublimius? quid vero humilior limo terræ? Quam profecto tam discollorentium in homine coherentiam rerum ipsos quoque sapientes sæculi hujus arbitror non latuisse, cum hominem definirent, animal rationale mortale. Mirabilis siquidem copula rationis et mortis, mira societas discretionis et corruptionis. Sic nimirum, sic in moribus, sic in affectibus, sic in studiis hominum non minor, forte et amplior contrarietas invenitur: ut si totam, sicut est, pravitatem seorsum intuearis, ac rursus quidquid boni videtur inesse consideres singillatim, plenum censeas esse miraculo, quod tam adversa convenerint. Inde homo nunc quidem *Bar-Jona*, nunc vero *Satana* meretur audire. Nolite intrari hoc. Recolite ex Evangelio, cui dictum sit (et utrumque in veritate, nam utrumque ab ipsa Veritate dictum) prius quidem: *Beatus es, Simon Bar-Jona; nec multo post: Vade retro, Satana.* Unus ergo utrumque, etsi non utrumque ex uno. Illud enim ex Patre, istud ex homine, ipse tamen utrumque erat. Unde *Bar-Jona*? Quia non caro nec sanguis, sed Pater ei quod locutus est revelavit. Unde *Satanas*? Quia sapuit quæ erant hominum, non quæ Dei (*Matth. xvi, 17, 25*). Jam si utraque consideratione diligenter inspexerimus nos quid sumus, imo in una, quam nihil, in altera quam magnificati: quippe pro quibus etiam sollicitudinem gerat tanta majestas, et cor suum apposuerit erga

nos: puto temperata videatur gloriatio nostra, sed forsitan magis aucta est, solidata tamen, ut non in nobis, sed in Domino gloriemur, quibus nimirum in hoc solo respirare est, ut dicamus, Si decreverit salvare nos, continuo liberabimur.

8. Ex hoc jam in illa superiori specula vel paululum immorantes, quæramus domum Dei, quæramus templum, quæramus civitatem, quæramus et sponsam. Neque enim oblitus sum, sed cum metu et reverentia dico: Nos sumus. Nos, inquam, sumus, sed in corde Dei; nos sumus, sed ipsius dignatione, non dignitate nostra. Non usurpet quod Dei est, ut non apponat homo magnificare se ipsum: alioquin quod illius erat faciens Deus, exalantem se humiliabit. Quod etsi nos puerili animositate gratis salvari volumus, merito non salvamur. Excludit miseriam dissimulatio miserationem, nec dignatio locum habet, ubi fuerit præsumptio dignitatis: provocat vero compassionem humilis confessio passionis. Sane hæc sola facit ut nos ipse tanquam dives paterfamilias alat in fame, et sub eo panibus abundantes inveniamur. Proinde domus ejus, cui nunquam deest alimonia vitæ. Et memento quod domum suam domum orationis esse definiat (*Matth. xxi, 13*); quia et hoc prophetico satis videtur testimonio convenire, qui ab ipso nos, in orationibus utique, cibavidos pane lacrymarum, et in lacrymis potum asserit accepturos (*Psal. lxxix, 6*). Cæterum juxta eundem Prophetam, sicut supra quoque meminimus, domum istam decet sanctitudo (*Psal. xcii, 5*): ut videlicet pœnitentiæ lacrymas puritatis continentis comitetur, et quæ jam domus est, fiat subinde etiam templum Dei. *Sancti estote, inquit, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester (Levit. xi, 44).* Et apostolorum: *Nescitis quia corpora vestra templum sunt Spiritus sancti, et Spiritus sanctus habitat in vobis? Si quis templum Dei violaverit, disperdet eum Deus (I Cor. iii, 16, 17).*

9. Nunquid tamen vel ipsa jam sanctimonia sufficit? Pax quoque necessaria est, Apostolo teste, qui ait: *Pacem sectamini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum (Hebr. xii, 14).* Hæc est quæ facit unius moris habitare fratres in unam novam utique regi nostro, vero pacifico, ædificans civitatem, quæ et ipsa Jerusalem nominetur, quod est *visio pacis*. Ubi enim sine fœdere pacis, sine observantia legis, sine disciplina et regimine acphala multitudo congregata fuerit, non populus, sed turba vocatur: non est civitas, sed confusio; Babylonem exhibet, de Jerusalem habet nihil. Sed quemadmodum fieri posse videbitur, ut rex tantus **1082** in sponsum transeat, civitas promoveatur in sponsam? Sola hoc potest, quæ nihil non potest, charitas fortis ut mors. Quomodo non facile istam levet, quæ illum jam inclinavit? Verum hinc tibi nullatenus consulenda prior illa, quam diximus, consideratio tui: hic quam potissimum fidei magnanimitas exercetur. Denique et ipse ait: *Desponsavi te mihi in fide, desponsavi te in judicio et justitia (ejus, non tuam intellige), desponsavi te in misericordia et misc-*

rationibus (*Osee* II, 20, 19). Si non fecit ille quod sponsus, si non tanquam sponsus amavit, si non zelatus est tanquam sponsus, noli acquiescere sponsam te arbitrari.

10. Itaque, fratres mei, si per abundantem refec-tionem magni patrisfamilias domus esse probamur, si templum Dei per sanctificationem, si civitas summi regis per socialis vitæ communionem, si sponsa immortalis sponsi per dilectionem, puto, jam non est quod dicere verear nostram esse solemnitatem. Nec miremini quod in terris agitur hæc celebritas, siquidem agitur et in cælis. Nempe si (ut Veritas ait, et non potest non esse verum) super uno peccatore pœnitentiam agente gaudium est in cælis, etiam angelis Dei (*Luc.* xv, 10), non est dubium quin sit eis hodie gaudium multiplex super tam multo peccatore pœnitentiam agente. Adhuc amplius vultis audire? Etiam *gaudium Domini, fortitudo nostra* (*II Esdr.* viii, 10). Collætetur ergo angelis Dei, congaudeamus Deo, et in gratiarum actione præsens solemnitas agatur, quia quanto nobis domestica, tanto amplius debet esse devota.

SERMO VI.

De reverentia sacris locis debita.

1. Domestica nobis celebritas dedicatio domus nostræ; magis autem domestica nostra ipsorum dedicatio est. Nostra siquidem illa aspersio, nostra illa benedictio, nostra consecratio fuit, quæ per manus sanctorum celebrata pontificum, etiam hodie anniversario reditu votivis laudibus ad memoriam revocatur. Nunquid de lapidibus curra est Deo? Non parietes dicunt, sed homines: *Ipsi enim cura est de nobis* (*I Petr.* v, 7). Unus homo erat Jacob, et dormiens vidit descendentes angelos et ascendentes. Parum est hoc; etiam Dominum angelorum adesse testatus est, dicens: *Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam* (*Gen.* xxviii, 12, 16). Miratur enim gratiam, et dignationis magnitudinem expavescit. Quam terribilior est iste locus, quam evidentius certiusque Dominus est in loco isto, ubi nimirum non modo duo aut tres, sed tam multi in ipsius congregati nomine perseverant! Nemo jam nesciat, nemo vestrum ignoret. Siquidem non accepimus spiritum mundi hujus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo data sunt nobis (*I Cor.* ii, 12). Terribilis plane locus, et dignus omni reverentia, quem fideles viri inhabitant; quem angeli sancti frequentant (80°); quem sua quoque præsentia Dominus ipse dignatur.

2. Quomodo enim tantus patriarcha nescire potuerat quod non esset locus ubi non esset Deus? Sed forte aliud esse miratus est, ubi ait: *Vere Dominus est in loco isto.* Ibi vere est, et vere Dominus est, ubi in ejus nomine angeli simul et homines

(80°) Huc spectare videtur Joannes. Ermita in lib. 2 de Vita S. Bernardi, num. 7, ubi ejus verba refert ex sermone in dedicatione ecclesiæ habito:

A congregantur. Licet enim in omni loco sit, qui nullo clauditur loco, signanter tamen dicimus: *Pater noster, qui es in cælis* (*Matth.* vi, 9); quod aliter illic et proprio quodam modo præsentem se exhibeat, non quidem ipse diversus, sed diversa distinguens. Est ergo in omni loco, omnia universaliter continens, omniaque disponens; sed longe tamen aliter atque aliter. Apud homines malos est præstans atque dissimulans; apud electos homines operans et servans; apud superos pascens et cubans; apud inferos arguens et damnans. Facit solem suum oriri etiam super malos: sed ubi malorum interim dissimulatio **1083** est, quodam modo veritas non est. Itaque, si dicere licet, apud impios est in dissimulatione; apud justos in veritate; apud angelos in felicitate; apud inferos in feritate sua. Durum vobis sonat quod de feritate dixi? ego vero et iram vereor, et furorem. *Domine, ne in furore tuo arguas me* (*Psal.* vi, 2), etc. Vere, inquit, *Dominus est in loco isto.* Ubi enim pluit super justos et injustos, pater est, et Pater misericordiarum, exspectans homines ad pœnitentiam. Ubi damnat obstinatos, iudex est, et horrendum est incidere in manus Dei viventis (*Hebr.* x, 31); ubi cubat, sponsus est: et beata anima quam introduxerit in cubiculum suum.

3. Caterum in loco isto vere Dominus est, si tamen serviamus ei in spiritu et veritate. Non enim vere Dominus erat apud eos quibus dicebat: *Quid vocatis me, Domine, Domine; et non facitis quæ dico?* (*Luc.* vi, 46.) Testantur sacræ litteræ in paradiso olim positum primum Adam ut operaretur et custodiret illum (*Gen.* ii, 15). Sic secundus Adam in ecclesia sanctorum, in congregatione suorum, in horto deliciarum: siquidem deliciæ suæ esse cum filiis hominum; ita, inquam, et ipse Dominus est in loco isto, ut operetur atque custodiat. Alioquin sicut: *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam; sic nihilominus: Nisi ipse custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam* (*Psal.* cxxvi, 1). Porro angelos ascendentes et descendentes esse in loco isto, patriarchalis ipsa visio manifestat: ascendentes, ut videant faciem Patris; descendentes, ut provideant nobis. Quid ergo? Nos quomodo hic esse debemus, in quanta reverentia stare in loco isto, ubi Deus est operans et servans, angeli ascendentes et descendentes? Nimirum pœnitentes et expectantes esse nos convenit. Hoc est enim oblivisci quæ retro sunt, ignorare, reprobare, recogitare annos illos in amaritudine animæ nostræ, ac deinceps cogitatione simul et aviditate extendere nos in anteriora. Ad hoc venimus, in hoc positi sumus. Hæc sunt quæ exiguntur a nobis, præteritorum pœnitudo peccatorum, et futurorum expectatio præmiorum.

« Nunc sancti Angeli solemnizationi vestræ interfuerunt, » etc. tomo 6.

SANCTI BERNARDI

ABBATIS CLARÆ VALLENSIS

SERMONES DE DIVERSIS

1084. SERMO I.

De fallacia et brevitate vitæ præsentis.

1. Vera omnino sententia, fratres, quoniam *tentatio est vita hominis super terram (Job vii, 1)*: siquidem fallax est, nec simpliciter fallere consuevit. Ut enim multipliciter illudat hominibus, mutat faciem, mutat vocem: modo ait, modo negat, nec erubescit: de ipsa quantitate sua diversis diversa loquitur, imo et eidem diverso tempore contraria quoque suggerit et adversa. Modo enim se brevem esse causatur, modo simulat longiorem. Cum peccare delectat adhuc, gemit altius pro brevitate sua. Nec brevis falsus, sed gemitus fallax, quod id memoret cum mœrore, unde magis oportuerat gratulari. Siquidem bonum est ei, si sic agere perseverat, ut flagitiis ejus, quibus voluntas modum non ponit, vel necessitas finem ponat. Expedit ei qui semper moritur, ut corpore citius moriatur: magis autem ei bonum erat, si natus non fuisset homo ille. Et ipsa denique vitæ memoria brevioris remedium magis quam incentivum debuerat esse peccati, sicut scriptum est: *Memorata novissima tua, et in æternum non peccabis (Eccli. vii, 40)*. Quod si usque adeo regnat in te peccatum, imo usque adeo delectat te servire peccato, ut doleas tibi medicum tempus esse quo servias ei, sed eoque latam diligis viam, ut omnimodis optes, si posses, eam etiam facere longam; velis, nolis, non longe est. finis ejus; sed tu, fateor, longe es a regno Dei, et firmissimum pepigisse videris cum morte sædus, pactum cum inferno.

2. *Erraverunt, ait Propheta, in solitudine, in inaquoso: viam civitatis habitaculi non invenerunt (Psal. cvi, 4)*. Solitudo hæc superbiorum est, quia solos sese reputant, solos appetunt reputari. Litteratus est; odit socium. Astutus in negotiis sæcularibus neminem vellet sibi similem inveniri. Pecuniosus est; si ditescere viderit alterum, cruciatur. Fortis est aut formosus; da ei parem, et contabescit. Solitarius est, sed erroneus. Errat in solitudine sua: non enim solus habitare poterit super terram. Nec mirum quod solitudini huic **1084** inaquosum additur; ut dicatur, *in solitudine, in inaquoso*. Sicut enim in solitudinibus aquæ deesse solent, et loca

A deserta sterilia quoque et arida esse consueverunt, sic superbiam impœnitentia comitatur. Elatum enim cor, durum et expers est pietatis, ignarum compunctionis, siccum ab omni rore gratiæ spiritualis; quia superbis Deus resistit, humilibus vero dat gratiam (*Jac. iv, 6*). *Qui emittit fontes in convallibus, inter medium montium, ait Propheta, pertransibunt aquæ (Psal. ciii, 10)*. Hiuc est quod de se ipso miserabiliter conquerens ait: *Anima mea sicut terra sine aqua tibi (Psal. cxlii, 6)*. Siquidem aquæ inopia non modo aridum, sed et sordidum facit, dum non est quo laveris: et humanum cor lacrymas nesciens, non modo durum, sed et impurum esse necesse est. *Lavabo, ait, per singulas noctes lectum meum, ut conseientiæ maculas diluam. Lacryvis meis stratum meum rigabo (Psal. vi, 7)*, ne in me quoque fiat quod scriptum est de semine quod *cecidit supra petram, et natum aruit, quia non habebat humorem (Luc. viii, 6)*.

3. *Erraverunt in solitudine, in inaquoso: viam civitatis habitaculi non invenerunt*. Erraverunt plane in invio, et non in via. Neque enim via est lata via. Rectitudo quippe ad viam, latitudo ad planitiem magis quam ad viam pertinet. Solitudo in via lata est via: et ubi nulla est via, totum est via. Sic est vita exposita vitæ, latissimos habens hinc inde terminos, quia nullos terminos habens. Nec vita sane dicenda est, qua nimirum soli vivitur morti, Apostolo teste, qui ait: *Quia si secundum carnem viveritis, moriemini (Rom. viii, 13)*. Sic nec circuitus via, et tamen impiorum est via, sicut scriptum est, *In circuitu impii ambulat (Psal. xi, 9)*. Ipsa est spatiosa via, cujus latitudinis spatium nullis clauditur metis, ubi nec lex est, nec prævaricatio. Injuriis ergo filiis diffidentæ, qui totos sese corporeis voluptatibus et propriis voluntatibus tradiderunt, fiducialiter fallax vita brevem sese esse fatetur, ut carnaliter doleant, quod instar principis sui (81) modicum tempus se habere cognoscant, atque eo vehementius ad omne flagitium inardescant, sicut quidam dicere referuntur: *Non nos prætereat flos temporis, coronemus nos rosas antequam marcescant. Nullum pratium sit quod non pertranseat luxuria nostra, nullum sit expers luxuriæ*

(81) Nempe diaboli, de quo Apoc. xii: *Descendit ad vos diabolus habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet.*

1085 nostræ; ubique relinquamus signa lætitiæ, A quoniam hæc est pars, et hæc est sors nostra. Et manifestius: Manducemus et bibamus; cras enim moriemur (Sap. II, 6-9; Isai. XLII, 13). Verum id quidem, respondebit eis cras iniustitia sua: nec manentem hic civitatem habent vel ipsi, qui viam civitatis habitaculi non invenerunt. Sed quod eo peccare festinant, prorsus insaniunt. Sane eisdem ipsis, si quando forte imminentis sibi mortis cœperint horrere memoriam, et terribilem expectationem iudicii contremiscere, continuo vitæ hujus fallacia longam se esse mentitur: ut quam paulo ante brevem esse dolebant peccato vitam, nunc eandem repente inveniant usque adeo prolongatam, ut secure se posse putent non modicam adhuc partem consumere in peccatis, quod reliqua longa sit, et sufficiat B ad agendam pœnitentiam pro peccatis. Cæterum sicut prioribus, nisi respuerint, timor quem timentur eveniet, imo gravius quam quod verentur accidit eis, ut non modo flagitiorum tempus velociter transcat, sed et succedat tempus, aut magis æternitas suppliciorum; ita et his, cum dixerint, Pax et securitas, repentinus superveniet interitus (I Thess. V, 3), ut non possint nec dimidiare dies quibus sese somniant adhuc esse victuros, non illam, quam sibi interim pollicentur, dimidiationem explere dierum.

4. Vobis, fratres, nec ab inani tristitia veræ brevitatæ, nec a fallaci consolatione simulatæ longitudinis timeo, quod certissime jam cœperitis ire in civitatem habitationis, nec ambuletis in invio, C sed in via. Vereor autem ne vobis quoque, sed aliter, vita ipsa simulatione longitudinis illudere velit, non consolationem hinc afferens, sed magis inferens desolationem. Vereor, inquam, ne longioreni sibi vitam superesse quis reputans, et grandem sibi restare autumans viam, obruatur a pusillanimitate spiritus, et labores tantos et tam diuturnos sustinere posse desperet. Quasi vero non secundum multitudinem dolorum suorum in corde suo, consolationes divinæ lætificent animas electorum. Et nunc quidem secundum multitudinem dolorum, dum adhuc quasi ad mensuram dantur. Cæterum post hæc delectationes, non jam consolationes in dextera ejus usque in finem. Concupiscamus illam dexteram, D fratres, quæ totos amplexabitur nos; suspiremus ad delectationes illas, ut, sicut creve est omnino tempus, etiam pauci videantur nobis dies præ amoris magnitudine. Non sunt condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis (Rom. VIII, 18). Jucunda promissio, et votis omnibus amplectenda. Non enim astabimus quasi inanes et vacui spectatores, nec gloria illa quasi extrinsecus revelabitur nobis, sed in nobis. Videbimus enim Deum facie ad faciem, sed non extra nos; quia in nobis erit, utique omnia in omnibus. Nimirum plena erit gloria illa etiam omnis terra: quanto magis anima ipsa replebitur? Replebimur, inquit, in bonis domus tuæ (Psal. LXIV, 5). Et quid dico,

quod non aderit nobis gloria, sed inerit? Nunc quoque in nobis est, sed tunc revelabitur. Nunc enim filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid crimus.

5. Fratres mei, si non accepimus spiritum hujus mundi, sed spiritum qui ex Deo est, sciamus quæ a Deo donata sunt nobis. Ego enim dico quoniam omnia. Et, si mihi non creditis, Apostolo credite. Qui proprio, ait, Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non omnia etiam cum illo nobis donavit? (Rom. VIII, 32.) Hæc nempe potestas filiorum Dei, quam dedit his qui receperant eum. Hæc gloria cujusque fidelis, gloria quasi adoptati a Patre, per eum utique cujus gloriam vidimus, gloriam quasi Unigeniti a Patre. Audi denique potestatem: Omnia, inquit, possibilia sunt credenti (Marc. IX, 22).

6. Sed adhuc multa, inquires, graviter inquietant, multa evidentius adversantur. Et miror quomodo omnia data memores, quibus fere nulla famulantur ad votum. Servire nobis videntur aliqua, sed cum labore nostro, nec nisi prius servierimus eis. Jumenta ipsa, nisi fuerint a nobis nutrita, nisi domita, nisi fuerint pabulo sustentata, non adjuvant. Terra ipsa, quæ **1086** debuerat nobis esse germanior, non sine sudore vultus nostri panem nobis ministrat: imo et cum coluerimus eam, spinas et tribulos germinat nobis. Et cætera omnia denique, si diligenter consideremus, servitium a nobis magis exigunt, quam exhibent nobis: ut ea interim sileam quæ sunt parata nocere, ut est ignis ad exurendum, aqua ad submergendum, feræ ad lacerandum. Et hæc quidem ita se habent; sed tamen non mentitur Apostolus etiam alio loco manifestius asseverans scire se Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti (Rom. VIII, 28). Verumtamen solerter attende quod non ad libitum famulari, sed cooperari dicit ad bonum. Neque enim ad voluntatem serviunt, sed ad utilitatem; non ad voluptatem, sed ad salutem; non ad votum, sed ad commodum nostram. Usque adeo siquidem in hunc modum omnia nobis cooperantur in bonum, ut inter hæc omnia etiam ea quæ nihil sunt numerentur, molestia, morbus, et ipsa mors, etiam et peccatum; quæ quidem constat naturas non esse, sed naturæ corruptiones. An vero ei peccata ipsa non cooperantur in bonum, qui ex eis humilior, ferventior, sollicitior, timorior et cautior invenitur?

7. Hæ sunt ergo primitiæ spiritus, hæ primitiæ regni, hæ gloriæ prælibatio, hoc potestatis initium, et arrha quædam paternæ hæreditatis. Cæterum cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est, ut ad votum deinceps omnia disponantur, quod indissolubili vinculo copulata sibi utile et jucundum, separari ultra non possint. Hoc nempe erit illud æternum gloriæ pondus, de quo identidem ait Apostolus: Momentaneum, inquit, hoc et tene tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æter-

num gloriæ pondus operatur in nobis (II Cor. iv, 17). **A** Cor. xv, 28). Hæc merces nostra, hæc corona nostra, perge ergo murmurare, et dicere: Longum est, grave est, non possum tam inmania et tam diuturna portare! Apostolus momentaneum et leve perhibet esse quod tolerat. Et certe necdum a Judæis quinquies quadragenas una minus accepisti; necdum nocte ac die in profundo maris fuisti (II Cor. xi, 24, 25), necdum plus omnibus laborasti (I Cor. xv, 10); postremo, necdum usque ad sanguinem restitisti (Hebr. xii, 4). Vide ergo quam non sunt condignæ ad gloriam passiones. Quod tribulationis est, momentaneum est et leve: quod gloriæ, æternum est, et pondus etiam supra modum in sublimitate. Quid in incertum tibi dies et annos numeras? Transit hora, transit et pœna; nec accedunt sibi, sed cedunt potius et succedunt. Non sic gloria, non sic remuneratio, non sic merces ipsa laboris. Nescit vicissitudinem, nescit finem, manet tota simul, et manet in æternum. Cum dederit, inquit, dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini (Psal. cxxvi, 2, 3). Sufficit enim nunc cuique dici malitia sua, nec laborem suum potest reservare sequenti; sed omnium merces laborum in una illa die reddetur, cui altera non succedet. *Reposita est mihi corona justitiæ*, ait Apostolus, *quam reddet mihi*, non in illis, sed in illum diem justus Judex (II Tim. iv, 8). Melior est enim dies una in atriis illis super millia (Psal. lxxxiii, 11), Guttatim pœna bibitur, liquando sumitur, per minutias transit: nam in remuneratione torrens est voluptatis, et fluminis impetus, torrens inundans lætitiæ, flumen gloriæ [*alias, gratiæ*], et C flumen pacis. Flumen plane est, sed quod affluat, non quod fluat vel effluat. Flumen vocatur, non quod transeat vel pertranseat, sed quod abundet.

8. *Æternum*, inquit, *gloriæ pondus*. Non enim nobis gloriosa vestis, non gloriosa domus, sed ipsa gloria promittitur. Si quid vero illorum aut similium aliquando dicitur, figura est. Nam in veritate justorum expectatio non aliquid lætium, sed ipsa lætitia est (Prov. x, 28). Gaudent in cibis, gaudent in pompis, gaudent in divitiis, gaudent et in vitiis homines; sed luctus extrema occupat ejusmodi gaudiorum, quod gaudium in materia convertibili mutari necesse sit re mutata. Accenditur cereus: non purum lumen est, sed lucerna; siquidem ignis ipse propria fomenta consumit, 1087 nec nisi ipsa consumptione fovetur. Porro deficiente materia etiam ipse deficiet, et ubi illam videris prorsus exustam, hunc quoque nihilominus extinctum esse reperies. Sicut ergo flammæ illius novissima fumus occupat et caligo, sic lætitiæ rei in tristitia commutatur. Nobis autem non favum mellis, sed purissimum et liquidissimum mel reposuit Deus; ipsam plane lætitiæ, vitam, gloriam, pacem, voluptatem, amœnitatem, felicitatem, jucunditatem et exultationem thesaurizavit nobis Dominus Deus noster: et hæc omnia unum, ut sit participatio Jerusalem in idipsum. Et hoc unum et idipsum non nisi ipse, sicut supra meminimus, dicitur Apostolo quoniam erit Deus omnia in omnibus (I

A Cor. xv, 28). Hæc merces nostra, hæc corona nostra, hoc bravium nostrum: ad quod utinam sic curramus, ut comprehendamus! Fratres, nunquam prudens agricola seminandi opportunitatem repuit longiorem, qui futuræ messis desiderat ubertatem. Vestri autem dies, non minus utique quam capilli, omnes numerati sunt (Luc. xii, 7); et sicut pilus de corpore, sic et momentum de tempore non peribit (Luc. xxi, 18). Habentes ergo talem promissionem, charissimi, non deficiamus aut fatigemur aliquando: nec grave causemur onus Christi, quod teste ipso leve est; vel jugum, quod revera suave est (Matth. xi, 30): sed ad omne quod videmur portare pondus diei, æternum gloriæ pondus cogitemus. Ad quam nos sua miseratione perducatur virtutum Dominus et rex gloriæ; cui interim devota humilitate clamemus: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (Psal. cxliii, 9).

SERMO II.

De obedientia, patientia et sapientia; seu, de noscendo se ipsum, quod homines sumus.

1. Obsecro vos, fratres, per communem salutem, studiosè suscipite datam vobis opportunitatem operandæ salutis. Obsecro per misericordiam, pro qua tam miserabiles vos facere studuistis, facite ad quod venistis, ad quod ascendistis de fluminibus Babylonis. *Super flumina Babylonis*, ait Propheta, *illic sedimus et flevimus, dum recordaremur tui, Sion* (Psal. cxxxvi, 1). Nulla vobis hic nutriendorum liberorum cura, nulla sollicitudo quomodo placeatis uxorum: non de nundinis, non de negotiis sæcularibus, non de ipso victu et vestitu necesse est cogitare. Procul a vobis, magna quidem ex parte, diei malitia et sollicitudo vitæ. Sic abscondit vos Deus in abscondito tabernaculi sui. *Vacate*, itaque, *dilectissimi, et videte quoniam ipse est Deus* (Psal. xlv, 11). Verum, ut hoc quandoque possitis, curandum est vobis prius ut videatis quid estis vos, et, juxta ejusdem prophetæ vocem: *Sciant gentes quoniam homines sunt* (Psal. ix, 21). Huic duplici considerationi tota hæc vestra vocatio tribuatur, sicut sanctus orabat: « Deus, noverim me, noverim te (Augustinus, in Confess. libris). » Quomodo enim notus sibi videtur homo, laboris fugitans et doloris? aut quomodo scit se esse hominem, qui ad id paratus non est ad quod natus? *Homo*, inquit, *nascitur ad laborem* (Job v, 7). Nam ad dolorem natum se dubitat, qui non natus est in dolore. Sed dolorem parturientis clamor, laborem prolis fletus indicat et vagitus. *Quoniam tu laborem et dolorem consideras*, ait Propheta (Psal. ix, 14). Labor in actionibus, dolor in passionibus est. Proinde qui se noverat hominem, ad utrumque paratus supplici confessione dicebat: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum* (Psal. lvi, 8). Et geminam hanc præparationem evidentius exprimens, de actione quidem: *Paratus sum*, ait, *et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua* (Psal. cxviii, 60). De passione vero: *Ego*, inquit, *in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper* (Psal. xxxvii, 18).

2. Nemo sane in hac misera vita geminam hanc A vexationem se evadere gloriatur. Nemo quippe ex omnibus filiis Adæ sine labore hic vivit, nemo sine dolore. Est qui declinat aliquos, sed incidit procul dubio in graviores. *In labore, inquit, hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur.* Non tamen continuo **1088** sine labore sunt, aut minime flagellantur. Denique *propterea, inquit, tenuit eos superbia.* Gravis equidem labor. *Operi sunt iniquitate et impietate sua* (Psal. LXXII, 5, 6). Gravidus plane flagellis, siquidem *non est gaudere impiis, dicit Dominus* (Isai. LVII, 21). Quod enim nec laboris anxietatem nec flagelli sentiunt læsionem, ipsa jam insensibilitas vehementiam indicat passionis. Sudat pauper in opere foris : sed nunquid minus anxie dives intus in ipsa sua cogitatione laborat? Aperi- rit iste os suum in oscitatione; aperit ille in eructatione; et interdum ille gravius fastidio, quam iste inedia cruciatur. Postremo velint, nolint, non modo homines, sed etiam dæmones et faciunt et patiuntur quod providentia summa disposuit.

3. Cæterum nec leprosa obedientia, nec canina patientia commendatur. Inde est quod non simpliciter petimus ut fiat voluntas Domini, quam in omnibus et per omnia fieri certissime constat : voluntati enim ejus quis resistit? sed ut fiat *sicut in cælo et in terra.* Quam nimirum adjectionem duabus quoque præcedentibus petitionibus nihilominus reor aptandam, ut Patrem nostrum qui in cælis est exoremus, quatenus et nomen ejus sanctificetur, et regnum ejus adveniat, et voluntas fiat (Matth. vi, 9, 10). *Heec omnia sicut in cælo, sic et in terra.* Alioquin ubi non sanctificatur nomen ejus? ubi jam regnum ejus non venit, quando in nomine Jesu omne genu flectitur, cælestium, terrestrium et infernorum (Philipp. II, 10)? *Scio te quia es Sanctus Dei,* ait etiam ipse malignus (Marc. I, 24). At longe aliter et dissimili prorsus affectione nomen istud sanctificatur in cælis, ubi tam inenarrabili jucunditate clamatur : *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth* (Isai. vi, 3). Sic et regnat non in terra solum, verum etiam in gehenna, imperium habens vitæ et mortis. Sed omnino dissimiliter regnat in his qui inviti servant, et qui voluntarie famulantur.

4. Bonus cibus obedientia, de qua nimirum et D ipse Dominus ait : *Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei* (Joan. IV, 34). Et Propheta : *Labores, ait, manum tuarum quia manducabis; beatus es, et bene tibi erit* (Psal. CXXVII, 2). Bonus cibus patientia pauperum, quæ non peribit in finem, panis lacrymarum, panis doloris. Verumtamen utriusque necessarium est condimentum, sine quo uterque insipidus non modo non reficiat, sed gustatus afferat mortem. Durissimus equidem cibus uterque, fratres, et, nisi aliquod tertium saporabile apponatur, utique mors in olla. Quid vero tam saporabile quam sapientia? Nempe lignum vitæ est, quod et ipsas aquas Marath per Moysen dulcoravit (Exod. xv, 25). Farinula est, quæ pulmentum prophetarum per Elisæum saporat

vit (IV Reg. IV, 41). Ignis est, qui semper ardere præcipitur in altari (Levit. VI, 12). Oleum est, ob cuius inopiam virginibus fatuis ostium clauditur nuptiarum (Matth. XXV, 12). Sal est, quod nulli sacrificio deesse jubetur (Levit. II, 13). Inde est quod insulsos homines dicimus, quos intelligi volumus minime sapientes. Et Dominus sal in nobis habere præcipit (Marc. IX, 49). Apostolus quoque omnem nostrum sermonem sale monet esse conditum (Coloss. IV, 6).

5. Puto tamen hanc ipsam, quam obedientia et patientia tertiam addi volumus, sapientiam nihilominus triplicem inveniri, ut nostrum hoc condimentum velut tribus quibusdam herbis conficiatur. Opus est enim ut justitia sit in intentione, hilaritas in operatione, humilitas in reputatione. Insipida namque Deo et insulsa quodam modo nostra obedientia, seu etiam patientia est, nisi omnium quæ vel agimus, vel patimur, ipse sit causa; quia et quidquid facimus, jubemur facere in gloriam Dei; et non si quid patimur, sed si quid propter justitiam patimur, beati. Oportet autem pusillanimitatem quoque et tristitiam in omnibus quæ agenda sunt vel toleranda caveri; quia hilarem datorem diligit Deus (II Cor. IX, 7). Denique hilaritas ipsa et devota voluntas ad eam quam supra diximus præparationem specialiter noscitur pertinere. Porro elationem super omnia fugere necesse est. Quisquis enim altius capit, et opus ejus, et patientia vanum **1089** sapit; nec gravior ullus sapor, aut magis contrarius est veritati. Videsne quam sit utile homini scire se hominem, ut proinde sit paratus ad mandatorum obedientiam, et tolerantiam flagellorum : ac deinceps studeat ut, qui nec laborem interim potest effugere nec dolorem, sic saltem laboret et doleat ut hæc sibi in cibos transeant salutare? Siquidem *melior est obedientia quam victimæ* (I Reg. XV, 22); et : *Melior est patiens viro forti* (Prov. XVI, 32). Inobedientia est causa mortis : omnes experimur, omnes morimur propter eam. Impatientia, animæ perditio est, dicente Domino : *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (Luc. XXI, 19). Nihilominus autem sapientia quoque, quam diximus, necessaria est ad salutem. Siquidem non solum propter inobedientiam quibus obedientia defuit, aut propter impatientiam qui patientia caruerunt; sed et qui non habuerunt sapientiam, propter suam insipientiam perierunt.

6. Et hæc quidem ut sciant homines quoniam homines sunt, actionibus jam et passionibus deputati; erat quando in actione et meditatione positus erat homo, sine passione habens actionem, habens etiam sine labore meditationem. Dico autem quando positus est in paradysum, ut operaretur et custodiret. Verum hinc quoque si non caderet, erat aliquando promovendus, ut sola jam frueretur contemplatione; sicut et ex hoc inferiori gradu, quem modo tenet, nisi resurgere satagat, in infimum est quandoque casurus : videlicet ut in sola jam passione versetur, quod nec opus nec ratio, sed tantum passio apud

inferos sit. Felix quidem cujus animam corpus non aggravabat, quia nec corrupēbatur. Sed longe felicior, si ad hoc pervenisset, ut minoratus actu, plonius perfectiusque perciperet sapientiam, gratis diligens corpus, tanquam in nullo indigens corpore. Esset enim hic pulcherrimus ordo, et erit adhuc quando erit. Neque enim aliquatenus desperandum, ut videlicet sicut anima Deo, sic animæ caro dicere videretur : *Quoniam bonorum meorum non egēs ; Adimplebis me lætitiā*, ait, *cum vultu tuo* (Psal. xv, 2, 11). Inde plenitudo, inde satietas, cum apparuerit gloria tua. Nam quod de corporum reformatione, et conformatione claritati corporis ejus expectamus, ex abundanti quodam modo et mensuræ superfluentia erit : ut feliciter quidem in ipsius glorificatione, sed non principaliter gaudeamus. *Uxor*, inquit, *tua, sicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ*. Honorabitur caro, sed juxta mensuram suam, non in medio domus habitans, sed seorsum; nec in facile nobis, sed in latere constituta. *Filii tui, sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ* (Psal. cxxvii, 3). Nimirum opera etiam ipsa non deerunt, sed quæ nunc sunt, non quæ flent tunc; sicut scriptum est: *Opera enim illorum sequuntur illos* (Apoc. xiv, 13). Verum etsi gratulemur et agamus gratias Deo super his quæ ipsius adjutorio gessimus, non primum tamen eis locum dabimus, sed in circuitu locabuntur.

7. Nunc vero in regione corporum habitantes, corporibus sumus obnoxii : et ex quo dissipaverunt legem parentes nostri, non modo faciendi tempus est, sed etiam patiendi, et omnium nostrum amplius labor et dolor. Durus equidem cibus est hordeaceus panis; sed offenso rege, pulsus palatio miles quamlibet delicatus, ad unum forte quem solum habet servulum divertere opus habebit : ibi fovere laterbras, et insolita capere prandia apud eum; regales delicias pulvis rusticanis, ac nobiles stratus sterquilinio mutare servuli, juxta illud prophetiæ lamentationis : *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercorea* (Thren. iv, 5). Ibi quoque hoc maxime propheta deplorat, obliuiscens propriæ conditionis ingenuas creaturas tantam dissimulare miseriam : nec modo non reputare quod tolerant, sed tanquam bona magna complecti, quæ paulo minus extrema sunt mala. Propterea siquidem et de se ipso ait : *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus* (Thren. iii, 1).

1090 8. Gemamus nos sub hoc onere, fratres, et præsentibus deprecemur ærumnas. Frequenter quisque nostrum in vocem piæ querimonie erumpat, et clamet : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (Rom. vii, 24) Studeamus etiam furari aliquando nosmetipsos; et a pessimis occupationibus istis subripere vel ad horam : jaculari animos, vibrare corda in id quod suum est, et quod quanto naturalius, tanto suavius est. Hoc enim est quod dicitur : *Vacate, et videte quoniam ego sum Deus* (Psal. xlv, 11). Neque enim est oculorum vi-

sio ista, sed cordium, cum Dominus dicat : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (Matth. v, 8). Proprium hoc cordis bonum; nec servili ad hoc indiget instrumento. Proprium enim animæ cibus est, de quo Propheta : *Aruit, inquit, cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum* (Psal. ci, 5). Sane quod dicimus : Dictu facilius nihil est; in comparatione dicimus operum, quod longe sit volubilior lingua, quam dextera, et levius hæc ad verbum, quam ad actum illa moveatur. Alioquin et dictu et actu cogitatus facilius est, quod in eo quidem suo ipsius ore loquatur anima, suis videat oculis, suis manibus operetur. Quamvis et hic interdum laborare eam necesse est etiam in gemitu suo, et intra proprium quoque cubile compungi. Siquidem usque adeo vita nostra inferno appropinquavit, qui solius utique passionis est locus, ut et actionem passio, imo et ipsam quoque cogitationem actio et passio pariter occuparint. Nonne enim nobis quodam modo passivæ sunt actiones (81*), et in cogitationibus etiam dolor et labor? Heu vitula Ephraim docta diligere tritiram (Osee. x, 11), assueta jugo, ignara quietis! quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Quando cessabunt hæc omnia, et jam non erit amplius neque luctus neque clamor, sed nec ullus dolor neque labor ullus? Quando inebriabit animam ubertas domus Dei, et torrens ille indeficiens voluptatis divinæ? Quando totam sibi eam serenissimi contemplatio luminis vindicabit? Filioli, concupiscamus in atria Domini; crebro suspiremus illuc. Patria nostra ipsa est, odoremus [alias adoremus] saltem et a longe salutem eam. Amen.

SERMO III.

De cantico Ezechiæ regis, « Ego dixi in dimidio dierum meorum, » etc. (Isa. xxxviii, 10-20.)

1. Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos (Psal. lrv, 24), perseverantes in sua vetustate usque ad mortem; et hoc quia non timent Dominum. Verum qui timore Dei initiatur ad sapientiam, is continuo dimidiat dies suos, exclamans præ timore : *Vadam ad portas inferi*. Cujus utique inferi metu cum cœperit quiescere a malis, incipit de bonis quærere consolationem, quia necesse est in alterutro consolari. Est autem bona consolatio de spe salutis æternæ, in quam, sublati peccatis quæ separant inter ipsum et Deum, per Dei gratiam reviviscit et hilarescit. In quo cum cœperit proficere, quia hoc est pie vivere in Christo, necesse est, teste Scriptura, persecutionem patiatur (II Tim. iii, 12) : ut recens gaudium vertatur in mœvorem, et dulcedo boni, vix summis, ut ita dicam, labiis atacta, in amaritudinem commutetur, ita ut libeat dicere : *Versa est cithara mea in luctum, et cantatio mea in plorationem* (Job. xxx, 31). Plorat ergo amarius amissam dulcedinem, quam prius flevit admissam peccatorum amaritudinem : et hoc tandiu facit, donec, Deo miserante, consolatio redit. Qua denuo passionem sustinuisse, sermone in feria 4 majori, num. 11.

(81*) Sic alibi Bernardus ait, Christum in vita passivam habuisse actionem, in morte activam

redeunte, cognoscit eam, quam passus est, tentationem, probationem fuisse, non desolationem: porro probationem fuisse ad eruditionem, non ad destructionem, sicut scriptum est: *Visitas eum diluculo, et subito probas illum* (Job. vii, 18). Unde et cognito suo de tentatione profectu, non tantum non refugit, sed etiam tentari appetit: *Proba me*, inquit, **1091** *et tenta me* (Psal. xxv, 2). Crebris itaque hujusmodi vicissitudinibus inter gratiæ visitationem et tentationis probationem in schola virtutum proficiens, faciente utique visitatione ne deficiat, tentatione ne superbiat: tali tandem exercitio mundato oculo interiori, statim adest lux, cui fideliter inhærere cupiens, sed corpore pressus non prævalens, ad se ipsum nolens dolensque resilit. Gustato tamen aliquatenus quam dulcis est Dominus, ejus etiam, cum ad sua redierit, in cordis palato saporem retinet: quo fit ut jam ipsum, non ipsius quæcunque bona desideret. Et hæc est charitas non quærens quæ sua sunt; hæc facit filium non quærentem sua, sed Patrem diligentem. Timor quippe faceret servum in sua commoda declinantem, spes mercenarium sua lucra sectantem.

2. Per hos procul dubio gradus Ezechias transitit, et innotuit transitoris: *Ego dixi in dimidio dierum meorum: Vadam ad portas inferi*. Ac si diceret: Cum, deposita imagine terrestris hominis, imaginem cælestis velle portare cœpi; a timore, ut scriptum est, concipiens (Isai. xxvi, 17, 18) exclamavi: *Vadam ad portas inferi*. Quo tamen timore nequaquam desperans, *quæsi residuum annorum meorum*, ut jam mihi vivere inciperem, qui contra me vixeram usque adhuc. Quæsi autem ab illo qui dixit: *Sine me nihil potestis facere* (Joan. xv, 5). Neque enim ad ipsum sine ipso, non dicam reverti, sed nec converti quidem poteram: utpote spiritus vadens et non rediens. *Quæsi*, ergo, *residuum annorum meorum*. Quo accepto (non enim negat qui incitat ad quærendum) statim veram experior sententiam Sapientis, qui ait: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (Eccli. ii, 1). Tentationibus itaque cum urgerer, et spes recens, quam conceperam salutis, mihi jam-jamque intercludi videretur: *Dixi: Non videbo Dominum meum in terra viventium*: quod utique in abundantia præsumseram. *Dixi enim in abundantia mea: Non movebor in æternum*; non attendens quod in voluntate tua, non in potestate mea præstitisti decori meo virtutem. Quamobrem *avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus* (Psal. xxix, 7, 8), nequaquam jam visurus Dominum Deum, id est Patrem, in terra viventium. *Non aspiciam hominem ultra, videlicet Filium, de quo dictum est: Et homo est, et quis cognovit eum?* (Jerem. xvii.) *Sed nec habitatorem quietis, id est Spiritum sanctum, de quo scriptum est: Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem et quietum?* (Isai. lxvi, 2.)

3. Adhuc quoque: *Generatio mea ablata est et con-*

voluta est a me: hoc est, bonorum operum proles, quam ex timore cœperam parturire, ut de anima nostra possit dici: *Et quæ multos habebat filios, infirmata est. Ablata est autem pia hæc soboles, et convoluta est a me quasi tabernaculum pastorum*: ad tempus utique credita, non tradita in æternum. Item adjecit: *Præcisa est velut a texente vita mea*: ut discerem profectus vitæ meæ non in mea, sed in manu Omnipotentis, sicut tela in manu texentis; quandoquidem *dum adhuc ordier*, hoc est statim in initio, *succidit me*, quatenus eodem pene tempore et dederit et tulerit quod donarat. Sed si defecit virtus mea, non tamen dereliquit me; ne, qui cœperat, non posse perficere videretur. Quid multa? In veritate mox comperi quia virtus in infirmitate perficitur (II Cor. xii, 9); et aio: *Bonum mihi quia humiliasti me* (Psal. cxviii, 71). Cognovi enim quia *de mane usque ad vesperam finies me*, id est consummabis me. Non in solo mane visitationis, aut tantum in vespera tentationis, sed in utroque simul erit perfectio mea. Stultus ego, qui tantum sperabam usque ad mane, cum David dicat: *A custodia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino* (Psal. cxxix, 6). Et quoniam pusillus in spe, *quasi leo sic contrivit omnia ossa mea*: robor omne videlicet, de quo adhuc sub tutela gratiæ futurorum improvidas confidebam. Contrivit autem quis, nisi adversarius noster diabolus, qui tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret? (I Petr. v, 8.) Tu ergo, Domine, ex hac contritione humiliatum et probatum, *de mane usque ad vesperam* **1092** *finies me*, quoniam et factum est mane et vespere dies unus.

4. Quamobrem ego, ut didici, benedicam Dominum in omni tempore, hoc est mane et vespere; non sicut ille qui confitebitur tibi cum benefeceris ei (Psal. cxlviii, 19): non sicut illi, qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt (Luc. viii, 13): sed dicam cum sanctis: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus?* (Job ii, 10.) Et in mane quidem *sicut pullus hirundinis, sic clamabo*, in vespere autem *meditator ut columba*: quatenus et cum gratiæ matutinum ariserit, in modum hirundinis exultans et clamans gratias agam pro visitatione; et cum vespera ingerit, non deerit sacrificium vespertinum, cum instar columbæ gemens, lacrymas fundam in tribulatione. Sic enim deserviet tempus utrumque Deo, cum et ad vesperam demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia. Mœrens mœrebo in vespera, quo lætus fruar matutino. Placet uterque Deo, et peccator compunctus, et justus devotus: cui e regione displicet tam ingratus justus, quam peccator securus. Aut certe *sicut pullus hirundinis* hac illacque discurrens, Marthæ me officii mancipabo, hilaritatem me exhibens omni necessitati patienti: *et meditabor ut columba*; gemendo utique quod obstat, dum quod restat intueor. Hoc autem faciam mane et vespere, hoc est prius et posterius, juxta quod in typum utriusque vitæ dictum est a Laban:

Non est consuetudinis ut minores ante tradamus ad A nuptias (Gen. xxix, 26). quanquam indifferenter de altera ad alteram transeat. Quod significare Job puto, ubi ait: *Si dormiero, dico: Quando surgam? et rursus expectabo vesperam (Job. vii, 4).* Quiescens quippe in vespera contemplationis, mane desiderabat, quo surgeret ad actionem: rursusque negotiis fatigatus expectabat vesperam, libenter repetens otia contemplationis.

5. Potest et per garrulam aviculam cantus simul psallentium in Ecclesia, et per gementem columbam privata orationum suspiria designari. Sed mediam sententiam magis velle videtur sequens versiculus: *Attenuati sunt oculi mei, suspicientes in excelso.* Sive enim dicatur, *attenuati*, hoc est subtiles facti, pro assiduitate suspiciendi in excelso, videlicet sublimia atque excelsa contemplandi; sive intelligatur, *attenuati*, id est reverberati, et a suo quodam modo acumine imminuti, juxta illud: *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum (Psal. cxviii, 82)*; et rursus: *Memor sui Dei, et delectatus sum, et exercitatus sum, et defecit spiritus meus (Psal. lxxvi, 4)*: sive ergo illo, sive hoc modo accipiatur, non aliud quam contemplatio designatur. Cæterum posterior expositio sequentibus magis convenire videtur. Ait enim: *Domine, rim patior.* Quasi dicat: Domine, non sponte, sed invitus retrahor et arceor a tui contemplatione; quia corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (*Sap. ix, 15*). *Responde ergo tu, o Conditor, pro me, qui nosti naturæ conditionem.* C *Aut si peccata mea hoc faciunt, nec est culpa naturæ, sed meæ pessimæ consuetudinis etiam sic nihilominus responde pro me, affligens peccata cruci, et sanguine tuo deleus, ut non sit quod me impediatur contemplantem. Nam quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit? Ad quem me videlicet alium veritam, aut quis alius respondebit pro me, cum ipse, non alius, hanc mihi difficultatem, imo impossibilitatem imposuerit, dando super me illam sententiam: In sudore vultus tui comedes panem tuum? (Gen. iii, 19.)*

6. Quod si non fecerit, legitur, sed, *fecerim*; arguit se, quod quasi culpam in auctorem retorsit, cum de natura causatus est; et totum sibi imputat et suis peccatis, dicens: *Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerim?* hoc est, id quod patior, peccando meruerim. Quamobrem unum est quod facere possum: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Nempe non sum dignus ut valeam te recogitare cum dulcedine: faciam quod 1093 possum; cogitabo me ipsum in amaritudine animæ meæ. Lucem habitas inaccessibleem, nec quæ diu infruam mentis aciem radio tui fulgoris infigere, et ob hoc confusus redeo ad consuetas et familiares mihi tenebras vitæ meæ pristinæ: non quidem in eis iterum jacendo cum mortifera delectatione, sed puniendo eas et recogitando in amaritudine animæ meæ. Oportebat quidem, si

ferri posset, revivere me, ut ita loquar, denuo, quod male vixi: sed quia hoc non possum, saltem recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ; faciam recogitando, quod reoperando non possum. Recogitabo autem tibi, quia tibi soli peccavi; ut in quo ego me condemno, tu justificeris, et vincas misericordia, cum de me judicabis. Jam quidem et ante cogitaveram ea; sed quia non satis punita sunt quæ me adhuc impedire possunt, rursus redeo ad ea recogitanda in amaritudine animæ meæ, quousque ita penitus exstirpata sint ut jam impedire non possint.

7. Nec infructuosum, ut arbitror, erit hoc studium. Nempe *si sic vivitur*, imo quia sic vivitur, non quidem carne, sed spiritu, *et in talibus vita spiritus mei*, hoc est tam in mei consideratione quam in tui contemplatione, magis ac magis *corripies me, et vivificabis me.* Siquidem corripior, cum me cogitando compungor: revivisco, cum te sublevatus utcumque intueor. Itaque ostendendo me mihi, corripies; ostendo te, vivificabis. Porro vivifices necesse est; quia *ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Amaram passus sum amaritudinem pro peccatis in principio conversionis, unde exclamavi: *Vadam ad portas inferi: amariorem pro terrioribus in profectu conversationis, quando dixi: Non videbo Dominum Deum in terra viventium.* Sed ecce jam peccatis penitentia punitis, et sopitis terroribus, qui impugnavit solent, in hac tamen pace amarissimam sustinco amaritudinem pro defectu contemplationis. Verum qui et mihi peccata miserando donasti, et tentationes juvando superasti, etiam nunc, o Domine, reddes mihi lætitiæ salutaris tui. Hoc quippe est quod ait: *Tu autem eruisti animam meam ut non periret, in conflictu videlicet vitiorum, sive in impetu tentationum: projecisti post tergum tuum omnia peccata mea, secundum multitudinem miserationum tuarum.*

8. Nec immerito; neque enim *infernus confitebitur tibi*, quo utique ego pene descenderam, cum irruentibus pulsarer tentationibus: quippe *quia nisi Deus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea (Psal. xciii, 17).* Sed *neque mors laudabit te*, qua nimirum aliquando detinebar, dum adhuc jacerem mortuus in peccatis. *Nec expectabunt qui descendunt in lacum veritatem tuam:* qui scilicet post gustatam dulcedinem contemplationis in lacum descendunt desperationis. Mors siquidem est jacenti in peccatis ante conversionem: infernus succumbenti tentationibus post acceptam remissionem; lacus vero desperanti post expertam contemplationem. Nam quanto quis ad altiora profecerit, tanto gravius, si corruerit, colliditur, quando ruit. *Non itaque infernus confitebitur tibi*, hoc est qui jam quidem sunt conversi, sed tentationibus superantur: *neque mors laudabit te*, hi utique qui necdum conversi aut confessi, lætantur potius cum malefecerint, et exsultant in rebus pessimis (*Prov. ii, 14*). A mortuo quippe, quasi qui non sit, perit confessio (*Ecclesi. xvii, 26*). *Nec expectabunt qui descendunt in lacum*

veritatem tuam: quos de fastigio divinæ contemplationis in lacum propriæ diffidentiae forte devolvi contigerit. Quod procul dubio fit, cum nimia quis tristitia post acceptam tantam lætitiã absorbetur. At verò *vivens, vivens ipse confitebitur tibi*. Est qui vivens carne, mortuus est spiritu; et est qui mortuus carne, nihilominus mortuus est spiritu; sed horum neuter laudabit te, aut confitebitur tibi. Cæterum *vivens, vivens ipse confitebitur tibi*: qui videlicet non tantum carne, sed et spiritu vivit, ipse confitebitur tibi, *sicut et ego 1094 hodie*. Hæc me duplici vita tuo munere vivere confido. Sequitur:

9. *Pater filiis notam faciet veritatem tuam*. Non revelatur servo veritas, quia servus nescit quid faciat dominus ejus (Joan. xv, 15). Sed nec mercenarius rapitur ad contemplandam veritatem, qui propriam quærit utilitatem. Filio autem pater notam faciet veritatem suam, quem audit dicentem: *Veruntamen non quod ego volo, sed quod tu, Pater (Matth. xxvi, 39)*. Revelatur itaque servo Dei potestas; mercenario felicitas, filio veritas. Non quod in Deo ista discreta sint, cui idem posse, quod felicem et veracem esse: sed quod a creatura Creator pro diversis ejusdem creaturæ affectibus, diversis sentiantur respectibus. Cum sancto enim sanctus, et cum perverso erit perversus (Psal. xvii, 26). Audi denique vocem filii. *Domine, salvum me fac*. Quare? forte ne ardeat in inferno, forte ne fraudetur præmio? Non, inquit; *sed psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini*. Non, inquit, quæro salutem ut pœnas vitæ, aut in cælo regnem; sed ut te in æternum cum illis laudem, de quibus scriptum est: *Beati qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te (Psal. lxxxiii, 5)*. Servus dicit: *Vadam ad portas inferi*. Mercenarius: *Non videbo Dominum Deum in terra viventium*. Filius: *Psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini*. Cui simile est illud: *Aperite mihi portas justitiæ; ingressus in eas confitebor Domino (Psal. cxvii, 19)*. Et qui timet ire ad portas inferi, et qui Deum cupit videre propter quietem sui, uterque profecto quærit quæ sua sunt. Porro qui psalmos cantare desiderat in domo Domini, non sua vel pericula fugit, vel lucra appetit; sed illum procul dubio diligit, quem laudare gessit cunctis diebus vitæ suæ. Laudatur non immerito in æternum, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IV.

De quærendo Deo, et triplici vinculo quo coharemus Deo [Alias, De triplici coherencia vinculorum, clavorum et glutinorum].

1. Non hic stamus tota die otiosi. Scimus enim et quid quærimus, et quis est qui nos conduxit. Deum quærimus, Deum exspectamus. Non est parva res, nec parvi animi, cum illa quæ singulari pietatis nomine gloriatur, sæpius sese queratur esse frustratam, dicens: *Quæsi vi illum, et non inveni (Cant.*

111, 1). Est enim sicut amabilis, ita etiam admirabilis; quia cum non quæritur invenitur, et non invenitur cum quæritur. Si nati essemus ex quo factus est homo super terram, et usque ad centum millia annorum vita nostra extenderetur, non esset tamen condigna quæsitio hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Ecce nunc tempus quærendi, ecce nunc dies inveniendi præ manibus sunt. *Quærite, inquit, Dominum dum inveniri potest; invocate eum dum prope est (Isai. lv, 6)*. Erit tempus quando non erit locus, cum ille fons miserationis interminabili siccabitur siccitate. *Quæretis me, inquit, et non invenietis (Joan. vii, 34)*. Bonus es, Domine, animæ quærenti te. Si quærenti, quanto magis inventienti? Si tam dulcis est memoria, qualis erit præsentia? Si mel et lac dulce est sub lingua, quid erit super linguam?

2. Hinc probate vos, fratres, si in via estis, si non exorbitatis. *Latetetur, inquit, cor quærentium Dominum (Psal. civ, 3)*. Si gaudetis ad labores, si inoffenso, si indefesso pede curritis viam mandatorum Dei, si quotidie utriusque hominis status recentior est ad proficiendum, quam ad incipiendum; profecto quæritis faciem ejus semper. Quo ergo abiit dilectus ex dilecto, et quæremus eum? Ubi est? Quid dixi miser! Sed ubi non est? Altior est cælo, inferno profundior, latior terra, mari diffusior. Nusquam est, et ubique est; quia nec abest ulli, nec ullo capitur loco. Ipse hic est, sed ego hic non sum. Quam verisimilius videretur, ut tu hic non esses, et ego hic essem, Domine! Sed ego nec hic, nec alibi sum; quia ad nihilum redactus sum, et nescivi (Psal. lxxii, 22). Vere ad nihilum, **1095** id est ad peccatum, et nescivi; quia non fui ibi cum primus parens meus devoravit me morsu amarissimo. Hinc est quod, corde contractus et corpore, dissolvo in voluptates, in amaritudines, habens innatam culpam, pœnam cognatam, totus fluidus et enervis. Ille autem qui idem ipse est, qui dixit: *Ego sum qui sum (Exod. iii, 14)*, veraciter est, cui est esse quod est.

3. Quæ ergo participatio, quæ conventio illius qui non est ad illum qui est? Quomodo possunt tam diversa conjungi? *Mihi, ait sanctus, adherere Deo bonum est (Psal. lxxii, 28)*. Immediate ei conjungi non possumus; sed per medium aliquod poterit fieri fortassis ista conjunctio. Et ne diutius vos protraham, tria sunt vincula quibus ei astringimur; et sic tria, ut sola: cum solis istis, vel istorum similibus, omne quod ligatur, ligetur. Et primum accipite funes; secundum clavos ligneos vel ferreos; tertium gluten. Primum astringit fortiter et dure; secundum fortius et durius; tertium suaviter et secure. Fune quodam modo alligatus est Redemptori, si quis forte, dum vehementiori tentatione turbatur, proponit sibi honestatis intuitum, memoriam promissionis, et hoc interim se fune retinet, ne propositum penitus abrumpatur. Durum profecto vinculum et molestum, sed et periculosum nimis, et quod diu tenere non possit: siquidem putrescant funes, et

pudoris vinculum aut obliviscimur, aut abrumpimus A
 cito. Est autem qui clavis configitur Domino maje-
 statis, quem timor Dei ligat, qui non expavescit ad
 vultus hominum, sed ad memoriam gehennalium
 tormentorum; et hic quidem peccare non meruit,
 sed ardere. Durius tamen et fortius primo imprimi-
 tur; quia cum ille vacillet in proposito, iste propo-
 situm non amittit. Tertius vero glutine ei congluti-
 natur, id est charitate, qui tam suaviter quam secure
 ligatus adhærens Deo, unus spiritus est cum eo. Iste
 est qui quæcunque, undecunque, sive quæ facit, sive
 quæ ei fiunt, ad suum modum revocat et retor-
 quet. Beatus hujusmodi homo, et abundantis spiritus
 influens majestate, qui suavis et unctus portat omnes,
 et neminem onerat ipse: qui terribilius et horribilius
 ipsa gehenna judicat in re vel levissima vultum
 Omnipotentis scienter offendere. Illic est fratrum
 amator et populi Israel. Illic est qui multum orat pro
 populo, et pro civitate sancta Jerusalem (II Machab. xv,
 14). *Glutino bonum est*, ait Isaias (Isai xl. 7). Bonum
 est revera et jucundum, quia alia duo, ne mala dixerim,
 comparatione istius gravia et importabilia sunt.

4. Sed ille misericors oculus, qui novit signum
 nostrum, neminem salvandorum dimittit in primo,
 sed provehit ad secundum; et ne ibi quidem deserens,
 de secundo perducit ad tertium. Primo siquidem
 quia pudet deserere. æstuantes vix sustinemus ad
 horam; secundo jam timentes et sperantes proficimus;
 tertio perficimur amantes. Sic igitur duobus præce-
 dentibus timore pariter et pudore exclusis, in solius
 amoris reclinatorio commoramur. Ita et Christus
 prius quidem ligatur, secundo crucifigitur, tertio
 glutinosa aromatum unctione linitur: non quod
 opus haberet corpus illud hujusmodi aromatis
 solidari, quod dissolvi omnino non poterat, aut videre
 corruptionem; sed qui propter nos Judæorum sputa
 sustinuit, propter nos quoque fidelium non est dedi-
 gnatus unguenta. Et attende, quod vix unius diei
 spatio in funibus et clavis moratus, cum unctio-
 ne victor, et victurus perenniter resurrexit. Sic et ele-
 ctos in duobus prædictis non diutius patitur immo-
 rari, sed ungit eos unctio-
 ne misericordiae suæ, ut
 crucifixi mundo, et mundus illis, jam resurgant in
 novitate spiritus, et dicant: *Quis nos separabit a
 charitate Dei?* (Rom. viii, 35.)

5. Hoc glutino agglutinavit nos sibi ille divinus
 intuitus a constitutione mundi, ut essemus sancti et
 immaculati in conspectu ejus in charitate. Scimus
 enim quia qui natus est ex Deo, non peccat, quia
 generatio cœlestis servat eum (I Joan. v, 18). Ge-
 neratio cœlestis est æterna prædestinatio, qua Deus
 prævidit nos conformes fieri imagini **1096** Filii sui.
 Ex his nullus peccat, id est, in peccato perseverat
 (82); quia novit Dominus qui sunt ejus, et propo-
 situm Dei manet immobile. Etsi horrendorum crimi-
 num nota David inuritur, etsi Maria Magdalene
 septem dæmoniis cumulatur, etsi princeps aposto-

lorum in profundum negationis submergitur: non
 est tamen qui de manu Dei possit erueri. *Quos enim
 prædestinavit, hos et vocavit: et quos vocavit, hos et
 justificavit* (Rom. viii, 30). Nonne huic adhærere
 Deo bonum est? Quærite, fratres, quærite Dominum,
 et confirmamini; quærite faciem ejus semper (Psal.
 civ, 4). Quærite Dominum, et vivet anima vestra
 (Psal. lxxviii, 13). *Et anima mea*, inquit, *illi vivet*
 (Psal. xxi, 31), quæ mundo mortua est. Quæ enim
 mundo vivit, non illi vivit. Sic ergo quæramus eum,
 ut et semper quæramus, et cum venerit quærare nos,
 dicat de nobis: *Hæc est generatio quærentium eum, quæ-
 rentium faciem Dei Jacob* (Psal. xxiii, 6). Sicque ap-
 pellantur portæ æternales, et introeat rex gloriæ, et nos
 cum illo, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO V.

*De verbis Habacuc, ii, 1, et Super custodiam meam
 stabo.*

1. Legimus in Evangelio, quod prædicante aliquando
 Salvatore, et sub mysterio edendi corporis sui disci-
 pulos ad communicandum passionibus suis admo-
 nente. dixerint quidam: *Durus est hic sermo*; et
 ex hoc jam non fuerint cum eo. Interrogati vero
 discipuli an et ipsi vellent abire: *Domine*, inquit,
ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes (Joan. vi,
 61, 67, 68, 69). Ita dico vobis, fratres, usque hodie
 quibusdam manifestum est quoniam verba quæ lo-
 quitur Jesus, spiritus et vita sunt; et propterea se-
 quuntur illum: aliis dura videntur, et miseram alibi
 quærent consolationem. Sapientia siquidem in plateis
 clamitat, in lata vielicet et spatiosa via quæ ducit
 ad mortem, ut revocet ambulantes per eam. Denique
Quadragesima annis, inquit, *proximus tui generationi
 huic, et dixi: Semper hi errant corde* (Psal. xciv,
 10). Habes et in alio psalmo: *Semel locutus est Deus*
 (Psal. lxi, 12). Semel utique, quia semper. Una enim,
 et non interpolata, sed continua et perpetua locutio est.

2. Revocat autem peccatores ad cor, de cordis
 errore redarguit, pro eo quod ibi habitat ipse, ibi-
 que loquatur, faciens nimirum quod docuit per pro-
 phetam dicentem: *Loquamini ad cor Jerusalem*
 (Isai, xl, 2). Nam Babylon, quoniam terra est, nec
 potest sustinere universos sermones ejus; elongatur
 a corde, et in carne magis ambulat, tanquam mortua
 D a corde, imo tanquam columba seducta non habens
 cor. Vult enim letari cum malefecerit, et exultare
 in rebus pessimis: audiensque vocem Domini hujus
 modi gaudia nullatenus approbantem, sed detestan-
 tem, sed arguentem, sed condemnantem, fugit, et
 abscondit se in similitudine prævaricatoris Adæ. Sed
 heu me! quam vile operimentum quæris, misera
 anima! quam inutile quæris operimentum! Folia
 enim sunt quæ intexis; folia, inquam, quæ nil tibi
 caloris præbeant, nil habeant soliditatis. Orto deni-
 que sole crescent, et ventus urens disperget illa; tu
 vero nuda et misera remanebis. Tunc ergo nihil
 opertum quod non reveletur, quoniam veniet Domi-

(82) Confer sermonem 23 in Cantica, num. 15, et lib. de Gratia et Libero Arbitrio, num. 29, cum ser-
 mone 1 de Septuagesima.

nus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium. Non erit jam quo lateas, misera. Frustra dices montibus: *Cadite super nos*: et collibus: *Operite nos* (*Osee*, x, 8); quoniam nudam et apertam oportebit te stare ante tribunal Christi, ut audias vocem iudicii, quæ vocem consilii contempsisti. Ecce enim quid loquitur Deus: *Agite*, inquit, *pœnitentiam* (*Matth.* iii, 2): et dissimulant multi, et continent aures suas, et dicunt: *Durus est hic sermo*, Non sic impii, non sic dissimulare poteritis, cum sonabit asperum illud verbum, et auditio mala: *Ite, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* xxv, 41).

3. Videtis, fratres, quam salubriter admoveat nos Propheta, ut si vocem ejus audierimus hodie, non obduremus corda nostra. Eadem enim peno verba et in **1097** Evangelio legitis, et in propheta. Ait enim Dominus in Evangelio: *Oves meæ vocem meam audiunt* (*Jon.* x, 27). Et sanctus David in psalmo: *Populus*, inquit, *ejus* (hand dubium quin Domini) *et oves pascuæ ejus, hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra* (*Psal.* xciv, 7, 8). Utilius namque et multo salubrius est hodie audire eum consulentem, consolantem, admonentem, docentem; et, ut multum, arguentem, increpantem, corripientem: quam in die illa tam amara, tam lugubri, tam tenebrosa audire illum judicantem, indignantem, ulciscentem, sævientem, condemnantem. Bonum, inquam, mihi, ut humiliet, ut corripiat me justus in misericordia, et increpet me, quam ut oleum peccatoris impinguet caput meum; ne forte terra inveniar, quam percutiat virga oris sui, quando vasa figuli virga ferrea conterentur. Bonum mihi propter verba laborum ejus cum Propheta custodire vias duras (*Psal.* xvi, 4), quam: pariter cum impio interfici spiritui labierum ejus.

4. Nunc autem si quid amaritudinis sentio in voce ejus, non sine dulcedine est; quoniam, cum iratus fuerit, misericordiæ recordabitur: imo vero et ipsa indignatio non aliunde quam de misericordia est. Quos enim amat, arguit et castigat, et flagellat omnem filium quem recipit (*Hebr.* xii, 6); visitans in virga iniquitates ejus, et in verberibus peccata ipsius; misericordiam autem suam non dispergit ab eo. Propterea qui prudentes sunt, non operiunt vulnera sua, sed detegunt, et confitentur Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus; et sic vinum reprehensionis infundit, ut non desit oleum consolationis. Propterea, inquam, sapiens apprehendit disciplinam, nequando irascatur Dominus, et jam secundum multitudinem iræ suæ non quærat, sed recedat zelus ejus ab ipso. Inde est enim quod sapientis cor, ubi tristitia; cor vero stultorum, ubi lætitia: (*Eccl.* vii, 5.) sed tristitia illius convertetur in gaudium, et extrema gaudii illorum luctus occupabit. Audi denique Habacuc prophetam, quomodo Dominicam non dissimulet in-

crepationem; sed sedula ac sollicita circa eam cogitatione versatur. Ait enim: *Super custodiam meam stabo, et figam gradum in munitionem; ut videam quid dicat mihi, et quid respondeam ad arguentem me*. Et nos ergo, fratres, obsecro, super custodiam nostram stemus, quoniam tempus militiæ est. Nec in sterquilinio hujus miseri corporis, sed in corte, ubi Christus habitat, in iudicio et consilio rationis sit conversatio nostra; ita sane ut non in ipsa habeamus fiduciam, nec fragili innitatur custodiæ, sed figamus gradum in munitionem, firmissimæ petræ Christo totis viribus innitentes, sicut scriptum est: *Qui statuit supra petram pedes meos, et direxit gressus meos* (*Psal.* xxxix, 3). Sic ergo constituti et stabiliti, jam contemplemur, ut videamus quid dicat nobis, et quid respondeamus ad arguentem nos.

5. Primus enim contemplationis gradus iste est, dilectissimi, ut incessanter consideremus quid velit Dominus, quid placeat ei, quid acceptum sit coram ipso. Et quoniam in multis offendimus omnes, et fortitudo nostra in illius rectitudinem voluntatis offendit, nec conjungi ei aut coaptari potest; humiliemur sub potenti manu Dei altissimi, et omnino solliciti simus miserabiles non exhibere in oculis misericordiæ ejus, dicentes: *Sana me, Domine, et sanabor; salvum me fac, et salvus ero* (*Jerem.* xvii, 14), et illud: *Domine, miserere mei, sana animam meam quia peccavi tibi* (*Psal.* xl, 5). Postquam enim in hujusmodi cogitationibus mundatus est oculus cordis, jam non in spiritu nostro cum amaritudine, sed in divino magis spiritu cum multa delectatione versamur; nec jam consideramus quæ sit voluntas Dei in nobis, sed quæ sit in se ipsa. Vita enim in voluntate ejus, ut hoc nobis in omnibus utilis atque omnino commodius esse non dubitemus, quod ejus congruit voluntati. Et propterea, quam sollicitè conservare volumus vitam animæ nostræ, tam solliciti simus, quoad possumus, ab ea non deviare. Deinde cum jam in spirituali exercitio aliquatenus profecerimus, ducem sequentes Spiritum, qui scrutatur etiam alta Dei; cogitemus quam suavis sit Dominus, quam bonus in semetipso, orantes cum Propheta, **1098** ut videamus voluntatem Domini, et visitemus jam non cor nostrum, sed templum ejus (*Psal.* xxvi, 4); et cum eodem Propheta nihilominus dicentes: *Ad me ipsum anima mea conturbata est, propterea memor ero tui* (*Psal.* xli, 7). In his enim deobus tota spiritualis conversationis summa versatur, ut in nostra consideratione turbemur et contristemur ad salutem, in divina respiremus; ut de gaudio Spiritus sancti habeamus consolationem; et hinc timorem et humilitatem, inde vero spem concipiamus et charitatem.

SERMO VI (82°).

De cute, carne et ossibus animæ.

1. Beatus David in psalmo de justis loquitur, di-

(82°) Hic sermo subjicitur sermonibus Nicolai Claræ-Valleensis, sed non est Bernardo indignus, tametsi quædam accedunt ad ea quæ leguntur in ser-

mone 32 de diversis, num. 3. Citatur in lib viii Floram, cap. 68. Editus primum Rotomagi absque anni designatione sub nomine Bernardi.

cens : Multæ tribulationes justorum, sed de omnibus his liberabit eos Dominus. Custodit Dominus omnia ossa eorum ; unum ex his non conteretur (Psal. xxxiii, 20, 21). Quod nemo dictum esse de corporeis ossibus arbitretur : præsertim cum tot beatorum martyrum ossa contracta sint manibus hominum impiorum, et contrita dentibus bestiarum. Sed miranda prorsus et miseranda humanarum conditio animarum, quæ, licet tam multa foris ingenii vivacitate percipiant, nulla tamen perspicacitate semetipsas, sicut sunt, nosse aut cogitare sufficient; sed egeant omnino figuris et ænigmatibus quibusdam corporearum similitudinum. ut ex visibilibus et exterioribus possint vel aliquatenus invisibilia atque interna conjicere. Ponamus itaque velut quamdam animæ cutem cogitationem, carnem affectionem, ut consequenter os ejus intentionem possimus accipere. Sic enim erit in ossis integritate animæ vita, in carnis incorruptione sanitas, in cutis specie pulchritudo. Quæ sunt ergo tribulationes justorum, nisi quod interdum decoloratur cutis, cum videlicet inutilis cogitatio in corde versatur? Nonnunquam vero etiam caro vulneratur, quando scilicet ad hoc usque cogitatio perniciosa procedit, ut delectatione corrumpatur affectio. Nam ossa quidem justorum omnino integra atque illæsa custodiuntur a Domino, ut nunquam frangatur propositum cordis eorum, nunquam salutis [alias, salubris] intentio conteratur; ut videlicet concupiscentiæ titillanti etiam detur assensus. Sicut enim peccati cogitatio decolorat, affectio vulnerat, sic consensus omnino animam necat.

2. Caveamus ergo, dilectissimi, cogitationes inutilis, ut animarum nostrarum facies decora permaneat: ut oblitæ quæ retro sunt, id est populum nostrum et domum patris nostri, concupiscat Rex speciem nostram. Exeamus de terra nostra, ut non comprehendat nos cogitatio spectans ad voluptatem carnis. Exeamus et de cognatione nostra, id est a cogitationibus curiositatis, quæ nimirum, cum in sensibus corporeis habitet, carnali utique cognata est voluptati. Exeamus etiam de domo patris nostri, ut fugiamus cogitationes superbiæ et vanitatis. Eramus nos aliquando, sicut et cæteri, filii iræ: eramus et nos ex patre diabolo, qui nimirum rex est super omnes filios superbiæ, et in montibus elationis sedem sibi atque habitaculum infelicissimum præparavit. Quod si forte aliquando talis aliqua cogitatio mentem subierit, tota sollicitudine laboremus citius abluere et eradere sordem qua nos maculari conspicimus, clamantes cum Propheta, ac dicentes: *Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor (Psal. l, 9). Jam vero si quando forte per incuriam et negligentiam nostram transierit cogitatio inutilis etiam in affectum cordis, scientes quoniam non macula est jam, sed plaga, tota festinatione ad auxilium Spiritus, qui adjuvat infirmitatem nostram, recurramus, clamant-*

(83) Et hic sermo Nicolai sermonibus subjectus est: sed Bernardi genium omnino sapit, existatque

tes illud de psalmo, et dicentes: *Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi (Psal. xl, 5). 1099* Humanæ enim sunt tentationes istæ, nec ex toto caveri possunt, quandiu in hoc corpore mortis peregrinamur a Domino. Nemo tamen parvipendat aut dissimulet ista; quoniam, etsi non mortifera sunt, certe periculosa.

5. Intentionem vero et propositum mentis ea sollicitudine custodiamus, fratres, qua vitam animarum nostrarum volumus custodire; quoniam istud omnino est peccatum ad mortem, cum ex consensu et deliberatione delinquimus, proprio iudicio condemnati. Nec ideo sane id dixerim, ut desperet si quis forte delicti hujus sibi conscius est, sed ut expavescat præcipitium, et qui cecidit, adjiciat citius ut resurgat. Noverit enim excedisse se a justitia, quicumque hujusmodi est. Cujus os contractum est et comminutum, noverit præcisum se a corpore Christi, de quo nimirum legitur: *Os non comminuetis ex eo (Exod. xii, 46; Joan. xix, 36)*. Unde et in passione sua, licet plagis virgarum in livorem decolorata sit cutis, ut livore ejus nos sanaremur; licet clavis vulnerata sit caro, et lancea latus ejus apertum, ut sanguine ejus redimeremur; os tamen non est comminutum ex eo. Propterea et sanctus David: *Non est, inquit, occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto (Psal. cxxxviii, 15)*. Et in alio psalmo: *Ossa, inquit, mea ut cremium aruerunt (Psal. ci, 4)*. Quod tunc fit, cum omnem delectationem boni prorsus amisisse videtur anima, solamque sibi aridæ intentionis fortitudinem reservasse. Et vide ne forte tale aliquid etiam beatus Job pateretur, cum diceret: *Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum (Job xix, 20)*: ut videlicet corrupta affectione vix solam sibi intentionem spiritualis cogitatio vindicaret.

SERMO VII (83).

De triplici gloria, in illud Apostoli, « Qui gloriatur, in Domino gloriatur. » (II Cor. x, 17, 18.)

1. *Qui gloriatur, in Domino gloriatur.* Noverat Apostolus gloriam propriam esse Creatoris, non creaturæ, secundum illud: *Gloriam meam alteri non dabo (Isai. xlii, 8)*; et: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (Luc. ii, 14)*; itemque: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam (Psal. cxiii, 9)*. Sed consideravit rationalem creaturam adeo affectare gloriam, ut aut vix aut nunquam ab hoc compesci desiderio possit: quippe quæ ad imaginem facta est Creatoris. Propterea secundum datam sibi a Deo sapientiam, saluberrimum adinvenit consilium; dicens: Quandoquidem persuaderi nobis non potest non gloriari; saltem *qui gloriatur, in Domino gloriatur*. Et considera quantum supercedat Pauli philosophia philosophiam sapientium mundi hujus, quæ nimirum stultitia est apud Deum (*I Cor. iii, 19*). Cum enim nonnullos viderint philosophi alienis delectari laudibus inter hosce Bernardi sermones in omnibus editis et editis et manuscriptis, uti et superior.

lus, et gloriam ab invicem quærere; qui inter eos A mernerimus, in ea plane securius poterimus gloriari.

3. Interim vero *nolite ante tempus judicare*, ait Apostolus, *donec veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum* (1 Cor. iv, 5). Illa enim perfecta omnino erit et segura gloriatio, cum erit unicuique laus a Deo. Nunc quoque licet non plenarie, licet non sine timore et sollicitudine multa, aliquatenus tamen in Domino gloriamur, testimonium perhibente Spiritu sancto spiritui nostro quod filii Dei sumus. Hinc enim vere possumus gloriari, quod tantum habemus Patrem, quod majestati ineffabili cura est de nobis. Unde et propheta: *Domine, inquit, quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?* (Job vii, 17.)

2. Et hæc quidem summa philosophia sapientium hujus mundi est, ipsa quoque minus habens, licet propinquior veritati. Unde et utramque gloriam sublimi veritatis contemplatione transcendens Apostolus B *Qui gloriatur*, inquit, non in altero, non in se, sed in Domino gloriatur. Et eam, quæ veritati videbatur esse vicinior, majori proinde redarguens sollicitudine, et condemnans certo iudicio veritatis: *Non enim, inquit, qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus 1100 commendat*. Ut quid enim aut de alterius hominis, aut de meo ipsius iudicio sollicitus sum, cujus nec vituperio reprobis, nec laude probatus inveniar? Fratres, si me ante vestrum oporteret tribunal astare, merito super vestris laudibus gloriarer. Quod si vel meo ipsius essem iudicandus examinare, jure meo ipsius testimonio contentus, propriis laudibus delectarer. Nunc autem cum nec vestro, nec meo, sed Dei sim iudicio præsentandus; quantæ insipientiæ, imo et insanix C est, aut in vestro me; aut in meo ipsius testimonio gloriari: præsertim cum ipse sit cujus oculis omnia nuda sunt et aperta, et cui nequaquam opus sit ut quis ei testimonium perhibeat de homine? Merito proinde Apostolus ipse, vanæ et fallacis gloriæ reprohator: *Mihi, inquit, pro minimo est ut a vobis iudicer, aut ab humano die: sed neque meipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum; qui autem iudicat me, Dominus est* (1 Cor. iv, 3, 4). In quibus verbis illud quoque diligenter considerandum est quod, alienum quidem iudicium pro minimo habens, suum quoque nequaquam sequeretur, quamvis non illud adeo pro minimo iudicaret habendum. Nemo enim scit hominum quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est (1 Cor. ii, 11), ut comparatione interioris testimonii, exterius omnino pro nihilo sit habendum. Quid enim mihi cum eorum laudibus quibus ignotus sum? Quod si vel ipse qui in homine est spiritus omnia quæ hominis sunt nosse posset, profecto sufficeret testimonium ejus. Nunc autem pravum est cor hominis, et imperscrutabile etiam sibi ipsi (Jerem. xvii, 9); adeo ut præsentia quoque magna ex parte ignoret, futura vero sua omnino nosse non possit. Quia tamen aliquatenus novit præsentia, si non reprehendat nos conscientia nostra, non quidem gloriam, sed fiduciam habemus ad eum, sicut beatus Joannes ait (Joan, iii, 21). Cum autem veritatis ipsius, quam nihil latet, sententiam de nobis tenere

Itaque qui gloriatur, jam non in meritis suis gloriatur. Quid enim habet quod non acceperit? Si autem accepit, quid gloriatur quasi non acceperit? In eo ergo a quo accepit, gloriatur, non quasi ipse magnus sit, sed quia magnificet eum Deus: hoc est, ut in illis quæ acceperit, non quasi ea non acceperit, sed quasi qui ea acceperit gloriatur. Neque enim ait Apostolus: Si autem accepisti, quid gloriaris? sed: *quid gloriaris, inquit, quasi non acceperis?* (1 Cor. iv, 7) ut non prohibeat, sed doceat gloriari.

4. Sed quid sibi vult quod ait: *Non enim qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat?* Quis est enim quem in hoc sæculo commendat Deus? Quomodo commendabit Veritas cum, qui adhuc reprehensibilis invenitur? Denique ego, inquit, quos amo arguo, et castigo (Apoc. iii, 19). Hæcne commendatio est tota? Prorsus, quantum mihi videtur, ipsa est. Quæ est enim melior et efficacior commendatio, quam divinæ erga nos attestatio charitatis? Testimonium vero amoris ejus nullum credibilius, nullum certius in hac vita, quam quod desiderat propheta, ubi ait: *Corripit me justus in misericordia, et increpabit me* (Psal. cxl, 5). Hæc namque increpatio, qua jugiter nobis suggerit in occulto Spiritus veritatis quid desit nobis, superbiam, negligentiam, ingratitudeque repellit. Quo triplici vitio omne paulo minus religiosorum hominum genus periculose laborat, pro eo quod minus attentæ cordis aure percipiunt, quid intus loquatur is, qui neminem palpat, 1101 Spiritus veritatis.

Quod nonnullis exinde provenit, nisi fallor, quod, D propriæ gloriæ cupidi, nulla ratione quiescere possunt, cum in se ipsis penitus nihil inveniant unde possint aliquatenus gloriari. Perfecta autem et segura gloriatio est, cum veremur omnia opera nostra, sicut testatur beatus Job de se ipso (Job ix, 28): et, cum Isaiæ propheta, omnes justitias nostras non aliud quam pannum menstruatæ reputandas esse cognoscimus (Isai. lxiv, 6). Nihilominus tamen confidimus etiam et gloriamur in Domino, cujus misericordia tanta est super nos, ut a gravioribus quidem, et quæ ad mortem peccata sunt, custodiat nos, et tam benigne ipsa imperfectionis nostræ delicta, et conversationis impuritatem nobis manifestare, et agnitam condonare dignetur, quatenus in humilitate et sollicitudine et gratiarum actione firmiter

radicati, jam non in nobis, sed in Domino gloriemur. A Unde et profectus in regionem longinquam, un-

SERMO VIII (83').

De diversis affectionibus vel statibus, quibus anima est sub Deo.

1. Quod diversis nominibus Deum, nunc quidem patrem, nunc magistrum vocamus, aut Dominum, non illius simplicissimæ et omnino invariabilis naturæ diversitas ulla in causa est; sed affectionum nostrarum multiplex variatio secundum diversos profectus animæ vel defectus. Videntur enim quædam animæ sub patrefamilias agere, quædam sub Domino, quædam sub magistro, quædam quoque sub patre, et nonnullæ cum sponso, ut cum proficientibus proficere, cum immutatis mutari videatur et ipse, qui juxta Prophetam mutat quidem creaturas, et mutabuntur, licet idem ipse sit, et anni ejus non deficiant (*Psal. ci, 27, 28*). Denique quid in alio psalmo idem Propheta ad ipsum loquatur attende. *Cum sancto, inquit, sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris, et cum electo electus eris; atque ut magis miremur, et cum perverso, inquit, pervertes. Et quemodomodum sic mutetur, imo sic mutet immutabilis ipse, secutus adjungit: Quoniam tu populum humilem salvum facies, et oculos superborum humiliabis (Psal. xvii, 26-28).*

2. At vero quoniam non prius quod spirituale, sed prius quod animale, deinde quod spirituale: videntur mihi quatuor interdum conversionem nostram præcedere status; unus sub nobis ipsis, tres sub principe mundi hujus. Est enim anima sub se ipsa, cum propriam sequitur voluntatem, libertate perniciosam gaudens. Hic est filius ille prodigus, qui portionem paternæ substantiæ, quæ se contingebat, accepit; ingenium scilicet, memoriam, vires corporis, cæteraque similia bona naturæ: quibus non ad divinam, sed ad suam uteretur voluntatem, essetque tanquam sine Deo in hoc sæculo. Est autem interim homo sub se, cum propriæ satisfaciens voluntati, necdum tamen possidetur a vitis et peccatis; quoniam qui facit peccatum, jam non sui ipsius servus est, sed peccati. Jam hinc vero proficiscitur in regionem longinquam, qui prius quidem separatus erat, sed necdum elongatus a patre. Accepta siquidem portione substantiæ, factus est sui juris: et quamvis recesserit ab auctore, proximus tamen fuit, quandiu ab opere non recessit. Hoc autem tandiu fit, dum licita quidem, sed non expedientia pro sua sequitur voluntate. At postquam recesserit et a se ipso, declinans scilicet in peccatum, tunc jam in longinquam vere proficiscitur regionem; quoniam ab eo qui summe et singulariter est, nihil longius eo quod nullo modo est; nihilque remotum magis ab eo, a quo et per quem, et in quo sunt omnia, **1102** quam peccatum, quod nihil est inter omnia.

3. Porro justum divinæ ultionis judicium est ut fugitivum patris filium alter sibi usurpet in servum.

(83') Hic sermo Guerrico abbati Igriacensi tribuitur in Bibliotheca Patrum: sed non reperitur inter Guerrici sermones in codice Coloniensi;

unde et profectus in regionem longinquam, unum civium legitur adhæsisse: quem ego non alium quam unum ex malignis spiritibus intelligendum puto, qui pro eo quod obstinatione irreparabili peccant, et transierunt in affectum malitiæ et nequitæ, jam non sunt hospites et advenæ, sed quasi eives et inhabitatores peccati. Quid est autem quod civi dicitur adhæsisse pauper adolescens et peregrinus, nisi quod factus est subditus illi? Denique quomodo adhæserit sequentia manifestant. Sic enim habes: *Adhæsit uni civium regionis illius, et misit eum in villam suam pascere porcos.* Et nota quod famis necessitate civi maligno dicitur adhæsisse, sicut Israël tempore famis descendisse legitur in Ægyptum (*Gen. xlvii, 6*). Periculosa plane et pernicioosa esuries, quæ liberos addicat miseræ servituti, subiciat operibus luti et lateris, porcis associet, imo et servos faciat esse porcorum. Unde autem egestas tanta ei qui dives advenerat, collectis nimirum omnibus, quæ de paterna substantia in suam acceperat portionem? Ex eo sine dubio quod præmissum est, dissipasse eum bona sua vivendo luxuriose cum meretricibus, *Propterea, inquit, cepit egresse (Luc. xv. 11-15).*

4. Porro meretrices istas concupiscentias carnis intellige, cum quibus luxuriose vivendo dissipat bona naturæ, dum eis abutitur ad voluptatem. Hinc, ut jam diximus, egestas succedit pernicioosa, teste Scriptura quod non satiatur oculus visu, nec auris impleatur auditu (*Eccle. i, 8*). Mittitur ergo pascere porcos, corporeos scilicet sensus, qui volutabro luti et spurcitiis oblectantur. Et vide ne forte hi sint porci, quos ejecti ab homine maligni spiritus intrant. (*Matth. viii, 32*). Ejectum enim a rationali nostro, id est a mente, peccatum sensibus corporis hæret, Apostolo teste quod mente consentiat legi Dei, carne vero legi peccati, quæ est in membris nostris. Unde et in alio loco: *Scio, inquit, quod non est in me bonum, hoc est in carne mea (Rom. vii, 18-25).* Quid tamen agendum est, cum sic ejecti ab homine, porcos inhabitant spurci spiritus, nisi quærenda remedia lacrymarum, et currendum ad aquas, quarum abundantia male vivida radix peccati suffocetur in eis? Quamvis hæc omnimoda peccati extinctio fini potius reservata videtur.

5. Hæc in excursu quodam sunt dicta, ut proinde manifestius assignarem quonam modo eum quem sub semetipso reperit, sibi malignus subiciat, tanquam fortis armatus intrans et possidens atrium in quo pauper et debilis inventus est habitator. Verum tamen tripliciter mihi videntur homines esse sub principe tenebrarum. Primum quidem, nec volentes nec nolentes: quod convenit his qui necdum habent voluntatis usum; sunt tamen vasa iræ propter originale peccatum, donec alligato forti vasa ejus diripiat fortior per sacramentum adveniens, verus utique Moyses, qui in aqua venit, nec in aqua solum, sed in aqua et sanguine. Secundo modo, volentes, cum

imo inter Bernardi sermones de diversis in editis et manuscriptis omnibus occurrit, et in Floribus citatur.

jam voluntarie peccant. Tertio quoque modo, nolentes, cum jam quidem respiscere vellent, nisi quod, peccati consuetudine miserabiliter obligati, justo Dei iudicio, qui in sordibus sunt, sordescant adhuc. In quo tertio statu laborasse videtur prodigus ille filius, et vere prodigus nimis, qui non modo dissipat sua, sed et semetipsum subiecerat miseræ servituti, infelix, venundatus sub peccato, cum ad se reversus ait: *Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus! ego autem hic fame pereo.* Si quis expertus est in semetipso, facile, credo, in his verbis animum miserabilem recognoscet. Quis enim, peccati consuetudine obligatus, non se felicem reputaret, si datum esset ei esse tanquam unum ex his, quos in sæculo tepidos videt, viventes sine crimine, minime tamen quærentes quæ sursum sunt, sed quæ super terram? *Quanti, inquit, 1103 mercenarii in domo patris mei abundant panibus!* id est, consolantur in innocentia sua, et fruuntur propriæ conscientiæ bono: *ego autem hic fame pereo;* id est, insatiabilibus crucior peccatorum desideriis, et affectibus vitiorum. Potest tamen intelligi quod non fame panis, nec siti aquæ, sed fame et siti divini verbi, quam et Judææ propheta minatur (*Amos. VIII. 11*), sese perhibeat laborare. Et hæc dixerim non quod ita sit, sed quod ita sentiat miser humiliatus sub peccato. Neque enim gloriantur conscientiæ testimonio, quorum sæcularis et mercenaria intentio est: sed peccator compunctus reputat sanctissimum, quacunque ex causa alterum videat innocentem. *Fac me, inquit, sicut unum ex mercenariis tuis (Luc. xv, 17, 19).*

6. Ecce hic jam primus est status quo sub Deo esse incipiunt qui tanquam mercenarii sub patrefamilias vivunt. Ili sunt quos in sæculo videmus, aut nullo aut exiguo desiderio æternorum, velut sub mercede servire Deo, et ab eo terrena petere quæ et desiderant. Jam vero secundo statu incipit esse sub Domino, qui tanquam servus carcerem timet, et metuit ne subigatur pœnis. In quo sane statu conversio est, exitusque a sæculo, et introitus vitæ: unde et legis: *Principium sapientiæ timor Domini (Eccli. I, 16)*: et alius quidam propheta: *A timore, inquit, tua concepimus, et parturivimus spiritum salutis (Isai. xxvi, 18)*. Huic gradui tertius admodum proximus et quasi permistus est, eorum scilicet qui parvuli adhuc in Christo lac concupiscunt, tanquam sub magistro et pædago viventes. Id namque convenit maxime novitiis, qui nimirum si forte in consolationibus meditationis sanctæ, lacrymarum, psalmodiæ et cæterorum hujusmodi cœperint delectari, quasi pueriliter timent ne magistrum offendant, ne vapulent, defraudentur munusculis, quibus solet eos eruditor ille benignissimus allicere. Ili sunt qui provident Dominum in conspectu suo semper, et commoventur si vel ad horam abesse contigerit: nec jam serviliter timent supplicia, sed tanquam parvuli metuunt plagas virgarum, apprehendentes disciplinam magistri, nequando irascatur, et pereant de via iusta: ne devotionis gratia subtrahatur, et

A molesta eis omnia fiant, et laberent tædio quodam, et quasi vapulent intus in anima, amaritudine scilicet cogitationum. Hæc sunt enim verbera quibus castigat suos parvulos Deus, quæ melius experimento dignoscimus, quam sermone. Unde et ipse Dominus loquitur per prophetam: *Si dereliquerint filii ejus legem meam, etc. visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum (Psal. lxxxviii, 31, 33).*

7. In his itaque primordiis, et quasi infantili ætate, sic vicissim sibi succedunt timor Domini et disciplina magistri, ut nunc in isto, nunc in statu illo sese inveniat, quisquis sollicitus fuerit diligenter hoc observare. Inde est quod novellæ adhuc Ecclesiæ loquens, simul utriusque nominis meminit, dicens: *Vos vocatis me, magister et Domine, et bene dicitis; sum etenim (Joan. xiii, 13)*. Agnoscant hic locum suum novitii nostri, ut solliciti sint de cætero seditate magis circa ista versari. Ante omnia siquidem timor eis necessarius est, quo nimirum peccata possint præterita delere, cavere futura. *Timor enim Domini, ut ait Scriptura, expellit peccatum Eccli. I, 27*, sive quod jam admissum est, sive quod tentat intrare. Expellit sane, illud quidem, pœnitendo; hoc, resistendo. Sed quoniam arcta et ardua est via quæ ducit ad vitam: tanquam parvulis in Christo pædagogus vobis, o filiioli, ac nutritius necessarius est, qui doceat, deducat, foveat vos, et tanquam alludat parvulis, ac blanditiis quibusdam consoletur, ne pereat ætas infirma. Propterea non ego, sed magis Ecclesiæ princeps et pastor vos admonet: *Quasi modo geniti infantes, rationabiles sine dolo lac concupiscite, ita sane ut in eo nequaquam permaneat, sed in eo crescat in salutem (I Petr. II, 2)*. Quod alia quedam Scriptura manifestius exprimens loquitur sic: *Gaudete gaudio omnes qui lugebatis super eam (haud dubium 1104 quin super Jerusalem, de ea siquidem loquebatur, ut potestini, ait, a lacte, et satiementi ab uberibus consolationis ejus; et cum avulsi fueritis a lacte, epulemini ab introitu gloriæ ejus (Isai. Lxvi, 40, 41).*

8. Ipse est enim status filii jam robustæ ætatis, qui sub Patre vivit, nec lacte jam potatur, sed vescitur solido cibo, oblitus sane quæ retro sunt, in quibus servilis oculus in amaritudine morabatur: sed ne ipsa quidem præsentia considerans, nec parvas parvulorum consolationes captans, magis autem extendens se in anteriora, ad palmam supernæ vocationis, et introitum futuræ beatitudinis, expectans beatam spem et adventum gloriæ magni Dei. Evacuavit enim quæ erant parvuli, nec circa hujusmodi suaves quidem, sed non perennes consolationes hactenus occupatur. Sed quia jam profecit in virum perfectum, in his quæ patris sunt, oportet eum esse, suspirare ad hæreditatem, sedulacque circa eam meditatione versari. Nunquid enim mercenarium eum quis æstimet, qui paternam inhiat hæreditati, eamque toto affectu expetit et expectat, quam nimirum filii mercedem esse, non mercenarii Propheta testatur? *Cum dederit, inquit, dilectis suis somnum ecce hæreditas*

Dominus, filii, merces, fructus ventris (Psal. cxxvi, 2, 3).

9. Invenitur tamen alter gradus sublimior, et affectus dignior isto, cum penitus castificato corde nihil aliud desiderat anima, nihil aliud a Deo quærit, quam ipsum Deum. Crebro siquidem didicit experimento, quoniam bonus Dominus sperantibus in se, animæ quærenti ipsum, ita ut jam ex affectu cordis atque ex sententia clamet illud de psalmo: *Quid enim mihi est in cælo? et a te quid volui super terram? Defecit caro mea et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum* (Psal. lxxii, 25, 26). Neque enim suum aliquid, non felicitatem, non gloriam, non aliud quidquam, tanquam privato sui ipsius amore desiderat anima quæ ejusmodi est: sed tota pergit in Deum, unicumque ei ac perfectum desiderium est ut introducat eam rex in cubiculum suum, ut ipsi adhæreat, ipso fruatur. Unde et jugiter revelata facie, quoad potest, cœlestis sponsi gloriam speculari, in eandem imaginem transformatur de claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu. Ex hoc plane audire meretur: *Tota pulchra es, amica mea* (Cant. iv, 7). Audet et ipsa loqui: *Dilectus meus mihi, et ego illi* (Cant. ii, 16). Atque hujusmodi felicissima et jucundissima confabulatione delectatur gloriosa cum sponso.

SERMO IX.

De verbis Apostoli ad Rom. 1, 20, « Invisibilia Dei a creatura mundi, » etc., et de verbis psalmi lxxxiv, 9, « Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, » etc.

1. *Invisibilia Dei*, Apostolo teste, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Et est velut communis quidam liber, et catena alligatus, ut assolet, sensibilis mundus iste, ut in eo sapientiam Dei legat quicumque voluerit. Erit tamen cum cœlum plicabitur sicut liber, in quo utique nemo deinceps legere habeat necesse, quoniam erunt omnes docibiles Dei (Joan. vi, 45): et quemadmodum creatura cœli, sic et creatura mundi, jam non per speculum et in ænigmate, sed facie ad faciem Deum videbit, et sapientiam ejus ad liquidum contemplantur in se ipsa. Interim vero opus habet humana anima velut quodam vehiculo creaturæ, ut ad cognitionem Creatoris assurgat: cum econtra longe beatius perfectiusque angelica natura in Creatore notitiam habeat creaturæ. Ad quam nimirum excellentiam, licet ad modicum, rapta fuisse videtur anima illa beata (84), quæ collectum sub uno solis radio mundum universum conspexit: de quo miraculo beatus papa Gregorius in libro *Dialogorum* scribens, « Videnti, » inquit, « Creatorem angusta est omnis creatura (Lib. ii *Diul.* cap. 35). » Felices proinde qui satiantur ex adipe frumenti, nec opus habent sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo; **1105** qui videlicet invisibilia Dei non visibilibus rimando

(84) Nimirum S. Benedictus, quem Bernardus censet vidisse Deum, licet raptim, absque « vehiculo creaturæ, » ac proinde in se ipso, et quidem « in Dei lumine, » ut loquitur Gregorius: tametsi Ber-

A perquirunt, sed in ipsis ad liquidum intellecta conspiciunt. Verum, ut jam diximus, angelicæ felicitatis istud est, non fragilitatis humanæ.

2. Quæramus igitur, per ea saltem quæ facta sunt, intellectum invisibilem Dei: quæ si in cæteris creaturis intellecta conspiciuntur anima, necesse est ut longe amplius conspiciat et intelligat multo subtilius in creatura quæ facta est ad imaginem Creatoris, hoc est in se ipsa. Nullus enim Deo vicinior gradus inter omnes quæ sub sole habitant creaturas, quam anima humana, ut merito Propheta dicat ad ipsum, *Beatus vir cuius est auxilium abs te! ascensiones in corde suo disposuit; et post pauca: Ibunt, inquit, de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion* (Psal. lxxxiii, 6, 8). Propterea incessanter hortamur vos, fratres, ut ambuletis vias cordis, et sit anima vestra in manibus vestris semper, ut audiat quid loquatur in vobis Dominus Deus, *quoniam loquetur pacem. Quibus loquetur pacem? Uti que in plebem suam, et in sanctos suos. Quæ est plebs, aut qui sunt sancti? Ipsi nimirum qui convertuntur ad cor. Unde et sequitur: Et in eos qui convertuntur ad cor.*

3. Nos tamen in his verbis tria solemus intelligere hominum genera, quibus solis Deus loquitur pacem, sicut et propheta alius tres tantum prævidit salvandos, Noe, Danielem, et Job (*Ezech. xiv, 14*): contrario quidem ordine, sed eisdem ordinibus exprimens, continentium scilicet prælatorum et conjugatorum: si tamen continentes a carnalibus illecebris ad ea quæ cordis sunt, id est ad spiritualia desideria, convertantur; unde et Daniel *vir desideriorum* ab angelo nominatur (*Dan. x, 11*): et prælati prodesse magis studeant, quam præcesse, quoniam ipsos maxime decet sanctitudo, unde et in psalmo sancti specialiter appellantur: et conjugati mandata non transgrediantur, ut merito plebs Domini, et oves pascuæ ejus debeant nominari.

4. Imo vero et in nobis ipsis (quoniam inde est nobis amplior sollicitudo) tres istos ordines assignare solemus; plebem quidem intelligentes officiales fratres, qui exterioribus et quasi popularibus negotiis occupantur. At vero qui convertuntur ad cor, ipsi sunt claustrales, quos nulla impedit occupatio, sed libere vacant, ut videant quoniam suavis est Dominus. Super utrumque parietem Deus loquitur pacem, quoniam ad idem tendunt, licet non eadem via. Est psalterium jucundum cum cithara, nec minus jucundus est sonus citharæ, quam psalterii, licet hæc ab inferioribus reddat sonum, illud a superioribus. Verumtamen optimam partem elegit Maria, licet non minoris fortasse meriti sit apud Deum humilis conversatio Marthæ: sed de electione Maria laudatur (*Luc. x, 42*), quoniam illa quidem omnino, quod ad nos spectat, eligenda; hæc vero, si injungitur, patienter est toleranda.

nardus in sermone 31 in Cantica num. 2, ait « quod nec sapiens, nec sanctus, nec propheta, videre illum, sicuti est, potest, aut potuit in corpore hoc mortali. »

5. Jam quod interponitur, *super sanctos suos*, ad prælatos pertinet, quibus nimirum utraque vita necessaria est. Et ipsorum est utrisque providere, et copulare sibi parietes e diverso venientes; quoniam angularis lapidis, qui est Christus Jesus, vicarii constituti sunt. Nec dubium quin longe periculosior cæteris eorum sit administratio. Tamen si bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirant, et majorem abundantiam et superfluentem mensuram accipient pacis, ut de eis merito dicatur *Quoniam super sanctos pacem loquitur Deus*. An vero dubitet quis quos dixerit sanctos? Audiatur Isaiam: *Vos, inquit, sancti Domini vocabimini, ministri Dei nostri (Isai. LXI, 6)*. Proposueram exemplum aliquod dare, quemadmodum ex sua ipsius consideratione ad spiritualem intelligentiam assurgere humanus debeat animus; sed necesse est in diem alterum, et sermonem alterum differre.

1106 SERMO X.

De vita et quinque sensibus animæ.

1. Magna est, dico vobis, charissimi, et nimium inexcusabilis negligentia nostra, qui, cogitationibus otiosis vacantes, tempus amittimus: quibus nimirum nec penetrandæ nubes, nec maria transfretanda, ut salubres inveniamus cogitationes, sed prope est, ut ait Moyses, verbum in ore nostro et in corde nostro (*Deut. xxx, 14*); et infinitas in nobismetipsis utilium cogitationum occasiones et seminaria possumus invenire. Denique si tam inerudita et negligens fuerit anima, ut nec interiora sua sufficiat perscrutari, attendat vel ea quæ foris agit palam et manifeste: et in ipsis quoque, si diligenter quæsierit, inveniet sapientiam. Ecce enim (quoniam scriptum est: *Da occasionem sapienti, et sapientior erit (Prov. ix, 9)*) considera, o anima, quid impendas corpori tuo, et invenies sine dubio, quod vitam ei sensumque ministras: et vitam quidem in toto corpore invenies uniformem (neque enim, verbi gratia, aliter vivit oculus quam articulus), sensum vero non ita. Quære ergo, ut tibi quoque anima tua (quæ est sine dubio Deus tuus) similia largiatur. Neque enim vivere dicenda est anima, quæ veritatis non habet cognitionem, sed adhuc mortua est in semetipsa; quemadmodum et ea sine sensu, quæ necdum habet dilectionem. Est ergo animæ vita, veritas; sensus, charitas. Nec mireris quod interdum animæ impiorum notitiam habent veritatis, quæ tamen expertes sunt charitatis: quando et in corporibus nonnullis vitam reperis sine sensu, ut sunt arbores cæteraque similia, animata quidem, sed animatione, et non anima. Quemadmodum et animæ iniquorum veritatis habent notitiam naturali ratione, quæ tamen interdum adjuvantur a gratia, quam nullatenus sane aimentur ab ea. In his autem quibus et cognitionem veritatis, et dilectionem anima spiritualis infundit, non exteriori quolibet modo, sed tanquam anima ipsorum, cui adhærentes unus spiritus fiunt cum ea; in his, inquam, indivisa est cognitio veritatis, se-

cundum quod dictum est de vita corporis. Eadem enim cognitione et minima et maxima comprehendis.

2. Porro dilectionem quidem, si diligenter advertas, variam, et fortassis secundum quinque sensus corporis quinquepartitam poteris invenire. Est enim amor pius, quo parentes diligimus; est amor jucundus, quo socios diligimus; est et erga omnes homines amor justus; erga inimicos amor violentus; erga Deum sanctus sive devotus. In his omnibus, si diligenter attendis, proprium erga singulos et omnino diversum ab aliis modum invenies. Denique si curiosius considerare delectat, non immerito fortasse videbitur primus, id est parentum amor, tactui convenire, quod hic sensus sola proxima et corpori juncta percipiat: quemadmodum amor ille nullis exhibetur nisi proximis carnis nostræ. Sed nec illud quidem discrepat a ratione similitudinis, quod hic solus e sensibus per corpus diffunditur universum: quoniam et amor ille naturalis est omni carni, adeo ut ipsa quoque animalia bruta et diligant fetus suos et diligantur ab eis. Amor quoque socialis videre licet quam proprie dicatur gustui convenire, ob majorem profecto dulcedinem, et quoniam hic sensus solus est, quo magis eget humana vita. Nec video qua ratione vivere dicendus est, saltem hac communi vita, qui non eos diligit inter quos vivit. Amor autem generalis, quo videlicet omnes homines diliguntur, odoratus habet similitudinem, in eo utique quod hic sensus jam remotiora percipiat, et quod, non ex toto carnalis delectationis expertus, eo tamen tenuiorem eam habeat, quo diffusorem. Auditus autem multo magis remotiora capiat, nec iater homines ab amante quisquam remotior est, quam non amans. Denique cum in cæteris sensibus nonnulla carnalis ipsius oblectatio sit, et magis ad carnem pertinere videantur, auditus pene totus exit a carne, et ei dilectioni non immerito convenire videtur, cujus tota causa obedientia est: quam pertinere ad auditum satis evidens est, cum cæterarum, ut diximus, dilectionum nonnulla a carne sumatur occasio.

3. Porro visus quidem in eo sibi vindicat amoris divini similitudinem, quod cæteris omnibus excellentior et singularis cujusdam naturæ perspicacior quoque cæteris invenitur et discernit multo remotiora. Denique odoratus quidem et auditus videntur utique remota sentire; sed ad se magis quem sentiant aerem creduntur, attrahere. Visus autem non ita, sed magis ipse exire videtur et ad remota procedere. Sic et in dilectionibus est. Quodam modo enim attrahimus proximos, quos tanquam nos ipsos diligimus: attrahimus et inimicos, quos ad hoc diligimus ut sint et ipsi sicut nos, id est ut sint amici. Deum vero si, ut dignum est, tota virtute, tota anima, toto corde diligimus, ipsi magis in eum pergimus, et tota festinatione in eum, qui ineffabiliter supra nos est, properamus.

4. Jam vero et id manifestum est, quoniam in corporis sensibus visus quidem cæteris omnibus,

auditus vero reliquis tribus dignior est; odoratus quoque et gustum et tactum, etsi non utilitate, dignitate tamen superare videtur, et gustus tactui superexcellere: quod manifestat etiam dispositio ipsa membrorum. Oculis siquidem in summitate locatis, aures inferiores esse quis nesciat? Sic et auribus nares, et fauces naribus, ipsis quoque faucibus manus pariter et reliquas corporis partes, ad quas pertinet tactus, subesse manifestum est. Secundum ergo hunc modum, et in sensibus animæ considerare licet alterum altero digniorem: quod quia facile jam potestis advertere, brevitatis causa prætereo. Illud quoque vestræ nihilominus diligentiae considerandum relinquo, quod quemadmodum artus corporis cadere necesse est, quam cito desierit eos anima vegetare, sic et eas, quas diximus, affectiones, quæ sunt velut quædam animæ membra, sine anima ipsius animæ (quæ Deus est) cadere omnino necesse est: quatenus videlicet aut ex toto non diligatur quod diligendum est; aut non diligatur ad quod debet, aut quomodo debet. Sunt enim qui parentes carnaliter tantum diligunt: et ipsi quoque confitentur Domino, cum benefecerit eis. Sed hujusmodi dilectio aut omnino vocanda dilectio non est, aut caduca est, et decidens in terram.

SERMO XI.

De duplici baptismo, et de relinquenda propria voluntate.

1. Scitis, fratres (firmissime enim tenetis catholicam veritatem), quod in baptisate abrenuntiantes diabolo Pater cœlestis adoptet et in regnum Filii claritatis suæ de potestate transferat tenebrarum. Nimirum ipsa est stola prima, quam vere cito proferre ministros paternus jubet affectus, non oris petitionem, non desiderium cordis exspectans, sed et ipsum intellectum preveniens in benedictionibus dulcedinis. Quotquot enim baptizati sumus in Christo Jesu, Christum induimus (*Galat. II, 27*). De quo et alius clamat, testis et ipse fidelis, quia quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri (*Joan. I, 12*). Nec vero inanis est, aut infirma potestas, quia nimirum certi sumus continuo et nos, quoniam neque mors, neque vita, neque virtutes, neque angeli, neque altitudo, neque profundum poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu (*Rom. VIII, 38, 39*). Sed attende quanta enumeravit Apostolus (ejus enim verba sunt) minime tamen adjiciens: Nec nos ipsi. Nimirum hæc est libertas, qua Christus nos liberavit, ut nulla penitus creatura avellere nos, aut vim facere possit. Soli id deserere possumus, propria voluntate abstracti, **1108** et illecti a propria concupiscentia. Præter hanc enim nihil est quod timeamus. Denique donec voluntatis usum et facultatem deliberandi renatus quisque recipiat, a charitate Dei separari omnino non potest. Securus interim degit sub protectione

(84) Six ex codice Cœlestinorum Parisiensium emendata lectio vulgata, ille tradidit nos.

(85) Professionem religiosam veteres non pauci alterum baptisma nuncuparunt, ut Bernardus ipse in sermone 57 de diversis, num. 3, et lib. De præ-

et advocacione Domini Dei sui: non est quod ve-reatur ex omnibus. At ubi sane discretionis annos ingrediens redditur sibi, cæterorum utique violentiam nec hunc quidem formidare necesse est, sed ab ea quæ dormit in sinu suo caveat, propria scilicet voluntate. Erit forte peccatum in foribus, sed appetitus ejus sub eo est: tantum ipse aperire renuat, consentire recuset.

2. Denique primos parentes non ursus, aut leo, sed potius serpens, callidior utique, non fortior cæteris animantibus, supplantavit; nec mulierem vir, sed mulier virum. Serpens, o Eva, decepit te: decepit profecto, non impulit aut coegit. Mulier tibi, o Adam, de ligno dedit; sed offerendo utique, non violentiam inferendo. Neque enim potestate illius, sed tua factum est voluntate, ut ejus voci plus obedi-eris quam divinæ. Cæterum si ille sibi non præcavit ignarus, nos saltem nobis tot exemplis præmoniti caveamus. Imo vero quoniam periclitati sumus et nos miserabiliter in hac parte, de cætero jam remedium aliquod tantis providere malis sollicite studeamus. Quando enim fortis ille armatus, quem fortior superveniens alligavit, atrium illud olim suum valuit violentia aliqua obtinere? Sed vacuum sibi que insipienter expositum domicilium reperit, et cum aliis septem nequioribus, non fortioribus, ingrediens, non irruens, libere habitavit (*Luc. XI, 21-26*). Quis vero illum admisit, nisi propria voluntas? Ipsa est quæ in potestatem tenebrarum denuo rediit, quæ nos iterum subdidit mortis imperio.

3. Veni, Domine Jesu, veni etiam nunc, Jesu bone, ejice iterum fortiter quem nos insipienter admisimus. Tunc enim vere liberi erimus etiam nunc, si nos liberaveris. Irritum fecimus fœdus primum: tibi peccavimus, Domine, Satanæ, et operibus ejus obligantes denuo nosmetipsos, jugo iniquitatis colla ultronea submittentem et subjicientem nos miseræ servituti. Itaque, fratres mei, rebaptizari nos convenit; secundum fœdus inire necesse est: opus est professione secunda; nec jam sufficit abrenuntiare diabolo et operibus ejus: mundo pariter abrenuntiandum est et propriæ voluntati. Ille enim seduxit, illa traduxit nos (84). In priori nimirum baptisate, quando nihil nobis adhuc voluntas nostra nocuerat, satis fuit abrenuntiare diabolo, ejus profecto invidia peccatum pariter et mors per unum ingrediens, in omnes homines pertransivit. Cæterum postquam mundi fallentis illecebras, et infidelitatem propriæ voluntatis manifeste sumus experti, de cætero jam in secundo, ut ita dixerim, conversionis nostræ baptisate (85) merito prorsus, et non ad insipientiam nobis, non resarcire tantummodo fœdus primum, sed etiam roborare solliciti, ipsis quoque affectibus pariter abrenuntiamus. Studeamus proinde, dilectissimi, immaculatos nos ab hoc sæculo custodire, scientes quoniam religio munda et immaculata coram

cepto et dispensatione. Vide Hieronymum in epistola ad Paulam de obitu Blæsillæ, ubi ait, eam secundo quodam modo propositi (sic monasticam professionem vocat) se « baptismo » lavisse.

Deo hæc est (*Jac. 1, 27*). Caveamus autem a propria voluntate, tanquam a vipera pessima et nequissima, et quæ sola deinceps damnare possit animas nostras.

SERMO XII.

De primordiis, mediis, et novissimis, in illud Ecclesiastici, vii, 40, « Memorare novissima tua, » etc.

1. *Fili, memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* Recole primordia, attende media, memorare novissima tua. Hæc pudorem adducunt, ista dolorem ingerunt, illa metum incutiunt. Cogita unde veneris, et erubescere; ubi sis, et ingemisce: quo vadas, et contremisce. Vide ne adjicias adhuc ignorare, ne forte super te veniat terribilis illa comminatio qua sponsus intonat, dicens: **1109** *Si ignoras te, o pulchra inter mulieres, egredere, et abi post greges sodalium tuorum (Cant. 1, 7).* Primo si quidem cum in honore esses, o homo, non intellexisti: unde et comparatus es jumentis insipientibus, et similis factus es illis (*Psal. xlviii, 15, 21*). Jam si nec vexatio intellectum dederit auditui, etiam post greges abibis, illis nihil mali sentientibus, malis expositus universis. Agnosce ergo primordia tua, et erubescere comparatum te esse jumentis: memorare novissima tua, et time ne abeas etiam post jumenta. Erubescere, inquam, quod pro consortio angelorum, consortium sortitus es pecorum, non modo in necessitatibus corporis, sed etiam in affectibus cordis. Cum jumentis partiris cibum terræ, quia panem angelicum, panem fastidisti cœlestem. Non solum autem, sed etiam, quod pejus est, in recto corpore curva est anima et in corpore manet humanæ animæ similitudo; in anima vero, bestiali similitudine rutata est similitudo Dei.

2. An non confunderis sursum caput habere, qui sursum cor non habes! corpora rectus stare, qui corde repis in terra? An non reperere est in terra, carnem sapere, carnalia desiderare, carnalia quærere? Verumtamen quia ad imaginem et similitudinem Dei creatus es, si perdidisti similitudinem, similis factus jumentis; sed in imagine pertransisti. Ergo si in sublimi positus non intellexisti quoniam limus esses; noli infixus in limo profundi ignorare quia imago Dei es, et erubescere quod peregrinam ei superdlexeris similitudinem. Memor esto nobilitatis tuæ, et pudeat te tantæ dejectionis. Ne ignores pulchritudinem tuam, ut de fœditate amplius confundaris. Hæc est, juxta Salomonem, *confusio adducens gloriam (Ecli. iv, 25)*, quando a tanta gloria cecidisse confunderis. Eras enim aliquando gloria et honore coronatus, constitutus super opera manuum Domini, incola paradisi, angelorum concivis, et domesticus Domini sabaoth. Hinc dejecisti te ipsum in has interiores tenebras, unde ad exteriores quoque et palpabiles tenebras ejiciendus eris aliquando, si non caves. Ab ista, inquam, gloria filiorum Dei deposuisti temetipsum; a felici illa et dulcissima patria, ab horto voluptatis exulem te fecisti.

3. Ecce unde venisti: vis nosse quo devenisti? In locum utique afflictionis: siquidem vita tua inferno

appropinquavit. Quid enim hic, nisi labor et dolor, et afflictio spiritus? Sed nunc ita contigit tibi ac si puer in carcere natus sit et in carcere sit nutritus; et, quia nunquam viderit lucem, miretur super tristitia et anxietate matris suæ. Hæc enim scit unde doleat; et, quia novit bona, graviora sunt ei mala, et recordatione pacis amaritudo ejus amarissima est. Tibi magna bona videntur minora mala; et præ majoribus compedibus, quibus assuetus es, minores annulos requiem putas. Comedere appetis, quia fames te cruciat. Utrumque labor est; sed quia fames gravior magis, comedere nescis esse laborem. Denique postquam fames depulsa fuerit, vide si non gravius ducis comedere quam esurire. Sic se habent universa sub sole: ut nihil sit in eis vere jucundum, sed ab uno semper transire velit homo ad aliud, solaque vicissitudine relevetur utcumque, ac si prosiliat ab aqua in ignem et inde rursus in aquam resiliat, utpote qui neutrum ferre possit. Omne siquidem laboris remedium, alterius laboris initium est. Nemo in hoc sæculo nequam quod vult habere potest; quandoquidem nec justus justitia satiatur, nec voluptuosus voluptate, nec curiositate curiosus, nec ambitiosus inani gloria. Ecce unde doleas, si nondum insensibilis factus es; ecce unde doleas, quod in exilio positus es, in deserto moraris, et in tenebris ambulas et in lubrico, et in sudore vultus tui vesceris pane tuo. An non in amaritudine moratur oculus tuus, quoties ista considerat, et deplorat pariter cum Propheta: *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est? (Psal. cxix, 5.)*

4. Habes jam primordia, habes etiam media: sed novissima quæ sunt? Nam de eis dicitur quod eorum memor non peccabis. Ipsa sunt mors, judicium, gehenna. **1110** Quid horribilius morte? quid judicio terribilius? nam gehenna nihil potest intolerabilius cogitari. Quid metuet, si quis ad ista non trepidat, non expavescit, non timore concutitur? O homo, si pudorem perdideras ad nobilem creaturam pertinentem; si dolorem non sentiebas afflictionis, quod est etiam carnalium; vel timorem non omittas, quoniam ille est etiam jumentorum. Oeramus asinum, et fatigamus in laboribus plurimis; et non curat, quia asinus est. At si in ignem impellere, si in foveam præcipitare velis, cavet quantum potest, quia vitam diligit et mortem timet. An non tibi ergo justum videtur, ut qui modo jumentis insensibilior fuerit, post jumenta quoque ipsa compellatur abire, et in tormentis positus locum teneat posteriorem? Time ergo, o homo, quod in morte separandus es a bonis omnibus hujus corporis, et tam dulce carnis et animæ vinculum amarissimo secundum est divertio. Time, quod in terribili judicio ei præsentandus es in cujus manus horrendum est incidere, et, eo examinante quem nihil latet, si quidem inventa fuerit in te iniquitas, alienandus ab universitate quietis et gloriæ et segregandus a numero beatorum. Time, quod in gehenna cruciatibus æternis et immensis exponendus es, in sorte diaboli et angelorum ejus, in

igne æterno, qui paratus est eis. Illic ergo timor initium sapientiæ dicitur (*Psal. cx, 10*), non pudor, non dolor; quia neuter eorum sic initiat ad sapientiam, neuter tantam habet efficaciam. Unde est quod non dicitur: *Memorare primordia, aut media, sed novissima; et non peccabis*. Validior enim est et vehementior spiritus timoris ad resistendum peccato, quam pudor aut dolor; quia pudor de multitudinæ, et dolor de qualicunque hujus mundi consolatione capit solatium; timor vero non invenit unde consolatur. Nam in morte non magnum, non parvum aliquid de bonis hujus mundi tecum delaturus es: in iudicio nec fallere, nec resistere possibile erit: in gehenna nulla penitus consolatio; sed perpetuum vix, ululatus, et fletus, et stridor dentium.

SERMO XIII.

De triplici misericordia, et quatuor miserationibus.

1. Sicut sunt peccata minima, sunt mediocria, sunt et magna; sic et misericordia parva, mediocris et magna. Magnus ergo peccator magna misericordia opus habet; ut ubi abundavit delictum, superabundet et gratia. Parvam misericordiam dico expectationem, qua non statim punit peccantem, sed expectat ad pœnitentiam. Parvam autem non in se, sed ad comparationem aliarum. Alioquin magna plane, magna omnino misericordia, expectatio Domini. Nam peccantem angelum omnino non expectavit, sed precipitavit de cœlo: hominem quoque peccantem non distulit, sed protinus expulit de paradiso. Nunc jam expectat, dissimulat, sustinet decem annis, viginti, usque ad senectam et senium. Et si consideremus quanta et quam plurima peccata quotidie fiunt, nonne levia reputabimus illa quæ tamen continuo damnationis exceperent sententiam? Nihil proinde mirum si ipsius quoque prophætæ pene moti sunt pedes, pene gressus effusi, quoniam zelabat super iniquos pacem peccatorum videns; si peccatores ipsi dicunt: *Quomodo scit Deus, et si est scientia in excelso?* (*Psal. LXXII, 2, 3, 11*.) Sed hæc est gratia crucis Christi, et virtus. *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat* (*Ezech. XXXIII, 11*). Quantum vero mihi videtur, vox Christi resurgentis est ista, ac si dicat: Velit, nolit Judæus, vivo ego; nolo mortem peccatoris, qui mori volui pro peccatoribus: volo ut fructuosa sit mors mea et copiosa per eam redemptio.

2. Hanc ergo misericordiam Domini, qua tardat ferire, paratus ignoscere; parvam, non quidem in se ipsa, sed aliarum comparatione nominavi: quod hæc, si quidem sola fuerit, nullatenus sufficit ad salutem, imo vero iudicium damnationis accumulatur, ut dicatur: **¶¶¶¶** *Hæc fecisti et tacui* (*Psal. XLIX, 21*). Apostolum proinde audiamus, more suo terribiliter intonantem: *An divitiis bonitatis ejus, inquit (haud dubium quin Dei), et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam patientia Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem, secundum duritiam tuam et cor*

impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ (*Rom. II, 4, 5*). Thesaurizas, inquit, tibi thesauros iræ pro prærogatis thesauris misericordiæ quos contemnis, et evacuas in te misericordiam Dei. Sed secundum quid? *Secundum duritiam tuam, ait, et cor impœnitens*. Quis autem scindet duritiam istam, nisi qui passione sua petras scidit? Quis dabit cor pœnitens, nisi a quo est omne datum optimum?

3. Hæc est secunda misericordia, omnino major priore, quæ facit ne prima sit infructuosa, et convertatur in damnationem mortis; dando scilicet pœnitentiam, sine qua expectatio non modo non prodest, sed obest plurimum. Et hæc quidem in levibus peccatis potest sufficere; quoniam in his a quibus abstinere omnino non possumus dum gestamus corpus peccati, ad salutem sufficere potest pœnitentia quotidiana. At in gravioribus quidem, et quæ peccata ad mortem sunt, opus est non modo pœnitentia, verum etiam continentia. Difficilis prorsus res et soli divinæ virtuti possibilis, susceptum semel peccati jugum a cervicibus suis excutere; quoniam qui facit peccatum, servus est peccati, nec est jam liberari nisi in manu forti.

4. Hæc est magna misericordia, magnis necessaria peccatoribus, de qua dicitur: *Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam; et secundum multitudinem miserationum tuarum* (*Psal. L, 1, 2*), etc. De quatuor titulis magnæ misericordiæ dictum est (*Serm. tertio in Dominica 6 post Pentecosten.*), quæ sunt immissio amaritudinis, subtractio opportunitatis, virtus resistendi, et sanitas affectionis. Quandoque enim ei qui peccato quovis obligatus tenetur, pie immitit Dominus amaritudines quasdam quæ mentem occupant hominis, et expellunt perniciosam delectationem peccati. Quandoque subtrahit opportunitatem, nec tentari patitur infirmitatem. Quandoque virtutem donat resistendi, quod majus est: ut scilicet tentationem sentiens viriliter agat, et non consentiat. Quandoque affectionem sanat, quod perfectissimum est, et in quo prorsus eradicatur [alias tollitur] tentatio; ut non solum non consealiatur ei, sed nec sentiatur quidem.

SERMO XIV (85°).

De septem donis Spiritus sancti contra septem vitia.

1. *Sapientia vincit malitiam, dum Satanam conterit Dei virtus, et Dei sapientia Christus. Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, in cœlo quidem dejiciendo superbum, in mundo superando malignum, in inferno spoliando avarum. Et disponit omnia suaviter* (*Sap. VII, 30; VIII, 1*), in cœlo stantes angelos confirmando, in mundo venundatos redimendo, in inferno captivos liberando. Aut, si melius placet, accipiamus hoc modo. Ordinata procedit acie adversus septem peccati gradus Spiritus septiformis. Et primus contra negligentiam timor exurgit. Nimirum ipse est quo concutitur anima, discutitur conscientia, excutitur sopor letalis, incutitur sollicitudo. De-

(85°) Multa est varietas hujus sermonis in codice Cisterciensi: sed hæc parum ad sensum refert, ut in aliis. Citatur in Floribus, lib. 7, cap. 46.

nique qui timet Deum, nihil negligit (*Eccle. vii, 19*), A ut quemadmodum vis vi repellitur, et fervore spiritus vel veretur omnia opera sua.

2. Cæterum ut gravior sit conflictus, squama squamæ jungitur, et comitantia sunt in humano corde negligentia sui, et curiositas cæterorum. Triplex enim, ut ait Sapiens, incommodum eicit de domo inhabitantem, fumus, stillicidium, mala uxor (*Prov. xxvii, 15*). Quando vero hæc deerant negligenti? Propria quippe qui negligit, fumum non abigit, uxorem non corrigit, tectum non reficit. Fumant peccata, nullo misericordiæ studio, nullis lacrymarum undis extincta; et fumus ille teterrimus et intolerabilis. Malignatur voluntas, ipso neglecto quotidie deterior semetipsa. Stillat superni Judicis indignatio ex defectu utique charitatis, quæ **1112** sola operit multitudinem peccatorum. Egre diatur itaque foras necesse est, et curiosius exteriora consideret, qui sic interna despicit, præterita non respicit, præsentia non inspicit, futura non prospicit. Evidenter proinde curiositati pietas adversatur, et quem illa a corde evocat, ista revocat. Nimirum pietas illa est cultus Dei; et in corde colitur qui in corde cognoscitur habitare. Parit autem curiositas experientiam mali, ut facile qui per multa vagatur, offendat, facile cadat in laqueum, facile inveniat quod perniciose delectet. Confligit sane adversus hanc scientiæ spiritus, docens eligere bonum, reprobare malum; docens quid periculosum sit, quidve expediat experiri.

3. Verumtamen in multis jam in concupiscentiam experientia transire videtur. Habes hos gradus in Dina filia Jacob, quam nimirum, ad videndum alienigenas mulieres egressam, Emor filius Sichem rapuisse, corrupisse, ac deinde tristem blanditiis delinisse legitur, ita ut illius animæ anima ejus adhæserit (*Gen. xxxiv, 1-8*). Dico autem in concupiscentiam, et, ut Propheta meminit, in affectum cordis transisse hominem qui legem sprevit (*Psal. lxxii, 7*), honestatem abjecit, valedit pudori, timorem autem Domini penitus transiit, soloque vehitur appetitu, sequitur concupiscentiam solam, sola trahitur voluptate, et est apud eum pro ratione voluntas. Contra hanc igitur concupiscentiam mali dimicat fortitudo: neque enim ulla jam, nisi in manu forti, liberatio est. Indicat sibi homo jejunia, corpus castiget et subjiciat servituti, ne forte jam de radice colubri egrediatur regulus, de concupiscentia consuetudo. Quemadmodum enim misera nimium et miserabilis humana fragilitas, sine pruritu concupiscentiæ aut impetu desiderii, sola consuetudine ipsa ad illicita trahatur, utinam omnibus liceat ignorare! Nimirum peccatum faciens, servus est peccati (*Joan. viii, 34*), servus plane diaboli, ad præva quæque prout trahitur sequens, a quo nimirum captivus tenetur, ad ipsius voluntatem.

4. Est autem consuetudo hæc gravis quædam et pernicioosa catena, solvenda utique facilius, quam rumpenda; ut hic maxime vulgare illud proverbium videatur usurpari, industriam violentia potiore:

ut quemadmodum vis vi repellitur, et fervore spiritus fervor extinguitur desideriorum; sic maligni artem arte deludas, et consuetudini consilium opponas. Alioquin si forte violentiam quæras, et castigationem corporis spes consuetudini prævalere, timendum omnino est ne sit perciciosus labor, et prius ipsa substantia deficiat, quam inolita concupiscentia, præsertim quod altera quædam natura sit ipsa consuetudo. Necessarium itaque est consilium, vel ab ipso magni consilii angelo ministratum, vel ab homine aliquo spirituali, qui cogitationes Satanæ, spiritualiaque remedia non ignoret. Subtrahenda nobis occasio est, et opportunitas fugienda peccati. Legimus, fratres, in eremo fornicationis spiritu graviter quempiam impugnatum, laudabili prorsus industria a patre curatum. Advocans enim senior fratrem alterum secreto, jussit ut eundem laceraret injuriis; et prior ipse, quasi accepta ab eo injuria, quereretur. Anxiabatur ille, et confusus vehementer, sic in brevi oblitus est pristinæ tentationis, ut querenti de ea non sine admiratione plurima responderet: Papæ! vivere non licet, et fornicari liberet! (*Vide S. Hieron., epist. ad Rustic. circa med.*)

5. Sed forte necdum venit cui victoria reposita est, quem triumphus manet, cui corona debetur, et contemptus ex consuetudine prodit: ut tanto liberius, quanto desperatius peccans, totas jam concupiscentiæ laxet habenas, toto impetu feratur in præceps, sicut scriptum est: *Peccator, cum venerit in profundum malorum, contemnit* (*Prov. xviii, 3*). Hunc ergo contemptum necesse est ut spiritus intellectus impugnet, illuminans tenebras cordis et lucem diviniæ misericordiæ et copiosæ miserationis infundens. Intelligentia nempe divinis et altissimis rebus attribuenda est, quas quidem ratio humana **1113** nullatenus, difficile autem vel fides ipsa comprehendere possit, ut est illud: *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia* (*Rom. v, 20*).

6. Jam si contemptus perstiterit, accedero necesse est et militiam, ut quam potest consolationem desperatus miser admittat; et cui non est pars in bonis, lætetur vel in malis; lætetur cum male fecerit, et exsulet in rebus pessimis. Ex his ergo solum hoc remedium est, ut ipsa adversus malitiam sapientia congregietur, propriaque dextera prælietur, quæ succumbere omnino non novit. Quando enim liberetur qui in Babylonem [*alias habitationem*] descendit, nisi præveniatur in benedictionibus supernæ dulcedinis, ut clavum clavus expellat, et pestiferam dulcedinem vitiorum jucunditas spiritualis unctionis excludat?

7. Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter sapientia victrix, eradicando singula vitia, singulasque inserendo virtutes. Excutitur siquidem negligentia, ut timoris spiritus repleat mentem; abjicitur curiositas, ut succedat pietas; experientia mali fugatur apponiturque scientia. Sic et concupiscentiæ prævalet fortitudo, et consilium consuetudinem amputat, et intellectus vigens contemptum amovet, et disparente omnino malitia, sapientia regnat. Qua quidem

triumphante, de cætero miseram illam animam, A quam perniciose negligentia soporaverat, pejus excitaverat curiositas, attraxerat experientia, tenuerat concupiscentia, ligaverat consuetudo, contemptus in carcerem truserat, malitia jugulaverat; timor suscitatur, pietas blande demulcet, scientia quid actum sit indicans dolorem apponit; quod suum est fortitudo erigit, consilium solvit, Intellectus educit de carcere, sapientia mensam ponit, refocillat esurientem, et salutaribus reparat alimentis.]

SERMO XV.

De quærenda sapientia.

1. Quid in hoc mundo agimus, fratres? aut quid facimus de hoc mundo? Si salvari contendimus a præsentis sæculo nequam, quid adhuc de hoc mundo decernimus? Si exire volumus, quid compedes nostras nobiscum trahere laboramus? Ponamus aureos ease; sed multo melius est sine his liberari, quam eorum occasione teneri. Non æstimemus pretium, sed impedimentum consideremus: ne præter ipsam, quæ dura satis reputanda est, conditionis necessitatem, etiam cupiditatis visco inhærere his incipiamus, et inanis sollicitudinis nexibus irretiri. Quid enim in compedibus faciat quis, percunctari forte minus congruum iudicetur, quod videlicet ad patendum magis, quam ad aliquid faciendum soleant homines compediri: et actionis impedimenta compedes sunt, adminicula passionis. Agendum tamen nobis aliquid in hoc mundo; agenda utique pœnitentia; sed ad passionem hæc potius, quam ad actionem videbitur pertinere. Nihilominus tamen agendum hic nobis aliquid: non quidem de hoc mundo, sed in hoc mundo. Cum enim legatur Adam in loco voluptatis ab initio positus ut operaretur (*Gen. ii, 15*), quis sanum sapiens, filios ejus in loco afflictionis ad feriandum positos arbitretur? Operemur ergo, sed cibum qui non perit: operemur opus salutis nostræ. Operemur in vinea Domini: ut denarium diurnum accipere mereamur. Operemur in sapientia, quæ dicit: *Qui operantur in me, non peccabunt* (*Eccl. xxiv, 30*). *Ager est mundus*, ait Veritas (*Matth. xiii, 38*). Fodiemus in eo; thesaurus absconditus latet, effodiemus eum. Ipsa est enim sapientia, quæ trahitur de occultis. Omnes eam quærimus, omnes concupiscimus eam.

2. Sed frustra quærit qui in lectulo suo quærit: neque enim in terra suaviter viventium invenitur. Lectulus est, et ibi gigantem quæris? Tuus est; et ibi speras invenire eum qui diversoria semper ignorat? *Si quæritis*, inquit, *quærite: convertimini, et venite* (*Isa. xxi, 12*). Quæris unde? A lectulo tuo. Quæris unde convertaris? *A voluntatibus*, 1114 inquit, *tuis avertere* (*Eccl. xviii, 30*). Et si in voluntatibus meis non invenio, ubi, inquis, invenio sapientiam? Vehementer enim eam desiderat anima mea; nec invenisse sufficet, si contigerit invenire, nisi mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et superfluentem ponam in sinum meum. Merito quidem. *Beatus enim homo qui invenit sapientiam, et qui affuit prudentia* (*Prov. iii, 13*). Quære ergo

dum inveniri potest: et dum prope est, invoca illum. Vis audire quam prope sit? *Prope est verbum in corde tuo, et in ore tuo* (*Rom. x, 8*): tantum illud recto si quæsieris corde. Erige cor, surge de lectulo tuo, ut non frustra audias admonentem sursum habere cor. Sic enim invenies corde sapientiam, ore affluens prudentia; sed affluere, non effluere vel evomere cura.

3. Nimirum mel invenisti, si invenisti sapientiam; tantum ne multum comedas, ne satiatas evomas illud. Sic comede ut semper esurias. Nam ipsa dicit: *Qui edunt me, adhuc esurient* (*Eccl. xxiv, 29*). Noli multum reputare quod habes; noli satiari, ne evomas, et hoc ipsum quod videris habere, auferatur a te, quippe qui ante tempus quærere destitisti. Neque enim dum potest inveniri, dum prope est, ab inquisitione vel invocatione cessandum est. Aliter quoque *sicut qui mel comedit multum*, ut ait idem Salomon, *non est ei bonum; ita qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria* (*Prov. xxv, 27*). Quid tu, Pilate, seorsum interrogas Dominum, ut tibi susurret in aurem quid sit veritas? Multum est ad te: non dabitur sanctum cani, nec margarita porco. Quære potius fidei gustum; satiætatem intelligentiæ interim ne requiras. Merito, fratres, reverberata acie protinus resiliit: et, responsum non sustinens, egressus est ad Judæos, qui ambulare cœperat in magnis et mirabilibus super se, quid esset veritas percontatus (*Joan. xviii, 38*).

4. Quocirca quæramus sapientiam in corde, et sapientiam quæ est ex fide, quemadmodum Apostolus ait: *Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (*Rom. xii, 3*). Sobria siquidem sapientia est in pœnitentiæ peccatorum præteritorum, in contemptu præsentium commodorum, in desiderio futurorum præmiorum. Invenisti plane sapientiam, si prioris vitæ peccata desceas, si hujus sæculi desiderabilia parvipendas, si æternam beatitudinem toto desiderio concupiscas. Invenisti sapientiam, si tibi horum singula sapiunt prout sunt, ut hæc quidem amara et omnino fugienda, ista quoque velut caduca et transitoria contemnenda; illa vero ut perfecta bona totis appetenda desideriis, intimo quodam animi sapore dijudices et discernas. Atque hæc quidem sobria est sapientia, et vomitum nescit, ubi et timoris frigus ex recordatione peccatorum, et charitatis fervor ex appetitu divinarum promissionum, tepiditatem amovet earum, quæ nunc sunt, pessimarum occupationum: ut nec evomas sapientiam, nec evomaris ab ea. Sicut enim *beatus homo qui invenit sapientiam*: sic etiam *beatus vir*, vel beatorum etiam *qui morabitur in sapientia* (*Eccl. xiv, 22*): forte enim hoc ad affluentiam spectat.

5. Sane in his tribus ore affluens sapientia vel prudentia, si sit in ore confessio propriæ iniquitatis, si gratiarum actio et vox laudis, si etiam sermo ædificationis. Nimirum *corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom. x, 10*). Atque in principio quidem sermonis justus accusator est sui (*Prov. xviii, 17*): nam in medio magnificare,

Domini; in tertio quoque (si catenus affluit sapientia) ædificare proximum debet. An vero et in opere affluendum est sapientia? Et maxime. Quæramus ergo et in opere triplicem affluentiam: nam et olim dictum est a Sapiente quodam, quod sapientia tripliciter describeretur (*Prov. xxii, 20*). Itaque, si vos melius non habeis, puto ego, quod ad opus pertinet, copiose satis affluere sapientia, quicunque inter vos contiueuter, patienter et obedienter conversatur: tantum ut fidelis obedientia propriam mortificet voluntatem; humilis contentia carnalem pariter et sæcularem amputet voluptatem; hilaris patientia utramque simul, et corporalem scilicet et mundialem, viriliter sustineat adversitatem.

1115 SERMO XVI

De triplici genere bonorum, et vigilantia super cogitationibus.

1. Et propensius studium, et cura vigilantior (86) nostris esset cogitationibus adhibenda, fratres mei: nostris, inquam, quibus tam sanctarum meditationum assidue materia ministratur. Nocte enim et die nobis prophetiæ et evangelicæ, sed et apostolicæ voces canuntur et leguntur, quæ et pœnam minantur inferni, et gloriam regni pollicentur. Unde ergo nobis tam vanæ, tam noxiæ, tam obscenæ cogitationes, quæ nunc immunditia et elevatione, nunc superbia et ambitione cæterisque passionibus contorquent nos, ut vix aliquando in serenitatem sanctarum cogitationum respiremus? Væ nobis a torpore et tepore cordis nostri! qui permittimus nos his vanitatibus occupari, et non magis ex instanti transilimus in bona Domini, sive in naturalia, sive in spiritualia, seu etiam in æterna. Et quidem naturalia bona magna, spiritualia majora, sed maxima sunt æterna. In primis reparamur, in secundis exercitamur, extendimur et beatificamur in tertiis. Si non potes oculum meditationis in illam sublimitatem æternalium bonorum insigere, quia distantia sunt, et omnem sensum exsuperant: in bonis gratiæ, quæ sunt in exercitio virtutum, visum reflecte, ut videas quam puræ conscientiæ, quam liberæ frontis sit versari et conversari in castitate et charitate, in patientia et humilitate, cæterisque virtutibus, quæ amabilem Deo, placabilem et imitabilem hominibus reddunt. Quod si et hæc nimis sublimia sunt, et transgredientia infirmitatem tuam, demitte oculos tuos in bona naturæ, quæ tibi tam familiaria esse debent, quantum tu familiaris es tibi. Nec sic dicimus bona naturæ, quasi gratiæ non sint; sed ideo quod ipsi naturæ quodam modo ingenta et complantata fuerint, antequam fieret peccatum illud, quod non solum personam infecit, sed etiam naturam. Extunc non ita nobis ad mœnum pervenisse monstrantur propter vulnus inflictum, cum tamen nos illa in nobis et circa nos esse tam rationibus quam affectionibus plerumque sentiamus. Et quia nos ex anima et corpore consistimus, juxta vocem Apostoli,

(86) Simili modo Nicolaus Claræ Vallensis, « Et tum studium, et attentum silentium, » etc. orsus

A ab animali parte, id est a bonis corporis, incipiamus, ut non sit prius quod spirituale est, sed quod animale (*I Cor. xv, 46*).

2. Sunt autem omnia bona corporis, et quæ ei solummodo debeamus, sanitas. Nihil autem ei ultra dandum est vel quærendum, sed hoc termino ligandum et freandum est, cum fructus ejus nullus sit, et mors sit finis illius. Sed hic fovea est, quæ nolo vos lateat. Insidiatur enim voluptas sanitati, et tam subtili malignitate prosequitur, ut vix eam quis vel possit cavere, vel noverit. Quod si voluptati servitur, non sanitati, hoc jam de natura non est, sed sub natura, quæ morti manus dat, cum magistram constituit voluptatem. Inde etiam est quod multi ad tam bestiales et rebelles impetus descenderunt, vel, ut dicam verius, ceciderunt, ut voluptatem præferant sanitati, illis ipsis sæpissime voluntur quæ sciunt difficiles et acutissimas subsequi passiones. Sicut autem corporis natura est sanitas, ita cordis natura est puritas; quia turbato oculo non videbitur Deus; et cor humanum ad hoc factum est ut suum videat Creatorem. Si vero sanitati corporis sollicita est providenda custodia, puritati cordis tanto sollicitior est impendenda, quanto pars ista dignior illa esse convincitur. Illic tamen simpliciter accipimus puritatem, ut videlicet omnia quæ agimus, pure et humiliter consisteamus Domino in oratione, homini in confessione, et dicamus: *Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei* (*Psal. xxxi, 5*).

C 3. Et quia sociale animal sumus, ex his quæ in nobis 1116 sunt, ad ea quæ circa nos sunt transeamus; ut, si fieri potest, quod ex nobis est, pacem habeamus cum omnibus hominibus. Hæc enim est lex naturalis societatis, ut omnia quæcunque nobis fieri nolumus, aliis non faciamus: et quæ nobis fieri volumus, aliis impendere studeamus. Sicut ergo debemus sanitatem corpori, puritatem cordi; sic et fratri pacem. Jam hinc transeundum est ad sanctorum animas, quæ de hujus mortalitatis carcere ad cælorum gaudia volaverunt. Illis profecto debemus imitationem; quia similes fuere nobis, passibiles, et notas nobis fecerunt vias vitæ, quas tam infatigabiliter quam interminabiliter tenuerunt. Sed et illis qui non in tanta sanctitate seu peracta pœnitentia exierunt, compassionem debemus et orationem, propter similis naturæ consortium: ut pius Pater auferat scoriam eorum, et in beneficia flagella commulet, et sic tandem reconsignet ad beatæ gaudia civitatis. Si enim tauri, cum taurum mortuum invenerint, plorant, mugiunt, et quasi quibusdam debitis humanitatis obsequiis fraterna funera prosequuntur, quid debet homo homini, quem et ratio docet et trahit affectio? Sicut ergo sanctis animabus imitationem, sic minus sanctis compassionem debemus, illinc exemplum, hinc gemitum haurientes.

D 4. A sanctis vero angelis auxilium quærendum est, est sermonem in festo sancti Andræ, in quo idem hic sermo habitus est, uti colligitur ex uum. 6.

et occulis suspiriis, et frequentia lacrymarum : ut illi supereminenti majestati preces nostras offerant, referant gratiam, qui administratorii spiritus sunt, missi propter nos, ut hæreditatem capiamus salutis (*Hebr. 1, 14*). Ab illo autem rerum omnium Domino pietas quærenda est, ut ille cujus natura bonitas, cui proprium est misereri semper et parcere, non respiciat multitudinem iniquitatum nostrarum ; sed secundum multitudinem miserationum suarum miseretur nostri. Ipsi enim nos et amorem debemus, et subjectionem cum omni reverentia et humilitate. Amorem, quia fecit nos, et benefecit nobis : subjectionem, quia super nos est, et hoc præcipit nobis [*alias, præcellit nobis*], terribilis in consiliis super filios hominum. Ita ergo et sanitatem corpori, puritatem cordi, pacem fratri, imitationem sanctis, compassionem mortuis debemus ; auxilium ab angelo, pietatem a Deo [*aliis, a Deo postulemus. Ex arca, etc.*] ex arca naturalium bonorum habere debemus et quærere : ut sciamus quia, cum hæc quæ mandata sunt et data naturæ fecerimus, servi inutiles sumus ; quæ debuimus facere, fecimus. Aut vix enim, aut nunquam invenitur aliquod præceptum datum hominibus, quod transeat terminos possibilitatemque naturæ. In his autem bonis, sicut prædiximus, reparamur, et quasi quodam modo restituimur in antiquum, dum ad ingentem naturæ suavitatem revertimur, dum etiam nobis, et his qui circa nos sunt, et eis qui supra nos sunt, debitum rerum ordinem exhibemus. Et hæc quidem pro bonis naturalibus.

5. Spiritualia autem bona, in quibus exercemur, ut ad æterna tendamus, ipsa eadem sunt ; sed alia, quæ alio intuitu considerata, cum plurimis tamen aliis, quæ longum est enumerare. Illa enim juxta naturam, hæc supra naturam esse noscuntur. Nam et in spirituali exercitio non sanitatem debemus corpori, sed servitutem, sed afflictionem, sed laborem, juxta vocem illius spiritualis et summe spiritualis hominis, qui dicebat : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo* (*I Cor. ix, 27*). Nec istam tantum cordi puritatem debemus, ut pure et humiliter consteamur peccata nostra ; sed ut in intentione, cogitatione et opere hanc circumspectionem exhibeamus, ut et vita nostra sit fructuosa, et fama gloriosa : non quæ fructificet sibi, sed Deo ; non quæ glorificet se, sed Patrem suum qui in cœlis est. Pacem quoque non solum fratribus exhibendam dicimus in via ista ; sed cum his qui oderunt pacem, esse pacificum, portare omnes, et a nemine velle portari. Confitemur etiam non modo compassionem mortuis et orationem, sed in spe etiam congratulationem adhibendam ; quia, etsi contristandum est quod in locis purgatoriis patiuntur, multo amplius collætantum quod prope est ut abstergat Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et jam non sit neque luctus neque clamor, sed nec ullus dolor, quia prima abierunt. Sanctis vero animabus non jam imitationem, nec a sanctis angelis tantummodo quærere debemus auxilium ; sed ardentem desiderare conspe-

ctum eorum, et esse cum illis, et videre quæ sint illæ columnæ cœli, quæ sustinent orbem terrarum. in quibus rutilat et relucet tantum et tam excellens divinitatis insigne. A Domino autem non solum pietas quærenda est, sed et in cum tota affectio dirigenda, ut diligamus nos propter ipsum, et suspiciamus quæ sit illa majestas quæ cuncta faciat, cuncta contineat, et in quam desiderant rationabiles creaturæ prospicere.

6. Hæc sunt semitæ spiritualis exercitii, in quibus religiosa mens et dilatatur et delectatur, unde eorum quæ sunt retro oblita, et ad anteriora, id est æterna bona, se extendens, sequitur ad palmam supernæ vocationis. Nunquid non supra naturam beatus iste Andreas apostolus, cujus solemnitas præmanibus est, transilierat, qui dicebat : « O bona crux, diu desiderata, et jam concupiscenti animo præparata ! securus et gaudens venio ad te. » Alterati hominis est ista vox, et qui de bonis naturæ ad gratiæ bona surrexerat : ut non solum gloriaretur in spe, sed et in tribulationibus, et gaudens iret a conspectu concilii, quod dignus esset pro nomine Jesu contumeliam pati. Non modo enim patienter, sed et libenter, verum et ardentem ad tormenta sicut ad ornamenta, ad pœnas sicut ad delicias properabat.

7. Porro æterna illa bona, bona sunt, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, et quæ nunquam exeunt ab illa patria, quæ nescit nisi gaudium et jubilationem. Ibi nihil deest ; ecce abundantia, qua impleatur humana cupiditas. Quæ est ista copia, ubi nihil quod nolis sit, totum sit quod velis ? *Fiat pax*, ait Propheta ad Jerusalem, *in virtute tua, et abundantia in turribus tuis* (*Psal. cxxi, 7*). In illis, inquam, turribus, quæ juxta prophetam alium gemmis ædificabuntur, ubi adipe frumenti, non cortice sacramenti satiabit nos Deus. Quod si nihil deerit nobis, aliquid autem nobis latuerit, nunquid erit gloria consummata ? Ideo nihil latebit nos ; et ecce sapientia, qua curiositas hominis satiatur. O sapientia, qua tunc omnia quæ in cœlo et quæ in terra sunt perfectissime cognoscemus, in ipso fonte sapientiæ rerum omnium cognitionem bibentes ? Non metuum suspensiones, non timebo consilia ; quia civitas illa, juxta Joannem, purissimo vitro similis erit (*Apoc. xxi, 19*) ut, sicut per vitrum lucidissime videamus, sic aliorum conscientias clarissime videamus. Quid si et nihil defuerit, et nihil latuerit ; maneat autem timor et anxietas amittendi ? Ideo nihil terret ; et ecce potentia, qua humana infirmitas roboretur. *Qui posuit, inquit, fines tuos pacem, et confortavit seras portarum tuarum* (*Psal. cxlvii, 14, 13*) : ita ut nullus inimicus intret, nullus exire possit amicus. Ubi ergo summa abundantia, summa sapientia, summa potentia est ; puto quod nihil desit plenitudinæ beatitudinis, quantum spectat ad summam felicitatis humanæ. Hæc sunt bona naturæ, gratiæ, gloriæ ; bona humanitatis, bona virtutis, bona æternitatis. Hæc cogitemus, hæc ruminemus, fratres, et juxta præceptum legis revocemus ruminacionem (*Levit. xi, 3*), quia sic vivitur, et in talibus vita spiritus nostri. Sic enim co-

gitalio sancta servabit nos, ut dicamus cum sancto : *A Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper, Domine adjutor meus, et redemptor meus (Psal. xviii, 15).*

1118 SERMO XVII.

De triplici custodia, manus, linguæ et cordis.

1. Omnes nobis causamur deesse gratiam; sed justius forsitan ipsa sibi queritur gratia deesse nonnullos. Nempe res cordis est gratia devotionis ista, quam quærimus; et hoc munere ipse se fraudat, qui internum ei dissimulat receptaculum exhibere. Cæterum unde illi cura cordis, cui ne ipsa quidem adhuc oris circumspectio, seu manus custodia subest? Non sibi deesse miretur consummationem, qui nec initium apprehendit; sed ne is quoque qui initium jam tenere videtur, si ad medium non pervenit. Magnum est homini sæculari mundas habere manus: monacho non est magnum, sed plane magnum ei malum esse probatur, ne ipsarum quidem contagiâ declinare. Imo vero et in ipsis quoque manibus longe amplior munditia, et justitia abundantior a nobis exigitur, quam ab illis. Nimirum illis dicitur: *Fugite fornicationem (I Cor. vi, 18)*; et: *Qui surabatur, jam non suretur (Ephes. iv, 28)*; cæteraque similia: quæ qui fecerint, regnum Dei non consequentur. Nunquid et nobis ab hujusmodi contagiis operum, et tam gravi manuum contaminatione timendum est? Sed quo nitidiores manus, eo gravius quoque minor in eis nævus offendit: et sicut pretiosam vestem exigua quævis macula turpius decolorat; nobis ad immunditiam minima quælibet inobedientia sufficit; nec jam nævus est, sed gravis macula, si in actionibus nostris vel minorum residet negligentia mandatorum. Hæc igitur operum diligentia servandorum initia nostræ conversationis exercet, dum adhuc quidem modicum, sed tamen jam lumen in nobis est: nisi forte magnum se putant habere lumen, quibus Veritas ait: *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite Quia servi inutiles sumus; quæ debuimus facere fecimus (Luc. xvii, 10)*. Sed hoc, inquit propter humilitatem monuit esse dicendum. Plane propter humilitatem: sed nunquid contra veritatem? Cæterum si circa factorum quoque custodiam invenimur adhuc negligentiores, nemo sapiens eum liquare culicem moneat, qui utinam non glutiat vel camelum.

2. At si jam manus mundatæ fuerint, nec sic quidem continuo ad cor transitur: labiis sane mundandis secundum studium et media sollicitudo debetur. Quod si dixeris: Rarus est qui sermones suos in judicio disponere videatur, vel ex hoc discas quam sit rara perfectio, cum nec profectum invenieris omnibus esse communem. Quis sane numeret quantas modicum linguæ membrum contrahat sordes, quam multiplex in labiis incircumcisis immunditia coaguletur, quanta sit perniciis oris incircumspæcti? Est enim lingua dissoluta in sermonibus

(86*) Hinc colligunt nonnulli, Cisterciensibus horam aliquando ad confabulandum concessam fuisse, ut infra num. 5, « Post longas confabulationes. » Jude Vir sanctus supra in sermones, Jocos, scur-

otiosis; est lingua impudica, est et magniloqua: quarum prima lasciviæ, sequens arrogantiam famulatur. Est etiam lingua dolosa, et item lingua maledica: quarum altera in falsiloquam et adulatoriam subdividitur; altera vero nunc in facie contumelias irrogat, nunc detrahit in occulto. Quod si de omni vel otioso verbo, quodcunque locuti fuerint homines, Deo sunt reddituri rationem in die judicii (*Matth. xii, 36*); quanto districtius de verbo mendaci, mordaci et injurioso, de elato vel lascivo, de adulatorio aut detractorio judicabuntur?

3. Quam vera sententia, fratres: *In multiloquio non effugies peccatum!* (*Prov. x, 19*.) Ut enim præteream cætera, si propterea otiosum est verbum, quod nullam rationabilem causam habeat, quam rationem de eo reddere poterimus, quod est præter rationem? Nemo vestrum, fratres, parvi æstimet tempus quod in verbis consumitur otiosis: siquidem tempus acceptabile est, et dies salutis. Volat verbum irrevocabile, volat tempus irremeabile, nec advertit insipiens quid amittat. Libet confabulari, aiunt, donec hora prætereat (86*). O donec 1119 prætereat hora! o donec pertranseat tempus! donec hora prætereat, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad gloriam promerendam miseratio Conditoris indulget! donec transeat tempus, quo divinam tibi repropitiare debueras pietatem, properare ad angelicam societatem, suspirare ad amissam hæreditatem, aspirare ad promissam felicitatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem! Sic nimirum, sic agricolæ, cum diu desiderata adfuerit opportunitas seminandi; sic vinitores, cum expectatum tempus putationis advenerit, invenisse occupationes, et quasi irreprehensibiliter sine opere diem transegisse lætantur? Sic instantibus nundinis institores neclere moras, occasiones querere solent, ne quem forte sibi ex eis quæstum provenire contingat? Sic denique pauperes mendicantes, cum multis clamoribus evocatus tandem adfuerit elemosynarum distributor, diverticula captant, et concurrentibus sociis vacuos ambiunt occupare recessus, et fovere latebras in angulis platearum?

4. Utinam tamen vel solum tempus vitæ amitteretur in verbis! sed multi in his etiam vitam amittere comprobantur; nec modo ipsi amittere, sed adimere quoque; et hoc fratribus suis. An non amittunt vitam detractores, Deo odibiles, odibiles vitæ? Fugit vita quos odit: et quos vita fugit, mori necesse est. An non et ipse moritur qui venenum bibit, quod ei malesuada detractoris lingua propinat? siquidem furtim ei dilectionis vita subtrahitur, et dum nescit, paulatim in eo fraterua charitas refregit. Auditurus est forsitan ipse quoque cui detrahitur. Undique enim verba volant, et multorum prius ora sermo pertransiens, difficile fieri potest rilitates; sibi etiam detractiones arguit. Alias sane magna erat apud eos silentii religio ex sermone 3 de Adventu, num. 5 et ex aliis locis.

quin singulorum creverit linguis, et quasi jam pro-
vectus referatur ad eum, ad cuius spectat offensam.
Itaque scandalizabitur audiens, et tabescet; eoque
facilius extinguetur in eo charitas, quo amplius
ante vivere videbatur. Si inimicus, ait, meus male-
dixisset mihi, sustinuissem utique (Psal. LIV, 13). Et
quidem cavet sibi prudens auditor; cavet et ipse, si
non desipit, qui sibi noverit esse detractum: ille,
ne veneno inficiatur; iste, ne scandalo perturbetur.
Sed, quod in se est, tamen lingua maledica, et illius
percutiens conscientiam, et istius vulnerans chari-
tatem, secum pariter utrumque peremit. Nunquid
non vipera est lingua ista? Ferocissima plane: ni-
mirum quæ tam lethaliter tres inficiat flatu uno.
Nunquid non lancea est ista lingua? Profecto et acu-
tissima, quæ tres penetrat ictu uno. *Lingua*, inquit,
eorum gladius acutus (Psal. LVI, 5). Gladius equi-
dem anceps, imo triceps est lingua detractoris.

5. Nec vero ejusmodi linguam ipso etiam mucrone,
quo Dominicum latus confossum est, crudeliorem di-
cere verearis. Fodit enim hæc quoque Christi corpus,
et membrum de membro; nec jam exanime fodit,
sed facit exanime fodiendo. Ipsis quoque nocentior
est spinis, quas illi tam sublimes capiti furor militaris
imposuit; seu etiam clavis ferreis, quos sanctissimi
manibus illis et pedibus consummata Judaicæ
gentis iniquitas infixit. Nisi enim hujus, quod nunc
pungitur et transfoditur, corporis vitam sui vitæ
corporis prætulisset, nunquam illud pro isto mortis
injuriam, crucis ignominiam tradidisset. Et dicimus:
Levis res est sermo; tenera, mollis, et exigua caro
lingua hominis: quis sapiens magni pendat? Levis
quidem res sermo, quia leviter volat, sed graviter
vulnerat. Leviter transit sed graviter urit; leviter
penetrat animum, sed non leviter exit; profertur
leviter, sed non leviter revocatur; facile volat, at-
que ideo facile violat charitatem. Vilis res est musca
moriens, sed exterminat oleum suavitatis (Eccl. x, 4).
Tenerum membrum lingua, attamen vix teneri po-
test; substantia quidem infirmum atque exiguum,
sed usu magnum et validum invenitur. Modicum
membrum est; sed, nisi caveas, magnum malum.
Tenuis est et lata, aptissimum vacuandis cordibus
instrumentum, **1120** sicut multorum mihi inter
vos conscientias arbitrator attestari: nisi forte omnes
tam perfecti sumus, ut nunquam nobis post longas
confabulationes inventa sit mens quodam modo vacua,
meditatio minus devota, sicca magis affectio, et holo-
caustum orationis non adeo pingue propter verba, sive
quæ diximus, sive etiam quæ audivimus; verba tamen.

6. Facile enim lingua labitur, nec minus facile
illabitur cordi: ita ut multis inter loquendum minus
profuerit quod propriam colibuerint, dum non ca-
verint alienam. Utilis est frater qui tibi loquitur,
sapiens est, religiosus ac timens Deum; plus dico,
angelus est, et angelus lucis: etiam sic cave tibi,
ne audias unde lædaris. Nec personam tibi velim
suspectam esse, sed linguam, præsertim in sermo-
tatione communi. Bona quidem columbæ simpli-

A citas; sed in hac parte serpentis quoque astutiam
non omittas. Maria ne angelicum quidem verbum
sine discussione præteriens, *cogitabat qualis esset
ista salutatio* (Luc. i, 29). Tu quoque, qui crebris
saltem experimentis solerter advertisti, quantum
noceant verba, non desipies, si sollicitus fueris
(quandoquidem interesse necesse est colloctioni) non
modo ori circumspectionem, sed et auri nihilominus
adhibere cautelam. Non miremini quod huic gradui
proficientium diutius inmoremur: plures siquidem
inter nos proficientes esse credimus, quam perfectos.

7. Forte tamen nimii videamur in sugillatione
verborum. Sed mementote quoniam lingua est, quæ
contra vitia linguæ loquitur, ut in eo vel maxime
haberi debeat excusata, quod nec sibi parcat, et
adversus propria quoque sui ipsius pericula muniat
audientes. Ventus est sermo, sed non semper est
ventus urens. *Surge*, inquit, *aquilo; et veni, auster,
perfla hortum meum, et fluant aromata illius* (Cant.
iv, 16). Est quoque magna nihilominus sermonis
utilitas, et frequenter in lingua fructus præstiosissimi
reperitur. Nempe justus vita ex fide est, et fides
ex auditu, auditus autem per verbum Dei. Quomodo
enim vivet quis, nisi crediderit? quomodo credet,
nisi audierit? quomodo audiet, nisi annuntietur ei?
Sane propterea majorem ei diligentiam, et diligen-
tiorum custodiam convenit exhiberi, quod sit, juxta
Scripturam, *mors et vita in manibus linguæ* (Prov.
xviii, 21). Alioquin si sola inesset vita, nec circum-
cisio quidem ei; si sola mors, etiam abscisio debe-
retur. Nunc vero ponenda [*alias additur nobis*] ori
nostro custodia, et ostium circumstantiæ labiis, ut
nec vitalem ædificationem clausura damnet æterna,
nec lethalis pernicies liberum sortiatur egressum.
Vigilemus itaque super opera nostra, fratres, ne
vel omittamus quod præceptum est, vel quod pro-
hibitum est committamus. Hortatur nos ad bipartitam
hanc custodiam Propheta cum dicit: *Declina a malo,
et fac bonum* (Psal. xxxvi, 27). Vigilemus etiam nubi-
lominus super verba nostra, ne in eis vel offendere
Deum, vel proximum nocere contingat. Felix siqui-
dem, quem in omni confabulatione duplex timor ille
sollicitat, et duorum consideratio stimulat auditorum:
primum quidem divinæ majestatis, in cuius manus in-
cidere prorsus horrendum; dehinc fraternæ infirmitatis,
cui nihilominus perfacile est offendiculum dare.

8. Puto tamen ne eum quidem, qui in verbo cavet
offensionem, perfectum adhuc dici oportere, nisi
forsitan comparatione prioris, qui tantum super
opera vigilabat. Nam et Veritas in Evangelio de
vigilantibus servis, et adventum Domini præstolan-
tibus loquens: *Si*, inquit, *in tertia vigilia venerit,
et ita invenerit, beati sunt servi illi* (Luc. xii, 38).
Quod nequaquam de prima, sed nec de secunda qui-
dem dictum esse reperies. Est autem vigilia hæc su-
per cor, cui sane omnem jam custodiam adhibendam
Sapiens monet: nimirum *quia ex ipso vita procedit*
(Prov. iv, 23). Ego tamen etiam hanc constare arbi-
tror specialiter in duobus: ut videlicet super affe-

ctionum pariter et cogitationum suarum greges mens sollicita vigilanter intendat. Et bene huic datur omnis custodia, a quo cæteras quoque duas procedere constat: nisi **1121** forte, quod absit! simulationis gerantur studio, et pietatis habeant speciem, non virtutem. Sicut enim fontis vena scaturiens, nisi fossas ante repleverit adjacentes, nec reflueret, nec sedari, nec in altum sese tollere prævalebit, quod videlicet alias occupetur: sic humanus animus, donec eas, quas prædiximus, manus et linguæ custodias solerter impleat, nec ad perfectam hanc sui ipsius poterit reflecti curam, nec jucunda devotionis tranquillitate frui, nec in sublimem divinæ contemplationis proficere gradum. Eia, fratres, si supernæ visitationis gratiam quærimus, sic quæramus; si spirituales consolationes desideramus percipere, sic petamus; si cælum nobis aperiri cupimus, sic pulsemus. Hoc denique triplici modo vigilemus, si ad nuptias volumus intrare cum sponso Jesu Christo Domino nostro, qui est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XVIII.

De gaudio spirituali, seu de verbis Apostoli, « Non est regnum Dei esca et potus, » etc. (Rom. xiv, 17.)

1. Quid prætergredimur viam, qui ad gaudium properamus? Est quidem gaudium in [alias, de] regno Dei, sed non primum [alias, præmium] est. Est gaudium de regno Dei, sed non gaudium carnale, non gaudium sæculare, non gaudium cujus extrema luctus occupat, sed in quod magis tristitia vertitur: non denique gaudium eorum qui lætantur cum male fecerint, nec exultatio quæ in rebus pessimis est, sed gaudium in Spiritu sancto. Unde autem hoc gaudium interim, nisi de justitia et pace procedit? Ipsa ergo procedant tanquam cellulæ mellis, ut facile adhuc labilem liquorem suavitatis solidior possit materia continere. Erit quando jam ipso simplici melle fruamur, et gaudium nostrum plenum et purum erit, ut non modo in Spiritu, sed de ipso quoque Spiritu gaudeamus. Erit quando omnimodis erit gaudium spirituale, ut nullis jam corporeis occasionibus excitetur, non operibus misericordiæ, non lacrymis pœnitentiæ, non exercitatione justitiæ, non probatione patientiæ, sed ipsa magis præsentia Spiritus, in quem desiderant ipsi etiam angeli prospicere. Interim sane velut salis loco sapientia mihi cætera condit, tanquam non sit et ipsa cibus. Interim priusquam comedam, suspiro; et nec tunc quidem permittor, ut glutinam salivam meam. Est enim sapiens, cui quæque res sapiunt prout sunt. Cui vero ipsa jam in se, prout est, sapientia sapit, is non modo sapiens, sed etiam beatus est. Nempe hoc est videre Deum sicuti est; atque hic quidem fluminis impetus lætificans civitatem Dei; hic torrens voluptatis; hæc denique ubertas inebrians est.

2. Nunc vero, Domine, vinum non habent: deficit enim in his interim nuptiis vinum, vinum utique carnalis illecebræ et concupiscentiæ sæcularis. *Fel draconum*, inquit, *vinum eorum, et venenum aspidum insanabile* (Deut. xxxii, 33). Semper nobis hoc vinum

deficiat, fratres mei, quia non est hoc vinum bonum. Bonum vinum non ex vinea impuritatis, sed ex hydra purificationis hauritur. Bonum vinum, non ex uva Gomorrhæ conficitur, sed ex aqua Judææ. *Servasti*, inquit, *bonum vinum usque adhuc* (Joan. ii, 3, 10). Nam optimum quidem vinum servatur etiam usque adhuc, quod videlicet non ex aqua conficiendum, sed exprimendum magis ex botro illo magno terræ promissionis, qui interim in vecte portatur, dum secundum carnem novimus Christum, et hunc crucifixum. Nunquid non illi vinum defecerat qui dicebat: *Renuit consolari anima mea?* Sed et vinum aquam factum gustasse visus est, cum subjunxit: *Memor sui Dei, et delectatus sum* (Psal. lxxvi, 3, 4). Quid enim faciet in præsentia, qui in sola memoria delectatur? Sic et apostoli plane vinum aquam factum gustaverunt, quando *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habitus sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (Act. v, 41). Quomodo non vinum ex aqua, gaudium de contumelia? Nimirum implebatur jam promissio Veritatis, **1122** quæ ad eos facta erat: hoc modo: *Tristitia vestra convertetur in gaudium* (Joan. xvi, 20): hoc est, aqua vestra vertetur in vinum. Miraris quod in vinum aqua mutatur? etiam transit in panem: nisi forte oblitus es comedere panem tuum, cum de quo legisti: *Cibabis nos pane lacrymarum, et potum dabis nobis in lacrymis in mensura* (Psal. lxxix, 6). Denique audi mensuram: *Erant*, ait, *lapideæ hydræ sex positæ, secundum purificationem Judæorum* (Joan. ii, 6). Si verus Judæus es, non carne, sed spiritu; sex annis servies, in septimo liber egredieris: in sex hydris purificaberis, sex diebus operaberis, in sex tribulationibus liberaberis; et in septima non tanget te malum. Non solum autem liberaberis in eis, sed et vinum bibes ex eis, ubi cœperis juxta Apostolum gloriari non solum in spe, sed etiam in tribulationibus (Rom. v, 2, 3).

3. Hoc enim est duplex interim gaudium, quod habes in Spiritu sancto, de memoria futurorum bonorum, et malorum præsentium tolerantia. Nil quippe in his carnale sapit, nil sæculare, nil vanum; sed Spiritus veritatis et cœlestis sapientia est, cujus in utraque suavitas prælibatur. *Gaudete in Domino semper*, ait Apostolus; *iterum dico, gaudete*. Et duplicis hujus gaudii materiam secutus adjunxit: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus; Dominus prope est* (Philipp. iv, 4, 5). Quid modestia nostra, nisi mansuetudo et patientia est? Gaudeamus ergo de his quæ exspectamus, quoniam Dominus prope est. Iterum gaudeamus de his quæ sustinemus, ut modestia nostra omnibus nota sit. Nimirum *tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit* (Rom. v, 4, 5).

4. Sane ut idoneus fiat animus geminæ huic spirituali lætitiæ capessendæ, duo æque ad justitiam exercendam, duo nihilominus ad conservandam pacem necesse est præmittantur, quæ quidem utraque copiosius nobis Scriptura sacra commendat. Siquidem justitiæ exercitatio in his duobus mandatis

tota pendere videtur, ut quod sibi quis fieri non vult, alii non faciat, sicut ad gentes missa epistola apostolorum continet (*Act. xv, 23*); et quemadmodum ad eosdem apostolos Dominus dicit: *Quæcunque vultis ut vobis faciant homines, ita et vos facite illis* (*Matth. vii, 12*). Cæterum quoniam in multis offendimus omnes, impossibile est in hoc loco et tempore scandalorum (neque enim adhuc venerunt angeli, qui de regno Dei tollant omnia scandala, sed nec sumus in illa beata civitate, cujus fines pacem posuit Deus), propterea impossibile est hic et modo pacem inter nos conservari omnino, nisi et is qui in aliquo forte offendit proximum, animosam elationem: et is qui offensus est, nihilominus caveat inexorabilem obstinationem.

5. Studeamus itaque, fratres mei, et humiles ad satisfaciendum his qui aliquid habent adversum nos; et ad remittendum his qui offenderunt nos, faciles inveniri; quia non solum mutæ inter nos pacis conservatio constat in his duobus, sed nec ipsa quoque divina sine his propitiatio poterit obtineri, quod nec munus ab eo recipiat, qui non prius ierit ut fratri reconcilietur (*Matth. v, 24*); et dimissum etiam debitum ab eo districtius exigit, qui conservo suo debitum non remittit. Jam si manent in nobis justitia, pax et gaudium in Spiritu sancto, tria hæc; non quasi securi simus pro eo quod regnum Dei intra nos est, sed eo magis in timore et tremore nostram ipsorum salutem operemur, scientes nimirum, quod hunc tantum thesaurum adhuc in vasis fictilibus habeamus.

SERMO XIX (87).

De eisdem verbis Apostoli, « Non est regnum Dei esca et potus. » (Rom. iv, 17.)

1. Solet apostolus Paulus in verbis esse brevis, in sententiis copiosus. Non ignoravit hoc ille tam eloquentiæ, quam sapientiæ dotibus approbatus, **1123** qui singula Pauli verba tonitrua judicabat (87). Tam signanter enim universa depromit, et sic intonat spiritu et virtute, ut in serie ordinem, in sensu plenitudinem, in utroque connexionem mirabiliter ostendat. *Non est, inquit, regnum Dei esca et potus; sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto.* Quid ad hæc dicitis vos, gulosi et luxuriosi, quorum Deus venter est, quorum omnis usus aut in ventre, aut sub ventre est, qui, ut ait Jacobus apostolus, *in luxuriis enutristis corda et corpora vestra?* (*Jac. v, 5.*) Audite, audite: *Quia esca ventri, et venter escis; Deus autem hunc et has destruet* (*I Cor. vi, 13*). Væ vobis qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris; qui comeditis vitulum de armento, et bibitis vinum defæctum, et primis unguimini unguentis (*Amos. vi, 1, 4, 6*). *Filii hominum, usquequo gravi corde*, quia corpore pingui: *ut quid diligitis vanitatem* (*Psal. lv, 5*), et veritatem negligitis? Pinguedo carnis, delicix corporis, saturitas ventris, aut ante mortem vos deserent, aut vos in morte illas relinquetis: *Quoniam, inquit sanctus,*

(87) S. Hieronymus.

(87) Hunc sermonem memorat Nicolaus Claræ-

A *cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus. Sicut oves in inferno positi sunt: mors depascet eos* (*Psal. xlviii, 18, 15*). Quam bene, sicut oves; quia detracto vellere mundalium divitiarum dure presseque detonsi, sempiternis nudi deputabuntur incendiis. *Mors depascet eos*; quia semper morientur ad vitam, et semper vivent ad mortem. Ergo hic caro vermibus, illic anima ignibus deputatur, donec rursus infelici collegio colligati, tormentis pœnalibus societentur, qui socii fuerunt in vitiis.

2. O delicate, qui deliciis et divitiis circumfusos atque confusus, confusionem expectas et mortem; *non est regnum Dei esca et potus*, non purpura et byssus; quia dives ille utroque circumfluit, in puncto ad inferna descendit (*Luc. xvi, 19, 22*). Quid ergo? *Sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto.* Attendis et intendis quia gaudium in fine est? Sic fatui filii Adam, et præcipiti saltu justitiam transilientes et pacem, rem finalem in principium convertero et pervertere vultis? Nemo enim est qui gaudere non velit. Non stabit et non erit istud; quia sicut *non est pax impiis*, sic nec gaudere impiis, dicit Dominus (*Isa. xlviii, 22; lvii, 21*). Non sic impii, non sic. Prius est justitiam facere, inquirere pacem, et persequi eam: et sic demum apprehendere gaudium, imo a gaudio comprehendere. Sic angelicus ille conventus prius justitiam fecit, cum stetit in veritate, et veritatis deseruit desertorem. Post hæc, illa pace firmati sunt quæ exsuperat omnem sensum; quia cum diversis honorum primatibus ambiantur, nullus qui murmuret, qui invideat nullus.

3. Lauda tu, Jerusalem, Dominum; lauda Deum tuum, Sion: quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te, qui posuit fines tuos pacem (*Psal. cxlvii, 12-14*). Lauda, et laudes replica, quia munitissimis vectibus et inconvulsibilibus seris clausæ sunt portæ tuæ; nullus inimicus intrat, nullus exit amicus. Benedicti filii tui in te, omni benedictione spirituali in cœlestibus cum Christo. Jam non est timor in finibus tuis, quia posuit fines tuos pacem. Nullæ tibi tentationes; nulla sese cogitationum turba confundit; quia versipellis ille tortor longe est a muris tuis et a filiis tuis; et ille qui idem est, omnia identitate consolidat atque conjungit, *cujus participatio ejus, inquit, in idipsum* (*Psal. cxxi, 3*). Hoc jam tertio hauriunt aquas in gaudio de fontibus Salvatoris; et nudis, ut ita dicam, oculis divinitatis intuentur essentialiam, nulla corporeorum phantasmatum imaginatione decepti. Ecce gaudium in fine, sed sine fine.

4. Miseri nos, qui ab illa felici regione repulsi, in hanc descendimus, imo cecidimus vanitatem. *Filii Sion, ait propheta, inclyti, et amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea* (*Thren. iv, 2*). Filii Sion, illius videlicet speculativæ civitatis, quam ædificavit Dominus, ut videatur in gloria sua: filii supernæ Jerusalem, quæ libera est, quæ est mater

Vallensis in epistola 24, ad abbatem Cellensem, ut in Præfatione hujus tomi dictum est.

nostra; inelyti per dignitatem conditionis, amici A auro primo per divinitatis imaginem. Quomodo ergo ex his nos quidem reputati sumus in vasa testea, in hæc lutea et fragilia corpora degeneravimus? **1124** Exhibent enim angeli, fratres charissimi, justitiam Deo, pacem inter se, gaudium sibi. Sic et tu, homo, noli prius rapere quod tuum est; et justitiam quam Deo, et pacem quam proximo debes, contemnere. Justitia virtus est, qua redditur unicuique quod suum est. Tu non solum justitiam, sed multas et multiplices justitias debes Creatori. *Justus enim Dominus, et justitias dilexit (Psal. x, 8). Justitia tua sicut montes Dei (Psal. xxxv, 7).* Bene, *sicut montes*, quia plures cumulos miserationum suarum ingessit tibi.

5. Et prius quidem te cum cæteris, et inter cætera creavit, non sine magnæ prærogativa dignitatis. Dixit enim de omnibus, et facta sunt. Post hæc, vehementissimo tui amore inflammata, majestas illa redemit te. Nunquid verbi facilitate? Non: sed triginta et tribus annis operatus est salutem tuam in medio terræ, affixus cruci, addictus morti, ludibriis deputatus. Deus tuus factus est frater tuus, non angelorum frater; quia nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Commune quidem habes quod factus es; quod frater es, speciale. Adjecit adhuc erga nos specialius quiddam, quod de lata nos et spatiosa via, quæ ducit ad mortem, digito suo traxit, et posuit in concilio justorum et congregatione. Quid ultra debuit facere, et non fecit? Cujus vel saxæum pectus tanta et talis, a tanto et tali collata beneficiorum multitudo non emolliat? Quidquid igitur es, quidquid potes, debes creanti, redimenti, vocanti.

6. Sed cum justitiam feceris, fac et pacem. Quandiu enim sumus in hoc vase testeo et fragilitate complexionis humanæ, non possumus inveniri scandalorum prorsus immunes. Si igitur recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversum te, sis humilis ad veniam petendam; si tu habes adversus illum, sis facilis ad dandam; et omnia membra erunt in pace. Sic enim ad duo ista, charitatem et humilitatem, paratissimi, non poterimus dissensionem sentire. *Discite, inquit, a me, quia mitis sum et humilis corde (Matth. xi, 29): mitis*, quod pertinet ad charitatem, quia charitas patiens est, benigna est; *humilis*, quod ad ipsam verbi spectat proprietatem. Sic procedentibus erit gaudium in Spiritu sancto. Loquar quod expertus novit, inexpertus ignorat: *Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei (I Cor. ii, 14).* Nunquid non plerumque orantibus nobis omnia viscerum succutiuntur occulta ad memoriam gaudii illius, quod est in Jerusalem quæ sursum est, quæ est mater nostra; et lacrymarum unda vultus meditantium superfundit? O si duraret! *Si oblitus fuero tui, Jerusalem, oblivioni detur dextera mea; adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ (Psal. cxxxvi, 5, 6).* Vere in principio lætitiæ, quia finis illic repositus est.

7. Quando consciades sæcum meum, Domine Jesu, et circumdabis me lætitia, ut cantet tibi gloria mea, et non compungar? Principium gaudii illius, quod hic quandoque sentimus, stilla est, guttula est de flumine illo descendens, cujus impetus lætificat civitatem Dei. Quando veniet tempus, ut perennibus gaudiis in ipso divinitatis fonte profundius immergamur, ubi unda undam sine intercapedine et interpolatione continuet? Quando veniam et apparebo ante faciem Domini? Quando transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei? Quando, sicut audivimus, sic videbimus in civitate Domini virtutum? Eia igitur, fratres, huic felici ternario fideliter insistamus, et semper simus memores verbi illius: *Amice, ad quid venisti? (Matth. xxvi, 50.)* Quia non ad hoc venimus, ut simulatoria specie regem interficiamus; sed ut ei serviamus, qui est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XX

De verbis Domini, « Omnis qui se exaltat, humiliabitur: et qui se humiliat, exaltabitur. » (Luc. xviii, 14.)

1. Si consideremus diligenter, fratres, gradus hominum, quatuor inveniemus: dico autem summam **1125** felicitatem in celo, ad quam suspiramus; mediam felicitatem in paradiso, unde cecidimus; itemque mediam infelicitatem in hoc mundo, pro qua gemimus; et in inferno extremam infelicitatem, quam merito formidamus. Brevius tamen dicere possum, vitam, et umbram vitæ; umbram mortis, et mortem. Itaque nec in summo, nec in imo positi, timemus descendere, ascendere cupimus, eo magis anxii, quo videmur viciniore infimis, quam supremis; et ecce dicitur nobis: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur.* Quidnam sibi vult cancellata hæc connexio exaltationis et humiliationis? Itane parum est, Domine, quod in veritate tua humiliasti nos, qui adhuc exigis ut apponat homo humiliare se ipsum? Et quidem restat adhuc quo possimus humiliari; sed qui illo ceciderit, jam non adjiciet, ut resurgat; et qui humiliatus fuerit usque illuc, frustra speret exaltationem: siquidem humiliasti nos in loco afflictionis, et cooperuit nos umbra mortis. Usque adeo vita nostra inferno appropinquavit: quo nos humiliabimus ultra? Quæ utilitas in sanguine nostro, si descenderimus in corruptionem? Sane nihil aliud infra nos est, quam irreparabilis illa corruptio. Post umbram mortis non restat nisi mors; post locum afflictionis, solus superest locus mortis.

2. *Qui se, inquit, humiliat, exaltabitur.* Si dixisset: Qui humiliatus fuerit, exaltabitur, exultassem utique, tanquam certissime humiliatus, et vehementer. Nunc vero cum dicat: *Qui se humiliat, exaltabitur*, angustix mihi sunt undique; nec ignoro quid eligam, sed quid agam. Exaltari cupio, quia summopere id necessarium: siquidem neque hic manentem habeo civitatem; nec bonum esset hic manere, etiamsi liceret. Porro inferius adhuc ire, perire est. Jam enim locum teneo inferiorem, et qui solum habeat infra se infimum, hoc est infer-

num. Si me illuc humiliavero, non est spes exaltationis; si me non humiliavero, identidem desperatio est exaltationis; quia *qui se humiliaverit, exaltabitur*, et is tantum. Si hoc egero, mors mihi est; si autem non egero; ab exaltatione repulsus, nec sic effugiam manus mortis. Sed si hoc difficile paret, saltem quod præmissum est consideremus.

3. *Omnis qui se exaltat, ait, humiliabitur.* Quem enim Veritas humiliat, ipse quomodo se exaltat? Neque hic dicimus quo, sed quomodo; quia non locus videtur deesse, sed virtus. Non, inquam, deest homini quo exaltare se possit, sed deest omnino qui possit. Est quidem voluntas multa, sed nulla facultas. Nempe, velint, nolint homines, communis totius Adæ, totius humani generis vox est: *In veritate tua humiliasti me (Psal. cxviii, 75)*. Quisquis autem in veritate humiliatur, veraciter humiliatur, nec nisi fallaciter exaltatur. Quid est autem fallaciter exaltari, nisi vere non exaltari? Gratias ei, quia non dixit: *Omnis qui se exaltaverit, exaltabitur.* Quomodo enim conaremur in vanum exaltari, si id arbitraremur, quando ne ipsa quidem nunc desperatio proficiendi, appetitum cohibet exaltandi? Et forte hoc est, quod ait: *Qui se exaltat, humiliabitur: nec pertinet ad affectum, qui nullus est; sed ad affectum, qui stultus est.*

4. Quantos enim videmus humiliatos, sed non humiles; percussos, sed non dolentes; curatos quidem a Domino, sed nec ipsa curatione sanatos? Hi sunt qui sub sentibus esse delicias computant (88), dissimulantes peccata quæ actant, lubricum in quo titubant, tenebras quibus caligant, laqueos inter quos ambulant, locum afflictionis quem inhabitant, corpus mortis quod gestant, jugum grave quod tolerant, graviores conscientiam quam occultant, gravissimam sententiam quam exspectant. Talis ille erat, cui Joannes in Apocalypsi scribere jubebatur: *Dicis: Quia dives sum, et nullius egeo; et nescis quia tu es pauper, et miser, et miserabilis, et cæcus, et nudus (Apoc. iii, 17)*. Nec mirum si sit vana et mendax exaltatio filiorum hominum, siquidem vani sunt et mendaces. Humiliat **1126** eos veritas, exaltat vanitas: et dilexerunt magis tenebras quam lucem, amplectentes exaltantem se vanitatem, et quærentes mendacium; porro contra veritatem quæ se humiliat, votis et studiis quibus possunt, dissimulationibus et conatibus frivolis recalitrantes.

5. Fecimusne aliquid? Puto quia invenimus etiam quomodo humiliet homo se ipsum. Dico autem ut adhæreat [*alias, adhibeat voluntatem*] humilianti se veritati, nec dissimulet, sed cooperetur ei devoto pietatis affectu. Proinde cavebo deinceps, quam sollicite potero, duritiam cordis: sentiam et plangam dolorem meum, ne, si forte iusensibile fuerit, sit etiam insanabile vulnus meum. Ero igitur vir videns paupertatem meam in virga indignationis

(88) 2368 C. computant. — Hæc loquendi formula occurrit in lib. iii de Imitatione Christi, cap. 20, in fine. Eadem rursus infra in sermone 28.

(88') Ille sermo tribuitur alicubi Nicolao Claræ-

A ejus, ne veniat anima mea in consortio eorum, de quibus Veritas ait: *Percussi eos, et non doluerunt (Jerem. v, 3)*: et iterum: *Curavimus Babylonem, et non est sanata (Jerem. li, 9)*. Gravis curatio humiliatio hæc, sed gravior morbus superbia est: quæ utinam sic curetur, ut sanetur hac cura! Consentiam itaque adversario meo, acquiescam judici meo, cedam denique urgenti aculeo, ne bis pungar. Tale enim reor esse quod Dominus ait: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur.* Ac si dicat: Quisquis contra stimulum recalitraverit, duplo pungetur: parceret autem ei qui consecrasset, et dederit locum iræ.

SERMO XXI (88').

De verbis Sapientiæ (x, 10): « Justum deduxit Dominus per vias rectas, » etc.

1. Est justus, qui in principio sermonis accusator est sui (*Prov. xviii, 17*); et est justus, qui ex fide vivit (*Rom. i, 17*); et est justus, qui absque terrore est (*Prov. xxviii, 1*). Et primus quidem bonus, quia accedit ad viam; secundus melior, quia currit per viam; tertius optimus, quia jam appropinquat ad finem viæ. Hic tamen accipiamus primum, quem velocius invenimus. Hunc deduxit Dominus, et non alius; quia ipsius est de via iniquitatis ad viam veritatis reducere, et deducere, et ducere per eam. *Per vias, inquit, rectas.* Viæ Domini viæ rectæ, viæ pulchræ; viæ plenæ, viæ planæ. Rectæ sine errore, quia ducunt ad vitam; pulchræ sine sorde, quia docent munditiam; plenæ multitudine, quia totus jam mundus est intra Christi sagenam; planæ sine difficultate, quia donant suavitatem. Jugum enim ejus suave est, et onus ejus leve (*Matth. xi, 30*). *Et ostendit illi regnum Dei.* Regnum Dei conceditur, promittitur, ostenditur, percipitur. Conceditur in prædestinatione, promittitur in vocatione, ostenditur in justificatione, in glorificatione percipitur. Unde est illud: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum Dei (Matth. xxv, 34)*. Sic enim ait Apostolus: *Quos prædestinavit, hos et vocavit: et quos vocavit, illos et justificavit: quos autem justificavit, illos et magnificavit (Rom. viii, 30)*. In prædestinatione est gratia, in vocatione potentia, in justificatione lætitia, in magnificatione est gloria.

2. *Et dedit illi scientiam sanctorum.* Scientia sanctorum est, hic temporaliter cruciari, et delectari in æternum. Et in contrarium scientia malorum relabitur. Alia est scientia mundi, quæ docet vanitatem; et alia scientia carnis, quæ docet voluptatem. Illa tanquam pater, ista tanquam mater nobis est. Sicut enim mater filio suo semper optat quietem, et omnem prorsus laborem claudit a filio suo: sic caro incrassata, impinguata, dilatata, recalitrat, nec minimis saltem digitis patitur se contingi. Et sicut pater vult filium suum huc illucque discurs-

Vallensi in Octava sancti Andree. At cum non sit unus ex illis novemdecim, quos Nicolaus Henrico Trecentium comiti nuncupavit, Bernardo hunc tribuere malim.

rere, ut addiscat unde aliquando magnificetur : sic et mundus vult hominem multis laboribus intricari, ut habeat unde superbiat, unde infletur, et desipiat de vanitate in idipsum. Sanguisugæ duæ sunt filiæ, id est propriæ voluntatis, quæ quasi radix est, duæ filiæ sunt, vanitas **1127** et voluptas, clamantes : *Affer, affer.* Hæc nunquam saliantur, nunquam dicunt : Sufficit. Si quis has plenius in se contriverit, non immerito sibi illam vocem poterit coaptare : *Quoniam, inquit, pater meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me (Psal. xxvi, 10).*

3. Honestavit illum in laboribus. Nonne nos et in ipsis laboribus nostris honestamur, cum omnia quæ facimus, ad unitatis vinculum adunamus, ut non in nobis sit pondus et pondus, mensura et mensura, quia utrumque abominabile est apud Deum? Nonne et hæc vilitas, hæc deformitas, hæc semineciantia honorantur et adorantur a principibus terræ (89)? Væ nobis, si exultaverimus nisi in Christo, et pro Christo! væ nobis, si vendibilem obtulerimus paupertatem! *Et complevit labores illius* : vel hic in perseverantia, ut usque in finem justitiam non derelinquat; vel illic in gloria, ut gaudeat in æternum. Felix utraque completio, cum et hic moritur justus plenus dierum, et illic oritur in plenitudine [*alias, longitudinem*] dierum : utrobique plenus; et hic gratia, et illic gloria, quia gratiam et gloriam dabit Dominus (*Psal. Lxxxiii, 12*). Amen.

SERMO XXII.

De quadruplici debito.

1. In via estis, fratres, quæ ducit ad vitam, in via recta et impolluta, quæ ducit ad civitatem sanctam Jerusalem illam, quæ libera est, quæ sursum est, quæ est mater nostra. Arduus quidem ascensus ejus, utpote per ipsam montis summitatem incisus; sed via compendiosior laboris magnitudinem vel temperat, vel excludit. Vos autem tam felici facilitate, quam facili felicitate viam istam non solum itis, sed curritis; quia exonerati estis et accincti, nihil ponderis super dorsa portantes. Non sic aliqui, non sic, qui quadrigas et quadrigalia onera pertrahentes, montis circuitum ambire decernunt, et plerumque per devexa montis præcipitantur, ut vix finem inveniant vitæ suæ. Felices igitur vos, qui vos et vestra sine omni exceptiuncula reliquistis, per ipsum montis verticem iter facitis ei, qui ascendit super occasum: Dominus nomen illi (*Psal. Lxvii, 3*). Illi vero, qui, quamvis Ægyptum fugerint, tamen ad quæque Ægyptia tenerrime resuspirant, viam civitatis habitaculi non invenerunt; sed voluntatum suarum gravissimis sarcinis prægravati, vel sub onere, vel cum onere cadunt, ut vix ad cursum perveniant destinatum.

2. Quid enim est (gratias illi, cujus gratia hoc totum factum est) quod vita vestra vitam apostolicam repræsentet (89)? Illi reliquerunt omnia, et in

(89) Illis verbis designatur Cisterciensium vilis habitus, regibus nihilominus venerabilis. Vide præfationem ad hunc tomum, num. 45.

A schola Salvatoris sub ejus præsentia congregati, hauserunt aquas in gaudio de fonte Salvatoris, ipsum vitæ fontem in ipso fonte bibentes. Beati oculi qui viderunt. Nunquid non et vos, non in præsentia, sed in absentia ipsius; non ad verba oris ejus, sed ad vocem nuntiorum ejus, simile aliquid fecistis? Defendite vobis hanc prærogativam, quod illi ad visum et ad verbum, vos ad auditum et nuntium credidistis. Sic state in Domino, charissimi, ut quemadmodum illi in fame et siti, in frigore et nuditate, in laboribus et jejuniis, et vigiliis, et cæteris observantiis justitiæ viam regiam tenuerunt: sic et vos, etsi non eorum meritis, tamen exercitiis aliquatenus coæquati, dicatis Domino Deo vestro, cum veneritis ante thronum gloriæ ipsius: *Lati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala (Psal. Lxxxix, 15).* In veritate dico vobis; quia in veritate estis in via recta, in via sancta, quæ perducit ad Sanctum sanctorum. Mentior (quod ad consolationem vestram dico) si non ex manibus hujus peccatoris, monachorum, novitiorum et conversorum animæ ad cælestia gaudia volaverunt, tam liberæ quam liberatæ de carcere nostræ mortalitatis. Si quæritis unde id sciam, scitote quia certissima mihi signa inde facta sunt et ostensa.

1128 3. Non est igitur quod vobis vel pro vobis timeam a viribus Satanæ et ministrorum ejus, cum noverim illius fortitudinem per Redemptoris vulnera traductam et deductam ad nihilum. In spiritu enim fortitudinis fortem fortior ille contrivit, portas æreas et vectes ferreos confringens. A versutiis et astutiis illius formido mihi est pro vobis, in quibus partim subtilitate naturæ, partim experientia temporum sub tot annorum millibus eruditus, fragilitatem humanæ naturæ, quaquaversum se verterit, non ignorat. Sic ille insatiabilis homicida primis parentibus nostris non ursos, non leones, non fortia terræ animalia delegavit; sed tortuosum et callidum serpentem, qui per sinuosa volumina nunc caput cauda, nunc caudam capite tegere consuevit. Denique et serpens non fortior erat, sed *callidior cunctis animantibus terræ*, ait Scriptura. Unde et ab interrogatione incæpit, mentem mulieris explorans, sciens, ingenio, non viribus laborandum. *Cur præcepit vobis Dominus Deus*, inquit, *ne comederetis de ligno scientiæ boni et mali? Quæ respondit: Ne forte moriamur (Gen. iii, 1-3).* Quod Deus pro certo posuerat, dicens: *Quacunque die comederitis, morte moriemini (Gen. ii, 17)*; ista sub dubio supponit, *ne forte*, inquit, *si comederimus, moriamur.* Et audi ingenium malitiamque serpentis. *Nequaquam*, inquit, *moriemini (Gen. iii, 4).* Deus affirmat, mulier dubitat, Satan negat. Sic et ego timeo, ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, sic et sensus vestri corrumpantur a castitate, quæ est in Christo Jesu (*II Cor. xi, 3*).

(89) Id explicat Bernardus infra Sermone 27 de Diversis, num. 3 et Sermone 37, num. 7.

4. Putasne, aliquis in vobis est, cui dicat in cogitationibus suis : Cur præcepit vobis Deus, ut istam Regulam teneretis? Secundum enim impetum spirituum vestrorum huic tepido remissionem, illi ferventi vitam arctiorem proponit, hoc solum expetens et expectans, ut quoquo modo tollat eum a concilio justorum et congregatione. Profecto spiritus ille, qui tibi hoc suggerit, spiritus mendax est, spiritus potestatem habens, qui tibi invidet locum tuum. Unde et Sapiens hujus rei non ignarus : *Si spiritus potestatem habentis super te ascenderit, ait, locum tuum ne dimiseris (Eccl. x, 4)*. Absit enim ut Spiritus veritatis, qui te huc adduxit, te reducere velit; quia non est in ore ejus: Est et Non; sed est in illo Est, sicut irrefragabilis auctoritas testatur. *Nemo, ait Apostolus, loquens in Spiritu Dei, dicit anathema Jesu (I Cor. xi, 3)*. Jesus Salvator sive *salus*; anathema, *separatio* interpretatur. Qui vero tibi separationem a salute submurmurat, nec Dei Spiritus est, nec a Deo; quia Spiritus sanctus non dispergere, sed colligere venit, qui semper revocat dispersos Israel in terram suam.

5. Quid? vitam fortiorem aliquis quærat? Dico vobis quia ista fortissima est, et quæ ex omni parte, si dissimulare nolueris, primæ illi scholæ Salvatoris pro sua possibilitate respondeat. An audes ad molliorem vel cogitando descendere? O si cognovisses et tu, quam multa et quam multis debeas! videres quam nihil sit quod facis, quam nec inter minima numerandum ad comparisonem debitorum tuorum. Vis scire quæ et quibus debeas? Primo Christo Jesu debes omnem vitam tuam, quia ipse vitam suam posuit pro vita tua; et cruciatus amarus sustinuit, ne tu perpetuos sustiperes. Quid tibi durum vel durum esse poterit, cum recordatus fueris quia ille, in forma Dei, in die æternitatis suæ, in splendoribus sanctorum ante luciferum genitus, splendor et figura substantiæ Dei, venit ad carcerem tuum, ad limum tuum, infixus, ut dicitur, usque ad cubitos in limo profundi? Quid non suave tibi, cum tibi collegeris omnes amaritudines Domini tui, et rememoraberis primum quidem illarum infantillum necessitatum; deinde, laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in jejunando, vigiliarum in orando, lacrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo: postremo, **1129** periculorum in falsis fratribus, conviciorum, sputorum, colaphorum, flagellorum, irrisioaum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumque similitum, quæ in salutem nostri generis triginta et tribus annis operatus et passus est in medio terræ (90)? O quam indebita miseratio, quam gratuita et sic probata dilectio, quam inopinata dignatio, quam stupenda dulcedo, quam invicta mansuetudo! Regem gloriæ pro despiciatissimo vernaculo, imo vermiculo crucifigi! Quis audivit unquam tale? aut

(90) Iisdem verbis usus est Bernardus in sermone Feriæ 4 majoris hebdomadæ, num. 11, et sermone 43 in Cantica num. 3. Sic se ipse quandoque exscribit,

A quis vidit huic simile? Vix enim pro justo quis moritur: ipse pro injustis et inimicis mortuus est, eligens exulare a cœlis, ut nos reportaret ad cœlos, amicus dulcis, consiliarius prudens, adjutor fortis.

6. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Nonne, si conferrentur in me omnes vitæ florum Adam, et omnes dies sæculi, et labores omnium hominum qui fuerunt, qui sunt, et qui erunt, nihil esset ad comparisonem corporis illius, quod spectabile et stupendum est virtutibus etiam supernis, in conceptu de Spiritu sancto, in ortu de Virgine, in vitæ innocentia, in doctrinæ affluentia [*alias, fluentis*], in coruscationibus miraculorum, in revelationibus sacramentorum? Vides igitur, quia, sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltata est vita illa a vita nostra: quæ tamen posita est pro vitâ nostra. Sicut nihil ad aliquid nullam habet comparisonem, ita et vita nostra nullam habet ad vitam illius proportionem; cum illa dignior, ista miserior esse non possit. Nec me putes rem exaggerare sermonibus; quia hic deficit omnis lingua, nec sufficit oculus [*alias, animus*] vel ad intuemum tantæ dignationis arcanum. Cum ergo ei donavero quidquid sum, quidquid possum, nonne istud sic est, sicut stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad turrim, pulvis ad montem, granum ad acervum? Non habeo nisi minuta duo, imo minutissima, corpus et animam; vel potius unum minutum, voluntatem meam: et non dabo illam ad voluntatem illius, qui tantus tantillum tantis beneficiis prævenit, qui toto se totum me comparavit? Alioquin si illam retinero, qua fronte, quibus oculis, qua mente, qua conscientia vado ad viscera misericordiæ Dei nostri; et audeo perfodere illud fortissimum propugnaculum, quod custodit Israel; et illius sanguinis, non guttas, sed undas a quinque partibus corporis in meum pretium detorquere? O generatio perversa, et infideles filii! quid facietis in die calamitatis de longe venientis? ad cujus fugietis auxilium?

7. Sed nunquid huic soli debitor sum, cui vix parum aliquid retribuere possum? Exigunt a me præterita peccata mea futuram vitam meam, ut faciam fructus dignos penitentia, et recogitem omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Et ad hæc quis idoneus? Peccavi super numerum arenæ maris, et multiplicata sunt peccata mea, et non sum dignus videre altitudinem cœli præ multitudinem iniquitatis meæ, quoniam irritavi iram tuam, et malum coram te feci. *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus; comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem (Psal xxxix, 13)*. Quod ergo sine numero est, quomodo numerabo? Quomodo satisfaciam, cum cogar reddere debitum usque ad novissimum quadrantem? Sed et delicta quis intelligit? Ait illa cœlestis fistula (90) Ambrosius: « Facilius inveni eos qui innocentiam

ut supra in sermonibus de S. Malachia, num. 5.

(90) Sic Norberti os cœlestem fistulam appellat epistola 56.

servaverunt, quam qui congruam egerunt poenitentiam (Lib. II de Poenit. cap. 10). » Sed et quantumlibet poeniteat, quantumlibet se afflicet et maceret; propter nomen tuum, non propter meum [alias, poenitentia] meritum, propitiaberis peccato meo, Domine, ait justus; multum est enim (Psal. xxiv, 11). Cum ergo quidquid vivis, quidquid sapis, quidquid habes, quidquid potes, huic uni rei dedicaveris, nunquid est, vel inter aliqua computandum? Paulo ante vitam tuam pro vita sua Christo reddideras; et nunc iterum eam totam præcedentium exigit recordatio peccatorum. Nunquid, ut vulgo dicitur, de una filia duos generos statuisti facere?

1130 8. Quid si tertium tibi debitorem ostendam, qui non minus acriter, quam veraciter vindicet eam sibi? Puto quod et tu possidere desideras civitatem, de qua dicitur: *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei* (Psal. lxxxvi, 3); gloriam illam, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, regnum omnium sæculorum, vivere in æternam, in perpetuas æternitates. Credo quod velis esse æqualis angelis Dei in cœlo, esse etiam hæres Dei, cohæres Christi et in plateis supernæ Sion melos angelicum auscultare, et videre quidquid illud sit, cum Christus tradiderit regnum Deo Patri, et erit Deus omnia in omnibus; postremo esse similis Deo, et videre eum sicuti est. Nec dubito quin et concupiscas suspicere et umbras declinantes, et diem aspirantem, cum illuxerit illa solemnis dies, et nubila rerum excusserit; quando jam non inclinabitur dies, sed erit æterna meridies; quando erit plenitudo fervoris et lucis, solis statio, tenebrarum exterminatio, desiccatio paludum, fetorum depulsio. Nonne ad hoc emendum totum te, quæcunque, et undecunque contrahere poteris, dare oportebit? Et cum universa compleveris, non tamen putes esse condignas passiones hujus temporis vel corporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. An sic impudens es, vel imprudens, ut minutum tuum, quod sibi tam Christi vita, quam peccati poenitentia certatim rapiunt, etiam ad hoc conquiendum vel audeas numerare?

9. Quid dices, si et quartum debitorem in medium adduxero, qui sibi etiam jure primatus sui superiores tres cedere velit? Ecce in januis est qui fecit cœlum et terram: et Creator tuus est, tu creatura; tu servus, ille Dominus; ille sigulus, tu figmentum. Totum ergo quod es, illi debes, a quo totum habes; illi præcipue Domino, qui et te fecit, et benefecit tibi, qui tibi ministrat siderum cursus, aeris temperiem, fecunditatem terræ, fructuum ubertatem. Huic revera totis medullis, totis viribus serviendum; ne forte indignationis oculo te respiciat, et despiciat, et conterat in æternum et in sæculum sæculi. Non arbitror autem quod te tanta raptet insania, ut et hic minutum tuum nominare, nedum numerare præsumas. Expone ergo mihi, cui horum quatuor proponas reddere quod debes, cum unusquisque tantus exactor sit (91), ut te possit singulariter suffocare.

(91) In vulgatis, unusquisque tam internus quam externus exactor sit.

A Eia, Domine, vim patior, responde pro me. In manus tuas, Domine, commendo minutum meum: tu persolve omnibus, tu ab omnibus libera, quia tu es Deus, et non homo; et quod hominibus impossibile est, possibile est tibi. Quod habui, et feci: Domine, habe me excusatum, quia imperfectum meum viderunt oculi tui. Quis ergo amplius grunnet, dicens: Nimum laboramus, nimum jejunamus, nimum vigilamus; cum nec millesimæ, imo nec minimæ parti debitorum suorum valeat respondere? Hæc est fortasse, fratres, illa vera vestra Quadragesima, non exterior, sed interior, quæ non corticem sacramenti, sed adipem frumenti contineat. Si enim unicuique istorum quatuor et pro se, et per se, omnem decalogi perfectionem debetis: profecto decem quater ducta quadragesimam vestram faciunt, quam custodire vos oporteat omnibus diebus vitæ vestræ. Et ipse qui vos congregavit in loco isto, vitam vestram conservet in opere sancto; ut cum ipse apparuerit vita vestra, et vos appareatis cum ipso in gloria.

SERMO XXIII.

De discretione spirituum [Alias, De septem spiritibus].

1. Magister gentium Paulus, ex occasione ipsius spiritualis naturæ, qua vivimus, ad spirituales conversationem excitans discipulos, ait: *Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus* (Galat. v, 25). Ac si dicat: Si caro non prodest quidquam, sed spiritus est qui vivificat ipsam, separare oportet pretiosum a vili, et digniorem præponere partem, ut secundum spiritum ambulemus, **1131** non secundum carnem. Ad spiritum enim debet fieri conversio carnis, ut serviat ipsa, et non serviatur ei, ut dicat spiritus servo suo: Veni, et veniat: Fac hoc, et faciat illud. Sic enim erit uxor nostra sicut vitis abundans, et salvabitur per generationem filiorum, qui sunt opera bona, si fuerit ipsa quidem in lateribus domus nostræ, id est in abscondito et humili loco; anima vero resideat in medio tanquam domina, tanquam paterfamilias, tanquam iudex; ut fiat quod scriptum est: *Anima mea in manibus meis semper* (Psal. cxviii, 109). Maledictus enim spiritus ille, qui partem suam deteriorem facit. Maledictus homo, qui pascit sterilem, et viduæ non benefacit. Denique, ut testatur idem Apostolus, si secundum carnem vixerimus, moriemur; quoniam, qui in carne ambulant, Deo placere non possunt (Rom. viii, 13, 8); et qui seminant in carne de carne metent corruptionem (Galat. vi, 8). Si autem spiritu facta carnis mortificaverimus, vivemus; quoniam, qui spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt (Rom. viii, 13, 14); et qui seminant in spiritu, de spiritu metent vitam æternam (Galat. vi, 8).

2. Prudenter proinde, fratres, et non ad insipientiam nobis, spirituales elegimus vitam, castigare scilicet corpus, et servituti subicere; et Deum, qui Spiritus est, adorare in spiritu et veritate. Sed, quia spirituum diversa sunt genera, necessaria est nobis eorum discretio, præsertim cum ab apostolo

didicerimus, non omni spiritui esse credendum (I Joan. iv, 1). Videri enim potest minus eruditus, et qui parum exercitatos habent sensus, omnem cogitationem non alterius, quam ipsius humani spiritus esse sermonem: quod non ita esse et certa fidei veritas probat, et divinarum testimonia Scripturarum. *Audiam*, inquit Propheta, non quid ego loquar, sed *quid loquatur in me Dominus Deus* (Psal. lxxxiv, 9). Et alius propheta: *Angelus*, inquit, *qui loquebatur in me* (Zach. i, 9), etc. Et in psalmo didicimus fieri immissiones etiam per angelos malos (Psal. lxxvii, 49). Unde et timet Apostolus, ne, sicut serpens decepit Evam astutia sua, sic et discipulorum quibus loquitur corda decipiantur (II Cor. xi, 3), ab eo utique, cujus ipse Paulus astutias non ignorat: unde et dicit: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum* (Ephes. vi, 12). Esse autem spiritum carnis non bonum, manifeste idem Apostolus indicat, ubi inflatos spiritu carnis suæ quosdam esse testatur (Coloss. ii, 18). Et esse etiam spiritum hujus mundi declarat, ubi gloriatur in Domino pro se pariter et pro discipulis suis, non quod eum acceperint, sed spiritum, qui a Deo est, *ut sciamus*, inquit, *quæ a Deo donata sunt nobis* (I Cor. ii, 12).

3. Sunt ergo hi duo satellites maligni illius principis tenebrarum; ut dominetur spiritus nequitiae spiritui carnis, et spiritui hujus mundi. Quisquis ergo ex his tribus spiritibus spiritui nostro loquatur, ne credamus ei; quoniam sanguinem sitiunt, non quidem corporum, sed quod gravius est, animarum. Sed quoniam spiritualis omnium natura est, a sermonibus eorum cognoscemus eos: et quis spiritus sit qui loquatur, ipsa suggestio declarabit. Semper enim spiritus carnis mollia, spiritus mundi vana, spiritus malitiæ semper amara loquitur. Quoties ergo importune ut assolet, carnalis cogitatio mentem pulsat: verbi gratia, cum de cibo, de potu, de somno, caterisque similibus ad carnis curam pertinentibus cogitantes, humano quodam modo inardescimus desiderio, certum sit nobis spiritum carnis esse qui loquitur, et tanquam adversarium repellamus eum, dicentes: *Vade retro, Satana, quoniam non sapias ea quæ Dei sunt* (Marc. viii, 33), sed magis sapientia tua inimica est Deo. Cum autem non de illecebris carnis, sed de ambitione sæculi, de jactantia et arrogantia, cæterisque similibus cogitatio vana versatur in cordibus nostris, spiritus mundi est qui loquitur, longe perniciosior hostis, et majori sollicitudine repellendus. Interdum vero satellitibus istis terga vertentibus, princeps ipse habens iram magnam, tanquam leonem, insurgit adversus nos; cum videlicet non ad voluptatem carnis, aut sæculi vanitatem, sed ad iram, ad impatientiam, **1132** ad invidiam, ad amaritudinem animi provocamur: importune inge-
rendo, si quid minus amicabiliter, minusve discrete factum videtur aut dictum; si qua denique aut in signo, aut in opere quolibet data videtur indignationis occasio, materia suspitionis. Huic ergo cogi-

tationi non aliter, quam ipsi diabolo resistendum est: nec aliter ab ea, quam ab ipsa perditione cavendum. Scriptum est enim: *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (Luc. xxi, 19).

4. Fit tamen aliquando, ut spiritus noster a quolibet horum trium crebro superatus, et servus illi addictus, in suam ipsius perniciem, heu! vices illius agat, ut jam sine omni alterius spiritus suggestionem ipsa ex se anima aut voluptuosas, aut vanas, aut amaras pariat cogitationes. Jam vero non facile arbitror posse discerni, quando noster ipse loquatur spiritus, quando loquentem alterum audiat quemlibet e tribus illis. Sed quid refert quicumque loquatur, dum unum et idem sit quod loquuntur? Quid refert loquentis nosse personam, dum constat perniciosum esse quod loquitur? Si inimicus est, resiste viriliter inimico: si tuus ipse spiritus est, argue eum, et miserabiliter plange, quod in tantam miseriam et tam miserabilem devenit servitutem.

5. Quoties vero super castigando corpore, humiliando corde, servanda unitate [alias, virtute patientiæ], et charitate fratribus exhibenda, seu cæteris virtutibus acquirendis, conservandis, amplificandis, salubris cogitatio in mente versatur, divinus sine dubio Spiritus est qui loquitur, aut per seipsum sane, aut per angelum suum. Et quemadmodum de humano atque maligno spiritu dictum est, sic de angelico, et de divino: nec facile est quis loquatur discernere, nec ignorare periculosum; præsertim, cum certum sit, angelum bonum nunquam loqui ex semetipso, sed Deum esse qui loquitur in ipso.

6. Studiosius igitur deinceps consideremus, quonam modo malignorum illorum spirituum suggestiones audire, imo quanta indignatione abjicere debeamus, avertentes aures nostras ne audiamus sanguinem, et sapientiam quam revelat caro et sanguis: parvulos quoque Babylonis, cogitatus scilicet mundanos [alias, malignos], ab ipso initio tenentes, et allidentes ad petram: ipsum etiam malignum cum tentationibus suis a conspectu cordis nostri abjicientes, et deducentes ad nihilum. Eas vero cogitationes, quæ justitiæ et veritatis nos admonent, tota devotione suscipientes, divinæ dignationi gratiam habeamus: nec aliquando tantæ benignitati inveniamur ingrati, scientes quoniam ipse est qui loquitur justitiam; ipse cujus sermo veritas est. Quantæ enim temeritatis [alias, perversitatis]; imo quantæ insanix est, si forte, dum alloquitur nos Dominus majestatis, nos insensati avertamus aures, et ad nescio quas animum ineptias convertamus? Quanta est hæc injuria, et quam graviter vindicanda, cum vilissimus vermis clamantem ad se audire dedignatur Creatorem universitatis? Quanta vero et quam ineffabilis divinæ dignationis bonitatis, quæ quotidie concipit nos infelices avertentes aures, obdurantes corda, et nihilominus clamat ad nos, et jugiter clamitat in plateis? Vere in plateis, quia in latitudine charitatis. Ecce enim honorum meorum non eges, Domine: et

tamen dicis : *Convertimini ad me, filii hominum*; et iterum clauitatis : *Revertere, revertere, Sunamitis; revertere, revertere, ut intueamur te* (*Cant. vi, 12*).

7. Propterea obsecro vos, dilectissimi, qui reminiscimini Domini, ne taceatis, et ne detis silentium ei : audientes jugiter quid loquatur in vobis Dominus Deus, quoniam loquetur pacem. Felix proinde et beata anima, quæ venas susurrii divini percipit in silentio, frequenter iterans illud Samuelis : *Loquere, Domine, quia audit servus tuus* (*I Reg. iii, 9*). Hic ergo hodiernus sermo finem accipiat, ut etiam tacentibus nobis Deum intus audiamus loquentem et suadentem de regno suo, tanto utilius quanto subtilius, per internam scilicet inspirationem. Si qua tamen adhuc de audienda hac Domini voce ipse suggererit, alio sermone tractabimus, ne **1133** præsertim in tam utili ac spirituali materia, mentes vestras longitudo sermonis oneremus.

SERMO XXIV.

De multiplici utilitate verbi Dei.

1. Tenetis, credo, quemadmodum hesterno sermone de ea, quæ nobis admodum necessaria est, discretionem spirituum admonuerimus sollicitudinem vestram : ut contra venenatos serpentis antiqui sibilos, contra mortíferos sirenæ cantus, aures cordis jugiter obturare studeratis ; ut nec spiritum carnis loquentem mollia, nec spiritum mundi vana suggererentem, nec spiritum nequitiæ audiat immittentem amaritudines, et scandala seminantem. Sed hujus specialiter astutias nosse necesse est, hujus cogitationes non expedit ignorare. Interdum enim transfiguratur se malignus ille et nequam spiritus in angelum lucis (*II Cor. xi, 14*), ut virtutis simulatione plus noceat. Sed et tunc quoque, si diligenter advertimus, nunquam nisi amaritudinis et discordiæ seminaria spargit. Suadet enim nonnullis singularia jejunia quædam, unde cæteri scandalizentur ; non quia jejunium diligit, sed quia scandalo delectetur. Multa quoque in hunc modum solet afferre, quæ tamen a divina sapientia facile discernantur, si apostolicam illam beati Jacobi definitionem præ oculis habeamus, qui divinam describens sapientiam, ait : *Sapientia quæ a Deo est, primum quidem pudica est, deinde pacifica* (*Jac. iii, 17*). Omnem ergo cogitationem, in qua hæc duo non concurrunt, a Dei sapientia alienam esse non dubites. Eam vero quæ pudica videtur, nec ad vitia trahit aperte, sed virtutis præterdit imaginem ; tunc demum a Deo noveris esse, si pacifica sit, si prælati tui atque spiritualium fratrum approbatur judicio ; quoniam non faciet Dominus Deus verbum, quod non revelaverit servis suis.

2. Quanta vero devotione, quanta humilitate, quanta sollicitudine cogitatio salubris non aliter quam divinæ dignationis sermo suscipi debeat, et hesterno sermone partim jam diximus, et hodierno nihilominus aliquanto latius persuadere conabimur. *Beati enim qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud* (*Luc. xi, 28*). Vultis nosse quam beati ? Pri-

mum quidem sonans in auribus animæ vox divina, conturbat, terret, dijudicatque : sed continuo, si non avertis aurem, vivificat, liquefacit, calefacit, illuminat, mundat. Denique et cibus noster est, et gladius, et medicina, et confirmatio, et requies, resurrectio quoque et consummatio nostra. Nec mireris quod verbum Dei jam nunc inventiatur omnia in omnibus esse, quantum spectat ad justificationem : siquidem et futurum est omnia in omnibus ad glorificationem. Audiatur illud peccator, et conturbabitur venter ejus ; a voce illa carnalis anima contremiscet. Omnia namque cordis secreta rimatur atque dijudicat sermo vivus et efficax, cordium atque cogitationum perscrutator. Unde et licet mortuus in peccato, si audieris vocem Filii Dei, vives. Sermo enim quem loquitur, spiritus et vita est. Si cor tuum induratum est, memento Scripturæ dicentis : *Emittet verbum suum, et liquefaciet ea* (*Psal. cXLVII, 18*) : et item : *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est* (*Cant. v, 6*). Si tepidus es, et evomi jam formidas, non discedas ab eloquio Domini, et inflammabit te ; quia eloquium ejus ignitum est valde. Quod si tenebras ignorantæ plangis, diligenter audi quid loquatur in te Dominus Deus : et erit lucerna pedibus tuis verbum Domini, et lumen semitis tuis.

3. At fortassis tanto amplius doles, quanto clarius peccata etiam minima illuminatus agnoscis ; sed sanctificabit te Pater in veritate, quæ est utique sermo ejus, ut inter apostolos audire merearis : *Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis* (*Joan. xv, 3*). Jam vero cum laveris inter innocentes manus tuas, ecce paravit in conspectu tuo mensam, ut non de solo pane vivas, sed ex omni verbo, quod procedit de ore Dei, **1134** et in fortitudine cibi illius curras viam mandatorum ejus. Ubi si consistunt adversum te castra, et prælium temptationis insurgit, arripe gladium spiritus, quod est verbum Dei, et in eo facile triumphabis. Quod si forte, ut est certaminis consuetudo, contigerit aliquando vulnerari, mittet verbum suum, et sanabit te, et eripiet te de interitionibus tuis : ut in te quoque impleatur quod ait Centurio, cujus fides tam magnifice commendatur : *Domine, inquit, dic tantum verbo, et sanabitur puer meus* (*Math. viii, 8*). Sed et si titubes adhuc, confitere et clama : *Mci autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei* (*Psal. LXXII, 9*) : et in verbis suis confirmabit te : ut experimento discas quoniam verbo Domini cæli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

4. In his atque hujusmodi persevera, in talibus jugiter exercere, donec jam dicat Spiritus, ut requiescas a laboribus tuis. In hoc verbo quiesces dulciter, ac suaviter soporaberis, donec veniet hora, cum omnes qui in monumentis sunt, audiant vocem ejus, et procedent. Sed quo ? Alii quidem in judicium, alii vero in vitam æternam. Et quis scit si est dignus amore vel odio ? Tunc maxime memor esto verbi tui servo tuo, Domine, in quo mihi spem dedisti, ut ab auditione mala non timeam : sed beata

magis auditio perducatur ad visionem, cum dices : *A Venite, benedicti Patris mei (Matth. xv, 34), etc. Quicumque enim confitebitur me coram hominibus, ait ipse, hunc et ego confitebor in conspectu Patris mei et angelorum sanctorum (Matth. x, 32; Luc. xii, 8) : quod nobis conferre dignetur ipse, qui constitutus est iudex vivorum et mortuorum. Amen (91*.)*

SERMO XXV.

De verbis Apostoli, « Volo primum fieri obsecrationes, orationes, » etc. (1 Tim. ii, 1).

1. Quatuor mihi videntur orandi modos exprimere Apostoli verba, dicentis : *Volo primum fieri obsecrationes, deinde orationes, postulationes, gratiarum actiones.* Sunt enim quos adhuc peccati conscientia terret et cruciat, nondum accepta resistendi virtute, tunc scilicet cum primum ipsos in peccatorum cœno jacentes Spiritus veritatis irradiat, et excitans erubescere facit, et timere Deum (92), dum vident immanitatem criminum, meritorum exiguitatem; et velut ardentem coram se gehennam expavescentes, quoniam in se ipsis boni nil inveniunt, aliunde apprehendunt unde tegantur. Sciunt enim quod non sit tutum in conspectu Domini Dei sui vacuos apparere contra legis præceptum (*Exod. xxiii, 15*), et multo minus id præsumere plenis stercore manibus audent. Quia ergo timent, et merito timent per se ipsos accedere, student quasi per alios supplicare. Tale est illud orationis genus; quo solemus uti **1135** dicentes : « Sancte Petre, ora pro nobis, » et similia. Maxime vero illud obsecratio est manifesta, « Per crucem et passionem tuam, libera nos, Domine; » et cætera in hunc modum. Tale enim videtur, ac si latro deprehensus, et jam vicinus suspendio, quando penitus desperat, nec invenit in se unde veniam [*alias misericordiam*] deprecetur, extendens brachia dicat : Quia sic passus est Christus; ut eorum a quibus tenetur, animos moveat ad pietatem.

2. Credo ego de talibus dici posse, quia *regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud (Matth. xi, 12).* Vim faciebat regno cœlorum Publi-

(91*) In manuscripto Sancti Ebruldi sic finitur hic sermo, incipiendo a n. 4.

In his atque hujusmodi interim exercere; donec ipsa, quæ certantem adjuvat, vox Domini ad requiem evocet triumphantem, sitque in magnificentia quæ nunc est in virtute, amodo jam dicente spiritu, ut requiescas a laboribus tuis. Erit sane quando et ipsum corpus de pulvere vox eadem suscitabit, quando omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent. Opus est etiam ut tunc quoque memor sit verbi sui servo suo, in quo tibi spem dedit, ut non timeas ab auditione mala : sed verbum bonum, Venite, inquit, benedicti Patris mei.

Hæc est vox quæ perducit ad vultum, ut jam dicere merearis et tu, quia auditu auris audivi te, et nunc oculus meus videt te. Non facile ego crediderim quia pigeat tunc audisse imprecationes, correptiones sustinuisse, tolerasse increpationes, in quibus iter erat quo ostenderet tibi salutare suum. Jam vero cum hæc omnia ita se habeant, et alius quoque innumeras audiendæ divinæ vocis utilitates perhibeant non tam Scripturarum testimonia, quam animarum experimenta, quid nos miseri tanta varietate destruhimur,

canus ille, qui dum non auderet oculos ad cœlum levare, ipsum cœlum ad se potuit inclinare (*Luc. xviii, 13, 14*). Simile aliquid mulier illa egisse videtur, quæ profluvium sanguinis habens, dum timeret ad Christum accedere, fecit ab eo virtutem exire. Furtim enim tetigit fimbriam, et curata est ab infirmitate : unde et dedignantis quodam modo verbum videtur, quod de ea Dominus ait : *Quis me tetigit? Et addidit : Sensi a me exisse virtutem (Luc. viii, 43-46).* Non credo quod sit inter nos quispiam; sed forte nonnulli in habitu vel sæculari conversatione potuerunt aliquando experiri quod loquor, ut inviti fluxum sanguinis paterentur, ejus, inquam, sanguinis qui regnum Dei non possidebit (*1. Cor. xv, 50*). Etenim qui facit peccatum, servus est peccati (*Joan. viii, 34*) : nec sua se poterit continere virtute, etiam cum volet. Huic ergo minime expedit per seipsum ad Christum accedere, sed tangere, si quam invenerit, ejus fimbriam, hoc est eum considerare hominem, quem humiliorem [*alias, meliorem*] viderit, et extremum in Ecclesia, quæ est vestis Christi; eum, inquam, qui elegit abjectus esse in domo Dei, oportet considerare; quoniam is vere est fimbria posita in ora vestimenti, ad quam utique spiritualis unguenti descendens a capite copia tota decurrit. Hunc si beneficiis aliquibus, seu prece humili, aut confessione pura tetigerit, ut affectum ejus erga se moveat ad compatiendum sibi; habeat fidem, et sine dubitatione sanabitur. Illud tamen noverit fimbria, non a se, sed a Christo exiisse virtutem, qui et tangi se protestatur in fimbria. Expressi nunc vobis, quantum potui, quale sit, et cui animæ necessarium genus obsecrationis.

3. At vero jam continendi virtute accepta, securus accedit, qui sibi conscius fuerit, pro delictis præteritis veniam quærens; et oratione utitur, quæ nimirum oris est ratio, quando jam ore suo loquitur cum Deo suo. Hinc illud est quod Maria Magdalene, quanquam non minus humilis hæmorrhœissa illa, non sic tamen veretur accedere, sed rigat lacrymis

caducam mendicantes utique consolationem! Quasi vero non sit nobis ad manum absque omni difficultate in verba, quod prope est utique in ore et corde nostro, quidquid salutis, quidquid jacunditatis, quidquid delectationis est invenire. Bene proinde beati qui verbum hoc vitæ audiunt et custodiunt illud. Custodiunt sane dixerim, non aliter quam depositum pretiosissimum, ut ibi cor habeant, ubi est thesaurus eorum.

Dico autem breviter quæ occurrunt interim ex his quæ huic videntur custodiæ necessaria. Primum quidem, ut ponas cor tuum audire diligentius quid loquatur, propter illud quod scriptum est : Quia ignorans ignorabitur. Dehinc ut opere impleas quod audisti, quia scienti bonum et non facienti, peccatum est illi. Postremo, ut quæcunque occurrerint adversa, sustineas patienter : quia verbum hoc non solum quid agere debeas docet, sed et ostendit tibi quanta te oportet pati. Hæc plane latra est, cultus debitus soli Deo, ut sollicitus sis voluntatem ejus prudenter intelligere; et ubi necessæ est, aut potenter implere, aut sustinere patienter.

(92) Manuscripti, eos.

pedes, capillis tergit, ungit unguento, osculatur ore A devoto (*Luc. vii, 38*). Unde satis liquet, quod omnino jam proposuerat in corde suo a peccato deinceps abstinere : et quasi profluvium stabat. Quod si jam consecutus es et tu, primum est ut ipsi Domino in oratione loquens, recogites annos tuos in amaritudine animæ tuæ.

4. Dehinc postquam in lamenti pœnitentiæ aliquandiu perseverans, hilaritatem quamdam et fiduciam conceperis indulgentiæ, accede jam ad postulationes ; ut secure, tanquam receptus in gratiam Domini, tibi et conservis tuis audeas petere quod oportet. At fortassis requiras, unde aut quomodo nosse poteris, utrum hanc [*alias, jam*] consecutus sis indulgentiam. Sic nimirum conservandæ humilitatis gratia, divina solet pietas ordinare ut B quanto quisque plus proficit, eo minus se reputet profecisse. Nam et usque ad supremum exercitii spiritualis gradum, si quis eo usque pervenerit [*alias, profecerit*], aliquid ei de primi gradus imperfectione relinquitur, ut vix sibi primum videatur adeptus. Attamen scio quid hodie lectum sit in Evangelio (92). Dixerat Jesus paralytico : *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua* : et reputatum est ei ad blasphemiam. At ille, cui nimirum cogitatio hominis **1136** confitetur : *Quid, inquit, cogitatis mala in cordibus vestris?* Blasphemare me blasphematis, et quasi ad excusandum visibilis curationis virtutem, me invisibilem dicitis usurpare (93). Sed ego vos potius blasphemos esse convinco, signo probans visibili invisibilem potestatem. *Ut sciat, inquit, quia potestatem habet Filius hominis in terra dimittendi peccata (tunc ait paralytico) : Surge, tolle grabatum tuum, et ambula (Matth. ix, 2-7)*. Et tu ergo si jam surgis desiderio supernorum, si grabatum tuum tollis, corpus scilicet a terrenis elevans voluptatibus, ut jam non feratur anima concupiscentiis ejus, sed magis ipsa, ut dignum est, regat illud, et ferat quo non vult : si demum ambulas, quæ retro sunt obliviscens, et ad ea quæ ante sunt, te extendens desiderio et proposito proficiendi, curatum te esse non dubites. Neque enim surgere poteris, si non aliquatenus onus esset alleviatum ; nec grabatum tollere, nisi exoneratus magis ; quia nec ambulare in fervore conversationis cum peccatorum gravi D mole possibile est.

5. Propter quod fiducialiter jam postulare potest qui ejusmodi est : tantum caveat, ne forte aut postulet non postulanda ; aut nimis postulet quæ a Deo sunt postulanda ; aut ea tepide quærat, quæ toto affectu, et omni tempore sunt quærenda. *Petitis, et non accipitis*, ait Jacobus, *eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis (Jac. iv, 3)*. Sic agit omnis qui terrena quærit ultro necessitatem, qui mundialem gloriam sectatur, aut voluptatem.

(92). Hinc patet, hunc sermonem habitum fuisse Dominica 18 post Pentecosten.

(93) Ita in manuscripto Colbertino et Majoris-Monasterii ; in editis, *ad excusandum vim visibilis*

Tale est etiam quod solent sæculares homines mortem inimicorum in orationibus postulare, cæteraque similia quæ non oportet. At vero temporalia, si defuerint, petenda quidem sunt, quantum necessitas humana requirit ; sed, juxta beati Gregorii sententiam, non sunt hæc nimie requirenda. In quo genere etiam illa spiritualia sunt, sine quibus nihilominus salus constare potest, ut sermo scientiæ, gratia curationum, omniaque, de quibus certum non habemus quod expediant nobis : utpote si te fatiget tentatio, supplicandum quidem pro ea ut auferatur a te, sed non nimis obnixè, quoniam in talibus meminisse semper oportet apostolicæ illius sententiæ : *Nos enim quid oremus, sicut oportet, nescimus (Rom. vii, 26)* ; et Deo magis committere, quam temere aliquid apud nos definire. Hæc autem sunt toto affectu, et omni tempore postulanda ; hæc sunt, pro quibus incessanter et quam obnixè poterunt, ad Deum clamant desideria tua : ut habeas gratiam ejus bonam, et placere possis in oculis pietatis ipsius, et in eo vivas, et moriaris in ipso, ut gloriam ejus videre, et ipso frui in perpetuum merearis. De his enim dictum est : *Sine intermissione orate (I Thess. v, 17)*. Unde et Propheta : *Exquisivit, inquit, te facies mea ; faciem meam, Domine, requiram* ; et alibi : *Unam, ait, petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ (Psal. xxvi, 8, 4)*.

6. Porro ad quartum genus orationis, quod est gratiarum actio, perpauca attingere credo (95) ; et quo rarius, eo pretiosius est. Multam enim prorsus gratiam inveniet apud Deum, quem juxta promissionem suam exaudit antequam invocetur (*Isa. lxxv, 24*) : et testimonium reddet spiritui ejus Spiritum quem habet ex Deo, quoniam exauditum est desiderium ejus, ita ut certus jam non orare, sed gratias agere possit. Sic enim habes in Lazari resurrectione, ubi Dominus, licet prius nihil orasset : *Pater, inquit, gratias ago tibi, quia audisti me (Joan. xi, 41)*. Prima igitur, id est obsecratio, verecundo fiat affectu. Secunda, quam proprie diximus orationem, affectu puro : ut videlicet non dissimulemus peccata, non nos palpemus, scientes quod sic quisque misericordiam invenit apud Deum, si inventus fuerit durus iudex in semetipsum. Tertia, id est postulatio, amplum quærit affectum, et fiduciæ latitudinem, sicut scriptum est : *Postulet autem in fide nihil hæsitans (Jac. i, 6)*. Credo enim propterea dictum : *Quemcumque locum calcaverit pes vester, vester erit (Josue i, 3)* ; quod tantum impetrabimus, quantum porrexerimus pedem sibi. Quarta, quæ est gratiarum **1137** actio, ipsa debet esse devotione plenissima, et deliciis affluens.

7. Jam vero de reverentia orationis, in eo quod lectum est in capitulo, ipsius Regulæ vos modo sol-

curationis, virtutem mihi invisibilem usurpare. Idem sensus.

(95) Id explicatur infra, Sermone 27 de Diversis, num. 5 et 6.

licitavit auctoritas (*Reg. S. Benedicti*, cap. 20), ex cuius occasione aliqua de oratione dicenda putavi. Illud tamen breviter dico, nonnullos, ut arbitrator, experiri interdum in oratione ariditatem, et hebetudinem quamdam mentis: ut solis orantes labiis, non satis attendant neque quid dicant, neque cui loquantur, pro eo quod velut ex consuetudine quadam, cum minus digna reverentia et sollicitudine accesserunt. Quid enim aliud cogitare debet frater intrans ad orationem, quam propheticum illud: *Ingređiar in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei?* (*Psal. xli, 5*). Omnino siquidem oportet nos orationis tempore curiam intrare cœlestem, illam utique curiam, in qua Rex regum stellato sedet solio, circumdante innumerabili et ineffabili beatorum spiritu exercitu. Unde et ipse qui viderat, quia majorem numerum non invenit: *Millia, ait, millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant ei* (*Dan. vii, 10*). Quanta ergo cum reverentia, quanto timore, quanta illum humilitate accedere debet a palude sua procedens et repens ranuncula vilis? Quam tremebundus, quam supplex, quam humilis, quam denique sollicitus, et toto intentus animo majestati gloriæ, in præsentia angelorum, in concilio justorum et congregatione sanctorum assistere poterit miser homuncio?

8. In cunctis igitur actionibus nostris multa opus est animi vigilantia, sed præcipue in oratione. Etenim, sicut in Regula nostra legimus (*Reg. S. Benedicti*, cap. 19), licet hora omni et omni loco oculi Domini [*alias additur et angeli super; alias tantum, super*] nos speculentur, maxime tamen in oratione. Licet enim semper videamur, sed tunc etiam præsentamus et ostendimus nos, quasi facie ad faciem cum Deo loquentes. Porro quamvis ubique sit Deus, in cœlo tamen orandus est, ibique orationis tempore cogitandus: ut mens nostra non oratorii tecto, non aeris spatio, non ipsa retardetur nubium densitate, juxta eam formam, quæ nobis a Christo tradita est, ubi ait: *Sic orabitur: Pater noster qui es in cœlis* (*Matth. vi, 9*). Cœlum enim quadam prærogativa etiam sedes sive thronus Dei vocatur; quia ad eam comparationem, qua Deum in cœlis angeli sancti et electorum animæ vident, nos miseri et peregrini super terram vix solum nomen habere videmur. Sic igitur oret qui orat, tanquam assumptus et præsentatus ei, qui sedet super excelsum thronum in angelis, qui minime ceciderunt; et elevatum in hominibus, quos suscitavit de pulvere inopes, et erexit de stercore pauperes: sic, inquam, semetipsum consideret et sic attendat, tanquam præsentatum Domino majestatis, ut dicat cum Abraham: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis* (*Gen. xviii, 27*). Et quia tuo præcepto commonitus, tua institutione formatus, id præsumo, Domine fons pietatis.

SERMO XXVI.

De voluntate nostra divinæ voluntati subjicienda.

1. Audistis nunc ex Regula nostra (*Reg. S. Benedicti*) Deest in manuscripto Cisterciensi quin..... cinis.

A dicti, cap. 7), fratres, de humilitate sententiam Christi [*alias deest Christi*]: cui ego, quoties legitur, toto animo intentos vos esse volo. Insipiens est enim et insanus, quicumque in aliis vitæ meritis, quicumque in alia religione seu sapientia, nisi in sola humilitate confidit. Apud Dominum, fratres, jus habere non possumus, quoniam in multis offendimus omnes; sed nec fallere eum: ipse enim novit abscondita cordis: quanto magis opera manifesta? utique nec resistere viribus, quoniam omnipotens est. Quid ergo restat, nisi ad humilitatis remedia tota mente confugere, et quidquid in aliis minus habemus, de ea supplere? Sed, o mira vanitas! o mira fatuitas cordis nostri! cujus elationem [*alias, elevationem*] perfecte reprimere, cujus cervicosos motus omnino domare, humilitatis materia tanta non sufficit, quin superbiat adhuc terra et cinis (94).

2. Porro totius humilitatis summa in eo videtur consistere, si voluntas nostra divinæ, ut dignum est, subjecta sit voluntati, sicut ait Prophetæ: *Nonne Deo subjecta erit anima mea?* (*Psal. lxi, 4*) Scio quidem creaturam omnem, velit, nolit, subjectam esse Creatori; sed a creatura rationali voluntaria subjectio quæritur, ut voluntarie sacrificet Domino, et consiteatur nomini ejus: non quia terribile et sanctum, non quia omnipotens, sed quia bonum est. At vero subjectionem istam triplicem esse necesse est: ut quod certum est Deum velle, id nos velimus omnino; et quod certum est eum nolle, similiter exsecremur et nos; quod autem incertum est utrum velit an nolit, neque velimus ex toto, neque penitus non velimus. Hic certe, fratres, in hoc mediæ totum periculum est religiosorum, dum infeliciter blandimur nobis, et palpantes seducimus nosmetipsos. Hinc accidit ut dissimulemus Domini quærere voluntatem, dum et nostram facere, et aliquam de ignorantia habere volumus excusationem. Quis enim est ille tam infelix monachus, qui id nolle audeat, quod certus est Deum velle; aut quod certus est eum nolle, id velle præsumat? Sed in medio periculum est his, qui jam egressi de sæculo, in loco conversionis habitant, tanquam in paradiso voluptatis: sicut in medio paradisi lignum transgressionis positum erat, in quo prævaricati sunt parentes primi; lignum scientiæ boni et mali; non tantum boni, vel mali solius, sed boni et mali.

3. Propterea rogo vos, fratres, diligenter attendite, quia nihil mihi occurrit quod utilius possitis audire. Ubi certa est Dei voluntas, omnino nostra sequatur, in his videlicet, de quibus certum aliquid in Scripturis invenimus, aut ipse Spiritus manifeste clamat in cordibus nostris quid sentiendum sit, ut est charitas, humilitas, castitas, obedientia, cæteræque virtutes; hæc approbemus indubitanter et appetamus, quæ placere Deo scimus indubitanter. Sic et ea omnimodis odisse debemus, de quibus certum est quod oderit ea Deus, ut est apostasia, fornicatio, iniquitas, impatentia. In his vero rebus, de quibus nihil

certi possumus invenire, nihil certum voluntas nostra definiat; sed magis pendeat inter utrumque, aut saltem neutri parti nimis adhæreat, cogitans semper, ne forte altera pars Deo magis placeat; et parati simus voluntatem ejus sequi, in quacunque partem eam cognoverimus inclinari. Nemo super his quæ certa sunt hæsitet; nemo dubia pro certis admittat; nemo sibi in dubiis iudicium vindicet, præcipitve sententiam; et experiemur quod scriptum est: *Pax multa diligentibus legem tuam, Domine, et non est illis scandalum (Psal. cxviii, 165)*. Unde enim sunt scandala, unde turbatio [*alias*, tribulatio], nisi quod propriam sequimur voluntatem, et temere quod volumus in corde nostro desinientes, si quo modo id prohiberi contingat aut impediri, continue etiam in impatientiam, in murmurationem et in scandalum proni sumus: non attendentes quoniam omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti; et ipse, qui nobis casus videtur, sermo quidam Dei est, suam nobis indicans voluntatem? At quicumque nihil certum de hujusmodi in corde suo posuerit, quacunque partem postea convertatur, scandalizari non poterit. Aut si quid facere cogitat, unde mandatum certum non habet, si voluntatem suam suspensam tenuerit, donec prælatum suum interroget, et ab eo quærat Domini voluntatem, cui vice ipsius obedit, non conturbabitur, quidquid ei præcipiatur; quoniam vere pax multa diligentibus legem Domini, et non est illis scandalum.

4. Porro quod dixi, voluntatem suspensam teneat, aut voluntatem suam divinæ subiciat voluntati; non de concupiscentiis desideriorum, non de affectionibus dico. Illud enim impossibile est, dum adhuc in hoc peccati corpore, in hoc corpore mortis anima detinetur. Quid enim esset aliud quam vita æterna, tota affectione divinam in omnibus sequi voluntatem? Sed consensum nostrum necesse est divinæ subicere voluntati, **1139** si pacem æternam, si pacem desideramus habere præsentem, sicut scriptum est: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis (Joan. xiv, 27)*. Domine, ait Propheta, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exsultabunt tota die (*Psal. lxxxviii, 16, 17*). Alius enim ambulat in lumine vultus sui, sollicitus facere suam voluntatem, et beneplacitum cordis sui considerans. Alius ambulat in lumine vultus humani, in eo semper intentus quid hominibus placeat, quid mundus iudicet: de quo Dei propheta loquitur: *Diem hominis non concupivi, Domine, tu scis (Jerem. xvii, 16)*. Contritio et infelicitas in viis eorum, et viam pacis non cognoverunt, non est timor Dei ante oculos eorum (*Psal. xlii, 5*). Nam, qui timorem Dei semper habet præ oculis, viæ ejus, viæ pulchræ, et omnes semitæ ejus pacificæ (*Prov. iii, 17*). *Venite ad me, inquit, omnes qui laboratis et onerati estis, quos vestræ, seu alienæ voluntatis dura premit servitus; et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve (Matth. xi, 28-30)*. Quanto enim benignior et dulcior [*alias*, suavior] est divina

A clementia quolibet homine, tanto suavius esse manifestum est jugum ejus cæteris oneribus. Propterea homines sibi ipsis aut aliis hominibus placere studentes, confusi sunt: sed, qui in lumine vultus tui ambulant, Domine, id solum cogitantes, quomodo tuam faciant voluntatem, et toto corde contententes placere tibi, nunc quidem in nomine tuo exsultabunt tota die, et non erit illis scandalum, sed demum in justitia tua exaltabuntur, quando exeuntes infirmitates suas, et intrantes in potentias tuas, memorabuntur justitiæ tuæ solius, ut eam tunc teneant sine labore, quam modo sequi laborant.

SERMO XXVII.

Contra pessimum vitium ingratitudinis.

1. Magna est super nos, dilectissimi, magna valde B misericordia Dei nostri, quos tam ineffabili Spiritus sui virtute, tam inæstimabili dono gratiæ suæ eripuit de vana nostra conversatione hujus sæculi, in quo eramus aliquando tanquam sine Deo, aut certe, quod execrabilius est, etiam contra Deum, non ignorantiam ejus habentes, sed contemptum. Cujus vitæ, aut potius mortis, (*Anima enim quæ peccaverit, ipsa morietur (Ezech. xviii, 4, 20)*), utinam frequenter in oculis cordis nostri tetra versetur imago! quanta videlicet cæcitas, quanta perversitas illa fuerit! ut sedula meditatione pensantes miserix pondus, etsi non tam perfecte sicut est, aliquatenus tamen æstimare possimus liberatrici misericordiæ quantitatem. Jam vero si quis ex nobis diligenter considerare non negligat, non modo unde erutus, sed et ubi sit constitutus; non solum quid evaserit, sed et quid acceperit; non tantum unde revocatus sit, sed etiam quo vocatus: inveniet sine dubio cumulum hujus misericordiæ omnino mensuræ prioris excedere quantitatem. Neque enim fecit taliter omni nationi, ut non solum judicicia, sed et consilia sua manifestaret eis; sed omnino magnificavit facere nobiscum, non solum in servos assumens, sed et eligens in amicos. Neque enim nos elegimus eum, sed ipse elegit nos, et posuit nos ut eamus, et fructum afferamus: fructum, inquam, non solum non preemptorium, quod ad iudicium pertinens, notum sit etiam servis; sed nec perituum quidem, quod de consilio est, et revelatur amicis.

2. In hoc siquidem positi sumus, ut nec peccato serviamus (ipse enim est preceptorius labor), nec sæculo quoque, quemadmodum hi quos videmus subditos curis terrenis, etsi non culpæ; corporalibus officiis, etsi non flagitiis implicatos, et in ea quæ præterit hujus mundi figura pro sua suorumque præsentis sustentatione laborantes: quorum utique labor etsi non ad damnationem, minime tamen pertinet ad salutem; ita ut, etsi conservaverint fundamentum, detrimentum tamen patiantur, pereuntibus quæ superædificaverant; ipsi vero salvi sint, sic tamen quasi per ignem. Nobis autem quid dicitur? Quod consilium datur amicis? **Operamini non cibum qui perit, sed qui 1140 permanet in vitam æternam (Joan. vi, 27)**. Nec cessamus ab operando hoc cibo,

etiam cum terrenis forte occupamur operibus, aut obedientia dictante, aut fraternæ charitatis intuitu: quoniam dissimilis nobis intentio est ab his, quorum laborem perituro esse prædiximus. Dissimili proinde radici inhærens labor similis, non similiter habet perire; quoniam radicatus est in ea, quæ nunquam perit [*alias*, excidit], æternitate.

3. Denique si forte non quidem illicita, nec tamen expedientia sectantes, priori forsitan fornicatione relicta, stetissemus in conjugii castitate, non capientes quod de cælibe vita datum novimus esse consilium; sed a rapinis et fraudibus abstinentes, licite propriis rebus uteremur, necdum tamen ad perfectionem evangelicam attingentes, sicut scriptum est: *Si vis esse perfectus, vade, et vende omnia, quæ habes; et veni, sequere me* (Matth. xix, 12, 21): hoc ipsum quantæ pietatis esset, si a tantis eriminibus, in quibus multi ex vobis involuti, solum in se responsum mortis et iudicium certæ damnationis haberent, datum esset vel in inferiori aliquo respirare gradu? Prodigus certe filius ad filiorum numerum aspirare timebat, beatum se reputans, si forte vel in mercenariorum numero recipi mereretur: minime tamen sufficere potuit paternæ pietati, nisi tam copiosam ei misericordiam exhiberet, cui posset et ipse, qui nunquam a patre recesserat, senior filius invidere (Luc. xv, 11, 32). Sic et nos, dilectissimi, abundanter effusa super nos misericordia Dei nostri, de filiis iræ et diffidentiae non solum in electorum recepit numerum, sed vocavit ad collegium perfectorum. Nam etsi forte aliquorum negligentia ad perfectionem non assurgit, ipsi viderint quid excusationis possint afferre; quoniam apostolicam omnes nos vitam professi sumus, apostolicæ perfectioni [*alias*, professioni] nomina dedimus universi. Quod sane non de ea gloria sanctitatis dixerim, quam non sibi tantum, sed universo orbi suscipere meruerunt, sicut scriptum est: *Suscipiant montes pacem populo, et colles iustitiam* (Psal. lxxxii, 3): sed de eorum potius professione, quam pro omnibus Petrus loquitur, dicens: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te* (Matth. xix, 27).

4. Sed jam omnino me movet, fratres mei, quid sibi velit, quod minus erga nos liberalis nunc divina clementia videatur, ut quibus tanta contulit non rogantibus, non desiderantibus, imo et fortasse recusantibus, nunc orantibus, obsecrantibus, postulantis sæpissime, imo continue, videatur multo minora negare. Quid enim putamus, charissimi? abbreviata est manus Domini, an forte thesauri gratiæ defecerunt? Quid, inquam, putamus, utrum voluntas mutata sit, an imminuta [*alias*, immutata] facultas? Neutrum sane de eo æstimare licet, neutrum fas est credere de omnipotenti et immutabili majestate. Quid sibi vult ergo, quod incessanter orantes, obsecrantes, postulantes, non exaudimur, quibus tantam et tam gratuitam misericordiam præ-

(94*) Ex hoc loco accepta videntur quæ leguntur in lib. 1 de Imitatione Christi, cap. 11: « Nunc pro

A rogavit? Nam si respondeat quis quod apostolo Paulo responsum est, sufficere nobis gratiam Dei (II Cor. xii, 9): plane omnino fallitur, cum pro ea quam maxime universæ orationes, obsecrationes, et postulationes nostræ fiant, ne ambulemus in magnis, aut in mirabilibus super nos, orantes nobis dari humilitatem, quanta decet, non dico sanctos, sed monachos peccatores: obsecrantes patientiam nobis tribui, quanta non dico in martyribus inventa, sed professioni nostræ necessaria est; postulantes charitatem, quantam non dico angelis, sed patribus nostris, qui fuere homines similes nobis, passibiles, etiam et peccatores, divino munere collatam agnovimus ex testimonio Scripturarum.

5. Væ generationi huic miseræ ab imperfectione sua, cui sufficere videtur insufficientia, imo inopia tanta! Quis enim ad perfectionem illam, quam Scripturæ tradunt, vel aspirare videtur? Non sine causa sane, cum sint nobis eadem cum patribus conversionis initia, dispar valde conversationis profectus invenitur: adeo ut cum ipsos profecisse de die in diem, et cursum 1141 consummasse legamus, apud nos magnus æstimaretur, si quis vel ipsa conversionis suæ primordia conservaret (94*), ut non minus humilis aut timoratus, non minus sollicitus et circumspectus, non minus fervens spiritu, non minus patiens ac mansuetus in medio, quam in initio videretur. Quantos enim videmus quasi oblitos sui et peccatorum suorum, Dei quoque et beneficiorum ejus immemores, sic non relinere, sed amittere tempus, ut de moribus et affectionibus suis vix ultima apud ipsos mentio fiat? Quid istos aliud agere dixerim, qui scurrilitates et detractiones, jactantiæ et impatientiæ verba non reputant; facile contristant proximos, imo Spiritum Dei qui in eis est; pusillorum scandala parvipendunt, ad increpationem aliorum aut negligentia quadam dormire videntur, aut iracundiæ facibus inflammantur; et cum his quasi gens quæ fecerit iustitiam, accedunt libere ad ecclesiam; psallunt cum aliis, sed non spiritu neque mente; orationis tempore nescio quas ineptias neditantur; et ne ipsi quidem tremendo angelis participare verentur Dominici corporis sacramento? quid, inquam, istos aliud agere dixerim, quam securos jam de gratia Domini sui, fiducialiter de ea, quam longo tempore promeruerunt, familiaritate præsumere? Hoc nempe est quod vulgari proverbio dicitur: Familiaris dominus fatuum nutrit servum. Sed ubi est, dilectissimi, quod toties canitis: *Quoniam advena ego sum apud te et peregrinus, sicut omnes patres mei* (Psal. xxxviii, 13). Heu, heu! non invenitur qui redeat, et agat gratias Deo, nisi hic alienigena. *Nonne decem mundati sunt? et novem ubi sunt?* Meministis, credo, verba Salvatoris hæc esse, novem illorum ingratitude arguentis. Bene siquidem orasse, obsecrasse, postulasse leguntur, qui levaverunt vocem, dicentes: *Jesu filii David, miss-* magno videtur, si quis primi fervoris partem possit retinere. »

rere nobis (Luc. xvii, 18, 17, 15). Sed defuit eis quarta, A quam adjecit Apostolus, gratiarum actio (1 Tim. ii, 1), quoniam non redierunt, nec egerunt gratiarum Deo.

6. Multos quoque videmus usque hodie satis importune petentes quod sibi deesse cognoverint; sed paucos admodum novimus, qui dignas super acceptis beneficiis gratias agere videantur. Nec reprehensibile est quod instanter petimus; sed plane petitioni negat effectum, quod invenimur ingrati (95). Et forte hoc etiam clementiæ esse videtur, ingratis negare quod postulant: ne contingat nobis, ut tanto gravius de ingratitude judicemur, quanto magis accumulatis beneficiis ingrati probabimur existisse. Ergo misericordiæ res est in hac parte subtrahere misericordiam, quemadmodum iræ et indignationis, misericordiam exhibere, eam sane, de qua per prophetam ipse Pater misericordiarum loquitur, dicens: *Misereamur impio, et non discet facere justitiam* (Isa. xxvi, 10). Quam multos enim videmus et plangimus fratres, qui, dummodo maneat habitus et tonsura, salva sibi omnia arbitrantur? non considerantes miseri, quemadmodum ingratitude vermis interiora corrodens, ob hoc tantum corticem, quem vident, transforare dissimulet, ne forte recogitent et erubescant, ipsaque verecundia emendentur. Qui sic interdum in nonnullis consumpta esse interiora universa præsumit, ut non vereatur ad ea quoque, quæ foris apparent, venenatum producere caput: nisi forte quos videmus manifeste apostatate a Deo, repente fieri pessimos arbitramur; et non magis paulatim defecisse, cum comederint alieni robor eorum, et nescierunt.

7. Vides ergo non omnibus prodesse, quod a lepra sæcularis conversationis, cujus peccata manifesta sunt, emundantur: sed nonnullis pejus in occulto ingratitude ulcus oriri, quod tanto periculosius sit, quanto interius. Et bene Salvator hinc in Evangelio novem illos ubi sunt quærit, quoniam longe a peccatoribus **1142** salus. Sic enim et primum hominem post peccatum ubi sit interrogat (Gen. iii, 9); et in iudicio nescire sese profitebitur operarios iniquitatis (Luc. xiii, 27), cum legamus in Psalmo: *Quoniam novit Dominus viam justorum, et iter impiorum peribit* (Psal. i, 6). Nec sine causa in novenario inventi sunt, qui non redeunt ad Salvatorem: in quo nimirum numero quaternario quaternarius jungitur; et est non bona commistio corporeæ sensualitatis, et evangelicæ traditionis. Quod tunc fieri solet, cum sic volumus quatuor Evangelii obedire, ut quinque corporis sensus pariter oblectare velimus.

8. Felix autem Samaritanus ille, qui cognovit se nihil habere quod non accepisset: et idcirco servavit depositum, et cum gratiarum actione ad

(95) Aliam causam indicat supra, Sermonem 2 in festo sancti Andreae, num. 5.

(95') Sic tres manuscripti; at in editis: *Tanto, enim facilius nunc offendimus eum, quanto ea gravius, quæ a nobis committuntur, etc.*

Dominum est reversus. Felix, qui ad singula dona gratiæ redit ad eum, in quo est plenitudo omnium gratiarum: cui, dum nos pro acceptis [*alias*, post acceptum beneficium] non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ, ut majora adhuc accipere mereamur. Omnino enim sola nos a profectu conversationis impedit ingratitude nostra, dum quodam modo amissum reputans dator quod ingratus accepit, cavet sibi de cætero, ne tanto plura amitteret, quanto plura conferret ingrato. Felix proinde, qui se alienigenam reputans, etiam pro minimis quibusque beneficiis non minimas refert grates, gratuitum esse non dubitans neque dissimulans, quod alieno impenditur et ignoto. Nos autem miseri et miserabiles, cum in initio, dum adhuc alienos nos æstimamus, timorati satis, satis devoti et humiles inveniamur; tam facile postmodum obliviscimur, quam gratuitum sit quidquid accepimus, et præsumentes non bene quasi de familiaritate Dei, nequaquam advertimus quod mereamur audire, quoniam *inimici Domini domestici ejus* (Matth. x, 36). Facilius enim tunc offendimus eum; quasi non gravius tunc quæ a nobis committuntur (95'), judicanda noverimus esse, cum in psalmo legamus: *Quoniam, si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique* (Psal. lrv, 13). Obsecro itaque, fratres mei, humiliemur magis ac magis sub potenti manu Dei, et ab hoc tam maximo, tam nequissimo vitio ingratitude longe fieri studeamus, ut tota devotione in gratiarum actione versantes, conciliemus nobis gratiam Dei nostri, quæ sola potest salvare animas nostras. Nec verbo tantum vel lingua, sed opere et veritate exhibeamus nos gratos; quia gratiarum actionem magis quam dictionem a nobis exigit dator gratiarum Dominus Deus noster, qui est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XXVIII (96).

De eo quod legitur in Job (v, 19): «In sex tribulationibus liberabit te, et in septima non tanget te malum.»

1. Dignum valde est, et omnino exigit ratio æquitalis, ut quibus a constitutione mundi regnum paratur, ipsi etiam sese regno parare non negligant; ne parato regno inveniantur forsitan, qui regnaturi fuerant, imparati. Sic enim legimus de cœna quadam, dicente Domino, quoniam *cœna quidem parata est, sed qui vocati erant, non fuerunt digni* (Matth. xxii, 3). Quærimus ergo, quemadmodum regno parato parari debeant reges futuri. Et si pie quærimus cum Propheta Domini, audiemus utique a Domino cum Propheta: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur, inquit, sine macula* (Psal. xiv, 1, 2). Sed hæc, inquires, præparatio soli Christo convenire videtur. Nemo enim cæterorum omnium mundus a sordibus, nec infans, cujus est vita unius Dei super terram

(96) Illic sermo exstat inter sermones Guericci alibatis in Bibliotheca Patrum; deest in Coloniensi codice. Guericci sermones continente, teste Horstio; nec Bernardo abjudicandus, cum in libro 6 Florum citetur, et clausulam habeat Ber. arcinam.

(*Job xiv, 4*, juxta LXX). Itaque solus intrabit, qui solus agnus est sine macula, solus **1143** argui non potuit de peccato, quod non ab eo factum est, nec in eo inventum. Solus plane summus pontifex mens nec in patre, nec in matre contaminatus est, ut lex dicit (*Lerit. xxi, 1, 2*): Patrem quippe, sed Deum; matrem quoque, sed virginem habens. Unde et solus ingreditur Sancta sanctorum, et *nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo Filius hominis, qui est in cælo* (*Joan. iii, 13*).

2. Quid ergo nos? Itane continuo desperabimus? Ino vero sperabimus, et hinc maxime. Licet enim solus, sed profecto totus intrabit, et os non comminetur ex eo. Non sine membris caput invenietur in regno, si tamen membra fuerint conformia et cohærentia, scilicet capiti suo; conformia sane moribus, cohærentia fide. Habet enim conformationem quam potest, habet et cohærentiam ipsa etiam minor ætas, dum et similitudini mortis ejus mersione illa triplici complantatur, et fidem in involucri quodam recipit, quod necdum capax sit evolutæ. Benignus nimirum est Spiritus sapientiæ: et quem traducta culpa ligaverat, indulta justitia solvit. Sed non ita deinceps liberabit maledictum a labiis suis: *Voluntarie enim peccanti post aquitam gratiam non relinquitur hostia pro peccato* (*Hebr. x, 26*). Sed neque sic liberabit a suis, quomodo ab alienis labiis maledictum. Maledictio, fratres, gravis est macula, et scimus quoniam non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod de ore egreditur (*Matth. xv, 11*). Inde ergo macula, inde maledictio a labiis suis, sed non semper a propriis. Neque enim de corpore vel corde proprio originalis in parvulum culpa procedit, cui non modo consensus, sed ne ullus quidem interim potest sensus esse peccati. Quomodo tamen maledictum a labiis suis non liberat Spiritus, aut voluntarie peccantibus non relinquitur hostia, nisi quia non illi denuo crucifigitur Christus, nec complantatur iterum similitudini mortis ejus per baptismum? Propria jam ab eo lacrymarum unda exigitur, propriam bajulare crucem, propria mortificare membra, et propriam immolare hostiam necesse est. Sine causa aliter diceret: Credo. Propriis labiis expietur oportet propriorum maledictio laborum. Per multas enim tribulationes in regnum Dei intrare necesse est (*Act. xiv, 21*); et nemo nisi per tribulationes ingreditur, aut proprias, aut alienas.

3. Sola nimirum secundi Adæ tribulatio purgat, quos contaminavit offensio sola prioris. Non quod propria cuiquam sufficere possit satisfactio. Quid enim est universa pœnitentia nostra, nisi quod si non compatimur, omnino non possumus conregnare? Quod enim in nobis minus est, ipse supplet. Modicum tamen illud, quodcumque nostrum est, non patitur reservari. Quod si fidei cohærentia sine inorum conformitate nequaquam salvat adultos, longe minus salvare poterunt opera sine fide. Facilius enim membrum inhærens capiti, si deforme est, reformatur, quam divulsum, quamlibet simile, copulatur.

A It ipsum tamen quod deforme est, aut conforme fieri imagini Filii sui et capitis sui, aut certe tandem avelli ab eo necesse est, et anathema esse a Christo; ne in illa plenitudine corporis ejus inveniat quidpiam indecorum.

4. Ubi ergo macula propria, propria quoque purgatio jure requiritur: et si contaminatio multiplex, opus est etiam tribulatione multiplici. Unde enim tribulatio; nisi dum resistitur contaminationi, concupiscentiæ repugnatur? Quid vero in homine purum ab hac macula, immune ab hoc contagio poterit inveniri? ab intus manat, de corde exit pestiferum virus, ac deinceps corpus occupat universum: mentem desiderii afficit, membra illecebris inficit. Inde pruritus aurium, oculorum petulantia; inde B olfaciendi voluptas, inde in faucibus tam inordinata delectatio, inde in universo corpore mollitiæ sensus, et libido perniciose tangendi; inde intus in anima ebrietas illa desideriorum, et fornax quædam, ambitionis, avaritiæ, invidiæ, contumaciæ, nequitie, et omnium denique vitiorum affectibus vehementer accensa. Quot **1144** enim corpus illecebras, quot oblectamenta mundus habere videtur; tot patitur tribulationes, tot sustinet tentationes vir justus. Et quemadmodum ambulans quis in carne, sensuum voluptate delectatur, et delicias computat esse sub sentibus; sic et omnis qui in spiritu seminare desiderat, spinas et tribulos, quos propria terra ex maledicto utique germinat, potius eradicare, quam propagare contendit; quippe qui convertitur C in ærumna sua, quoties configitur spina.

5. Huic ergo tam multifariæ pesti per singula quæque resistere, quam multiplex tribulatio? A planta pedis usque ad verticem non est in me sanitas. Totum infecit concupiscentia, lex peccati in membris omnibus invenitur. Undique per fenestras mors intrare contendit, et intus fomes totius nequitie periculosius sævit, crudelius malignatur. Minime tamen in hac tam multiplici lucta deficiendum, aut desperatione cedendum est. Licet enim abundant tribulationes pro Christo, sed abundant et consolationes per ipsum. Denique audi consolationem. Peccatum in foribus est: nisi ipse aperias, non intrabit. Appetitus in corde prurit, sed sub te est D (*Gen. iv, 7*): nisi sponte cesseris, nil nocebit. Audi consolationem. Consensum cohibe, ne prævaleant hæc: et immaculatus eris, ut sine macula ingrediaris et ipse ad habitandum in tabernaculo, et requiescendum in monte sancto Domini Dei tui. Si enim tui non fuerint dominati, tunc immaculatus eris, et emundaberis a delicto maximo (*Psal. xviii, 14*). Maximum plane delictum, quod interiorem et exteriorem hominem occupat universum. Audi adhuc consolationem. *In sex, inquit, tribulationibus liberaberis, et in septima non tuncget te malum*. Si puer Hebræus es, sex annis servies, liber egredieris in septimo. Sex tibi tribulationes sunt contra desideria cordis, et quinque partitam sensualitatis corporeæ voluptatem; sed in his sex liberaberis a septima,

non quidem ne veniat, sed ne lædat, ne noceat, ne tangat te malum. Veniet quidem mors: ipsa enim est septima tribulatio; sed somnus erit dilectis Domini, et ecce hæreditas ejus. Erit janua vitæ, erit initium refrigerii, erit sancti illius montis scala, et ingressus in locum tabernaculi admirabilis, quod fixit Deus, et non homo. In septima itaque non tanget te malum. Malum utique triplex, quod eos manet in septima, qui in sex tribulationibus dissimulant perfecte interim liberari, nec in sex hydriis purificantur ad liquidum, ut exhibeantur in nuptiis sponsi non habentes maculam neque rugam. Manet enim eos horror in exitu, dolor in transitu, pudor in conspectu gloriæ magni Dei.

6. Unde nobis ista dissimulatio est, fratres mei? unde hæc tam pernicioosa tepiditas? unde hæc securitas maledicta? Quid seducimus miseri nosmetipsos? Forsitan jam divites facti sumus, forsitan jam regnamus. Nonne ostium domus nostræ horribiles illi spiritus obsident? nonne exitum nostrum larvales illæ facies præstolantur? Quis ille pavor erit, o anima mea, cum dimissis omnibus, quorum tibi est tam jucunda præsentia, tam gratus aspectus, cohabitatio ipsa tam familiaris; sola ingrediens incognitam penitus regionem, occursantia tibi cætervatim ruere teterrima illa monstra videbis? Quis tibi in die tantæ necessitatis occurret? quis tuebitur a rugientibus præparatis ad escam? quis consolabitur? quis deducet? Filioli mei, memoremur hæc novissima nostra, ne peccemus. Nam et per ignem nobis transeundum est: et unius cujusque opus quale sit, ignis probabit. Ibi aurum nostrum vertetur in scoriam, ibi revelabitur universa impuritas, ibi Veritas ipsa accepto tempore, quod nobis interim datum contemnimus, justitias judicabit. Quid vero illic omnes justitiæ nostræ, nisi pannus menstruatæ reputabuntur? Quidquid nunc parvipendendo transimus, palpando tegimus, dissimulando negligimus, quanto illic cruciatu vindex flamma consumet? Utinam magis nunc daret quis capiti meo **1145** aquas, et oculis meis fontem lacrymarum: forte enim non reperiret ignis exurens, quod interim fluens lacryma diluisset.

7. Jam vero post ignem illum, putas, residuum aliquid inveniatur in nobis? aut tantum erit, ut audeamus illud vultui majestatis offerre; aut ejus sic astare conspectui? Quis ille pudor erit, quæve confusio, post tanta beneficia tam tepidos, tam imperfectos, tam vacuos apparere ante faciem Domini Dei nostri? Fugiebat Adam ut absconderetur ab eo, post unius utique pomi vetiti gustum (*Gen. iii, 8*); quid nos post tanta flagitia, post tanta facinora præsumemus? Quando ab hac confusione purgabitur oculus cordis, cui nunc operam dare negligimus, ut irreverberata acie veri illius solis radios valeat intueri? Sicut fluit cera a facie ignis, sic peribunt peccatores a facie Dei (*Psal. lxxvii, 3*). Ingrediatur

itaque putredo in ossibus meis, et subter me scæteat, ut requiescam in die tribulationis (*Habac. iii, 16*) hujus septimæ, et in ea non tangat me malum. Malum hoc triplex, horrois, doloris et pudoris. Felix siquidem anima, quæ fiducialiter inimicis suis loquetur in porta. Quid hic astas, cruenta bestia? Nihil in n.e, funeste [*alias, funestum*], reperies (*96*). Felicior, cujus opus non arserit, quem superædificasse aurum, argentum, lapides pretiosos, examen illud inveniet. Felicissimus, qui sine ulla nube confusionis, revelata penitus facie gloriæ Domini speculando, in eandem imaginem transformabitur, et similis erit illi, videns eum sicuti est, utique super omnia Deus benedictus, et laudabilis, et gloriosus in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXIX.

De triplici dilectione Dei [alias De diligendo Deo].

1. Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt, concupiscuntia carnis, et concupiscuntia oculorum, et ambitio sæculorum, quæ non sunt ex Patre (*I Joan. ii, 15, 16*). Quid ergo? sunt aliqua ex Patre, quibus nobis ista recompensentur? Sunt utique, omnino dulciora his et amabiliora; sed hæc non creduntur servis, multo minus inimicis. Quisquis vero amicus voluerit esse hujus mundi, inimicus Dei constituitur. Amicis creditur consilium, quibus dicitur: *Quia omnia quacunque audivi a Patre meo, nota feci vobis* (*Joan. xv, 15*). Exponit beatus Gregorius, quia amor ipse, notitia est. Est ergo triplex amor, qui tria illa excludat quæ non sunt ex Patre. Et propterea, credo, ter interrogatur Petrus: *Amas me, amas me, amas me?* (*Joan. xxi, 15-17*). Sed et forte hæc sunt, de quibus in lege præcipitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua* (*Deut. vi, 5*), id est, diliges dulciter sive affectuose, diliges prudenter, diliges fortiter. Siquidem amor cordis simile quiddam habet carnali amori; nam affectiones proprie cordis esse dicuntur. Anima vero aliquanto jam superius sonat, unde et dicitur sedes sapientiæ, ut merito videatur illi attribuendum prudenter diligere Deum.

2. Sane ad affectuosum illum, quem dicimus, cordis amorem plurimum valet Incarnationis Christi cogitatio, sed et totius dispensationis quam gessit in carne, et maxime passionis. Videns enim Deus homines omnino carnales affectos, tantam eis dulcedinem exhibuit in carne, ut durissimi cordis sit quisquis eum toto affectu non diligat. Volens siquidem nobilem creaturam hominem recuperare: Si, inquit, invitum coegero, asinum habebō, non hominem; quandoquidem non libens veniet, nec spontaneus, ut possit dicere: *Voluntarie sacrificabo tibi* (*Psal. lxxviii, 8*). Nunquid asinis dabo regnum meum? aut nunquid de bobus cura est Deo? Ut ergo habeam voluntarium, terrebo enim, si forte convertatur, et vivat. Et comminatus est acerbiora quæ ex-

(96*) Ita S. Martinus jam morti vicinus, teste Sulpitio.

cogitari possunt tenebras æternas, vermes immortales, ignem incxtinguibilem. Cum autem nec sic homo revocaretur, ait: Non solum timidus, sed etiam **1146** cupidus est; promittam ei quod potissimum desiderabile videatur. Desiderant homines aurum, et argentum, et similia; sed super hæc omnia vitam desiderant. Manifestum est hoc, et valde manifestum. Si, inquit, tantopere desiderant miseram hanc et laboriosam vitam et momentaneam, quantum diligent vitam quietam, æternam, beatam? Promisit itaque vitam æternam; promisit quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.

3. Videns autem quod nihil proficeret: Unum, inquit, restat adhuc. Inest homini non solum timor et cupiditas, sed et amor, nec quidquam in eo vehementius ad trahendum. Venit igitur in carne, et tam amabilem se exhibuit, ut illam nobis impenderet charitatem, qua majorem nemo habet, ut animam suam daret pro nobis. Quisquis sane nec ob hoc quidem converti voluerit, non merito audiet: *Quid debui facere tibi, et non feci?* (Isai. v, 4.) Et vere in nullo sic commendat Deus charitatem suam, quomodo in mysterio Incarnationis ejus et passionis; in nullo sic revelatur ejus pietas, in nullo sic apparet ejus benignitas, quomodo in humanitate, Apostolo teste, qui ait: *Apparuit benignitas et humanitas Salvatoris nostri Dei* (Tit. iii, 4). Nam potentia quidem occultata est, quoniam in infirmitate venit. Unde Habacuc: *Ibi, inquit, abscondita est fortitudo ejus, haud dubium quin in cruce, cujus cornua in manibus ejus* (Habac. iii, 4). Sapientia quoque abscondita est et incarnata; placuit enim ei per stultitiam verbi salvos facere credentes. Nonne quodam modo stultum se fecerat, qui tradidit in mortem animam suam, et tulit peccata multorum, et quæ non rapuit, tunc exsolvebat? Nonne ebrius erat vino charitatis, et immemor sui, contra Petri consilium, dicentis: *Propitius esto tibi?* (Matth. xvi, 22.) Itaque abscondita est fortitudo, maximeque velata et incarnata sapientia: sed benignitas non potuit amplius [alias, apertius] declarari, non abundantius exprimi, non evidentiùs commendari.

4. Porro id quidem ad affectuosum coram amore dixerimus pertinere. Nam et videre est homines sic affectos erga hujusmodi, ut vix sine lacrymis vel audiant, vel recordentur. Hic ergo amor contra concupiscentiam carnis est. Quid enim dulce sit ei in carne, cui tanta dulcedo est in Christi passione? Verum hæc dulcedo falli potest, si desit prudentia; et jam difficile caveri poterit in melle venenum. Necessè est igitur adesse prudentiam, qua diligentè interiora mysteria investigare possimus [alias, sacramentorum possint investigari], ut parati simus omni poscenti reddere rationem. Hic amor prudens excludit curiositatem. Siquidem animus hīs intentus temporalium non poterit esse curiosus, dicens cum Propheta: *Quomodo dilexi legem tuam, Domine! tota die meditatio mea est* (Psal. cxviii, 97).

(97) Cætera desunt in codice Cisterciensi.

A 5. Tertium est, ut fortiter quisque diligat, quatenus sicut falli non potest, ita nec cogi possit, paratus omnia pati propter justitiam. Quis autem nesciat eum qui rex cæli sit, terrena regna et honore non ambire, sed magis abjicere? Porro *beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum* (Matth. v, 10). Itaque de his tribus nunc Petrus interrogatur, quia prius inventus fuerat minus habens. Audiens enim primo de passione Domini, ferre non potuit, tanquam dulciter diligens; sed: *Absit, inquit, a te, utpote insipienter amans!* Unde et audire meruit: *Vade retro, Satana, quoniam non sapis ea quæ Dei sunt* (Matth. xvi, 22, 25). Simile aliquid in apostolis erat, quibus dicebatur: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem* (Joan. xiv, 28); imo vero quia diligunt, dolent. Et diligunt, et non diligunt; diligunt dulciter, sed non diligunt sapienter. Nocte vero ipsa qua tradendus erat Dominus, et dulciter, et prudenter diligebat Petrus, cum diceret: *Tecum paratus sum et in carcerem, et in mortem ire* (Luc. xxii, 33): sed non diligebat fortiter; quoniam

Qui cecidit, stabili non erat ille gradu

(Boet. de Consol. phil. lib. I. vers. 4).

Nondum venerat virtus ex alto, qua accepta non negavit, **1147** sed libera voce usus: *Vos, inquit, judicate, utrum Deo magis obedire oporteat, an hominibus* (Act. v, 29). An non congrue de dilectione requiritur, qui pascendo præponitur gregi? Ille enim præesse debet aliis, qui vino charitatis debriatus æstuat, immemor sui; ut non quærat quæ sua sunt, sed magis quæ Jesu Christi. Et nota quia requisitus Petrus an diligat plus his, tantum respondit se diligere, non audens affirmare quod prius se dixisse temere confundebatur: et fortasse propterea contristatus est (97). Dixerat enim prius: *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego* (Matth. xxvi, 33).

SERMO XXX.

De ligno, feno et stipula.

1. Nusquam est securitas, fratres, neque in cælo, neque in paradiso; multo minus in mundo. In cælo enim cecidit angelus sub præsentia divinitatis; Adam in paradiso de loco voluptatis; Judas in mundo de schola Salvatoris. Hæc idcirco dixerim, ne quis sibi de loco isto blandiatur, quia dicitur: *Locus iste sanctus est; quia non locum homines, sed homines locum sanctificant.* Sunt enim etiam inter nos tria genera hominum, ipsaque satis incongrua et ordini, et homini, qui hanc viam ingressus est. Sunt enim qui bene incæperunt, sed statim defecerunt. Et sunt qui nunquam incæperunt, sed in sua mollitie permanserunt, et permanent. Et sunt qui raptantur spiritu levitatis, tardi ad audiendum, veloces ad loquendum. paratissimi cursim enumerare quod faciunt, si qui faciunt tamen. Nunquid vel istos repellat [alias, abjiciet.] Deus? Non, si in fundamento permanserint: sed salvi erunt, sic tamen quasi per ignem. Per quem ignem? Dicit Apostolus: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est,*

quod est Christus Jesus. Si quis œdificaverit super fundamentum hoc lignum, fenum, stipulam; detrimentum patietur; ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem (1 Cor. iii, 11, 12, 15). Fundamentum Christus est; lignum fragile est, fenum molle, stipula levis. Lignum sunt qui fortiter incœperunt, sed fracti non renodantur. Fenum sunt, qui fugienda mollitie tepefacti, nec summitate digiti, ut dicitur, labores arduos attingere volunt. Stipula sunt, qui levitatis motibus exsufflati, nunquam in eodem statu permanent.

2. Et timendum quidem est de istis, sed non desperandum; quia si in fundamento Christum habuerint, hoc est in hac via vitam finierint, salvi erunt, sic tamen quasi per ignem. Ignis tria habet: fumum, lucem, ardorem. Fumus excitat lacrymas, lux vicina illuminat, ardor adurit. Ita et qui ejusmodi est, fumum, hoc est amaritudinem, in mente habere debet, quia tepidus est, quia remissus est, quia levis; quia ordinem, quantum in se est, subruit et perturbat. Sed et lucem in ore, ut qualis est in mente, lucem se in confessione et dicat, et plangat, ut et linguam acuat conscientia, et conscientiam arguat lingua. Necessè est quoque ut ardorem sentiat in corpore, id est poenitentiae tribulationem, etsi non multimodam, aliquam tamen. Putas quia sic compunctos corde, ore confessos, corpore fatigatos abjiciet, qui omnes homines vult salvos fieri et neminem vult perire? Sunt et alii qui œdificant super fundamentum hoc, aurum, argentum et lapides pretiosos; qui vehementer incipiunt, vehementius proficiunt, vehementissime perficiunt, non attendentes quid caro possit, sed quid spiritus velit.

SERMO XXXI.

De sollicita cura cogitationum.

1. Admonet nos beatus Benedictus, fratres, sollicitos esse circa cogitationes nostras (*Regulæ* cap. 7), Sapientis utique consilium sequens, qui omni custodia cor custodire suadet, quoniam ex ipso vita procedit (*Prov.* iv, 23). Tria igitur occurrunt mihi genera cogitationum, a quibus multa sollicitudine cavere necesse sit eos qui convertuntur ad cor, et dignum Deo in semetipsis templum exhibere **1148** festinant. Sunt enim nonnullæ interdum cogitationes penitus otiosæ, et ad rem non pertinentes: quas tam facile abjicere, quam recipere facile possit anima, dummodo sit secum habitans in corde, et assistens dominatori universæ terræ.

2. Sunt et aliæ cogitationes violentæ magis et fortius adhærentes, quæ videlicet ad necessitates naturæ pertinent, et quasi ex eodem assumptæ limo, de quo et nos facti sumus; si paululum insederint, avelli nequeunt sine læsione et difficultate. Sæpe enim sic afficit nos cogitatio carnalis de cibo, de potu, sive vestimento, ut vix eradicari queat de cordibus nostris: quod non aliunde est, nisi quod et ipsa limosa et viscosa quodam modo, limosam nihilominus et glutinosam invenerit terram. Non sine causa enim dictum est hominem plasmatum non de terra qualibet, sed de limo (*Gen.* ii, 7). Vide enim

quam limosum sit corpus, quod ipsi quoque spiritui tam fortiter et pene indissolubiliter inhæret, ut vix cum multa afflictione possit aliquando separari. Quid ergo agendum, cum limosâ illa cogitatio mentem subierit? Plane exclamandum nobis est cum sancto Jacob, atque dicendum: *Rubeus, primogenitus meus, non crescas: ascendisti enim cubile patris tui* (*Gen.* xlix, 3, 4). Rubea enim et carnalis atque sanguinea hujusmodi concupiscentia est: quæ tunc cubile nostrum ascendit, cum non solum memoriam tangit cogitatione, sed et ipsum voluntatis stratum ingreditur, et polluit prava delectatione. Bene autem primogenitus noster dicitur appetitus ille carnalis, qui ab ipso nimirum initio vitæ nostræ in nobis pullulavit, cum cætera vitia processu temporis ex militia mundi hujus, variisque occasionibus contrahantur. Oportet ergo reprimere, quem extinguere non possumus appetitum: ut quam cito cubile nostrum ingreditur, crescere eum nullatenus patiamur, sed sub nobis sit, quemadmodum dicit Scriptura: *Subter te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius* (*Gen.* iv, 7).

3. Jam vero tertium cogitationum genus immundum nimis ac fetidum est, quod nec admittere quidem ulla ratione debemus, sed a longe præsentire fetorem, et tota virtute repellere, toto animo propulsare, et conversi statim ad gemitus, lacrymis atque suspiriis invocantes Spiritum, qui adjuvet infirmitatem nostram. Sic nimirum confusus abscedens, non tam facile deinceps simile aliquid viriliter resistentibus nobis malignus hostis offerre, vel afferre præsumet. Dicò autem cogitationes illas immundas penitus ac fetidas, quæ ad luxuriam, ad indiviam et vanam gloriam pertinent, cæteraque vitia detestanda. Oportet enim, si mundas conservare volumus animas nostras, adhuc longe agentibus cogitationibus hujusmodi multa cum indignatione occurrere, et exsufflare a nobis, ut nullus eis detur accessus. Et primum quidem genus cogitationum, otiosarum scilicet et ad rem non pertinentium, lutum est, sed lutum simplex, id est non inhærens nec fetens, nisi forte diutius immoretur in nobis, et per incuriam ac negligentiam nostram in alterum genus cogitationum vertatur: quod quotidie experimur. Dum enim otiosa tanquam minima spernimus, ad turpia atque inbonesta dilabimur. Secundum vero cogitationum genus, non lutum simplex, sed, ut jam diximus, viscosum ac limosum est. Nam tertium quidem sic cavendum est, non tanquam lutum aut limos, sed tanquam immundissimum ac fetidissimum cœnum.

SERMO XXXII.

De triplici judicio, proprio, humano et divino.

1. Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Minister Christi sic debet conversari, ut ex moribus exterioris hominis qui videtur, existimetur compositio interioris animi qui non videtur, ne vel ab alio, vel a se ipso possit judicari, sed dicat cum eodem apostolo: *Minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano deo: sed neque me ipsum judico; qui autem judi-*

cut me, Dominus est (1 Cor. iv, 1, 3, 4). In quibus A verbis notanda sunt tria judicia, humanum, suum cuiusque proprium, et divinum. Et humanum quidem potest judicare de rebus exterioribus, quæ sensibus corporis percipiuntur; de interioribus vero non potest. Hinc enim scriptum est: *Quis enim scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus qui est in eo?* (1 Cor. ii, 11.) Quapropter de his quæ sunt in homine, potest judicare spiritus hominis qui in ipso est; longe vero præstantius de his ipsis judicat Deus, cujus necdum se fatetur Apostolus evasisse iudicium, qui tamen jam humanum transcendisset, et proprium. Porro humanum contemnebat qui dicebat: *Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die.* Sed neque proprium timebat qui dicebat: *Sed neque me ipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum.* Solum ergo restabat divinum, de quo ait: *Qui autem judicat me, Dominus est.*

2. Debet tamen quisque, quantum potest, se irreprehensibilem exhibere, primum quidem coram Deo, sed deinde etiam coram hominibus. Hoc nempe est quod alibi loquitur idem apostolus, dicens: *Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus* (Rom. xii, 17). Tribus siquidem modis providemus bona coram hominibus, id est habitu, actione, sermone: habitu, ut sit notabilis; actione, ne sit reprehensibilis; sermone, ne sit contemptibilis. Tribus etiam modis coram Deo, cogitatione, affectione et intentione. [Nam et cogitatio debet esse sancta, unde scriptum est: *Cogitatio sancta servabit te; et affectio pura; et intentio recta.* Sunt autem tria ista, id est cogitatio, affectio et intentio in anima. Sed in ea quoque propriis singula locis distincta videntur. Nam cogitatio in memoria est, affectio in voluntate, intentio in ratione consistit.]

3. Atque ut eorum usum ac differentiam clarius videamus, sumamus nobis exemplum de rebus exterioribus. In corporibus si quilibet deformis color eorum tantum inficiat, corpus quidem turpius redditur, sed nil ei de sua sanitate ex hoc adimitur. Si vero carni putredo aliqua, vel lividus tumor insederit, jam non solum decus corporis, sed et salus quoque perturbatur. Quod si languor forsitan invalescens, eum ipsa carne ossa quoque medullitus occupavit, tunc demum de vita non immerito potest desperari. Eodem modo in anima, si peccatum suggeritur memorie per cogitationem, nullum tamen præbuerit aut voluntas affectum, aut deliberatio ipsa consensus: fateor quidem deformitas est, nec audire interium anima illa meretur: *Tota pulchra es, amica mea* (Cant. iv, 7). Cæterum etsi nævus est, sed non morbus. Quod si voluntas quoque præoccupata sensu delectationis afficitur, resistit tamen adhuc deliberatio rationis; infirmatur quidem, sed necdum moritur anima: clamet tamen necesse est: *Sana me, Domine, et sanabor* (Jerem. xvii, 14). Tunc vero mori dicitur, quando et ipsa ratio ad peccatum per intentionem curvatur. Tunc enim consentit; et de tali dicitur: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur* (Ezech.

xviii, 4). Hunc triplicem gradum deploravit David ex persona peccatoris [alias, Adam], dicens Domino expellenti de paradiso in latam hujus sæculi evagationem: *Confirmasti super me manum tuam.* Et quoniam carnalia desideria sunt poena peccati: *Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ.* Jam vero nec robur est rationis: *Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum* (Psal. xxxvii, 3, 4). Qui rursus eisdem gradus ex persona justi decantat, dicens: *Memor fui Dei, et delectatus sum, et exercitatus sum* (Psal. lxxvi, 4). Delectatus enim per voluntatem, exercitatus per rationem.

4. Ne ergo a memoria expellat Deum irruens turba plurimarum cogitationum, quæ solent effluere tanquam vilis plebs in atrium, ponatur ad ejus portam janitor, cujus nomen est recordatio propriæ professionis; ut cum turpibus sese cogitationibus senseri animus prægravari, increpet se, et dicat sibi: Tunc hæc debes cogitare, qui sacerdos es, qui clericus es, qui **1150** monachus es? Cultor justitiæ debet in se quidquam iniquum admittere? Decet servum Christi, amatorem Dei, tale aliquid vel ad modicum meditari? Hæc dicendo, excludet fluxum illicitæ cogitationis per recordationem propriæ professionis. Similiter ad portam voluntatis, in qua solent manere carnalia desideria, tanquam in domo domestica familia; statuatur ostiarius, qui vocatur recordatio cælestis patriæ. Hic enim potest pravum desiderium, quasi cuneus cuneum, expellere; et ipsum qui ait: *Ecce sto ad ostium et pulso* (Apoc. iii, 20), sine cunctatione recipere. Jam vero ad thalamum rationis talis et tam ferox adhibendus est custos, qui nemini parcat: sed quicumque hostis, sive clam, sive palam ingredi præsumperit, procul eum arceat; et hic sit recordatio gehennæ. In cæteris siquidem, id est memoria et voluntate, non ita est intolerabile, si vel memoria recipiat quandoque vagam cogitationem, vel voluntas imparam affectionem: hoc vero gravissimum et omnino damnosum, si unquam ratio perdidit rectitudinem intentionis.

SERMO XXXIII.

De verbis psalmi xxiii, « Quis ascendit in montem Domini? »

1. Verbum exhortationis est, fratres mei, ut quandoquidem omnes ascendere nitimur, omnes tendimus in sublime, sursum aspiramus omnes, omnes conamur in altum: illic studeamus ascendere, ubi bonum sit nos esse, ubi securum sit nos esse, unde cadere non oporteat, ubi stare possimus. Nec modo ut desiderium provocet, ascensorem montis hujus Propheta requirit; verum etiam ut ascendere cupientem modum doceat ascendendi. Felix, qui hujus montis ascensiones in corde suo disposuit, concupiscens et deficiens in atria Domini. Siquidem mons iste mons uber, honorum omnium cumulus, mons voluptatis æternæ, domus Dei est. Et beati qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te (Psal. lxxxiii, 5). Audi testem fidelem, quia mons est domus ista: *O Israel, quam magna*

domus Domini, et ingens locus possessionis ejus! magnus, et non habens consummationem, excelsus et immensus (*Baruch. III, 25, 25*); Imo vero non solum mons est, sed et mons montium, multæ in eo mansiones, multi montes. Denique etiam fundamenta ejus in montibus sanctis (*Psal. LXXXVI, 1*).

2. Et ne hoc quidem sanctus tacuit Isaias: *Erit, inquit, mons domus Domini præparatus in vertice montium, et elevabitur super colles* (*Isa. II, 2*). Quidni montium mons, fundatus exsultatione universæ terræ, ubi tam multiplex omnium delectabilium copia, ubi una copiarum omnium plenitudo? Erit enim mons pacis, mons gaudii, mons vitæ, mons gloriæ: et hi omnes montes unus mons consummatæ felicitatis. An non mons pacis, pax super pacem, pax quæ exsuperat omnem pacem? Plane mons magnus pax in corde, pax in carne, pax ab iniquis hominibus, pax cum omnibus proximis, pax ab ipsis dæmonibus, pax cum Deo; et pacis non erit finis. Erit gaudium, sed quale Dominus ait, *gaudium plenum, securum gaudium, quod nemo tollet a nobis* (*Joan. XVI, 24, 22*). Sed et vitam habituri sumus, et abundantius habituri, quod non possit inefficax esse tanti pastoris adventus, qui ad hoc ipsum venit ad oves, sicut ipse testatur, *ut vitam habeant, et abundantius habeant* (*Joan. X, 10*). Nunquid non etiam mons tibi videtur æternum gloriæ pondus supra modum in sublimitate? Porro ex his omnibus, et si qua possunt similiter desiderabilia cogitari, una est beatitudinis mensura bona, conferta, coagitata, superfluens (*Luc. VI, 38*): ac si plurimos montes, alium quidem aureum, alium argenteum, alium ex hyacinthis et smaragdibus, atque omnium gemmarum gloria; alium quoque ex vermiculo, purpura et bysso, cæterisque ejusmodi opibus pariter coarcervans, in unum redigas montem. Omnia enim vobis multiplicata reddentur. Et qui aurum et argentum, lapides pretiosos superædificaverit **1151** fundamento, ædificium humile in immensos montes excrevisse mirabitur; et ex modico semine magnos metet, non tam manipulos, quam acervos manipulorum.

3. *Quis ergo ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus, et mundo corde.* Beatus ille, si quis tamen ille est. Sed quis gloriabitur innocentes manus, aut castum se habere cor? Nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram (*Job' XIV, 4* juxta LXX). Unus tantum est inter noxios innocens, mundus inter impuros, inter mortuos liber unus est, et non æstimabitur alius absque eo. Ipse est de quo legisti: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo* (*Joan. III, 13*). Erat enim innocens manibus, qui peccatum non fecit sed multa bona operatus, Judæis libere aiebat: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* (*Joan. VIII, 46*). An vero mundissimum cor fuisse quis dubitat, unitum personaliter Sapientiæ, in quam nihil inquinatum incurrit; attingit autem ubique propter suam munditiam? Sed non in vano accepit animam

suam, qui solus potestatem habuit ponendi animam suam, et iterum resumendi (*Joan. X, 18*). Non in vano accepit nascens, non in vano posuit moriens, non in vano accepit resurgens.

4. At quomodo non in dolo juravit proximo suo, quomodo non in vano accepit animam suam, quomodo non in vano omnia illa perfecit, si hic solus accipiat benedictionem? Itane oportebat Christum pati, resurgere, et sic introire in gloriam suam? (*Luc. XXIV, 26*.) Sua erat. Quæ utilitas in sanguine ejus, dum omnes descendimus in corruptionem? Quæ veritas in promissione, si, ut supra meminimus, *nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit*? Esto, hic accipiat benedictionem: misericordiam quare? At non solus hic accipiet, aut certe magis non soli sibi accipiet, si advertas. Perge enim per sacra verba prophetica, et vide quonam modo, velut occulte multitudinem subinducit. Loquebatur de uno et dicebat: *Hic accipiet*; sed continuo transfudit in hanc generationem, et ait: *Hæc est generatio quærentium*: ut in uno non personæ singularitatem intelligas, sed spiritus unitatem. Nimirum hic sponsus, et hæc sponsa est; et scimus quis dixerit: *Jam non sunt duo, sed una caro* (*Matth. XIX, 6*). Ita ergo hic ascendet, hic accipiet benedictionem; sed ascendet etiam cum eo, vel magis in eo, quia ab eo accipiet benedictionem. Audi hoc a Propheta: *Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem* (*Psal. LXXXIII, 8*). Atque hoc est propter quod oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis; ut prædicetur in nomine ejus pœnitentia, et remissio peccatorum (*Luc. XXIV, 46, 47*): et pœnitentia ad innocentiam, remissio ad munditiam deputetur. Beatus enim, non in quo non invenerit, sed cui non imputabit Dominus peccatum (*Psal. XXX, 2*). Inveni, ait, *hominem secundum cor meum* (*Act. XIII, 22*). Nunquid ut gloriari possit castum se habere cor? Non; quia *stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus* (*Job XXV, 5*); sed cor contritum et humiliatum Deus non despiciet (*Psal. L, 19*). Cor contritum proximum cordi mundo; et hoc est esse juxta cor Dei: siquidem prope est his qui tribulato sunt corde. Samaritanus est, proximus ei qui incidit in latrones (*Luc. X, 30-36*). Non jurabit in dolo huic proximo suo, sed faciet quod promisit: *Amen dico vobis, sedebitis vos judicantes* (*Matth. XIX, 28*).

5. Simus ergo et nos, dilectissimi, pro nostro quidem modulo, et manu innocentie, et cordis munditie sectatores. Ante omnia quidem solliciti, cisi penitus cavere pro humana fragilitate non prævalemus, quantum tamen declinare a malo possumus, non modo actionis, sed et cogitationis. De cætero quoque ne in vano acceperimus animas nostras rationales, exerceamus nos in operibus bonis, et consilio rationis utamur. Quomodo enim non frustra humanam accipit homo animam, qui, tanquam unum ex irrationabilibus animantibus, incubans corporeis voluptatibus, solum sequitur carnis appetitum? Addidit quoque Propheta: *Nec juravit in*

dolo proximo suo. Sicut enim munditiam intra nos, A et erga proximum innocentiam **1152** convenit observari; sic et in nobis, et erga proximum exercenda virtutis opera, opera pietatis. Non ergo simus nobis inutiles, ne in vano receperimus animas nostras; non simus inutiles proximo nostro, ne in vano ei jurasse probemur. Novit figmentum nostrum Spiritus qui loquebatur per Prophetam, nec de utilitate proximi simpliciter voluit commonere. De juramento nos convenit, ut agnoscamus debitum, ut promissam fidem irritam facere vereamur. Omnes enim proximis jurati sumus, cum quibus in Ecclesie venimus unitatem. Et hæc professio fidei Christianæ, ut qui vivit, jam non sibi vivat, sed ei qui pro omnibus mortuus est.

6. Nec mihi dicat quis: Ei vivam, sed tibi non: B quandoquidem ille non solum pro omnibus vixit, sed et pro omnibus mortuus est (*II Cor. v. 15*). Quomodo enim ei vivit, qui negligit sic ab eo dilectos? quomodo ei vivit, qui legem ejus non implet, qui mandatum ejus non servat? Quæris legem? quæris mandatum? *Hoc est, inquit, mandatum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos (Joan. xiii, 34)*; et Apostolus: *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi (Galat. vi, 2)*. Noli ergo putare gratuitum bonum quod exhibes proximo, ut liceat etiam dissimulare si velis. Debitor es sacramenti cautione, et propria professione teneris. *Hic ergo accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo.* Hic, quia unus accipit bravium. Sed ne unum hominem putes, hæc est generatio querentium Dominum. Hic accipiet benedictionem, quia caput et corpus unus est Christus. Sed hæc est generatio, quia in mensura ætatis plenitudinis Christi omnes pariter occurremus (*Ephes. iv, 13*).

7. Et forte idem ipse Dominus mons Domini est, de quo dicitur: *Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus?* Nimirum ipse est abscissus sine manibus lapis, qui in montem crevit immensum (*Dan. ii, 34, 35, 45*): ipse qui exaltatus a terra omnia trahit ad se (*Joan. xii, 32*), mons coagulatus, mons pinguis. Utquid vos Judæi, utquid suspicamini montem coagulatum, montem in quo beneplacitum est Deo habitare in eo? (*Psal. lxxvii, 16, 17*.) *In Beelzebub, inquit, principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Exsecranda suspicio, et blasphemia reprehensibilis! Princeps est Christus, et magnus princeps, cujus ne ipsi quidem dæmones possunt effugere principatum. At illorum regnum in se ipsis divisum desolabitur (*Matth. xii, 24, 25*): hujus regnum integrum atque perfectum, et regni ejus non erit finis (*Luc. i, 33*). Distat ergo inter principem et principes, nec ulla comparatio inter montem coagulatum et pinguem, et montes tantum coagulatos. Vester iste Beelzebub mons coagulatus, sed non pinguis, magis autem sterilitate perpetua maledictus. Mons, quia elatus est: coagulatus, quia squama squamæ conjungitur, et coagulatum est sicut lac cor eorum.

8. Christus Dominus mons est, mons coagulatus,

et mons pinguis. Mons est sublimitate, coagulatus multorum congerie, pinguis charitate. Et nunc vido quomodo trahat ad se omnia, quomodo ei omnia uniantur unitate substantiali, personali, spiritali, sacramentali. Habet in se Patrem, cum quo est una substantia; habet assumptum hominem, cum quo est una persona; habet adhærentem sibi fidelem animam, cum qua est spiritus unus; habet sponsam Ecclesiam unam omnium electorum, cum qua est caro una. Et forte carnalis hæc unio dicenda fuisse videbitur; sed sacramentalem dicere malui, dignus hoc vocabulum arbitratus, præsertim occasionem dante Apostolo, ubi ait: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, et in Ecclesia (Ephes. v, 32)*. Pinguissimus plane et uberrimus mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: siquidem propterea unxit eum oleo lætitiæ præ participibus suis. Mons cœlestium aromatum, mons charismatum spiritalium, non ad mensuram accipiens spiritum, sed omnimodam obtinens plenitudinem gratiarum. Magnus mons, in quo omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi sunt, in quo tota humanitatis veritas, tota divinitatis inhabitat plenitudo; excelsus et immensus: in quo omnia instaurantur quæ in **1153** cœlis, et quæ super terram, ut sit Deus omnia in omnibus.

9. Venite, ascendamus in hunc montem, fratres: et si via nobis videtur ardua, exoneremus nos; si arcta, etiam exinanire nos non parcamus; si longa, tanto magis festinemus; si laboriosa, clamemus ei: C *Trahe nos post te, in odore unguentorum tuorum curremus (Cant. i, 3)*. Felix qui sic cucurrerit, ut comprehendat, imo ut ipse comprehendatur, et in illam amplitudinem montis et plenitudinem corporis Christi mereatur admitti. Felix qui in illum beatificum montem tam desideranter et perseveranter ascenderit, ut in loco sancto locum accipiens stationis, Deo Patri in sancto ejus appareat, simul et videat virtutem ejus et gloriam (*Psal. lxxii, 3*), haud aliam sane quam eundem ipsum montem montium, montem coagulatum et pinguem, Jesum Christum Dominum nostrum. In quo nimirum per prædestinationem ab æterno apparuimus ei qui dilexit nos, et gratificavit in dilecto Filio suo, in quo elegit nos ante mundi constitutionem (*Ephes. i, 4*). Sed jam tunc cognoscemus, sicut et cogniti sumus, cum plenius et perfectius exaltatus altissimus et uberrimus ille mons omnia trahet ad se, qui est super omnia benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XXXIV.

De verbis Origenis in Levit. x, 9.

1. Nocere possunt, ut vereor, forte nonnullis verba quæ heri lecta sunt vobis, ex homilia scilicet Origenis super capitulum illud legis, ubi Aaron et filii ejus vinum bibere prohibentur, cum accessuri sunt ad altare: si recipiant ea simpliciter, sicut sonare videntur. « Salvator meus, » inquit, « luget etiam nunc peccata mea, et tandiu est in mœrore, quandiu nos persistimus in errore. » Plurima quoque alia in hunc modum abundantius forsitan, quam cir-

cumspectus dicta, nec tam sobrie quam diserte. **A** Quidnam sibi vult insolitus iste grunnius? aut quis inter vos nescio quid submurmurat? Scio quidem doctos in lege divina hujusmodi verba ridere; sed nihilominus etiam minus sapientibus me confiteor debitorem. Nec modo de intellectu Origenis quæstio est. Potuerit forsitan hyperbolice loqui: ipse viderit, nihil interest nostra. Quamvis ne hoc quidem silendum arbitror, quod evidentissime illum contra fidem nonnulla scripsisse sanctorum Patrum tradat auctoritas, atque ideo non sine circumspectione monet esse legendum. Verum nos in præsentī non quid ipse senserit quærimus, sed id agere cupimus, ut vos omnes quod ad sanam doctrinam pertinet sentientes, nihil moveamini verbis illis.

2. Absit enim ut in cælo credatur locus esse tristitiæ, sicut nec culpæ? Nemo ibi delinquere, nemo lugere potest: sicut nec in terra quidem pœna ulla fuisset, nisi iniquitas præcessisset. In cælo utique sola justitia, sola nihilominus lætitia est; in inferno solum peccatum, et pœna peccati: porro in medio utraque inveniuntur, atque ideo neutra consummata. In multis offendimur, quia in multis offendimus omnes (*Jac. iii, 2*). Quoniam enim nullus in cælo passionis locus esse poterat vel doloris, propterea sane Unigenitus Dei Patris, passione sua hominem redempturus, sicut carnem in qua pateretur (qui pati non poterat in divinitate) suscepit, sic etiam in terris visus est, et cum hominibus conversatus est (*Baruch. iii, 38*), ut humiliaret etiam semet ipsum in loco afflictionis. Hic ergo turbare se, pavere quoque dignatus est et lædere, tentatus per omnia pro similitudine absque peccato. In terra, inquam, vere lacrymatus est Jesus, vere contristatus, vere passus, vere mortuus, vere sepultus; sed ubi surrexit, vetera transierunt. Noli ultra dilectum tuum in tuo quærere lectulo: surrexit, non est hic. Vox sponsæ est: *In lectulo meo quæsi vi quem diligit anima mea; quæsi vi, et non inveni* (*Cant. iii, 4*). Maria fuit quæ Dominum quæsi vit in lectulo, quæsi vit in tumulo, nec inveniit. Magis autem invenerunt eam vigiles, et dixerunt: *Quid quæris viventem cum mortuis?* (*Math. xxviii, 5; Luc. xxiv, 5*.) Fuit quidem cum **1154** mortuis, sed jam non est: fuit inter mortuos, sed et tunc liber fuit. Siquidem ipse sese turbavit, ipse animam suam posuit; quia ipse voluit oblati est (*Isai. liii, 7*). Omnis enim ei infirmitas de voluntate fuit, non de necessitate. Unde et quod infirmum erat Dei, fortius erat hominibus (*I Cor. i, 25*): quod esset tunc quoque etiam inter parvulos magnus, inter infirmos validus, inter mortuos liber.

3. Videtur quidem et in nostris aliquando tribulationibus esse nonnulla libertas, cum videlicet pro peccatis proximorum libera et liberali charitate laborem pœnitentiæ sustinemus, lugentes pro eis, jejunantes pro eis, vapulantes pro eis, et quæ non rapuimus exsolventes. Unde et Paulus: *Cum liber essem, inquit, ex omnibus, omnium me servum feci* (*I Cor. ix, 19*). Cæterum nihil hoc ad libertatem

illius, qui nihil proprii delicti habuit, qui nihil morti debuit, nihil meruit tribulationis. Nam a nobis quidem etiam voluntarias illas tribulationes etsi proximus exigere forsitan ex jure non potest, exigit tamen Deus: et si proximo forte videtur quis reddere plus quam debeat, Deo tamen nemo unquam totum reddidit quod debebat. *Mihi autem, inquit Apostolus, pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die; sed neque me ipsum judico* (*I Cor. iv, 3*). Nota sane quod alibi ait: *Si nosmetipsos judicemus, non utique judicemur* (*I Cor. xi, 31*); et item: *Spiritualis homo omnia dijudicat* (*I Cor. ii, 15*). Non enim *judicare* hic posuit, sed *dijudicare*: quod utique discernere et probare est, sicut item ait: *Beatus qui se non judicat in eo quod probat* (*Rom. xiv, 22*).

B Itaque pro minimo illi erat ut ab eis judicaretur, quibus nihil sese debiti officii subtraxisse sciebat, nihil peccasse in aliquem, sed magis omnibus præstitisse, adeo ut secunda conscientia ingenue loqueretur: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* (*II Cor. xi, 29*.) Nam et Judæis Judæus factus est, ut Judæos lucrifaceret, et his qui sine lege erant, tanquam sine lege: postremo omnibus omnia factus est, ut omnes salvos faceret (*I Cor. ix, 22*). Merito proinde pro minimo illi erat ut ab eis judicaretur, quibus usque adeo sese sine offensione præberat, inter quos sic honorificaverat ministerium suum. Sed neque ipse se dijudicabat in eo quod probabat, perfecte etiam sibi quod debebat impendens, corporis castigationem, animæ miserationem, atque omnem custodiæ sollicitudinem cordi suo, ut nec in se quoque peccati conscius haberetur. *Sed non in hoc, inquit, justificatus sum: qui autem judicat me, Dominus est* (*I Cor. iv, 4*). Illius enim prorsus nequeo declinare iudicium; et si justus fuero, non levabo caput, quoniam omnes justitiæ meæ tanquam pannus menstruatæ coram illo (*Isai. lxiv, 6*). Non est qui in conspectu ejus justificaretur, non est usque ad unum.

4. Cæterorum siquidem nemo est quem non oporteat dicere Deo: *Tibi peccavi*; sed magnus qui in veritate potest dicere: *Tibi soli* (*Psal. l, 6*). Solus ille etiam inter mortuos penitus liber fuit, qui peccatum non fecit, cujus justitia sicut montes Dei. Cæterum jam **D** nec inter mortuos est, sed assumptus ab eis, mutatus corpore, mutatus et corde, ingressus in potentias Domini, et omni infirmitate privatus, exutus nimirum sordidas illas vestes, quibus sane apud Zachariam prophetam primo vestitus apparuit (*Zach. iii, 5*), et indutus splendidis, sicut loquitur in psalmo: *Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitiis* (*Psal. xxix, 12*). Quia enim veram humanæ carnis et animæ substantiam suscepit, veram utriusque naturam; nec corporis illi defuerunt, nec animæ passiones; sed ex hoc jam glorificatus est in utroque. Puto autem quod utriusque glorificationem brevi uno versiculo Propheta comprehendit, dicens: *Dominus regnavit, decorem induit, induit Dominus fortitudinem* (*Psal. xcii, 1*). Decorem sane in corpore claritatis,

fortitudinem vero in imperturbabili statu mentis. A Denique *tristis est*, inquit, *animo mea usque ad mortem* (*Matth. xxvi, 38*). Unde et inclinans caput, dixit: *Consummatum est* (*Joan. xix, 30*); ne quid deinceps infirmitatis in eo liceat suspicari.

5. Sed ait iste: « Si Apostolus ipsius luget quosdam qui ante peccaverunt, nec pœnitentiam egerunt in his **1155** quæ gesserunt (*II Cor. xii, 21*): quid dicam de ipso, qui Filius dicitur charitatis? » Et deinde: « Cum ergo quæ nostra sunt quæsierit, nunc jam nos non quærit, nec quæ nostra sunt cogitat, nec de erroribus nostris mœret, nec perditiones nostras desinet et contritiones, qui flevit super Jerusalem? (*Luc. xix, 41*.) Item: « Nunc, » inquit, « quia misericors et miserator est Dominus, majori affectu, quam apostolus suus, flet cum fletibus, et luget eos qui ante peccaverunt. Nec enim putandum est quod Paulus luceat pro peccatoribus et flet, Dominus autem meus absteat a fletu. » Hæc quidem sic accipere, quidam adhuc dilectum in lectulo quærere dicam? Nescit mortuus extra tumulum, nescit infirmus extra lectum, nescit parvulus extra lectulum quærere quem diligit anima sua. Verum ille, ut supra meminimus, non minus corde, quam corpore glorificatus (imo tanto amplius, quanto amplior anima, et gloriæ capaxior est quam caro), sicut non potest negligere suos, sic nec lugere pro eis. Sed quando humana fragilitas hujusmodi capere possit affectum, qui sine miseria misereatur, et sic diligit, et vehementer diligit eum qui dolet, aut qui periclitatur, ut tamen ipse omnino nec doleat, nec turbetur? Verumtamen etsi id longe supra nostram experientiam est, Deo tamen nihil impossibile est. Potest igitur non modo sibi, sed et suis omnibus, quos infirmitate carnis exutos virtute induit, et in potentias introduxit, eam conferre dilectionem, quæ gaudeat cum gaudentibus, non autem flet cum fletibus; et sic eos quos amat, efficacissime et affectuosissime uniat, ut ipsa tamen imperturbabilis perseveret. Nec dubium sane quin longe præstantior sit ea dilectio, quemadmodum medicina, si quæ tamen ejusmodi est, pretiosior utique judicatur, quæ sic curat vulnera, ut inter curandum nec virtus ejus in aliquo, nec substantia minuatur; quam ea quæ sic curat, ut curando deficiat, aut corrumpatur. Licet ergo D fleverit Dominus super Jerusalem, ex hoc jam omnino non flebit: sicut mortuus est, sed resurgens ex mortuis jam non moritur (*Rom. vi, 9*): sicut fuit in lectulo, sed exurgens jam in lectulo non invenitur.

6. Habet tamen etiam nunc ineffabiliter ampliorem affectum et efficaciorum, quam habeant qui lugent pro delinquentibus, aut pro fratribus ponunt animas: quamvis ipse quidem, consummato nimirum opere suo, neutrum deinceps sit facturus. No-

stræ infirmitatis istud est, quorum adhuc in mari sagena trahitur, et ex omni genere piscium congregat, nihil omnino discernens. Ille enim, nec modo ille, sed et apostoli, et cæteri qui cum eo sunt sancti, ad littus utique pervenerunt, nec mistos pisces in vasis posuere, sed electos et bonos tantum: nam malos utique foras miserunt (*Matth. xiii, 47, 48*). Quantos ego interim cogor trahere malos pisces, quantos anxios et molestos intra sagenam meam congregavi, quando vobis adhæsit anima mea! Congratulor proficientibus; jucunda affectio, bonus est piscis. Condoleo deficientibus, fleo cum fletibus, angor pro periclitantibus, infirmorum cum infirmantibus, uror cum scandalizatis. Gravia sunt hæc et acerba, utique mali pisces. Malos autem dixerim, non propter culpam, sed propter pœnam. Faciat Deus, ne a multitudine malorum piscium obruamur pusillanimitate spiritus et tempestate, donec perveniamus ad optati littoris stationem, ubi malos separemus et secludamus a bonis, ut videlicet de cætero nec luctus, nec clamor, sed nec ullus dolor, aut etiam timor sit in finibus nostris, sed gratiarum actio, et vox exultationis.

SERMO XXXV

De tribus ordinibus Ecclesiæ, ad patres in capitulo habitus (97').

4. Hoc mare magnum et spatiosum (in quo utique certum est nihil aliud quam præsens sæculum aniarum fluctuans designari) tribus hominum **1156** generibus suo cuique modo pervium est, ut trans-eant liberati. Tres enim sunt Noe, Daniel et Job (*Ezech. xiv, 14*): quorum primus navi, secundus ponte, tertius vado transit. Porro tres homines, tres ordines Ecclesiæ signant. Noe quidem arcam rexit ne periret in diluvio, ubi protinus rectorum Ecclesiæ formam agnosco: Daniel vir desideriorum abstinentiæ et castimonie deditus, ipse est soli Deo vacans pœnitentium et continentium ordo: Job quoque substantiam hujus mundi bene dispensans in conjugio, fidelem designat populum terrena licite possidentem. De primo igitur et secundo nobis habendus est sermo, quoniam adsunt venerabiles fratres et coabbates nostri de numero prælatorum; adsunt et monachi de pœnitentium ordine: a quo tamen nec nos abbates alienos reputare debemus, nisi forte, quod absit! officii nostri gratia, nostre fuerimus professionis immemores. Tertium igitur, conjugatorum videlicet ordinem, magis succincte transcurro, tanquam minus ad nos pertinentem. Ipse est qui maxime mare magnum vado pertransit, laboriosum prorsus et periculosum, etiam et longum habens iter, quippe qui nulla viæ compendia captet. Nam quod periculosum sit iter, in eo patet, quod tam multos in eo perire dolemus, tam paucos vi-

(97') Hic sermo in codice Colbertino optimæ notæ locatur ante sermonem de Nativitate B. Mariæ; in Regio post, cum hoc titulo, *Sermo ad abbates venientes ad capitulum Cistercii*. In Fulcusi

gallico, inter sermones de Quadragesima. Olim Capitulum Cisterciense idibus septembris celebrari mos erat. In libro *Florum* citatur hic sermo in lib. 8, cap. 26, 37, etc.

demus, sicut necesse est, pertransire. Valde enim difficile est, præsertim diebus istis, quibus malitia nimis invaluit, inter undas hujus sæculi [*alias*, mundi], voraginem vitiorum, et criminalium peccatorum foveas declinare.

2. At continentium quidem ordo et ponte pertransit; quod iter brevius et facilius, etiam et securius esse nemo est qui nesciat. Sed omitto laudes, pericula magis ostendo: hoc enim multo melius atque utilius est. Recta quidem semita vestra, charissimi, et securior conjugatorum via, non tamen omnino segura. Timendum enim periculum triplex; id est, ne forte aut æquare se alteri, aut respicere retro, aut certe in medio ponte stare seu residere quis velit. Neque enim ullum ex his tribus pontis patitur angustia, et arcta via quæ ducit ad vitam. Contra primum ergo periculum oremus singuli cum Propheta: *Ne veniat nobis pes superbiæ, quoniam ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem* (Psal. xxxv, 12, 13). Nam de eo qui mittens manum suam ad aratrum, postea retro convertitur, certum est quoniam labitur statim, et pelagus operit caput ejus. Sed et qui stare voluerit, non quidem relinquens ordinem, sed proficere in eo dissimulans, cadat necesse est, ab his qui sequuntur, impulsus et eversus. Arcta enim est via; et impedimento est proficere proficisci volentibus. Hinc est quod jugiter arguunt et reprehendunt, quod ferre nequeunt tepiditatis ejus segnitiam, quod velut quibusdam stimulis urgent et impingunt manibus: ut unum necesse sit e duobus, aut proficere scilicet, aut prorsus deficere. Minime igitur oportet sistere gressum; respicere quoque retro, aut æquare nos aliis, multo minus expedit; sed tota humilitate currendum nobis et properandum, ne quando forte is qui egressus est ut gigas ad currendam viam, longe a nobis fiat; quem, si bene sapimus, providentes in conspectu nostro semper, et in ejus odore tracti, facilius citiusque curremus.

3. Nec vero angusta nimis inveniatur pontis semita currere in ea volentibus. Tribus enim compactus est lignis: ut qui perfecte eis inniti voluerint, non labatur in itinere pes eorum. Hæc autem sunt, pœna corporis, paupertas substantiæ mundialis, et humilitas obedientiæ. Nam et *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum celorum* (Act. xiv, 21); et: *Qui volunt divites fieri in hoc sæculo, incidunt in tentationem et laqueum diaboli* (I Tim. vi, 9); et quem a Deo suo exturbavit inobedientia, sine dubio per obedientiam, recto tramite ad eum redit. Hæc itaque sibi invicem compacta esse necesse est. Nam et pœna corporis, nec inter divitias stabilis, nec sine obedientia facile potest esse discreta; et paupertas in voluptate et **1157** voluntate propria nullius meriti, nullius apud Deum potest esse momenti; et obedientia in divitiis et voluptate nec stabilis est, nec gloriosa.

4. At vero, his rite compositis, vide si non perfecte tria maris hujus pericula evasisti; concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, et su-

A perbiam vitæ. Rite, inquam, compositis, ut in pœna quidem nodum impatientiæ, in paupertate vero cupiditatis scrupulum, in obedientia nævum caveas propriæ voluntatis. Nam et qui murmuraverunt, a serpentibus perierunt (I Cor. x, 9): *et qui volunt divites fieri* (non ait: qui sunt; sed, qui volunt fieri), *incidunt in tentationes et in laqueum diaboli*. Sed et illud quid refert, si forte, quod absit! non quidem divitias, sed ea ipsa quæ paupertatis sunt, tanto affectu desideres, aut etiam ardentius, quam divitiis cupiant homines sæculares? Quid distat quæcunque substantia desideretur, dum æqualiter sit corruptus affectus; nisi quod tolerabilius illud videri potest, quæ utcumque pluris esse videntur, plurimum desiderare? Porro quisquis vel aperte vel occulte satagit, ut quod habet in voluntate, hoc ei spiritusalis pater injungat; ipse se seducit, si forte sibi quasi de obedientia blandiatur. Neque enim in ea re ipse prælato, sed magis ei prælatus obedit.

5. Verumtamen quia juxta sententiam Salvatoris, in qua mensura mensi fuerimus, remetietur nobis (Marc. iv, 24): bonum est homini hoc ad cumulum dare, ut de eorum sit numero, quibus mensuram bonam, et confortam, et coagitatam, et superfluentem dabunt in sinus suos. Sufficit enim ad salutem corporis molestias patienter ferre; sed cumulus est, etiam libenter in fervore spiritus eas amplecti. Sufficere potest superflua non requirere, sed nec propter ipsa, si forte desint, necessaria murmurare; sed cumulus est etiam exsultare et libenter quærere, quomodo alius magis habeat necessaria, et ipse penuriam patiat. Sufficit quoque ad salutem, si nec impatientia, nec simulatione aliqua ad id quod desideras, invitum velis prælati animum inclinare; sed cumulus est etiam fugere ea, quibus voluntatem propriam senseris oblectari, quantum sane bona cum conscientia potest.

6. Porro prælati quidem ipsi sunt qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis. Neque enim certa pontis aliqua seu vadi semita coarctantur, ut libere possint usquequaque discurrere, et occurrere singulis ut oportet, ac dirigere pontis semitam seu vadi [*alias*, vadum investigare], ordinare gradientes, pericula investigare ac declinare, excitare tepidos, pusillanimes sustentare. Denique ascendunt usque ad caelos, et descendunt usque ad inferos; nunc quidem spiritualia tractantes atque sublimia, nunc infernalium et horribilia facta diducantes. Sed quæ poterit navis inveniri, quæ tam immanes sustineat fluctus, et in tanto secunda possit esse discrimine? Utique *fortis ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio*, quia, juxta quod alibi habes: *Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem* (Cant. viii, 6, 7). Necessaria est, et omnino necessaria navis ista prælatis, tribus compacta lateribus, quæ est utique forma navium, ut sit nimirum juxta Pauli doctrinam: *Charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta* (I Tim. i, 5). Puritatem quidem cordis in eo prælatus habeat, ut

prodesse desideret, non præesse : ut scilicet proprium commodum, vel honorem sæculi, seu aliud quiddam suum in prælatione non quærat, præter solum beneplacitum Dei, et animarum salutem. Sed cum intentione pura, irreprehensibilis quoque necessaria est conversatio, ut forma factus gregis incipiat facere et docere : et secundum magistri nostri Regulam (S. BENED. in *Reg.*, cap. 2), quæcunque docuerit discipulis esse contraria, hæc in suis actibus indicet non agenda : ne forte submurmurare possit frater quem arguit, et dicere : *Medice, cura te ipsum* (*Luc.* iv, 23). Talis enim occasio, plurima damnatio prælati, plurima subditorum perditio est. Non quod ego bene id caveam, idcirco **1158** sic loquor : sed et mihi, et omnibus pariter Veritas clamat, quoniam oportet irreprehensibilem esse eum qui præest (*I Tim.* iii, 2), ita ut securam conscientiam cum Domino respondeat exprobrantibus sibi verbum : *Quis ex vobis arguet me de peccato?* (*Joan.* viii, 46.) Non quod sine peccato penitus esse possit in hac misera vita ; sed quod ea quæ arguit in discipulis, oporteat summopere vitare magistrum.

7. Ob hoc, qualis est in conversatione, talis sit necesse est etiam in occulta cogitatione ; ne videlicet foris humilis, intus elatus sit in corde suo, præsumens de sapientia, seu virtute aut sanctitate sua : quæ est sine dubio fides ficta, quando non, sicut ostendit humilitas conversationis, in sola Domini pietate confidit. Et vide quam proprie his tribus, cordis scilicet puritati, conscientia bonæ, et fidei non fictæ, convenire videantur alia quoque ipsius Apostoli verba dicentis : *Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die, etc. Non me iudico, inquit, quia nihil mihi conscius sum*, quod meum aliquid quæram, sed quæ Jesu Christi. Sed et pro minimo mihi est ut a vobis judicer, propter conscientiam bonam, et irreprehensibilem conversationem [*alias*, vitam]. *Qui autem iudicat me, inquit, Dominus est* (*I Cor.* iv, 3, 4) ; ut etiam in eo solo spem suam positam esse doceret, humiliatus sub potenti manu Dei. Sed et illud tu iudica, utrum possit his convenienter aptari trina Petri interrogatio, ut hoc sit dicere : *Amas me, amas me, amas me?* (*Joan.* xxi, 15, 17.) Habes charitatem de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta? Merito siquidem de navi interrogatur, an charitatem habeat, piscator hominum constituendus.

SERMO XXXVI (98).

De altitudine et bassitudine cordis.

1. De eo quod nuperrime dictum est, sursum alios, alios deorsum aspicere (*Serm.* 12 de *Divers.* n. 2) ; habeo adhuc aliquid quod vestra non sileam charitati. Nam earum quidem cogitationum, quas expressimus tunc, si bene meministis, licet una sit perfectior altera, utraque tamen utilis est. Sunt autem qui alio modo aut sursum cor habeant, sicut

(98) Hic sermo, sicut et tres sequentes, collocatur in omnibus manuscriptis inter sermones de Tempore, post sermones in Dominica vi post Pentecosten : at

A fecit Deus hominem rectum, et secure respondeant ad exhortantis vocem presbyteri : « Habemus ad Deum. » Sunt et alii, qui similes brutis animalibus inclinati deorsum, derisivi sese faciant esse immunis spiritibus, qui profecto clamitant illudentes : *Incurvare ut transeamus* (*Isai.* li, 23). Scitis enim quod in congregatione plurimorum impossibile est unius omnes fortitudinis esse, seu corporum, seu morum : nam utramque infirmitatem patienter ferre Regulæ nostræ monet auctoritas (*Reg. S. Bened.* cap. 72), et utriusque aliquatenus condescendere jubet charitas. Videt hoc alter quispiam, et fortassis incipit invidere cui condolare debuerat. Hinc accidit ut sæpe beatificet eum in corde suo ea de re, unde miserum se ille reputat, moleste ferens necessitatem suam. Omnino igitur incurvatum se esse, et basso corde carnem sapere probat, apud quem ne ipsa quidam miseria caret invidia. Sed eis quas certa charitatis consideratione alienæ necessitati dispensationes prælatus impendit, talibus apponit eorum suum, similia quærit, murmurat adversus eum qui denegat irrationabiliter postulanti. Hinc suspiciones, detractiones et scandala suscitantur.

2. Non idcirco id loquor, charissimi, quasi magnopere de vobis habeam conqueri super hac re : sed præmonere vos et præmunire necessarium duxi propter multos, qui inter vos sunt teneri et delicati, quibus aut ætas, aut infirmitas rigorem communis regulæ exigit aliquatenus temperari. Gratias ei de cuius munere venit ; quia multos hic video, quorum mens intenta Deo, tam longe facta est ab illo infimo cogitatu, ut juxta se positos debiliores prorsus ignorent, se minus omnibus facere conquerantur. Nimirum quia superiores semper attendunt, cum Apostolo oblitii quæ **1159** retro sunt, et extenti in anteriora (*Philipp.* iii, 13). Quantum putas, illos ego admiror, quantum veneror in corde meo, quantum amplector charitatis affectu, qui velut nescientes eos quos secum quotidie vident : unum forte aut duos, seu etiam plures, quos in majore fervore spiritus viderint, sibi ex omnibus eligunt ; et cum ipsi forte meliores sint, semper tamen illorum sibi præponunt et proponunt sancta in Domino studia et exercitia corporalia, seu etiam spiritualia?

3. Memini me altera quoque jam vice dixisse, sed iterum repetere non gravabor, quam sublimi aliquando meditationi monachus [*alias*, frater] quidam laicus toto intendit spatio vigiliarum. Etenim summo mane apprehensum me in auditorium trahit, et prostratus pedibus : « Væ mihi, » inquit, « quia monachum in vigiliis unum consideravi, in quo triginta virtutes numeravi ; quarum ne unam quidem in me invenio (Vide *Vitam S. Bern.* lib. vii, cap. 23). Et fortasse nullam ille tantam habebat, quanta hæc ipsa erat religiosæ æmulationis humilitas. Hic itaque fructus sit nostri hujus sermonis, ut aliorum altiora in Cisterciensi codice notatur, eos transferendos esse post sermonem 39 de *Diversis*, tametsi in editis omnibus post sermonem 35 collocantur.

semper attendas, quia in eo plenitudo constat humilitatis. Nam si forte in re aliqua major tibi fratre aliquo gratia collata videtur; sed in multis, si bonus æmulator fueris, iudicare te poteris inferiorem. Quid enim si forte laborare aut jejunare plus illo potes, et ille te fortentia superat, præcedit humilitate, supereminet charitate? Quid enim tota die circa id quod videris habere, insipienti cogitatione versaris? Esto magis sollicitus, ut scias quid desit tibi. Non enim melius. Utinam, fratres, sic nos essemus cupidi gratiæ spiritualis, quemadmodum sæculares homines pecuniæ temporalis! Debuimus certe, et multum debuimus vince: e in bono malum, et tanto amplius desiderare, quanto pretiosius est quod desideramus: sed utinam vel æquales esse possimus! Magna enim confusio, magna valde, quod ardentius illi perniciosa desiderant, quam nos utilia; citius illi ad mortem properant, quam nos ad vitam. Quanto enim desiderio pecuniæ crucietur avarus, quanto gloriæ appetitu ambitiosus exæstuet, quam violenter denique sua trahat quemque voluptas, quis explicet? Videas certe eos quidquid adepti sunt parvipendere, non attendere quanto labore et desiderio ea vix tandem consequi potuere; quoniam vilescunt eis omnia præ desiderio minoris forte rei, quam alteri cøperint invidere.

4. Et tu ergo non magnopere cogites quæ tibi videris habere, nisi forte interdum, ut gratias agere possis, et te noveris debitorem ei qui dedit: seu gratia consolationis, cum id necesse fuerit, ne qualibet ex causa tristior fias. De cætero ea semper magis attende quæ alius habet, tu non habes: quod hæc cogitatio in humilitate te custodiat, et a descensu tepiditatis clouget, magis autem et accendat desiderio proficiendi. Vide autem quanta e regione mala cogitatio illa parturit, qua sedule versas in animo quod tibi habere videris, et alterum quempiam æstimas non habere. Hinc enim elevaris in superbiam, dum te præponis alteri; hinc proficere negligis, dum te magnum quempiam arbitraris; hinc demum incipis et deficere, dum tibi alterius comparatione etiam nimis egisse videris: sicque in tepiditatem incidis, et incipis remissius agere. Scimus autem quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (Jac. iv, 6); et quia maledictus, qui opus Dei negligenter fecerit (Jerem. XLVIII, 10). Beati vero qui esuriunt et sitiunt iustitiam; quia si spiritu facta carnis mortificaverimus, vivemus; si vero secundum carnem vixerimus, moriemur (Rom. viii, 13)

1160 SERMO XXXVII.

In labore messis (98'), de verbis psalmi xxiii, 6: « Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob. »

4. E diversis et diversa quærentibus hominum turbis animo fatigatis, quam desideranter ad hunc cuneum hodie spiritum refocillaturus accessi! Gra-

(98') Confer lib. 4 de Vita Bernardi, num. 24, et Guerrici abbatis sermonem 3 in Assumptione B. Mariæ, num. 1, ubi de labore messis. Ex num. 1

tias Deo, non sum fraudatus a desiderio meo, non frustratus a spe mea. Concupivi videre: vidi, et liquefacta est anima mea. Repletus sum consolatione, superabundo gaudio, omnia interiora mea nomini Domini benedicunt, et omnia ossa mea dicunt: *Domine, quis similis tibi?* (Psal. xxxiv, 10.) Nempe prospiciens eminus cum accederem, fateor, videre mihi corporaliter visus sum, quos in spiritu quondam Propheta prævidit: et continuo subiit animum, quod ore ille deprompserat, ut cum eo psallerem, diceas: *Hæc est generatio quærentium Dominum.*

2. Multæ sunt generationes hominum, et, ni fallor, tertia ista est generatio, quæ nunc viget et apparet in vobis. Prima siquidem generatio nec quærens adhuc Dominum, nec quæsitâ fuit a Domino: cum in oblivione mentis et reatu iniquitatis unumquemque genuit mater sua. Secunda proinde statim sicut necesse erat, ex aqua et spiritu remedium nobis exhibuit festinatum: et fuit illa generatio nondum quidem generatio quærentium, sed tamen jam quæditorum; quod nec scientes adhuc quærere Dominum, nec valentes ipse quæsierit. Quæsivit igitur nos, et acquisivit in generatione secunda, ut essemus jam populus acquisitionis. Si adhuc forte senior frater murmurat, et invidia contabescit, dicitur ei quoniam *epulari et gaudere oportebat, quia hic frater tuus perierat, et inventus est* (Luc. xv, 32).

3. Cæterum ad hoc statim quæsivit nos Dominus, ut quæreretur tempore opportuno, cum jam posset quæri, posset et inveniri. Væ nobis, quoniam tándiu dissimulavimus et negleximus quærere vitam, quærere eum qui solus bonus est quærentibus se, animæ speranti in se! Væ tibi, generatio prava et exasperans, mala et adultera generatio, mendacium usque hodie quæritans, et diligens vanitatem, nec servans fidem cui desponsata fueras veritati! Nunquid non opus habet ejusmodi generatio nasci denuo, iterum generari? Et maxime. Nempe genimina viperarum facti, tanto magis nunc necesse habent in ventrem matris gratiæ iterato introire et renasci, quando facta noscuntur posteriora eorum deteriora prioribus. Gratias ipsi gratiæ, et, si dici potest, plusquam gratiæ miserationi, quæ beneficiis obruit non modo immeritos, sed nimium male meritos et ingratos. Gratias ei, qui regeneravit vos etiam hac vice in spem vitæ, ut adoptionem filiorum reciperetis. Voluntarie enim nunc proprie genuit vos, verbo utique veritatis. Nam quod prius vos genuit sacramento equidem pietatis, etsi voluntarium generanti, genitis tamen voluntarium esse non potuit, in quibus adhuc nullus voluntatis usus, nullum rationis exercitium fuit; ac proinde nulla generationis ipsius agnitio, nulla tanti notitia genitoris. Nunc demum voluntaria generatio voluntarium exhibet sacrificium, juxta illud: *Voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est* (Psal. lxxviii, 8).

apparethabitus hic sermo in reditu ex longo quodam itinere, forte Romano.

4. *Hæc est generatio quærentium Dominum.* Quærentium, an habentium dicam? Habentium utique et quærentium: alioquin non possent quærerere non habentes. Sed quid habentes, aut quid quærentes? vel potius quomodo habentes, quomodo quærentes? Verbo geniti Verbum habent. Nunquid non Verbum Dominus? Joannem audi: *Et Deus erat Verbum* (Joan. 1, 1). Quid ergo jam amplius quærit generatio quærentium [alias, habentium] Dominum? Considera quid sequatur in psalmo: *Hæc est, inquit, generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob.* Eundem proinde habent pariter et requirunt, **1161** quia unus idemque et verbum Patris, et splendor paternæ gloriæ est. Et is quidem non quæsitus haberi forsitan potest; non habitus autem quæri omnino non potest. Denique ipsa est quæ de se loquitur Sapientia: *Qui edisti me, adhuc esuriet* (Eccli. xxiv, 29). Potens ipse est præstare se etiam non quærenti, qui, ut supra ostendimus, de cumulo gratiæ et benedictione dulcedinis quærit, et prævenit adhuc quærerere non valentes. Nemo autem ante idoneus quærerere, quam habere; quia *nemo, inquit, venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum* (Joan. vi, 44). Adest ergo qui trahit, et quodam modo necdum adest, qui non alio trahit quam ad se ipsum. Nunquam enim, nec usquam sine Filio Pater adest per fidem, ut ad speciem trahat. Quomodo ergo nunc non exsultet spiritus meus? quomodo non sine modo jucundetur in generatione ista quærentium Dominum? Nempe testimonium credibile nimis gustatæ sapientiæ est esuries ipsa tam vehemens. Certissima mihi probatio te indubitabile argumentum, quia habetis quem sic quæritis, et in vobis habitat, qui tam valide trahit vos ad se ipsum. Non enim humanæ possibilitatis est cursus iste: ejus dextera facit virtutem, cui semper necesse est ut clametis: *Trahe nos post te, in odore unguentorum tuorum curremus* (Cant. 1, 3). Non, inquam, ab homine forma ista conversationis: nec aliud experimentum quærimus ejus qui in vobis habitat Christus, quam quod ita quæritis Christum.

5. Videtis enim, fratres, qualem spiritum accepistis, spiritum qui ex Deo est, ut scialis quæ a Deo donata sunt vobis. Audivimus apostolicum, audivimus et propheticum, etiam et angelicum gradum, quibus nihil a nobis arbitrò posse sublimius affectari. Sane e singulis mihi videor in vobis aliquid, et magnum aliquid invenire. Quis enim cælibem vitam, vitam cælestem et angelicam dicere vereatur? Aut quod in resurrectione futuri sunt omnes electi, quomodo non jam nunc estis, sicut angeli Dei in cælo, a nuptiis penitus abstinentes? Amplectimini, fratres, pretiosissimam margaritam, amplectimini sanctimoniam vitæ, quæ vos efficit sanctorum similes, et domesticos Dei, dicente Scriptura: *Incorruptio facit proximum Deo* (Sap. vi, 20). Ita ergo non vestro

A quidem merito, sed gratia Dei estis quod estis: quod ad castitatem et sanctimoniam spectat, angeli quidam terreni, aut potius cæli cives; sed interim in terra peregrini. Quandiu enim sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino.

6. De prophetia quid dicemus? *Lex et prophetiæ usque ad Joannem* (Luc. xvi, 16). Veritas ait. Veruntamen non erat ille adversarius, sed discipulus utique Veritatis, qui dicebat etiam post Joannem: *Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus.* Cessavit ergo prophetia, quia jam cognoscimus: necdum tamen tota cessavit, quia adhuc ex parte. *Cam venerit, inquit, quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est* (I Cor. xiii, 9, 10). Siquidem autem Joannem qui fuerunt prophetæ, utrumque adventum Domini prophetabant: et quasi neutra adhuc pars salutis in notitia, sed utraque in prophetia erat. Magnum sane prophetandi genus, cui vos deditos esse conspicio; magnum prophetiæ studium, cui vos video mancipatos. Quid illud? Nempe juxta Apostolum non considerare quæ videntur, sed quæ non videntur (II Cor. iv, 18), sine dubio prophetare est. Ambulare in spiritu, ex fide vivere, quæ sursum sunt quærerere. non quæ super terram; oblivisci quæ retro sunt, et extendi in anteriora, ex magna parte prophetare est. Alioquin quoniam modo, nisi per spiritum prophetiæ, conversatio nostra in cælis est? Sic nimirum prophetæ olim quasi non inter homines erant sui temporis, sed virtute et impetu quodam spiritus dies illos transilientes, exsultabant ut viderent diem Domini; et videbant, et lætabantur in ea.

7. Sed et professionem apostolicam audiamus. *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te* (Matth. xix, 27). Si gloriari licet, habemus gloriam: sed si sapiamus, habere curabimus apud Deum. Hæc enim vera est gloriatio, ut qui gloriatur, **1162** in Domino gloriatur. Nam neque manus nostra excelsa, sed Dominus fecit hæc omnia. Fecit nobis magna qui potens est, ut merito magnificet anima nostra Dominum. Ipsius enim magno munere facium est, ut magnum illud propositum, unde magni gloriabantur apostoli, magnifice sequeremur. Forte etiam si in hoc quoque gloriari voluero, non ero insipiens; veritatem enim dicam; esse hic aliquos qui plus quam navem et retia reliquere (29). Quid vero illud? Quod ipsi quidem apostoli reliquerunt omnia, sed ut præsentem in carne Dominum sequerentur. Non est nostram dicere; securius ipsum Dominum audiamus. *Quia vidisti me, inquit, Thomæ, credidisti: beati qui non viderunt, et crediderunt* (Joan. xx, 29). Forte etiam prophetandi genus excellentius esse videbitur, non intendens quibuscunque temporalibus rebus et transiuris allquando, sed spiritualibus et æternis; et nihilominus in vase fictili thesaurus castitatis

(29) Certe primòrum ordinum homines per id tempus in Ordinum Cisterciensem, maxime in Claram Vallem, confluabant, quod Bernhardus ipse agnoscit in sermone 1 de Dedicatione ecclesiæ, num. 2.

Lege Ernaldi prologum ad lih. 2 de Vita S. Bernardi, et epistolam Petri de Roya, num. 9, supra col. 810.

illustrior; et in carne fragili ex aliqua parte proba- A
bilioꝝ virtus.

8. Ubi ergo angelica in hoc corpore conversatio, in corde prophetica exspectatio, in utroque apostolica perfectio invenitur, quantus est iste cumulus gratiarum? Quid retribuētis Domino pro omnibus quæ retribuit vobis? Sublimis gradus, sed eo amplius periculosa ruina. Nunquid non tres cœli sunt, quos ascendimus? Itaque qui stat, videat ne cadat. *Videbam*, inquit, *Satanam tanquam fulgur de cœlo cadentem* (Luc. x, 18). Ex alto corruit: contractus et comminutus est, desperata est plaga ejus; factus est spiritus vadens, et non rediens. Nunquid et vos vultis abire? Satanæ ruit: nunquid ruitis et vos secum? Quam salubrius vobis stare in viis Domini, stare in gratia in qua statis. Non enim beatus vir qui [alias additur non] abiit in via peccatorum: beatus magis, cujus est auxilium abs te, Domine. Ibunt enim hujusmodi de virtute in virtutem, ad videndum Deum deorum in Sion, ad videndum in bonitate electorum tuorum, ut lauderis cum hæreditate tua. Ipsi nempe hæreditas; ipsi sunt dii, et filii Excelsi omnes.

9. Itaque, fratres mei, quandoquidem verissime certissimeque hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob, quid vobis dixerim aliud, quam quod idem Propheta ait: *Lætetur cor quærentium Dominum: quærite Dominum et confirmamini; quærite faciem ejus semper* (Psal. civ, 3, 4.) Et quod alius quidam dicit: *Si quæritis, quærite* (Isai. xxi, 12). Quid est, *Si quæris, quærite*? *In simplicitate cordis quærite illum* (Sap. 1, 1). Non aliud tanquam illum, non aliud præter illum, non aliud post illum. *In simplicitate cordis quærite illum*. Simplex natura simplicitatem cordis exquirat. Denique et cum simplicibus sermocinatio ejus. *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis* (Jac. 1, 8). Non potest quem quæritis inveniri ab his qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Æternitas est: quæ nisi perseveranter quæsita minime invenitur. *Væ etiam peccatori terram ingredienti duabus viis* (Eccli. ii, 14). *Nemo enim duobus dominis servire potest* (Luc. xvi, 13). Ne hanc quidem dupliciter amat integritas illa, perfectio illa, illa plenitudo. Indignum enim est ei, ut inveniendam se præbeat, nisi perfecto eam quæsieris corde. Cæterum si odibilis est canis reversus ad suum vomitum, et sus lota in volutabro lutu (II Petr. ii, 22); sed et ipsum quoque quem invenerit tepidum, ex ore suo evomere incipit Deus (Apoc. iii, 16): simulator et proditor ubi pærebunt? Si maledictus qui facit opus Dei negligenter; qui fraudulenter fecerit, quid meretur? Fugiamus hanc dupliciter, charissimi, et a fermento Pharisæorum omnimodis caveamus. Veritas est: Deus, et tales quæsitores requirit, qui quærant eum in spiritu et veritate. Si nolumus frustra quætere Dominum, quæramus veraciter, quæramus frequenter, quæramus perseveranter: ut nec pro illo quæramus aliud, nec cum illo aliud, sed nec ab illo ad aliud convertamur. Facilius est enim cœlum et

terram transire, quam ut sic quærens non inveniat, sic petens non accipiat, sic pulsanti non aperiat.

1163 SERMO XXXVIII.

II. *In labore messis, in illud Apostoli, et Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* (Rom. viii, 28.)

1. Pauperes quidem videmur, et sumus: sed si spiritum qui ex Deo est accepimus, ut sciamus [alias, sumus, scimus tamen quæ a Deo, etc.] quæ a Deo donata sunt nobis; magna ab eo gloria [alias, gratia], magna nobis est collata potestas. *Quotquot*, inquit, *repperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (Joan. 1, 12). An non potestas filiorum Dei est ista, quando etiam nobis serviunt universa? Sciebat enim Apostolus ipse, quoniam *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Sed forte dicat aliquis vestrum: Quid hoc ad me? et in pusillanimitate cordis sui talia meditetur: Glorietur certe de potestate filiorum Dei, in quibus filialis erga eum fervet amor, viget affectus; et præsumant omnia sibi cooperari in bonum, qui Deum diligunt in veritate: ego vero mendicus sum et pauper, carens affectu filiali, expertus dignæ devotionis. Sed attende quod sequitur. Nullum enim desperationi locum reliquit in Scriptura sua, qui alio loco sic loquitur: *Ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus* (Rom. xv, 4). Affectus enim ille quem quæris, pax est, non patientia; in patria est, non in via; nec eos qui ejusmodi sunt, a Scriptura opus est consolari.

2. Ergo per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus, etiamsi nondum possumus apprehendere pacem. Propterea cum dixisset diligentibus Deum omnia cooperari in bonum, solerter addidit: *His qui secundum propositum vocati sunt sancti*. In quo verbo non te terreat sanctitatis nomen, quando non secundum meritum, sed secundum propositum, non secundum affectionem, sed secundum intentionem sanctos vocat, juxta illud Prophætæ: *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum* (Psal. lxxxv, 2). Illam enim quam putas sanctitatem nec ipse quidem Paulus, corruptibili adhuc gravatus corpore, arbitrabatur se comprehendisse. *Unum autem*, inquit, *quæ retro sunt oblitus, et in ea quæ ante sunt me extendens, sequor ad palmam supernæ vocationis* (Philipp. iii, 13, 14). Vides quia, licet nondum apprehendisset bravium, habebat tamen jam sanctitatem propositi, et propositum sanctitatis. Et ut ergo si proposueris in corde tuo declinare a malo et facere bonum, tenere quod cœpisti, et proficere semper in melius; sed et si quid aliquando minus recte egeris, ut est humana fragilitas, non in eo persistere, sed pœnitere, et corrigere quantum prævalens: eris sine dubio sanctus et tu, sed cui interim adhuc clamare necesse sit: *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum*.

3. Vis ergo nosse quemadmodum hujusmodi sancti omnia cooperantur in bonum? Non modo curro per singula, quia in longum protrahi sermonem hora non patitur. Eundem nobis est: jam enim campanam audivimus, jam vespertinæ temporis orationis advenit. Audite ergo verbum abbreviatum

quemadmodum nobis universa servant, omnia cooperentur in bonum. Inimici nostri sint iudices. Etenim siquidem illi pro nobis, quis contra nos? si pro nobis faciunt hostes nostri, quomodo non omnia simul cum illis?

4. Porro duo nobis, ut manifestum est, adversantur hostium genera; malum videlicet duplex, quod facimus, et quod patimur. Hæc autem, ut apertius dixerim, sunt culpa et pœna. Itaque cum sit nobis utraque contraria, erit, si voluerimus, utraque pro nobis: ut hæc quidem ab illa liberet, et item adversus istam juvet illa, nec parum. Ecce enim compungimur in cordibus nostris et in cubili conscientiæ super delictis præteritis: sed delinit conscientiam, et corrodentium peccatorum dentes conterens, reducit ad spem veniæ pœnitentia ista, et voluntaria pœna quam patimur. Non solum autem præterita, sed et futura repellit, nam et tentantia propulsat vitia, et nonnulla sic perimit, ut raro, aut nunquam erigere caput audeant venenatum. **1164** Sic pœna facit pro nobis adversus culpam, ut vel omnino non sit, vel sit minor. Culpa vero nihilominus agit, ut aut non sit, aut minor sit pœna: non quidem ut omnino non sit, sive a quantitate sua minoretur, quod nullatenus expediret; sed ut non sit pœna, aut minor sit pœna, videlicet ut aut non sit, aut minus sit onerosa. Quisquis enim perfecte senserit onus peccati, et animæ læsionem, exteriorem utique aut parum sentiet, aut ex toto non sentiet corporis pœnam, nec reputabit laborem, quo peccata noverit deleri præterita, futura caveri. Sic enim sanctus David conviciantis servi non reputavit injurias, memor filii persequentis (*II Reg. xvi, 11*).

SERMO XXXIX.

III. *In labore messis: De duabus mensis, seu de superiori et inferiori irriguo.*

1. Labor iste, fratres, exsilii et paupertatis nostræ nos admonet, profecto et iniquitatis. Utquid enim morte afficimur tota die, in jejuniis multis, in vigiliis abundantius, in laboribus et ærumnis? Nunquid ad hoc creati sumus? Absit! Nam licet homo natus sit ad laborem, sed minime ad laborem creatus est. Nativitas est in culpa, ideo et in pœna. Omnes enim oportet nos gemere cum Propheta, dicentes: *In iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* (*Psal. l, 7*). Aliena ab utrisque prima creatio; quia sicut nec culpam, ita nec pœnam Deus fecit. Quod de ea quæ major est omnium, morte videlicet, aperte Scriptura testatur: *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum* (*Sap. 11, 24*): et in alio loco: *Deus mortem non fecit* (*Sap. 1, 13*). Itaque sicut laborantibus manibus nec oculus propterea clauditur, nec auris abstinet ab auditu; sic, imo et multo melius, laborante corpore mens quoque ipsa suo intenta sit operi, et non vacet. Causam laboris cogitet in labore, ut ipsa ei pœna quam patitur, culpam pro qua patitur representet: et dum videt vulnere ligaturam, ipsa sub pannis vulnera meditetur. Hujusmodi siquidem cogitatione humilia-

A mur sub potenti manu Dei, et dulci quadam pietate mens plena, miserabilem se exhibet in oculis ejus. Hinc quippe Scriptura nos admonet: *Miserere, inquit, animæ tuæ placens Deo* (*Eccli. xxx, 24*). Nec dubium quin ea quæ Deo placet misera facile possit ejus misericordiam obtinere. Et ne dixerimus, unde miserendum sit animabus nostris. Nisi enim insipienter dissimulaverimus, multa in eis miseratione digna poterunt inveniri.

2. Unum tamen dico, ut occasionem vobis dedisse videar, et cætera quoque similiter advertatis. Nonne velut inter duas mensas positi, epulantes hinc inde spectamus jejuni? Sic sumus omnino, sic sumus. Unde ergo sic positus risus, unde jocus, unde levitas, unde superbia, unde extollentia oculorum? An forte non agnoscimus mensas, non consideramus epulas, delicias non videmus? Hinc mihi sunt, quos video deliciose viventes in omnibus bonis sensibilis hujus mundi: inde contemplor alios, quibus disposuit Christus regnum, ut edant et bibant super mensam ejus in regno Patris sui (*Luc. xxii, 29*). Utrobique video similes mei homines, fratres meos; et, heu me! ad neutram licet extendere manum. Ab utraque mensa prohibeor: ab hac quidem professionis, ab illa corporis vinculo; ut nec ad inferiorem audeam, nec ad superiorem accedere possim. Quid inter hæc restat, nisi comedere panem doloris, ut sint mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, si quis forte cœlestium conviviarum misericordia motus, in os latrantis sub mensa catelli vel exigua aliqua deliciarum illarum fragmenta demittat? Nam inferior quidem consideratio, qua nobis ipsis compatimur, eorum respectu, quos novimus deliciose viventes in hoc sæculo, infirmæ adhuc animæ est, nec omnino talis mihi placet affectio in anima spiritali. Longius enim positus est a judicio veritatis, qui beatificat quos velut miserrimos **1165** lugere debuerat, qui peccant et non agunt pœnitentiam: et se miserum reputat non sane consensu judicii, sed affectionis sensu, quod non sit sicut illi, qui id magis optare debuerant, ut omnes essent sicut ipsi.

3. Hoc tamen solum tali in cogitatione laudabile est, si miseriam ipsam quam reputat, pro amore sive timore Dei patienter ferre deliberat, et cum pietate quadam dicit Deo: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras* (*Psal. xvi, 4*). Et hæc quidem cogitatio inchoantium est, tanquam hæc parvulorum. At vero cum jam proficere cœperit anima, et affectione sequi iudicium rationis; omnia procul dubio detrimentum faciet, et quasi stercora arbitratus lugebit cum propheta super eos qui amplexati sunt stercora (*Thren. iv, 5*). Ipse vero sancta quadam humilique superbia hæc universa despiciet, et magna in altitudine animi collocatus, non beatum dicet populum cui hæc sunt, sed miserum plane, beatum vero, cujus Dominus Deus ejus. Verum dum hic ita sui comparatione miseretur illis, inveniet utique quorum comparatione sui quoque misereatur, si suspenderit ad cœlestes divitias, et delectationes

in dextera Domini usque in finem. Unde fit ut qui prius de inferiori irriguo lacrymas fundens plangebat, dicens: *Quoniam propter te mortificamur tota die* (Rom. viii, 36), jam de superiori abundantiores emittat fletus, dicens: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est* (Psal. cxix, 5).

SERMO XL (99*).

De septem gradibus confessionis.

1. *Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem* (Psal. xv, 11). Ad te quidem libenter accedimus, Domine Jesu, discipuli ad magistrum, infirmi ad medicum, servi ad Dominum. Tu es enim magister et dominus, cujus schola est in terris, cathedra in cælis. Tu es ille eximius medicus, qui solo verbo restauras universa. Vias tuas, Domine, demonstra nobis, et semitas tuas edoce nos (Psal. xxiv, 4): Viæ enim tuæ viæ pulchræ, et omnes semitæ tuæ pacificæ (Prov. iii, 17). Beati qui ambulant in via tua, Domine virtutum: beatiore qui currunt viam mandatorum tuorum, qui currunt in odore unguentorum tuorum. Exsultas enim ut gigas ad currendam viam (Psal. xviii, 6): et non solum currens, sed et saliens in montibus, et transiliens colles. Exsultaverunt gigantes philosophi non ad currendam viam tuam, sed ad quærendam vanam gloriam, evanescentes in cogitationibus suis, non in humilitate aut in virtutibus tuis, sed suis. Viam enim sapientiæ nescierunt, neque meminerunt semitarum ejus. Non est audita in Chanaan, neque visa est in Theman (Baruch. iii, 22). Maledicti qui dixerunt Domino Jesu: *Recede a nobis; scientiam viarum tuarum nolumus* (Job xxi, 14). Nos quærimus te de die in diem, et scire vias tuas volumus.

2. Principales viæ tuæ, duæ sunt: confessio et obedientia. In confessione omnia lavantur; in obedientia virtutes solidantur. Bonum animæ ornamentum confessio, quæ et peccatorem purgat, et justum reddit purgatorem. Si peccata sunt, in confessione lavantur; si bona, confessione commendantur. Cum mala tua confiteris, sacrificium Deo spiritus contribulatus, cum Dei beneficia, immolas Deo sacrificium laudis. Absque confessione justus judicatur ingratus, et peccator mortuus reputatur. Confessio igitur est peccatoris vita, justî gloria. Video David dicentem, *Peccavi*; et audientem, *Transtulit Dominus peccatum tuum a te, et non morieris* (II Reg. xii, 13). Considero Mariam, si **1166** non verbis, tamen operibus publice sua crimina confitentem, et Dominum pro ea respondentem: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (Luc. vii, 47). Respicio principem apostolorum negantem timide, amarissime flentem, Christum illum respicientem (Luc. xxii, 56-62). Felicem illum latronem intueor

(99*) Sic sermo sequensque in editione Lugdunensi anni 1544, in qua primum prodire, extra classem genuinorum Bernardi sermonum locati sunt; nec stylum ejus plene assequi videntur. Sed tamen eos hoc loco movere tanti non diximus: tum quia in codice Vaticano, num. 663, Bernardi sermonibus

se accusantem, excusantem Christum, et Dominum promittentem: *Hodie mecum eris in paradiso* (Luc. xxiii, 40-43). O quam sublimis ista confessio, per quam de patibulo ad regnum, de terra ad cælum, de cruce latro damnatus ac crucifixus ad paradysum ascendit! Gloriosa confessio, quæ Petrum apostolum trinx negationis crimine liberavit, et ab apostolatus culmine cadere non permisit! Fidelis institutio, quæ Mariæ nutum diligenti nutum dimisit, et amoris multi titulo insignitam discipulorum corpori sociavit! Præclara miseratio, quæ regem et prophetam multiplici criminum inundatione mundavit, et in antiquæ gloriæ dignitatis perducendo reduxit! Hæc est via quæ viatorem suum nunquam sefellit, quæ nunquam deseruit nisi deserentem se.

3. Hujus multæ viæ, multiplicesque sunt semitæ ad inveniendum, difficiles ad tenendum, ad enumerandum inexplicabiles. Prima semita, et primus gradus in via ista est cognitio sui. De cælo cecidit ista sententia: *Nosce te ipsum, homo*. Vide si non et Sponsus in amoris Cantico sponsæ idem loquatur. *Si ignoras te*, inquit, *o pulchra inter mulieres, egredere, et abi* (Cant. i, 7), etc. Cognitio sui stat in tribus, ut cognoscat homo quid fecit, quid meruit, quid amisit. Quid vilis, o nobilis creatura, imago Dei, Creatoris similitudo, quam carnem tuam illecebris carnalibus deturpare, et pro brevi voluptate torrentem perdere voluptatis? Quid furiosius, quam rapi mentem ira, superbia extolli, vexari invidia, et anxietate torqueri? Quæ in croceis es nutrita, quare stercora amplexaris? Recordare etiam quid merueris. Subeat memoriam tuam gehennalis olla, fornax ferrea magnæ Babilonis, domus mortis, anxietatis domicilium, flammarum globus, acerbis flogoris, tenebræ sempiternæ. Considera ordinem tormentorum, tortorum facies, mutationem poenarum, miseriarum infinitatem; et intellectualibus oculis ista discurre, et poteris dicere: *Melius erat mihi, si natus non fuisset. Reflecte oculos, et quid auiseris animadvertite*. Reminiscere qualis sit civitas gloriosa, cælestis habitatio, locus vitæ, suavitatis palatium, splendor gloriæ, gratiæ magnitudo, claritas infinita. Attende ordinem gaudiorum, gaudentium vultus, præmiorum vicissitudinem, multitudinem deliciarum, et potes exclamare: qui te perdidit, totum perdidit, Domine Deus. Si hoc triplici funiculo ligaveris animam tuam, intelliges et animadvertes quia initium salutis notitia peccati est (SENECÆ epist. 28).

4. Secundus gradus est poenitentia. Hæc duo ita sibi invicem conjuncta sunt, ut cognoscere se non possit, nisi poeniteat; poenitere non possit, nisi se cognoscat. Poeniteat igitur anima, compunctionis jaculo vulnerata, poenitentia triplici; quia innocentiam amisit, amissam non requisivit, et neglectit

de Diversis accensentur, tum quia ambo familiari Bernardi clausula præditi sunt; item demque quia eandem, quam sanctus Doctor, sententiam de sanctis animabus corpore solutis trahit posterior num. 12. Idem censendum de tertio sequente, qui Bernardo itidem tribuitur in eodem codice Vaticano.

patientiam Dei. Scio, Domine Jesu, quia primam stolam innocentiae nobis in baptisate reddidisti : et amictu niveo candidati, in justitiae solio relocati, cito recessimus a via quam ostendisti nobis, et portionem substantiae, quae nobis continebat, cum prodigo filio in dissimilitudinis regione expendimus. Venerunt ad nos vilissimi spiritus, et aeternorum ignium reges; nos mandatos immundi, ad salvandos damnati, curvi ad rectos, et dixerunt animae nostrae : *Incurvare ut transeamus* (Isa. LI, 23). Audivimus illos, et incurvati sumus : transierunt per nos, et innocentiam amisimus. Si culpa est perdidisse, quid, putas, erit non requisisse perditam? Perdit aliquis aliquid in hac mortalitate; quaerit iudices, amicos convocat, trahit in causam, nihil intentatum relinquit, donec vel amissa inveniat, vel ablata restituatur, et custodiat restituta : nec haereditatem nostram incorruptibilem, immarcessibilem, incontaminatam in caecis, versutiis illius insatiabilis homicidae perdidimus et non requirimus! et incurvavit nos, et nos **1167** non resurgimus? Surgamus et eamus ad Patrem nostrum, dicentes ei; *Pater, peccavimus in caelum et coram te*. Et omnem evangelicae lectionis textum percurrentes, offeramus Patri poenitentiam mentis, cordis contritionem, si forte, cum adhuc longe sumus, videat nos Pater, et misericordia moveatur, et accurrens cadat super collum nostrum, et osculetur nos osculo oris sui. Forsitan jubet proferri stolam primam innocentiae, et indui nos vestimentis virtutum, et dari annulum secretorum in manu nostra, et calcari pedes nostros in praeparationem evangelii pacis. Praecipiet fortassis adduci vitulum saginatum, et occidi in satisfactionem revertentium, epulari et exultare, et in symphonia et choro reduci ad supernae gaudia civitatis (Luc. xv, 11, 32), ubi gaudium est angelis Dei super uno peccatore poenitentiam agente. Scimus, Domine Jesu, quia non privabis hunc eos qui ambulant in innocentia (Psal. lxxxiii, 13), sed nec illos qui ambulant in poenitentia. Quia enim peccatum non fecit nisi unus; beatus vir tamen cui non imputavit Dominus peccatum (Psal. xxxi, 2). Omne quod ipse mihi non imputare decreverit, sic est quasi non fuerit. Cogita etiam quanta superbia patientia Dei usus, imo abusus sis. Videbat te peccantem, et dissimulabat, quasi non videret; vocabat, et non audiebas; minabatur, et non timebas; promittebat, et contemnebas, nec promissis illectus, nec terrore percussus. Ignoras quia patientia Dei ad poenitentiam te adduxit! Time timore magno, ne thesaurizaveris tibi iram in die irae et revelationis justi iudicii Dei (Rom. ii, 4, 5), et memento quia horrendum est incidere in manus Dei viventis (Hebr. x, 31). Liga igitur haec triplici cataplasmate poenitentiam vulnus animae tuae, et dic : *Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum; sana me* (Psal. vi, 3), etc.

5. Tertius gradus est dolor; sed et ipse trina legatione connexus. Vere post cognitionem et poenitentiam dolor meus renovatus est, et in meditatione

mea ignis incanduit, quia Creatorem offendi, Dominum non timui, sprevi benefactorem. *Nunquid non sicut lutum in manu figuli, etiam vos in manu mea, dicit Dominus* (Jerem. xviii, 6). Si ipse fecit te vas in honorem, cur te in contumeliam facere praesumpsi? *Nunquid dicit figmentum figulo : Cur me fecisti sic?* (Rom. ix, 20). Creatura Creatorem, figmentum factorem, opus officem ausus es provocare? Memento, vilissima testa, quia si cecideris super lapidem istum, confringeris; si vero ipse super te ceciderit, conteret te contritione timenda, ita ut ne vestigium minimum pareat. Tu autem sanguinem sanguini miscuisti, et Creatorem offendens, et Dominum non timens. Servus eras illius Domini, cujus irae resistere nemo potest; et in praecipis ejus acciperas voluntatem. Noluisti intelligere ut bene ageres, sed recalcitrans dominantis imperio, propria lege intra suam rempublicam vivere decrevisti. Num audisti quam sententiam excipiat servus nequam, qui sciens voluntatem Domini et non faciens, multitudini verberum reservatur? (Luc. xii, 47.) Assistunt angeli ad audiendam vocem sermonum ejus (Psal. cii, 20); stellae vocantur et dicunt : *Adsumus* (Baruch. iii, 35); venti et mare obediunt ei (Matth. viii, 27), et omnia legem praefixam inconcussa retinent firmitate; tu solus peregrinus es, et imperatoriae decreta majestatis non curas? Audi quia potest te mittere in tenebras exteriores, ubi fletus et stridor dentium perpetua infelicitate creberant. Quod si te non movet Creatoris offensio, reverentia potestatis, moveat saltem ingratitude, quod tantum benefactorem in tantis beneficiis contempsisti. Ubiam similem benefactorem invenies, qui tibi ministrat siderum cursus, temperiem aeris, fecunditatem terrae, fructuum ubertatem! Ad extremum, ut omnium tibi vitae beneficiorum cumulum aggregaret, proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum (Rom. viii, 52) : tradens Unigenitum pro adoptivis, Dominum pro servis, justum pro impiis. Quid tibi ultra debuit facere et non fecit? Si ergo isto dolore dolueris, poteris dicere cum Propheta : *Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo, sensus cordis mei turbati sunt* (Jerem. iv, 19).

1168 6. Quartus gradus est confessio oris. Post cognitionem sui, post poenitentiam mentis, post dolorem cordis, sequitur confessio oris. In his omnibus corde creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem (Rom. x, 10). Sed et ipsa triplex est, si virtutem salutis assequitur. Debet enim esse vera, nuda et propria. Veritatem quaerit Altissimus : et ubi vult falli, qui fallere non intendit? Novimus plerosque et experti sumus, qui ad confessionis gratiam venientes, magis onerati quam liberati a peccatis, ad suam conscientiam redierunt. Dicunt enim, si clerici, ea quae litterario; si milites, ea quae gladiatorio gessere conflictu : ut sub humilitatis pallio superbiam inducant, in tanto se signaculo condemnantes, sub quo totius humanae salutis summa consistit. Sunt et alii, quos timor impellit ad con-

fessionem; alii, quos simulatio ducit. Ad hoc enim A confitentur, ut saltem specie videantur confessi. An tu veram illam putas esse confessionem, quam aut timor extorsit, aut simulatio fecit, cum Spiritus sanctus disciplinæ effugiat fictum (*Sap. 1, 5*), et gratuitam satisfactionem Omnipotens quærat? Illa vera confessio est, quæ de mentis contritione descendens, nec timore cogitur, nec fictione palliatur; sed in spiritu tribulato profert ea quæ sentit. Nudam autem eam esse oportet, et totius absconsionis exutam velamine. Quid enim prodest partem peccatorum dicere, et partem celare; ex parte mandari, et ex parte immunditiæ deservire? Nunquid de uno eodemque vase dulce et amarum, sapidum et insipidum stillare potest? Omnia nuda et aperta sunt oculis Dei (*Hebr. iv, 13*): et tu illi aliquid abscondis, qui Dei locum in tanto obtinet sacramento? Ostende et denuda quæcumque cor tuum dilacerant; delege vulnus, ut sentias operam medicantis. In simplicitate cordis oportet te quærere Dominum (*Sap. 1, 4*), non in duplicitate; quia vix illis qui loquuntur in corde et corde, et terram duabus viis ingrediuntur (*Eccli. 11, 14*). Debet autem esse et propria. Sunt enim plerique qui aliorum peccata cum magna gravitate numerant, et sociorum excessus multiforini declamatione loquuntur; nesciunt sua, aliena vero perpetuæ memoriæ commendaverunt. Infelices et miseri, quibus datum est aliena plangere, relinquere sua! An non legisti quia *justus in principio sermonis accusator est sui?* (*Prov. xviii, 17*). Sui, dicit Scriptura, non, alterius. Nunquid oblitus es apostolum Jacobum dicentem: *Confitemini alterutrum peccata vestra?* (*Jac. v, 16*). *Vestra* dixit, non, aliena. *Iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper* (*Psal. 1, 5*). *Meam* dixit Propheta; non *tuam*.

7. Quintus gradus est maceratio carnis; sed et ipsa ternario numero consecrata. Convenit enim ut fiat occulte, licentiose, discrete. Teneros artus tuos, et exquisitis educatos deliciis, diuturno confringe martyrio, ut tanto te noveris a licitis abstinere, quanto memineris illicita perpetrasse. Hoc autem occulte faciendum est, ut nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua (*Matth. vi, 3*). Non enim est in ore hominum tanti boni reponenda custodia, sed in absconso cordis tui, ut sit gloria tua testimonium conscientia: tuæ (*11 Cor. 1, 12*). Nec hoc dicimus, ut non luceat lux tua coram hominibus, ut glorificent Patrem tuum qui in cælis est (*Matth. v, 16*), sed ne intentionem tuam in vilis gloria: brevitate recondas. Nihil enim infelicis est quam hic carnem macerare jejuniis, vigiliis affligere, et hic accipere gloriam, illic gehennam. Licentiose vero facienda est, quia quidquid sit pastoris licentia, gratiosius est in conspectu Dei; et illam hostiam singulariter accipit Altissimus, quæ non est de propria sententia voluntatis, sed de præcipientis offer-tur imperio. Multum enim valet ad refellendam superbiam propriae voluntatis exclusio: quam ex-

stirpare non potest qui mundi hujus diligit vanitatem. Discretio autem in hac distinctione tenenda est, ne dum nimis flagellare cupimus, salutem perdamus; et dum hostem subigere quærimus, civem occidamus. Considera corpus tuum et corporis tui possibilitatem, intuere carnis complexionem, impone modum tuæ restrictioni. **1169** Custodi corpus tuum incolune ad obsequium Creatoris. Multos vidimus ita in principiis carnem suam verberasse, et discretionis infregisse repagula, ut inhabilis laudum sollemnis redderetur, et apparatu lautiori diuturnis foverentur temporibus.

8. Sextus gradus est correctio operis; sed et ipse numero trinitatis consecratus, videlicet ut tibi malum non facias, alteri non noceas, nec consentias nocenti. Expertus es quam fragilis sit voluptatum immersio, et tu iterum vadis illuc? Animadvertisti quia transiit voluptas, et peccatum remansit. Reprime pedem ab infandis itineribus immundissimæ libidinis. Colla substerne mandatis Altissimi, ne sit iniquitas in manibus tuis. Desævienti gulæ solennes epulas et vana rescinde colloquia. Averte oculos tuos ne videant vanitatem (*Psal. cxviii, 37*), obtura aures tuas ne audiant sanguinem (*Isai. xxxiii, 15*); et tunc dicere poteris: *Castigans, castigavit me Dominus* (*Psal. cxvii, 18*). Quid autem prodest intra rectitudinis lineam tui cursus opera cohibere, si aliis nocere desideras? Qui non fecit proximo suo malum, et opprobrium non accepit adversus proximos suos, requiescet in monte sancto Dei (*Psal. xiv, 3*), accipiens benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo (*Psal. xxxiii, 5*). Non autem te innocentem præsumas, nisi impios et contra virtutem gradientes quanta poteris auctoritate redarguas, et opponas te murum pro domo Israel, castigans te, non nocens alteri, nec nocenti consentiens. Vera est enim illa sententia: Qui, cum emendare possit, negligit, participem se procul dubio delicti constituit. Cum enim causa Dei ventilatur in medium, et falsitas præponitur veritati, qui pro persona quam gerit non resistit, de suo damnabitur silentio.

9. Septimus gradus est perseverantia; sed et ipsa ternarii numeri sanctificatione dicata. Perseverantiam namque faciunt imitatio sanctorum, brevitates temporum, fragilitas corporum. Quid namque pati non possis, cum videas juvenes, pueros, virgines, annos, senes, decrepitos, diversa pro Christo, non solum excepsisse, sed et exquisisse tormenta? Considera puerorum aetatem, juvenum iguem, virginum teneritudinem, annuum fragilitatem, senum infirmitatem, impossibilitatem decreporum: et ubicunque reflexeris oculos, invenies in his ætatibus multitudinem exemplorum ad palmam martyrii viriliter cucurrisse. Nunquid de eodem luto formatus es et tu, et eodem spiritu inspiratus? Et forsitan non ingruit persecutio, ut martyrium patiaris; nec damnaris, si Christo servis: imo laudaris, et ab omnibus prædicaris. Quod si et persecutio imminet

contemnenda est propter brevitatem. Bene enim natura nobis providit, quæ nullum dolorem vel longum, vel magnum esse demonstrat. Si enim magnus est, longus esse non potest. Coniunctio enim corporis et animæ exquisita diu tormenta non sustinet, sed stuporis magnitudine tremefacta, summa velocitate dissolvitur. Magni ergo animi est magna tormenta contemnere, quæ in brevi tantam pariunt mutationem, ut de labore ad requiem, de miseria ad gloriam, patientem faciant evolare. Consideranda est etiam fragilitas corporis, quam sæpe aut aliquis levissimus casus, aut incendentis felliculæ cummulata congeries, brevi possunt suffocare momento. Tribue ergo virtuti, si necessitas fuerit, quod quandoque debes necessitati, pro brevi periculo sempiternum præmium adepturus.

10. Vides ergo quam difficilis sit via confessionis ad currendum, quam multiplices sanitæ ad tenendum. Verum est quod ille tantus Ecclesiam magister ait: «Facilius inveni eos qui innocentiam servaverunt, quam qui congruam egerunt poenitentiam (S. Ambros. lib. II de Poenit. cap. 10).» Hæc de via confessionis pro modulo nostro locuti sumus, sublimioribus subtilioris sententiæ pondera reservantes. Cæterum obedientiæ viam in balio sermonis principio aperire tentabimus, ne unquam in fastidium veniant verba Domini Salvatoris, qui est benedictus in sæcula.

1170 SERMO XLI.

De virtute obedientiæ, et septem ejus gradibus.

1. Non possumus nos cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est (II Cor. III, 5). Quid enim in hoc vase testeo et fragilitate complexionis humanæ, cogitare sufficiat spiritus carcere inclusus, peccato corruptus, depressus terrenis? Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam; et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (Sap. IX, 15). Benignus tamen est Spiritus sapientiæ (Sap. I, 6), qui et spiritum inclusum illuminat, et corruptum sanat, et allevat depressum. Est enim Spiritus pietatis, compeditos solvens, cæcos illuminans, et erigens elisos. Est etiam Spiritus veritatis, qui docet nos omnem veritatem; non solum autem docet, sed etiam suggerit (Joan. XIV, 26). Suggestit videlicet ut quæramus, docet ut intelligamus. Ipse est, quem Dominus Jesus post Patris obedientiam usque ad mortem crucis, misit apostolis suis, obedientibus suis. An non tibi videntur singularis obedientiæ conscendisse fastigium, qui accepta licentia sedendi in civitate, intra unius domunculæ septa conclusi, unanimiter in oratione perseverabant? (Act. I, 14.) Intellexisti quia idant apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habitus sunt pro nomine Jesu contumeliam pati? (Act. V, 41.) O quantis obedientiæ viribus innotantur, qui gaudent pro Christo ad concilium trahi, dignitatem ducunt pro eo cædi, gloriam quæruunt pro eo mori! Reate animæ, et abundantiam majestatis Spiritus influentes: quibus vilitas, sublimitas; contumelia; gloria; patientia, victoria,

mirabili mutabilitate videntur. Multum repleta est anima eorum, opprobrium abundantibus, et despectio superhis (Psal. CXXII, 4). Cernis quam libera fronte pontificum faciem, Phariseorum supercilium, tumultum plebis irrumpant dicentes: *Magis oportet Deo obedire quam hominibus?* (Act. V, 29.) Intuere illa duo magna luminaria, Petrum et Paulum, et universum ordinem apostolici senatus obambula; et ibi videbis obedientiæ firmitatem inter tormentorum multitudinem viriliter perstitisse. Nonne ipse Filius regis, rex regionis illius, quæ continuis gaudiis inclarescit, *factus est Patri obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*, et didicit obedientiam ex his quæ passus est? Audisti miseriam, audi et coronam; vidisti periculum, vide præmium, attendisti infirmitatem, attende potestatem. *Propter quod*, inquit, *et Deus exaltavit illum, et dedit ei nomen, quod est super omne nomen* (Philipp. II, 8, 9).

2. Sed taceamus interim de illius obedientiæ, quæ singulari prerogativa clauditur et signatur. Procedat in medium magnus ille patriarcha, fidei lumen, obedientiæ forma, justitiæ principatus. Audiat ab Omnipotente: *Egredere de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui; et veni in terram quam monstravero tibi* (Gen. XII, 1): et ad unius jussionis vocem, patriam fugit, relinquit parentes, deserit hæreditatem, et aliorum sine hospes ingreditur novus. Magna res, et primitivæ dignitatis privilegio in patre multarum gentium consecrata! Primus primum suis facultatibus renuntiat, et obedientiæ viam indefessa velocitate percurrit. Denique, cum accepisset filium in senectute sua, in quo totius mundi benedictio fuerat cumulanda, dicit ei Deus: *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac, et offer illum mihi in holocaustum* (Gen. XXII, 2). O quanta in verbis istis amaritudo, quanta a corde patris separatio pietatis! Jubetur namque filium occidere, os ex ossibus suis, et carnem de carne sua; filium magnæ promissionis, extremæ senectutis, propriæ mulieris; filium mirabiliter promissum, feliciter natum, educatum innocenter. Et ne quid deesset, ut tenerrimum intra paterna viscera doloris incendium exundaret, additur, *unigenitum*. Sunt namque multi filii, sed non unigeniti. Iste sic est filius, ut et unigenitus. Iste unicus; atri, unigenitus matri, hæreditati reservatus. Ne respicias ad Ismael, quia, qui in servitute et ex ancilla genitus fuerat, ad libertatem et hæreditatem minime pertinebat. Quia vero multi sunt filii et unigeniti,

1171 sed non dilecti; ad exaggerandam in corde patris tribulationem, et comprobandam iam mente justis obedientiam, Dominus subjungit, *quem diligis*. Ut vero teneritudo patris ex memoria dilecti nominis reculesceret, et interior pietas ad dilectæ vocis sonum tota ferretur, puer nominatur ex nomine, quod vocatum erat a Domino, priusquam in utero conciperetur. Viles quantis tribulationum malleis Abrahamæ pietas feriatur, cui præcipitur ut filium tollat, occidat unigenitum, quem diligit innocens,

Isaac percutiat? Multum tentatus, multum probatus, adustus est multum. Dulcis relatio filii ad patrem, patris ad filium: hanc dulcedinem et omnium affectus necessitudinum obliviscitur Abraham; sternit asinum suum, ligna componit, ignem accendit, eximit gladium. Non a Domino quaerit, quare; non murmurat, non conqueritur, non saltem vultum dolentis ostendit; sed omnium quae praecipuntur ignarus (*alias*, gnarus), in mortem filii pro crudelitate festinat. Ideo summa et admirabilis obedientiae virtus in Abraham, et singularis excellentiae laudibus praedicanda.

5. Fortissima res est obedientia vera, et quae in animum descendere non potest, nisi a mundi hujus aspergine pure pressequae detersum. Ut autem via ejus evidentius elucescat, ostendamus quantum possumus, quae sit obedientia specialis ad Deum, propria ad hominem, communis inter Deum et hominem. Sunt quaedam summa mala, quaedam summa bona. Summa bona sunt, diligere Deum, amare proximum, veritatem loqui, non furtum facere, non falsum testimonium dicere, non adulterare, et alia multa, quae sermonis brevitatis numerare prohibet. Summa mala sunt eorum contraria, et similia illis. Bona praecipit Deus ut faciamus; a malis jubet ut abstineamus. Praecepti hujus sacra et incommutabilis auctoritas non valet quoquo modo refelli; quia illius est caractere consignata, qui dicit: *Ego Dominus, et non mutor* (*Malach. III, 6*). Si ergo homo ille, quem imposuit Deus super capita nostra, aliter sentire voluerit, ponens tenebras lucem, et lucem tenebras, ut praecipiat praedicta bona relinquere, vel malis praefatis adherere; audacter refutandum est praecipientis imperium, et libera voce dicendum: *Obedire oportet magis Deo quam hominibus* (*Act. v, 29*). Haec est specialis obedientia ad Deum, quae nequaquam est hominis arbitrio temperanda, sed immutabili conservanda proposito. Certam igitur regulam tene, ut nec imperio praetorum praedicta bona relinquant, vel facias mala. Inter summa vero mala et summa bona, quaedam media sunt, quae ad alterutrum se habentia, boni malique nomen assumunt. Media sunt ambulare, sedere, loqui, tacere, comedere, jejunare, vigilare, dormire, et si qua sunt similia: quae si pastoris licentia fiant, summam expectant retributionem. In his igitur mediis subditi esse et obediētes debemus ad nuntium praepositorum, nihil interrogantes, propter conscientiam (*I Cor. x, 25*); quia in his nullum praefixit opus Deus, sed praetorum dereliquit imperio disponenda. Non autem te moveat magister imperitus, indiscreta potestas; sed memento quia non est potestas nisi a Deo; et qui resistit potestati, resistit Dei ordinationi (*Rom. XIII, 1, 2*). Haec est propria hominis obedientia, quam homini debemus, qui homini subditi sumus. Communis est etiam ista inter Deum et hominem; quia quidquid obedientiae praetis exhibetur, ei exhibetur qui dicit: *Qui vos audit, me audit* (*Luc. x, 16*). Cum magna igitur cautela hoc tramite dicimus incedendum; quia et multi

A gradus ibidem delitescunt, quorum qui unum reliquerit, caeteros sine retributione tenebit.

4. Primus autem gradus est obedire libenter. Omnis aetas ab adolescentia sua prona est in malum (*Gen. VIII, 21*), et unusquisque voluntatem pravi cordis sui sectatur. Ab illa enim prime praevaricationis angustia innatus est homini **1172** amor propriae voluntatis, quae voluntatem sui Creatoris relinquens, ibi subdita est servituti, ubi voluit dominari. Difficile est ergo suam relinquere voluntatem, et alterius voluntati deservire. Quamlibet autem grave sit, non potest tamen primum obedientiae ascendere gradum, qui voluntatem praecipientis suam non fecerit. In voluntate sua justus gloriatur sese Domino confiteri. Unde *Voluntarie*, inquit, *sacrificabo tibi* (*Psal. LIII, 8*). Sola ergo voluntas est, quae totius operis ornat effectum, sine qua nec bene aliquid agitur, etiam si bonum esse videatur. Ex voluntate igitur suscipienda sunt imperia praetorum, et ipsum cor a suis voluntariis reflexionibus abducendum, donec propria voluntas inacta mandatum diligat imperantis. Hoc est ergo libenter obedire, praetorum voluntatem voluntarie adimplere.

5. Secundus gradus est obtemperare simpliciter. *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter* (*Prov. x, 9*). In simplicitate cordis sui laetus obtulit Salomon universa; et in simplicitate cordis quaerere Dominum Scriptura praemonstrat (*Sap. I, 1*). Multos videmus post praecipientis imperium multas facere quaestiones: Cur, quare, quamobrem, saepius interrogare; crebras ingeminare querelas; quaerere: Quare hoc praecipit? unde hoc venit? quis hoc adinvenit consilium? Inde murmuratio, inde verba murmurationem, et indignationem sonantia, et redolentia amaritudinem. Inde frequens excusatio, simulatio impossibilitatis, advocatio amicorum. Non sic Abraham. Audi quid Dominus de simplici populo protestetur. *In auditu*, inquit, *auris obedivi mihi* (*Psal. XVII, 45*): ut videlicet ostenderet, uno eodemque momento processisse et imperantis imperium, et obsequium obsequentis. *Nolite errare, Deus non irridetur* (*Galat. VI, 7*). Murmuras contra praetatum in tabernaculo corporis tui? elevat manum suam ad prosternendum te dextera Dei. Incede igitur simpliciter in mandatis obedientiae, adlens voluntati simplicitatem, intentioni illuminationem. Fortitudo enim simplicis via Domini (*Prov. x, 29*), quae obedientia est. Fortitudinem igitur induunt qui obediētes sunt, et simpliciter incedunt.

6. Tertius gradus est hilariter obedire. *Hilarem cum datorem diligit Deus. Non ex tristitia*, inquit Apostolus, *aut ex necessitate* (*II Cor. IX, 7*). Serenitas in vultu, dulcedo in sermonibus, multum colorant obedientiam obsequentis. Unde et gentilis ille poeta sic ait: « Super omnia vultus accedere boni (OVID. *Metam.* lib. VIII). » Quis enim locus obedientiae, ubi tristitia cernitur aegritudo? Ostendunt plerumque voluntatem animi signa exteriora, et difficile est ut vultum non mutant, qui mutant voluntatem.

Nubilosa corporis compositio, et facies tenebris tristitiæ obfuscata, devotionem ab animo recessisse signant. Respice David ante arcam Domini hilariter saltantem, et quam sapienter superbientis femine reprimat indignationem. *Ludam, inquit, et vilior ero in conspectu Domini (II Reg. vi, 14-22)*. Cernis igitur quam necessaria et conveniens sit hilaritas in obedientiæ executione. Quis enim imperat homini libenter, tristitiam efflanti? Si vis ergo perfectus esse, hilariter et cum magna vultus alacritate susceipe jubentis imperium, ut voluntati cordis, simplicitati operis, vultus hilaritatem adjungas.

7. Quartus gradus est obsecundare velociter. Velociter currit sermo Dei (*Psal. cxlvii, 15*), et velocem habere desiderat sequentem. Vides cum quanta velocitate currat ille, qui dicit: *Viam mandatorum tuorum cucurri (Psal. cxviii, 32)*. Fidelis obediens rescit mōras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes; totum se colligit, ut imperantis colligat voluntatem. Vide Dominum festinanter præcipientem, et hominem festinanter obedientem: *Zachæe, inquit, fes inans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, et excepit illum gaudens*. Animadvertisti quia et festinanter descenderit, et gaudenter **1173** excepit. Audisti obedientiam, audi et obedientiæ remunerationem. *Quia hodie salus huic domui facta est*. Intuere etiam ex occasione hujus obedientiæ conclusionis grande mysterium, et obsignatam signaculo misericordie sententiam: *C* *Veni enim, inquit, Filius hominis querere, et saluum facere quod perierat (Luc. xix, 5, 6, 9, 10)*. Nonne legisti quod filiis Israel præcipitur, ut agnum comedant festinanter? (*Exod. xii, 11.*) Festinanter quippe veri Agni comestio signatur implenda; quia verba illa, quæ per legem dedit, quæ per semetipsum præsens exhibuit, quæ per Ecclesiæ præpositos tradenda reliquit, veloci sunt obedientia consummanda. Et tu ergo cum voluntatem cordi, simplicitatem operi, hilaritatem vultui conjunxeris, adde et velocitatem; ut sis juxta apostolum Jacobum, *velox ad audiendum (Jac. i, 19)*, et ad implendum velocior.

8. Quintus gradus est adimplere viriliter. *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino (Psal. xxx, 25)*. Non est fortitudinis ire ad inobedientiam, sed ab obedientia non abdaci. Si tribulatio intonat, si persecutio resultat, si peccatores tibi laqueum ponunt, si maligni tuum iter impediunt; tu obedientiæ viam non deseras, sed dic: *Paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua (Psal. cxviii, 60)*. Quid enim superius enumerata parant utilitatis, si fortitudo desit, quæ in arce constantiæ virtutes collocat, et eo vallo munit, quo furentium impetus aspirare non possit? Manum tuam misisti ad fortia? agendum est instanter, et constanter obediendum; nec inter verborum seu verberum asperitatem tam regalis est semita

A relinquenda, sed tenaciore est retinenda fervore. Et ut breviter dotes fortitudinis concludamus, virtus est virtutes servans ac muniens. Junge igitur velocitati fortitudinem, constantiam instantiæ, et tunc decantabis securus: *Manus peccatoris non movebit me (Psal. xxxv, 12)*.

9. Sextus gradus est humiliter obedire. In humilitate nostra memor fuit nostri qui fecit nos (*Psal. cxxxv, 23*). Magna virtus humilitas, sine cujus obtentu virtus fortitudinis, non solum virtus non sit, sed etiam in superbiæ vitium erumpat. Quam fortiter currebat Saul, cum esset parvulus in oculis suis! quanta Philistæorum agmina prosternebat! quantis viribus exercebat gladium! Postquam autem tenuit eum superbia, et transivit in affectum cordis, debilis et impotens factus, incircumcisorum armis facile prostratus occubuit. Aspice regem, in quo humilitas sublimis, et humilis sublimitas felici compositione nitescent. *Domine, inquit, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei (Psal. cxxx, 1)*; et totum itinerarium ejus sedula intentione recurre; et quaquaversum oculos reflexeris, invenies humilitatis floribus esse respersum. Audi namque alibi quid dicat: *Fortitudinem meam ad te custodiam (Psal. lviii, 10)*. Quam vere loquitur justus justitiæ exsecutor! Sunt namque plurimi, qui fortitudinem suam non ad Deum, sed ad inanem gloriam custodiunt; qui confidunt in virtute sua; qui de acceptis virtutibus, quasi non acceperint, gloriantur; Conditori facientes injuriam, a quo est omne datum optimum, et omne donum perfectum (*Jac. i, 17*). Ne ergo fortitudo in superbiam transeat, condienda est sale humilitatis; quia nihil proderit fortiter obedire, si contigerit infeliciter superbire. Illi ergo fortitudinem suam ad Deum custodiunt, qui cum fecerint quod facere debent, dicere possunt: *Servi inutilis sumus, quod debuimus facere fecimus. (Luc. xvii, 10)*.

10. Septimus gradus est, indesinenter obtemperare. Non qui incæperit, sed qui perseveraverit, hic salvus erit (*Matth. x, 22*). Incipere multorum est; perseverare paucorum. Perseverantia singularis est filia summi regis, virtutum fructus, earumque consummatio, totius boni repositorium; virtus sine qua nemo videbit Deum, nec a Deo videbitur: finis est ad justitiam omni credenti, in qua virtutum conventus reverendum sibi thalamum consecravit. Quid enim currere prodest, et ante metam cursus deficere? *Sic currite ut comprehendatis, 1174* dicit Apostolus (*I Cor. ix, 24*). O quam perseveranti pede cursum suum perfecerat qui dicebat: *Cursum consummavi! (II Tim. iv, 7)*. O quam longum cursum felix ille latro complevit (100), qui consummatus in brevi explevit tempora multa! (*Sap. iv, 13*.) Denique et Dominus prophetarum per prophetam loquitur: *Si conversus fuerit justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem; omnium, justitiarum ejus non recordabor (Ezech. xviii, 24)*. Vides ergo quam

(400) Quidam addunt, quem perseverantia revertentem invenit, consummatus, etc.

profunda oblivione virtutes illæ sepeliantur, quas perseverantia non insignierit. Sola est, quæ amatorem obedientiæ ad regis cubiculum introducit, ut cum videat in decore suo, in quem desiderant angeli prospicere (*I Petr. i, 12*). In via igitur ista, in qua ambulamus, absconderunt superbi laqueum mihi (*Psal. cxxxix, 6*). Difficilis est via ista, et gravis spinosis anfractibus, multiplicium vinculorum nexibus innodata. An tu ibi putas obedientiæ fructum, cum subditus audit obedientiam, quam multis expecterat votis, cum ei præcipitur quod redoleat dignitatem, gaudio et lætitiæ fluat, potentiæ fulciatur imagine? Econtrario autem an tu illi obedientiæ meritum assignas, quæ cum adversitate procedens, animum terret audientis, gravis ad audiendum, gravior ad implendum, ad tenendum gravissima? Non est ita. Faciendum est ut a prosperitate animo separemur, et adversitatem animo complectamur; si volumus illum sequi, qui regnum fugit (*Joan. vi, 15*), et ad passionem voluntarius venit (*Isai. lxxxiii, 7*).

11. Animadvertis igitur quia viæ istæ, viæ vitæ sunt, ducentes ad vitam. Beati mites (*Matth. v, 4*), quoniam mites docebit Dominus vias suas (*Psal. cxiv, 9*): continget enim eis quod sequitur: *Adimplebis me lætitiis cum vultu tuo* (*Psal. xv, 11*). Quia quandiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino (*II Cor. v, 6*), longe sumus a facie Dei, a vultu gloriæ, a contemplatione majestatis, nisi quia plerumque misericors et miserator Dominus illuminat vultum suum super nos. Hoc autem fit, cum remota nube illa, quæ opposita erat ne transiret oratio, accedimus ad illum, et illuminamur, *revelata facie gloriam Domini speculantes* (*II Cor. iii, 18*). Non autem ita proprie *revelata facie* accipiamus, cum videamus adhuc per speculum et in ænigmate, et carcerali corpore tenemur: *Revelata* vero dicit, quantum ad caliginem corporum. Unde spiritus iste creatus aliquando ad Creatorem spirituum emergit, et adhærens ei unus cum eo spiritus efficitur. Nullius autem momenti est ista contemplatio; quia spiritus nostris corporeis circumdatus, frequenti carnis contagione reliditur, et supra creaturam constitutus, infra quæque vilissima protinus reperitur. Sed et creator Spiritus, cujus magna sunt opera, exquisita omnes voluntates ejus (*Psal. cx, 2*), modo accedit nescientibus nobis, modo ignorantibus nobis recedit; quia nescimus unde veniat, aut quo vadat (*Joan. iii, 8*). Et plerumque quanto frequentius queritur, tanto velocius elongatur, juxta quod et ipse loquitur sponsæ: *Averte oculos tuos a me, quia ipsi me volare fecerunt* (*Cant. vi, 4*). Contingit etiam ut cum non queritur, veniat, cum queritur, fugiat, sicut sponsa se in Canticis multipliciter ostendit quæsisse, et non invenisse (*Cant. iii, 2*). Non est autem vultus iste, vultum gloriæ Domini invenisse, qui est super cherubim; quia universitati angelorum præclarissimus et clarissimus exhibetur; nobis vero

(100*) Vide tomo II Tract. de diligendo Deo, cap. 11.

A speculatoriis et umbratilibus adanbratur heagimibus.

12. Quia igitur hic vultum Dei, sicuti est, videre non possumus; adimpletionem lætitiæ non habemus, donec trahat nos ad se ipsum, et accelat caput corpori, et sit Deus omnia in omnibus. Illic erit adimpletio, hic est gustus. Gustamus enim hic et videmus quoniam suavis est Dominus; sed gustus iste non transit in potem, quia licet videamus, non tamen penetramus. In gustu est suavis, in adimpletione mirabilis. Sanctorum autem animæ terrenis exutæ corporibus, quæ jam ad sedes æthereas evolaverunt, licet bibant, non tamen adimplentur, non tamen inebriantur (100*). Quamvis enim multa beatitudine perfruantur, expectant tamen resurrectionem mortuorum corporum, ut cum **1175** in terra sua duplicia possederint, sempiterna perfundantur lætitiis (*Isa. lxi, 7*). Modo enim illis singulis singulæ stolæ albæ datæ sunt; et injunctum, ut sustineant tempus adhuc modicum (*Apoc. vi, 11*), donec impii conterantur duplici contritione, et ipsi gemina beatitudine coronentur. Cum ergo nondum habeant quod habere desiderant, inebriari non possunt, sed est eis illa visio potus: ut sicut absque labore bibitur, ita sine labore quiescant, donec satietur cum apparuerit gloria ejus. Cum autem resurgemus in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi (*Ephes. iv, 13*), et gloriosa illa civitas margaritis ornabitur, et sicut lætantiæ omnium habitatio erit in ea; tunc adimplebit nos lætitiis cum vultu suo (*Psal. xv, 11*), quia videbimus eum sicuti est (*I Joan. iii, 2*). Tunc inebriabimur ab ubertate domus suæ, et torrente voluptatis suæ potabit nos (*Psal. xxxv, 9*), dicetque nobis: *Bibite et inebriamini, charissimi* (*Cant. v, 1*); quia et anima illuminationem, et corpus glorificationem jure perpetuo possidebunt.

13. Sequitur: *Delectationes in dextera tua usque in finem* (*Psal. xv, 10*). Sinistra Dei, vita præsens est. Et quia pro sinistro ducimus quidquid non multum curamus per sinistram præsens vita accipitur, in qua Dominus electos suos sic ab impiis permittit flagellari, ut etiam patiantur occidi. An non tibi videntur oblivioni dati qui dicunt: *Propter te mortificamur tota die; æstimati sumus sicut oves occisionis? quare faciem tuam avertis, oblitisceris inopiam nostram?* (*Psal. xliiii, 22, 24*.) Per dexteram vero illa beata vita signatur quæ nescit nisi gaudia, de qua nihil aliud dicere possumus, nisi quia *gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei* (*Psal. lxxxvi, 5*). Ibi sunt delectationes illæ quas oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se (*I Cor. ii, 9*). In sinistra tribulationes, in dextera delectationes. Usquequo autem? *Usque in finem*. Quis est iste finis? Finis ad justitiam, Christus omni credenti (*Rom. x, 4*). Finis ille de quo Sapiëntia dicit: *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (*Sap. viii, 1*). Deum enim cernere, finis

est consummatus. Ipse est finis, ad quem cum venerimus, nihil amplius sitiemus, Jesus Christus sponsus Ecclesiæ, qui est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XLII.

De quinque negotiationibus, et quinque regionibus.

1. Verbum Patris, Unigenitus Dei, Sol Justitiæ, summus ille negotiator, de ultimis cælorum finibus nostræ redemptionis pretium apportavit. Fidelis ista negotiatio et omni acceptione dignissima, in qua Rex filius Regis efficitur negotiatio, aurum pro plumbo tribuitur, pro peccatore donatus est justus. O quam indebita miseratio, quam gratuita et sic probata dilectio, quam inopinata dignatio, quam stupenda dulcedo, quam invicta mansuetudo, quam vilis negotiatio, ubi Filius Dei pro servo traditur, pro creatura Creator occiditur, pro mancipio Dominus condemnatur! Tua sunt hæc, Christe, opera, qui de lumine cæli ad tenebras inferni, a dextera majestatis ad miseriam humanitatis, a gloria Patris ad mortem crucis descendisti, infernum illustrando, hominem redimendo, superando mortem, et mortis auctorem. Unus es, et secundum non habes: quem ad nos redimendum propria benignitas invitavit, misericordia traxit; veritas qua te venturum promiseras, compulit, puritas uteri virginalis suscepit, salva virginitatis integritate potentia eduxit, obedientia in omnibus deduxit, patientia armavit, charitas verbis et miraculis manifestavit. Absint procul negotiatores terræ Themam, recedant filii Agar, qui exquisierunt prudentiam; elongentur a me gigantes a sæculo nominati, qui ab initio fuerunt, statura magna, scientes bellum. Non hos elegit Dominus, neque viam disciplinæ meruerunt, propterea perierunt: sed dedit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. Abscondisti enim hæc, Domine, a sapientibus et prudentibus, gigantibus et nominatis, qui magni facti sunt videlicet **1176** in oculis suis, et revelasti ea parvulis et humilibus tuis (*Math. xi, 25*). Libenter amplector negotiationem tuam, quia negotium meum est. Hæc mercimonia cum summa suavitate ruminat anima mea. Non solum autem ruminat, sed et revocat rumptionem tuam, quia et intelligit quæ diligit, et commendat memoriæ quæ elegit. In his negotiationibus præcipis esse animam meam, ut fiat navis institoris de longe portans panem suum. Negotiabor donec venias, venienti lætus occurram, et ulinam aulam: *Euge, serve bone* (*Math. xxv, 21, 23*). Tui sunt cæli, et tua est terra; in regionibus tuis negotiabor securus, te solum habens in itinere ducem, in periculis protectorem, consortem in tribulatione.

2. Regiones tuæ quinque sunt, quas perambulant ad negotiandum institores tui, ubi te quærunt dilecti tui, et inveniunt electi tui. Prima regio est regio dissimilitudinis. Nobilis illa creatura in regione similitudinis fabricata, quia ad imaginem Dei facta, cum in honore esset, non intellexit, et de similitudine ad dissimilitudinem descendit. Magna prorsus dissimilitudo, de paradiso ad infernum, de angelo

A ad jumentum, de Deo ad diabolum! Exsecranda conversio, gloriam in miseriam, vitam in mortem, pacem in pugnam perpetua captivitate convertere! Maledicta descensio, de divitiis ad paupertatem, de libertate ad servitutem, et de requie ad laborem descendere! Miseri nos, et miserabiliter nati; quibus datum est nasci in mœnore, vivere in labore, in dolore mori. De peccatore peccatores, de debitoro debitores, de corrupto corrupti, de subacto subacti, geniti et generantes sumus. Gens peccatrix, populus gravis iniquitate, semen pessimum, filii scelerati, adentes prævaricationem. Ecce quasi non simus, sic sumus coram eo, quasi nihilum et inane reputati (*Isa. xl, 17*), putantes nos aliquid esse, cum nihil simus. Vulnerati sumus ingredienti mundum, conversando in mundo, exeundo de mundo: a planta pedis usque ad verticem non est sanitas in nobis. Noverat hæc ille sublimis propheta, qui statum humanæ miseriam deplorans, in hæc verba prorupit: *Grave jugum est super filios Adæ a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium* (*Eccli. xl, 1*).

3. In hac dissimilitudinis regione quid negotiaberis, Domine Deus? Aspicio genus humanum ab ortu solis usque ad occasum hujus mundi nudinas perambulare; alios divitiis quærere, alios honoribus inhiare, alios favoralis auræ suavitate raptari. Sed quid de divitiis? Nonne cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, cum dolore amittuntur? Thesaurizas et ignoras cui congregabis ea (*Psal. xxxviii, 7*). Vide quantum laborem pro perituris divitiis assumpsisti. Transis maria, et alium tibi orbem apris navigando, secundum Sapientem tribus digitis distans a morte; patriam fugis, relinquis parentes, divelleris ab uxore, filios nescis, et omnium necessitudinum oblitus, quæris ut acquiras, acquiris ut perdas, perdis ut doleas. *Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?* (*Psal. iv, 3*.) Quæ est ista dementia, filii Adam, circuire maria, perambulare terras, rari extra mundum, in laboribus plurimis. In vigiliis multis, in jejuniis crebris, in mortibus frequenter? Ecce quales divitiæ. Sed quid de honoribus? In sublimi loco positus es, ducem te constituerunt. Vide si non judicandus es ab omnibus, ab omnibus spectandus, ab omnibus lacerandus. Si talis es, excubas ante limina principis, ut principatum acquiras, et ferrato vestitus amictu, propior es vulneri quam honori, morti quam vitæ, periculo quam præmio. Si de sorte Domini ea, nonne episcopus Romanum pontificem, archidiaconus vel diaconus episcopum pertimescit? Vide etiam utrum excusseris manus tuas ab omni munere, ne cum Simone audias: *Non est tibi pars neque sors in sermone isto; quia voluisti donum Spiritus sancti cum pecunia possidere* (*Act. viii, 21*). Nihil ad nos de rectoribus Ecclesiæ judicare: videant ipsi amici Sponsi, cum de sponsa cæperit exigere rationem, qui iudicat orbem terræ in æquitate. Nunquid in honore **1177** sine dolore, in præla-

none sine tribulatione, in sublimitate sine vanitate esse quis potest? Ecce quales honores. Quid autem de gloria? Gloria tibi unde, fetide pulvis, limus terræ, vas in contumeliam? Non tibi, non tibi, sed nomini Domini gloriam cede. Illi permittite gloriam suam, qui gloriosus est in sanctis suis. Illum lauda, quem laudant angeli in excelsis. Nunquid et ipsa vanis gloria, quæ nihil aliud est quam aurium inflatio vana, quæ haberi vix potest sine invidia? Respice quos antecedis, et cogita quia omnibus invidiæ semina præbuiti. Omnes ergo adversum te torvis luminibus inflammantur, tua felicitate torquentur, tua uruntur gloria. Ecce unde gloriosus, inde odiosus; unde sublimis, unde humilis; inde sollicitus, unde securus. Animadvertite quia si per gloriam curris, incurris invidiam; si felicitatem sequeris, corrumperis infelicitate. Vides ergo quia vane conturbatur omnis homo (*Psal. xxxviii, 12*). Hæc sunt mercimonia, quæ inveniuntur in regione dissimilitudinis. Prudens ergo negotiator, qui videt in divitiis laborem, in honoribus pœnam, invidiam in gloria, facit sarcinam suam, mundi contemptum, et fugit.

4. Secunda regio est paradisus claustralis. Vere claustrum est paradisus, regio vallo disciplinæ munita, in qua pretiosarum est mercium secunda fertilitas. Gloriosa res, homines unius moris habitare in domo (*Psal. lxxvii, 7*); bonum et jucundum habitare fratres in unum (*Psal. cxxxii, 4*). Videas illum peccata sua desinentem, alium in Dei laudibus exultantem, hunc omnibus ministrantem, illum alios erudientem, hunc orantem, illum legentem; hunc miserentem, illum peccata punientem; hunc charitate flagrantem, illum humilitate pollentem; hunc in prosperis humilem, illum in adversitate sublimem; hunc in activa laborantem, illum in contemplativa quiescentem; et poteris dicere: *Castra Dei sunt hæc* (*Gen. xxxii, 2*). *Quam terribilis est locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cæli* (*Gen. xxviii, 17*). Quid tibi ergo, fidelis anima, in his mundinis est considerandum? Perambula virtutes cohabitantium in domo Domini virtutum, et fac inde sarcinam tuam, formam vivendi. Quæ prius habitabas in regione umbræ mortis transi ad regionem vitæ et veritatis.

5. Tertia regio est regio expiationis. Tria sunt loca, quæ mortuorum animæ pro diversis meritis aortuntur; infernus, purgatorium, cælum. In inferno impij, in purgatorio purgandi, in cælo perfecti. Qui in inferno sunt, redimi non possunt; quia in inferno nulla est redemptio. Qui in purgatorio sunt, exspectant redemptionem, prius cruciandi, aut calore ignis, aut rigore frigoris, aut alienius gravitate doloris. Qui in cælo sunt, gaudio gaudent ad visionem Dei, Christi fratres in natura, cohæredes in gloria, similes in æternitate jucunda. Quia igitur primi redimi non merentur, tertii redemptione non indigent, restat ut ad medios transeamus per compassionem, quibus juncti fuimus per humanitatem. Vadam in istam regionem, et videbo visionem hanc

A grandem, quomodo pius Pater glorificandos filios in manu tentatoris relinquat, non ad occisionem, sed ad purgationem; non ad iram, sed ad misericordiam; non ad destructionem, sed ad instructionem: ut jam non sint vasa iræ apta in interitum, sed vasa misericordiæ præparata ad regnum. Surgam ergo in adjutorium illis; interpellabo gemitibus, implorabo suspiriis, orationibus intercedam, satisfaciam sacrificio singulari: ut si forte videat Dominus, et judicet, laborem convertat in requiem, miseriam in gloriam, verbera in coronam. His enim et hujusmodi officiis potest eorum pœnitentia rescari, finiri labor, destrui pœna. Percurre ergo, quæcumque es fidelis anima, regionem expiationis, et vide quid in ea fiat; et in mundinis istis fac sarcinam tuam, affectum compatiendi.

6. Quarta regio est regio gehennalis. O regio dura et gravis, regio extimescenda, regio fugienda! terra oblivionis, terra afflictionis, terra miseriarum, in qua nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat! Locus lethifer, in quo ignis ardens, ubi frigus rigens, vernis immortalis, fetor intolerabilis, mallei percutientes, **1178** tenebræ palpabiles, confusio peccatorum, inmodio vinculorum, horribiles demonum facies! Totus tremo atque horreo ad memoriam istius regionis, et concussa sunt omnia ossa mea. Quomodo cecidisti, Lucifer, qui mane oriebaris? (*Isa. xiv, 12*). Omnis lapis pretiosus operimentum tuum (*Ezech. xxviii, 13*): modo subter te sternitur tineam, et operimentum tuum vernis (*Isa. xiv, 11*). O Deus, quanta distantia inter operimentum pretiosi lapidis, et operimentum vernis; inter delicias paradisi, et tineam corrodentem inferni! Scio quia paratus est ille ignis diabolo, et angelis ejus (*Matth. xxv, 41*), et hominibus similibus ejus; ubi sine fine finientur, sine morte morientur, torquentur sine cessatione. Vivens igitur in infernum descende; percurre mentalibus oculis tormentorum officinas, fuge scelera et vitia, pro quibus scelerati homines et vitiosi perierunt. Habe odio iniquitatem, et dilige legem Domini, et in tam formidolosis mundinis fac sarcinam tuam, odium peccati.

7. Quinta regio est paradisus supercælestis. O beata regio supernarum virtutum, ubi beata Trinitas a beatis facie ad faciem videtur, ubi illa sublimia agmina sublimi pennarum applausu, *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth* (*Isa. vi, 3*), clamare non cessant! Locus est voluptatis, ubi torrente voluptatis potantur justi; locus splendoris, ubi justi fulgent sicut splendor firmamenti; locus lætitiæ, ubi lætitia sempiterna super capita eorum; locus abundantiae, ubi nihil deest videntibus eum; locus suavitatis, ubi apparet Dominus suavis universis; locus pacis, ubi in pace factus est locus ejus; locus admirationis, ubi sunt mirabilia opera ejus; locus satietatis, ubi satiabimur cum apparuerit gloria ejus; locus visionis, ubi videbitur magna visio. O regio sublimis, plena divitiarum! de valle lacrymarum suspiramus ad te, ubi sapientia sine igno-

rantia, memoria sine oblivione, intellectus sine errore, ratio sine obscuritate splendet. Regio in qua Dominus transiens ministrabit electis suis, id est talem se qualis est ostendet. Illic erit Deus omnia in omnibus, ubi rerum universitas mirabiliter ordinata dabit Creatori gloriam, lætitiã creaturæ. Curre igitur, spiritualis anima, oculis desideriorum per regionem istam, et vide Regem gloriæ in decore suo gloriosum, stipatum legionibus angelorum, sanctorum ornatum agminibus, deponentem superbos, humiles exaltantem, damnantem dæmones, homines, relementem, et dic: *Beati qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te* (Psal. LXXXIII, 5). Cum ergo mente perceperis tam pretiosas mundinas, mercimonia tam præclara, construe sarcinam tuam, amorem Dei. Vidisti regiones, animalvertisti mundinas, sarcinam construxisti, et beatus es. Negotiare ergo, dum veniat Dominus Deus tuus, ut ei dicere possis: *Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratum sum; et audire merearis: Intra in gaudium Domini tui* (Math. xxv, 20, 21), sponsi Ecclesiæ, qui est benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XLIII (101).

De magnanimitate, longanimitate, unanimitate.

1. Triplicem nobis in Ecclesia primitiva virtutem sanctus Lucas brevi sermone commendat, ubi post Dominicam ascensionem unanimiter eos in oratione perseverasse describit (Act. i, 14), expectantes cœlestem consolationem, cujus acceptant repositionem. Laudabili siquidem magnanimitate pusillus grex pastoris solatio destitutus, minime tamen dubitans quoniam illi cura esset de eis, sed paternam pro eis gereret sollicitudinem, devotis pulsabat supplicationibus cœlum, certus quod penetrarent illud justorum orationes, nec pauperum preces spernerentur a Domino, aut sine copiosa benedictione redirent. Sed nec sine longanimitate persistebant indeficientes, juxta illud propheticum: *Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, et non tardabit* (Habac. ii, 3). Porro unanimitas quidem legitur evidenter expressa, quod hæc sola divini spiritus charismata mereatur. Neque enim est Deus dissensionis, **1179** sed pacis (I Cor. xiv, 33); neque habitare facit nisi unius moris in domo (Psal. Lxvii, 7).

2. Jure igitur præparationem cordis eorum audivit auris divina; nec ab expectatione sua confudit eos. qui et magnanimes, et longanimes, et unanimes essent. Certissima namque hæc testimonia sunt fidei, spei, charitatis. Et quidem evidenter spes longanimitatem, unanimitatem charitas operatur. Nunquid fides quoque magnanimum facit? Et sola. Quidquid enim sine fide præsumitur, non est illa animi solida magnitudo, sed ventosa quædam inflatio, et tumor iuanis. Vis audire magnanimum virum? *Omnia, inquit, possum in eo qui me confortat* (Philipp. iv, 13). Imitemur triplicem hanc præparationem, fratres, si desideramus supereffluentem mensuram Spiritus

(101) Hic sermo in præcedentibus editis erat quintus in festo Ascensionis.

obtinere. Omnibus enim præter Christum ad mensuram datur Spiritus; sed mensuræ cumulus super-effluentis videtur quodam modo excessisse mensuram. Evidens fuit magnanimitas in conversione nostra: sit etiam in consummatione longanimitas, sit unanimitas in conversatione. Hujusmodi siquidem animabus cœlestis illa Jerusalem desiderat instaurari, quibus nec fidei magnitudo desit in suscipiendo onere Christi, nec longitudo spei in persistendo; nec charitatis junctura, quod est vinculum perfectionis.

SERMO XLIV (101*).

De his in quibus mysteria Christi necdum videntur impleta.

1. Omnia quæ de Salvatore legimus, medicamina sunt animarum nostrarum. Videamus ergo ne quando forte dicatur de nobis: *Curavimus Babylonem et non est sanata* (Jerem. li, 9). Cogitet unusquisque, quantum operentur in eo tam salutaria medicamenta. Sunt enim quibus nondum natus est Christus, sunt quibus nondum est passus, sunt quibus non resurrexit usque adhuc. Aliis quoque nondum ascendit; aliis nondum misit Spiritum sanctum. Quomodo enim operatur ejus humilitas, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens (Philipp. ii, 6, 7)? quomodo, inquam, Dei humilitas in superbo homine operatur? Quæ illius humilitatis vestigia in his, qui adhuc toto desiderio terrenis divitiis et honoribus inhiant? An non modo exhilaratur conscientia vestra, fratres mei, quod dicere potestis: *Pervulus natus est nobis*? (Isa. ix, 6). Sunt quibus nondum est passus Christus: qui labores fugiunt, et mortem metuant usque adhuc. quasi vero ille et labores sustinendo, et mortem moriendo non vicerit.

4. Sunt quibus nondum surrexit, qui in laborum anxietate et afflictione pœnitentiæ morte afficiuntur tota die, nondum spirituali consolatione recepta. Sed nisi brevitati fuissent dies illi, quis posset sustinere? Aliis surrexit Christus, sed nondum ascendit; imo cum eis adhuc pia dulcedine commoratur in terris, his scilicet qui in devotione sunt tota die, flect in orationibus, suspirant in meditationibus suis, et omnia festiva et jucunda sunt eis, et per omnes dies illos continuum Alleluia cantatur. Sed oportet lac eis subtrahi, ut discant vesci solido cibo; et expedit eis ut Christus vadat, et hæc temporalis devotio subtrahatur. Sed quando hoc capere poterunt? Desertos sese a Domino, privatos gratia conqueruntur. Sed expectent paululum, sedeant in civitate, donec induantur solidiori quadam virtute ex alto, et majora percipiant charismata Spiritus sancti; sicut apostoli præmoti sunt in gradum altiore, et supereminentiorem viam charitatis ingressi, non jam solliciti quomodo flecterent paululum, sed quomodo magna quadam victoria de communi adversario triumpharent, et conculcarent Satanam sub pedibus suis.

(101*) Hic sermo in manuscriptis est tertius in Resurrectione.

1180 Sequuntur Sermones, vulgo Parvi nuncupati, quos Horstius Sermonibus de Diversis accensuit, nonnullis inter Sententias rejectis. Hos fortasse Bernardi « Flores verborum » a Petro-Cellensi petebat Joannes Saresberiensis epistolis 96 et 97.

SERMO XLV (102).

De varia Trinitate, Dei scilicet et Hominis.

1. Beata illa et sempiterna Trinitas, Pater et Filius et Spiritus sanctus, unus Deus scilicet, summa potentia, summa sapientia, summa benignitas, creavit quamdam trinitatem ad imaginem et similitudinem suam, animam videlicet rationalem : quæ in eo præfert vestigium quoddam illius summæ Trinitatis, quod ex memoria, ratione et voluntate consistat. Creavit autem hoc modo, ut manens in illo, participatione ejus esset beata : aversa ab illo, quocunque se conferret, remaneret misera. Sed hæc trinitas creata elegit potius per motum propriæ voluntatis cadere, quam ex gratia Conditoris [*alias*, creationis] per liberum arbitrium stare. Cecidit ergo per suggestionem, delectationem, consensum, ab illa summa et pulchra Trinitate, scilicet potentia, sapientia, puritate, in quamdam contrariam et foedam trinitatem, scilicet infirmitatem, cæcitatem, immunditiam. Memoria enim facta est impotens et infirma, ratio imprudens et tenebrosa, voluntas impura. Porro memoria, quæ simplicis divinitatis potentiam stans cogitabat, ab illa cadens et velut supra saxa corruens, in tres partes contracta dissiliit, scilicet in cogitationes affectuosas, onerosas, otiosas. Affectuosas voco illas, in quibus ipsa afficitur, ut in curis rerum necessariarum, edendi, bibendi, cæterarumque similibus [*alias*, innumerabilibus]; onerosas, ut in exterioribus administrationibus et occupationibus duris; otiosas, quibus nec afficitur nec oneratur, et tamen ab æternorum contemplatione per illa distenditur; ut si cogitet, verbi gratia, equum currentem, aut avem volantem.

2. Rationis quoque triplex casus est. Siquidem ejus erat discernere inter bonum et malum, verum et falsum, commodum et incommodum; in quibus discernendis tanta modo caligine cæcatur, ut sæpe in contrarium ducat judicium, recipiens malum pro bono, falsum pro vero, noxium pro commodo, et e converso. Nunquam vero in his falleretur, si nunquam lumine, a quo creata est, privaretur. Sed quia et ipsa inde cecidit, procul dubio nihil aliud quam tenebras suæ cæcitatibus invenit. Unde factum est, ut et instrumentum perderet, quo illa administraret, scilicet illud trivium sapientiæ, ethicam, logicam, physicam : quas nos possumus aliis vocare nominibus moralem, inspectivam, et naturalem scientiam. Siquidem per ethicam eligitur bonum, reprobat malum; per logicam cognoscitur verum et falsum; per physicam commodum et incommodum, id est, quid in usum assumendum sit, quid respiciendum.

3. Sequitur voluntas, cujus ruina similiter tripartita est. Quæ enim summæ benignitati et puritati

(102) *Alias*, 1 ex Parvis.

A inhærere, et eam solam diligere debuit; per propriam iniquitatem a supernis in hæc infima lapsa, per concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, et ambitionem sæculi terrena dilexit. Quid hoc infelicius easu potest æstimari, ubi pereunte memoria, ratione, voluntate, tota animæ substantia perimitur?

4. Verumtamen hunc tam gravem, tam tenebrosam, tam sordidum lapsum nostræ naturæ reparavit illa beata Trinitas, memor misericordiæ suæ, immemor culpæ nostræ. Venit ergo a Patre missus Dei Filius, et dedit fidem : post Filium missus est Spiritus sanctus, et dedit docuitque charitatem. Itaque per hæc duo, id est fidem et charitatem, facta est spes redeundi ad **1181** Patrem. Et hæc est trinitas, scilicet fides, spes, charitas; per quam velut per tridentem reduxit de limo profundi ad amissam beatitudinem illa incommutabilis et beata Trinitas mutabilem, lapsam, et miscram trinitatem. Et fides quidem illuminavit rationem; spes erexit memoriam; charitas vero purgavit voluntatem. Cuius ergo venit, ut dictum est, Deus Filius et factus est homo, qui erat Deus; tanquam medicus bonus dedit præcepta, quibus observatis reformaretur salus amissa. Ut vero præceptis faceret fidem, exhibuit signa; ut eorundem præceptorum persuaderet utilitatem, promisit beatitudinem.

5. Est igitur fides alia præceptorum, alia signorum, alia promissorum : id est qua credimus in Deum, qua credimus Deum, qua credimus Deo. Per fidem præceptorum credimus in Deum. Credere autem in Deum est in eum sperare et eum diligere. Per fidem signorum credimus Deum, qui talia potest, et omnia potest. Per fidem promissorum credimus Deo, qui quidquid promittit, veraciter complet. Similiter quoque spes triplex est, et procedit de prædicta triplici fide. Nam de fide præceptorum oritur spes veniæ; de fide signorum, spes gratiæ; de fide promissorum, spes gloriæ. Charitas itidem ternario numero colligitur, *de corde puro, et de conscientia bona, et fide non ficta* (1 Tim. 1, 5). Puritatem debemus proximo, conscientiam nobis, fidem Deo. Puritas autem est, ut quidquid agitur, aut ad utilitatem proximi, aut ad honorem fiat Dei. Maxime autem exhibenda est proximo, quia Deo manifesti sumus; proximo autem non possumus, nisi in quantum illi cor nostrum aperimus. Conscientiam bonam faciunt in nobis duo, pœnitentia et continentia; quando scilicet per pœnitentiam peccata commissa punimus, et per continentiam deinceps punienda non committimus : et hanc debemus nobis. Post hæc superest fides non ficta, quæ Deo vigilanter exhibenda est, ut nec propter proximum, cui nos impendimus charitatem, offendamus Deum; nec propter conscientiam, quam per pœnitentiam et continentiam in humilitate custodire volumus, minus exsequamur mandatorum Dei obedientiam : et hæc est fides non ficta. Non ficta autem ponitur ad differentiam mortuæ fidei, et fictæ. Mortua fides est, quæ

sine operibus est fides ficta, quæ ad tempus credit, et in tempore tentationis recedit; unde etiam ficta, id est fragilis, dicitur.

6. Hæc omnia brevius possumus colligere, ut facilius commendetur memoriæ. Dicamus ergo: Est Trinitas creatrix, Pater et Filius et Spiritus sanctus, ex qua cecidit creata trinitas, memoria, ratio et voluntas. Et est trinitas per quam cecidit, videlicet per suggestionem, delectationem, consensum. Et est trinitas in quam cecidit, videlicet impotentia, cæcitas, immunditia. Rursus trinitas quæ recidit, id est memoria, ratio, voluntas. Singulæ cujusque tripartitus existit casus. Memoria cecidit in tres species cogitationum, affectuosas, onerosas, otiosas. Ratio in triplicem ignorantiam: boni et mali, veri et falsi, commodi et incommodi. Voluntas in concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, et ambitionem sæculi. Est trinitas per quam resurgit, scilicet fides, spes, charitas. Quæ trimembres habent subdivisiones. Est enim fides præceptorum, signorum, promissorum; est et spes veniæ, gratiæ, gloriæ; et est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.

SEPMO XLVI (102').

De Virginitatis et humilitatis conexione.

Ave, Maria, gratia plena. Non in sola virginitate constare poterat gratiæ plenitudo: neque enim omnibus est de ea accipere. Felices qui non inquinaverunt **1182** vestimenta sua, et cum regina nostra virginitatis privilegio gloriantur. Sed num unam tantum benedictionem habes, o Domina? Et mihi obsecro ut benedicas. Perit virtus illa a me (102'), non est jam vel aspirare ad illam. Computrui in stercore meo, et ut jumentum factus sum; sed nunquid non erit mihi etiam aliquid apud te? non erit ubi possim esse tecum, quia jam sequi non valeo quocumque ieris? Querit angelus puellam, quam præparavit Dominus filio domini sui. Bibit ipse de hydria tua, cognata sibi virtute delectatus; sed nunquid non et jumentis potum tribues? Bibit angelus, quod virum non cognoscis: bibant et jumenta quod de humilitate singulariter gloriaris. *Respexit*, inquit, *Dominus humilitatem ancillæ suæ* (Luc. 1, 28, 48). Nam virginitas sine humilitate habet fortasse gloriam, sed non apud Deum. Humilia semper Excelsus respicit, et alta a longe cognoscit (Psal. cxxxvii, 5). Humilibus dat gratiam, superbis

(102') *Alias*, 2 ex Parvis.

(102'') Nempe virginitas. His verbis movetur Bernardus, ut sermonem non putet esse Bernardi, quem satis constat, virginitatis lauream ad extremum usque spiritum servasse illibatam. Et certe alterutrum sequi videri, ut aut sermo non sit Bernardi, aut Bernardus non sit virgo. Sed quid vetat utrumque, et sermonem, et virginitatem Bernardo asserere, verbis his nequidquam obstantibus? Nec enim inusitatum sanctis et prædicatoribus verbi divini, subinde loqui ex persona auditorum, et in seipsum quasi derivare ac transferre peccatum, quod castigare statuerunt. Itaque, ut ad Bernardum revertar, dico eum ex persona auditorum loqui, velut inquirentem, quid illis restet apud Virginem Deiparam, quibus non licet eam ipsa de salva virginitate

A resistit (Jac. iv, 6). Sed forte ne in his quidem duabus metretis plena est hydria tua: capax est etiam tertiæ, ut non modo angelus et jumenta, sed ipse jam bibat architriclinus. Hoc enim vinum bonum, quod servavimus usque adhuc, misit angelus haurit, sed ut ferat architriclino (Joan. ii, 6-10). Patrem loquor, qui principium Trinitatis, architriclinus jure vocatur. Ait sane angelus, fecunditatem Mariæ commendans, quæ tertia est metreta: *Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei* (Luc. 1, 35): ac si dicat: Cum eo solo tibi est generatio ista communis.

SERMO XLVII (103).

De quadruplici superbia.

Ave, Maria, gratia plena. Bene plena; quia Deo, et angelis, et hominibus grata. Hominibus per fecunditatem, angelis per virginitatem, Deo per humilitatem. In hoc tertio a Domino se respectam testatur (Luc. 1, 28, 48), qui humilia respicit, et alta a longe cognoscit (Psal. cxxxvii, 5). Sicut enim oculi Satanæ omne sublime vident, ita oculi Domini omnem humilem intuentur. Unde ait in Cantico canticorum: *Revertere, revertere, Sunamitis; revertere, revertere, ut intueamur te* (Cant. vi, 12). Quater dicit, *revertere*, propter quadruplicem superbiam, per quam aversa a Domino non videbatur. Est enim superbia cordis, superbia oris, superbia operis, superbia habitus. Superbia cordis est, quando homo in oculis suis magnus est. Contra quam Sapiens orat, dicens: *Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi* (Eccli. xxiii, 5). Et alibi: *Væ qui sapientes estis in oculis vestris!* (Isa. v, 21.) Superbia oris vel linguæ, quæ et jactantia dicitur, est quando homo non solum magna de se sentit, sed etiam loquitur. Unde Psalmista: *Disperdat Dominus universa labia dolosa, et linguam magniloquam* (Psal. xi, 4). Superbia operis est, quando homo exteriori quadam superbia, ut magnus appareat, agit. De qua idem Psalmista ait: *Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam* (Psal. c, 7). Superbia habitus est, quando homo, ut gloriosus videatur, pretiosis se ornat vestibus. Unde Paulus: *Non in veste pretiosa* (I Tim. ii, 9). Et Dominus: *Qui molibus vestiuntur, in domibus regum sunt* (Matth. xi, 8), ubi superbia abundat. Sunt autem quinque, quæ ad remedium tam mortiferæ pestis a Domino ra-

gloriarum. Porro in tanto religiosorum numero, quis dubitet fuisse, qui post factum virginitatis pridem in sæculo naufragium, tabulam penitentiam in monasterio apprehenderint?

Simili fere modo de se ipse loquitur Bernardus in sermone 30 super Cantica, num. 7, ubi ait fidem suam in sæculari vita mortuam fuisse, utpote sine operibus: post conversionem vero suam, etsi « meliuscule » habuerit, tamen sæpe botros bonorum operum præfocasse iram, tulisse jactantiam, fœdasse inanem gloriam; nec gule etiam peccata sibi defuisse: cum tamen nemo Bernardo lenior, humilior aut temperantior fuerit. Confer ea quæ ad se ipsum sentit sermone 54 in Cant., num. 8.

(103) *Alias*, 3 ex Parvis.

tionali animæ sunt posita, locus, corpus, tentatio diaboli, prædicatio Christi, et ejus conversatio. Locus, quia exilium; corpus, quia onerosum; tentatio, quia inquietat; Christi prædicatio, quia edificat, et ejus conversatio, quia informat. His quasi quinque sensibus Deus humilitatem operatur in anima. Sicut enim anima vita est corporis, ita Deus vita est animæ: et sicut corpus mortuum est, quod per quinque sensus ab anima non vegetatur, ita anima mortua est, quæ per hæc a Domino non humiliatur.

1183 SERMO XLVIII (103').

De paupertate voluntaria.

Intravit Jesus in quoddam castellum, et mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam (Luc. x, 38). Castellum, ubi Christus intravit, voluntaria est paupertas, quæ habitatores suos a gemina impugnatione, qua hujus mundi amatores expugnantur, reddit securos, scilicet propria invidia, et aliena. Paupertas enim, dum putatur misera, aliena caret invidia: et quia est voluntaria, nemini quidquam invidet. Dux istæ sorores duas vitas amatorum paupertatis significant. Quidam cum Martha solliciti Domino Jesu duo pulcherrima præparant, scilicet correctionem operis cum salsamento contritionis, et opus pietatis cum continente devotionis. Hi vero qui cum Maria soli Deo vacant, considerantes quid sit Deus in mundo, quid in hominibus, quid in angelis, quid in se ipso, quid in reprobis; contemplantur quia Deus est mundi rector et gubernator, hominum liberator et adiutor, angelorum sapor et decor, in se ipso principium et finis, reproborum terror et horror. In creaturis mirabilis, in hominibus amabilis, in angelis desiderabilis, in se ipso incomprehensibilis, in reprobis intolerabilis.

SERMO XLIX (104).

De triplici Verbo.

Dies diei eructat verbum. Dies diei, angelus Virgini. Dies angelus propter beatitudinem; Virgo dies propter integritatis virtutem. Et nox nocti indicat scientiam. Serpens nox propter malitiam: mulier nox propter ignorantiam. Dies diei eructat verbum. Deitas virginitati, de utero paternæ majestatis, in utero maternæ integritatis. Aliter: Dies diei eructat verbum; Deus Pater animæ rationali per filiam illuminatæ. Et nox nocti indicat scientiam (Psal. xviii, 3); creatura rationalis animæ rationali nondum per fidem illuminatæ. Unde Apostolus: *Invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur a creatura mundi.* Unde nos dicimus verbum indicatum, verbum inspiratum, verbum eructatum. Primum fecit cognitionem; secundum, conversionem; tertium vivificationem. Primum obsuit, secundum non profuit, tertium vivificavit. Primum obsuit; quia, cum cognovissent Deum, non sicut

(105') *Alias, 4 ex Parvis.*

(104) *Alias, 5 ex Parvis.*

(104') *Alias, 6 ex Parvis.*

(105) Salomon divine per Nathan prophetam vocatus est *Amabilis Domino*; Hebraice, *Jedidejah*. Ex quo facillioris promuntiationis gratia formatum,

A Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipientis cor eorum (Rom. i, 20, 21). Secundum non profuit; quia non data est lex, quæ posset vivificare. Tertium vivificavit; quia per crucem redemit. Primum totum deforis; secundum foris et intus; tertium totum intus. Et nota quia, quod eructatur, de plenitudine eructantis cum quodam ipsius substantiæ sapore profertur. Et ideo Sapia incarnata dicitur habens in se omnem plenitudinem (Joan. i, 16), in miraculis cognitionem, in doctrina conversionem, in passione vivificationem. Unde ait propheta: *Venite et revertamur ad Dominum: quia ipse cepit, et sanabit nos; percutiet, et curabit nos. Vivificabit nos post duos dies, scilicet cognitionis et conversionis: in die tertia suscitabit nos, voce Verbi incarnati per primam suam resurrectionem: et vivemus in conspectu ejus, vivificati per passionem, serenius illuminati per miraculorum cognitionem; sequemurque ut cognoscamus Dominum (Osee vi, 1-3), instructi per doctrinæ conversionem.*

SERMO L (104').

De affectionibus recte ordinandis.

1. *Egredimini, filiæ Sion, et videte regem Salomonem.* Non dicit Ecclesiasten aut Ididam (103). Nam et his nominibus appellatus est rex ille: et significat Jesum 1184 Christum nostrum verum Salomonem, qui est Salomon, id est *pacificus*, in exilio; Ecclesiastes, id est *concionator*, in judicio; Idida, id est *dilectus Domini*, in regno; ubique rex. In exilio rector morum, in judicio discretor meritorum, in regno distributor præmiorum (105'). In exilio mansuetus, in judicio justus, in regno gloriosus. In exilio amabilis, in judicio terribilis, in regno admirabilis. *In diademate quo coronavit eum mater sua (Cant iii, 11).* Est autem hæc corona misericordiæ, et in hac imitabilis. Coronavit eum et noverca sua corona miseræ, et in hac contemptibilis. Synagogam loquor, quæ se ei non matrem exhibuit, sed novercam. Coronabit eum familia sua corona justitiæ, et in hac terribilis; coronat eum Pater suus corona gloriæ, et in hac desiderabilis. Videant ergo eum peccatores in corona miseræ, id est spinea, et compungantur; videant eum filiæ Sion, animæ affectuosæ, in corona misericordiæ, et imitentur; videbunt eum impii in corona justitiæ, et peribunt; videbunt eum sancti in coronæ gloriæ, et perpetually gaudebunt.

2. *Egredimini, filiæ Sion, animæ delicatæ, de sensu carnis ad intellectum mentis; de servitute carnalis concupiscentiæ ad libertatem spiritualis intelligentiæ; et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua.* Coronantur qui-

Idida. Itaque fuit binomius, licet hoc nomen existet tantum II Reg. xii, 25. Imo trinomius, si addas nomen *Ecclesiastæ*.

(105') Hactenus fere ex sermone II in Epiphania, nu. 2.

dem et alii imitatores ipsius, sed hoc ex industria adiuti per gratiam. Solus iste a matre coronatus est, quia solus cum ordinatis affectionibus tanquam sponsus e thalamo processit ex utero matris. Sunt autem affectiones istæ quatuor notissimæ. amor et lætitia, timor et tristitia (106). Absque his non subsistit humana anima; sed quibusdam sunt in coronam, quibusdam in confusionem. Purgatæ enim et ordinatæ gloriosam in virtutum corona reddunt animam; inordinatæ per confusionem dejectam et ignominiosam. Purgantur autem sic. Si amantur quæ amanda sunt, si magis amantur quæ magis amanda sunt, si non amantur quæ amanda non sunt, amor purgatus erit. Sic et de cæteris. Ordinantur autem sic. In initio timor, deinde lætitia, post tristitia, in consummatione amor. Compositio quarum talis est. De timore et lætitia nascitur prudentia, et est timor causa prudentiæ, lætitia fructus. De lætitia et tristitia nascitur temperantia, cujus est tristitia causa, lætitia fructus. De tristitia et amore nascitur fortitudo, et est tristitia causa fortitudinis, amor fructus. Clauditur circulus coronæ. De amore et timore nascitur iustitia, et est timor causa iustitiæ, amor fructus.

5. Considera ergo quomodo istæ affectiones ordinatæ virtutes sunt; inordinatæ, perturbationes. Si timorem sequatur tristitia, desperationem generat; si amorem lætitia, dissolutionem. Sequatur ergo timorem lætitia, quia timor futura cavet, lætitia de præsentibus gaudet, prudentis cautelæ finem lætitia possidet. Probet ergo lætitia timorem. Probatus timor nihil aliud quam prudentia est. Comitetur lætitiæ tristitia, quia moderate læta amplectitur, qui tristitia reminiscitur. Temperet ergo lætitiæ tristitia. Temperata lætitia nihil aliud quam temperantia est. Jungatur amor tristitiæ, quia fortiter sustinet tristitia, qui per amorem quæ sunt amanda desiderat. Confortet ergo amor tristitiæ. Confortata vero tristitia nihil aliud quam fortitudo est. Jungatur amor timori, quia ordinate amandis inhæret, qui timenda non negligit. Ordinet ergo amor timorem. Ordinatus timor nihil aliud quam iustitia est. Duæ affectiones, lætitia et tristitia, non se extendunt ad alia: in nobis enim lætamur, et in nobis tristamur. Amor et timor ad alia se extendunt. Timor enim affectio est naturalis, quæ nos conjungit superiori per inferiorem partem; et habet se ad solum Deum. Amor affectio est, quæ nos conjungit superiori, et inferiori, et æquali; et habet se ad Deum et proximum. In his autem duobus perfecta consistit iustitia, ut timeamus Deum propter potentiam, amemus **1185** propter bonitatem, et proximum propter naturæ societatem.

SERMO LI (106*).

De Mariæ Purificatione, et Christi Circumcisione.

Quid est quod dicimus beatam Mariam purificari? quid vero, quod ipsum Jesum dicimus circumcidi?

(106) De his affectionibus confer notata ad sermonem 2 in capite jejunii, num. 5.

A Enimvero tam non indignit illa purificatione, quam nec ille circumcissione. Nobis ergo et hic circumceditur, et illa purificatur, præbentes exemplum penitentibus, ut a vitiiis continentibus, primum per ipsam continentiam circumcédamur, deinde a commissis per penitentiam purificemur. Quid est autem quod Maria portat Jesum in utero, Joseph in humero, in Ægyptum scilicet iens et inde rediens; Simcon portat in brachiis? Significant isti tres electorum ordines: Maria, prædicatores; Joseph, penitentes; Simcon, bonos operatores. Qui enim aliis evangelizat, quasi Jesum in utero portat, ut eum aliis, vel potius alios ei pariat. De talibus erat beatus Paulus, qui dicebat: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis* (Galat. iv, 19). Qui vero pro Christo laboribus fatigantur, qui persecutiones patienter ferunt, merito isti portare eum in humeris dicuntur: quibus et ab ipsa Veritate dicitur: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum* (Luc. ix, 23), etc. Si quis autem est qui porrigat panem esurienti, potum sitienti, cæteraque misericordiæ opera sollicite impendat egenti, nonne iste recte videtur eum portare in brachiis? Hujusmodi enim videtur est in judicio Dominus: *Quandiu fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis* (Matth. xxv, 40).

SERMO LII (107).

De domo divine Sapientiæ, id est Virgine Maria.

1. *Sapientia edificavit sibi domum* (Prov. ix, 1), etc.

Cum multis modis sapientia intelligatur, quærendum est quæ sapientia edificavit sibi domum. Dicitur enim sapientia carnis, quæ inimica est Deo (Rom. viii, 7); et sapientia hujus mundi, quæ stultitia est apud Deum (I Cor. iii, 19). Utraque ista secundum Jacobum apostolum *terrena est, animalis, diabolica* (Jac. iii, 15). Secundum hanc sapientiam dicuntur *sapientes, ut faciant mala, bene autem facere nesciunt* (Jerem. iv, 22); et in ipsa sua sapientia arguuntur et perduntur, sicut scriptum est: *Comprehendam sapientes in astutia eorum* (I Cor. iii, 19); et: *Perdam sapientiam sapientium, et Prudentium prudentium reprobo* (I Cor. i, 19). Et utique talibus sapientibus videtur mihi digne et competenter dictum Salomonis aptari, quo ait: *Est malitia quam vidi sub sole, virum qui videtur apud se sapiens esse.*

D Nulla talis sapientia, sive carnis, sive mundi, ædificat, imo destruit quamcunque domum inhabitat. Est ergo alia sapientia quæ *desursum est; primum quidem pudica, deinde pacifica* (Jac. iii, 17). Hic est Christus Dei virtus, et Dei sapientia, de quo Apostolus: *Qui factus est, inquit, nobis sapientia a Deo, et iustitia, et sanctificatio, et redemptio* (I Cor. i, 30).

2. Hæc itaque sapientia quæ Dei erat, et Deus erat, de sinu Patris ad nos veniens, edificavit sibi domum, ipsam scilicet matrem suam virginem Mariam, in qua septem columnas excidit. Quid est in ea septem columnas excidere, nisi ipsam dignum

(106*) *Alias*, 7 et 8 ex Parvis.

(107) *Alias*, 9 ex Parvis.

sibi habitaculum fide et operibus præparare? Nimirum ternarius numerus ad fidem propter sanctam Trinitatem; quaternarius pertinet ad mores propter quatuor principales virtutes. Quod autem in beata Maria sancta Trinitas fuerit (fuerit dico per præsentiam majestatis), ubi solus Filius erat per susceptionem humanitatis, testatur nuntius cœlestis, qui ei arcana mysteria reserans, ait: *Ave, gratia plena, Dominus tecum*; et post pauca: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (Luc. 1, 28, 35). Ecce habes Dominum, habes virtutem Altissimi, habes Spiritum sanctum; habes Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Neque enim potest esse, aut Pater sine Filio, aut sine Patre Filius, aut sine utroque procedens ab utroque Spiritus sanctus, ipso Filio dicente: *Ego in Patre, et Pater in me est*; et iterum: *Pater autem in me manens, ipse facit opera* (Joun. xiv, 10). Manifestum est fuisse in corde Virginis fidem sanctæ Trinitatis.

3 Utrum autem et quatuor principales virtutes tanquam quatuor columnas possederit, inquisitione dignum videtur. Primum ergo videamus an fortitudinem habuerit. Quæ nimirum virtus quomodo illi abesse potuit, quæ abjectis sæcularibus pompis, spretisque voluptatibus carnis, soli Deo in virginitate vivere proposuit? Nisi fallor, hæc Virgo est quæ apud Salomonem legitur: *Mulierem fortem quis inveniet? Procul et de ultimis finibus pretium ejus* (Prov. xxxi, 10). Quæ adeo fortis fuit, ut illius serpentis caput contereret, cui a Domino dictum est: *Inimicitias ponam inter te et mulierem, et inter sementuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum* (Gen. iii, 15). Porro quod temperans, prudens et justa fuerit, ex angeli collocatione, et sua ipsius responsione luce clarius comprobamus. Salutata quippe tam venerabiliter ab angelis: *Ave, gratia plena, Dominus tecum*, non se extulit, quasi quæ ex singulari gratiæ privilegio benediceretur, sed siluit; et qualls esset insolita hæc salutatio, secum cogitavit. Qua in re quid nisi temperans fuit? At vero, cum de cœlestibus mysteriis ab eodem angelo doceretur, diligenter quæsit quomodo conciperet ac pareret, quæ virum utique non cognosceret: et in hoc sine dubio prudens exstitit. Justitiæ autem præfert insigne, ubi se ancillam Domini confitetur (Luc. 1, 28-38). Nam quod justorum sit confessio, testatur qui ait: *Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo, et habitabunt recti cum vultu tuo* (Psal. cxxxix, 14). Et alibi justis dicitur: *Et dicetis in confessione: Opera Domini universa bona valde* (Eccli. xxxix, 21).

4. Fuit igitur beata virgo Maria fortis in proposito, temperans in silentio, prudens in interrogatione, justa in confessione. His itaque quatuor miorum columnis, et tribus fidei prædictis exstruxit in ea sibi domum Sapientia cœlestis; quæ adeo mentem ejus replevit, ut de plenitudine mentis secundaretur et caro, ac virgo singulari gratia eandem ipsam

(107*) *Alias*, 10 ex Parvls.

A Sapientiam carne tectam pareret, quam prius mente pura conceperat. Nos quoque si ejusdem Sapientia fieri domus volumus, necesse est ut eisdem septem columnis exstruamur, id est ut fide et moribus ei præparemur. Et in moribus quidem solam puto sufficere justitiam, cæteris tamen virtutibus circumfulam. Itaque ne errore fallatur ignorantia, sit ei prævia prudentia: sint hinc inde temperantia atque fortitudo, ne forte labatur, vel in dexteram, vel in sinistram partem declinando.

SERMO LIII (107*).

De nominibus Salvatoris.

1. Et vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis (Isa. ix, 6). Admirabilis est in nativitate, consiliarius in prædicatione, Deus in operatione, fortis in passione, pater futuri sæculi in resurrectione, princeps pacis in perpetua beatitudine. Hæc etiam nomina possunt ei congrue assignari in opere nostræ salutis. Nam primo dicitur *admirabilis* in conversione nostræ voluntatis, quæ mutatio est solius dexterae Excelsi. Postmodum dicitur *consiliarius* in revelatione suæ voluntatis, quando revelat quid sequendum sit jam conversis. Unde Paulus conversus dicebat: *Domine, quid me vis facere?* (Act. ix, 6.) Conversi autem necesse est compungantur pro præteritis delictis, in quorum remissione dicitur *Deus*, cujus tantum est, peccata remittere. Hinc est quod Salvatore nostro in terra remittente peccata, Judæi dicunt cum blasphemare (Math. ix, 3), quasi qui assumeret sibi quod erat solius Dei. Quarto dicitur *fortis*: juxta sententiam enim Apostoli necesse est ut *omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur* (II Tim. iii, 12).

1187 2. Sed quis sustineret, nisi ille juvaret? Unde David: *Nisi quia Dominus adjuxit me, paulominus habitasset in inferno anima mea* (Psal. xcii, 17). Cum ergo nos in tribulatione protegit, cum ipsas aërias potestates arect a nobis ac repellit, quid aliud in hoc opere dici potest, nisi *fortis*? Unde dictum est: *Dominus fortis et potens. Dominus potens in prælio* (Psal. xxiii, 8). Et quoniam ipsa conversio, et vita nostra in Christo agenda est, non intuitu temporalium rerum, sed spe futurorum bonorum, ideo quinto loco ponitur, *pater futuri sæculi*. Pater scilicet in regeneratione corporum nostrorum. Quia vero *omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur* (I Cor. xv, 51), ut discernat immutationem justorum ab iniquorum resurrectione, ponitur sexto loco, *princeps pacis*. Qua obtenta, tota perfectio impletur, nec jam ultra aliud quidquam appetendum relinquitur. Ipsa est enim, in cujus exsultatione concinit Psalmista, dicens: *Lauda Jerusalem, Dominum; lauda Deum tuum, Sion: quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te, qui posuit fines tuos pacem* (Psal. cxlvii, 12-14). Horum sex nominum consequentiam

et virtutem breviter atque eleganter comprehendit. **A** quo nomine angelus loquens ad Joseph : *Et vocabis, inquit, nomen ejus Jesum.* Cujus videlicet nominis exponens rationem : *Ipse enim, ait, salvum faciet populum suum a peccatis eorum (Matth. 1, 21).*

SERMO LIV (108).

De apparitione Christi.

Filius Dei apparuit, ut nos adjuvaret et erudiret : quod potest, quia est virtus Patris, et sapientia; virtus adjuvat, sapientia erudit et informat. Infirmi-
tati auxilium est necessarium : cæcitas eruditione indiget et doctrina. Erudit sane, faciens abnegare impietatem et sæcularia desideria, ut sobrie, et juste, et pie vivamus (*Tit. 11, 12*). Impietas erat incredulitas, quia Deum nec credebamus, nec colebamus. Deum enim sicut pium est colere, sic impium est abnegare. Sæcularia desideria sunt concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, superbia vitæ : quæ trahunt et inclinant ad amorem sæculi. Istis abnegatis vivit homo sobrie, refrenans concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, superbiam vitæ. Postquam vero incipit esse sobrius, contra duplicem ebrietatem duplicem ponit sobrietatem. Ebrietas exterior voluptatum effusio, interior curiositatum occupatio. Econtra sobrietas exterior voluptatum refrenatio, interior curiositatum exclusio. Ita vivit homo sobrie quantum ad se ipsum, juste quantum ad proximum, cui exhibet quod justum est. Justitia est in duobus, in innocentia et in beneficentia. Innocentia justitiam inchoat, beneficentia consummat. Pie quantum ad Deum. Pietas est in duobus, ut de nobis non præsumamus, sed in Deo perfecte confidamus, ut per eum omnia mundi impedimenta vincamus. In Deo non est diffidendum, sed secure et fiducialiter est agendum. Ipse, tanquam pius et laudabilis medicus, prius bibit potionem quam parabat suis, id est passionem et mortem sustinuit ; et sic sanitatem immortalitatis accepit et impassibilitatis, docens suos ut confidenter biberent potionem, quæ generat sanitatem et vitam : et qui post passionem vita æterna vivit, spem dat nobis ut idem speremus ab eo securi.

SERMO LV (108*).

De sex hydriis spiritualibus.

1. Erant ibi positæ lapideæ sex hydriæ secundum **D** purificationem Judæorum (*Joan. 11, 6*). Intelligamus has sex hydrias ibi positas, esse sex observantias servis Dei propositas, in quibus tanquam Judæi purificari debeant. Sunt autem istæ, silentium, psalmodia, vigiliæ, jejunium, opus manuum, carnis munditia (109). In hydria silentii purificamur a peccatis, quæ verborum contrahimus. Cujus vitii sunt octo species. Est enim verbum stultum, **1188** vanum, mendax, otiosum, dolosum, maledicum, impudicum, excusatorium. Quæ nimirum pestis de loquacitate nascitur, et per silentii censuram aut

(108) Alias, 11 ex Parvis.

(108*) Alias, 12 ex Parvis.

(109) Eadem assignantur sermone 2 post octa-

vertitur funditus, aut certe ne multum noceat, reprimitur. In psalmodia sit duplex confessio, ubi et peccator de culpis compungitur, et Deo laudes super judicia justitiæ suæ dicuntur. In hac ergo hydria Judæus quisque, qui scilicet recte confitetur (109), purificatur ab immundo spiritu blasphemiae, cui ante conversionem subiacebat. Dum enim se ipsum laudaret, ac Deum accusaret, quid aliud quam blasphemus erat? An non sunt blasphemii, qui dicunt : *Non est aqua via Domini? (Ezech. xviii, 25).* An non insipiens ille blasphemus, qui dicit in corde suo : *Non est Deus? (Psal. lxi, 1).* Jam vero conversus et confessus, canticisque divinis instructus, correctæ vita corrigit et verba; seque ipsum accusans, mala in se videt, non sibi, sed illi applicat : et hoc totum agitur in psalmodia. Per psalmodiam accipe quiddam Deo agitur cum mentis melodia, sive sint psalmi, sive hymni, sive etiam quæcunque cantica.

2. Tertiam hydriam posui superius vigilias. Has semper debet comitari orationum instantia. Unde et Dominus in Evangelio legitur in oratione pernoctasse (*Luc. vi, 12*); et discipulos suos exhortans, utrumque simul conjunxit, dicens : *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem (Marc. xiv, 38).* Tales vigilie abluunt nos a sordibus, quas contraximus per somnolentiam resoluti, dum oblivione quadam a via salutis intepuimus ac torpuimus. Quarta hydria est jejunium, de quo quis dubitet an et ipsum purificet? Vera est illa sententia : Contrariis curantur contraria. Si ergo per gulam peccavimus et ingluviem, quid restat nisi ut per abstinentiam reparemur? Nec solum hujus vitii sit per jejunium purificatio; insuper et virtus ad expellendos demones comparatur, dicente Domino : *Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione et jejunio (Marc. ix, 28).*

3. Sequitur quinta hydria, quæ dicitur opus manuum : in quo si quæretur an sit aliqua purificatio, facile potest inveniri per multa. Nam ut plurima præteream, hoc solum quanti sit præconii, quantæ gratiæ, quis digne æstimet, suo se quemque labore transigere, ac nullius aliquid desiderare? Ac ne mo quisquam putet hæc magis declamatorie, quam ex veritate proferre, audiat ipsum doctorem nostrum in fide et veritate apostolum Paulum scribentem ad Thessalonicenses, hæc ipsa docentem et præcipientem. *Rogamus vos, inquit, fratres, ut abundetis magis et operam detis ut quieti sitis, et ut vestrum negotium agatis, et operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis; et ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt, et nullius aliquid desideretis (1 Thess. iv, 10, 11).* Audiat eundem ipsum facientem quæ docebat. *Ipsi enim scitis, inquit, quemadmodum oporteat vos imitari nos, quoniam non inquieti fuimus inter vos, neque panem gratis manducavimus ab aliquo, sed in labore et fatigatione, nocte et die operantes, ne quem vestrum*

(109) Juda Hætraice, confessio.

graremus. Item audiat docentem quæ faciebat. **A** Cum essemus apud vos, hæc denuntiabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet (II Thess. III, 7, 8, 10). Vides quam sollicitè observandum præcepit Doctor gentium opus manuum? Cur hoc tantopere curavit, nisi quia, sicut bonus et diligens pastor, hoc ovium saluti plurimum expedire providit?

4. Restat ultima, carnis munditia. In hac fit purificatio ab illa quinquepartita corporis illecebra, visus, auditus, gustus, odoratus, tactus. Et cætera quidem prædicta, id est silentium, psalmodia, vigilia, jejunium, opus manuum, exerceri sine ista possunt; sed si lumbi præcincti non sint, id est si desit carnis munditia, lucernæ ardentes quid proderunt? Hinc ergo colligendum est, quod sit necessaria hujus hydryæ purificatio, quæ sola omnibus supradictis æquipollentem obtinet vim salutis. Et notandum quod in his omnibus observantiis quatuor primas debemus nobis, **1189** quintam proximo, sextam Deo. Nam silentium, psalmodiam, vigilia, jejunium debet quisque exercere propter se ipsum, hoc est propter suam disciplinam: opus manuum propter proximum, ne quem gravet, sed magis habeat unde tribuat necessitatem patienti: carnis munditiam propter Deum, ut illi placeat, et ejus voluntatem faciat. Unde scriptum est: *Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum suum vas possidere in sanctificatione et honore (I Thess. IV, 3, 4)*. Quod autem illæ hydryæ lapideæ dicuntur, significat quod sine aliqua difficultate observari non possunt, et quod dura et aspera est via quæ ducit ad vitam. Vel certe lapideæ dicuntur propter fortitudinem, ne facile frangantur aut dissolvantur, et effundatur liquor gratiæ qui in eis continetur: quod utique cito contingere posset, si vel fictiles essent, vel ligneæ, seu cujuslibet alterius fragilis materiæ. Vel etiam lapideæ, id est Christianæ, a lapide Christo, ut scilicet in fide Christi fiant.

SERMO LXI (110).

De hydryis mysticis implendis triplici timore.

1. *Cipientes singulæ metretas binas vel ternas.* Hic primum sciendum est quod hujusmodi hydryæ aliquando sunt vacuæ, aliquando sunt plenæ. Plenæ autem aliquando veneno, aliquando aqua, interdum etiam vino. Vacuæ quippe et inanes sunt, cum pro inani gloria, vel aliquo temporali emolumento fiunt. Plenæ veneno sunt, si cum murmure et animi rancore gerantur. Aqua plenæ dicuntur, cum ex timore Dei observantur: siquidem per aquam timor intelligitur. Unde et apud Salomonem legitur: *Timor Domini fons vitæ (Prov. XIV, 27)*. Vino autem plenæ sunt, cum timor vertitur in amorem; cum charitas excludit timorem; cum ea quæ prius observabantur timore pœnæ, jam exercentur delectatione et amore justitiæ. Ut vacuæ vel veneno infectæ sint non vult Dominus; ut impleantur aqua jubet Dominus; ut

(110) *Alias, 13 ex Parvis.*

(111) *Tir. q. mater gratiæ.*

A autem aqua in vinum vertatur, hoc facit Dominus. Sed quibus implere hydryas aqua imperat Dominus? Ministris utique, quos et constituit super familiam suam, ut dent illi in tempore tritici mensuram: quibus tamen Maria primum suggesserit, dicens: *Quodcumque dixerit vobis, facite*. Quo exemplo innuitur, quod officium prædicationis non debent usurpare sibi, nisi quos Maria, id est mater gratia (110), prius instruxerit. Alioquin dicitur eis: *Regnaverunt, et non ex me; principes exstiterunt, et ego ignoravi (Ose. VIII, 4)*. Implent ergo ministri hydryas aqua: prædicant mira de dulcedine regni, intentant horrenda de terrore supplicii; sit summus auditoribus de utroque timor, ne vel illo fraudentur, vel isto plectantur; et ita capiunt hydryæ metretas binas.

B Quid est autem *vel ternas*? Addatur illis duobus tertius timor, et capiunt hydryæ metretas ternas. Et illi quidem duo prædicti timores de futuro, sunt valde utiles; sed est alius timor de præsentibus multo probabilius, quo timet homo, et semper est pavidus, ne interna gratia deseratur. Quisquis igitur hoc timore repletus fuerit, profecto binis metretas ternas addidit.

2. Notandum autem, quod cum hydryæ plenæ factæ sunt usque ad summum, tunc aqua versa est in vinum bonum; quia nimirum ordo rationis est, ut si timor est initium charitatis, perfectum sequatur etiam plenitudo dilectionis. Unde etiam architriclinus dicit ad sponsam: *Omnis homo primum vinum bonum ponit; et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est: tu autem servasti vinum bonum usque adhuc (Joan. II, 6, 10)*. Consuetudinis est secularium hominum, ut cum aliquem honorem adipisci desiderant, cæteros sibi prius per amorem acquirant. Cum vero adepti fuerint, elati potestate, eos ipsos per timorem sibi postmodum subiciunt, quibus prius privati non terrorem, sed amorem exhibuerant. Isti ponunt primum bonum vinum, id est amorem: et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est, id **1190** est timorem. Econtrario facit sponsus noster. Semper enim servat ad ultimum bonum vinum: quod vero in ejus comparatione deterius est ante præponat, dicens: *Fili, accedens ad servitutem Dei et in amore (Eccli. II, 4)*. Si ex timore te feceris ipsius servum, faciet te ex charitate amicum suum. Et sic aqua timoris commutabitur in vinum dilectionis. **D** Ad hoc enim purificaris in illis sex hydryis aquis timoris, ad hoc in timore accedis ad ipsum, tanquam servus ad dominum, ut de servo proveharis in filium.

SERMO LVII (111).

De septem signaculis per Christum solutis.

1. *Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, et solvere septem signacula ejus (Apoc. V, 5)*. Septem signacula sunt, temporalis nativitas, legalis circumcisio, matris purgatio, fuga in Ægyptum, carnis necessitudo, baptisimus, passio. Hæc siquidem sunt vera quædam humanitatis insignia, quibus se teneri ac ligari voluit incarnata Dei Sapientia. Ipea

(111) *Alias, 14 ex Parvis.*

quippe est secunda in Trinitate persona : et licet eandem incarnationem simul fecerint Pater et Filius et Spiritus sanctus ; non tamen Pater aut Spiritus sanctus est incarnatus, sed solus Filius. Implevit quidem et Pater et Spiritus sanctus carnem Filii, a quo neuter eorum poterat separari ; sed implevit majestate, non susceptione. Ideoque Filius ostendit in carne potentiam Patris per opera, exhibuit bonitatem Spiritus sancti remittendo peccata ; et quod suum erat, imo quod ipse erat, id est Sapientia, se occultavit per illa prædicta signacula. Facta est igitur res mira et obstupenda. Infirmata est virtus summa, et (ut ita dicam, si dici liceat, quod tamen reverenter dico) quasi infatuata est sapientia. Nec erubescio dicere, quod non erubuit Doctor gentium docere. Sic nempe credidit, sic docuit, sic scriptum reliquit. *Nos, inquit, prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam : ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtutem, et Dei sapientiam ; quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus ; et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus (I Cor. 1, 25-25.)*

2. Verumtamen hæc virtus abscondenda erat, et in humilitate perficienda ; ut omnium implerentur oracula prophetarum. Passus est ergo in cruce impassibilis Deus, et in carne nostra mortali mortuus ac sepultus immortalis Dei Filius. Sed ecce tertia die resurrexit a mortuis : et, qui agnus exsisterat in passione, leo factus est in resurrectione. *Surrexit et vicit leo de tribu Juda ;* quia mortem, quam ex infirmitate nostra pertulit, ex virtute sua resurgendo calcavit. Resurgens enim a mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom. vi, 9*). Resurgendo autem et in cælum ascendendo, librum aperuit, quia nimirum ex auctoritates sacræ Scripturæ, quod Deus esset, innotuit manifeste. Unde scriptum est : *Exaltare super cælos, Deus, et super omnem terram gloria tua (Psal. cvii, 6)* : Septem quoque ejusdem libri signacula solvit, quando intellectum eloquii sacri fidelium mentibus reseravit : et quidquid de mysteriis suis lex et prophetæ sub allegoriis prædixerant, de his scilicet, quæ per hominem temporaliter gessit ; hæc de se prædicta, et in se ac per se completa, luce clarius indicavit.

SERMO LVIII (111*).

De tribus mulieribus mortuum ungentibus, id est mente, manu, lingua, salutem proximi curantibus

1. Quid est quod post mortem ejus tres illæ sanctæ mulieres emerunt aromata, ut in monumento positum ungerent eum ? Quid in sua actione nobis reliquerunt imitandum ? Res enim gesta, ut ait beatus Gregorius, aliquid in sancta Ecclesia signat gerendum (*Homil. Paschæ*). Et nos ergo si Christum mortuum, id est fidem Christi mortuam in corde cuspian fratris senserimus, danda nobis opera est, ut ad unguendum corpus **1191** mortuum emptis

(111*) *Alias, 15 ex Parvis.*

(112) *Alias, 17 ex Parvis. Reiertus est 16 inter Sententias.*

aromatibus accedamus. Significant autem tres illæ mulieres tres in nobis efficientias, quæ sibi congrua comparant aromata. Quæ sunt illæ ? Mens, manus, lingua. Omnis enim qui emit, dat et accipit aliquid : et quod dat, perdit, ut possideat quod accipit. Dat igitur mens nummum propriæ voluntatis et comparat affectum compassionis, zelum justitiæ, discretionem consilii. Dat manus obedientiam, et emit in tribulatione patientiam, in opere perseverantiam, in carne continentiam. Dat lingua nummum confessionis, et accipit modum in correctione, copiam in exhortatione, efficaciam in persuasionem.

2. Talibus unguentis compositis, dum ad monumentum simul venerint, colloquantur invicem, et dicunt : *Quis revolvat nobis lapidem ab ostio monumenti ? (Marc. xvi, 1, 5)*. Lapis iste est, vel nimia tristitia, vel pigritia, vel duritia : quæ, dum cordis aditum obstruit, frustra ad unguendum mortuum mens, vel manus, vel lingua cum quibuslibet aromatibus venit. Sed quoniam scriptum est : *Præparationem cordis ejus audivit auris tua (Psal. ix, 17)*, vident lapidem revolutum, introeunt in monumentum : et quem ungere volebant mortuum, audiunt suscitatum. Quis hoc indicat ? quis hoc prædicat ? Angelus utique testis resurrectionis. Videtur scilicet hujus in quo Christus resurrexit, vultus lætior, aspectus venustior, sermo purior, incessus modestior, et ad omne opus bonum spiritus promptior. Quæ omnia quid sunt aliud quam quidam internæ resurrectionis hilaris nuntius ? Cætera quoque, quæ in Christi resurrectione gesta vel dicta sunt, utpote de invento sudario, ac de ipso Domino in Galilæa videndo, et aliis quæ evangelica continet historia, possunt nimirum juxta cæptam tropologiam interpretari : ut quod historice præcessit in capite, consequenter etiam credatur fieri moraliter in ejus corpore.

SERMO LIX (112).

De tribus panibus hominis spiritualis

Amice, commoda mihi tres panes (Luc. xi, 5). Veniens ad eos de via noster amicus, id est quilibet conversus proximus, tribus panibus reficiendus est. Primus panis est continentia, qua restringitur corpus, ne deinceps per mortiferas voluptates defluat. Secundus est humilitas, qua instruitur anima, ne de ipsa sua continentia superbiat. Tertius est fervor charitatis, quo accenditur spiritus, ut utrumque, id est corpus et animam, in castitate et humilitate perseveranter custodiat. His tribus virtutibus, id est castitatis, humilitatis, charitatis, tanquam tribus panibus reficitur homo Dei et roboratur ; ut, secundum Apostolum, in die adventus Domini sit integer spiritus, anima et corpus (*I Thess. v, 23*). Spiritum autem voco gratiam quæ juxta apostolum eundem, adjuvat infirmitatem nostram (*Rom. viii, 26*), ne deficiamus, donec suo tempore metamus bonum quod seminavimus (*Galat. vi, 9*). Vocatur primus panis carnalis vel corporalis ; secundus, rationalis ; tertius, spiri-

ualis. Ili panes quoties desunt, a Deo requirendi sunt. Merito autem tres quærentur, quia tres reficiendi veniunt: anima quasi vir, caro quasi conjux, spiritus velut utriusque vernaculus. Et notandum quod non ait: Da; sed: *Commoa mihi tres panes*, quasi redditurus; quia sacerdos peccatori convertenti debet quidem gratiam divinitus impetrare, fructum vero ejusdem gratiæ non sibi debet, sed Deo referre.

SERMO LX (115).

De Christi itemque nostro descensu, et ascensu.

1. *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, Filius hominis qui est in cælo* (Joan. III, 13). Dominus et Salvator noster Jesus Christus volens, nos docere quomodo in cælum ascenderemus, ipse fecit quod docuit, ascendit in cælum. Et quoniam ascendere non poterat, nisi prius descenderet; descendere autem eum vel ascendere **1192** non patiebatur divinitatis suæ simplicitas, quippe quæ nec minui potest, nec augeri, aut aliquo modo variari: assumpsit in unitatem suæ personæ naturam nostram, id est humanam, in qua descenderet et ascenderet; viamque nobis, qua et nos ascenderemus, ostenderet. Quod totum indicant sancti Evangelii verba proposita. In eo enim quod dictum est: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit*, assumptio humanæ naturæ exprimitur: in eo autem quod infertur, *qui est in cælo*, divinitatis suæ incommutabilitas ostenditur. In quibus verbis illud etiam innuitur, quod ipse sit via per quam ascendamus; ipse patria ubi maneamus: via scilicet transeuntibus, patria perveniuntibus. Manens itaque quod erat in natura sua, descendit et ascendit propter nos in nostra: attingens nimirum a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter (Sap. VIII, 1). Descendit siquidem quo inferius non decuit; ascendit quo celsius non potuit: ipsumque descensum egit fortiter, quia virtus erat; ascensum disposuit suaviter, quia sapientia erat. *Descendit* autem dictum est, non: *Cecidit*; quia qui cadit, sine gradu ruit; qui autem descendit, gradatim pedem ponit.

2. Sunt ergo gradus in descendendo, sunt in ascendendo. In descendendo primus quidem gradus est a summo cælo usque ad carnem; secundus, usque ad crucem; tertius, usque ad mortem. Ecce quousque descendit. Nunquid amplius potuit? Poterat jam certe rex noster dicere, et quasi quodam operis affectu clamare: *Quid ultra debui facere, et non feci?* (Isai. V, 4). *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis* (Joan. XV, 13). Vidimus descensum, videamus et ascensum. Sed et ille quoque triplex est, et ejus primus gradus gloria resurrectionis; secundus, potestas judicii; tertius, concessus ad dexteram Patris. Et de morte quidem meruit resurrectionem; de cruce judicii, potestatem: ut, quoniam in illa injuste judicatus est, de illa justam obtineret judicis censuram, ipso post resurrectionem dicente: *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra* (Matth. XXVIII, 18).

(115) *Alias, 18 ex Parvis.*

A Ipsam vero servi formam, id est carnem, in qua passus et mortuus est, resuscitatum evexit super omnes cælos, et super omnes angelorum choros, usque ad dexteram Patris. Quid hac dispositione suavius, ubi mors absorbetur in victoria, ubi ignominia crucis vertitur in gloriam? ut de illa dicant sancti: *Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi!* (Galat. VI, 14); ubi et ipsa carnis humilitas ex hoc mundo transit ad Patrem. Hac ascensione nihil sublimius, hoc honore nihil gloriosius dici potest aut cogitari. Sic per incarnationis suæ mysterium descendit et ascendit Dominus, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus.

3. Sumamus et nos de mysterio ejus moribus nostris exemplum. Qui enim dicit se in Christo manere, debet sicut ipse ambulavit et ipse ambulare (I Joan. II, 6). Descendamus per viam humilitatis, ponaturque nobis primus ejus gradus, id est primus profectus, nolle donfinari; secundus, velle subjici; tertius, in ipsa subjectione quaslibet contumelias et injurias illatas æquanimiter pati. Primo gradu caruit in cælo Lucifer ille qui dixit in corde suo: *In cælum ascendam, super astra Dei exaltabo solium meum: sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis: ascendam super altitudinem nubrum, similis ero Altissimo* (Isai. XIV, 13, 14). Hæc dicens irreparabiliter cecidit de cælo: et hoc ideo forte, quia omnino intolerabilis superbia est, velle dominari. Secundo gradu caruerunt primi homines in paradiso, qui, licet sua maluerint voluntate abuti quam Creatori subjici, non tamen præsumpserunt cateris suæ sortis dominari. Ideoque culpa eorum et pœna longe exstitit dissimilis superbiæ atque ruinæ diaboli: unde et divina clementia quandoque meruerunt reparari. Tertium gradum non habent qui ad tempus credunt, sed in tempore tentationis recedunt.

4. Hæc dicimus, ut sciamus a quorum imitatione declinare debeamus. Nam et diabolus et homo, uterque ascendere præpostere voluit; hic ad scientiam; ille **1193** ad potentiam; ambo ad superbiam. Non sic ascendere velimus; quin potius audiamus Prophetam quærentem quomodo ascendendum sit. *Quis, inquit, ascendit in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo* (Psal. XXIIII, 3, 4). Ubi notandum quod triplicem gradum ascendendi constituit. Primus gradus est innocentia operis; secundus, munditia cordis; tertius, fructus ædificationis. Quos gradus miro modo invenimus in superioribus gradibus ascensionis. Ibi quippe fuerat tertius gradus, tolerantia injuriarum. Ipsa est enim quæ probat hujus ascensionis primum gradum, id est innocentiam operis. Ibi secundus fuerat patientia subjectionis: et ipsam operatur munditia cordis, quæ est secundus ascensionis gradus. Ad hoc enim doctores prælatos habemus, ut cor mundemus, dicente Domino: *Jam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum*

vobis (Joan. xv, 3). Ibi etiam primus gradus fuerat contemptus dominationis; hic tertius est fructus ædificationis. Quisquis autem dominari non appetit, is profecto fructuose præest cæteris instituendis.

SERMO LXI (114).

De quatuor montibus ascendendis.

1. *Quis ascendet in montem Domini?* (Psal. xxiii, 5). Ascendit quidem semel Christus corporaliter super altitudinem cælorum; sed et nunc ascendit quotidie spiritualiter in cordibus electorum. Si ergo volumus et nos cum eo ascendere, ascendendum nobis est in montes virtutum de vallibus vitiorum. Est autem gemina species ipsorum vitiorum. Alia enim sunt quæ nocent nobis, alia quæ proximis; illa flagitia, ista vocantur facinora: et hæc omnia dicuntur vallis lacrymarum, quia omni fletu fluvio plangenda est vita peccatorum. De valle flagitiorum ascenditur ad montem castitatis triplici continentia, membrorum, sensuum, cogitationum. In prima continentia cohibetur actus, in secunda vitatur aspectus, in tertia resecatur affectus. Item de valle facinorum ascenditur in montem innocentiae. Hic erigitur scala: *Quod tibi non vis fieri, alii ne facias* (Tob. iv, 16.); et ponitur in ea triplex gradus timoris; vel ejus scilicet qui patitur, ne reddat talionem; vel superioris potestatis, ne inferat ultionem; vel interni judicis qui reddit unicuique secundum opera sua. Cum autem ad hunc montem ascenderit, jam justus est, et ex fide vivit, sed necesse est eos secundum Apostolum persecutionem pati (11 Tim. ii, 12).

2. Itaque confugiendum est de monte innocentiae ad montem patientiae: et hic quoque erigitur scala triplicis gradus. Primus est Domini passio; secundus, martyrum fortitudo; tertius, præmii magnitudo. Possunt sane gradus isti dici gradus pudoris; sicut in innocente fuerunt gradus timoris. Et nota quod mons iste patientiae secundum hos gradus est arduus, spinosus, aridus. Arduus, propter difficultatem imitandi passionem Domini; spinosus, propter aculeos tentationum quæ multiplices sunt: damna scilicet rerum, contumeliæ verborum, cruciatus corporum, in quibus sancti martyres examinantur; aridus, propter retributionem præmiorum, quæ non in hoc sæculo speratur, sed in futuro. Post hunc montem restat ei alius gradus ascendendus, mons scilicet montium; ad quem cum pervenerit, jam in eo Deus requiescit. Unde scriptum est: *Factus est in pace locus ejus* (Psal. lxxv, 5). Sed et in hoc monte parvis erigitur scala charitatis: unde Dominus dicit: *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis* (Matth. vii, 12). Volumus siquidem retribuere nobis, volumus ignosci, volumus gratis dari.

1194 SERMO LXII (115).

De varia et vera sequela Christi.

Qui mihi ministrat, me sequatur. (Joan. xii, 26).

(114) *Alias*, 19 ex Parvis.

(115) *Alias*, 22 ex Parvis. Sermones 20 et 21 exstant inter Sententias.

A Quidam sunt qui non sequuntur Christum, sed fugiunt; alii non sequuntur, sed præeunt; nonnulli sequuntur, sed non assequuntur; alii vero sequuntur, et consequuntur. Non sequuntur, sed fugiunt, qui necdum peccare desistunt, de quibus scriptum est: *Omnis qui male agit, odit lucem* (Joan. iii, 20); et propheta: *Ecce isti qui elongant se a te, peribunt* (Psal. lxxii, 27). Non sequuntur, sed præeunt, qui magistrorum sententiis suas præferunt. Quorum imaginem tenebat Petrus, cum pro salute nostra volentem pati Dominum increparet dicens: *Absit a te, Domine, non erit tibi hoc* (Matth. xvi, 22). Sequuntur, sed non assequuntur, qui segniter ac remisse agunt, vel usque ad finem non perseverantes de medio itinere revertuntur. Talibus dicit Apostolus: *B Remissas manus et dissoluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur* (Hebr. xii, 12, 13). Sequuntur et consequuntur, qui viam humilitatis ejus devoto mentis affectu perseveranter imitantur. Hujusmodi vere sequuntur Dominum. *Qui mihi ministrat, me sequatur*, id est, me imitetur. Quo fructu? *Ut ubi sum ego*, inquit, *ibi sit et minister meus* (Joan. xii, 26). Fructus itaque hujus imitationis mansio est æternæ beatitudinis.

SERMO LXIII (116).

De tribus mediis recuperandæ beatitudinis a Christo præscriptis in illud: « Qui vult venire post me, » etc. (Luc. ix, 23.)

Qui vult, veniat post me, per me, ad me. Post me, quia veritas sum; per me, quia via sum; ad me, quia vita sum. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* Tria proposuit Christus, Dei virtus et Dei sapientia, angelus magni consilii, animæ rationali ad imaginem Trinitatis factæ, scilicet servitutem, vilitatem, asperitatem. In abnegatione sui servitus; in toleratione crucis vilitas; in imitatione Christi designatur asperitas: ut, quæ per inobedientiam de statu trinæ felicitatis ceciderat, humiliata afflictione trinæ miseriæ per obedientiam resurgat. Ceciderat enim a se ipsa, a societate angelorum, a visione Dei; id est, a libertate, a dignitate, a beatitudine. *Andiat ergo consilium, ut abnegando semetipsum, id est propriam voluntatem, sui libertatem recuperet: tollendo crucem suam, id est carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigendo, per continentiae bonum recuperet societatem angelorum; sequendo Christum, id est ejus passionem imitando, recuperet claritatis ejus visionem; quia si compatimur ei, et conregnabimus* (Rom. viii, 17).

SERMO LXIV (116*).

De pretiosa vita et morte sanctorum.

1. *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (Psal. cxv, 15). Pretiosam in conspectu Domini mortem sanctorum ejus facit aliquando vita, ali-

(116) *Alias*, 23 ex Parvis.

(116*) *Alias*, 24 et 25 ex Parvis.

quando causa, aliquando vita simul cum causa. In confessoribus, qui in Domine moriuntur, facit pretiosam vita. In martyribus, qui pro Domino moriuntur, facit eam pretiosam aliquando sola causa, aliquando causa pariter et vita. Et illa quidem mors pretiosa est, quam commendat vita; pretiosior, quam facit causa; pretiosissima vero quam prævenit vita simul cum causa.

2. Porro tria sunt quæ sanctam faciunt hominis vitam: victus sobrius, actus justus, sensus pius. Victus sobrius erit, si continenter, si socialiter, si obedienter, id est caste, charitative, humiliter vixerimus. Per continentiam enim castitas, per socialitatem charitas, per obedientiam humilitas acquiritur. Et hæc est virtus, quæ animam perfecte Deo subditam, sub umbra alarum **1195** ipsius secure facit vivere. Actus justus erit, si fuerit rectus, discretus, fructuosus. Rectus per bonam intentionem, discretus per mensuram possibilitatis, fructuosus per utilitatem proximorum. Sensus pius erit, si fides nostra Deum sentit summe potentem, summe sapientem, summe bonum: ut per ejus potentiam, nostram credamus adjuvari infirmitatem; per ejus sapientiam, nostram credamus corrigi ignorantiam; per ejus bonitatem, nostram credamus dilui iniquitatem. Tria sunt quæ mortem sanctorum faciunt pretiosam, quies a labore, gaudium de novitate, securitas de æternitate.

SERMO LXV (117).

De connezione triplicis parabole apud Matthæum xiii, 44-48: « Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro, » etc.

1. Triplicem nobis commendat gradum parabola triplex lectionis unius. Ager est corpus. Huic dum adhuc dominantur passiones desideriorum, jacet incultus, et odnoxius maledicto, spinas et tribulos germinat; quid intus lateat ignoratur. Quis enim eo tempore idoneum reputet ferre dignos pœnitentiæ fructus? Quid tam insipienter exponis, anima, corpus tuum? Nescis quid absconditum sit in eo? Quid, nisi regnum cælorum? Invenire est in eo salutis opera, quibus regnum cælorum poteris adipisci. Ene ergo agrum, et a concupiscentiis tuis tibi vindica corpus tuum, dato nimirum pretio fomentis et occasionibus ipsarum concupiscentiarum.

2. Ubi vero thesaurum effoderis, esto jam negotiator, et pretiosas margaritas quære. Si pretiosissimam unam inveneris, etiam tunc vende quidquid habes, et eme eam. Quæ est tamen una tam pretiosa? Neque enim mirum si pro thesauro vendidit quæcunque habebat, id est pro divitiis salutis et peccata et peccati fomenta deseruit. Hæc quippe sola prius habebat. Nunc autem, ubi thesaurum hunc reperit, quomodo quærit bonas margaritas, et pro una omnia vendidit? Ego unam hanc nihil aliud quam unitatem arbitror esse. Quærit autem bonas margaritas, qui in opere salutis suæ non est contentus inferioribus bonis, sed summa quæque et excellen-

(117) *Alias*, 26 ex Parvis.

tiora perquirat. Nihil ergo pretiosius inveniens unitate, non parcat omnibus cæteris propter eam: jejuniis, vigiliis, orationibus audacter præferat unitatem.

3. Volo autem, ut in ea quoque sic maneat, non quasi unus ex omnibus, sed quasi cum omnibus unus. Latum expandat sinum, ex omni genere affectionum claudat intra viscera sua, omnibus omnia fiat, et congaudere paratus et compati: gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Erit enim cum ad littus veniens, malos pisces a sagena charitatis excludet, et quidquid molestum est, foras mittetur.

SERMO LXVI (117').

De octa beatitudinibus oppositis totidem peccatis.

1. Eodem ordine quo præcessit culpa, subsequuta est etiam culpæ medicina. Primum peccatum est factum in cælo per superbiam prævaricatoris angeli, qui dixit in corde suo: *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solum meum: sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis: ascendam super altitudinem nubium, ero similis Altissimo (Isai. xiv, 13, 14).* In se ipso tuncuit, et de sorte beatorum spirituum ejectus, cælorum regnum amisit. Contra hoc peccatum dictum est: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum (Math. v, 3).* Secundum peccatum commissum est per inobedientiam mulieris in paradiso (*Gen. iii, 6*). Ex hoc peccato facta est caro rebellis spiritui, ut, quoniam spiritus ejus non fuit subjectus Creatori, nec caro sit subjecta spiritui. Contra hoc est dictum: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram (Math. v, 4).* Horum duorum peccatorum comprehendit Dominus medicinam, dicens: *Discite a me quia mitis sum et humilis (Math. xi, 29).* Tertium peccatum fuit, quod ipsa mulier virum quoque secum traxit in culpam (*Gen. iii, 6*). Debuit quidem illa peccatum suum desistere, nec addere peccatum peccato; sed in hoc se putavit habere consolationem, si virum faceret peccati sui participem. Quodammodo enim naturale est unumquemque velle, sive in vitiis, sive in virtutibus, associare sibi consortem. Contra hoc peccatum est istud remedium: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (Math. v, 5).*

2. Quartum peccatum commisit Adam, qui consensit (*Gen. iii, 6*). Adam enim, sicut ait Apostolus, *Non est seductus; mulier autem seducta in prævaricatione fuit (I Tim. ii, 14).* Illa per ignorantiam, iste peccavit per infirmitatem. Peccavit autem nimis diligendo uxorem, non quia ejus voluntatem fecit, sed quia eam voluntati prætulit divinæ. Unde et a Domino ei dictum est: *Pro eo quod obedisti voci uxoris tuæ plus quam meæ, maledicta terra in opere tuo (Gen. iii, 17).* Justum quippe erat ut illius magis voluntatem faceret, cui plus debebat. Quis vero ambigat plus eum debere conditori, quam uxori? Siquidem uxori erat astrictus tantum per amorem, Deo autem per timorem simul et amorem. Plus ergo debuerunt valere duo vincula ad tenendum eum erga Dei præceptum, quam unum tantum erga conjugis

(117') *Alias*, 27 ex Parvis.

affectum. Contra hoc quartum peccatum adhibitum est remedium: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (Matth. v, 6). Habuit quidem Adam justitiam, a justo Deo creatus justus; sed quia non eam ex libero arbitrio direxit, facile ab ea per idem liberum arbitrium defluxit. Quo contra dicitur per Psalmistam de Christo: *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem* (Psal. XLIV, 8). Quintum æque peccatum commisit, qui propriam culpam retorsit in uxorem, cum ait: *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi* (Gen. III, 12). Primo quidem crudelis in se, qui peccatum suum excusavit; secundo in uxorem, quam accusavit. Et utique satis sumpta esse digna de peccato vindicta, quando eam accusavit, cujus amore peccavit. Contra hoc peccatum dictum est: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (Matth. v, 7).

3. Sextum peccatum fecit Eva quæ, cum increpatur a Domino cur hoc fecisset, respondit ei: *Serpens decepit me, et comedi* (Gen. III, 13). Sic declinavit et ipsa in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis (Psal. CXL, 4), refundens culpam in serpentem, quasi immunis a crimine, cum nil obfuisse suggestio serpentis, si illa negasset assensum propriæ voluntatis: et forte præcessit in ea aliquis motus superbiæ, unde seduci meruit a serpente. Contra quod dictum est? *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (Matth. v, 8). Septimum peccatum factum est extra paradisum, quando Cain consurrexit adversus Abel fratrem suum, et interfecit eum (Gen. IV, 8). Ex eo jam tempore inveteratum est ut mali insurgant in bonos, et opprimant eos. Hujus peccati remedium est illud: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*. Quod si ab infestatione cessare noluerint iniqui, patienter tolerant eos justis, audientes consolationem quæ sequitur, et dicit: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum* (Matth. v, 9, 10). Ecce quam necessarius fuit adventus Christi, qui carnem subjiceret spiritui, hominem pacificaret sibi, Deum reconciliaret homini.

SERMO LXVII (118).

De duplicibus legi præceptis, moralibus et figurulibus.

1. *Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est* (Joan. I, 17). Duplex in lege veteri præceptorum genus invenio. Sunt enim moralia quædam, ut est: *Non concupisces; Non adulterabis; Honora patrem tuum* (Exod. XX, 17, 14, 12), et his similia. Sunt etiam figurativa et umbratilia quædam, ut est taurorum immolatio, et sanguis hircorum. Verumtamen carnalis ille populus nec illa implere poterat, nec in his obtinere salutem. Unde et Salvator in Evangelio legis præcepta improprie Pharisæis, quod propter traditiones suas irrita facerent Dei mandata (Marc. VII, 13), ipsa sine dubio, in quibus esset ædificatio **1197** morum. Nam de (118) *Alias, 28 ex Parvis.*

A cæteris ipse loquitur per prophetam: *Dedi eis præcepta non bona* (Ezech. XX, 25): ipsa plane, in quibus esset umbra futurorum. Quæ enim consequentia rationis, ut homine peccante aries multaretur, et diceret cum propheta: *Quæ non rapui, tunc exsolvebam?* (Psal. LXXIII, 5.) Merito sane non bona præcepta populus non bonus accepit, dicente Propheta: *Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris* (Psal. XVII, 26). Noverat enim Judæorum corda carnalia: unde et carnalia eis tradidit sacramenta, quæ non possent juxta conscientiam perfectum facere servientem in justitiis carnis. Venit proinde plenus gratia et veritate Christus Dominus noster, ut ex hoc jam moralia quidem impleantur per gratiam: quæ vero umbratilia et mystica fuerant, revelata veritate deinceps non ad litteram observentur, sed secundum spiritum spiritualiter intelligantur. Propterea jam non aries vel taurus homine peccante mactatur, sed viva corporis hostia, rationale et acceptabile sacrificium, in jejuniis et laboribus veniam meretur pariter et gratiam.

Sermo 68, seu 29 ex Parvis, cum in nullo differat a sermone 32 de Diversis, hic consulto omissus est.

SERMO LXIX (119).

De triplici renovatione triplicis vetustatis.

1. *Sicut portavimus imaginem terreni hominis, portemus et imaginem cælestis* (I Cor. XV, 49). Duo homines sunt, vetus et novus: Adam vetus, Christus novus. Ille terrenus, iste cælestis; illius imago vetustas, istius imago novitas. Est autem triplex vetustas, et econtrario triplex novitas. Est enim vetustas in corde, in ore, in corpore: in quibus tribus modis peccavimus, cogitatione, locutione et opere. In corde sunt desideria carnalia et sæcularia, id est amor carnis, et amor sæculi. Similiter in ore est gemina vetustas, arrogantia et derogatio. Item gemina in corpore, flagitia et facinora. Hæc omnia sunt imago veteris hominis, et hæc omnia renovanda sunt in nobis. Si non esset vetustas in corde, non diceret Apostolus: *Renovamini spiritu mentis vestræ, et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis* (Ephes. IV, 23, 24). Item si non esset vetustas in ore, non diceret Scriptura: *Recedant vetera de ore vestro* (I Reg. II, 3). Et apostolus dicit: *Omnis sermo malus non procedat de ore vestro, sed qui bonus est, ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus* (Ephes. IV, 29). Sed et de vetustate corporis mentionem facit, cum dicit: *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem*. De cujus renovatione etiam subjungit: *Ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem* (Rom. VI, 19).

2. Renovetur ergo cor nostrum a carnalibus et sæcularibus desideriis; ut exclusis illis introducatur amor Dei, et amor patriæ cælestis. Recedant ab ore nostro arrogantia et derogatio; et succedant pro his vera peccatorum nostrorum confessio, et (119) *Alias, 30 ex Parvis.*

bona de proximis æstimatio. Pro flagitiis et facinoribus, quæ vetustas est corporis, assumatur continentia et innocentia, ut scilicet contrariis virtutibus contraria vitia depellantur. Hanc supradictam renovationem facit Christus habitans in nobis per fidem, sicut ipse ait : *Ecce nova facio omnia* (*Apoc. xxi, 5*). Unde et ad sponsam loquitur in Canticis : *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum* (*Cant. viii, 6*). Habitans igitur in corde est sapientia, habitans in ore veritas, habitans in corpore iustitia.

SERMO LXX (120).

De vigilantia et sollicitudine curandæ salutis.

Spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus (*I Cor. iv, 9*). Ita plane, et malis, et bonis pariter. Illos enim sollicitat invidiæ passio, istos compassio misericordiæ, ut in nos incessanter intendant : illi quidem defectum **1198** nostrum, isti profectum desiderantes. Nimirum in probatione sumus, inter paradysum et infernum interim mediis, velut inter claustrum et sæculum constituti. Diligenter consideratur utrinque quid agimus, utrinque dicitur : O si ad nos transeat ! intentione quidem dissimili, sed non dispari forsitan voluntate. Quod si ita omnium oculi in nos, nostri quo abierunt, aut quare soli ipsi recesserunt a nobis ? A dextris siquidem et a sinistris tanto studio circumspici, soli dissimulamus inspicere vitam nostram, soli nosmetipsos negligimus intueri : nec verentes deceptorios, nec administratorios saltem spiritus reverentes. *Me expectant iusti, donec retribuas mihi* (*Psal. cxli, 8*). Et item : *Me expectaverunt peccatores ut perderent me* (*Psal. cxviii, 95*). Hinc mihi gehenna, inde corona paratur ; et inter hanc atque illam medium nugari libet, oscitare delectat ? usque adeo nec trahor desiderio, nec periculo terreor, nec cupidus plane, nec pavidus, in quibus magis fuerat necessarium : perniciosissime insensibilis ad utrumque. Exurgamus aliquando, fratres, nec in vano accipiamus animas nostras, pro quibus alii tanto zelo vel in bonum vigilant, vel in malum. Non est res parva, quam sic insectantur hostes, cives sic præstolantur.

SERMO LXXI (121).

Servitutis Ægyptiacæ cum servitute diaboli comparatio.

1. Integra et perfecta moralitas in duobus præcipue consistit, in evitandis vitiis, et appetendis virtutibus ; quoniam non sufficit a malo abstinere, si non et bonum faciamus. Inde Psalmista : *Declina a malo, et fac bonum* (*Psal. xxxvi, 27*). Fugiamus ergo vitia, amplectamur virtutes. Historias igitur summam delibantes, moralitatis fructus decerpamus. Fames coegit Israel intrare in Ægyptum (*Gen. xlii, xlvii*) : statim reperit ibi novum dominum, et de libero servus efficitur. Ex illius regionis inhabitatio redigitur sub potestate Pharaonis, qui masculos

(120) *Alias*, 31 ex Parvis.

(121) *Alias*, 54 ex Parvis, sermonibus 32 et 33 in

A præcepit interfici, feminas reservari. Israel operibus luti et lateris duriter affligitur (*Exod. i*) ; Pharaeo paleas ministrat laborantibus : fames coegit.

2. Non fames panis, neque sitis aquæ, sed audiendi verbum Dei, compellit multos intrare Ægyptum. Hoc verbum Dei est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan. i, 9*). Unde Psalmista : *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos* (*Psal. xviii, 9*). Qui hanc lucem sequitur, non ambulat in tenebris, sed habet lumen vitæ. De luce præceptorum transitur ad lumen præmiorum. Qui huius divini verbi patitur egestatem, cogitur intrare Ægyptum, id est tenebras. Involvitur enim tenebris ignorantie, et subjacet dominio Pharaonis, id est diaboli, qui princeps est Ægypti, hoc est tenebrarum, juxta illud Apostoli : *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus* (*Ephes. vi, 12*). Sub jugo Pharaonis sunt lutea opera, id est dissoluta et sordida. Ab ipso dantur paleæ, id est leves cogitationes. Palearum est leviter accendi, et in momento consumi. Sic et malæ cogitationes a diabolo immisæ cito in mentibus nostris accenduntur, carnis molliæ consentiente. Sed si viriliter studeamus resistere, Deo juvante, protinus exstinguuntur. Paleis accensis coquebatur lutum, et solidabatur in lateres : et pravæ cogitationes, quæ sunt lutum, paleis delectationis accenduntur. Quæ cum transeunt in actum, tunc decoquantur ; cum vero ducuntur in consuetudinem, tunc solidantur.

SERMO LXXII (122).

De via impiorum et via Domini.

1. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum* (*Psal. i, 1*). Pii sunt qui in Deum credunt ; et ipsam colunt. Est enim pietas cultus Dei (*Job. xx, juxta LXX*). Hic autem cultus in tribus consistit, fide, spe et charitate, quæ sunt invisibilia. His tribus carent impii, qui eum non colunt ; et quorum consilium est visibilia invisibilibus, terrena cælestibus præponere. Horum caput et princeps est diabolus qui primus a pietate recessit, et impius faciet etiam homines in paradiso positos, ab eadem pietate D fraude sua dejecit, **1199** volens eos habere socios sui erroris, et participes iniquitatis. Ille enim Evam seduxit, et illa virum sibi subdidit. Similiter adhuc dæmon suggerit carni, caro spiritui, et sit impiorum consilium. Dicunt enim sibi invicem : *Omnium nostrum sit unum marsupium* (*Prov. i, 14*). Ponunt ergo in memoria, quasi in marsupio, quisque obolum suum : dæmon scilicet suggestionem, caro delectationem, spiritus consensum. Inde, tanquam de symbolo, comparant sibi victimam competentem : caro quidem combustionem, ignem scilicet qui non exstinguitur : spiritus malam conscientiam, id est vermem qui non

Sententiarum numerum redactis.

(122) *Alias*, 35 ex Parvis.

moritur; dæmon autem emit utriusque sanguinem.

2. Ad hoc consilium impiorum itur quatuor modis. Quidam enim trahuntur inviti, alii attrahuntur illecti, alii seducuntur ignari, alii sequuntur spontanei. Istis necessariæ sunt quatuor virtutes, per quas armati resistant, ne in consilio eant. Invitis necessaria est fortitudo, quæ resistant usque ad mortem minis, cruciatibus, et damnis. Illi qui attrahuntur illecti, indigent temperantia, quæ reprimit illicita desideria, nec cedit promissionibus, nec emollitur blanditiis. Illis qui seducuntur ignari, est opus prudentia, quæ ab inutilibus inutilla discernit, et docet quid tenendum, quidve rejiciendum sit. Justitia indigent illi qui sequuntur spontanei. Justitia est rectitudo voluntatis, quæ nec amat peccare, nec peccato consentire. Justitia et fortitudo sedem habent voluntatem; quia voluntas justa debet esse, et fortis. Est autem justitia ordinata hoc modo, scilicet mala respuens, bonis meliora præponens. Hanc non videtur habuisse Adam, qui malo consentiens, quod utile erat deseruit. Prudentia et temperantia sedem habent in ratione; quia ratio prudens debet esse, et temperata. Est quippe prudentia, ratio docta, scilicet a gratia, vitare contagia injustitiæ propter justitiam. Vitat quidem non solum injustitiam apertam, sed etiam illa quæ sunt aliquo modo contra justitiam, attendens non quod licet, sed magis quod expedit: vitans divitias et quædam alia, non quia illicita, sed quia justitiæ solent esse impedimenta. Sed propter quosdam qui ex hypocrisi hoc faciunt, additur, *propter justitiam*. Justitia est perfectio animæ rationalis. Aliæ virtutes sunt ad ejus acquisitionem vel conservationem, fortitudo, temperantia, prudentia, quæ justitiam conservant, ne amittatur aut minuatur. Postquam vero perfecta est justitia, et transit in affectum cordis, idem est quod illa tria; quia fortis est, prudens, temperata.

3. *Qui non abiit*. Abire pertinet ad illos qui sunt inconstantes, et leviter possunt impelli. Quod quidam volentes evitare, fiunt evidenter obstinati, nullius consilio acquiescentes, propositum suum immobiliter tenentes: et ideo adjunctum est, *et non stetit*; scilicet, ut nec levis sit, nec obstinatus. Via peccatorum est mundus, vel propria voluntas, quæ est superbia, ex qua omnia mala, sicut ex communi sunt bona. *Et in cathedra pestilentiae non sedit*. Sedet, qui docet exemplo suo faciens peccare alios. Cathedra est hæc, et quatuor pedibus subsistit. Primus pes est malitia; secundus, contemptus Dei; tertius, irreverentia; quartus, astutia. Malitia est amare malum, et saporem mali habere; et malum, quia malum est diligere, sicut facit diabolus, et nonnulli iniqui. Sed quia fit aliquando, ut tales timeant Deum non timore bono, sed ne incurrant vel damnum rerum, vel corporis cruciatum: ut amplius fiant mali, contemnunt et ipsum Deum; et fit secundus pes contemptus Dei. Item posset fieri ut malum amarent, Deum contemnerent, sed inhiberet eos pudor hominum cum quibus habitant: ideo ad

augmentum mali sequitur tertius pes irreverentia, ut nec Deum timeant, nec homines revereantur. Ad consummationem vero malitiæ adest quartus pes astutia, ut sciant uti tribus prædictis, miscentes oleo venenum, et melli acetum. Eminens pars cathedræ, cui se lens inhæret, est potentia. Si enim potens est qui prædicta habet, tunc plurimum nocet: vel si potentem sibi allicere potest, quem consilio suo seducat, et ad malum impellat. **1200** Deinde apponitur pulvinar, ut suaviter sedeat. Pulvinar sit de levibus pennis avium, significans vanam gloriam, et favorem popularem, quibus homines delectati extolluntur. Scabellum pedibus supponitur, ne terram tangant. Tales enim nonnulli terrenas actiones non faciunt, sed spirituales simulant, ut magis decipiant. Horum doctrina est quasi pestilentia, multa loca occupans et vastans.

4. *Sed in lege Domini voluntas ejus*. Superiori versu dictum est quid sit respondendum; in hoc autem dicitur quid sit appetendum. In illo dictum est tanquam *declina a malo*; hoc autem, *et fac bonum* (*Psal. xxxvi, 27*); quod utique est ambulare in lege. Sed quoniam hæc via agitur non gressu corporis, sed affectu mentis; ideo dictum est: *In lege domini voluntas ejus*. Velle enim, teste beato Gregorio, mente ire est. Per hanc viam incedunt, et quasi quemdam cursum ducunt tria genera hominum, servus, mercenarius, filius. Trahunt autem eundem currum jumenta, quorum nomina sunt, comminatio et promissio. Super comminationem servus sedet, super promissionem mercenarius. Horum uterque trahit currum, alter timore, alter cupiditate; et uterque propriis stimulis impellitur. Solus filius, qui nec timore quatitur, nec illicitur cupiditate, sed spiritu dilectionis agitur, sine labore aut læsione vehitur in curru: *Quicumque enim spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei* (*Rom. viii, 14*). Habet etiam currus ille quatuor rotas, illas scilicet quatuor animi affectiones notissimas, amorem et lætitiã, timorem et tristitiã. Amant enim reprobi temporalia, et lætantur cum male fecerint; sed hunc amorem et hanc lætitiã sequitur timor et tristitia sempiterna. Electi vero, quibus dicitur: *Mundus gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium* (*Joan. xvi, 20*); ponunt primas rotas timorem et tristitiã, posteriores amorem et lætitiã. Ipsi enim commutatur timor in eharitatem, tristitia in lætitiã sempiternam.

5. Notandum autem, quod hæc via legis Domini consummatur sex diebus. Et prima quidem dicta est gemitus cordis; secunda, confessio oris; tertia, largitio propriæ possessionis; quarta, labor corporis; quinta, abnegatio propriæ voluntatis, sexta, contemptus mortis. In septima fit quies ab omnibus prædictis, sperans octavam resurrectionis. *Et in lege ejus meditabitur die ac nocte*. In quocunque statu sit homo positus, nunquam recedendum est illi a lege Domini, sed semper in die honorum non inmemor sit malorum, et in die maiorum memor

sit semper honorum. Potest etiam per diem et noctem contemplativa et activa vita intelligi, quæ ambæ continentur in lege Domini.

SERMO LXXIII (125).

De insipientia hominum non timentium nec diligentium Deum.

Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus (Psal. xiii, 4). Deus, licet unus sit, et unum sit, tamen non sui varietate, sed animi nostri mutatione, gustantibus nobis diversos videtur habere saporos. Sapit enim timentis, iustitiam et poenitentiam; sapit amanti, bonitatem et misericordiam. Unde et alibi ait idem iste propheta : *Semel locutus est Deus, duo hæc audivi; quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia (Psal. lxi, 12, 13).* Idem quippe est audire hoc, quod gustare; quia utrumque fit una et simplicissima mente. Itaque semel locutus est Deus, quia unum genuit Verbum. Cæterum nos per unum Verbum duo hæc audimus sive sapimus, *quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia.* At is quidem penitus insipiens est, cui nec timorem Deus sapit, nec amorem. *Viscat quantum vult; ego sapientem non dixerim, dum nec timebit, nec diligit Deum.* Quomodo enim dixerimus in sapientia consummatum, quem video nec initiatum? Nam initium sapientiæ timor Domini (*Psal. cx, 9*); consummatio amor; media sibi vindicat spes. Cui ergo nec iustitiam sapit Deus per timorem, nec misericordiam per amorem; is plane dicit in corde suo : *Non est Deus.* Deum enim non putat, quem nec justum, nec pium reputat.

1201 SERMO LXXIV (124).

De corruptione hominum.

Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt in studiis suis; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum (Psal. xiii, 4). Habet anima corruptionem suam, habet et corpus suam. Corruptio animæ tripartita est; quadripartita est corporis. Corpus siquidem constat ex quatuor elementis : anima vero in triplici vi subsistit. Est enim rationalis, concupiscibilis, irascibilis. Rationalis, cujus sanitas est cognitio veritatis, corrumpitur superbia. Corrupta autem fallitur duobus modis : in cognitione sui et cognitione Dei. Concupiscentiam corrumpit vana gloria, iram invidia. Corruptio corporis dicitur abominatio; et fit quatuor modis, secundum quatuor elementa ex quibus constat. Quatuor enim sunt quæ corpus corrumpunt, curiositas, loquacitas, crudelitas, voluptas. Sunt autem quatuor partes corporis, in quibus singulis maxime vigent singula elementa. Nam in oculis est ignis : in lingua, quæ vocem format, aer : in manibus, quarum proprie tactus est, terra : in membris genitalibus, aqua. Has quatuor partes corrumpit illa quadripartita pestis : oculus scilicet curiositas, linguam loquacitas, manus crudelitas, genitalia voluptas. Sic fiunt homines *corrupti et abominabiles, corrupti in anima, abominabiles in corpore; cor-*

(123) *Alias, 36 ex Parvis.*

(124) *Alias, 37 ex Parvis.*

(125) *Alias, 38 ex Parvis.*

rupti coram Leo, abominabiles coram hominibus. Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Quatuor genera sunt hominum, quorum omnium nullum est quod faciat bonum, nisi unum. Quidam enim sunt qui Deum nec intelligunt, nec requirunt; et hi mortui sunt. Alii intelligunt quidem, sed non requirunt; et hi impii sunt. Alii requirunt, non autem intelligunt; et hi fatui sunt. Alii vero et intelligunt, et requirunt; et hi sancti sunt : de quibus solis dici potest quia ipsi sunt qui faciunt bonum.

SERMO LXXV (125).

De poenitentia in mortem non differenda.

Multiplicatae sunt infirmitates eorum, postea accelleraverunt. Quid dissimulant homines in vita sua agere poenitentiam, et extrema de confessione præsumunt? Quomodo sub unius horæ articulo revocari posse æstimant omnia animæ membra, cujus concupiscentiæ et desideria per totum mundum sparsa sunt, et ubique terrarum velut quodam visco tenentur? Non dico, ait Dominus, quin et talium salvem aliquos; potens sum enim in momento omnia revocare : sed non congregabo conventicula eorum de sanguinibus (*Psal. xv, 4*), id est, qui in sanguine perseverant, donec multiplicatis infirmitatibus deserantur a peccatis, antequam deserant ea. Non magna talium conventicula congregabo. Si bene memini, in toto canone Scripturarum unum latronem invenies sic salvatum. Noli ergo huic tam periculosæ expectationi credere temetipsum. Et quidem spiritus non modo ubi vult, sed quando vult, spirat (*Joan. iii, 8*); nec ei difficile est de subito perfectam dare contritionem cordis, quam vix multo tempore alii consequuntur : sed unde scis quod tunc tibi ita subvenire velit, quem tu interim sic repellis? Benignus quidem est spiritus sapientiæ : sed non liberabit maledictum a labiis suis (*Sap. i, 6*). Audi quis ille sit : *Maledictus qui peccat in spe.*

SERMO LXXVI (126).

De necessitate et commendatione divinæ gratiæ.

Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis (Psal. xx, 4). Triplex nobis necessaria est benedictio, præveniens, adjuvans, et consummans. Prima misericordiæ, secunda gratiæ, tertia gloriæ. Prævenit misericordia conversionem, adjuvat gratia conversationem, perficit gloria consummationem. Nisi trinam hanc benedictionem dederit Deus, non poterit dare terra nostra fructum salutis. Neque enim aut inchoare bonum, donec a misericordia præveniamur; aut agere bonum, donec adjuvemur a gratia; aut consummari in bono possumus, donec gloria repleamur. Verum in his tribus non immerito dulcius sapit ea, quæ non modo immeritis, 1202 sed et male meritis prævenit : ut dum adhuc illi sumus iræ, et operamur opera mortis, ipse cogitet super nos cogitationes pacis, et ne petentibus quidem, imo et impotentibus (127), non invocantibus,

(126) *Alias, 39 ex Parvis.*

(127) *Alias, poenitentibus quidem, imo et impotentibus.*

sed provocantibus; non interpellantibus, sed etiam repellentibus, spiritum bonum, spiritum vite, adoptionis spiritum largiatur. Quid illi animæ dulce sapiat, cui misericordia tanta non sapit? Merito proinde benedictio dulcedinis nominatur ea quæ prævenit; quia quæ adjuvat, fortitudinis; quæ consummat, plenitudinis est.

SERMO LXXVII (128).

De varia sorte hominum cognoscentium et non cognoscentium Deum, item cognitorum et non cognitorum a Deo.

Populus quem non cognovi, servivit mihi (Psal. xvii, 45). Non esset magnæ admirationis, si populus a Deo cognitus serviret illi. Cum vero incognitus illi serviat, et in auditu auris obediat, magnæ laudi adscribendum est. Ex hoc genere cognitorum et non cognitorum, et cognoscentium et non cognoscentium, sunt quatuor differentiæ. Quidam enim sunt qui a Deo cognoscuntur, et Deum cognoscunt: alii non cognoscuntur, nec cognoscunt: alii cognoscuntur quidem, sed ipsi non cognoscunt: alii non cognoscuntur, et tamen cognoscunt. Cognoscere Dei, est felicem facere: cognoscere hominis, est gratias agere. Qui ergo cognoscuntur a Deo, et Deum cognoscunt, sancti angeli sunt; qui ab eo felices facti, ejus laudibus semper vacant, et obsequiis deserviunt. Qui nec cognoscuntur, nec cognoscunt, pauperes sunt necessarii; quos nec rerum temporalium copia ditat, nec beatificat servitus divina. Qui autem cognoscuntur, sed non cognoscunt, divites sunt hujus sæculi; qui acceptis quidem opibus affluunt, sed carnalibus desideriis hujus sæculi pressi, nunquam ad cælestia cor suspendunt. Qui vero non cognoscuntur et cognoscunt, pauperes sunt voluntarii; quos nec tribulatio, nec angustia, nec alia quæcumque pericula possunt separare a charitate Dei. Et hi nimirum multis modis probantur adversis, durisque fatigantur tribulationibus, sicut scriptum est: *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis (Eccli. xxvii, 6).* Ex quorum item persona loquitur psalmus: *Deus, Deus meus, respice in me; quare me dereliquisti?* Nunquid non incogniti videntur, qui orant ut respiciantur? Verumtamen licet derelicti videantur, ipsi tamen Deum cognoscunt; et ex persona cognoscentium statim in eodem psalmo subinfertur: *Deus meus, clamabo per diem, et non exaudies; et nocte, et non ad insipientiam mihi (Psal. xxi, 2, 3).* De his ergo vox divina dicit: *Populus quem non cognovi, servivit mihi.* Ac si aperte diceret angelis suis: Quid, si vos mihi servitis, quos felices facio, quandoquidem illi mihi serviunt, quos in sua paupertate derelinquo? Et quid, si vos mihi obeditis qui faciem meam videtis, cum et illi obediant, qui me tantum audiant, et non vident? Vident quippe angeli, audiunt homines. Audiunt scilicet et obediunt, ut quandoque similes angelis facti, mereantur ipsi quoque videre. Itaque auditus est me-

(128) *Alias, 40 ex Parvis.*

(129) *Alias, 42 ex Parvis. Exstat 51 inter Sententias.*

A ritum videndi, visio præmium audiendi. Et prius est audire, videre posterius, sicut scriptum est: *Audi, filia, et vide (Psal. xlii, 11).* Quisquis ergo in futuro Deum videre desiderat, profecto necesse est ut in præsentibus prius Deum audiat, et in auditu auris obediat.

SERMO LXXVIII (129)

De differentia tabernaculi, atrii, domus.

Tria sunt tabernacula, atria, domus. In tabernaculis sunt omnes justi in carne viventes et laborantes; quia tabernacula laborantium sunt et militantium. Tabernaculum vero habet tectum, sed fundamento caret, et portabile est; quia justi in præsentibus non sunt fundati, sed inquirunt civitatem desursum fundamenta habentem. Fides etiam eorum, quæ est fundamentum, non est in terrenis, sed in Domino. Tectum habent, id est, munimentum gratiæ et protectionem. Atria sunt domui vicina, amplitudinem habentia. In illis sunt animæ sanctæ corporibus exutæ, quæ in latitudine sunt, deposita carnis angustia. Atria habent fundamentum, sed non tectum; quia animæ **1203** quæ in amore Dei sunt, non ruunt, unde *stantes erant pedes nostri (Psal. cxxi, 2)*: sed non habent tectum adhuc expectantes augmentum, quod non erit nisi in resurrectione corporum suorum. Post ipsam sane resurrectionem cum angelis erunt in domo quæ habet fundamentum et tectum. Fundamentum est stabilitas æternæ beatitudinis, tectum consummatio et perfectio ipsius.

SERMO LXXIX (150).

De voluntate Deo semper et in omnibus subjicienda.

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum (Psal. lvi, 8). Via regia, fratres, nec ad dexteram declinat, nec ad sinistram. Porro invenire est hominem semel quidem paratum, non quidem secundo. Si dixerit ei Deus, *Ejice ancillam et filium ejus (Gen. xxi, 10)*, dico autem opera carnis, non cunctatur. Si dixerit, *Inmola mihi filium tuum quem diligis Isaac (Gen. xxii, 2)*, hoc plane jam patienter audire non potest, ut fraternæ utilitatis aut unitatis gratia, spiritualis sustinere videatur studii detrimenta. Quidni abjiciat facile servus Christi, quidquid ad corpoream pertineat voluptatem? At vero spirituali jucunditate æquanimitè fraudari, quando aut obedientia cogit, aut fraternæ charitatis ratio postulat, hoc plane magnum, et Deo gratum offerre est holocaustum. Memento tamen, non Isaac in hoc sacrificio, sed arietem contumaciæ jugulari.

SERMO LXXX (151).

De multiplici unitate.

1. *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum (Psal. cxxxii, 1).* Est unitas naturalis, unitas carnalis, unitas virtualis, unitas moralis, unitas spiritualis, unitas socialis, unitas personalis, unitas principalis. Unitas carnalis est inter corpus et animam. Unitas carnalis inter virum et

(150) *Alias, 43 ex Parvis.*

(151) *Alias, 44 ex Parvis.*

mulierem, de qua dictum est : *Erunt duo in carne una* (Gen. ii, 24). Unitas virtualis est, quæ hominem sibi ipsi conjungit, ut non per diversa effluat, sed cum Propheta, unam petat a Domino (Psal. xxvi, 4). Unitas moralis est quæ nos conjungit proximo. Unde Psalmista : *Qui habitare facit unius moris in domo* (Psal. lxxvii, 7). Unitas spiritualis est, quæ nos conjungit Deo. Unde Apostolus : *Qui adhæret Deo, unus spiritus est* (I Cor. vi, 17). Unitas socialis inter angelos, quibus omnimodis idem velle est, idem nolle. Unitas personalis in Christo. Unitas principalis, quæ et substantialis, est in Trinitate.

2. *Ecce quam bonum et quam jucundum.* Sunt quædam bona, et jucunda; sunt quædam nec bona, nec jucunda; sunt quædam bona, et non jucunda; sunt quædam jucunda, et non bona. De bonis et non jucundis pervenitur ad bona et jucunda. De jucundis et non bonis pervenitur ad non bona et non jucunda. Bona et non jucunda sunt continentia, patientia, disciplina. Jucunda et non bona, voluptas, curiositas, et vanitas. Nec bona nec jucunda, invidia, tristitia, acedia. Bona et jucunda, honestas, charitas et puritas. Ad hoc bonum et jucundum obtinendum necessaria est unitas virtualis, et unitas moralis. Primam disturbant pusillanimitas et levitas. Pusillanimitas facit propositum relinquere, levitas mutare. Alteram obstinatio, suspicio et simulatio disturbat. Obstinatio non recipit proximum, suspicio non credit proximo, simulatio non se jungit proximo. Spes æternorum expellit pusillanimitatem, humilis obedientia levitatem. Obstinatio humilitate, suspicio et simulatio charitate pelluntur.

SERMO LXXXI (132).

De laudatione Dei in ore peccatoris.

Non est speciosa laus in ore peccatoris (Eccli. xv, 9). Etiam quæ est in ore peccatoris pœnitentis, non videtur speciosa; quia adhuc de peccati recordatione et memoria confusionem patitur, et frequenter inde compungitur. Sed tamen in eo est utilis et fructuosa confessio, etsi non speciosa decoraque laudatio. Postquam vero de beneficiis Dei proficiens adhæret divinæ laudi, et in ea assidue delectatur et proficit, ita ut nihil aliud placeat ei, tunc in ore ejus est speciosa laus Dei : ad similitudinem agricolæ, qui dum stercoret agrum suum, totus **1204** in luto est et stercorebus, et non est pulcher labor ejus, etsi sit fructuosus; quando colligit manipulos segetis, tunc labor est speciosus et dulcis.

SERMO LXXXII (133).

De diligenti custodia cordis.

1. *Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit* (Prov. iv, 23). Duobus autem modis vita a corde procedit : aut quia corde creditur ad justitiam (Rom. x, 10); et justus ex fide vivit (Rom. i, 17); et fide mundatur cor (Act. xv, 9); et mundo corde Deus videtur (Matth. v, 8), id est agnoscitur; et hæc est vita æterna, ut cognoscant te unum

(132) *Alias, 45 ex Parvis.*

(133) *Alias, 46 ex Parvis.*

Deum, et quem misisti Jesum Christum (Joan. xvii, 3) : aut quia Christus vita nostra, qui nunc per fidem habitat in cordibus nostris (Ephes. iii, 17), erit cum apparebit, et nos cum ipso apparebimus in gloria (Coloss. iii, 4); et qui nunc latet in corde, tunc quasi de corde ad corpus procedet, quando reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ (Philipp. iii, 21). Unde et alius apostolus ait : *Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus* (I Joan. iii, 2).

2. Sed considerandum est quomodo dicat, *Omni custodia serva cor tuum.* Solent dicere homines hujus sæculi : Bonum castellum custodit, qui corpus suum custodit. Nos autem non sic : sed sterquilinum vile custodit, qui custodit corpus suum, Apostolo teste, *Quoniam qui seminat in carne, de carne metet corruptionem; qui vero, inquit, in spiritu, de spiritu metet vitam æternam* (Galat. vi, 8). Ac si dicat, colendum, custodiendum magis animæ castrum, quoniam æterna ex ipso vita procedit. Sed castrum istud in terra inimicorum situm undique impugnatur; et idcirco omni custodia, id est ex omni parte, vigilantia sollicitudine est muniendum, inferius, superius, ante et retro, a dextris et sinistris. Inferius impugnat concupiscentia carnis, quæ militat adversus animam; quia caro concupiscit adversus spiritum. Superius imminet judicium Dei : horrendum est enim incidere in manus Dei viventis (Hebr. x, 31). Sollicite satis hac parte cor suum custodierat, qui dicebat : *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum* (Job. xxxi, 23). Retro mortifera delectatio est, quæ oritur ex recordatione præteritorum peccatorum : ante, instantia tentationum : a sinistris vero arrogantium fratrum et murmurantium inquietudo : a dextris obedientium fratrum devotio. Possunt enim hi quoque nisi caveatur, duobus nocere modis : aut bonis eorum actibus invidendo, aut singularem gratiam æmulando.

3. Vigilet ergo adversus carnem rigor disciplinæ : contra judicium Dei, judicium propriæ confessionis; et hoc sit duplex, manifestum de manifestis, occultum de occultis. Unde ait Apostolus : *Si nosmetipsos didicaremus, non utique judicaremur* (I Cor. xi, 31). Contra delectationem, quæ procedit de recordatione præteritorum peccatorum, frequentia lectionis : contra instantiam tentationis, instantia supplicis orationis : contra fratrum inquietudinem, patientia et compassio : adversus obedientium fratrum fervorem, congratulatio et discretio. Congratulatio enim expellit invidiam, discretio nimiam æmulationem.

SERMO LXXXIII (134).

De laude humana caute recipienda.

Mel invenisti? noli multum comedere, ne forte satiatus evomas illud (Prov. xxv, 16). Potest non incongrue hoc loco mellis nomine favor humanæ laudis intelligi : meritoque non ab omni, sed immo-

(134) *Alias, 47 ex Parvis.*

derato mellis hujus edulio prohibemur. Est enim cum utiliter humanas laudes recipimus, fraternæ duntaxat intuitu charitatis, et ad salutem eorum qui nobis propterea facilius acquiescunt. Hæc ergo parcitate servata, mellis hujus moderata comestio non nocebit. Si quid vero amplius est, a malo est, et in perniciem convertetur. Invenio enim melle immoderatus vescitur, quisquis apponens omnino cor suum, favore humanæ laudis inflatur, incrassatur, impinguitur : a quo se Propheta sanctus custodiri deprecatur a Domino, non quidem mellis, sed olei satis **1205** vicina appellatione ipsum quem prædiximus favorem exprimens, ubi ait : *Oleum autem peccatoris non impinguit caput meum (Psal. CXL, 5)*. Vis nosse quando evomat immoderatus epulatur mellis edulium, quod usque ad satietatem sumens, modum parcitatis excessit? Tunc sine dubio laudes, quibus satiabatur, non alium fructum quærens, sed favore ipso contentus humano; tunc, inquam, multa cum anxietate evomit, quod cum perniciose delectatione comedit, cum alium quemlibet laudari audiens invidia contabescit. Mens enim dedita vanitati, et arrogantia tumens, laudem alterius, suam reputat vituperationem.

SERMO LXXXIV (135).

De constantia adversus diabolum tentantem.

1. Duo loca sunt animæ rationalis : inferior, quem regit; et superior, in quo requiescit. Inferior, quem regit, corpus; superior, in quo quiescit, Deus. De utroque potest recte intelligi quod scriptum est, *Si ascenderit super te spiritus potestatem habentis, locum tuum ne dimiseris (Eccl. x, 4)* : vel inferiorem scilicet, regendo; vel superiorem, quiescendo. Sed hoc quod prius dixi, convenit rudibus adhuc et imperfectis, quibus loquitur Apostolus : *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem (Rom. vi, 19)*. Habet quippe anima tria facere in corpore, vivificare, sensibilicare, regere. Sed sive auferatur vita, sive sensus perturbetur, de neutro conlemnatur. Sin vero tentatori victa succumbit, hoc illi ad peccatum reputatur. Dicitur ei ergo ne ascendente super eam spiritu, locum suum deserat, hoc est, ne ingruente tentatione membra sua arma iniquitatis peccato exhibeat.

2. Notandum autem quod dicitur, *Si ascenderit super te spiritus potestatem habentis*. Nihil quippe adversus nos malignus spiritus potest, nisi missus aut permissus. Unde cum ejus sit voluntas semper mala, nunquam potestas est nisi justa. Nam voluntas quidem mala ex se ipso sibi inest, potestatem vero non aliunde quam a Deo habet. Quam tamen potestatem semper moderatur Dominus, ne scilicet ex nequitia voluntatis plus puniat, quam eorum exigunt merita qui puniuntur. Et hæc de inferiori loco

(135) *Alias*, 48 ex Parvis.

(156) *Alias*, 49 ex Parvis.

dicta sint. Cæterum de superiori hoc intelligitur, ne quietem mentis, quam in Deo habet, tentante diabolo deserat, sed undecumque ille tentaverit, ipsa in Deo fixa constanter in tranquillitate permaneat. Hæc posterior sententia convenit perfectis, qui cum Elia dicere possunt, *Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto (IV Reg. iii, 14)* : et illud de Joanne apostolo, *quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo (I Joan. iv, 17)*. Hæc, inquam, sententia convenit perfectis, qui jam in sua conversatione quodam modo imitantur statum æternitatis.

SERMO LXXXV (136).

De casu animæ irretractabili.

Sive ad austrum, sive ad aquilonem arbor ceciderit, ibi erit (Eccl. xi, 3). Austri calor et lenitas in sacra Scriptura bonam solet habere significationem : ab aquilone vero panditur omne malum (*Jerem. i, 14*). Porro homines sicut arbores vidit aliquis (*Marc. viii, 24*). Exciditur autem arbor in morte : et quocumque ceciderit, ibi erit; quia ibi te judicabit Deus ubi invenerit. Ibi, inquam, erit immutabiliter et irretractabiliter. Videat quo casura sit antequam cadat; quia postquam ceciderit, non adjiciet ut resurgat, sed nec ut se vertat. Quo vero casura sit arbor, si scire volueris, ramos ejus attende. Unde major est copia ramorum et ponderosior, inde casuram ne dubites, si tamen fuerit tunc excisa. Itami nostri, desideria nostra sunt : quibus ad austrum extendimur, si spiritualia fuerint; si carnalia, ad aquilonem. Quæ vero præponderant, medium corpus indicat. Ea namque præponderant, quæ secum traxerint corpus. Sic enim est corpus nostrum inter spiritum cui servire debet, et carnalia desideria quæ militant adversus animam, sive potestates tenebrarum, ac si vacca sit inter raptorem et rusticum constituta. Quidquid ille minetur, **1206** quidquid intendat, si vaccam non duxerit, rusticus vicit. Sic quantumcumque sæviat malignus, quantumcumque prava desideria crucient : si vas suum sibi vindicat anima, viciisse credenda est, ut, quemadmodum ait Apostolus, *Non regnet peccatum in nostro mortali corpore* : sed sicut exhibuimus membra nostra servire iniquitati ad iniquitatem, sic exhibeamus servire justitiæ in sanctificationem (*Rom. vi, 12, 19*).

SERMO LXXXVI (137).

De creatione in certo pondere, mensura et numero.

1. *Omnia fecisti in pondere, et mensura, et numero (Sap. ix, 21)*. Ad differentiam ipsius divinæ essentiæ dictum est. Creaturæ enim in pondere, et mensura, et numero factæ sunt : solus Creator his omnibus caret. Pondus in dignitate rei consideratur. In pondere igitur facta est, quæ rei sui generis est comparanda, aut secundum majus, aut secundum minus, aut secundum æquale. Pondus habet, quæ quanti valeat æstinari potest. Mensura vero in loco et tempore consideratur. Quod si locum solum accipimus corporalem, incorporeorum mensura in tem-

(137) *Alias*, 51 ex Parvis; 50 inter Sententias.

pre erit, et non in loco. Neque enim anima in loco potest esse corporeo; nec corpus, de quo magis videtur, locus animæ est. Quomodo enim corpore clauditur, quæ sic vegetat exteriora, sicut interiora. Sic est in superficie cutis, sicut in visceribus intimis.

2. Sicut ex affectione carnali et consuetudine corporum sic errat anima, ut se ipsam nesciat nisi corpoream cogitare. Ubi est enim thesaurus ejus, ibi est et cor (*Matth. vi, 21*). Hoc sapit quod diligit. Affectionibus siquidem obligata et illita terrenis, suam ipsius faciem considerare non potest. Infixa est in limo profundi, et se ipsam non videt, sed putat formam suam esse luteam illam quam portat imaginem. Sed omnino aliter est: et aliter consideratur mensura animæ secundum locum. Locus siquidem unicuique rei, finis est suæ substantiæ. Substantia vero animæ in ratione, in memoria, in consilio, in iudicio, cæterisque similibus est: quæ omnia suo quoque sine clauduntur. In mensura est ergo factus omnis spiritus, præter divinum: quia et ratio ejus, et memoria, et cætera omnia suam habent mensuram. In numero facta sunt omnia, vel secundum partium compositionem, ut sunt corpora; vel secundum varietatem et mutabilitatem, ut sunt etiam incorporea. Solus Deus est, in quem nec pondus, nec mensura cadit omnino, nec numerus. Unus Deus est, non habet sui generis cui valeat comparari. Unus est et solus ipse penitus inæstimabilis, æternus quoque et immensus, indivisus et omnino invariabilis.

SERMO LXXXVII (158).

De osculo sponsi, seu gratia contemplationis.

1. *Osculetur me osculo oris sui* (*Cant. i, 4*). Tria sunt oscula: primum, pedum; secundum, manuum; tertium, oris. Cum primo convertimur, pedes Domini osculamur. Duo autem sunt pedes Domini, misericordia et veritas. Hunc utrumque pedem Deus convertentium cordibus imprimit, et utrumque pedem peccator quisque, si vere convertitur, amplectitur. Si enim solam misericordiam sine veritate reciperet, per præsumptionem caderet. Rursus si veritatem sine misericordia reciperet, nihilominus per desperationem periret. Sed ut fiat salvus, ad utrumque pedem humiliter provolvitur; ut per veritatem peccata damnet, et per misericordiam veniam speret: et hoc primum osculum. Secundum osculum fit, cum primum ad bona opera consurgimus. Tunc manus Domini osculamur, cum ei nostra bona opera offerimus, vel cum ab eo virtutum dona recipimus. At vero tertium osculum tunc fit, cum jam consumpto luctu pœnitentiæ, jam acceptis virtutum donis, mens cœlesti desiderio inspirata, ad secreta interioris cubiculi gaudia impatiens amoris introduci desiderat: cum dulcibus suspiriis, vocem animi interrumpentibus, pio cordis affectu decantat. *Vultum tuum, Domine, requiram* (*Psal. xxvi, 8*). Et ita ex vehementi desiderio fit ei præsens Sponsus, quem sic amat, **1207** quem sic affectat, cui sic suspirat.

(158) *Alias*, 52 ex Parvis.

A Primum itaque osculum fit in remissione peccatorum, et dicitur propitiatorium. Secundum fit in donis virtutum, et vocatur muneratorium. Tertium fit in contemplatione cœlestium, et vocatur contemplatorium.

2. Sciendum est autem esse duo genera contemplationis. Quidam enim sunt qui ascendunt, et cadunt; alii vero qui rapiuntur, et descendunt. Ascendant sicut illi, de quibus scriptum est: *Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt*. Gratias non egerunt, quia viribus suis et ingenio tribuerunt quod Deus revelavit illis. Ideo sequitur casus eorum: *et evanuerunt in cogitationibus suis*. *Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt* (*Rom. i, 21, 22*). Electi vero rapiuntur, sicut Paulus et sui similes. Sed et descendunt, ut ea quæ per excessum mentis viderint, loquantur parvulis: eo sane modo quo capiantur ab ipsis. Rapiuntur Paulus cum dicit: *Sive mente excedimus, Deo*. Descendit cum dicit: *Sive sobrii sumus, vobis* (*II Cor. v, 13*). Hoc posteriori genere contemplationis rapi desiderat anima perfecta in castissimos amplexus Sponsi sui, dicens: *Osculetur me osculo oris sui*. Ac si diceret: Ego non viribus meis, non industria, non meritis ad contemplanda gaudia Domini mei assurgere valeo: sed ipse *osculetur me osculo oris sui*, id est ejus gratia fiat; non per doctrinam, non per naturam, sed per gratiam suam *osculetur me osculo oris sui*. Miro autem modo gratiam operantis, et opus, et modum operis eleganter expressit. Cum enim dicit, *osculetur*, operantis gratia monstratur: cum autem supponit, *osculo*, ipsum opus, id est contemplatio, designatur; cum vero adjungit, *oris sui*, modum operis, scilicet quo fiat contemplatio, evidenter expressit. Per os quippe Verbum intelligitur.

3. Fit autem contemplatio ex condensatione Verbi Dei ad humanam naturam per gratiam, et exaltationem humanæ naturæ ad ipsum Verbum per divinum amorem. Nec absurdum cuiquam videri debet, si in contemplatione Verbi Dei hæc ita distinguamus: cum ejusdem quoque Verbi Dei incarnationem eodem ordine factam Evangelium testetur. Ibi etenim gratia præmittitur, cum ab angelo Virgo salutatur: *Ave, inquit, gratia plena*. Etenim cujus sit, et quanta sit ipsa gratia, subiungit, dicens: *Domine tecum*. Opus etiam ejusdem gratiæ subinfertur, cum dicitur: *Benedictus fructus ventris tui*. Fructus namque ventris tui, incarnatio est Verbi. Modus vero tanti operis edocetur, ubi dicitur: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc. i, 28, 35*). In quibus operibus Verbi, sive his quæ de Evangelio protulimus, sive his quæ de Canticis canticorum exposuimus, manifeste stat, et istam scilicet incarnationem ex sola ubertate divini gratiæ esse factam; nec illam, id est contemplationem, quandoque humana voluntate, sed divino tantum munere provenire posse.

4. Et notandum, quod hæc ipsa contemplatio tribus modis pro diverso statu temporum distinguitur. Et primo quidem vocatur cibus; secundo, potus; tertio, ebrietas. Unde et in consequentibus electi quoque voce Sponsi invitantur, dicentis: *Comedite, amici, et bibite, et inebriamini, charissimi* (Cant. v, 1). Prius comedunt, dum in carne adhuc corruptibili degunt. Postmodum vero corpore exuti, et in cælum translati, jam bibere dicuntur eadem quæ prius comederant; quia jam per speciem contemplantur sine labore, quæ prius per fidem crediderant, dum in corpore positi peregrinarentur a Domino, et in sudore vultus sui vescerentur pane suo: sicut et nos facilius sumimus ea quæ bibimus, quam illa quæ mandimus; quia in illis nonnullus labor, in his levis est transitus. In hoc ergo statu positi sancti bibere quidem possunt, sed inebriari non possunt; quoniam a perfectissima contemplatione divinitatis quodam modo retardantur, dum adhuc resurrectionem sui corporis in fine sæculi præstolantur. Qua facta ita corpus menti, et Deo mens inhærebit, ut jam deinceps nihil sit, quo ab interna ebrietate contemplationis revocari possit. Prima itaque invitatione qui comedunt, **1208** vocantur amici, id est chari; in secunda quia bibunt, chariores; in tertia quia inebriantur, charissimi.

5. *Quia meliora sunt ubera tua vino* (Cant. 1, 4). Duo sunt ubera sponsæ, unum congratulationis, alterum compassionis. Unde Apostolus his duobus parvulos fovens: *Gaudere, ait, cum gaudentibus, flere cum flentibus* (Rom. xii, 15). Vinum accipitur desiderium sæculare, de quo scriptum est: *Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile* (Deut. xxxii, 33).

6. *Fragrantia unguentis optimis* (Cant. 1, 2): innuit quod aliqua sunt unguenta bona, aliqua meliora, quibus omnibus superferantur hæc optima. Dicamus ergo tria genera esse unguentorum. Primum fit de recordatione peccatorum, cum pro ipsis compungimur, et veniam petimus. Et hoc unguentum bonum est, quia cor contritum et humiliatum Deus non spernit (Psal. l, 19), Effunditur autem ad pedes Domini, ibique remunerationem accipit, scilicet remissionem peccatorum, cum Dominus dicit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (Luc. vii, 47). Secundum unguentum fit de recordatione beneficiorum Dei. Et hoc recte ad caput effunditur; quia virtutes non nisi ad Deum, a quo sunt, referuntur. Hoc autem unguentum jam charius est; quia de hoc scriptum est: *Utquid perditio ista unguenti facta est? Poterat enim venundari plus quam trecentis denariis, et dari pauperibus*. Sed hanc perditionem approbat Dominus, cum dicit: *Sinite eam. Quid illi molesti estis? Pauperes enim semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis*. Non solum approbat, sed etiam remunerat, cum dicit: *Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur et quod hæc fecit in me-*

(139) *Alias, 53 ex Parvis.*

amorem ejus (Matth. xxvi, 8-13; Marc. xiv, 4, 9). Tertium ergo unguentum componitur de pretiosis aromatibus, sicut de quibusdam sanctis mulieribus scriptum est quod *emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum* (Marc. xvi, 1). Sed hujus tertii unguenti non fit aliqua effusio vel perditio; quia noluit Dominus illud super corpus suum mortuum effundi, sed servari vivo corpori suo, id est Ecclesiæ sanctæ, cui nimirum mulieres, quæ cum unguentis venerant, mittuntur resurrectionem evangelizare. Primum itaque unguentum vocatur unguentum compunctionis, et absuitur igne contritionis; secundum, devotionis, et absuitur igne charitatis; tertium vocatur unguentum pietatis, quod non absuitur, sed integrum conservatur.

S E R M O I. X X X V I I I (139).
De recto usu donorum Dei.

1. Sicut de Christo duo sunt, unum nobis incognitum, scilicet generatio divina, de qua scriptum est: *Generationem ejus quis enarrabit?* (Isa. liii, 8), alterum cognitum, ut generatio vel opera humana: ita etiam de Spiritu sancto aliud ejus nostris est mentibus occultum, scilicet, quomodo procedat a Patre et Filio, cum sit æqualis et coæternus eidem Patri et Filio; aliud vero ipso docente manifestum, videlicet quibus modis operetur gratiam suam in nobis. Duplex quippe est operatio sancti Spiritus. Operatur enim in nobis aliud propter nos; aliud propter proximos. Propter nos, id est propter utilitatem nostram, operatur in nobis primo compunctionem, consumendo peccata: secundo, devotionem, unguendo et sanando vulnera: tertio, creando intellectum, tanquam pane confirmat nos et roborat: quarto, hæc ipsa multiplicius augendo, et amorem infundendo, quasi vino inebriat. Cætera charismata, id est sapientiæ consilia, et hujusmodi, dantur nobis ad utilitatem aliorum. Unde Apostolus cum de distributione donorum loqueretur, non ait simpliciter, *Alii datur sapientia, alii scientia*; sed addidit dicens, *sermo scientiæ, sermo sapientiæ* (I Cor. xii, 8): ut ostenderet quod hujusmodi dona propter alios dantur, scilicet ut alii ædificentur.

2. In quibus operibus cavendum est duplex periculum: ne vel illa quæ dantur propter nos, dividamus proximis; vel illa quæ propter proximos, reserveamus **1209** nobis. Si enim quæ pro utilitate aliorum accepimus, retinemus tantum nobis, charitatem non habemus, et dicitur nobis: *Sapientia abscondita, et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?* (Eccli. xx, 32.) Rursus si de donis Dei velimus innotescere hominibus, non Deo in occultis cordis placere, humilitatem perdimus, et merito illa voce increpamur: *Quid habes quod non accepisti?* (I Cor. iv, 7.) Sic utroque modo periclitamur, hinc humilitatem, illinc amittendo charitatem. Et quis sine humilitate et charitate potest salvus fieri? Rectus ergo profectus nostri ordo est, ut illis donis, scilicet compunctione et cæteris, studeamus impleri primum; deinde, si

per gratiam Spiritus sancti cætera supercreverint, id est sapientia et scientia, curemus illa proximis partiri. Ita sane obtinebimus illud Spiritus sancti donum, quod vocatur discretio spirituum, si et ea quæ nobis tantum congruant, nobis reservemus, et ea quæ ad aliorum utilitatem conferuntur, nobis largiamur et proximis.

SERMO LXXXIX (140).

De osculo a sponsa desiderato, id est Spiritu sancto.

1. *Osculetur me osculo oris sui (Cant. 1, 1).* Os Patris intelligitur Filius. *Nemo autem novit Filium, nisi Pater; et nemo novit Patrem, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare (Matth. xi, 27).* At vero cui-cumque sit ista revelatio, sive Patris, sive Filii, non fit nisi per Spiritum sanctum. Hinc est quod cum Petrus dixisset Domino : *Tu es Christus Filius Dei vivi*, ille respondit : *Beatus es Simon Bar Jona*, quod interpretatur, *Filius columbæ; quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cælis (Matth. xvi, 16, 17).* Et Apostolus cum præmisisset, quod *oculus non vidit, et auris non audivit, et cætera*, statim subjunxit, *nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum (I Cor. ii, 9, 10).* Videtur ergo sponsa gratiam habere Spiritus sancti, per quam cognoscat Filium æqualem Patri. Nec dicit, *Osculetur me ore suo*, quod solius Filii est dicere, non cujusquam creaturæ, quippe quæ nullo modo potest esse æqualis Patri : sed, *osculo oris sui*. Porro osculum commune est osculantis et osculati. Si igitur se invicem osculantur Pater et Filius, quid est eorum osculum nisi Spiritus sanctus?

2. Hoc itaque flagrat sponsa osculari : *Osculetur me*, inquit, *osculo oris sui*. Hoc osculum testatur etiam Paulus eam accepisse, cum dicit : *Quoniam eatis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra, clamantem, Abba, Pater (Galat. iv, 6).* Hoc osculum pollicebatur et ipse Salvator, cum ad instantiam orationis exhortaretur discipulos : *Si vos, inquit, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester qui in cælis est, dabit bona*, id est *Spiritum bonum, petentibus se (Matth. vii, 11; Luc. xi, 13).* Ex hujus osculi impressione suscipit anima rationalis ab ipso Sponso suo, Verbo Dei, cognitionem, et amorem veritatis, quæ duo quasi labia imprimunt ei ipsa Dei virtus et Dei sapientia. Siquidem sapientia cognitionem, virtus confert amorem. Habet et ipsa anima similiter duo labia, quibus osculatur Sponsum suum, id est rationem et voluntatem. Rationis est percipere sapientiam, voluntatis virtutem. Si sola ratio percipiat sapientiæ cognitionem, et voluntas non habeat virtutis amorem, non est plenum osculum; aut si sola voluntas obtineat amorem, et ratio minime percipiat cognitionem, nihilominus est semiplenum. Tunc vero plenum et perfectum est, quando et sapientia illustrat rationem, et virtus afficit voluntatem.

(140) *Alias*, 54 ex Parvis.

(141) Sermonibus 55 et 56 ex Parvis inter Sententias rejectis, hic ex 57 et 58 conflatus est, exstant-

SERMO XC (141).

De triplici unguento, compunctionis, devotionis, pietatis.

1. Duo sunt pedes Dei, misericordia et iudicium. His circuit et perambulat jugiter spirituales mentes, exultans ut gigas ad currendam viam (*Psal. xviii, 6*) : si tamen tales sunt, de quibus merito dicat, *Habitabo in illis, et deambulabo in eis (II Cor. vi, 16).* Hos ergo pedes primo ungit anima peccatrix illo primo unguento, quod dicitur compunctionis. **1210** Denique Maria, quæ peccatrix erat, unxit pedes Jesu. Nec mediocre sane unguentum hoc videatur, de quo scriptum est : *Et domus impleta est ex odore unguenti (Joan. xii, 3).* Nec mirum, cum etiam in cælestibus sentiatur hujusmodi unguenti fragrantia, Veritate attestante quæ ait : *Gaudium est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente (Luc. xv, 10).* Verum quantumlibet unguentum hoc pretiosum videatur, tamen comparatum alteri, quod appellatur devotionis, et conficitur ex memoria beneficiorum divinatorum, quo et ungitur caput Domini, vile et nullius pretii intelligitur. Denique de illo dicitur. *Cor contritum et humiliatum, Deus non despicies (Psal. l, 19)* : de isto vero, *Sacrificium laudis honorificabit me (Psal. xlix, 23).* Caput ex eo ungit, cum de suis donis Deo gratias agis; siquidem caput Christi, Deus (*I Cor. xi, 3*). Deitas ergo in Christo tangitur, quoties ad laudem ipsius ejus beneficia memoramus : sicut non tam deitas quam humanitas necesse est ut cogitetur, cum non ejus dona, sed nostra peccata recordamur.

2. Nam in carnis assumptione duos illos pedes ad hoc accepisse cognoscitur, id est misericordiam et iudicium, ut peccator, qui ad caput, id est ad deitatem, accessum non habebat, ad pedes, id est ad humanitatem, accederet. Nisi enim pes ille, quem diximus misericordiam, ad hominem assumptum pertineret, Paulus de illo non diceret : *Tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato, ut misericors fieret (Hebr. iv, 15).* Et nisi iudicium æque ad hominem pertineret, ipse homo Deus de se ipso non dixisset : *Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est (Joan. v, 27).* Itaque ad hos pedes Viri doloris, et scientis infirmitatem, peccator accedere non dubitans, fidenter loquitur : *Nunc autem cum fiducia accedimus ad thronum gratiæ. Non enim habemus Pontificem qui non sciat compatii infirmitatibus nostris (Hebr. iv, 16, 15).* Peccatrix ergo ad pedes, justa ad unguendum caput accedit. Tanto autem unguentum capitis illo alio, quod pedibus apponitur, pretiosius est æstimandum, quanto species quibus conficitur, illis constat esse pretiosiores. Has quippe facile et absque labore in nostra regione reperimus. Peccatores siquidem omnes sumus. Porro illas difficile ac de longinquo

quæ ad verbum in tractatu de Amore, a n. 5, quem habes tomo V.

valde, utpote de paradiso Dei, asportatas suscipimus. Omne enim datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum (*Jac. 1, 17*). Quid denique hujusmodi unguento excellentius, de cujus effusione etiam Apostoli murmurasse dicuntur, dicentes: *Ut quid perditio hæc? potuit enim vendari, et dari pauperibus.*

5. Sed et nunc quoque cum forte videtur quispiam vacare Deo, tantæque devotionis et gratiæ, ut merito credatur ungere caput Christi, persistens jugiter in sancta quiete, et gratiarum actione, et divinæ delectatione devotionis, non desunt qui hoc perditionem dicant, et justo, ut sibi videtur, murmure conqueruntur, quod is qui pluribus prodesse poterat, quiescat sibi: non quod sanctitati invideant, sed quod provideant charitati. Cæterum ipsa charitas Deus hujusmodi animæ plerumque parcit, quam videt spiritualibus studiis delectari, maximeque si talem eam noverit, quæ adhuc pusillanimitate et imbecillitate ut mulier sit, et necdum in virum perfectum profecerit. Quod utique melius ipse discernit qui intuetur cor, quam homines qui in facie tantum vident, et secundum faciem judicant, cum videlicet minime attendunt, non esse ejusdem facilitatis devote quiescere, et fructuose occupari; humiliter subesse, et utiliter præesse; regi sine querela, et regere sine culpa; obedire sponte, et imperare discretè; bonum denique esse inter bonos, et bonum inter malos; imo etiam esse pacatum inter filios pacis, et his qui oderunt pacem exhiberi pacificum. Sciens ergo Jesus qui sint, quive non sint idonei implicari curis pro tali delicata anima, quam pro sui adhuc teneritudine tractandis negotiis minus sufficere sentit adversus aliud sentientes, et ob hoc ejus quietem, tanquam infructuosam, hono quidem zelo, sed non secundum scientiam insimulantes, ipso respondet effectu: *Quid molesti estis huic mulieri?* Nam etsi (quod fatendum est) melius est ad quod illam trahere tentatis, bonum tamen opus est quod operata est in me. Sinite eam interim operari bonum quod potest. Novi enim ego quod adhuc mulier sit. Cum autem mutatione dexteræ Excelsi de muliere factus fuerit vir (quod et me, quando tamen erit, latere non poterit, quia me provocante promovebitur, me quoque servante tenebitur), tunc melior erit iniquitas viri, quam nunc benefaciens mulier (*Eccli. xlii, 14*). Unde et illud melius spero. Nec reputo perditionem unguenti hujus effusionem, in quo et mulieris devotio designatur, et mea præfiguratur sepultura. Huc accedit, quod tam late suam fragrantiam circumaque diffundit: quare ubiconque prædicatum fuerit hoc Evangelium, dici etiam habeat quod et hæc fecit in ejus commemorationem (*Matth. xxvi, 8-13*).

4. Jam ad tertium unguentum accedamus. Sane induorum præmissorum alterutra collatione, priore sequens absque omni ambiguitate cognoscitur esse

A melius, longeque excellentius. Illud autem mirum videtur si tertium aliquid inveniri queat, quod ambobus jure debeat anteponi, juxta quod optimum unguentum sponsa sua redolere ubera gloriatur. Alioquin optima non sunt, si non vincunt et meliora: sicut et meliora veraciter non dicuntur, nisi quæ superant bona. Porro tantæ excellentiæ unguentum illud secundum, quo caput ungitur, inventum est, ut vix quælibet ei divitiæ, non dico præferri, sed nec saltem conferri posse videantur. Ego tamen non crediderim sponsam esse mentitam; quippe quæ habeat sponsum ipsam Veritatem, cujus et hic verba loquitur, qui utique sicut fallere non vult, ita nec falli potest. Alioquin frustra desiderat et suspirat veritatis amplexibus jungi, mentiens veritati. Quæ enim mendacio societas cum veritate? Quin potius veritas perdit omnes qui loquuntur mendacium (*Psal. v, 7*).

5. Fortassis in Evangelio si querimus, inveniemus præcessisse et hujus figuram. *Maria, inquit, Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum (Marc. xvi, 1)*. Videsne in prima fronte propositi capituli, quanti æstimandum sit etiam hoc materiale unguentum, cujus aromatibus comparandis non una vel duæ sufficere potuerunt? Una primum, una et secundum attulit unguentum. Ad hoc autem comparandum et præparandum tres pariter convenerunt, ut simul videlicet emerent quod per se singulæ non poterant, et sic venientes ungerunt Jesum. Non solum pedes, aut solum caput, sed, *ut venientes, inquit, ungerent Jesum*, id est totum corpus. Sed attende, quod tam pretiosi hujus unguenti Christus pati noluerit perditionem fieri: et ideo non invento corpore reportarunt illud, et jussæ sunt exhibere vivo, quod præparaverant mortuo. Quod et fecerunt, cum protinus nuntiato gaudio resurrectionis, discipulorum, qui procul dubio membra Christi, et membra viva erant, tristia corda delinire curarunt. Quæ utique membra nisi plus illo crucifixo corpore Christus diligeret, pro his illud crucifigendum non tradidisset. Liqueat itaque, quod duo illa tanto hoc ultimum præcellit unguenta, quanto Christus [*videtur legendum Christo Ed. P.*] hoc suum corpus, id est Ecclesiam, cui exhibetur, illo quod ex eo ungi voluit, quod et propter hujus redemptionem tradi voluit, constat esse amabilius

SERMO XCI (142).

De tribus emissionibus.

1. *Emissiones tuæ paradiso (Cant. iv, 13)*. Vox illius cœlestis Jerusalem, congaudentis huic quæ peregrinatur in terris. Sunt autem tres emissiones. Prima, conjugatorum pœnitentium in mundo: secunda, conversorum continentium in claustris: tertia, prælatorum prædicantium, et orantium pro Dei populo. De prima emissionem, id est pœnitentiam, dicunt angeli, quibus gaudium est super uno pecca-

tore pœnitentiam agente (*Luc. xv, 10*) : *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi*, etc.

1212 Ascendere autem dicitur hæc anima pœnitens per desertum, terram scilicet inviam et inaquosam, peccatorum suorum recordando. Ascendit sicut virgula, eadem peccata humiliter confitendo. Quæ confessio recte fieri sicut virgula fumi dicitur, quia per plures peccatorum species, tanquam fumus de thuribulo per plura foramina derivatur. Et notandum quod cum fumus nunquam habeat splendorem, nonnunquam tamen habere possit odorem. Quod hic fumus confessionis odorem quemdam pietatis habeat, innuitur ex his quæ subjunguntur : *Ex aromaticis myrrha et thuris, et universi pulveris pigmentarii* (*Cantic. iii, 6*). Confessionem debet semper comitari myrrha et thus, id est mortificatio carnis, et oratio cordis. Alterum enim sine altero, aut parum, aut nihil prodest. Nam si quis carnem mortificet, et orare dissimulet, superbus est et dicitur ei : *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* (*Psal. XLIX, 13*.) Item si oraverit, et carnem suam mortificare neglexerit, audiet : *Quid vocatis me, Domine, Domine, et non facitis quæ dico?* (*Luc. vi, 46*.) et illud : *Qui avertit aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis* (*Prov. xxviii, 9*). Utrumque ergo alteri suffragatur, dum constat quod alterum sine altero reprobatur.

2. Sequitur : *Et universi pulveris pigmentarii*. Post recordationem et confessionem peccatorum, post mortificationem et orationem exhibendus est fructus eleemosynarum. Quæ bene pulvis dicuntur, quia de terrena substantia fiunt : pigmentarii vero, quia suavissimum odorem emittunt. Hinc est quod Cornelio bene agenti dictum est : *Orationes tuæ et eleemosynæ tuæ ascenderunt* (*Act. x, 4*). Vel *universi pulveris pigmentarii* ideo dicitur, quia non solum magna, sed etiam minima quæque peccata conterenda sunt per confessionem, et diluenda per compunctionem. Hæc de prima emissionem dicta sufficiant.

3. Secunda est vita continentium in claustro vel eremo. In hac emissionem nulla fit deserti mentio, aut fumi seu pœnitentiæ ; sed lucis, splendoris, atque virtutis. Denique in hujus laude angelica voce cantatur : *Quæ est ista quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* (*Cantic. vi, 9*.) In quibus verbis triplex virtus ejus ostenditur, humilitas, castitas, charitas. Aurora quippe finis est noctis et initium lucis. Nox autem vitam peccatoris, lux significat vitam justii. Aurora ergo quæ fugat tenebras, lucem nuntiat, merito humilitatem designat ; quia sicut illa diem et noctem, ita ista dividit justum et peccatorem. Nam hinc, id est ab humilitate, justus quisque incipit, et inde proficit. Unde etiam ipsa *aurora consurgens* dicitur, ut videlicet virtutum structura surgens ab humilitate, tanquam proprio fundamento erigatur. Igitur ad ostendam ejus humilitatem dictum est : *Sicut aurora consurgens*. Illud vero quod sequitur, *Pulchra ut luna*, castitatem demonstrat. Porro luna

dicitur splendorem suum non a se habere, sed a sole trahere : quantoque magis solis conspectui cernenda opponitur, tanto majore sui parte ab ejusdem solis lumine illustratur. Similiter congregatio, seu quæque fidelis anima, si veri Solis obtutibus offeratur intuentia, sine dubio ex visione illius admittit protinus in se decus quoddam pulchritudinis, et venustatem castitatis. Unde fit ut ex ejus lumine crescens et proficiens, etiam ad perfectionem provehat, ut recte dicatur de illa quod sequitur :

4. *Electa ut sol*. Quare ut sol? An ideo quia fulgebunt justii sicut sol in regno Patris eorum? (*Matth. xiii, 43*.) Sed ibi unde sicut sol fulgebunt, nisi de splendore vestis nuptialis? (*Matth. xxii, 11*.) Ipsa est enim, qua utique in terris postii vestiendi erant illi, quibus dictum est : *Vos autem sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto* (*Luc. xxiv, 49*). Hac virtute charitatis, quam vestis illa nuptialis significat, quisquis indutus fuerit, eamque in se recte ordinaverit, erit procul dubio terribilis hostibus suis ut castrorum acies ordinata. Nam de cæteris quidem virtutibus quantascunque sine charitate habuerit, non curant dæmones. Cum vero charitatem et ipsam ordinatam in acie **1213** viderint, illico præcipientes aguntur in fugam. Potest in eo quod dicitur *electa ut sol*, perseverantiam intelligi, quæ tantum electorum est. In eo autem quod sequitur, *terribilis ut castrorum acies ordinata*, discretio mater virtutum, per quam terrentur et fugantur dæmones, acquiruntur et conservantur virtutes. Possunt et alia multa in hac secunda emissionem congrue et intelligi et dici : sed hæc pauca de multis dixisse sufficiat.

5. Tertia emissio convenit sanctis prædicatoribus, de quorum vita et doctrina etiam vox illa sub admiratione fertur : *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* (*Cantic. viii, 5*.) In prima emissionem dictum fuerat, *Quæ est ista quæ ascendit per desertum* ; in hac autem, *Quæ ascendit de deserto* : quia nimirum ibi pœnitentes compungunt spinæ, per quas incedunt ; hic vero doctores quidquid de sæculo subripere poterunt, sublimi mente calcaverunt. Ideo dictum est, *de deserto deliciis affluens*. Sed quærendum est, quæ sint illæ deliciæ, quibus affluere dicuntur ; et quis ille dilectus, aut cur super eum inniti dicatur. Neque enim parvæ æstimandæ sunt, quæ a supernis civibus deliciæ nominantur. Siquidem hujusmodi deliciæ mentis sunt, non ventris ; animi, non corporis ; spiritus, non carnis ; rationis, non sensualitatis, interioris, non exterioris hominis. Quas ut breviter aliquo modo describam, ipsæ sunt abundans infusio gratiæ spiritualis. Beata illa anima, cui talis gratia infunditur, quæ in benedictionibus supernæ dulcedinis prævenitur, ut templum Dei et oraculum Spiritus sancti efficiatur. Tali quippe animæ deesse non possunt divitiæ salutis, sapientia et scientia, et ejusdem salutis optimus thesaurus, timor Domini. Quibus deliciis cum abundaverit et repleta fuerit, exaltet jam in ecclesiis Dominum, et in cathedra senio-

rum laudet eum. Quod in aure audivit in cubiculis, A prædicet jam super tecta, et sic affluet deliciis. Affluere enim dictum est, verbo doctrinæ insistere, exemplo vitæ lucrere, opus spirituale instanter exercere.

6. Sed necesse est ut in his omnibus non suam, sed auctoris sui quærat gloriam. Ipse est enim dilectus ejus, de quo scriptum est: *Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi (Cantic. II, 16)*; et de quo Pater: *Hic est filius meus dilectus; ipsum audite (Luc. IX, 35)*. Super quem innitendum est, ut videlicet illius gratiæ auxilio ascribatur opus ejus, a quo omnia, per quem omnia, et ad quem omnia referuntur. Cur autem super eum inniti debeat, ipse dilectus qui docet hominem scientiam, plenius nos doceat. Ait ille discipulis quos hujusmodi deliciis implebat: *Ego sum vitis, vos palmites. Sicut palmes non potest facere fructum, nisi manserit in vite; sic et vos nisi in me manseritis: et iterum, Sine me, inquit, nihil potestis facere (Joan. XV, 4, 5)*. Ac si aperte diceret: Si deliciis vultis affluere, innitimini super me. Sed jam videamus, quomodo illi affluant et innitiantur. Veniat in medium unus pro omnibus illo prædicator egregius. Eia, beatissime Paule, affluo deliciis tuis. Certe cum Evangelium ab Jerusalem per circuitum ad Illyricum prædicasses; cum sine sumptu ipsum Evangelium posuisses; cum celestes thesauros fideique sacramentum Græcis ac Barbaris, sapientibus et insipientibus, ut prudens ac fidelis dispensator, erogasses; cum mortificationem Jesu in tuo mortali corpore circumtulisses; et inter multas admirandas virtutes tuas, quas tu potuisti facere, nos vix possumus enarrare, etiam illud cum omni auctoritate, sine omni arrogantia, cum esses Apostolorum tuo judicio minimus, tamen ausus es dicere: *Gratia Dei in me vacua non fuit, sed abundantius illis laboravi*. Magnæ, et, ut ita dicam, deliciosæ deliciæ! Sed ne illas amittas, innitere super dilectum tuum. *Non autem ego, inquit, sed gratia Dei mecum (I Cor. XV, 10)*. Rursum affluo; quoniam, ut verum fatear, delectant valde tales deliciæ. *Omnia possum, ait. Iterum innitere. In eo, inquit, qui me confortat (Philipp. IV, 13)*. Item dicit Apostolus, *Qui gloriatur, in Domino gloriatur (II Cor. X, 17)*: hoc est, qui deliciis affluit, super dilectum suum innitatur.

7. Hæc de tribus emissionibus in significatione trium **1214** generum hominum, quos in hac vita continet sancta Ecclesia, quas etiam apud Ezechielem designant Noe, Daniel, et Job (*Ezech. XIV, 14*), adjuvante Domino diximus; quamvis in singulis quibusque perfectis possint non inconvenienter assignari. Et in his quoque prima emissio est pœnitentia; secunda, justitia; tertia, doctrina. Primo enim pœnitendo convertuntur; secundo bene vivendo justitiam exercent; tertio, si bene profecerint, ipsam justitiam, quam vita tenent, verbo do-

cent. Sed quoniam virtutibus insidiantur vitia, et ita juxta sunt posita, ut qui ab illis deviaverit, istorum laqueos incurrat, oportet ut sit pœnitentia sine pudore, ne scilicet erubescat confiteri commissa peccata; caveat justitia simulationem, eliminet prælationem. Ubi enim magnitudo gratiarum est, ibi etiam magnitudo discriminis est.

SERMO XCI (143).

De triplici introductione, in hortum, in cellarium et in cubiculum.

1. *Veni in hortum meum, soror mea sponsa (Cantic. V, 1)*. Alibi dicitur, *Introduxit me rex in cellarium suum (Cantic. I, 3)*; alibi dicitur, *in cubiculum suum (Cantic. III, 4)*. Hæc triplex introductio fit animæ rationali a Sponso suo, Verbo scilicet Dei, secundum triplicem sensum Scripturarum, historicum, moralem, mysticum. In horto est historicus, in cellario moralis, in cubiculo mysticus. In horto, id est in historia, continetur triplex Trinitatis operatio: creatio cœli et terræ, renovatio cœli et terræ, confirmatio cœli et terræ. Pater creavit, Filius reconciliavit, Spiritus sanctus confirmavit. Et aliud tempus est creationis, aliud reconciliationis, aliud confirmationis: sicut et in horto aliud est tempus plantationis, aliud fructus colligendi, aliud vescendi. Creatio et reconciliatio sunt præsentis; confirmatio, futuri sæculi. In principio temporis creavit Pater, in plenitudine temporis reconciliavit Filius, post omne præsens tempus confirmabit Spiritus sanctus. De Patre dixit Filius: *Pater meus usque modo operatur; et de se subjunxit: Et ego operor (Joan. V, 17)*. Similiter et Spiritus sanctus in consummatione sæculi vere poterit dicere: Pater et Filius usque modo operantur; et ex hoc jam operor ego: cum scilicet jam fecerit corpora nostra spiritualia, corpusque adhæserit spiritui, et spiritus Deo; hoc ipsum corpus eodem Spiritu sancto sic confirmante, ut jam deinceps absque ullo temporis intervenientis momento fiat quod scriptum est, *Qui adhæret Deo, unus spiritus est (I Cor. VI, 17)*. De creatione instruit nos vetus Testamentum, et promittit reconciliationem. Reconciliationem exhibet novum Testamentum, et spoudet confirmationem.

2. Secunda introductio est in cellarium. Hoc cellarium continet moralem scientiam, et habet tres distinctas mansiones. Prima dicitur aromatica: secunda fructuaria: tertia, cella vinaria. In prima sunt qui bene se habent cum prælatis; in secunda, qui cum æqualibus; in tertia, qui cum subditis. Est ergo prima cella disciplinæ; secunda, naturæ; tertia, gratiæ. Qui enim perfectæ conversationis nititur cumulum attingere, fit primum discipulus, et ingreditur cellam disciplinæ, in qua mores ejus a magistro variis virtutibus, velut a pigmentariis aromata diversis speciebus componuntur. Unde et ista cella dicitur aromatica, quia tales quique dum ultro amplectuntur disciplinæ laborem, optimum aliis exemplo suo effundunt imita-

(143) Constat ex serm. 62 et 63 ex Parvis.

monis odorem. Inde consequenter ingreditur in secundam cellam naturæ : quoniam illi quidem cæteris condiscipulis concordare facile possunt, qui sub magistro propriam voluntatem frangere didicerunt. Et hæc cella, ubi cum cæteris communiter vivitur, eougrue cella naturæ dicitur; quia omnes homines æquales quidem natura genuit, sed alios aliis meritorum causa vel præposuit, vel supposuit. Dicitur etiam fructuaria, quia magnæ utilitatis est, si quisque gratiam quam accepit, in alterutrum administrat, unde scriptum est : *Frater fratrem adjuvans, exaltabitur sicut civitas munita* (Prov. xvii, 19). Et item dicit propheta : **1215** *Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum* (Psal. cxxxii, 1). At vero cum consummati plene fuerint in hæc secunda cella naturæ, tunc tandem ingredi possunt tertiam, quæ est gratiæ : ut etiam cæteris instituendis præsent, qui cum cæteris iuste et sine querela vixerint. Et hæc quoque cella dicitur vinaria; ut scilicet ferveant charitate, qui cæteris præsent in regimine. Dicitur etiam cella gratiæ, quod nomen scilicet aliis quoque duabus possit esse commune. Nam et disciplina, et socialis vita donum gratiæ est. Ista tamen sibi illud vindicat specialiter : quoniam quidem multum facile est subijci vel sociari; rarum vero et difficile ad aliorum regimen utiliter quemvis posse transferri.

3. His tribus cellis continentur et formantur omnium hominum mores. Omnes enim homines vel sunt prælati, vel æquales, vel subditi. Quemadmodum autem eliguntur de hortis quæque potiora, et in cellariis reponuntur, ubi etiam distincta habent loca, in quibus serventur : ita de historia sumitur, et quasi reconditur in cellario moralis sensus, unde omnis humana vita instruitur. Legunt etenim ibi prælati, quales se exhibere subditis debeant, cum eis dicitur : *Non dominantes in clero, sed facti gregis* (1 Petr. v, 5); et illud : *Non quia dominamur fidei vestræ, sed adiutores sumus gaudii vestri* (11 Cor. i, 23); et Dominus in Evangelio : *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis* (Joan. x, 11). Inveniunt etiam in eadem Scriptura æquales qualiter se habere debeant invicem, cum legunt : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* (Galat. vi, 2); et illud : *Honore invicem prævenientes* (Rom. xii, 10); et multa in hunc modum. Habent ibi et subditi quod eorum mores componat, quomodo scilicet subdi eos majoribus oportet, quibus dicitur : *Obedite præpositis vestris, et subjaceis eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris* (Hebr. xiii, 17) (144).

SERMO XCIII (145).

De dentium proprietatibus, ad monasticæ vitæ professionem relatis.

1. *Dentes tui sicut grex tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fetibus, et sterilis non est in eis* (Cantic. iv, 2). Spiritus sanctus, de

(144) De introductione in cubiculum vide serm. 23 in Cantic. n. 11:

(cujus secretiori fonte Canticorum flumen emanat, in his (ut sentio) dentibus mysteria nobis non parva commendat. Non sunt hi dentes de quibus dicitur, *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum* (Psal. lvn, 7); vel de quibus ad virum sanctum vox divina proclamatur, *Per gyrum dentium ejus formido* (Job. xli, 5); sed dentes isti lacte candidiores; quippe sponzæ sunt, cujus speciem concupivit Altissimus, quæ non habet maculam neque rugam. Cum enim tota candida sit, candidior probatur in dentibus. Nova tamen et inaudita comparatione in illius laudes peroratur, dicens : *Dentes tui sicut grex tonsarum*. Quid in hac, rogo, similitudine dignum est, ut eam de celestibus areanis descendisse credamus? Magnum prorsus, et magno animo magnifice sentiendum.

B Spiritus enim est qui loquitur : qui cum loquitur, nec unum potest tota vacuum præterire. Aliquid profecto est in his dentibus involutum, quod evolutum sacratoris intelligentiæ præsignet arcanum.

2. Dentes enim candidi sunt et fortes : carnem non habent : carent corio : nihil intra se pati possunt : non est dolor sicut dolor eorum : clausi sunt labiis ne videantur : indecens est cum videntur nisi ridendo : toti corpori masticeant cibum : nullum inde saporem habent : non facile consumuntur : per ordinem positi sunt, superiores alii, et alii inferiores : et cum inferiores moveantur, superiores nunquam. Hujusmodi dentes ergo arbitror homines monasticæ professionis, qui viam compendiosorem [alias, rectiorem], et securiorem vitam eligentes, de toto Ecclesiæ corpore quod candidum est, candidiores esse videntur. Quid enim illis candidius, qui totius immunditiæ spurcitiis evitantes, cogitationum, sicut actionum, peccata deplorant? Quid fortius illis, quibus tribulatio pro solatio, contumelia pro gloria, inopia pro abundantia ducitur? Isti carnem non habent, quia in carne carnem oblii audiunt ab Apostolo : *Vos autem in carne non estis, sed in spiritu* (Rom. viii, 9). **1216** Corio carent; quia nitorem et distensionem mundanarum sollicitudinum non habentes, in pace in idipsum dormiunt et requiescunt. Nihil morari intra se patiuntur; quia nec modicum quidem offendiculum tolerabile reputant aut intra se, aut in conscientiis singulorum. Hinc est illa vestra opportuna importunitas, qua tam sæpe fatigatis nos, ut multoties, etiam cum necesse non sit, multum in his diei expendatis. Non est dolor sicut dolor eorum; quia nihil tam horrendum et horribile est sicut murmur et dissensio in congregatione. Clausi sunt labiis, ne videantur : sic et nos materialibus vallis circumcingimur, ne sæcularium oculis et accessui pateamus. Indecens est si appareant, nisi interdum forte ad risum; quia nihil turpius quam monachus per urbes et castella discurrens, nisi cum illa cogit quæ operit multitudinem peccatorum charitas. Charitas enim risus est, quia hilaris est. Læta quidem, non tamen dissoluta. Toti corpori

C
D

(145) Alias, 61 ex Parvis.

masticant cibum dentes; quia ipsi pro toto Ecclesie corpore, videlicet tam vivis quam mortuis, orare sunt constituti. Nullum inde saporem habere debent; quia nullam sibi gloriam debent assignare, sed dicere cum propheta: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (Psal. ciii, 1). Non facile consumuntur; quia quanto annosiores, tanto ferventiores; et eo rapidius currunt, quo viciniis appropinquant ad palmam. Per ordinem positi sunt. Ubi enim aliquid ordinatum est, si hic non est, ubi cibus et potus, vigilare et dormire, laborare et quiescere, ambulare et sedere, et cætera omnia, in numero et mensura et pondere constituuntur? Superiores et inferiores sunt; quia inter nos Prælati et subditi sunt, et sic superiores inferioribus junguntur, ut inferiores a superioribus non discordent. Cum autem inferiores moveantur, superiores nunquam moveri debent; quia etiam subditi quandoque turbentur, prælatorum est in mente composita perdurare. *Sicut grex tonsarum*, inquit. Quam bene monachi tonsi ovibus comparantur! quia revera tonsi sunt, quibus nec corda, nec corpora, nec aliquid mundanum in proprietate relictum est. *Quæ ascenderunt de lavacro*. Lavacrum Baptismus est, de quo ascendit qui ad celsitudinem vitæ perfectioris intendit: descendit autem qui se vitæ mancipat inhonestæ. *Omnes gemellis feibus*; quia et verbo pariunt, et exemplo. *Et sterilis non est eis*; quia nullus est infecundus.

SERMO XCIV (146).

De processu vitæ christianæ seu spiritalis, juxta tropologiam Eliæ, Jezabel fugientis.

1. *Timuit Elias Jezabel, et surgens abiit quocunque tulit eum voluntas; venitque in Bersabee Juda, et dimisit ibi puerum suum, et perrexit in desertum. Cumque venisset subter umbram juniperi, et sederet, projecit se, et dormivit. Et angelus Domini tetigit eum, et dixit illi: Surge, et comeda. Et respexit, et ecce ad caput suum subcinericius panis, et vas aquæ. Comedit ergo, et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Oreb* (III Reg. xix, 3-8). Per Eliam quippe, qui interpretatur Dominus, vel Dominus fortis, intelligitur quilibet justus qui persecutionem patitur propter justitiam. Unde illud: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (Matth. v, 10). Qui metuens Jezabel, id est malitiam sæculi, vel tyrannidem diaboli, surgit de tentatione peccaminum, et abit quocunque eum tulerit voluntas a Domino sibi collata. Venitque in Bersabee Juda, in sanctam Ecclesiam, quæ dicitur Bersabee, id est *Puteus septimus*, propter abundantem septiformis Spiritus gratiam, quæ inibi fidelibus dividitur: vel *Puteus satietatis*, propter mysteriorum Dei profunditatem, et sanctarum Scripturarum perfectionem. De hac profunditate habemus in psalmo, *Tenebrasa aqua in nubibus aeris* (Psal. xvii, 12): et *rarsus, Judicia tua abyssus multa* (Psal. xxxv, 7).

A Ad ejusdem considerationem Apostolus expavescens, et pavescendo deficiens, clamare compellitur: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!* etc. (Rom. xi, 33.)

1217 2. De hac satietate legis in psalmo: *Super aquam refectiois educavit me* (Psal. xxii, 2); et item: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ* (Psal. xxxv, 9). Hujusmodi ebrietas non inducit fastidium, sed indeficientem quibusdam desiderii provocat appetitum. In hoc sacra lectionis pelago agnus ambulat, et elephas natat. In catholice doctrinæ mensa juxta modulum intelligentiæ sufficientes singulis epulæ apponuntur. Hæc est paradisi deliciarum, hic est hortus omnium pomorum. Veniens itaque in Bersabee, in sanctam Ecclesiam, ut dictum est, currit ad confessionem, quæ per Judam notatur: et dimittit ibi puerum suum, id est puerilem sensum, vel pristinorum actuum debilitatem, et pergit in desertum, id est istius mundi contemptum. Quo postquam venit, sedet, id est a sæculari tumultu quiescit, cantans cum propheta: *Hæc requies mea in sæculum sæculi* (Psal. cxxxii, 14). Projicit se, id est vilem se reputat, suis abrenuntians desiderii, juxta illud evangelicum: *Qui vult venire ad me, abneget semetipsum* (Luc. ix, 23). Obdormivit in umbra juniperi, quia in atriis domus Dei secundum sensus corporis vacat omnino ab omnibus pravitatibus, dicens cum Psalmista: *In pace in idipsum dormiam et requiescam* (Psal. iv, 9). Tunc angelica visio tangit eum, excitans ad bonum operandum, et ad altiora consurgendum. Respicit ad caput suum, id est ad Christum qui caput est Ecclesie: et ecce subcinericius panis, id est pastus divini dogmatis, forinsecus quidem rudis, sed medullitus ineffabiliter confortativus et dulcis; et vas aquæ, hoc est, fons lacrymarum cum cordis compunctione. Comedit et bibit, id est adimplet quæ audit: et pergit in fortitudine ad montem Dei, ad celsitudinem videlicet beatitudinis.

SERMO XCV (147).

De doctrinæ amaritudine per prædicatores temperanda.

1. *Erat fames in terra, et filii prophetarum habitabant coram Elisæo: quibus fecit apponi pulmentum. Cumque gustassent de coctione, exclamaverunt: Mors in olla, vir Dei, et non potuerunt comedere. At ille: Afferte, inquit, farinam. Et misit in ollam, et ait: Infunde turbæ. Et comedit; et non fuit quidquam amplius amaritudinis in olla* (IV Reg. iv, 38-41). Fames in terra, penuria verbi Dei in mente humana: filii prophetarum, filii prædicatorum. Propheta interpretatur videns. Et sancti prædicatores non ab re prophetæ appellantur: qui et arcana mysteriorum Dei contemplantur, et prout vident mores hominum, adhibent modos eurationum. Elisæus *Salus Domini* interpretatur: quoniam nomine quivis prælatus et doctor Ecclesie decenter

rensetur, cujus salubri persuasione Domini salus A populis annuntiatur, et annuntiando imperiitur. Hic talis ex debito sui officii apponit subjectis ollam grandem, herbas agrestes continentem, id est, admonitionem de gravibus disserentem, acerbitate refertam, sed tamen igne sancti Spiritus succensam. Subditi ergo perhorrescentes sermonum austeritatem, clamant: *Mors in olla*; et non possunt gustare.

2. Sapiens igitur dispensator non affert, imo afferrī jubet farinam; quoniam non præbet, sed hortatur habere charitatem, cujus condimento redduntur dulcia quæ prius videbantur amara. Potest namque prædicator monita salutis auribus circumstantium insonare, sed nemo, nisi solus Deus, valet saporem charitatis palato cordis infundere. Unde Gregorius: « Nisi sit intus Spiritus qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum laborat (*Homil. 30 in Evang.*). » Alius est sapor cœli, alius est sapor terræ. Haudquaquam nobis placere potest sapor cœli, dum saporem quærimus coci nostri. In deserto dantur coturnices et manna, id est in loco disciplinæ majora et minora mandata. *Cum viderent filii Israel manna, dixerunt ad invicem: Manhu? quid est hoc? Ignorabant enim quid esset. Quibus ait Moyses: Iste est panis quem dedit Dominus vobis ad vescendum (Exod. xvi, 45).* Hujus facti mysterium in Evangelio Joannis convenienter aperitur, ubi Dominus ait: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, etc. Multi ergo ex discipulis audientes dixerunt: 1218 Durus est hic sermo; quis potest eum audire? Ex hoc multi abierunt retro (Joan. vi, 54, 61, 67).* Ad hunc itaque modum, cum aliqui simplices ad conversionem veniunt, severitatem Regulæ expavescunt. Si fiat eis sermo de mundi contemptu, de virtutum vitiorumque conflictu; si anxietas vigilandi, assiduitas orandi, parcimonia jejuniandi ab ipsis requiritur, dicunt conquerendo inter se: Quid est hoc? quis tot et tanta implere sufficiat? Nesciunt enim quanta sit virtus assumpti ordinis. Sed pastor eis consolatorie habet respondere, et de afferenda eos sollicitare farina.

SERMO XCVI (148).

De quatuor fontibus Salvatoris, et aquis inde hauriendis.

1. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris (Isa. xii, 3).* Pro paradiso quem perdidimus, restitutus est nobis Christus Salvator. Sicut ergo de uno fonte paradisi derivantur quatuor flumina ad irrigandum paradisum: ita de pectoris ejus arcano procedunt quatuor fontes, ex quibus hauriuntur quatuor aquarum genera, unde tota per universum mundum rigatur Ecclesia. Sunt autem quatuor fontes, veritas, sapientia, virtus et charitas. Ex his ergo fontibus hauriuntur aquæ, ex singulis scilicet singulæ. Nam de fonte veritatis, sumuntur aquæ

judiciorum; de fonte sapientiæ, aquæ consiliorum; de fonte virtutis, aquæ præsidiorum; de fonte charitatis, aquæ desideriorum. In aquis judiciorum cognoscimus quid liceat, vel quid non liceat. In aquis consiliorum discernimus quid expediat, vel quid non expediat. Sed quia electis viris recte per hæc gradientibus non desunt tentationes, tentantur autem de duobus: aut terroribus, ut concutiantur; aut blandimentis, ut seducantur; idcirco armaudi sunt contra terrores præsidii divini virtutis; contra blandimenta desiderii supernæ charitatis. Desideriis enim meliorum superantur, ut ait quidam sanctus, desideria deteriorum. Vel sic possumus procedere. Quid prodest nosse quid liceat et expediat (quod utique docent judicia atque consilia), si posse perfici minime contingat? Ideo post aquas judiciorum et consiliorum, quærendæ sunt aquæ præsidiorum. Rursum et posse quid valeat, si horum omnium non sit finis charitas? Recte itaque post judicia, post consilia, post præsidia, hauriuntur de fonte charitatis desideria, ut videlicet quidquid sapimus aut loquimur, quidquid operamur aut patimur, æternæ vitæ finis claudat.

2. Sed ut hæc quæ dicta sunt de fontibus et aquis clarius oluceant, Scripturarum testimoniis reor esse comprobanda, aurique similitudines, quas protulimus, vermiculandas argento. Ac primum quod dictum est, quatuor illos fontes de pectore Jesu manare, nullum arbitror ambigere. Quomodo autem ex eisdem fontibus hauriantur prædictæ aquæ, id elaborandum est. Veniat ergo David, et dicat quod ex fonte veritatis procedant judicia. Hoc certe videtur sensisse cum diceret: *De vultu tuo iudicium meum prodeat (Psal. xvi, 2).* Neque enim vir sanctus iudicium suum diceret, quod de vultu Dei, id est de veritate, non prodiret. Noverat enim electos Dei veritatis iudiciis, tanquam virga ferrea regi, et quia sub eorum regimine se esse sentiebat, exultans psallebat: *Judicia Dei vera, justificata in semetipsa; desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum (Psal. xvii, 10, 11).* A quibus ne forte per incuriam deviant, audiant vocem Patris per eundem prophetam comminantis: *Si in iudiciis, inquit, meis non ambulaverint, et mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum (Psal. lxxviii, 31-33).* Hæc mysteria divini iudicii reserabat cœlestis regni clavicularius, cum diceret: *Tempus est ut incipiat iudicium de domo Dei. Si autem primum a nobis, quis finis eorum qui non crediderunt Dei Evangelio? (I Petr. iv, 17.)* Et hoc de electis dictum est. Cæterum est aliud de reprobis iudicium, quod nihilominus ab ipsa Veritate procedit. Unde et per Paulum dicitur: *Scimus enim quoniam iudicium est secundum veritatem in 1219 eos qui talia agunt (Rom. ii, 2).* Et

(148) Alias, 67 ex Parvis.

utrumque quidem iudicium complectitur ipsa Veritas, dicens: *In iudicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant* (Joan. ix, 39). Utrumque autem discernit, cum item dicit: *Et ibunt hi in supplicium æternum; justi autem, in vitam æternam* (Matth. xxv, 46).

3. Si vidimus quomodo de fonte veritatis hauriuntur iudicia, videamus quomodo de fonte sapientiæ propinentur consilia. Quis dubitet apostolum Paulum esse sapientem, cum et Petrus ejus coapostolus sapientiam ei datam esse astruat (II Petr. iii, 15), et ejusdem apostoli tota verborum series nil aliud quam sapientiam dedoleat? Proferat igitur consilia, et per ipsa nos doceat, quid peregrinantibus et ad cœlestem patriam festinantibus expediat. De virginibus, inquit, præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse, hoc est in virginitate manere. Si de virginibus præceptum haberet, nil aliud, quam quod præciperetur, liceret. Nunc vero cum utrumque liceat, vel nubere, vel non nubere, quid compendiosius dici potuit, quam *bonum est homini sic esse?* præsertim cum et necessitatis instantia frequenter obrepere soleat, et eito mori ipsa temporis brevisitas urgeat, totiusque mundi figura prætereat. Item cum de vidua loqueretur: *Beatior, inquit, erit si sic*, id est innupta, permanserit secundum consilium meum. Ac ne de proprio corde, et non potius de fonte Sapientiæ videretur hoc ipsum consilium deprompsisse, subjecit dicens: *Puto quod et ego spiritum Dei habeam* (I Cor. vii, 25, 26, 40). Sed cur ego paucis immoror exemplis, cum in ejus verbis omnis sexus, omnis conditio consilium inveniat, si diligenter quærat, salutis? Quod si quis curiosius velit perspicere, utrum verum sit quod dictum est, de sapientia consilia manere, legat libros qui inscribuntur Sapientiæ, ubi totus orationis contextus consilia parare videtur. Si vero consultius et utilius studet vitam inde eligere, audiet ipsam salubriter invitantem Sapientiam: *Si vis, inquit, ad vitam venire, serva mandata* (Matth. xix, 17). Quæris cujus? *Deum, inquit, time, et mandata ejus observa* (Eccli. xii, 13). Audiat eam ipsam materno affectu inclamantem: *Da mihi cor tuum* (Prov. xxiii, 26). U quantum vellem, et ego cor meum in ejus verbum suspendere, de cujus ore mirifico tam dulcia vitæ consilia audio personare! Utinam autem et linguæ meæ calamum in ejus fonte possem intingere, quo idoneus essem ea quoque quæ restant de duobus fontibus, id est virtutis et charitatis, utiliter exarare!

4. Et quoniam quatuor isti fontes ita sibi invicem saporem transfundunt, ut qui de uno hiberit, quædam ineffabili dilectionis dulcedine invitetur ad alium, libet jam de sapientia ad virtutem transire, et qualiter illinc hauriantur aquæ præsidiorum,

quantum ab ipsa virtute adjuvor, ostendere. Sicut autem superius dixi gemina esse veritatis iudicia, quia scilicet determinant quid liceat, vel quid non liceat; itidem sapientiæ duo, hoc est quid expediat, vel quid non expediat: ita et hic agnoscamus de fonte virtutis hauriendas duplices præsidiorum aquas, quæ vel abluant electos a culpis, vel refrigerent in tormentis. De utrisque sumamus exemplum. Refert Lucas evangelista, quod quædam mulier, quæ fluxur sanguinis patiebatur, erogata in medicos tota substantia cum minime curari potuisset, accesserit retro, et tetigerit simbriam vestimenti Domini, et confestim steterit fluxus sanguinis: Jesum vero dixisse: *Quis me tetigit?* Cumque discipuli responderent: *Turbæ te compriment et affligunt, et dicitis: Quis me tetigit?* rursus repeliisse: *Tetigit me aliquis; nam et ego novi virtutem de me exisse* (Luc. viii, 43-46). Ecce quas aquas præsidii hauserit mulier de fonte virtutis, quibus abluta est a profluvio sanguinis, quæ nulla medicorum arte poterat sanari. Quod si quis abjiciat, prolatum testimonium nihil ad rem præsentis operis pertinere, eo quod illa mulier nequaquam abluta esse videatur a culpis, sed tantum ab agri tudine carnis, noverit moris esse divinæ virtutis prius cordi mederi, quam corpori. Unde et 1220 alibi, cum quidam ei paralyticus offerretur curandus, tanquam bonus et pius medicus, volens sanare prius quod erat potius, id est mentem, quam carnem, ait eidem paralytico: *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua*. Itaque sanata conscientia, consequenter sanatur corpus, cum dicitur: *Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam* (Matth. ix, 2, 6). Sic ergo et hujus cor mulieris prius abluit intus per donum fidei, sicut scriptum est. *Fide mundans corda illorum* (Act. xv, 9), per quam meruit exterius impetrare salutem corporis. Hoc enim innuit ipse Dominus, cum dicit: *Filia, fides tua te salvans fecit, vade in pace* (Luc. viii, 48). Quod autem de hoc ipso fonte virtutis hauriantur aquæ præsidii in tormentis, ostendunt et illi tres pueri in fornacis incendio æstantis positi, quibus ipsa flamma refringit (Dan. iii); et præcipue inclutus ille martyr Vincentius qui, cum graviter torqueretur, non solum tolerasse, sed etiam tortorem suum constanter provocasse fertur his verbis: « Insurge, » inquit, « et toto malignitatis spiritu debacchare; videbis me Dei virtute plus posse dum torqueor, quam possis ipse qui torques. » Posseut plura de hoc fonte virtutis copiosius dici, sed cum succincte prætereo, quia de fonte virtutis [alias, charitatis] bibere potius, quam scribere desidero.

5. Ad hunc fontem invitamur Redemptoris nostri voce dicentis: *Si quis sitit, veniat, et bibat, et de ventre ejus fluent aquæ vivæ*. Et secutus Evangelista exposuit ad quem fontem nos invitaret, dicens: *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum* (Joan. vii, 37-39). Quem, nisi Spiritum charitatis, quem mundus non potest

accipere, sed soli accipiunt qui vere credunt in eum? Ex hoc ergo fonte hauriamus nobis aquas desideriorum, ipsasque partiamur in geminos rivulos, ut sicut ejusdem charitatis duo sunt præcepta, ita sint et desideria gemina, quibus impleantur ipsa præcepta. Aliud est enim desiderium quo Deus propter seipsum, aliud quo proximus diligitur in Deo, vel propter Deum. In illo nullus modus, sed ex toto corde, tota anima, tota virtute diligitur Deus; in hoc autem præscribitur quidam modus, cum dicitur, *Diliges proximum tuum sicut teipsum* (Matth. xxii, 37, 39). Illo flagrabat propheta, cum diceret, *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus* (Psal. xli, 2); et item, *Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini* (Psal. lxxxiii, 3). Hoc exhibebat Apostolus Romanis, quibus scribebat, *Desidero enim videre vos, ut aliquid gratiæ spiritualis impertiar vobis* (Rom. i, 11); et Dominus in Evangelio discipulis suis: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar* (Luc. xxii, 15).

6. Et notandum, quod ad illud excitatur mens humana specialiter tribus affectionibus, ac provehitur: unde et Deum diligere toto corde, tota anima, tota virtute jubetur. Prima quidem dulcis, secunda prudens, tertia fortis est. Primam habuit Petrus, cum Domino mori dissuaderet; ex corde enim dulciter diligebat, cujus passionem expavescebat. Sed cum audiret, *Vade retro, Satana, non sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominis* (Marc. viii, 33): his verbis eruditus, et intelligens quid boni haberet mors Christi, cœpit tota anima prudenter diligere, quem prius tantum diligebat dulciter toto corde, necdum vero diligebat tota virtute. Quod si faceret, nec propter mortis discrimen eum negaret. At vero post resurrectionem et ascensionem, dato desuper Spiritu, tunc demum tota virtute dilexit, pro quo etiam horrendum crucis supplicium postmodum subire non expavit. Erga charitatem quoque proximi exercemur tripliciter, vel ut ædificetur ipsa charitas ubi non est, vel certe ne pereat, vel minuatur ubi est. Quisquis autem hanc puro affectu erga proximum operatur, illam procul dubio, quæ Deus est, ulterius promeretur.

SERMO XCVII.

De suavitate verbi ac jugi Christi, foris quidem duri, sed inius dulcissimi.

1. *Mel et lac sub lingua ejus* (Cantic. iv, 11). Id quidem necesse. Nam quod in lingua est, durum sonat. *Verba sapientis quasi stimuli, et sicut clavi in altum defixi* (Eccle. xii, 11). Alius est **1221** cujus *molliti sunt sermones super oleum* (Psal. cxi, 5): sed oleum peccatoris non impinguet caput meum. Corripiat me magis justus et increpet, nam hoc in misericordia est, quam illud oleum impinguet caput meum, in quo est dolus. Pulchre enim non molles, sed *molliti* dicuntur sermones vel suasoris adulatoris, vel suasoris iniqui, quod sit in eis non tam vera et solida, quam superducta et simulata suavitas, siqui-

dem *ipsi sunt jacula* (Psal. ltv, 22). Denique sub lingua ejus quid? Audi Prophetam: *Labor et dolor* (Psal. ix, 7). Porro sub lingua ejus mel et lac, qui juxta eundem prophetam labore fingit in præcepto (Psal. xciii, 20). Miraris fingere Veritatem: nam mirari licet, dubitare non licet. Si et alterum testem quaeris, lege in Evangelio, quia *fixit se longius ire* (Luc. xxiv, 28). Quidni figmentum figmento exhibeat? Siquidem ipse novit figmentum nostrum, utique laboris impatiens, dilationem non sustinens, fragile ad utrumque; pie ergo providit, ut haberet pietas promissionem vitæ ejus quæ nunc est, et futuræ (I Tim. iv, 8); nec laborem verum imponeret, sed magis fingeret in præcepto. Audi quomodo laborem fingere ipse se prodat. *Tollite jugum meum super vos, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (Matth. xi, 29, 30). Quomodo non fictus labor, ubi non labor, sed requies invenitur?

2. Ita ergo labor in lingua, mel sub lingua. Quid supra linguam? Ineffabilia, quæ non licet homini loqui (II Cor. xii, 4). Miseri, qui solum quod in lingua sonuit attendentes, nec quod sub lingua reconditum, nec quod supra repositum fuit, capere potuerunt! *Durus est hic sermo*, inquit (Joan vi, 61). Durus equidem, sed tamen idem est verbum vitæ. *Qui non bajulat crucem suam, et sequitur me, non est me dignus* (Matth. x, 38). *Si quis venit ad me, et non odit patrem et matrem, adhuc autem et animam suam, non est me dignus* (Luc. xiv, 26, 27). Quid durius poterat dici? Noli errare. Lapis videtur; panis est. Durus in cortice, sed suavissimus in medulla. Tentat te Dominus Deus tuus. Fidei exercitatio, et probatio dilectionis est fictio ista laboris. Esto tamen lapis sit. Num tu credis quod et dæmones credunt? *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant*. Omnes novimus quis hoc dixit. Non dubitat ille posse solo dictu (quo quidem facilius nihil est) ex lapide panem facere, quem Filium Dei esse credit. Fas est et ab hoste doceri. Dicamus et nos Filio Dei: *Dic ut lapides isti panes fiant*. Nam et ille qui hominum utique, non dæmonum, venerat in salutem, sic consultavit adversarios, ut parvulos erudiret. Non enim dicens quod ille voluit, sed quod oportuit nos audire, ut videlicet noster hic lapis panis fieret, non illius. *Non*, inquit, *in solo pane vixit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* (Matth. iv, 3, 4).

3. Quid tu ad hæc, veritatis inimice, submurmuras? Quod quidem ipse fateris, et negare omnino non potes, potens est Filius Dei dicere, ut lapides panes fiant. Ubi ergo de verbis Dei ait et generaliter ait, quia sic vivitur, et in talibus vita spiritus mei (Isai. xxxviii, 16); quid tu mihi subsibilas ad quodvis eorum, dicens: *Durus est hic sermo*? Quæ Dei Filius dixit, et facta sunt alimenta vitæ, tunc saxa dixeris, qui filius Dei non es? Non sum ego qui te arbitrer (quod temeraria prorsus rapina arbitratus es ipse) esse te æqualem Deo, ut dicente te panis in

lapidem revertatur. Qui filius Dei non est sine causa dicas ut lapides isti panes fiant. Nec minus frustra tuum nobis apponas pro pane lapidem, scorpionem pro ovo, pro pisce serpentem. Væ enim his qui panem lapidem, lapidem panem dicunt, ponentes lucem tenebras, et tenebras lucem (*Isai. v. 20*); jugum Christi asperum, et esse sub sentibus delicias reputantes. Has delicias nolim. Opto magis gustare et videre quoniam suavis est Dominus (*Psal. xxxiii, 9*). Hoc enim non frustra is ipse, qui monet, studuerat experiri. Denique ait: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua!* (*Psal. cxviii, 103.*) et rursus, *Quam magna, inquit, multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* (*Psal. xxx, 20.*) Ubi putas absconditur? Nempe sub lingua sua, sub capite ejus, quæ dicit: *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me* (*Cantic. ii, 6*). Licet enim in promissione vitæ ejus quæ nunc est, dulcedo et multitudo **1222** dulcedinis, et magna quoque, et perquam magna sit multitudo; perfectio tamen non nisi in promissione futuræ. *Perfecisti, inquit, his qui sperant in te in conspectu filiorum hominum* (*Psal. xxx, 20*). Quid perfecit? Non est hic sermo in lingua, sed supra linguam. Ideo enim auris non audit, quia nec lingua protulit quod præparavit Deus his qui diligunt eum. Nec sane in abscondito consummatio illa, sed in conspectu filiorum hominum erit. Congruè vero non adhuc perfectum, sed jam perfecisse cum sperantibus ait: *Spe enim salvi facti sumus* (*Rom. viii, 24*).

SERMO XCVIII.

De filiis pacis, in quibus habitat Deus.

Factus est in pace locus ejus (*Psal. lxxv, 3*). Est pax ficta, ut in Juda; est inordinata, ut in Adam et Eva. Harum neutra est locus Dei. Sola pax christiana, quam Dominus reliquit et dat discipulis suis, ipsa est in qua Dominus requiescit. Hæc offertur per sanctos prædicatores universo generi humano: sed eam quidam repellunt, aliqui recipiunt. Nos vero executantes pulverem pedum nostrorum super odientes pacem, ad dilectorem ejusdem pacis nos conferamus. Eorum alii dicuntur recipientes pacem, alii retinentes pacem, alii facientes. Possunt et alii nominibus vocari, scilicet pacati, patientes, pacifici. Et hæc nomina sortiuntur secundum diversos status pacis, in quibus proficiunt. Nam pacati per hanc pacem possident terram corporis sui, quia mites sunt (*Math. v, 4*). Patientes possident animam suam, quibus dicitur: *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (*Luc. xxi, 19*). Pacifici possident non solum suam, sed etiam aliorum, in quibus faciunt pacem. Unde merito filii Dei vocantur (*Math. v, 9*). Pacati ergo dicuntur, qui pacem recipiunt, de quibus scriptum est: *Si ibi fuerit filius pacis requiescet super illum pax vestra* (*Luc. x, 6*). Sed quia pusilli sunt, scandalis exagitati, cito pacem quam receperant perdunt. Patientes autem sunt qui receptam retinent, nec quavis injuria exasperati eam amittunt. Istis tanquam robustioribus præcipitur: *Pacem dili-*

A gite et sanctimoniam sine qua nemo videt Deum (*Hebr. xii, 14*). Pacifici vero qui non solum in se et in aliis eam faciunt, sed etiam volentes auferre diligunt, sicut scriptum est: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus* (*Psal. cxix, 7*), ecce isti sunt, quos sicut filios Deus diligit, et de quibus tanquam vivis lapidibus templum sibi Sapientia construit. De quo ædificio, ne ullo impulsu possint labefactari, ipso Deo inhabitante pariter et operante, ad similitudinem lapidis quadrantur quatuor modis, superius, inferius, a dextris, et a sinistris. Superius, cum divinæ voluntati suam humiliter et prudenter subjiciunt; inferius, cum carnem subjectam temperanter regunt; a dextris, juste bonos amplectendo; a sinistris, malos fortiter tolerando.

SERMO XCIX.

De quatuor generibus hominum cælum obtinentium.

Quatuor sunt genera hominum regnum cælorum possidentium. Alii violenter rapiunt, alii mercantur, alii furantur, alii ad illud compelluntur. Rapiunt qui dereliquerunt omnia, et sequuntur Christum, de quibus dicitur: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipso est regnum cælorum* (*Math. v, 3*). Sunt alii inferioris gradus, a quibus metuntur carnalia, dum oia spiritualia seminantur; et his loquitur in Evangelio Dominus, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula* (*Luc. xvi, 9*). Tales dicuntur mercatores, quia dant in præsentem pauperibus temporalia quæ possident, ut in futuro recipiant ab eis æterna, quæ non nisi per eos habere merentur. Necessè est enim omnes qui in futuro judicio examinandi sunt, vel esse Judicis amicos, vel apud Judicem intercessores habere amicos. Habent ergo primum beatiudinis locum qui intercedunt; habent hi pro quibus intercedunt secundum. Sunt alii qui nonnulla bona occulte faciunt, pro quibus merentur regnum cælorum; sed tamen furari illud **1223** dicuntur, quia laudem humanam vitantes, solo divino testimonio contenti sunt. Horum figuram tenuit mulier in Evangelio, quæ fluxum sanguinis patiens cogitavit intra se, dicens: *Si tetigero fimbriam vestimenti ejus; salva ero* (*Marc. v, 28*). Quo dicto, accessit occulte, et tetigit, et salva facta est. Alii sunt qui compelluntur: verbi gratia ut pauperes necessarii, quos scilicet hic ignis paupertatis Deo dispensante purgat, ne in futuro ignis judicii puniat. De quibus scriptum est: *Compelle inurare, ut impleatur domus mea* (*Luc. xiv, 25*). Compelluntur multi variis necessitatibus et oppressionibus afflicti: qui mira Dei providentia, dum temporalem penam, si non libenter, tamen patienter sustinent, vitam consequuntur æternam.

SERMO C.

De discrimine inter plebem et præsullem.

Quantum distat inter pastorem et gregem, tantum debet distare inter episcopum et plebem. Stat ille

sublimis et rectus : curvat iste caput solo depressus. Unde poeta :

*Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit.*

(OVIDIUS, *Metamorph.* lib. 1, vers. 84, 85.)

ille regit, iste regitur; ille pascit, iste pascitur: ut ex ipsa forma et habitu uterque discernatur. Habet ille in manu virgam qua feriat, vel potius ducat et reducat ovem. Quid est autem habere in manu virgam, nisi in opere disciplinam, ut subjectos suos exemplo magis instruat, quam verbo? Erubescunt enim superbi esse discipuli, si eos in humilitate præcesserint magistri. Unde de Domino scriptum est: *Quæ cepit Jesus facere et docere* (Act. 1, 1). Habet etiam baculum, quo feriat lupum: virga ovem, baculo lupum. Hoc est, mites et obediens debet lenius corripere, duos vero corde et improbos acrius arguere; cumque necesse fuerit, etiam anathematis sententia ferire. Tenet canem in fune, zelum scilicet in discretionem, ne sit de illis de quibus scriptum est: *Habent zelum* [alias, æmulationem] *Dei, sed non secundum scientiam* (Rom, x, 2). Habet etiam pastor bonus panem in pera, hoc est verbum Dei in memoria.

SERMO CI.

De quatuor modis diligendi.

Duo sunt amores, carnalis et spiritualis: ex quibus colliguntur quatuor modi diligendi, scilicet diligere carnem carnaliter, spiritum carnaliter; carnem spiritualiter, spiritum spiritualiter. In his fit quidam profectus et ascensus ab inferioribus ad superiora. Nam ut homines, qui tantum noverant diligere carnem carnaliter, ad hoc proficerent, ut Deum quoque diligere spiritualiter, Deus caro factus est, et loquendo, et conversando cum hominibus, primum ab eis carnaliter dilectus est. Cum autem pro amicis suis animam ponere vellet, jam spiritum diligebant, sed adhuc carnaliter. Unde et Petrus loquenti de passione sua respondit: *Absit a te, Domine, non erit tibi hoc* (Matth. xvi, 22). Sed cum per eandem passionem fieri mysterium redemptionis agnoscerent, in ipsa passione jam carnem spiritualiter diligebant. Resurgente autem eo et ascendente, spiritum spiritualiter amant, lætique decantant: *Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus* (II Cor. v, 16). Nos quoque carnem nostram carnaliter diligimus, cum ejus desideria diligimus et perficimus. Spiritum carnaliter, quando eum flendo, suspirando, gemendo in oratione conterimus. Carnem spiritualiter, cum eam spiritu subjectam in bonis spiritualiter exercentes, cum discretionem servamus. Spiritum spiritualiter, cum etiam ipsa spiritualia studia nostra fraternæ utilitati ex charitate postponimus.

1224 SERMO CII.

De modo redeundi ad Deum.

1. Est ad Deum quidam redeundi modus, primi hominis casui oppositus. Adam quippe in paradiso

positus, primo perdidit circumspectionem Dei. Testatur enim beatus Augustinus (*De civitate Dei*, lib. xiv, c. 13), quod nequaquam tentator hominem de paradiso eiecisset, nisi aliqua elatio in anima hominis præcessisset, cum verissime scriptum sit: *Ante ruinam exaltatur cor* (Prov. xxi, 18). Secundo perdidit justitiam, quando uxoris voci plus quam divine obedivit. Justitia enim est virtus, quæ suum cuique reddit. Tertio amisit iudicium, cum post peccatum correctus, oblique per mulierem retorsit propriam culpam in auctorem, dicens: *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi* (Gen. iii, 6, 12). Eisdem ergo virtutum gradibus redeundum est homini in exilio posito, quibus primus expelli meruit de paradiso. Primum itaque faciendum est iudicium, deinde exercenda justitia, tandem circumspectio adhibenda. Et iudicium quidem nobis, ut nos ipsos iudicemus et accusemus; justitiam proximo, circumspectionem debemus Deo.

2. Hanc redeundi viam ostendit nobis Micheas propheta, dicens: *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Deus requirat a te: utique facere iudicium, et diligere misericordiam, et ambulare sollicitè cum Deo tuo* (Mich. vi, 8). Hanc salutis viam testatur Apostolus Christum docuisse, dicens: *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc sæculo, etc.* Sobrie scilicet quantum ad nos, juste ad proximum; pie ad Deum. Qui etiam manifestius intulit circumspectionem Dei, dicens: *Expectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi* (Tit. ii, 11-13). Et in multis aliis Scripturæ sacræ locis, si hic ordo viæ et institutio viæ quæratur, potest inveniri, ut illud: *Beatus vir qui in sapientia morabitur, et qui in iustitia meditabitur, et in sensu cogitabit circumspectionem Dei* (Eccli. xiv, 22). Moratur siquidem in sapientia, et sapiens est qui semetipsum hic dijudicat, ut æternum Dei iudicium evadat. *Si enim, ait Apostolus, nosmetipsos dijudicavimus, non utique iudicemur* (Cor. xi, 31). Sapiens est, non secundum sapientiam hujus sæculi, sed secundum illam quæ trahitur de occultis, per quam utique miro Dei opere agitur, ut electi quique tensionibus et pressuris hic attriti, in ædificio veri Salomonis sine sonitu mallei postmodum collocentur.

SERMO CIII.

De quatuor gradibus, quibus electorum profectus distinguitur.

1. Quatuor gradibus distinguitur omnium electorum profectus. Primo enim fit quisque amicus suæ animæ; secundo fit amicus justitiæ; tertio, sapientiæ; quarto fit sapiens. In primo profectu vitat omnia quæ animam possunt offendere, et diligit ea quæ eam possunt mulcere. Horret ergo infernum, et cælum concupiscit. Ita potest implere illud divinum præceptum, quod in prima conversione sua accepit: *Diliges proximum tuum sicut teipsum* (Matth. xxii,

39). Nam dum secundum carnem ambulat, nullo modo potest; cum autem spiritu Dei agitur, facile potest. Quid enim habeat emolumenti homo, si proximus ejus ardeat in inferno? aut quid perdidit, si secum fuerit in paradiso? Neque enim talis est illa paradisi hæreditas, ut possidentium numero minuatur. Diligit ergo proximum, quem non vult malum pati, sicut nec seipsum, et quem sicut seipsum vult possidere cælum. Hoc autem suo, id est hominis spiritu, quando posset, ut scilicet expavesceret gehennam, ac cœlestia desideraret? Sed potest hoc illius spiritu, cui dictum est: *Si ascendero in cælum, tu illic es* (Psal. cxxxviii, 8), etc. Spiritus quippe sapientiæ ubique præsens, novit quid in cælo, et quid agatur in inferno. Cumque mentem humanam replevit, et de pœnis inferni inculcit timorem, et cœlestium amorem infundit: **1225** sicque facit hominem amare seipsum, et dicit ei: *Miserere animæ tuæ, placens Deo* (Eccli. xxx, 24). Primum igitur est diligere se, deinde proximum. Non enim dictum est, *Diliges te sicut proximum; sed, Diliges proximum sicut te*. Hoc modo fit amator animæ suæ per Spiritum sanctum, quem ex fide accepit.

2. Accepto autem hoc dono, non debet eo solo contentus esse, sed ad majora provehi, et in melius proficere. Vivit autem jam per Spiritum. Sed *Si per Spiritum vivimus, sit Apostolus, spiritu et ambulemus* (Galat. v, 25). Et alibi dicit: *Nos vero omnes revelata facie gloriam Dei speculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu* (II Cor. iii, 18). Hoc ipsum et Psalminista de sanctis videtur sensisse: *Benedictionem, inquit, dabit legislator; ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion* (Psal. lxxxiii, 8). Ambulet et iste, quem in manibus habemus: eat et proficiat, donec ad quartum gradum perveniat. Ibi sine dubio factus sapiens videbit Deum deorum in Sion. Porro eo ipso quod dixi, qui bene diligit animam suam, debet etiam diligere justitiam. Alioquin si diligit iniquitatem, odit plane, non diligit, animam suam (Psal. x, 6).

3. Diligendo autem justitiam transit ad secundum gradum, et audit illud Sapientiæ præceptum: *Diligite justitiam, qui judicatis terram* (Sap. i, 1). Quam si perfecte dilexerit, debet pro ea ferre patienter omnem pœnam et quamcunque illatam contumeliam. Duo quippe præstabit ei justitia: unum, ut faciat quod debet; alterum, ut patiat quod debet: scilicet, ut si bonum non fecerit quod debuit, malum quod meruit patiat. Sic miro modo ne desereudo quidem justitiam ab ipsa deserimus, dum per ipsam quilibet prævaricationis reatus punitur. Neque enim est qui se abscondat a calore ejus. Hanc autem pœnam non solum vir justus non horret, verum etiam libenter excipit, dum per eam præteritæ vitæ peccata purgari fideliter credit. Hinc enim scriptum est: *Non contristabit justum quidquid ei acciderit* (Prov. xii, 21). Opponit igitur variis voluptatibus quibus corrui, contraria medicamenta per quæ re-

surgat. Verbi gratia, cecidit per inobedientiam; per obedientiæ laborem redit ad vitam: lubricus exstitit ac dissolutus; per continentæ studium rigoremque disciplinæ reparatur. Patitur ab ipsis elementis mundi pœnam, quorum usu dudum defluserat ad voluptatem. Quibus cruciatibus cum diu, tanquam aurum in fornace probatus fuerit, quantum scilicet dignum judicabit is qui in pane lacrymarum nos cibabat, et potum dat nobis in lacrymis in mensura, incipit jam consolari, et audit illam Isaïæ vocem dicentis: *Consolamini, consolamini, popule meus, dicit Deus vester. Loquimini ad cor Jerusalem, et advocate eant; quoniam completa est malitia ejus, id est afflictio, dimissa est iniquitas illius. Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis* (Isa. xl, 1, 2). Postquam vero consolationem receperit, sollicitus est et quærit quomodo placeat ei cui se probavit. Facit quidquid boni facit, ut soli placeat suo Conditori.

4. Transit ad tertium gradum sui profectus: ut sit scilicet amicus sapientiæ, quæ materno affectu loquitur sibi, cum dicit, *Præbe, fili, cor tuum mihi* (Prov. xxiii, 26). Cum ergo ad hunc gradum pervenit, nihil aliud ei restat, nisi ut ad quartum ascendat, ubi dicitur esse sapiens. Hoc autem fit, quando jam operatur, non ut ipse Deo placeat, quod utique in tertio gradu fecerat; sed quia placet ei Deus, vel quia placet Deo quod operatur. Quisquis talis est, potest cum tota fiducia ac securitate conscientie illud Sapientis canticum decantare: *In omnibus requiem quæsi, etc.* Hic enim requiescit in omnibus, cum per omnia ei placeat Deus, qui non Dei voluntatem ad suam curvare, sed suam didicit ad Dei voluntatem erigere. Morabitur in hæreditate Domini (Eccli. xxiv, 11), sicut ei ejusdem Domini voce promittitur, cum dicitur: *Terram in qua dormis tibi dabo: hoc est, quietem istam, ad quam pervenisti labore tuo et munere meo, stabilem tibi faciam atque perpetuam. Quod autem subjungit, et semini tuo* (Gen. xxviii, 13), sic possumus intelligere, ut non solum spiritui detur tranquillitas ista, et hic, et in futuro; **1226** sed etiam semini tuo, id est, operibus tuis dabitur corporis tui glorificatio.

SERMO CIV.

De quatuor impedimentis confessionis.

1. Quatuor sunt quæ impediunt confessionem, pudor, timor, spes, desperatio. Quosdam enim impedit pudor, qui scilicet pro sola confusione dicere erubescunt peccata quæ commiserunt. De quo per Salomonem dicitur: *Est confusio adducens peccatum*. Quo contra de his qui confitentur, iterum dicitur: *Est confusio adducens gloriam* (Eccli. iv, 25). Quos etiam commendat propheta, dicens, *Confessionem et decorem induisti* (Psal. ciii, 1); et alibi, *Confessio et magnificentia opus ejus* (Psal. cx, 3). Alios impedit timor. Timent enim si confiteantur, ne gravis eis pœnitentia injungatur; et hos arguit Job, dicens: *Qui timet pruinam, irruet super eum nix* (Job vi, 16). Sunt autem nonnulli, qui in hoc mundo adhuc ali-

quid concupiscunt, nec putant se adepturos quod desiderant, si hominibus quales sint innotescant. Horum confessionem impedit spes, id est cupiditas potiendi desiderii. Talibus comminatur Dominus in Evangelio: *Væ prægnantibus et nutrientibus* (*Matth. xxiv, 19*). Sunt item alii qui nil horum verentur, sed solum hoc timent, quia post peccatorum confessionem ab ipsis abstinere minime possent. Et his obest desperatio. Quibus non incongrue illud potest aptari: *Peccator, cum venerit in profundum malorum, contemnit* (*Prov. xviii, 3*). Fit vero nonnunquam, ut hæc omnia simul confessionem impediunt. Sed qui quatuor his malis premitur, recte jam in monumento jacet, et velut ille evangelicus quatruiduanus fetet (*Joan. xi, 39*). Scriptum est enim: *A mortuo, velut qui non sit, perit confessio* (*Eccli. xvii, 26*). Quod si is mortuus est qui non confitetur, utique reviviscet qui confitebitur. Veniat ergo Jesus, et dicat, *Veni foras* (*Joan. xi, 43*): et ad vocem ejus illico suscitabitur mortuus. Excipiat hic noster mortuus exhortationem, et non differat confessionem.

2. Dicatur ergo illi quem pudor afficit: Cur te pudet peccatum tuum dicere, quem non puduit facere? aut cur erubescis Deo confiteri, cujus oculis non potes abscondi? Quod si forte pudor est tibi uni homini et peccatori peccatum tuum exponere, quid facturus es in die iudicii, ubi omnibus exposita tua conscientia patebit? Hæc itaque tria proponenda sunt contra pudorem: scilicet consideratio rationis, reverentia intuitus Dei, comparatio majoris confusionis. Similiter contra timorem opponenda sunt tria: considerandum enim est quam sit longa pœna inferni, quam gravis, quam infructuosa. E contrario vero præsentis temporis pœnitentia brevis est, et levis, et fructuosa. Contra spem quoque itidem tria opponuntur: bona scilicet futuri sæculi, præsentis vitæ bonis majora, certiora, durabiliora: ad quorum comparisonem, quidquid in hoc mundo desiderari potest, modicum est et incertum; et, ut ita dicam, momentaneum. Ita contra desperationem vincendi peccatum, tria sunt remedia: primum est vigor ipse propositi boni, quem assumit ex confessione; secundum est gratia Dei, quam meretur ex humilitate; tertium est auxilium, quod ex ejus habet cui confitetur compassione.

SERMO CV.

De requisitis ad justificationem et salutem.

1. Duo sunt in quibus consistit nostra salus, justificatio et glorificatio. Altera initium, altera perfectio est. In illa labor, in hac autem fructus laboris est. Et nunc quidem justificatio fit per fidem; nam glorificatio erit per speciem. Quanta autem sit in futura vita glorificatio sanctorum, humanis interrim non potest attingere intellectus. De illa enim scriptum est, quod *oculus non vidit, nec auris audivit*, (*I Cor. ii, 9*), etc. Hac ergo interim ommissa, quoniam vires nostras excedit, de justificatione quæ nunc agitur, aliquid ad ædificationem fratrum nostrorum, quod necessarium visum est, loquamur. **2227** Ipsa

est enim via, per quam fit transitus ad glorificationem, dicente Apostolo: *Quos prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, hos et magnificavit* (*Rom. viii, 30*). Neque enim poterit obtineri magnificatio, nisi justificatio præcesserit; cum ista meritum, illa præmium sit. Hoc in Evangelio docuit Dominus, qui cum discipulis evangelizaret regnum Dei, primum eis proposuit justitiam, dicens: *Nam nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Phariseorum, non intrabitis in regnum colorum* (*Matth. v, 20*).

2. Notandum autem, quod sicut in illo beatitudinis regno præsentem se electis suis exhibebit Dominus ad glorificationem, ita etiam se eisdem ipsis exhibet in via peregrinationis ad justificationem; ut a quo scilicet glorificandi sunt per speciem, ab ipso prius justificentur per fidem. Et quidem tria sunt, a quibus abstinere debent quicumque justificari desiderant. Primo utique, ab operibus pravis; secundo, a carnalibus desideriis; tertio, a curis sæculi. Item tria sunt, quibus debent insistere, quæ etiam continet sermo Domini in monte (*Matth. v-vii*): eleemosyna, jejunium, oratio. Sic enim adimpletur justificatio, dum ab interdictis vitiis abinent, et bona quæ præcepta sunt fideliter exercent. Opposantur ergo pravis operibus opera misericordiæ, contra carnalia desideria adhibeantur jejunia, et pro curis sæculi succedat amor Dei, et frequentia orationis.

SERMO CVI.

De tribus ad agendam pœnitentiam necessariis.

1. Tres sunt status animæ: in corpore, posio corpore, recepto corpore. Primus datus est ei ad agendam pœnitentiam, reliqui duo ad habendam requiem vel pœnam, scilicet prout gessit in corpore, sive bonum, sive malum. Ad agendam vero pœnitentiam tria sunt necessaria, tempus, corpus, et locus. Quod tempus sit necessarium, dicit Apostolus: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (*II Cor. vi, 2*). Similiter et de corpore idem scribit: *Omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi, ut referat quisque propria corporis prout gessit* (*II Cor. v, 10*). Sed et de hoc loco loquitur Scriptura, dicens: *Si ascenderit super te spiritus potestatem habentis, locum tuum ne deserens* (*Eccl. x, 4*). Porro tempus in tria dividitur: in præteritum, in præsens, in futurum. Horum nullum perdit, quisquis recte pœnitentiam agit. Nam præteritum quidem quod perdiderat restaurat, dum in amaritudine animæ suæ omnes annos suos recogitat: præsens autem tenet jam per exercitium operis: futurum vero per constantiam boni propositi. De præterito loquitur Apostolus, cum dicit: *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt* (*Ephes. v, 16*). Ad præsentis vero operationem hortatur nos, cum dicit: *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei* (*Galat. vi, 10*). Futuri nos admonet Dominus, cum ait: *Qui perseveraverit usque in finem, salvus erit* (*Matth. x, 22*).

2. Corpus quoque necessarium est ad agendam

pœnitentiam. In corpore quippe possumus mala pati, et bona operari. Pati scilicet pro commissis delictis, operari pro adipiscendis æternis præmiis. Qui ergo corpore caret, dignos pœnitentiæ fructus facere quomodo valet? Et notandum, quod pœnitentia quæ per corpus geritur, brevis est et levis. Brevis, quia corporis morte terminatur: levis, quia per societatem corporis fertur facilius. Gravis siquidem esset, si eam solus animus portaret. Cum vero et ipsi corpori ejus partitur pondus, quanto magis inde corpus oneratur, tanto amplius animus exoneratur. Locus etiam videtur necessarius esse et utilis, Ecclesia scilicet vitæ præsentis: in qua quisquis dum in corpore vivit, pœnitentiam recte agere negligit, nullum in futuro salutis remedium obtinere poterit.

1228 SERMO CVII.

De affectionibus orantium.

1. Sicut æger ad medicum, sic esse debet peccator ad Creatorem suum. Qui ergo peccator est, debet orare Deum, sicut æger medicum. Duobus autem modis impeditur oratio peccatoris: vel nulla, vel nimia luce. Nulla luce illustratur qui peccata sua nec videt, nec confitetur. E contrario nimia luce obruitur, qui ea tanta videt, ut de indulgentia desperet. Horum neuter orat. Quid ergo? Temperanda est lux, ut peccata sua videat peccator et confiteatur, ac pro ipsis oret, ut remittantur. Primo ergo ejus oratio debet fieri verecundo affectu. Hoc autem fit, cum necdum peccator audet per seipsum accedere ad Deum, sed quærit aliquem sanctum virum; aliquem sanctum pauperem spiritu, qui sit in ora vestimenti Domini tanquam simbria, per quem habeat accessum. Hujus orationis tenuit typum illa evangelica mulier, quæ fluxum sanguinis patiebatur; cupiensque sanari accessit, et intra se cogitavit dicens: *Si tetigero simbriam vestimenti ejus, salva ero (Matth. ix, 21)*. Secunda oratio fit puro affectu: et hoc fit quando scilicet peccator jam per seipsum accedit, et ore proprio confitetur. Talis orationis reliquit nobis exemplum illa peccatrix, quæ lacrymis rigavit pedes Domini, et capillis capitis sui tersit, de qua dictum est a Domino: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum (Luc. vii, 47)*. Tertia oratio effunditur amplo affectu: et hoc fit, quando is qui pro se oraverat, orat jam pro aliis. Sic oraverunt Apostoli pro muliere Chananaea pro filia sua rogante: *Dimitte, inquit, illam, quia clamat post nos (Matth. xv, 23)*. Quarta oratio emittitur devoto affectu, quæ de cordis puritate sine ulla hæsitacione cum gratiarum actione depromitur. Talem orationem fecit ipse Dominus, quando quatruiduanum de monumento Lazarum resuscitavit, et ait: *Pater, gratias ago tibi, quia audisti me (Joan. xi, 41)*. Tales orationes docuit nos Apostolus facere frequentes, dicens: *Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite (I Thess. v, 17, 18)*. Has quæ dictæ sunt quatuor orationum species, id est, verecundam, puram, amplam, devotam, nuncupat Apostolus aliis nominibus, et ad eas nos

A hortatur dicens: *Obsecro primo omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones (I Tim. ii, 1)*. Nam obsecrationes verecundo, orationes puro, postulationes amplo, gratiarum affectiones sunt affectu devoto.

2. Diximus de generibus affectionum et orationum: dicamus etiam qua puritate sit orandum. Et quidem tria videntur mihi hic esse necessaria, quibus orationis intentio firmiter est astringenda. Considerare namque debet is qui orat, et quid petit, et ipsam quem petit, et se ipsum qui petit. In eo autem quod petit, duo debet attendere, ut secundum Deum sit quod postulat, et ut hoc ipsum in summo affectu desiderio habeat. Verbi gratia, si mortem inimici, si læsionem seu dejectionem proximi oranda petierit, non est secundum Deum talis oratio, cum ipse præcipiat, et dicat: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos (Matth. v, 44)*. Si vero peccatorum remissionem, si Spiritus sancti gratiam, si virtutem atque sapientiam, si fidem, veritatem, justitiam, humilitatem, patientiam, mansuetudinem, et cætera spiritualia charismata quæsierit, et ea cogitando vehementer affectaverit: hæc secundum Deum est oratio, et hæc vere meretur audiri. De hujusmodi enim orationibus loquitur per Isaiam Deus: *Antequam clament, ego exaudiam; adhuc illis loquentibus ego audiam (Isa. lxxv, 24)*. Sunt et alia, quæ cum desunt, a Deo dantur, et possunt esse vel non esse secundum Deum, quantum duntaxat interest finis ad quem referuntur; ut est corporis sanitas, pecunia, cæterarumque rerum affluentia: quæ, etsi a Deo sint, non tamen sunt magni pendenda, nec ex desiderio possidenda. Similiter et in ipso quem petit, debet duo considerare: bonitatem, et majestatem. Bonitatem, qua gratia velit; et majestatem, qua plane 1229 possit dare quidquid petitur. Sed et in seipso qui petit, debet nihilominus duo attendere, id est, ut pro suis meritis nihil accepturum putet, sed de Dei misericordia tantum quidquid rogaverit, impetraturum speret. Tunc ergo dicitur cor purum, quando tria hæc quæ dicta sunt, et eo modo quo dicta sunt, cogitat. Et quisquis hac puritate et intentione cordis oraverit, exaudiri se sciat; quia, sicut testatur Petrus apostolus: *Non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus est illi (Act. x, 34, 35)*.

SERMO CVIII.

De spiritali minutione sanguinis.

Minuendi sanguinis duplex est causa. Interdum qualitas, interdum quantitas obest: nec minus perniciosa immoderata abundantia, quam corruptio. Sanguis animæ nœæ, voluntas mea. Naturæ siquidem cognatus præ cæteris humoribus sanguis dicitur, et animæ vita in voluntate est. Minuatur ergo prava voluntas, quæ morbi causa est spiritalis. Minuatur, inquàm, dum penitus exhauriri exsiccarique non potest. Scindatur et aperiatur vena ferro compun-

ctionis, ut peccati, etsi non omnis sensus, certe consensus effluat et abijciatur. An dubitas inveniri et in anima sanguinis non inutilis inutem abundantiam? Audi sapientem medicum, qui et ipsum docet justitiæ sanguinem minuendum. *Noli, inquit, nimium esse justus (Eccle. vii, 17)*. Simile est et istud Apostoli: *Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem (Rom. xii, 3)*. Cui putas venæ parcendum est, si et justitia, et sapientia egent minutione? Quis enim sanguis utilior? Illud tamen memento, nec nimis justum, justum: nec ebriam ut ita loquar, sapientiam oportet sapientiam nominari. Sic nimirum et in sanguine corporis invenire est, ubi excreverit nimis, non jam nutrimentum afferre corpori, sed detrimentum. Quamobrem si peccare delectat adhuc, sanguis vitiosus est, et minuire festinato. Si vis agere pœnitentiam, castigare [alias, punire] oportet membra, corpus affligere, judicare temetipsum, ut non incidas in manus Dei viventis. Justum id quidem, sed ne quid nimis. Alioquin reprimendus est fervor immoderatus, ne noccat unitati, serviat indiscretioni.

SERMO CIX.

De inani splendore virtutum carendo.

Caveamus, fratres, ne vasorum interim vacuo splendore decepti, sero conqueri habeamus quod lampades nostræ exstinguuntur. Ego enim reor minime fuisse accensas, quæ tunc videntur exstingui. Sic nempe habes: *Simile est regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas (Matth. xxv, 1)*. Accipientes dixit, non Accendentes. Quomodo enim accenderunt, quæ non sumpserunt oleum secum? aut ubi ignis materia defuit, quomodo ignis fuit? At lucet castitas etiam ex seipsa. Sed quanto lucidior lampas ardens, quam sine igne, tanto pulchrior casta generatio cum charitate. Sic et a cæteris voluptatibus temperantia, et patientia in adversitatibus, honestas in conversatione, et circumspectio in sermone, eleemosyna quoque et ejusmodi opera pietatis, naturali quadam placere gratia, et velut ingenito decore etiam apud fatuas virgines remittere videntur. At quoniam vitrea magis quam ignea claritate fulgebant, eo ipso lampades suas arbitrabantur exstingui, quo nimirum inanem hunc splendorem ab æterna conspexerint luce reprobari.

SERMO CX.

De allocutione hominis ad se ipsum, vel animam suam.

Quanta est miseria nostra, et indigentia nostra quam multiplex! Etiam verbis opus habemus. Et cum utrumque sit miserum, non jam mirum **1230** quod inter nos; mirum magis, quod etiam ad nos ipsos. *Nemo scit que sunt in homine, nisi spiritus hominis qui est in ipso (I Cor. ii, 11)*. Chaos magnum inter nos firmatum est, nisi interveniente quasi instrumento verborum fiat ad invicem transitus quidam cordium in communicatione cogitationum. Hac

necessitate iuventa sunt verba: quis nesciat? Verumtamen et nos ipsos verbis jam alloqui necesse est. *Nonne Deo subjecta eris, anima mea? Propheta ait, ab ipso enim salutare meum (Psal. lxi, 1)*. Et cui non frequenter necesse est animam revocare suam, advocare rationem suam, suos convocare affectus? Cui non opus est crebro se ipsum convocare verbis, increpare minis, sollicitare monitis, urgere accusationibus? Quin etiam ratiociniis suadere expedit; quale est, *Ab ipso enim salutare meum; et consolari aliquando, juxta illud, Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? (Psal. xli, 6)* et interdum velut excitare, et dicere, *Lauda, anima mea, Dominum (Psal. cxlv, 1)*; et nonnunquam diligentius commonere de quibus oportet, ut est, *Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus (Psal. cii, 2)*. Nempe cor meum dereliquit me, et necesse habeo ad me ipsum, imo ad me alterum loqui. Atque id interim tanto amplius, quanto minus sum adhuc reversus ad cor, reversus in me, unitus denique mihi ipsi. Nam ne invicem quidem erit jam verbis uti, ubi in unum utique virum perfectum occurremus omnes. Opportune igitur linguæ cessabunt; nec medius requiretur interpres, ubi usque adeo medium omne charitate constraverit ille unicus Mediator, ut et nos in unum facti simus in ipsis, qui vere sempiternique unum sunt, Deo Patre, et ipso Domino Jesu Christo.

SERMO CXI.

De fide, vita et moribus contestanda; seu de sex testimoniis Deo perhibendis.

1. Æternam cœlestis patriæ, ad quam nostra peregrinatio suspirat, felicitatem, et e contra gehennæ paratos impiis cruciatus, omnem excedere humani non modo corporis sensum, sed etiam intellectum cordis, nemo dubitat, qui vel nomine tenus sit fidelis. Atque utinam viveret in omnibus fides ista, et credulitatem, ut dignum erat, sequeretur; hinc quidem desiderium, inde timor! Quid est enim, quod non optamus etiam per medios cases, aut, si oporteat, semiusti declinare miseriam tantam, et ad tantam accelerare gloriam, nisi quod insensibilis est et mortua fides nostra? Accedit sane ad cumulum infelicitatis, salutis impedimentum, occasionem perditionis nostræ, quod in æstimatione quidem finis utriusque affectio nostra iudicio non consentit; sed in consideratione viarum ne ipsum quidem satis tenemus iudicium veritatis. Nec mirum si nulla virtutum delectatione movetur desiderium, quod etiam circa illam æternam beatitudinem torpet; aut si præsentem non metuit amaritudinem peccatorum, qui ne ipsa quidem parata diabolo et angelis ejus æterna supplicia pertimescit; nisi quod in cæteris utique consuevimus ipsa, quorum vicinior nobis experientia est, etsi longe minora sunt, vehementius et jucunda appetere, et formidare molesta.

2. Illud satis mirari nequeo, cur fides nostra in presentibus titubat, quæ de futuris tam certa videtur. Sic fatui filii Adam non judicantes, neque quod verum est discernentes, cum promissiones habeatis vitæ ejus quæ nunc est, pariter et futuræ (1 Tim. iv, 8), in ea quam protinus est experiiri, omnino incredulos vos exhibetis et infideles; ut palam fieri videatur, non nisi ad cumulum damnationis relictam vobis fidem futuræ promissionis? Id ipsum sane considerare est et de comminatione. Nonne enim idem ipse, qui paratum asserit electis regnum, reprobis ignem (Matth. xxv, 34, 41), eodem ore et eadem veritate testatur, laborare et oneratos esse, quicumque ad ipsum non accedunt: accedentes autem non defecturos, ut est trepidatio pusillanimitatis humanæ, sed reficiendos ab ipso? Qui regnum

1231 ineffabiliter delectabile pollicetur, ipse jugum suum suave et onus leve esse testatur. Qui æternam beatitudinem promittit in patria, præsentem quoque requiem et refectionem repromittit in via. Denique propheta loquitur, dicens, *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se* (1 Cor. ii, 9); et facile credimus universi. Loquitur ipse Dominus prophetarum: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos: tollite jugum meum super vos, et invenietis requiem animabus vestris; jugum enim meum suave est, et onus meum leve* (Matth. xi, 28-30); et quam multi avertunt cordis aurem? nam corporis jam forte non audent. Quid incredulitatis istud est? imo quid insanix? Quasi vero aut falli sapientia, aut fallere veritas possit? Quasi aut charitas quod offert, dare nolit: aut omnipotentia non valeat reddere quod promittit.

3. Quis enim hominum adeo voluptati et luxuriæ deditus est, qui non sobrietatem et castitatem magis eligeret, si certus esset eas sibi delectabiliores fore? Quis tam ambitiosus, qui non inciperet vilitate omni et extremitate esse contentus; si, ut vere est, charitatem quæ non quærit quæ sua sunt, dignitatibus universis sciret amabiliorem? Quis tam avarus, qui non omnino divitias sperneret, si jucundiores crederet paupertatem? Nunc autem Christus frustra clamat de levitate oneris sui; sine causâ jugum suum suave prædicat: quandoquidem et ab ipsis qui Christiano censentur nomine, onus diaboli, et jugum carnis atque sæculi hujus delectabilis reputatur. Sed unde tibi vel inconsideratio tanta, quanta ab ipsis imponitur, Domine Deus meus? Cur tam publice polliceris, quod tam facile deprehenderis non implere? Dulciorem super mel et favum spiritum tuum asseris (Eccli. xxiv, 27): et ecce isti dulciorem invenerunt carnem venationis; carnem, pro pudor! meretricis; sæculi vanitatem. Væ miseris! de parte judicant, et tanquam amarum fastidiunt manna tuum absconditum, quod non gustaverunt! Sane qui probaverunt utraque, ecce hi sciunt, quia Deus verax, omnis autem homo mendax (Rom. iii, 4). Ipsorum proinde testimonia esse debuerant cre-

dibilia nimis: sed eum promissionibus tuis, tuorum, quoque experientia contemnitur et ridetur. Carnalis siquidem homo non percipit quæ sunt spiritus Dei, sed stultitia illi videntur (1 Cor. ii, 14). Nec mirum, si experto non credit homini, qui Deo non credit promittenti. Ergo insani reputamur, qui crucem Domini prædicamus esse suavem; qui delectationem paupertatis magnificamus, extollimus humilitatis gloriam, eructamus delicias castitatis. Insanus nobiscum æstimetur et Propheta, qui dicit delectatum se esse in testimoniis Domini, sicut in omnibus divitiis (Psal. cxviii, 14).

4. Vos qui sapientes estis in oculis vestris, non omnes, sed paucas, quas utcumque mendicare potestis, divitias, divinis præferite testimoniis, ut nullum unquam habeat testimonium fides vestra. Penes vos sit in occulto, in abscondito, ubi ne ipse quidem videat Pater qui est in cælis (Matth. vi, 4); sed dicere possit, quia *nescio vos* (Matth. xxv, 12). Firmiter creditis Deum justum, veracem, remuneratorem, omnipotentem, summe bonum, æternum. Exhibete vos aspides surdas, et obturantes aures (Psal. lvi, 5), nequando audiat vocem improperantis, et dicentis: *Ostende mihi fidem tuam sine operibus* (Jac. ii, 18). Credere quanti vobis constat? Viam autem testimoniorum nolite ingredi, quoniam ardua est, aspera et inambulabilis. Miseri et infelices! qui viam civitatis habitaculi non invenistis; et ideo erratis in invio, et non in via! (Psal. cvi, 4, 40). Finis nempe viarum, quæ videntur vobis bonæ, quas delectabiles vos esse judicatis (neque enim veræ quidquam delectationis habent), denegitur in profundum inferni: ibi erit fletus et stridor dentium. Expergiscimini, ebrii, et flete, ne fletus ille perpetuus apprehendat incautos. Cum enim dixeritis: Pax et securitas; tunc subitaneus vobis superveniet interitus, tanquam in utero habenti, et non effugietis (1 Thess. v, 3). Merito plane, qui nunc fugiendi tempus scienter amittitis, et refugitis effugiendi viam.

1232 5. *Orate*, inquit Dominus, *ut non fiat fuga vestra hieme, vel Sabbato* (Matth. xxiv, 20). Fugite, dum tempus est acceptabile, et via delectabilis exhibetur. Fugite sex diebus, quibus operari licet. Fugite in testimoniis sex illorum quæ supra tetigimus, justitiæ, veritatis, remunerationis, omnipotentix, summæ bonitatis, æternitatis, ne forte septimum, divini scilicet zeli testimonium, non tam detis, quam sustineatis inviti. Genimina viperarum, quis vos docuit fugere a ventura ira? (Luc. iii, 7). Via mortis est, in qua curritis; via perditionis, via cujus finis demergit in profundum inferni. Adhuc tamen spes est, quia necdum viæ, id est vitæ, finis advenit. Festinate prævenire finem; ne subito præoccupati, quocumque cecideritis, ibi sitis. Venite, filii, audite me; viam salutis docebo vos, viam testimoniorum Dei, in qua delectemini et vos sicut in omnibus divitiis.

6. Sit prima dieta usque ad cor. Illuc nempe

prævaricatores vocat vox divina (*Isai. XLVI, 8*), ubi testimonium justitiæ ejus compunctionem generet et timorem. Hinc sane procedatur ad confessionem oris, ut non cunctemur etiam contra nosmetipsos perhibere testimonium veritati. Quisquis enim coram hominibus erubuerit illam, hunc et illa erubescet coram Patre suo (*Luc. IX, 26*). Sequatur deinde possessionum distractio, distributio facultatum, sicut scriptum est: *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi (Psal. CXI, 9)*; et item: *Si vis esse perfectus, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus; et habebis thesaurum in cælo (Matth. XIX, 21)*. Est enim in hac liberali proprietatis effusione testimonium largitatis divinæ et copiosæ retributionis, ut qui sponte distribuit sua, indubitanter sperare videatur de manu Domini ampliora. Adhuc autem et quartum quoque præbeas necesse est testimonium omnipotentis: dico autem in corporis afflictione. Seminandum quippe est animale corpus, sed ut spirituale resurgat. Non tibi ergo qui parcat corpori, de resurrectione et immutatione hæsitare videtur? Sic et qui non compungitur animo, de justitia; et qui non constetur, de veritate; et qui avarus est, de retributione futura. Eodem quoque modo considerare est et cætera quæ sequuntur. Etenim si eousque proficias, ut propriæ abrenuntias voluntati, certissimum istud est divinæ testimonium bonitatis. Veniens nimirum non tuam, sed ipsius facere voluntatem, commendas magnifice, quam sic præfers; clamans non verbo, neque lingua, sed opere et veritate, quia nemo bonus, nisi solus Deus (*Luc. XVIII, 19*).

7. Superest ut perseverantiæ studeas. Hæc enim viæ consummatio est, et testimonium habet æternitatis. Imago siquidem æternitatis divinæ, perseverantia est conversationis nostræ; ut quomodo ipse est, ita et nos simus in hoc sæculo, incommutabilitatem illam pro modulo possibilitatis nostræ imitantes. Hinc quippe Sapiens ait: *Stultus ut luna mutatur, sapiens permanet ut sol (Eccli. XXVII, 12)*. Hæc est ergo via, dilectissimi, ambulate in ea; quoniam ascendendo de virtute in virtutem videbitur Deus deorum in Sion (*Psal. LXXXIII, 8*). Ad cujus gloriam visionis ipse nos perducatur Dominus virtutum et rex gloriæ, qui est via, veritas, et vita, Jesus Christus Dominus noster (*Joan. XIV, 6*).

SERMO CXII (148*).

De quadruplici conscientia.

Convertere, anima mea, in requiem tuam. Laborat et requiescit anima in conscientia, quia conscientia alia bona, et non tranquilla; alia tranquilla et non bona; alia nec tranquilla, nec bona; alia bona et tranquilla. Tranquilla et non bona, eorum est qui in spe peccant, et dicunt in corde suo quod Deus non requirit: et ista maxime adolescentium. Bona et non tranquilla, eorum est qui jam conversi ad Dominum, recogitant annos suos in amaritudine.

(148*) Ex editione Pamelii.

A Nec bona nec tranquilla, eorum qui præ multitudine peccatorum desperant. Bona et tranquilla, eorum qui carnem spiritui subdidierunt: qui cum his qui oderunt pacem, sunt pacifici. Hic est lectus animæ: in hoc requiem capit anima, sed non perfectam. Oportet autem, ut perfectam **1233** possit præstare requiem, non solum bona et tranquilla sit conscientia, sed etiam segura: unde subjungit: *Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu (Psal. CXIV, 8)*. De morte, dando bonam conscientiam; a lacrymis, dando tranquillam et bonam; a lapsu, dando securam.

SERMO CXIII.

De cavendis propriis et alienis peccatis.

B *Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo (Psal. XVIII, 13)*. Tria sunt occulta: illicita actio, dolosa intentio, impudica affectio. Prava operatio inquinat memoriam; dolosa intentio, rationem vel mentem; impudica affectio, voluntatem. Mundatur memoria per confessionem; mens, per lectionem; affectio vel voluntas, per orationem. Ab alienis mundus eris, si non insultes, si non discedas, si non consentias, si non dissimules. Justitiæ est non consentire, sed cum rigore resistere; fortitudinis, non discedere, sed mala proximi patienter tolerare; temperantiæ, non insultare, sed cum moderamine compati; prudentiæ, non dissimulare, sed sollicite, ut mala desinant, providere.

SERMO CXIV.

De multiplici pace.

C Pax corporis est ordinata temperantia partium. Pax animæ irrationalis, ordinata requies appetitionum. Pax animæ rationalis, cogitationis actionisque consensio. Pax corporis et animæ, ordinata vita et salus animantis. Pax hominis ac Dei, ordinata in fide sub æterna lege obedientia. Pax hominum, ordinata concordia. Pax domus, ordinata imperandi atque obediendi concordia eohabitantium. Pax civitatis similis est. Pax cælestis civitatis, ordinatissima et concordissima societas fruendi Deo, et vivendi in eo. Pax omnium rerum, tranquillitas ordinis. Ordo est parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio.

SERMO CXV.

De triplici corde.

D *Accedat homo ad cor altum, et exaltabitur Deus (Paul. LXIII, 7, 8)*. Est cor altum, cor humile, cor mediocre. Dicit propheta: *Redite, prævaricatores, ad cor (Isai. XLVI, 8)*. Prima accessio prævaricatoris servi ad cor humile: ad quod trahitur per iudicium. Secunda accessio mercenarii ad cor mediocre: ad quod vocatur per consilium. Tertia filii ad cor altum: ad quod levatur per desiderium. Et tunc exaltatur Deus, id est supra cor elevatur, ut dum non potest comprehendi per rationem, desideretur per affectionem et amorem. Et nota quod accessiones istæ sive ascensiones in corde aguntur. Unde dicit

Propheta : *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum* (*Psal. LXXXIII, 6, 7*). Sed aliquando homo interior rationem excedit, et supra se rapitur; et dicitur excessus mentis. Unde et quatuor gradus ascensionis esse dicimus. Primus ad cor, secundus in corde, tertius de corde, quartus supra cor. In primo timetur Dominus, in secundo auditur consiliarius, in tertio desideratur sponsus, in quarto videtur Deus.

SERMO CXVI.

De duabus mortibus et totidem resurrectionibus.

Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt querite (*Coloss. III, 1*). Duæ sunt mortes, et totidem resurrectiones. Prima mors animæ, secunda corporis. Mors animæ, separatio a Deo; mors corporis, reparatio animæ a corpore. Hanc operatur peccatum, illam pœna peccati. Item, prima resurrectio animæ, secunda corporis. Resurrectionem animæ operatus est humilis et occultus Christi adventus : resurrectionem corporis, gloriosus et manifestus Christi perficiet adventus. Sed anima invisibilis est ad imaginem Dei creata : unde dicit Scriptura : *Fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam* (*Gen. I, 26, 27*). Rectum quidem. Unde et exterior homo, id est corpus, in forma sua rectus apparet, habens vitam et sensum : ut per hunc exteriorem et visibilem, illum interiorem et invisibilem intelligeremus; qui rectus factus est in voluntate, vivus in cognitione, sensibilis in amore. Et sicut corpus, id est exterior homo, in resurrectione sua vitam et sensum recipiet; ita et in resurrectione sua vitam et **1234** sensum anima, id est interior homo, recipit, id est cognitionem et amorem. Quod autem cognitio vita sit, Veritas attestatur, dicens : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan. XVII, 3*). Et quod amor sit sensus, hinc accipe. Sicut homo interior in vita non discernitur, quia in toto suo æqualiter vivit; in sensu autem discernitur in quinque partes notissimas, scilicet visum, gustum, auditum, odoratum et tactum; quia aliter sentit in oculo, aliter in ore, et sic in cæteris : ita interior homo in cognitione quidem non discernitur, sed in amore. Et sicut ille in quinquepartitos sensus dividitur, ita iste circa quinque invisibilia Dei afficitur, quæ sunt veritas, **D** justitia, sapientia, charitas, æternitas. Aliter enim afficitur circa veritatem, quam diligit propter libertatem; aliter circa justitiam, quam diligit propter suavitatem; aliter circa charitatem, quam diligit propter virtutem; aliter circa æternitatem, quam diligit propter securitatem.

SERMO CXVII.

De quatuor spiritualibus fontibus quatuor animæ morbis medentibus.

Habet fidelis anima paradisi suum, spirituales quidem, non terrenum : et idcirco priori illo delectabiliorem et secretiorem. In hoc delectatur anima, sicut in omnibus divitiis. De hoc paradiso prodeunt fontes quatuor, id est veritas, charitas, virtus, sa-

piencia. De his fontibus laboranti animæ salubres aquæ hauriuntur. Laborat enim anima humana quadruplici morbo vitiorum, scilicet timoris, concupiscentiæ, propriæ iniquitatis, ignorantæ. Timore enim victa in vitium cogitur, concupiscentia illecta in vitium trahitur, propria iniquitate voluntarie vitium sequitur, ignorantia seducta in vitium labitur. His malis laborantes et gementes animas consolatur propheta, dicens : *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris* (*Isai. XLII, 3*). Contra pusillanimitatem, quæ provenit de vitio timoris, aqua præsidiorum de fonte virtutis; contra concupiscentiam temporalis voluptatis, aqua desideriorum de fonte charitatis; contra malitiam voluntariæ iniquitatis, aqua judiciorum de fonte veritatis; contra fallaciam ignorantæ, aqua consiliorum de fonte sapientiæ. Et hoc in gaudio, ut quæ prius gemebat sub pondere vitiorum, modo gaudeat in adeptione virtutum, comparando sibi de aquis consiliorum prudentiam, de aqua præsidiorum fortitudinem, de aqua desideriorum temperantiam, de aqua judiciorum justitiam; ut in adversis fortitudo expellat pusillanimitatem; ut prosperis temperantia refrenet lasciviam; in agendis justitia excludat iniquitatem; in dubiis prudentia instruat ignorantiam. Talibus anima refocillata aquis, et ornata virtutibus, extendat se et comprehendat cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo et longitudo, sublimitas et profundum (*Ephes. III, 18*). Hæc quatuor Dei duobus brachiis comprehendi possunt, vero scilicet amore, et vero timore. Timore sublimitatem et profundum, id est potentiam et sapientiam; amore latitudinem et longitudinem, id est charitatem et veritatem. Timetur enim Deus, quia omnia per potentiam potest; et veraciter timetur, quia nihil eum per sapientiam latet. Amatur Deus, quia charitas est; et veraciter amatur, quia veritas, id est æternitas est.

SERMO CXVIII.

De septem ascensionis gradibus.

State in viis Domini, et interrogate semitas ejus. In via Domini stat, qui corporales observantias boni propositi servat. Sed quia corporale exercitium ad modicum valet, ut Paulus dicit, idcirco subjungit : *Et interrogate semitas æternas ejus* (*Jer. VI, 16*) : id est, desiderate sanctorum patrum vitas, et invenietis viam; ambulat in ea. Viam invenit, qui ad cor revertitur; ambulat in ea, qui ascensiones in corde suo disposuit (*Psal. LXXXIII, 6*). Prima ascensio hujus viæ est contritio; secunda, confessio; tertia, affectio, quarta, proprietatis abjectio; quinta, abnegatio propriæ voluntatis; sexta, humiliatio voluntariæ subjectionis; septima, perseverantia.

1235 SERMO CXIX.

De tribus in Incarnatione considerandis.

Mysterium Incarnationis tria in se consideranda continet : scilicet formam humilitatis, probamentum dilectionis, sacramentum redemptionis. Formam humilitatis demonstrat vagitus parvuli, locus diversorii, reclinatio in præsepio, pannorum invo-

lutio. Probalentum dilectionis, pia mors; quia majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis (*Joan. xv, 13*). Sacramentum redemptionis triplicem ostendit potentiam Deitatis: scilicet de nihilo aliquid fecit, inveteratum innovavit, temporale perpetuavit.

SERMO CXX.

De triplici ministerio.

Ministerium ministrorum Christi triplex est: servitutis, charitatis, dignitatis. Ministerium servitutis, corporis castigatio: charitatis, mentis devotio; dignitatis, corporis Christi consecratio. Primum fit in afflictione, secundum in hilaritate, tertium in humilitate. Primum est sacrificium timoris, secundum amoris, tertium laudis.

SERMO CXXI.

De doctrina timoris et charitatis.

In schola Christi sumus, in qua duplici doctrina erudimur; quia aliud per seipsum ille unus et verus magister docet, aliud per ministros. Per ministros timorem; per seipsum, dilectionem. Unde deficiente vino præcipit ministros implere hydrias aqua (*Joan. ii, 7*): et adhuc quotidie refrigerante charitate, ministri Christi implent hydrias aqua, id est mentes hominum timore. Et bene per aquam timor intelligitur; quia sicut aqua ignem, ita timor extinguit libidinem; et sicut aqua sordes corporum, ita timor sordes purgat animorum. Impleamus ergo aqua ista hydrias, id est mentes nostras; quia qui timet, nihil negligit; et bene plenus est, ubi negligentia cadere non potest. Sed quia aqua gravat, id est timor poenam habet; accedendum est ad eum qui de aqua vinum facit, id est timorem poenalem in amore convertit: ut audire possimus quod ipse de dilectione docet. Dicit enim: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem* (*Joan. xv, 12*): quasi diceret: Multa per ministros præcipio, sed hoc specialiter per meipsum commendo. Et alibi: *In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem* (*Joan. xiii, 35*). Ut ergo veritatis nos discipulos esse probemus, diligamus invicem. Et in hac dilectione triplici sollicitudine vigilemus; quia Deus charitas est (*I Joan. iv, 8*). Et omnem sollicitudinem nostram illi debemus: id est, ut nascatur, ut crescat, ut servetur. Nascitur si cibaveris inimicum, si potum dederis ei: quia hoc faciens carbones ignis congeres super caput ejus (*Rom. xii, 20*). Carbones ignis opera sunt charitatis: quæ congeruntur super diabolum, qui est caput omnium iniquorum; ut ablato eo nascatur eis caput Deus, qui charitas est. Crescit, si necessitatem patienti subverneris, si volenti mutare præstiteris, si amico animum tuum aperueris. Servatur, si loquendo vel exhibendo etiam quæ non videntur necessaria, amicorum voluntati satisfeceris. Servatur etiam et augetur bono vultu, dulci sermone, hilaris operatione: ut charitatem, quam vultus et sermo indicant, pia et hilaris operatio

A confirmet; quia exhibitio operis probatio est dilectionis.

SERMO CXXII.

De duplici vitio jejunantibus timendo.

Tu autem cum jejunaveris, unge caput tuum, et faciem tuam lava (*Matth. vi, 17*). Hoc autem dixit Dominus propter duplex vitium, vanæ gloriæ scilicet et impudentiæ, quod solet jejunantes subvertere. Per hoc quod jubet faciem lavare, præcipit nobis intentionem puram servare; quia sicut decor corporis in facie, ita decor totius operationis animæ consistit in intentione. Per unctionem capitis, quæ quod asperum erat lenitur, præcipit nobis lenitatem mentis in jejunio tenere. Pura erit intentio, si in omni actione **1236** nostra aut honorem Dei, aut utilitatem proximi, aut bonam conscientiam nostram quæramus.

SERMO CXXIII.

De vita spiritus.

Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis (*Galat. v, 16*). Sunt qui carne ambulant, qui omnem sollicitudinem in hoc ponunt, quomodo molestias carnis evitent. Hi sunt, qui licet virtutes probent, tamen dum molestias carnis omnino evitare volunt, concupiscentiis ejus pravis nequeunt resistere. Talibus dicit Apostolus: *Spiritu ambulate*: id est, sollicitudinem vestram, quomodo molestias carnis evitetis, deponite. In hac vita spiritus duo gradus habent, superior, et inferior. In inferiori gradu homo in suo spiritu ambulat; in superiori gradu in spiritu Dei. In inferiori gradu ambulat homo, quando reversus ad cor, circa affectiones suas sollicitus, in se reprehendit quod virtuti contrarium esse cognoscit. In hoc gradu sacrificium Deo contribulati spiritus et cordis humilitati per compunctorem offert. De hoc gradu ad superiorem ascendenis, incipit cogitare beneficia Dei: et conversus ad gratiarum actiones, offert Deo per devotionem sacrificium laudis. In utroque gradu videt Christum: in primo, crucifixum; in secundo, gloria et honore coronatum. In primo erat *Isaias*, quando dixit: *Et vidimus eum, et non erat ei species neque decor* (*Isa. lxi, 2*). In secundo erat, quando dixit: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum* (*Isa. vi, 1*). Et nota quod in primo dixit, *Vidimus*; in secundo, *Vidi*, quia illud multorum est, et peccatorum; istud paucorum, et solius prophetæ. Unde Apostolus: *Ex parte cognoscimus Christum, et hunc crucifixum: ex parte prophetamus* (*I Cor. xiii, 9, 12*); quia nondum videmus sicuti est. *Scimus enim quoniam eum appa-ruerit, similes ei erimus, quia videbimus cum sicuti est* (*I Joan. iii, 2*). Vidit Propheta, sed oculo prophetico, Dominum sedentem super solium excelsum, id est, super angelicam creaturam; et elevatum, id est, supra humanam: quia ipse suscitabit de pulvere egenum, et de stercore eriget pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat. *Et plena erat omnis terra majestate ejus* (*Isai. vi, 3*). Omnis terra, hoc est, omnia electorum corpora,

plena erunt majestate ejus, quando reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ (*Philipp. III, 21*). *Et ea quæ sub ipso erunt, replebant templum (Isa. VI, 4)*. Projectis hypocritis, et his qui invitati venire excusant, in tenebras exteriores; humiles et Deo subditi replebunt templum: quoniam ipse populum humilem salvum faciet, et oculos superbiorum humiliabit (*Psal. XVII, 28*).

2. *Seraphin stabant super illud: sex alæ uni, et sex alæ alteri*. Seraphin, id est ardentem, significant eos qui in fervore Deo serviunt: quos Dominus vigilantes invenit, et super omnia bona sua constituet eos. *Sex alæ uni, et sex alæ alteri*: quia non solum prælati, sed etiam subjecti alas habent, et seraphin sunt, si ferventes fuerint. *Duabus tegebant caput, et duabus pedes, et duabus volabant (Isa. VI, 2)*. Habent ferventes animæ alas quibus volant, spem et timorem, quia volantem est aliquando alta petere, aliquando ima. Per spem enim alta petunt, quia in cælestibus habitant. Unde quidam ex eis dicunt: *Nostra conversatio in cælis est (Philipp. III, 20)*. Per timorem ima. Condescendendo enim infirmis, instruunt eos, considerantes seipsos, ne et ipsi tententur. *Duabus tegebant pedes*. Pedes eorum affectiones sunt, quibus proximis junguntur. Sed quia his duobus modis offenditur, scilicet nimio rigore infirmos dejiciendo, ac nimia lenitate eorum vitiis consentiendo, velabant illos seraphin duabus alis: contra nimium rigorem, consideratione propriæ fragilitatis; contra nimiam lenitatem, zelo rectitudinis. *Duabus velabant caput*. Caput, intentio contemplationis est sive intellectus spiritualis. Et hoc velant seraphin, propter inimicos, propter vanam gloriam et occultam superbiam, duabus alis: contra vanam gloriam una ala, scilicet amore veritatis; contra superbiam, studio humilitatis.

1237 SERMO CXXIV.

De quatuor gradibus bonæ voluntatis.

I. Sermo Dei duo operari debet: et animas vitiosas sanare, et bonas admonere. Vitiosas dico, non omnes quibus inest vitium, sed quæ vitio ex voluntate consentiunt, nec resistunt quantum possunt. Tali animæ loquitur Veritas in Evangelio, dicens: *Esto consentiens adversario tuo, quandiu cum illo es in via (Matth. V, 25)*, etc. Non dixit, vitio, sed, *adversario*. Adversarius iste sermo Dei est, qui semper vitiis adversatur. Huic consentit, qui cum Propheta dicere possit: *Et peccatum meum contra me est semper (Psal. I, 5)*. Bonas dico animas, non solum perfectas, sed incipientes; quæ, licet vitium habeant, non tamen consentiunt, sed repugnant. Tales animæ, licet ex infirmitate vel ignorantia sæpe cadant, sicut scriptum est: *Septies in die cadit justus (Prov. XXIV, 16)*, tamen per voluntatem, quam habent bonam, resurgunt. Hæc est enim quæ bonam facit animam, quia, cum multa sint animæ bonæ naturaliter insita, sicut ingenium bonum, memoria capax, vigil ratio et cæteræ animæ bona, sola tamen

A voluntas, si fuerit bona, bonam facit animam; si fuerit vitiosa, vitiosam. Sed quia *homo*, sicut Job ait, *Nunquam in eodem statu permanet (Job XIV, 2)*, aut enim deficit aut proficit, proficiendum est in hac voluntate, quia ipsa est via de qua ait propheta: *Hæc est via, ambulate in ea (Isa. XXX, 21)*: et psalmus: *Beatus vir cujus est auxilium abs te; ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum (Psal. LXXXIII, 6, 7)*. In corde, id est voluntate.

2. Primus hujus vitæ gradus est recta voluntas, secundus valida, tertius devota, quartus plena voluntas. In primo gradu anima mente legi Dei consentit; sed, carne repugnante, bonum quod diligit perficere non invenit, sed sæpe malum quod odit, per infirmitatem facit (*Rom. VII, 16-25*). In hoc tamen recta est ejus voluntas, quod adversario suo consentiens, in se odit quod ille reprehendit. In secundo gradu anima non solum malum quod odit non agit, sed etiam bonum quod diligit, licet cum gravitate, fortiter tamen perficit, dicens cum Propheta: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras (Psal. XVI, 4)*. In tertio gradu jam dilatato corde currit viam mandatorum Dei, et delectatur in eis, sicut in omnibus divitiis: quia inuncta pellis oleo spiritualis gratiæ, et sciens quod hilarem datorem diligit Deus (*II Cor. IX, 7*), cum hilaritate ad quodlibet bonum se extendens, clamat cum propheta David: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum (Psal. CXVIII, 32)*. In quarto gradu sunt angeli, qui ea facilitate qua semper volunt, bonum plenarie perficiunt. Hunc gradum desiderare quidem potest anima, ascendere non potest in corpore, ob hoc quod corpore aggravatur. Qui nondum rectam habet voluntatem, sciat quia impedit eum carnalis intentio. Qui habet rectam et non validam, sciat quia impedit eum prava consuetudo. Qui habet devotam et nondum plenam, sciat quia impedit eum terrena inhabitatio. Cujus adhuc vitiosa voluntas est, oret et dicat: *Fiat voluntas tua sicut in cælo et in terra (Matth. VI, 10)*: se intelligens terram; illum autem qui rectam habet voluntatem, cælum: quia, quantum cælum distat a terra, tantum distat recta voluntas a vitiosa. Ita oret qui rectam habet voluntatem, sed non validam, se intelligens terram; illum autem cui jam valida est, cælum. Et ita de cæteris, ut semper attendat anima proficere: quia, sicut condemnatus est qui in vitiosa permanet voluntate, ita reprehensibilis est qui in aliis non studet proficere.

SERMO CXXV.

De glorificanda Dei sapientia.

1. *Glorificate et portate Deum in corpore vestro (I Cor. VI, 20)*. Alibi dicit Scriptura: *Justificata est sapientia a filiis suis (Matth. XI, 19)*. Et in oratione dicimus: *Sanctificetur nomen tuum (Matth. VI, 9)*. Christus, Dei virtus et Dei sapientia, justificatur, sanctificatur, glorificatur a filiis suis. Dicamus ergo primum quemodo sapientia justificatur a filiis suis. *Flagellat Deus omnem filium quem diligit (Hebr. XII,*

6). Sed in initio flagelli, dum **1238** adhuc sub lege servus Dei est, et nescit quomodo filius Dei erit, murmurat; se autem innocentem, Deum vero crudelem pronuntiat. Huic autem Christus Dei virtus apparet, sed nondum sapientia, quia per flagellum potentiam virtutis sentit, sed nondum sapientiæ suavitatem per intellectum capit. Hunc talem sapientia attingit fortiter per flagellum, et disponit suaviter per intellectum (*Sap. viii, 1*), dum illud Apostoli ei inspirat, scilicet gaudere in tribulationibus; scire quoniam *tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spes; spes autem non confundit (Rom. v, 3-5)*. Et jam se non quasi servum puniri, sed quasi filium per flagellum erudiri cognoscit, ut hæreditatem capiat: se peccatorem Deum vero justum pronuntians, justificat in se matrem sapientiam.

2. Sed quid prodest peccata inter flagella confiteri, si non ab eisdem per continentia sanctitatem abstinere? sicut scriptum est: *Sancti estote, sicut et ego sanctus sum (Levit. xix, 2)*: ut qualis pater, talis sit filius: et in sanctimonia filiorum nomen Patris sanctificetur. Quod et quotidie in oratione petimus, ut sicut de quibusdam pravis et incontinentibus Pater conqueritur dicens: *Quotidie nomen meum blasphematur per vos inter gentes (Isa. lxxv, 5; Rom. ii, 24)*, ita et per sanctos sanctificetur. Sed ne meum putes inventum, quod sanctitas continentia sit, audi Apostolum dicentem ad Thessalonicenses: *Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra*. Et ne aliud putes sanctificationem, quam continentiam, audi quod sequitur: *Ut abstinere a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum suum vas possidere in sanctificationem (I Thess. iv, 3, 4)*. Unde et sanctos eos dicimus, quos firmos in proposito continentia, ab hujus sæculi non solum illicitis actionibus, sed etiam impudicis locutionibus abstinere videmus. Unde scri-

A ptum est: *Sapiens ut sol permanet: stultus ut luna mutatur (Eccli. xxvii, 12)*.

3. Sed quia sapiens filius gloria est patris, necesse est ut non solum sanctificetur ab eo mater sapientia per continentia stabilitatem, sed etiam glorificetur per boni operis fructificationem, sicut in Evangelio Veritas dicit: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cælis est (Matth. v, 16)*. Unde Psalmista sapientia filium describens, ait: *Jucundus homo qui miseretur et commodat (Psal. cxl, 5)*. Et vere brevis et perfecta definitio sapientis. Jucundus enim inter flagella confitendo delictum, gaudet illud per præsentem tribulationem deleri. Miseretur animæ suæ: placens Deo per continentia decorem; commodat proximo fructum bonæ operationis. Et hic est justus, reddens cuique quod suum est; Deo confessionem, sibi misericordiam, proximo charitatem. Sic autem justificatur sapientia a filiis suis per confessionem peccatorum; sanctificatur per continentia bonum; glorificatur per boni operis fructificationem. Primus conflictus timoris Dei est contra negligentiam. Timor enim ad custodiam sui excitat. Quod si prævaluerit negligentia, generat curiositatem. Dum enim per negligentiam terra cordis inculca, spinas et tribulos germinat; quæ in se ipsa non invenit requiem, foras cogitur evagari. Sic curiositas a corde erit, contra quam dimicat pietas. Pietas enim Dei cultus est; et in corde colitur, qui in corde cognoscitur habitare. Curiositas, si non vincitur, generat experientiam mali, quia, dum animus evagatur per multa, facile invenit ubi noxiam experiatur delectationem. Hanc impugnat scientia, docens quid tutum sit experiri, quid non. Si vero prævaluerit experientia, generat concupiscentiam, ut transeat in affectum cordis.

S. BERNARDI SENTENTIÆ.

1. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo: Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Tres in terra: spiritus, aqua et sanguis (I Joan. v, 7, 8)*. Similiter in inferno, ut in Isaia legimus: *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur (Isa. lxxvi, 24)*. **1239** Duo mala sunt, vermis et ignis; altero roditur conscientia, altero concremantur corpora. Tertium additur desperatio, quæ in eo utique intelligitur quod dicitur, *non morietur, et non exstinguetur*. His qui in cælo sunt, datur testimonium beatitudinis; his qui in terra, justificationis; his qui in inferno sunt, damnationis. Primum testimonium est gloriæ, secundum gratiæ, tertium iræ.

2. De Spiritu sancto testatur Scriptura quia procedit, spirat, inhabitat, replet, glorificat. Procedere dicitur duobus modis: unde et quo? Unde? A Patre et Filio. Quo? Ad creaturam. Procedendo prædestinat; spirando vocat quos prædestinavit; inhabitando justificat quos vocavit; replendo accumulatur meritis quos justificavit; glorificando dicitur præmiis quos accumulavit meritis.

3. Spiritus sanctus arguit mundum de peccato quod dissimulat; de justitia quam non ordinat, dum sibi non Deo eam dat; de judicio quod usurpat, dum tam de se quam de aliis temere judicat.

4. Usque hodie in civibus Babylonis aquarum

effusio, id est confusio cogitationum, terram facit A inanem et vacuum. Dum enim fluctuat circa carnem cogitatio universa, nullum ex ea sperare est fructum salutis. Dividuntur ergo aquæ ab aquis (*Gen. 1, 6*), quatenus anima quoque, ut dignum est, partem sibi vindicet sollicitudinis et meditationis. Sane inferiores certis limitibus coercentur, certis contineantur alveis, necessitatis terminos non excedant; proinde superiores copiosius dilatentur. Ex hoc sane dat Dominus benedictionem, et terra nostra dabit fructum suum (*Psal. LXXXIV, 13*).

5. Cum in populo Dei carnales alii sint, et alii spirituales, nec illi tamen æternorum, nec isti carent omni modo temporalium desiderio. In eo sane distant, quod plus alia appetunt alii, et secundum ea quæ præferunt, aut spirituales, aut carnales judicantur. B Hinc est quod in benedictionibus Jacob et Esau, et ros cæli, et terræ pinguedo nominatur, sed non eodem ordine in utroque. *Det tibi Deus de rore cæli et de pinguedine terræ abundantiam*, ait Isaac ad Jacob. Ad Esau vero: *In pinguedine terræ*, inquit, *et in rore cæli desuper erit benedictio tua* (*Gen. XXVII, 28, 39, 40*). Quid autem singuli præferant, a studiis eorum et sollicitudinibus innotescit.

6. *Mors peccatorum pessima* (*Psal. XXIII, 22*). Mala in amissione mundi, quia non possunt sine dolore separari ab eo quem diligunt. Pejor in dissolutione carnis, a qua evelluntur eorum animæ a spiritibus malignis. Pessima in tormentis inferni, quando corpus et anima perpetuis simul addicuntur ignibus. Econtrario honorum mors optima, quoniam C quidem sit ibi quies a labore, sit jucunditas de novitate, sit securitas de æternitate.

7. *De stercore boum lapidatus est piger* (*Eccli. XXII, 2*). Boves sunt qui in opere Dei strenue exercentur; qui seminant in lacrymis, sed in gaudio metent. Isti sane quæcunque sunt mundi hujus arbitrantur ut stercora. Piger vero, cujus sabbata videntes hostes derident, dehonestatur ab hostibus in otio suo, sicut boves strenui in laboribus suis honestantur a Deo. Quem enim maligni spiritus pigrum vident ad spiritualia exercitia, in cogitationibus ejus ingerunt importune terrena: velut de stercore boum massas coagulantes, et pigrum, sicut dignus est, lapidantes.

8. *Osculetur me osculo oris sui* (*Cant. 1, 4*). Tria sunt oscula, reconciliatorium, munerarium, contemplatorium. Primum ad pedes, secundum ad manum, tertium ad os sumitur. In primo accipitur remissio peccatorum; in secundo, munus virtutum; in tertio, cognitio secretorum. Vel ita osculum doctrinæ, naturæ, gratiæ.

9. Duo sunt ubera sponsæ: congratulatio et compassio. Gemina lactis species, exhortatio et consolatio. Tria unguenta, compunctio, devotio, pietas. Compunctio de recordatione peccatorum, devotio de recordatione beneficiorum, pietas ex consideratione miserorum.

10. *Revertere, revertere, Sulamitis: revertere, re-*

vertere, ut intueamur te (*Cant. vi, 12*). Revertere primo ab inepta lætitia, revertere 1240 secundo ab inutili tristitia, revertere tertio ab inani gloria, quarto revertere a latenti superbia. Inanis gloria est, quæ ab ore hominum venit extrinsecus. Superbia latens oritur intrinsecus. Cum hæc omnia vitia reliquerit anima, intuebitur eam sponsus ejus. Ob hoc autem debet ab aliis abstinere, ut digna fiat ejus complexibus. Unde et ad eam dicitur: *Revertere, revertere, ut intueamur te*.

11. Pastorum est vigilare super gregem propter tria necessaria: videlicet ad disciplinam, ad custodiam, ad preces. Ad disciplinam, propter morum correctionem, ne grex commissus propria molestia deficiat. Ad custodiam, propter diabolicam suggestionem, ne hostili seducatur calliditate. Ad preces, propter tentationum instantiam, ne vincatur a pusillanimitate. In disciplina rigor justitiæ, in custodia spiritus consilii, in prece affectus compassionis.

12. Duas ad intelligendum se condidit universalitatis auctor creaturas, hominem et angelum. Hominem justificant fides et memoria: angelum beatificant intellectus et præsentia. Et quia homines quandoque perducendi sunt ad æqualitatem angelorum, necesse est ut interim justificentur per fidem, et proficiant ad intellectum. Scriptum est enim: *Nisi credideritis, non intelligetis* (*Isa. VII, 9, juxta LXX*). Itaque fides via est ad intelligendum: nam mundatur cor fide, ut intellectus videat Deum. Similiter et memoria Dei via est ad præsentiam Dei. Qui enim hic habet mandatorum ejus, ut ea faciat, memoriam, merebitur quandoque ut ejus quoque videat præsentiam. Habeant igitur intellectum et præsentiam angeli Dei in cælo: habeamus et nos ejus fidem et memoriam in mundo.

13. Pars tua sumus, Domine, quam tulisti de manu Amorrhæi in gladio et arcu tuo (*Gen. XLVIII, 22*). Gladius tuus sermo vivus et efficax (*Hebr. IV, 12*); arcus tuus incarnatio tua. Ibi enim velut curvato sapientiæ ligno, et pio quodam modo flexa divinitate, nervus carnis vehementer extensus, et humanitas ineffabiliter aucta cognoscitur. Pars ergo tua sumus et populus acquisitionis tuæ (*I Petr. II, 9*), quem acquisisti verbo prædicationis, et mysterio incarnationis.

14. In circumcissione Domini nec nervus rumpitur, nec os comminuitur, ut robustiora quæque et firmiora servantur illæsa. Aperitur autem cutis, amputatur caro, sanguis effunditur, ut illecebrosa mollities castigetur. In carne quidem peccatum, quod in ea manet, intellige: porro in cute operimentum ejus, in sanguine vero inventivum. Hæc igitur vera circumcissio spiritu, non littera, si velamen excusationis et dissimulationis per compunctionem cordis, et confessionem oris amoveas; si peccati consuetudinem correctione conversionis abscindas; si denique, ut necessarium est, occasiones quoque peccati et fomitem fugias concupiscentiarum.

15. *Obtulerunt magi Domino aurum, thus, et myr-*

rham (Matth. II, 41). Hæc fortassis pro loco et tempore necessaria videbantur. Auri pretium ob paupertatem; myrrhæ unguentum ob infantilis, ut asolet, corporis teneritudinem; thuris odoramentum ob sordidam stabuli mansionem. Nos vero quoniam illa jam omnia transierunt, offeramus ei acceptabiliora munera: myrrhæ unctionem in communionem socialis vitæ, thuris speciem in suaveolentiam bonæ famæ, auri splendorem in conscientiæ puritatem: quo videlicet nec de officiosa conversatione familiarum gratiam, nec de laudabili opinione inanem gloriam, sed honorem Dei, et fratrum utilitatem quærere studeamus.

16. Ante omnia sine murmuratione sint fratres. Forte aliqui leve peccatum æstimant murmurare: sed non hic, qui ante omnia monet esse cavendum (S. Benedictus in Reg. cap. 34.). Puto autem ne illum quidem leve reputasse, qui murmurantibus aiebat: *Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. Nos enim quid sumus?* (Exod. XVI, 8.) Sed ne illum quoque qui dixit: *Non murmuraveritis, sicut quidam murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore* (I Cor. X, 10). Illo nimirum exterminatore, qui positus est in hoc ipsum, ut a terminis beatæ illius civitatis arceat murmurantes, et longe faciat a finibus ejus, cui dicitur: *Lauda, 1241 Jerusalem,*

Dominum; lauda Deum tuum, Sion: qui posuit fines tuos pacem (Psal. CXLVII, 12, 14). Nihil enim commune habent murmur et pax, gratiarum actio et detractio, zelus amaritudinis et vox laudis. Itaque in ore trium et talium testium stet hoc verbum, ut pestem istam murmurationis summopere nobis noverimus esse cavendam.

17. Tres sunt quibus reconciliari debemus: hominibus, angelis, Deo. Hominibus, per aperta opera; angelis, per occulta signa; Deo per puritatem cordis. Nam de operibus quæ coram hominibus facienda sunt, scriptum est: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra opera bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cælis est* (Matth. V, 16). De angelis dicit David: *In conspectu angelorum psallam tibi* (Psal. CXXXVII, 4). Occulta autem signa sunt gemitus, suspiria, usus cilicii, et cætera pœnitentiæ insignia, quæ angelis placent. Unde est illud: *Caudium est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente* (Luc. XV, 10). Ut autem Deo reconciliemur, nec operibus, nec signis, sed puritate et simplicitate cordis indigemus. Scriptum est enim: *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt* (Matth. V, 8): Et illud: *Si oculus tuus fuerit simplex* (Matth. VI, 22), etc.

ALIÆ S. BERNARDI SENTENTIÆ (149).

18. *Templum Dei sanctum est, quod estis vos* (I Cor. III, 17). Templum Dei est claustrum religiosorum. Duo parietes claustrum sunt, activi et contemplativi, Maria et Martha, interior et exterior. Interiori necessarii sunt duo ordines lapidum, cavere scilicet vitium voluptatis, et curiositatis. Exteriori similiter duo, ne sint fraudulentum, et turbulentum. Unde Dominus: *Fidelis servus et prudens* (Matth. XXIV, 45). Fidelis, ne sit fraudulentus; prudens, ne sit turbulentus. Paries ex adverso qui hunc utrumque conjungit, sunt prælati, et hi qui fideliter ingrediuntur et egrediuntur, sicut de Domino dictum est: *A summo cælo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus; nec est qui se abscondat a calore ejus* (Psal. XVIII, 7).

19. Quinque de causis addiscit homo: ut sciat, ut sciatur scire, ut vendat, ut ædificet, ut ædificetur. Ut sciat, curiositas est; ut sciatur scire, vanitas; ut vendat, simonia; ut ædificet, charitas; ut ædificetur, humilitas. Qui nutriti erant in croceis, amplexarii sunt stercora (Thren. IV, 5), id est curam ventris.

20. *Initium sapientiæ timor Domini* (Psal. CX, 10). Timor primus revocat euntes ad mortem, cui succedit tristitia sæcularis: hanc excludit spes æternitatis.

21. Dubitari solet utrum dilectio Dei præcedat

C tempore dilectionem proximi. Quod per hoc videtur, quod proximum propter Deum diligere non possumus, nisi prius diligamus Deum: et contra dilectio proximi videtur præcedere dilectionem Dei, quia scriptum est: *Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere* (I Joan. IV, 20)? sed sciendum est quod dilectio Dei duobus modis consideratur, incipiens et nutrita. Incipit enim homo diligere Deum, antequam proximum; sed quia illa dilectio non potest perfici, nisi nutriatur, et crescat per dilectionem proximi, oportet ut proximus diligatur. Sic ergo dilectio Dei præcedit ut incipiens, et præceditur a dilectione proximi, ut illa nutrienda. Si qui forte pertinent ad gubernationem tuam, vindica, coerce cum dilectione, cum charitate, attendens salutem æternam; ne, cum parcis carni, anima pereat. Fac hæc, et multos passurus es, in quos non poteris exercere disciplinam. Fer minas, securus esto: faciet enim Dominus misericordiam et iudicium omnibus injuriarum accipientibus.

22. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum* (Matth. XIX, 19). Debet unusquisque proximum suum diligere tanquam se ipsum, ut quem poterit hominem vel beneficentiæ consolatione, vel informatione doctrinæ, vel coercitione disciplinæ, 1242 adducat ad Deum colendum. Hæc qui sola discretionem eligit, prucens

est: qui nulla hinc afflictione avertitur, fortis est; qui nulla alia delectatione, temperans est; qui nulla elatione, justus est.

25. *Non est speciosa laus in ore peccatoris* (Eccli. xv, 9), in pœnitente peccatore fructuosa, in justificato est speciosa. Sicut cum stercorantur agri, non est speciosum, sed fructuosum; postea vero in frugum collectione fit speciosum.

24. Quatuor sunt quæ impediunt confessionem: timor, ne perdat; pudor ne vilescat; spes honoris vel alicujus terreni commodi, si innocens putetur; desperatio earundem rerum, si innocens non putetur.

25. Octo sunt trinitates, quarum prima est illa summa et individua Trinitas, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Secunda est quæ cecidit. Tertia per quam cecidit. Quarta in quam cecidit. Quinta per quam resurgit, quæ in tres dividitur trinitates. Trinitas quæ cecidit, est memoria, ratio et voluntas. Memoria infirmata est tribus modis, videlicet per cogitationes affectuosas, onerosas et otiosas. Ratio tribus modis exæcata est, quia sæpe recipit vera pro falsis, et e converso; licita pro illicitis, et e converso (150). Voluntas tripliciter scœdata est, per concupiscentiam carnis, per desiderium oculorum, et ambitionem sæculi. Trinitas per quam cecidit, suggestio, delectatio, consensus. Trinitas in quam cecidit, infirmitas, foeditas, cæcitas. Trinitas per quam resurgit, fides, spes, charitas. Fides est trina, præceptorum, signorum, promissionum. Spes quoque trina est: spes veniæ, spes gratiæ et spes gloriæ. Charitas etiam trina est, ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute.

26. Duo parietes debent esse in congregatione: unus interior, alter exterior. Interior claustrales, exterior obedientiarum. Illi non debent esse curiosi, nec voluptuosi; isti vero nec turbulenti, nec fraudulentii. Et quia raro pax inter istos est, ideo tertius paries est, ex adverso veniens, qui conjungat divisos parietes; abbas videlicet et prior, et alii fratres spirituales: fundamentum est sanctum propositum.

27. Adaptatio septem donorum Spiritus sancti ad apparitiones Domini resurgentis. Primo apparuit mulieribus, quibus dictum est ab angelo: *Nolite timere* (Matth. xxviii, 9, 5): ecce spiritus timoris. Apparuit Petro, qui negaverat (Luc. xxiv, 34): ecce spiritus pietatis. Apparuit mulieri, cui dictum est: *Noli me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem meum* (Joan. xx, 17): ecce spiritus scientiæ. Apparuit illis undecim in monte, ubi constituerat, quando dixit: *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra* (Matth. xxviii, 18): ecce spiritus fortitudinis. Apparuit duobus euntibus in Emmans, de quibus scriptum est: *Et aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas*: ecce spiritus intellectus. Ad ultimum apparuit illis recumbentibus, quando

ascendit in cælum (Luc. xxiv, 27, 45, 51), quia de eo dictum est: *Ego sapientia in altissimis habito* (Eccli. xxiv, 7): ecce spiritus sapientiæ.

28. Gratia quadripartita est: gratia creans, gratia redimens sive miserans, gratia donans, gratia remunerans. Prima: *Omnia per ipsum facta sunt*. Secunda: *Verbum caro factum est*. Tertia: *Plenum gratiæ*. Quarta: *Et veritatis* (Joan. 1, 14).

29. Pax quadripartita est: erga Deum, erga proximum, in carne, in spiritu. Quæ ut firma sit, substernendum est unicuique fundamentum: paci carnis temperantia; paci spiritus fortitudo; paci cum proximo prudentia; paci cum Deo justitia. *Gloria in excelsis*, ecce pax cum Deo; et *in terra hominibus bonæ voluntatis* (Luc. 11, 14), pax cum proximo; *pax vobis, videte manus et pedes meos* (Luc. xxiv, 36, 39), pax carnis; *accipite Spiritum sanctum* (Joan. xx, 22), pax spiritus.

30. *Muscæ morientes exterminant suavitatem unguenti* (Eccli. x, 4), id est vanitas, curiositas et voluptas: quæ quia in Ægypto et circa sacrificia Ægyptiorum abundant, non possumus in Ægypto sacrificare Domino Deo nostro sacrificium justitiæ et charitatis. Ideo proficiscimur in desertum, id est in solitudinem cordis, *via trium dierum* 1243 (Exod. viii, 26, 27). De prima die dicit sponsus sponsæ: *Veni in hortum meum, soror mea sponsa* (Cant. v, 4); hoc est in plantaria bonarum virtutum. De secunda gaudet sponsa, et dicit: *Introduxit me rex in cellam vinariam* (Cant. 1, 3), id est inter delicias Scripturarum. Tertia dies est thalamus, plenitudo amoris, in quo se invicem fruuntur sponsus et sponsa. Et nota contra vanitatem, soliditatem virtutum; contra curiositatem, variam delectationem Scripturarum; contra voiuplatem, summi illius amoris thalamus.

31. Duo sunt ubera charitatis, compassio et congratulatio. Ex compassione lac sugitur consolationis; ex congratulatione lac sugitur exhortationis.

32. Tria sunt quibus servatur unitas: patientia, humilitas et charitas. His armari debet miles Christi, patientiam habens quasi scutum, quod ferat et circumferat contra omnia adversa; humilitatem quasi lorica, quæ conservet interiora præcordia; charitatem quasi lanceam, per quam, sicut dicit Apostolus, omnes impetens in provocatione charitatis (Hebr. x, 24), et omnibus omnia se faciens belligeratur bellum Domini. Oportet etiam ut habeat galeam salutis, quæ est spes, caput, id est principale mentis, muniens et conservans. Habeat etiam gladium verbi Dei, et equum boni desiderii. Goliath suo gladio occidendus est; vana gloria, consideratione ipsius vanæ gloriæ.

33. Duo sunt novissima, mors et vita. Ad hæc volamus deabus alis, timore et spe. Duabus velamus pedes, pœnitentia cordis et confessione oris, secun-

(150) *Addendum*, comoda pro incommodis, et e converso, ut colligitur ex sermone 45 de Diversis, n. 2.

dum illud. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (Rom. x, 10). Duabus velamus caput, dilectione Dei, et proximi. Unde Apostolus: *Sive mente excedimus, Deo; sive sobrii sumus, vobis* (11 Cor. v, 13).

34. Nota quod ex timore compunctio, ex compunctione omnium rerum abrenuntiatio, ex qua vera humilitas, ex qua vera confessio, in qua omnium vitiorum purgatio. Ex confessione, virtutum pullulatio: concretæ virtutes faciunt cordis puritatem, in qua vera sapientia et perfecta charitas. Ad hoc sciendum quod spiritus timoris dat timorem; spiritus pietatis, compunctionem; spiritus scientiæ, præsentium abrenuntiationem; spiritus fortitudinis, veram humilitatem (humilitas enim vincit omnia); spiritus consilii, confessionem; spiritus intelligentiæ, virtutum acquisitionem; spiritus sapientiæ, perfectam cordis puritatem et amorem.

35. Quatuor sunt ordines in domo Domini. Quidam enim procidunt ad pedes Jesu, sicut Æthiopes, sicut Maria pœnitens et confitens; quidam sedent ad pedes ejus, ut eadem Maria audiens verbum ejus; quidam jacent in sinu ejus; quidam sedent ad latus ejus. Duo ordines primi sibi vivunt, tertius sibi et proximo, ut Joannes evangelista, suscipiens et sugens pacem de sinu Domini, et nuntians eam populo. Quartus proximo, sicut Apostolus, qui ait: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi*. Unde securus subjungit: *Reposita est mihi corona justitiæ* (11 Tim. iv, 7, 8). Et ideo cupio dissolvi et esse cum Christo; permanere autem in carne, necessarium propter vos (Philipp. i, 23, 24). Isti nec mori timent, nec vivere recusant.

36. Superbia alia est cæca, alia vana, alia cæca simul et vana. Cæca, quando homo putat in se esse quod non est. Vana, quando gloriatur in hoc quod homines putant cum esse quod non est. Cæca simul et vana est, quando de bono quod non habet, et gloriatur in semetipso, et aliorum gloriam quærit.

37. Humilitas, alia sufficiens, alia abundans, alia superabundans. Sufficiens, subdi majori, nec præferre se pari. Abundans, subdi pari, nec præferre se minori. Superabundans, subdi minori. Inde Dominus ad Joannem: *Sine modo; sic enim decet nos implere omnem justitiam* (Matth. iii, 15).

38. Quicumque volunt perfecte placere Deo, tam castitate, quam charitate splendere debent. Castitas autem quinquepartita est; videlicet in auribus, in oculis, in odoratu, in gustu, et in tactu. Charitas autem quadrifaria est, quæ, secundum Apostolum, omnia credit, id est, non est suspiciosa; omnia sperat, non est pigra; **1244** omnia suffert, non murmurat; omnia sustinet (1 Cor. xiii, 7), non est impatiens. Ecce novem, quæ qui perfecte habet, perfectus est, et secundum novem ordines angelorum degit in terra. Unde Apostolus: *Nostra conversatio in cælis est* (Philipp. iii, 20). Et ut ita dicam, majus meritum habet homo taliter vivens, quam angelus. Homini enim est virtutis, angelo dignitatis.

39. Sancta anima carnem suam a putredine vitiorum mortificat, dum omnes voluptates mundi per continentiam abnegat: et tunc quasi myrrham morituro corpori adhibet, ut post judicium a corruptione æterna maneat sanum. Cum vero ad cœlestia majori desiderio se accendit, et a cordis cubiculo omnes superfluas cogitationes ferventer abjicit; quasi thuribulum cor suum coram Deo facit, in quo dum per dilectionem virtutes congregat, quasi carbones in thuribulo coaptat, in quo se ipsam mens in conspectu Dei igne charitatis incendat. Dumque ferventes et mundas orationes ad Deum emittit, quasi fumum aromatum ex thuribulo educit, ut coram dilecto suave redoleat, et proximos quosque ad ejus amorem per bona opera concitare non desinat.

40. *Non coques hædum in lacte matris* (Exod. xxxiv, 26). Hædus, peccator; mater, primi parentes, ex quibus omnes procreati sumus; lac, vitia quæ de originali peccato venerunt. *Non coques hædum in lacte matris suæ*: id est, non sinatur peccator usque ad diem mortis suæ in peccatis permanere, sed ante mortem ad bona opera revocetur, ne pereat.

41. *Tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua et sanguis* (1 Joan. v, 8). Veniens Dominus circumcisionem et alia baptismata fecit cessare: baptismum vero instituit, in quo tria prædicta, quasi testimonium Christianitatis in terra dantia operari voluit. Audi quomodo sanguis Christi facit, et signum est ut moriamur peccato, secundum Apostolum: *An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus?* Aqua, quæ quasi quodam tumulo corpus includit, signum est ut ultra non serviamus peccato: *Consepulti enim sumus cum ipso per baptismum in mortem*. Spiritus vivificat et facit, ut qui in illo aquarum elemento sepelimur, renovati per ipsum Spiritum resurgamus, *ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus* (Rom. vi, 3, 4). *Et hi tres* quia unum operantur, unum sunt, sicut dicit Joannes. Unum in mysterio, non in natura. Sanguis igitur testis mortis, aqua sepulturæ, Spiritus vitæ. Sanguis spectat ad pretium, aqua ad lavacrum, Spiritus mentem renovat. Sanguis Domini nos redemit, sacri fontis unda nos abluit, Spiritus per adoptionem filios Dei nos facit.

42. *Quarta vigilia venit ad eos* (apostolos) *ambulans super mare* (Matth. xiv, 25). Prima dormitio est timor nocturnus, scilicet de adversis; subsequens vigilia, per prudentiam. Secunda dormitio, sagitta volans per diem, id est tentatio per prospera; vigilia, per fortitudinem. Tertia dormitio, negotium perambulans in tenebris, scilicet vana gloria; vigilia, justitia. Quarta dormitio, incursus et demonium meridianum, id est intemperantia. Tunc venit ad eos Dominus, ambulans supra mare. Dominus supra, sed Petrus mergitur. Primo putatur esse phantasma, sed post agnoscitur. Alii tepidiores, sed tamen fideles, magnificavit Dominum in talibus.

43. Septem debent esse in oratione. Oratio enim **A** aves de sacrificio abigebat. Tertio justa, quarto assidua, quinto humilis, sexto fervens, hæc duo habens in grano sinapis; septimo devota.

44. Deinde munda, juxta exemplum Abrahamæ, qui

PARABOLÆ

SANCTO BERNARDO VULGO ASCRIPTÆ.

1245 PARABOLA I.

De pugna spirituali [alias, De fuga et reductione filii prodigi].

1. Rex dives et præpotens Deus omnipotens fñum sibi fecit hominem, quem creaverat, cui sicut puero delicato prædagogos delegavit legem, prophetas, cæterosque tutores et actores usque ad præfinitum tempus ejus consummationis. Instruxit eum et monuit, dominum eum paradisi constituens, omnesque thesauros gloriæ suæ ei ostendens et repromittens, si se non desereret. Et ne quid deesset bonis ejus, etiam liberum arbitrium ei indulsit, ut bonum ejus esset voluntarium, non coactum. Accepta licentia boni et mali, cœpit eum lædere bonorum suorum, a concupiscentia sciendi bonum et malum. Egressus igitur de paradiso bonæ conscientiæ, nova quærens quæ nesciebat, qui nulla adhuc nisi bona noverat; paternis [alias, patriis] legibus et prædagogis relictis, manducavit de ligno scientiæ boni et mali contra vetitum Patris: et abscondens se miser, et fugiens a facie Domini, cœpit vagari puer insipiens per montes altitudinis, per valles curiositatis, per campos licentiæ, per nemora luxuriæ, per paludes voluptatum carnalium, per fluctus curarum sæcularium.

2. Videns autem antiquus prædo lascivum puerum sine custode, sine rectore, procul a domo Patris vagantem; accessit, et pomula illa inobedientiæ manu malæ persuasionis ei porrigens, postquam ab eo consensum elicit, aggressus est miserum, et in terram, id est in terrena eum desideria præcipitans, pedesque, id est mentis affectiones, ne resurgat, fortissimis ei sæcularis concupiscentiæ vinculis alligans, manusque operationis, et oculos mentis; misit eum in navim malæ securitatis, et flante vehementer vento adulationis, transvexit eum in longinquam regionem dissimilitudinis. Veniens ille in regionem non suam, venalis factus est omnibus qui prætergrediuntur viam. Discit porcos pascere, siliquas porcorum manducare: didicit omnia quæ didicerat, et discit quæ nesciebat, servilia scilicet opera. Vincitque in desperationis carcere, ubi in circuitu impij ambulant, in mola impiæ circuitiois

B cogitur molere emolumenta malæ conscientiæ. Proh dolor!

3. Et ubi modo est pater ille potentissimus et dulcissimus atque liberalissimus? Nunquid potest oblivisci filium uteri sui? Absit, absit! Non obliviscitur, sed miseretur, condolet et conqueritur de absentia et perditione filii sui. Mandat amicis, sollicitat servos, omnesque suscitatur ad requirendum eum. Unus servorum Timor, ad Imperium Domini, filii fugitivi vestigia prosequens, in profundo carceris invenit filium regis, carnalibus peccatorum sordibus obsitum, vinculis et catenis malæ consuetudinis ligatum, miserum et amentem, in miseriis securum et ridentem: quem verbis et verberibus urgens ut exiret et rediret, tanta miserum confusione dejecit, ut sicut morti jam vicinus jaceret, et adhæreret in terra venter ejus. Egressus evestigio alius, cui nomen Spes, vidensque filium regis a Timore non erutum, sed obrutum, non adjutum, sed dejectum: accessit leniter, et suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem, levansque caput ejus, et coacta in unum consolationis veste, oculos ejus detergens et faciem: Heu, inquit, quanti mercenarii in domo patris tui abundant panibus, tu autem hic fame peris! Surge, obsecro, et vade ad patrem tuum, et dic ei: Pater, fac me sicut unum ex mercenariis tuis. Tunc ille tandem vix ad se modicum reversus: Tunc es, inquit, Spes? Et quomodo Spei introitus potuit patere in tantum et tam horribile profundum desperationis meæ? Ego, ego, inquit, sum Spes, a patre tibi transmissa, te adjutura, te non desertura, donec te introducam in domum patris tui, et in cubiculum genitricis tuæ. Et: O, inquit ille, dulce levamen laborum, dulcis consolatio **1246** miserorum! o una, et non infima de tribus cubiculi regij assistricibus! vides carceris mei profundum immane; vides vincula, quæ tamen ad ingressum tuum jam maxima ex parte dirupta sunt et dissoluta; vides captivorum (151) meorum immanem multitudinem, fortitudinem, velocitatem, astutiam: et quis tibi locus hic? At Spes: Ne timeas, inquit; qui nos adjuvat, misericors est; qui pro nobis pugnat, omnipotens est; pluresque sunt

(151) Id est, captivantium, seu captivatorum.

nobiscum, quam cum illis. Super hæc omnia, adduxi tibi a patre missum equum Desiderii : cui cum in-sederis, me duce ab his omnibus securus proficisce-ris. Dixit, et mollibus stramentis piæ Devotionis submissis, et honorum exemplorum calcaribus ad-ditis, equo Desiderii imposuit filium regis ; sed fre-num defuit, tanta erat festinatio fugiendi. Illico equus currit infrenis, trahit Spes ante. Timor au-tem retro verberibus urget et minis. Tunc videntes hoc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes inhabitatores Chanaan. Irruat super eos formido et pavor in ma-gnitudine brachii tui ; flant immobiles quasi lapis, donec pertranseat filius tuus, Domine, filius iste, quem possedisti (*Exod.* xv, 15, 16). Sed cum sic ferantur præcipientes, effugiunt quidem, sed non sine periculo ; quia sine modo, sine consilio.

4. Propter quod a Patre transmissa accurrit Pru-dentia, una de summis principibus palatii, in comi-tatu amicam habens Temperantiam ; et tenens cur-rentes : Parcius, inquit, obsecro parcius : dicit enim Salomon noster : *Qui festinus est, pedibus of-fendit* (*Prov.* xix, 2). Si sic curritis, offenditis ; si offenditis, caditis ; si caditis, filium regis, quem suscepistis liberandum, inimicis redditis. Nam si ceciderit, illico manus eorum erit super eum. Hæc dicens, frenum Discretionis imposuit servido illi equo Desiderii, ejusque habenas Temperantiæ re-gendas commisit. Cumque Timor retro de vicinia et virtute inimicorum, et tarditate fugæ causaretur : Vade, inquit Prudentia, retro, Satana, scandalum es nobis. Fortitudo et laus nostra Dominus, et factus est nobis in salutem. Et ecce Fortitudo, miles Dei egregius, accurrens per campum Fiduciæ, ex-tracto gladio lætitiæ : Nolite, inquit, turbari ; plures nobiscum sunt quam cum illis. Tunc Prudentia curiæ cœlestis assueta consiliis : Caveat, inquit, obsecro, quia *hæreditas illa, ad quam festinatur in initio*, sicut dicit Salomon noster, *in fine benedictione carebit* (*Prov.* xx, 21). Proficiscimini igitur, non tam festi-nanter, quam prudenter. Inimici enim non sunt in itinere ; sed juxta iter scandalum ponere solent, in bivis et trivis, et viarum anfractibus. Præcedam itaque ; vos autem tenete viam Justitiæ, et velociter introducemus vos in castra Sapientiæ, quæ jam non procul sunt a nobis. Sapientia enim est, de qua dicitur : *Concupiscens sapientiam, discite justitiam* (*Eccli.* i, 33).

5. Sic itaque dum viam carpunt, urget Timor, Spes trahit, munit Fortitudo, Temperantia modera-tur, providet et instruit Prudentia, ducit et perducit Justitia. Appropinquat filius regis castris Sapientiæ : quæ novi hospitis audito adventu, præoccupat eum, qui se concupiscit, occurrit et ostendit se in viis hilariter. Fossa vero profundæ Humilitatis castra cingebat : super quam fortissimus et pulcherrimus murus Obedientiæ ædificatus cœlos penetrabat, quem honorum exemplorum historiæ undique depic-tæ mirabiliter decorabant. Ædificatus autem erat

A cum propugnaculis : mille clypei ex eo dependebant, omnis armatura fortium. Porta Professionis omnibus patens ; janitor in limine dignos inducens, et indi-gnos abiciens. Præco super portam clamans : Si quis diligit Sapientiam, ad me declinet, et eam in-veniet ; et eam cum invenerit, beatus est si tenuerit eam. Iluc filius regis, occurrentis sibi Sapientiæ ducatu introductus, imo ulnis deportatus, familiæ regiæ vallatus obsequiis, ad mediæ civitatis arcem perducitur, ubi ipsa ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, subdidit sibi gentes, superborum-que et sublimium colla propria virtute calcavit. Ibi collocatur in lecto Sapientiæ, quem ambiunt sexa-ginta fortissimi ex fortibus Israel, uniuscujusque ensis super fenur **1247** sum. Adest David in B tympano et choro, in chordis et organo ; cæterique cœlestis curiæ paranympsi, gaudentes et exsultantes magis super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indi-gent pœnitentia.

6. Et ecce veniens ab aquilone ventus turbinis et ignis involvens totam concussit domum, Sapientiæ castra turbavit. Egressus est enim Pharaon cum cur-ribus et equitibus, persequens fugientem Israel (*Exod.* xiv, 5, 8). Cogitaverunt etiam unanimiter simul adversus eum, testamentum disposerunt ta-bernacula Idumæorum et Ismaelitæ, Moab et Aga-reni, Gebal et Ammon et Amalech, alienigenæ cum habitantibus Tyrum. Etenim Assur, ille magnus exterminator diabolus, venit cum illis (*Psal.* lxxxi, 6-9). Quid multa ? Obsessa est civitas. Jam surgunt tentationum machinæ ; urget undique inimicus ille, in insidiis draco, in aperto leo ; cogit socios, ignes injicit, perfodit muros, bella suscitât, insidias sub-mittit, totius urbis minitans excidium. Intus vero timor et angustia ; et a vehementi et improvise hostium impetu omnes turbati sunt, et moti sunt sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est, et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur (*Psal.* cvi, 27, 28). Curritur ad arcem Sapientiæ ; mala nuntiantur ; consilium quæritur. Reversa enim ad se Prudentia consulit Sapientiam, quid facto opus sit. Illa accelerandum testatur, et quærendum summi regis auxilium. Et quis, inquit, ibit nobis ? D At Sapientia : Oratio, inquit. Et ne moram faciat in eundo, ascendat super equum Fidei. Quæsitâ diu Oratio, et in tanto tumultu vix tandem inventa est. Ascendit super equum Fidei, proficiscitur per viam cœli, nec cessat, donec intret portas Domini in confessione, atria ejus in hymnis. Et, sicut familiare mancipium, cum fiducia accedens ad thronum gra-tiæ ejus, exponit necessitatis suæ negotium. Audito rex filii periculo, conversus ad consortem regni sui Charitatem : O, inquit, quem mittam, et quis ibit nobis ? At illa : Ecce ego, inquit, mitte me. Tunc rex : Prævalens, inquit, prævalebis, et liberabis eum. Egredere ; et fac ita. Illico egressam a facie Domini reginam cœli, Charitatem, tota comitatur militia cœlestis ; veniensque et descendens in castra,

virtute et lætitiâ præsentia suæ illico omnia exhilaravit, commota composuit, turbata pacavit. Reddita est miseris lux, timidis fiducia. Redit coram Spes, quæ pene auferat; Fortitudo, quæ pene corruperat. Resumit constantiam tota Sapientiæ militiâ. At inimici civitatem obsidentes: Quænam est, inquiunt, exsultatio in castris? non fuit tanta exsultatio heri et nudiustertius. Væ nobis, venit Deus in castra! væ nobis! Fugiamus Israel: Dominus enim pugnat pro eis. Sic fugientibus inimicis, gratiæ Dei impetus lætificat civitatem Dei, sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Deus in medio ejus, non commovebitur, adjuvabit eam Deus mane diluculo. Conturbata: sunt gentes, et inclinata sunt regna; dedit vocem suam, mota est terra. Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Jacob (*Psal. xlv, 5-8*). Suscipiens ergo puerum Dei, puerum suum regina Charitas evexit ad cælum, Patrique Deo repræsentavit. Cui Pater placidus ac serenus occurrens: *Cito, inquit, proferte stolam primam, et induite illum, et date anulum in manu ejus, et calcamenta in pedibus ejus. Et producite vitulum saginatum, et occidite illum. Epulari enim et gaudere oportet, quia iste filius meus mortuus fuerat, et revixit; perierat, et inventus est (Luc. xv, 11-32).*

7. Nota hic quatuor in pueri nostri liberatione. Primo pœnitentiam, sed fatuam; secundo fugam, sed temerariam et irrationabilem; tertio pugnam, sed trepidam et meticulosam; quarto victoriam validam et sapientem: quæ omnia in uno quolibet fugiente de sæculo invenies. Primo enim est egens [*alias, hebes*] et insipiens; postea, præceps et temerarius in prosperis; deinde, trepidus et pusillanimis in adversis; postremo, providus, et eruditus et perfectus in regno charitatis.

1248 PARABOLA II.

De pugna spiritali [alias, De conflictu vitiorum et virtutum].

1. Inter Babylonem et Jerusalem nulla pax est, sed guerra continua. Habet unaquæque civitas regem suum. Rex Jerusalem Christus Dominus est, rex Babylonis diabolus. Et cum alterum in justitia, alterum in malitia regnare delectet, rex Babylonis quos potest de civibus Jerusalem per ministros suos, scilicet spiritus immundos, seducere, ut servire eos faciat iniquitati ad iniquitatem, in Babylonem trahit. Unde dum unum de civibus suis constitutus speculator super muros Jerusalem trahi cerneret, nuntiavit regi captam prædam in Babylonem duci. Rex vero Jerusalem advocans spiritum timoris, militem in talibus strenuum: *Vade, inquit, eripe prædam nostram. Ille ut semper ad omnia imperata paratus, cum velocitate hostes persequitur, et in auribus eorum factus est repente sonus tanquam adventientis spiritus vehementis. Timor enim super eos intonuit, et ad vocem virtutis ejus hostium robur omne contremuit: quos in fugam conversos Timor non longius persecutus est, sed ereptum concivem reducebat ad propria. Verum unus ex adversariis, tristitiæ*

A spiritus, non erat cum eis, quando Timor advenit. Illic cum cerneret socios subito fugientes, ab insidiis, in quibus latebat, ocius advolvit. A Timore, inquit, solo factum est istud, et est opprobrium omnibus nobis. At ille: Ne timeatis a Timore isto: scio enim quid facto opus sit. Ibo et ero spiritus mendax in angulis semitarum, et amicum me simulabo Timoris. Novi enim hominem, nec est agendum cum eo vi, sed fraude. Vos autem expectate finem. Fecit ut dixerat, et viarum compendia captans, præcessit Timorem. Referensque iter per viam, qua gradiebatur Timor, obvius ei factus est, amica, sed iniqua cum eo colloquia commiscens, ita ut seducere eum cœperit: et Timor nescius bono animo sequebatur. Prope jam erat, ut enim in foveam desperationis impelleret. Sed spectator regi indicat quid agatur. Rex autem unum de militibus suis, Spem scilicet, præcepit accersiri, quem cum equo Desiderii, et ense Lætitia in auxilium jubet accelerare Timoris. Fidelis miles ad imperium egrediens, cum pervenisset ad locum, vibrans ensem Lætitia, Tristitiam effugavit. Sicque liberatum concivem, et impositum equo Desiderii præcedens, trahebat funiculo promissionum, et Timor sequens urgebat facto flagello de funiculis peccatorum.

2. Ibat igitur voluntarius equus, hinc attractus, inde compulsus; sed in tam rapido cursu timendum ei fuerat ab incursu. Unde et collegerunt milites Babylonici consilium, dicentes: *Quid facimus, quia sic evadit, quem jam quasi cum securitate possidebamus? Quomodo plausus inferni versus est in planctum, et per solos duos milites gaudium est in cælis super sui liberatione concivis? Quomodo perit verus diaboliæ fraudis? Unus autem ex eis cæteris nequior, cum scelus hujus opifex esset, profanum protulit consilium, dicens: Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia mo lo ad capiendum facilior sit; et si captus, difficilior eripi possit. Vos igitur a longe prosequimini; ego me in angelum lucis transfiguro, ut ignaros viæ, tanquam advenas et peregrinos, docendi simulatione decipiam. Hunc igitur in modum fraude disposita, regi nostro speculator annuntiat, venire quidem hominem equo impositum Desiderii, sed plus quam oporteat properare, eo quod frenum et sella deesset. Hostes, inquit, a longe prosequuntur; alii, tanquam inveterati malorum, viarum compendia captant. Sed et nunc unum video, in quo armorum nostrorum relucet effigies; a nobis tamen ille non exivit. Necessè est eat qui interrogare novèrit eum: Noster es, an adversariorum?*

3. Porro rex, cujus animum cura semper sollicitat animarum, duos consiliarios suos emittit, Prudentiam et Temperantiam. Quarum Temperantiam quidem 1249 equo frenum Discretionis imposuit, et Spem moderatius incedere persuasit. Prudentia vero Timorem increpans et arguens improbitatis, de futuro commonuit: et equo sellam Circumspectionis apposuit, ut non caderet ascensor ejus retro; sed retro præteriti confessioni peccati, ante meditationi

judicii, a sinistris patientiæ inmitteretur, a dextris A humilitati. Porro Spes et Timor dedere calcitra, Spes in dextro pede expectationem præmii, Timor in sinistro supplicii metum.

4. Et facta mora cum adesperasset, et inclinata esset jam dies, rursus congregati sunt hostes in multitudinē, ut dimicent contra eos. Pavet Timor, Spes accelerat; sed vix tandem ad consilium eos Prudentia, Temperantiaque revocavit. Et illa: Videtis, inquit, quia dies præcessit, et nox appropinquavit; et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat? Porro vobis grandis restat via, nec parva est hostium multitudo. Est autem miles quidam regi nostro fidelissimus, quem ego novi, castrum habens prope nos positum, et firmissimum est habitaculum; quia in petra posuit nidum suum. Divertamus ad illum, si placet, quia bonum est illic esse. Quod cum placuisset omnibus, et ducem itineris quæsisent, ait Prudentia: Armiger meus Ratio præcedet nos. Est enim gnarus viarum, et notus Justitiæ, utpote consanguineus ejus. Præcedente itaque Ratione, cæteris subsequentibus, antevenit Ratio; et salutata Justitia, nuntiavit hospites adventare. Quærit illa qui sint; unde, ad quid veniant, sciscitatur. Et cum regem cognovisset, hilari vultu surgens fugientibus occurrit cum panibus, et obviavit illis quasi mater honorificata, susceptamque animam ab equo deposuit, et in penetralibus domus avida collocavit.

5. Insequitur hostilis exercitus, et castrum obsidens, undique inquiri, si quis forte pateret ingressus, ac tanquam leo circuit quærens quem devoret. Sed cum undique illud munitionem inveniunt, tentoria figunt, et excubias ordinant, ne quis ingredi aut egredi valeat, ut mane facto instructis machinis diruant et irruant super eos. Interim Pavor paviditate et sollicitudine non piger, nec unquam securus, commilitones excitat, Justitiam convenit, de munitione loci, de præparatione armorum quærit, adjiciens et illud, ne forte sustentationi deficiant alimenta. Ad hæc Justitia respondit: Situs loci, ut animadvertere potestis, saxosus et inaccessibleis est, nec in armis, nec in machinis inimicorum timet insultum. Sed quia aridus est, paucos habet indigenas, quos arido hordeacei panis cibo utcumque sustentat. Et nunc supersunt nobis quinque panes hordeacei, et duo pisces. Et Timor: Quid hæc, inquit, sunt inter tantos? Cœpit igitur magis pavere et tædere: et arguens animam quod ab equo Desiderii descendisset, illud sæpius memorabat, esse novissima hominis illius pejora prioribus. Equus enim ille præpeti cursu festinus advolat ad urbem, nunc solius Rationis commissus ducatur. Ipse, inquit, videris, si non melius erat tibi tunc magis, quam nunc.

6. Prope jam erat ut adversus Spem contraria sentientem Timor insurgeret; sed Temperantia Prudentiam advocavit. Accersita Prudentia improbitatem Timoris objurgans: In adversarios, inquit, tuus, o Timor, mucro desæviat. Nescis quia rex noster, rex virtutum est, Dominus fortis et potens, Domi-

nus potens in prælio? Eat igitur nuntius, qui suorum necessitates exponat, adjutorium flagitet, auxiliatorem adducat. Et quis ire poterit, ait Timor? Tenebræ operiunt terram, et muros obsidet hostium pervigil multitudo; et ignari viæ, tanquam in regione longinqua. Advocaverunt igitur hospitem suum Justitiam. Si quid, inquit, potes, adjuva nos. Quibus illa: Bono animo estote. Est enim mihi nuntius fidelissimus regi, bene notus curiæ, Oratio scilicet, qui in secreto noctis silentio per ignotas semitas arcana cœli penetrare, et cubiculum regis adire, et opportuna importunitate pium regis animum flectere non indoctus, supplicatione miserabili laborantibus auxilium solitus 1250 impetrare. Eat ille si placet: ecce enim præsto est. Cumque respondissent omnes: Placet! Prudentia quid regi insinuet, dictante Justitia ut fideliter agat, et ne vacuus reverlatur præcipiente, cæteris, et maxime Timore, ut iter acceleraret deprecantibus, per occultos quosdam muri exitus dimissus est. At ille hostium cuneos penetrans securus, omni ave velocior, in momento, in ictu oculi usque ad portas novæ Jerusalem pervenit. Quas cum clausas reperisset et pulsasset, janitoribus ægre ferentibus, quod intempeste noctis silentio civitatem impleret clamoribus, et regi ipsi importunus esse non veretur, ille perseverabat pulsans, et amplius loquebatur: Aperite mihi, inquit, portas justitiæ, et ingressus in eas confitebor Domino regi nostro in ore meo secundum multitudinem dolorum meorum, qui sunt in corde meo. Hæc, inquit, porta Domini mei. Justitia me misit ad vos, ut introducar ad regem, quia ad ipsum habeo secreta quæ perforam. Vox turbinis audita est in terra nostra.

7. Rex cum cognovisset nuntium esse Justitiæ, introduci eum præcepit. Ingressa Oratio ad regem, adoravit, et ait: Rex, in æternum vive. Et ille: Rectene sunt omnia circa dominum tuum, et quæ illius sunt? Et Oratio: Recte, Domine, vestri gratia. Porro unum est necessarium. Servus ille vester a cornibus unicornium ad imperium regis ereptus, divertit ad militem vestrum dominum meum; et: Domine mi, terra illa australis et arens est, et cibum non habet. Det Dominus benedictionem, et terra nostra det fructum suum. En congregati hostes in multitudine, ut dimicent contra nos: da nobis, Domine, auxilium de tribulatione; quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu, Deus noster. Porro rex noster, cujus natura bonitas, motus his lacrymis ait: Quem mitemus? Ad quem Charitas: Ecce ego, Domine, mitte me. Rex autem quærebat de sociis; sed Charitas domesticam sibi familiam respondit sufficere. Exit ergo una cum nobili illo comitatu suo, Gaudio, Pace, Patientia, Longanimitate, Benignitate, Bonitate, Mansuetudine. His stipatus dux insignis progreditur, certusque de victoria, erecto signo triumphali primam pertransit inimicorum, secundamque custodiam. Cumque venisset ad portam, ultro aperta est ei. Ad cujus ingressum facta est lætitia magna in oppido. Cumque suadente Gaudio

vociferarentur omnes et acclamarent, exortus clamor exterorum castra perterrituit. Et illi: Quæ est ista, inquit, vox exultationis in auribus nostris de castris Israel? Non ita heri et nudius tertius. Forte venit eis auxilium, et impetum facient in nos. Fugiamus ergo Israellem; Dominus enim pugnat pro eis contra nos. Interim Charitas moræ impatiens, ordinari exercitum, aperiri portas, et persequi præcipit inimicos, aperte denuntians: Vadam ad portas inferi. Sicque uno impetu uniuersus Charitatis exercitus procedit, quos Babylonii non ferentes fugiunt, sed non effugiunt. Cadunt a latere Timoris mille, et a dextris Charitatis decem millia.

PARABOLA III.

De pugna spirituali.

1. Inter Jerusalem et Babylonem ordinatæ sunt acies ad bellum. Hinc David manu fortis aciem producit virtutum terribilem et ordinatam: inde Nabuchodonosor Babylonis spiritualia nequitie, suumque vitiorum tumultuosum exercitum dirigit ex adverso. Procedit de castris David tirunculus novitius, nuper in militiam regis juratus, et per manus ipsius æterni David verbi Dei gladio accinctus, et spiritualibus armis insignitus, ingentes gerens animos, et contra regis edictum, ad faciendum sibi nomen plusquam ad hostem viuendum impatientissimus. Equus erat ei fervidus, proprium corpus; de succo adhuc sæculi fortis, viridis, lasciuus, animusque ejus conueniens, cui insidens ferebatur insignis; castrorumque suorum dedignans disciplinam, contemptis sociis, stolidam quadam præsumptione longe præ cæteris progrediebatur, æstuans et **1251** anhelans ad faciendum sibi nomen. Videns David impetuosam ejus præsumptionem, per Filium suum Salomonem sub interminatione ei mandavit: *Væ soli, quia si ceciderit, non habebit sublevantem* (Eccle. iv, 10). Cujus ille monita parvi pendens, cum sibi vel aliis ostendere magnæ virtutis suæ quæreret occasiones, et præclarum aliquod facinus moliretur, conspicitur eminens in parte hostili unum de inimicis fortis malitiæ, astutæ nequitie, arma habentem ignea, manusque plenas jaculis igneis, multos vulnerantem, vulneratos occidentem, occisos conculcantem, facile capientem, difficile relaxantem, spiritum Fornicationis.

2. Hic se ostensurum præsumens præclaram virtutem suam, impetum in eum dirigit, et promptum illum equum suum juniorum verberibus, et vigiliarum calcaribus perurgens, totus fertur in illum. Clamat a tergo Prudentia, Parce, parce! clamat Diacretio, Sustine, sustine! totusque eum concrepat Davidicus exercitus. Quos ille omnes surda aure præteriens, fertur miser totus in malum suum, et nescit. Videns Nabuchodonosor infremat, et malum ei parans dolos præmittit. Occurrit enim illi a latere in præceptis ruenti sorores duæ, Superbia et Vana Gloria, acclamantes ei in dolo: Euge, euge! Quibus ille miser nimis credulus, totus fertur in præceptis, et nescit quæ jam undique eum circumval-

ant lent insidie. Spiritus quidem Fornicationis, jam crebro tales et talium impetus expertus, fugam simulat, et delusum miserum sequi provocat, donec per patentem portam in medio Babylonis introductum suis illum sociis tradidit illudendum. Gastrimargia et Fornicatio equum sibi vindicant, nec dominum suum jus in eo habere ultra permittunt. Jam quippe deficiebat, jam fatigatus divertere quærebat. In medio quippe pugne sub pugnante ceciderat, et casu suo vehementer attriverat sessorem suum: quem illi cibus Babylonis refectum, reimpingutum suis subdidit servitiis. In miserum vero Ira, Invidia, cæteraque vitiorum turba consurgit, et fiducia-liter supra dorsum ejus fabricant peccatores. Sed et Fornicatio cujus nisi terga fugientis nil adhuc ille viderat, aperta jam facie et impudenti fronte in eum consurgit, et spicula ignea in cor ejus torquet, gladiumque in cervicem ejus exserit, projectumque in terram conculcat; et coquo regis Babyloniorum Nabuzardan eum tradens, ejus immundis gurgitationibus subdidit illudendum. Nec jam patitur, ut honesta in eum vitia manum mittant; sed inmundis scurris de coquina regis, id est fœdis et horrendis viticiis, exhibet irridendum. Sic igitur captus ab inimicis, ligatur funibus male consuetudinis, et præcipitatur in carcerem Desperationis.

3. Rex autem David cooperto capite lugebat, dicens: Absalon filii mi, filii mi Absalon! Vocansque unum regie clientelæ ac sedis in hujusmodi utilem et probatum, Timorem scilicet, ad requirendum eum dirigit, et Obedientiam secum mandavit, ut ereptum de carcere tutelæ committeret Obedientie. Missus Timor venit, et suscitatur miserum, ereptumque de carceribus claustris et vinculis, sicut sibi jussum fuerat, Obedientie tradidit: equum suum ei restituit, sed ferocem et rebellem, et qui vix ultra dominum dignaretur agnoscere. Quem Obedientia apprehendens et freno ferreo cohibens, licet renitentem plurimum et recalcitrantem, antiquo domino subdidit, docuitque eum mutare fortitudinem.

4. Susceptum itaque a Timore Obedientia deducens militem Christi, per aliam viam reduxit in regionem suam, primanique ei mansionem apud Pietatem constituit: ut scilicet animos ejus, quos Timor exacerbaverat, Pietas patris revocantis refocillaret. Secundam, apud Scientiam, ut sciret unde et quo sibi esset redeundum: sciretque uti et Pietate, et Timore, ne Pietas extolleret, Timor frangeret. Tertiam, apud Fortitudinem, quæ eum ad peragendum reditus sui iter confortaret. Quartam, apud Consilium, ut alterius cum consilio omnia faceret, nec a ducatu obedientie in aliquo declinaret. Quintam, apud Intellectum, ut non jam **1252** consilio tantum hominum, sed ipse jam intelligere inciperet quæ sit voluntas Domini bona, beneplacens et perfecta. Ad sextam mansionem pervenit miles Christi Sapientie, hospitibus suis eum prosequentibus, nec iter ejus deserentibus, ut jam ei sapiant bona Domini, et exinde cum Moyse, velut de monte Abarim,

repromissiones Dei incipiat contemplari (*Deut. xxxii, 49*). Et hinc jam pervenitur in Jerusalem, in regnum et civitatem David, in visionem pacis: ubi beati pacifici filii Dei interius et exterius omnibus pacificatis ingressi, gaudium Domini sui celebrant, sabbatum sabbatorum. Amen.

PARABOLA IV (152)

De Christo et Ecclesia.

1. *Simile est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo (Math. xxii, 2).* Cumque dies instaret nuptiarum, consulit Pater Filium, quam vellet ducere. Ille se elegisse et prælegisse Ecclesiam respondit a sæculo. At Pater: Sed captiva, inquit, tenetur in Ægypto, ibique servit in luto et latere (*Exod. i, 14*), venundata sub peccato. Induratum est cor Pharaonis super eam, et aggravata manus, nec dimittet eam nisi in manu forti (*Exo. i. iii*). Et ego, inquit Filius, manus tua et brachium fortitudinis tuæ, intrabo Ægyptum in manu forti et brachio extento, et liberabo eam. Et ut obstruam os loquentium iniqua, et redimam eam a calumniis hominum, appendam in statera juxta pretium quo venundata est sub peccato, voluntatem scilicet peccati; et e contra pretium sanguinis mei: et invenietur illa minus habens, et perveniet ad victoriam judicium meum. At Pater: Plane, inquit, perveniet; sed lex est conjugii sponsæ requirere assensum. Requiritur, inquit. Inveni David servum meum, virum secundum cor meum. Mittam eum cum cithara, ut loquatur ad cor ejus, et advocet eam, et demulceat animos ejus, in luto Ægypti a-suetos et putrefactos. Missus David Ægyptum ingreditur; et præparatum habens dulcissimum epithalamii canticum, eructavit de corde suo hoc verbum bonum: *Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui; et concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus (Psal. xlii, 11, 12).* Jussus etiam Isaias e vestigio subsequitur, vidensque illam in vinculis captivitatis: *Consurge, inquit, consurge, induens fortitudinem brachii Domini. Elevare, elevare, consurge, Jerusalem; solve vincula colli tui, captiva filia Sion (Isa. li, 9; lii, 1, 2).*

2. Cumque etiam alii multi intrassent patriarchæ et prophetæ, omnes eadem nuntiantes, tandem aliquando intelligens illa gratiam Dei, surgensque de pulvere, dixit: Recordatus es mei, Domine Deus meus. Misereris, cujus misereris, et misericordiam præstas, cujus misereris (*Exod. xxxiii, 19*). Et subsequens quod sapiens illa Abigail: *Quis, inquit, me det in ancillam servorum Domini mei, ut lavem pedes servorum Domini mei? (I Reg. xv, 41.)* Moxque exsurgens, sicut ipsa Abigail, ascendit super asinam, id est, subdidit sibi carnem suam, et secuta est servos regis. Occurrit sponsus festivus et hilaris: tenensque manum dexteram ejus, et in voluntate sua deducens eam, et cum gloria suscipiens eam,

A introduxit in civitatem regni sui, et in cubiculum genitricis suæ. Et in lectulo charitatis suæ eam collocans, et gratiæ suæ ornamentis eam condecorans, lævamque suam sub capite ejus ponens, et dextera sua eam amplexans: *Adjuro vos, inquit, filia Jerusalem, ut non suscitatis, neque evigilare faciatis dilectam donec ipsa velit (Cantic. ii, 6, 7).* Posuitque sexaginta ex fortissimis Israel, qui ambirent lectum, ad bella doctissimos: et uniuscujusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos. Osculansque eam osculo oris sui (*Cantic. i, 1*), et valedicens ei abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti. Mandavitque ei per Osee prophetam: *Multo tempore me expectabis; et non erit tibi sacerdos, nec sacrificium (Ose. iii, 3, 4).*

B 3. Cujus Pharaon ille Ægyptius captans absentiam, convocato exercitu: Veni, inquit, *persequar et comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea: 1253* *eraginabo gladium meum, interficiet eos manus mea (Exod. xv, 9).* Surgensque cum omni malitiæ suæ nequitia, Ecclesiæ persecutionem indixit. Moxque ejus castra aggrediens, comprehensum Petrum, fratremque ejus Andream crucifixit, Paulum decollavit, Joannem exsilavit, Bartholomæum decoriavit, Stephanum lapidavit, Laurentium et Vincentium ustulavit, et sanctorum mortibus, mortiumque et tormentorum generibus omnia complevit.

C Posuerunt morticina servorum Dei escas volatilibus cœli, carnes sanctorum bestiis terræ. Effuderunt sanguinem innocentem tanquam aquam in circuitu Jerusalem, et non erat qui sepeliret (*Psal. lxxviii, 2, 3*). Videns Ecclesia defensores suos positos ut oves escarum, ingemuit, et facta est amaritudo ejus amara. Sed terra Ecclesiæ sanguine martyrum impinguata, fidelium segetes multiplici quodam gemine refundebat: et in præcisione unius centum vel mille reddens, unde vinci sperabatur vincebat.

4. Quod barbara illa inimici nequitia deprehendens infremuit, et ad nota calliditatis suæ arma refugiens, a persecutione interim conquievit, viresque contraxit, gladium revocavit, consilium mutavit. Nullus pejor, inquit, quam domesticus inimicus. Effundam igitur contentionem super principes eorum, et errare eos faciam in invio, et non in via (*Psal. cvi, 40*). Et cum dicent: Pax, pax; non erit pax (*Jerem. vi, 14*). Sed suscitabo inter eos hæreses et schismata, et civili et intestino quodam bello omnia turbabo: et facilius suo eos gladio faciam interire, quam meo. Dixit, et mox terribilis illa hactenus Ecclesiæ acies ordinata facta est non terribilis, quia deordinata. Mutuis quippe se vulneribus impetentes, seque invicem hostiliter coincidentes, hostibus a longe stantibus et ridentibus, risum et insultationem, Ecclesiæ vero luctum et intolerabilem incussere dolorem. Amaritudo enim ejus prius amara, nunc facta est amarior, cum vipereo quodam malo a filiis suis deflebat discerpi viscera sua. Sed

(152) Inter Spuria locum habet in antiquis editionibus, uti et sequens.

continuo egregii curiæ Christianæ milites prævalere videntes astutam inimici malitiam, spiritum resumpserunt, arma fidei corripuerunt: et malum ex semetipsis viriliter auferentes, Alexander cum multis Arium; Augustinus Manichæum multosque alios; Hieronymus Epicuræum Jovinianum, cæterique cæteras hæresum et schismatum pestes pervadentes vel fortiter trucidaverunt, vel prudenter a castris propulerunt, pacemque Ecclesiæ et gaudium restituerunt.

6. Sed heu, heu! nec mare fluctibus, nec ista vita carere potest tentationibus; nec potest esse pax firma et solida, nisi in regione sua. Videns enim peccator, et invidie irascitur, dentibus fremit et tabescit, et nova parans bella ad spiritualia malitiæ arma se convertit; convocansque sui exercitus egregios illos duces, spiritum scilicet Fornicationis, spiritum Gule, spiritum Avaritiæ: Videtis, inquit, quia nihil proficimus, et jam totus mundus post ipsos abiit. Sed adhuc experiri habent vires nostras, qui gloriantur se jam effugisse vel elusisse artes meas. Dixit, et castris eos Ecclesiæ immittens, et dormientes omnes et ebrios nocte inveniens (qui enim dormiunt, et qui ebrii sunt, nocte dormiunt et nocte ebrii sunt) (*I Thess. v, 7*), continue omnia turbavit. Mox enim omnes se ipsos amantes, quæ sua sunt vindicantes, non quæ Jesu Christi, hæreditate sibi vindicaverunt sanctuarium Dei, et polluerunt tabernaculum nominis ejus (*Psal. lxxiii, 7*): non Deo in eo, sed voluntatibus et voluptatibus suis servientes, quæque Deo oblata vel sacrata, in suos usus vertentes. Facientes enim sibi de nominibus et officii religionis nomina et auctoritates avaritiæ, elationis et vanitatis, tunicam illam charitatis inconsutilem desuper textam per totum (*Joan. xix, 25*), purpureumque illud fidei pallium pretioso sanguine tinctum, quibus nuditatem sponsæ Sponsus operuerat cæteraque religionis ornamenta, reluctanti et reclamanti Ecclesiæ detraxerunt: eamque denudantes, nec se vestientes, quam custodire debuerant, nudam reliquerunt, et de statu quietis eam exturbantes, quantum in ipsis est, de mundo fugere compulerunt.

6. Sed illa clamans, plorans, et nudata turpitudine, **1254** et discoopertis natibus, omnia occulta et pudenda sua risui omnium deflens exposita, orat filios uteri sui, nec miserentur; obsecrat, et irridetur. Et utraque manu totis viribus paniculos quosdam canonicæ vel monasticæ religionis, qui vix manus diripientium effugerant, circa cor et vitales illas partes astringens, hos saltem dimitti sibi precatur, nec auditur. Et ipsos enim sui illi, non custodes, sed latrones, diripere conantur; ut vel nuditatem suam non ferens, de hoc mundo fugiat, vel inter eos in frigore malitiæ eorum moriatur. Fingentes tamen nonnunquam se misereri, vestem de simulatione Virtutum et dissimulatione Vitiorum, manu Hypocrisis utrimque contextam vendere illi conantur. Quam illa detestans et

abominans, non suscipit, non recognoscit. Novit illam Sapientiæ manibus contextam, tinctam et sacratam Agni sanguine, a Sponso sibi derelictam, a filiis sublatam. Aliam nescit, sed alijcit et respuit. Ideo abjicitur, respuitur, conspuitur, et omnibus opprobrio habetur.

7. Hæc sunt nostra, hæc sunt Ecclesiæ periculosa tempora: in quibus in pace facta est amaritudo ejus amarissima (*Isa. xxxviii, 17*). Sed tria vix abierunt: adhuc restat unum vix, scilicet angelus Satiæ, in angelum lucis se transfiguraturus, sessurus in templo Dei, et ostensurus se tanquam sit Deus. Qui jam mysteria iniquitatis operatur (*I Thess. ii, 3-10*), prænuntiis ejus jam undique Ecclesiæ suggillantibus: *Ecce hic, et ecce illic* (*Luc. xvii, 23*). Sed, o Sponsa Christi, noli credere, noli exire: sed sustine Sponsum tuum, qui te non despicit, nec obliviscitur in tribulatione: sed quarta vigilia veniet ad te ambulans super mare (*Matth. xiv, 25*). Et veni, Domine; veni ad liberandum eam, Domine Deus virtutum, qui vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

PARABOLA V.

De fide, spe, et charitate.

1. Rex nobilis et potens tres habuit filias, Fidem, Spem et Charitatem. His delegavit civitatem eximiam, humanam Animam. In qua cum tres sint arces, Rationabilitas, Concupiscibilitas, Irascibilitas, unicuique suam contradidit: Fidei primam, Spei secundam, Charitati tertiam. Rationabilitati præficitur Fides, quia fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Concupiscibilitati Spes, quia concupiscere nos non licet quæ videmus, sed quæ speramus; et spes quæ videtur, non est spes. Irascibilitati Charitas, fervor scilicet fervori, ut fervor virtutis fervori naturæ dominetur, imo fervor naturalis attollat se in fervorem virtutis. Ingressæ illæ, unaquæque pro posse suo domum suam ordinat et procurat. Custodem ergo domus suæ in Rationabilitate Fides ponit Prudentiam, ut suum jus in ea sibi conservet, et rationem sub legibus fidei et intra terminos a fide positos cohibeat. Ut autem fiducialiter in domo ageret, addidit et Obedientiam. Ut Obedientiæ processum operis, et tolerantiam haberet laboris, subdidit et Patientiam. Ut autem etiam inferiorem actuum vel sensuum familiam regere bene posset et dispensare, ipsam ei Dispensationem suffecit. Ut secundum Apostolum honeste et secundum ordinem omnia fierent (*I Cor. xiv, 40*), addidit etiam et Ordinem. Ne maledictio intraret domum (maledicta omnis domus indisciplinata), custodem in porta posuit Disciplinam.

2. Spes autem in Concupiscibilitate domui suæ Sobrietatem præfecit, ut jus suum in ea sibi conservaret, et principales ejus sibi semper servire compelleret. Ut autem inferiorem voluntatum et voluptatum familiam discrete regere sufficeret, ipsa ei subdidit Discretionem. Cui etiam contra concupiscentiam carnis addidit Continentiam: contra cou-

cupiscentiam oculorum, Constantiam; contra ambitionem sæculi, Humilitatem. Et ne egestas intraret domum (ubi enim multa verba sunt, sicut dicit Salomon, ubi multa egestas (Prov. xiv, 23), Silentium custodem posuit in limine.

3. At Charitas suam domum ad austrum et meridiem **1255** positam, amicæ sibi Pietati commisit; jusque suum omne ei tradidit, subdens ei ad obsequium primum Munditiam corporis; deinde, congruas exercitationes, videlicet lectiones, meditationes, orationes, et spirituales affectiones. Et ne ingressa domum miseria conturbaret Beatitudinem filiorum Dei, qui in septimo gradu (*Math. v, 9*), id est in perfectione beatitudinis positi, in domo Charitatis ludunt et jucundantur, ipsam Pacem custodem in porta constituit. Sic ordinatis domibus suis, totius civitatis quasi præpositum quemdam et æconomum posuerunt Liberum Arbitrium.

4. Quo peracto, redeunt in domum patris puellæ regis. Inimicus homo superveniens, ordinem et gloriam civitatis videns et invidens, machinatur insidias; et ingredi cupiens, corruptis duobus de præcipuis civibus, Discretionem et Dispensationem, universæ malitiæ suæ exercitum introduxit per portas Rationabilitatis et Concupiscibilitatis. Præpositus civitatis Liberum Arbitrium, qui totius civitatis dimissus erat custos et arbiter (paterfamilias quippe peregere proficiscens dedit servis suis potestatem cujusque operis), ligatur vinculis ferreis et in carcerem mittitur. Præcipitatis de arce Rationabilitatis custodibus suis, mox contra Fidem Blasphemia inducitur. Cum qua irruentes contradictiones, commotiones et confusiones, cæteraque hujusmodi turba, cunctaque sibi diripientes, sibi que quidquid libebat vindicantes, in Rationabilitate nihil rationis reliquerunt; et janitore perempto, scilicet Disciplina, omnibus intrandi et exeundi copiam præbuerunt.

5. Porro in domum Spei, Concupiscibilitatem scilicet, ingressa, et omnia sibi vindicans domina Luxuria, totam eam de superioribus dejectam ad ima devolvit, et Concupiscentiæ carnis Continentiam, Concupiscentiæ oculorum Constantiam, Ambitioni sæculi Humilitatem conculcandam tradidit et illudendam. Et perempto Silentio janitore, omnibus et intransibus et exeuntibus fecit portam patere. Sobrietatem vero et socias sobrietatis virtutes aut occidit, aut incarcerationavit, aut in exilium destinavit. Exinde ad superiorem civitatis arcem conscenditur, et Pace janitore et custode summæ beatitudinis perempto, Miseria ingreditur. Mox enim domina

Superbia ascendens in arcem (*Superbia enim eorum qui te oderunt, ascendit semper (Psal. lxxiii, 23)*). Pietatem de ea impie deturbavit, totamque illam Pietatis et Pacis familiam morte vel exilio damnavit. Jam quicumque vult, sanctuarium Dei ingreditur: quæcunque sancta in eo, quæcunque hactenus filiis Levi tantum accessibilia erant et visibilia, jam profanata, jam direpta ab inimicis, in Babylonem transferuntur; et de vasis templi concubinis regis Babylonii propinatur. Sic capta est et confusa tota civitas; secundum gloriam ejus facta est ignominia ejus.

6. Confusis omnibus, ad dominas tristes nuntius venit perditæ civitatis. Conturbatæ illæ pedibus Patris provolvuntur, auxilium deprecantes. Causante illo et custodis Liberi Arbitrii arguente negligentiam: Quid, inquit, o Pater, Liberum Arbitrium potest sine adjutrice gratia? Et ego, inquit, dabo gratiam; sed præmittendus est Timor. Ipæ enim præibit ante illam parare vias ejus. Egressus Timor a facie Domini, venit ad civitatem, baculum habens disciplinæ in manu ejus; invenitque portam difficultatis observatam, et obfirmatam vectibus malæ consuetudinis. Janitor procax et improbus carnis lascivia in portis aderat, qui Timori satis infestus, opprobriis et conviciis eum fatigabat. At ille facto impetu fiducia, frangens vectes malæ consuetudinis, portas diruens difficultatis, miserum illum corripit, et baculo eum disciplinæ quem tenebat, usque ad mortem perurget: statimque signum adventantis Gratia super portas elevans, totam civitatem vertit in timorem. Post quem Gratia ingreditur civitatem, secum totum illum Virtutum cœlestium exercitum adducens. Mox pars inimica disparuit, Virtutes vero ad nota præsidia recurrunt. Procedentes illico et se ipsas deceptas fuisse accusantes Discretio et Dispensatio **1256** veniam precantur: prodit de vinculis et ad occursum dominæ Gratia festinat Arbitrium, sub regno Gratia nunc tandem se sperans fore liberum. Fercula præparantur sibi regis domus suæ, et mensæ ponuntur congruæ. In mensa quippe Fidei panis ponitur doloris, et aqua angustia, et cætera pœnitentiæ fercula. In mensa Spei panis confortans, et oleum exhilarans faciem, et cætera consolationis fercula. In mensa Charitatis panis vitæ, vinumque lætificans, et omnes deliciae paradisi. Jam ingrediuntur et epulantur, et custodiunt civitatem. Sed nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam (*Psal. cxxvi, 1*).

CONFSSIONIS PRIVATÆ FORMULA

Seu oratio pœnitentis ad Christum devotissima, quæ B. Bernardo non male ascribitur.

1. In unione acerbissimi doloris tui, qui causam doloris mei assumpsisti, et emendationem pro peccatis meis suscepisti, Domine Jesu Christe, cum universitate dolentium, vere pœnitentium, et te in veritate quærentium, confiteor tibi omnia peccata mea, mala commissa, et bona omissa, vel non pure aut negligenter facta, sicut tu ea melius nosti in numero, pondere et mensura; et dies perditos vitæ meæ, in quibus te offendi, et laudem tuam minui, et a te summo bono cecidi, et proximum in casum traxi. Suscipe ergo, Domine, de mea misera vita residuum annorum meorum; pro his vero quos male vivendo perdidisti, quibus perditæ vixi, cor contritum et humiliatum, Deus, ne despicias. Dies mei declinaverunt et perierunt sine fructu. Impossibile est ut eos revocem; sed placeat tibi, ut recogitem illos in amaritudine animæ meæ. Domine, abyssus profundissima miseræ meæ abyssum invocat altissimæ misericordiæ tuæ. Ne contineas in ira miserationes tuas, et fontem inexhaustum misericordiæ tuæ circa me exsiccare ne permittas propter peccata mea, qui misereri omnium, et nihil odisti eorum quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam. Tuum est, Domine, remittere peccata; miserere mei, dum tempus est gratiæ et miserationis; et dum tempus est emendationis, da mereri gloriam benedictionis, ne in die consummationis me feriat verbum maledictionis.

2. Fac me, quæso, Domine, assueta mala relinquere et quæ tibi placent peragere; et studium, quod huc usque in peccatis exercui, te adjuvante, deinceps in tua voluntate da ut exerceam, ut ubi abundavit delictum tua gratia reabundet. Rogo te propter temetipsum, et per amorem piissimæ matris tuæ gloriosæ Virginis Mariæ, et per intercessionem omnium sanctorum tuorum atque electorum tuorum, ignosce omnibus peccatis, negligentis et ignorantis meis, et ne perdas me cum omnibus iniquitatibus meis, neque in finem iratus reserves mala mea. Recordare, Domine Jesu, quia tuum non est perdere quidquam eorum quæ Pater tuus dedit tibi; quin

tibi proprium est misereri semper et parcere, neminem perdere, sed salvare. Nam Pater tuus misit te in mundum, non ut iudices mundum, sed ut vitam habeamus per te; ut sis propitiatio nostra, et advocatus noster, non contra nos. Quod enim nos debuimus, tu solvisti; quod nos peccavimus, tu luisti; quod nos negleximus, tu supplesti.

3. Proficiat ergo nunc, Domine, et in extremis meis, plenaria, imo superflua satisfactio, amarissima mors tua, et pretium inestimabile fusi sanguinis tui, commemoratio satisfactionis tuæ, venerabile mysterium corporis et sanguinis tui, quod tibi quotidie offertur in Ecclesia pro salute fidelium servorum tuorum: in quo es tu ipse sacerdos et sacrificium; ille qui offert pariter et cui offertur, et hoc ipsum quod offertur, ad promerendam in præsentem gratiam, quam non mereor; ad obtinendam in futurum requiem et gloriam, quam tua amarissima mors impetravit. Imperfectum meum, Domine Jesu, oculi tui viderunt; sed tu, pie, misericors et præstabilis super malitia, ne, quæso, imputes mihi ad æternum supplicium, qui omnia ad summum et **1257** perfectum bonum optime, et perfectissime, et sapientissime præordinasti; et ne permittas me deleri de libro vitæ; sed offer mihi portionem, quæ me contingit, in subsidium tuæ videlicet pretiosæ passionis, pro qua voluisti hominem habere tibi coheredem in terra viventium.

4. Te igitur, Domine, moveat et inclinet ad misericordiam humanæ fragilitatis consideratio, qui nosti quæ sit hominis substantia, et quod non vane constitueris hominem super terram; et conserva me opus tuæ pietatis, ne incassum circa ipsum laboraveris, neve infructuosa sit in me immaculati cruoris tui effusio. Tu, qui es purificationem faciens peccatorum, præsta, ut emundatis per te peccatorum sordibus, illustrataque mentis facie cognoscam te, teque agnoscens in directione jugiter ad te tendam, ut felici tandem exitu ad te merear pervenire, Jesu Christe, Deus meus et Dominus meus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis, etc.

OFFICIUM DE S. VICTORE CONFESSORE,

A sancto Bernardo, rogatu Guidonis abbatis Arremarensis, compositum (153).

AD I VESPERAS.

ANTIPHONÆ SUPER PSALMOS.

Victrix anima, quæ sicut passer transvolans, laqueos venantium evasisti; da ut tuo ab his patrocinio eruamur.

O miles emerite, qui debitam post certamen requiem accepisti, respice in nos, qui et inter hostiles gladios tuis laudibus occupamur.

O victor Jesu, quem in nostro Victore vicisse cognoscimus, da ei sic sibi in te gloriari, ut non subeat oblivio nostri.

CAPITULUM.

Dilectus a Deo et hominibus sanctus Victor, cujus memoriæ in benedictione est, similem illum fecit in gloria sanctorum.

ñ. (prolixum). O vere Victor, qui ex quo vixisti, vicisti ab utero usque ad tumulum, continuos promerendo triumphos. Da nobis ut sicut tuis animamur victoriis, muniamur et armis.

ÿ. Ut possimus resistere in die malo et in omnibus perfecti stare. Da nobis, etc.

HYMNUS.

Vita Victoris (154) meritis præclara,
Hominem terris, qui non sit de terra,
Velut e cælo datum representat

Ad imitandum.

Christus in illo vixit, et non ipse;
Speculum vitæ mortuis de mundo,
Homo cælestis præbuit se ipsum,

Similes quærens.

Aliquid quoque sanctius professus,
Exstitit Victor forma sanctitatis,
Integrum servans atque incorruptum
Decus honesti.

Unde et vidit visiones Dei,
Vidit et cælos aperiri sibi.
Nempe pudicos visio cælestis
Querit aspectus.

Gloria summæ Trinitati Deo,
Gloria trina una personarum,
Tota cujusque non divisa trium,
Tres enim unum.

Ad Magnif. Antiphona. Magna est virtus Domini tui, Victor, nec minor pietas: et utinam per te nobis tam sit propitius ad salutem, quam tibi magnificus exstitit ad virtutem! Magnifica, Victor, Dominum, qui magna fecit tibi, magnum te faciens, ut

(153) Vide supra pag. 715, epistolam 398; et pag. 2078, duos sermones de S. Victore.

(154) Hic in mentem revocanda Bernardi verba ex

A faceres mirabilia, in quibus mirabilis feres; dedit certare, ut vincere daret, et Victorem coronaret.

Collecta. Exaudi, Domine, quæsumus, tibi supplicantium preces ut, quos corporali beati confessoris tui Victoris fecisti præsentia gloriari, concedas ejus benigna intercessione undique præmuniri. Per Dominum Jesum, etc.

1258 AD MATUTINUM.

Invitat. Confidete, Victor vicit mundum. Gaudeamus in ejus victoria, ut vincamus.

HYMNUS.

Merito dulces angelorum voces
Corpore gravi audiebat homo,
Carneos luxus perimens, in carne
Angelum vivens.

Sic oportebat ut jam designatum
Vas in honorem sanctius maneret,
Sanctitas cujus dedicata fuit
Matris in alvo.

Denique carne gravidam cernentes
Matrem non ferunt, fugitant parentes,
Indicant nomen, consententur sanctum
Utero clausum.

Neque tenello huic tam mature
Vita segura, gloriæ invidit,
Et quidem magis cumulavit eam
Fenore multo.

Gloria summæ Trinitati, etc.

IN PRIMO NOCTURNO, ANTIPHONÆ.

C Beatus vir qui legem dilexit, et cathedram non affectavit.

Servivit Domino in timore, et jam sine tremore exsultat ei.

Domine, in lumine vultus tui ambulavit, et nunc signatum est super eum.

Verba tua, Domine, Victor auribus et corde percepit, ac per ea vicit.

In ore Victoris perfecta laus, quia in corde ejus perpetua pax.

Confidenti in Domino frustra insidiati sunt, qui sagittant in obscuro rectos corde.

LECTIO I.

Victoris vita et gloria, etc. *Vide supra inter Sermones de Sanctis, col. 371.*

ñ. O virum præcipuæ sanctitatis, qui ante sanctus quam natus, ante Victor opere quam nomine epistola 398, n. 3, ubi ait se his in hymnis metrum neglexisse, ne sensui deesset.

fuit, ita ut clausus in utero, jam de hoste triumpharet.

ŷ. Domine, prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis. Ita ut, etc.

LECTIO II.

Habemus, dilectissimi, in vita Victoris, etc. *Vide supra, loco citato.*

ŕ. O jucundum et inusitatum miraculum! Leo rugiens fugit a facie parvuli, necdum vagientis.

ŷ. Sicut fuit cera a facie ignis; sic pereant peccatores a facie, etc.

LECTIO III.

Epulemur, dilectissimi, vocati ad mensam divitis, etc. *Vide supra, col. 372*

ŕ. O felix mater, cujus uterus sensit novitatem, nulli matrum compertam a diebus Joannis Baptistæ.

ŷ. Non est inventus similis illi a diebus, etc.

LECTIO IV.

Si diligenter itaque, fratres reverendissimi, considero, etc. *Vide supra, col. 373.*

ŕ. O Jesu bone, tua est virtus, tua victoria, quod agriculus unus luporum multitudinem exturbavit.

ŷ. Antequam sciret puer vocare patrem aut matrem, luporum, etc.

IN SECUNDO NOCTURNO, ANTIPHONÆ.

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, ut sui nominis servaret veritatem.

Domine, in virtute tua letabitur Victor, sciens non in sua virtute fecisse victoriam.

Non accepit in vano animam suam, qui de ratione rexit vitam suam, et ideo ascendit in montem Domini.

A timore inimici eripuisti, Domine, animam sancti, cui peracta victoria non restat pugna.

Te decet hymnus, te decet laus, cujus opus fuit, ut carne solutus Victor noster hominem solvoret catenatum.

Bonum est confiteri Domino, cujus munera sanctorum merita, cui sanctus Victor, et quod sanctus est, et quod victor est, debere se confitetur.

1259 LECTIO V.

Gaudete in Domino, dilectissimi, qui, etc. *Vide supra, col. 373.*

ŕ. Dum transiret rex Francorum, et veniret secus ubi habitabat eremita, admiratus est super his quæ dicebantur de viro hoc.

ŷ. Quanta audivimus et cognovimus ea, et patres nostri narraverunt nobis, super his, etc.

LECTIO VI.

Pausat miles emeritus, et post labores, etc. *Vide supra, col. 374.*

ŕ. Jam thesaurum absconditum fama delatrix prodiderat, et non potuit præterire regem prætereuntem, sed divertit ad tugurium pauperis, excitus fama sanctitatis.

ŷ. Ut videret opera Domini et mirabilia ejus in deserto, excitus, etc.

LECTIO VII.

Fratres, latitudo cœli dilatat corda, non arctat, etc. *Vide supra, col. 375.*

ŕ. Ingresso rege pauperis cellam, sollicitus hospes quod vinum non haberet, haustam de proximo fonte aquam benedicens convertit in vinum. Et bibit rex, et qui cum eo erant.

ŷ. Repleti sunt omnes stupore et extasi in eo quod contigerat illis. Et bibit, etc.

LECTIO VIII.

Parvus ad pugnam, magnus ad victoriam, etc. *Vide supra, col. 375.*

ŕ. Novum genus potentia! aquæ rubescunt hydræ; vinum jussa fundere mutavit unda originem.

ŷ. Dextera Domini fecit virtutem. Vinum, etc.

IN TERTIO NOCTURNO, ANTIPHONÆ.

Quam pium, quam dulce, quam suave, o Victor, in hoc loco afflictionis, et in hoc corpore mortis te canere, te colere, te precari!

ŕ. Homo quidam non veritus malignari in Sanctum, furatus est triticum ejus, et abscondit in terram, et ecce miser traditur maligno spiritui.

ŷ. Maledictus homo qui abscondit frumenta in populis. Traditur, etc.

ŕ. Triste miraculum, sed justitiæ plenum. Ut quem suggestorem, ipsam et ultorem sceleris homo dæmonem pateretur.

ŷ. Justus es, Domine, et rectum judicium tuum. Ut quem, etc.

ŕ. Revelantur iniquitatis mysteria; dæmon hominem cogit, homo dæmonem prodit. Victor medius dijudicat inter illos. Dum dæmonem fugat, et hominem sanat, frumentum prodente ipsa malignitate recuperat.

ŷ. In fraude circumvenientium adfuit illi, et honestum fecit illum. Dum dæmonem, etc.

ŕ. Suspiciens Victor, vidit cœlos apertos, et crucem auream gemmis ornatam, et vox ad eum: Gemmæ sunt animæ, crucis gloriæ assecutæ, cujus inominum portaverunt.

ŷ. Latetur Israel in eo qui fecit eum, et filie Sion exsultent in rege suo. Cujus, etc.

AD LAUDES, ANTIPHONÆ.

Corpore terras, mente cœlos Victor inhabitans, aliquando aliquid nuntiantes, aliquando ineffabili cantus suavitate plausibiles voces angelicas audiebat.

Jam cœlos ingressus, quos et ante oculis apertis suspiciebat, vere nunc revelata facie speculatur gloriæ Dei.

Beata visio! qua in eandem imaginem, Victor, transformaris de claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu.

Vere anima tua, Victor, una ex gemmis quæ tibi in 1260 cruce apparuerunt, vere infixæ cruci, cum divinæ insertæ gloriæ, eandem sibi induit claritatis imaginem, quam invenit.

Omnipotens Pater, peccavimus tibi, facti filii alieni; sed appropriavimus in Victore nostro, qui

cum vicerit cupiditatem suam, vincat et iram tuam, **A** ab introitu gloriæ videbatur, dives meritis, siglus nos quoque in gratia potenter restituat. clarus, expeditus penetravit in sancta, similis factus in gloria sanctorum.

ñ. Filix Jerusalem, sancta anima migrat. Exite obviam ei.

ÿ. Veniens venit cum exultatione. Exite, etc.

HYMNUS.

Vina de fonte non de vite manant,
Musta pro rivis colorata fluunt,
Benedicentis manu bene usa
Pro torculari.

Subito sapor subiens novellus,
In novos usus latices coegit,
Rege mirante, ubi non putabat
Regium potum.

Dæmone tortus publicat se homo,
Furta fatetur miser vel invitus.
Pellitur tortor fure deprehenso,
Tortus et ipse.

Hæc satis probant aliaque multa
Prærogativam gloriæ Victoris ;
Nec minoratam, quo præventus fuit
Spiritu bono.

Gloria summæ Trinitati, etc.

Ad Bened. Antiph. Felix generatio, cui exortum est lumen in tenebris. Victor, illuminare his qui in tenebris, et in umbra mortis sedebant.

Alia. Benedictus Dominus Deus Victoris, qui ipsum in medio statuens, cornu salutis erexit nobis, et rursus de medio tollens cum principibus collocavit, ut habeat ex hominibus, cui hominum peccata donet.

ÿ. Hæc dies tantæ solemnitatis ejus, hæc dies lætitiæ gentis ejus. ñ. Exsultemus et lætemur in ea.

AD PRIMAM, ANTIPHONA.

Hodie posito corpore Victor, quo solo præpediri

AD TERTIAM.
Nomen tuum et memoriale tuum Victor, favus distillans in labiis captivorum. Eia ergo, fortis athleta, dulcis patrone, advocate fidelis, exsurge in adjutorium nobis, ut de plena victoria glorieris.

AD SEXTAM.

Vincenti expandit gremium suum, qui pugnanti dederat spiritum suum. Ibi, ibi, tu qui ubique es, cogitare de miseris inspira ei, Deus ; supplicentem pro miseris suscipe eum, Deus ; exorantem pro miseris exaudi eum, Deus.

B

AD NONAM.

Absorptus est Victor in gloria Filii Dei : immitte ei nostri semper memorem fieri, nostram in tuo tremendo judicio suscipere et agere causam.

AD II VESPERAS.

Sancte Victor, quis digne explicet laudes tuas, castimoniæ decus, animi virtutem, conscientia puritatem ?

Sancte Victor, quis det nobis, ut cum memoria abundantia suavitalis tuæ inseat nobis forma rectitudinis vitæ tuæ ?

Sancte Victor, mitte nobis auxilium de sancto, et de Sion tuere nos, qui de terra te laudamus.

Sancte Victor, sanctitas tua, victoria tua, quo nobis salubrior, eo tibi gloriosior invenitur.

ÿ. Ecce appropinquat Victor gloriosus, cito proferte coronam.

ñ. Jam intrat in gaudium Domini sui.

Ad Magnif. Antiph. O magnifice Victor, etsi elevata est magnificentia tua super cælos, sed non terræ inopes tua jugis munificentia derelinquat.

SANCTI BERNARDI

ABBATIS CLARÆ-VALLENSIS

OPERUM TOMUS QUARTUS

COMPLECTENS

SERMONES IN CANTICA NUMERO LXXXVI.

(Collati sunt ad codices S. Germani Paris., Gemmeticensem, Cistercienses, S. Victoris Paris., Cœlestino- rum Paris., S. Theodorici Remensis, S. Ebrulli, etc.)

PRÆFATIO IN TOMUM QUARTUM.

1261-1263 I. Cum omnia sancti Bernardi opera solidæ pietatis ac doctrinæ succo referta sunt, tum duo præcipue apud omnes in pretio esse debent, nimirum libri de Consideratione, et sermones in Cantica cam-

ticorum. In illis siquidem libris, quidquid sanctius in sacris Litteris et in conciliis, quidquid salubrius in scriptis veterum Patrum et in decretis pontificum ad regimen Ecclesiæ præscribitur; id omne sub eleganti compendio comprehensum habetur. In his vero sermonibus, quæcunque per alia sancti doctoris opera ad mores informandos et ad pietatem accendendam, quæcunque de vitiis et virtutibus atque de tota vita spirituali respersa sunt: in his, inquam, sermonibus hæc omnia solidius ac sublimius pertractantur, et ex mysticarum allegoriarum involucribus ac figuris, totius perfectionis eruuntur arcana, non minus jucundo atque utili, quam sublimi modo: ita ut hi sermones quasi castæ quædam piorum hominum deliciæ censendæ sint. Jucundum atque utilem hunc scribendi modum appellamus. Hæc enim est, teste ipso Bernardo, « miranda prorsus et miseranda humanarum conditio animarum, ut licet tam multa foris ingenii vivacitate percipiant, egeant omnino figuris et ænigmatibus quibusdam corporearum similitudinum, ut ex visibilibus et exterioribus possint vel aliquatenus invisibilia atque interna conjicere (155). » Quod quidem his in sermonibus præclare omnino præstat.

II. Hoc insigne opus Bernardus aggressus est anno 1155, post suum ex Aquitania reditum, ut patet ex libro secundo de ipsius Vita, capite 6. « Nactus vero vir Dei aliquod quietis tempus, aliis se negotiis occupavit, et secedens in casulam, pisatis torquibus circumtextam, solus meditationibus divinis vacare disponit. Et repente occurrit ei in diversorio humili, quasi ad præsepe Domini consistenti, amatoriam Cantica, et spiritualium sercula nuptiarum. Multo tempore in harum meditatione rerum animam suam effudit; et multipliciter hæc exponens, quantum in se profecerit, qui in illis quotidie epulabatur deliciis; quantum nobis profuerit, quibus ejusdem benedictionis reliquias in Scriptura servavit, manifestum est legentibus eam. » Ita Gaufridus: qui rursus in libri tertii capite 8: « In sermonibus super Cantica, » inquit, « et investigator mysteriorum, et morum ædificator magnificus innotescit. » Id autem operis tempore Adventus prædicti anni 1155 inchoatum fuisse intelligimus ex sermonis secundi exordio. « Ecce enim quam multi in hac ejus, quæ proxime celebranda est, Nativitate gaudebunt, » etc.

III. Bernardum de Portis Cartusianum istius suscepti, si non auctorem, saltem incentorem fuisse constat ex Bernardi ad ipsum epistola 153, in qua vir sanctus expositionem in Cantica, seu aliquid spirituale obnixè flagitanti suam tenuitatem præterdidit: sed tandem instanti obsequitur; sive id deceptione, sive de publicatione et missione operis jam inchoati interpretandum sit. Placet secunda interpretatio, præsertim quod Gaufridus in locis modo adductis Bernardi de Portis ad istud aggrediendum auctoritatem intervenisse non dicit, imo virum sanctum sponte sua huic meditationi applicuisse animum satis innuit. Favent huic sententiæ verba epistolæ 153: « Cedo importunitati tuæ, ut vel exhibitio tollat suspicionem. Res est cum amico. Non parco jam verecundiæ: prorsus, dum fiat quod tu vis, insipientiæ meæ non memorabor. Sermones paucos in principio Canticorum Salomonis, recens dictatos, en facio transcribi, et tibi, cum necdum ediderim, quam citius mitto. In quo opere, cum accepero tempus, Christo imperante curis, tentabo procedere. » Ex quibus verbis id tantum eruitur, Bernardum Portensem aliquid spiritualis operis a Bernardo nostro postulasse, eique missos fuisse sermones primos in Cantica. Nescio an de hoc Bernardo explicandus sit locus in sermone 1, n. 3. « Puto autem quod jam non habebit unde adversum nos murmuret is, qui nobis de via venit amicus, cum et tertium istum insumpserit panem (156); » quod alii æstimandum permittit. Denique ad ipsum Bernardum Portensem priores sermones directi sunt cum epistola 154, in qua hæc legimus: « Sermones super principia Canticorum, quos tu petisti, et ego promiseram. transmitto tibi: quibus lectis peto, ut quam citius opportune poteris, tuo rescripto moneamur vel ad procedendum, vel ad supersedendum: » quod de ipsa descriptione et missione operis itidem interpretari licet.

IV. Etsi vero Bernardus continuè fere diebus hos sermones habebat ad suos Claræ-Vallenses; non potuit tamen intra annos octodecim, quibus supervixit, incæptum opus perficere, variis subinde Ecclesiæ ac regni negotiis interpellatus, quin etiam adventantium importuna frequentia, de qua non semel conqueritur, ut in fine sermonis tertii. « Sed ecce avocatur nos diei malitia. Hi siquidem, qui modo supervenisse nuntiamur, gratum cogunt rumpere magis, quam finire sermonem. Ego exibo ad hospites, ne quid desit officiis ejus, de qua loquimur, charitatis. » Et in sermone 52, n. 7: « Rara satis mihi ad feriandum a supervenientibus conceditur hora. » Mirum vero est, sanctum Patrem, magnæ familiæ et irruentium negotiorum curis distractum, parem fuisse meditandis tam altæ sapientiæ sermonibus, iisque in dies recitandis. Quod etiam ipse contestatur sermone 22, n. 2: « Nonnullus profecto fatigationis est atque laboris, quotidie scilicet exire, et haurire etiam de manifestis rivulis Scripturarum, » etc. Nam hos sermones seriatim diebus habebat, et quidem pene continuè, ut patet ex sermone 83, ubi triduum jam consequenter ad explicandum unum locum se insumpsisse dicit. Hos porro sermones viva voce proferebat. Unde in fine sermonis 42 hæc loquitur: « Infirmas mea, quam nostis, non sinit ulterius progredi. » Et in fine sermonis 1264 44: « Et de hoc satis. Nam et infirmas mea pausandum indicit, sicut et sæpe facit. »

V. Meditationem quidem vir sanctus disponendæ sermonum materiæ cum oratione adhibebat; sed eos ex animi copia et plenitudine nondum scriptos nonnunquam depromebat, ut varia loca probant. Nam et multa in

(155) Serm. 6 de Diversis, n. 1.

(156) Alludit ad illud Lucæ xi, 5, Amice, commoda mihi tres panes. An vero his verbis aliqua in duos hosce libros commentatio designetur, in Præfatione hujus toni expendimus.

istis sermonibus ex tempore dicuntur, quale est illud, cum in sermone 36 somnolentos increpat, aitque: « Putabam me uno sermone implere quod promisi de duplici ignorantia; et fecissem, nisi fastidiosius longior videretur. Quosdam siquidem oscitantes, quosdam et dormientes intueor. Nec mirum; præcedentis noctis vigilia (longissimæ quippe fuerunt) excusant eos. » At extemporanea illa dicta nihil æque probat, quam locus ex sermone 9, n. 6: « Occurrit et alius sensus, quem quidem non proposueram; sed minime præteribo. » Accedit quod recitatos sermones postea a discipulis fuisse descriptos innuit vir sanctus his verbis: Scripta sunt ut dicta sunt, » ait sermone 54, n. 1 « et excepto stylo, sicut et sermones cæteri, ut facile recuperetur quod forte exciderit. » Huc spectat quod legitur in sermone 77, n. 2: « Sed etsi litteris forsitan mandentur ista quæ dicimus, dedignabuntur legere. »

VI. Hos porro sermones passim declamabat Bernardus « in auditorio » fratrum, et quidem novitiis præsentibus, ex sermone 63, n. 6, non vero conversis, qui ejusmodi conventibus non intererant. Unde sæpe innuit auditores suos fuisse in Scripturis sacris peritos, quos « ingenio » dicendis « prævolare » testatur in sermonibus 15, n. 2; 16, n. 1 et 39, n. 2. Cæterum hora, qua sermones isti habebantur, aliquando matutina, ante missam (ut de aliis sermonibus in superioris tomi præfatione dictum est), aliquando vespertina erat. De matutino tempore interpretare duo loca, in quibus concionem dimittit propter laborem manualementem et officium divinum. Sic in fine sermonis 1: « Sed præterit hora, » inquit, « qua nos exire urget ad opera manuum et paupertas, et institutio regularis. » At expressior est hanc in rem locus in sermone 47, quem interruptit ob instantem horam officii divini. De vespertino tempore perspicuum est testimonium in sermone 71, n. 15: « Jam enim disputante me longius, inclinata est dies. » At satis minutiarum, quæ tamen huic loco non male conveniunt.

VII. Sermones omnino quatuor et viginti absolverat Bernardus anno 1137, quo anno in Italiam ad componendum schisma profectus est. Inde reversus anno sequenti, ad opus intermissum denuo se recepit, sermone 24 repetito cum alio exordio et alia clausula: ex quibus nata est illa, de qua suo loco agemus, lectionis diversitas. Sermones autem sexagesimum quintum et sequentem, qui ab expositione istius versus, Capite nobis vulpes parvulas, incipiunt, composuit vir sanctus adversus Colonienses hæreticos, occasione epistolæ ad se scriptæ per Evervinum præpositum Steinteldensem: quam epistolam idcirco duobus illis sermonibus præfigere visum est. Denique sermo octogesimus habitus est post concilium Remense, anno 1148, præsentem Eugenio celebratum, in quo damnatus est error Gilberti Porretani episcopi Pictaviensis, prout Bernardus ipse in eo sermone commemorat.

VIII. In plerisque manuscriptis habentur sermones numero 86; in paucis, 87; sed vel ob repetitionem sermonis vigesimi quarti, ut in codice Colbertino, vel ob divisionem alterius sermonis, ut in nostro Germanensi. Ex quinque Vaticanis, quos rogatu meo consuluit noster Joannes Durandus, unus habet sermones omnino 86; sed in alio, qui signatus est n. 665, habetur præfatio, quæ nec in editis, nec scriptis ullis legitur. Ejus exordium sic habet: « Incipit præfatio beati Bernardi Claræ-Vallis abbatis super Cantica canticorum. Summum incentivum virtuti proposuit Deus, futuræ beatitudinis delectationem: vehemens quoque calcar erroris delectationem esse diabolus excogitavit. Utriusque enim sententiæ præstat indicium princeps humani generis Adam, a Domino Deo in paradiso positus voluptatis, ut æterna felicitate fruereetur ad virtutem futuris sæculis provocandam. » Tum subditur, amissa per peccatum innocentia, amissam utique delectationem, sed reparari per psalorum et canticorum dulcedinem et concentum. Nihil in ea præfatione ad Bernardi stylum aut genium accedit. Præfationi subjiciuntur sermones tantum 83 sub hoc titulo: « Incipit expositio beati Bernardi Claræ-Vallensis abbatis in Cantica canticorum. » Alius codex: « Incipit Bernardus super Cantica canticorum. » Alii: « Incipit tractatus beati Bernardi abbatis de Clara-Valle super Cantica canticorum. » In uno Colbertino dicuntur Tractatus, non Sermones, pro veteri more. Sed hæc leviuscula sunt. Expositio ista desinit in caput tertium Cantici, ad hunc versum, in lectulo meo quæsi vi per noctes, a quo Gillebertus de Hoylandia, et ipse Cisterciensis Hibernus, eam continuavit usque ad quinti capitis hunc versum, Dilectus meus candidus et rubicundus, editis sermonibus octo et quadraginta, vir sane Bernardo dicendi gravitate et pietate non multum inferior. Conantem vero ulterius explanando progredi mors ex humanis abstulit, veluti huic indignata, si Sixto Senensi credimus, quod interruptam a se Bernardi laborem iterum continuare, et ad finem deducere velle auderet. Fallitur Sixtus, qui Bernardi opus « ultimo vite suæ anno » inceptum dicit. Gilleberti sermones in tomo sequenti adducemus.

IX. Præter hanc expositionem Bernardus aliam breviorē dictavit Guillelmo Sancti Theoderici abbati, uti Guillelmus ipse testatur in libro I de ejus Vita capite 12: sed commodior erit de hac dicendi locus in tomo quinto, ubi compendiosam in duo priora Cantici capita ex Bernardo commentationem referemus.

X. In primo sermone fusioris expositionis Bernardus innuere videtur, se commentarios edidisse in Parabolis Salomonis, et in Ecclesiasten. Sic enim ait n. 2: « Nam de verbis Ecclesiastes satis, ni fallor, per Dei gratiam instructi estis mundi hujus cognoscere et contemnere vanitatem. Quid et Parabolæ? 1265 An non vita et mores vestri juxta eam, quæ in ipsis invenitur, doctrinam sufficienter emendati sunt et informati? Proinde illis ambobus prælatis, quos nihilominus de amici arca præstitos accepistis; accedite et ad tertium

hunc panem, ut probetis forsitan potiora. » Verum hæc verba id unum significare videntur, Claræ-Vallenses dedisse operam legendis Parabolis et Ecclesiastæ, et ad eorum regulas mores suos composuisse. Sane Gaufridus, qui satis accuratum Bernardi operum indicem texuit, nec ullus, quem scium, veterum ejus generis commentationes Bernardo tribuit. An fortasse « amici » nomine aliquem alium illius temporis auctorem intelligit? qualis fuit Hugo Victorinus, qui homilias 19 in Ecclesiasten composuit.

XI. Redeo ad sermones in Cantica, de quibus quid sentiret Guericus abbas Igniacensis, et ipse sancti doctoris discipulus pii ssimus, aperit in sermone 3 de sanctis Petro et Paulo, qui cum aliis habetur in tomo VI. « Magister noster, ille interpret Spiritus sancti, de toto illo carmine nuptiali loqui instituit, spemque nobis dedit ex iis quæ jam edidit, quia si pervenerit ad locum de quo quæritis, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ, umbræ ipsas ponet in lucem intelligentiæ; quod dictum est, vel erit in tenebris, nobis dicet in lumine. » Hæc Guericus.

SANCTI BERNARDI

ABBATIS CLARÆ-VALLENSIS

SERMONES IN CANTICA CANTICORUM. (157)

1266-1267 SERMO I.

De ipso titulo libri : « Cantica canticorum Salomonis. »

1. Vobis, fratres, alia quam aliis de sæculo, aut certe aliter dicenda sunt. Illis siquidem lac potum dat, et non escam (I Cor. III, 2), qui Apostoli formam tenet in docendo. Nam spiritualibus solidiora apponenda esse, itidem ipse suo docet exemplo, *Loquimur*, inquit, *non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes*; item, *Sapientiam loquimur inter perfectos* (I Cor. II, 13, 6), quales vos nimirum esse confido; nisi frustra forte jam ex longo studiis estis cœlestibus occupati, exercitati sensibus, et in lege Dei meditati die ac nocte. Itaque parate fauces, non lacti, sed panis. Est panis apud Salomonem, isque admodum splendidus sapidusque; librum dico, qui Cantica canticorum inscribitur: proferatur, si placeat, et frangatur.

2. Nam de verbis Ecclesiastes satis, ni fallor, per Dei gratiam instructi estis mundi hujus cognoscere et contemnere vanitatem. Quid et Parabolas? An non vita et mores vestri juxta eam quæ in ipsis invenitur doctrinam sufficienter emendati sunt et informati? Proinde illis ambobus prælibatis, quos nihilominus de amici arca præstitos accepistis, accedite et ad tertium hunc panem, ut probetis forsitan potiora (157). Cum enim duo sint mala, quæ vel sola, vel maxime militant adversus animam, vanus scilicet amor mundi et superfluis sui, pesti utriusque duo illi libri obviare noscuntur; alter sarculo disciplinæ prava quæque in moribus, et carnis superflua rescans; alter luce rationis in omni gloria mundi

A fucum vanitatis sagaciter deprehendens, veraciterque distinguens a solido veritatis. Denique universis humanis studiis, ac mundanis desideriis prætulit Deum timere, ejusque observare mandata. Merito quidem. Veræ etenim sapientiæ primum illud, initium; secundum, consummatio est: si tamen constat vobis non aliud veram et consummatam esse sapientiam, quam declinare a malo, et facere bonum; itemque recedere a malo neminem posse perfecte absque timore Dei, nec bonum opus omnino esse præter observantiam mandatorum.

3. Depulsis ergo duobus malis duorum lectione librorum, competenter jam acceditur ad hunc sacrum theoreticumque sermonem: qui cum sit amborum fructus, non nisi sobriis mentibus et auribus omnino credendus est. Alioquin ante carnem disciplina studiis edomitam et mancipatam spiritui, ante spre tam et abjectam sæculi pompam et sarcinam, indigne ab impuris lectio sancta præsumitur. Quomodo nempe lux incassum circumfundit oculos cæcos vel clausos, ita animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei (ibid., 14). Quippe Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum (Sap. I, 5), quod est vita incontinens; sed nec erit ei unquam pars cum mundi vanitate, cum veritatis sit Spiritus (Joan. XIV, 17). Quæ enim societas ei quæ desursum est sapientiæ, et sapientiæ mundi, quæ 1268 stultitia est apud Deum (I Cor. III, 19); aut sapientiæ carnis, quæ et ipsa inimica est Deo? (Rom. VIII, 7.) Puto autem quod jam non habebit unde adversum vos murmuret is, qui nobis de via venit amicus, cum et tertium istum insumperit panem.

4. Sed quis franget? Adest paterfamilias; cogno-

(157) Inchoati anno 1135.

scite Dominum in fractione panis. Quis enim alter idoneus? Non equidem ego mihi istud temere arrogaverim. Sic spectetis ad me, ut ex me non expectetis. Nam et ego unus sum de expectantibus, mendicans et ipse vobiscum cibum animæ meæ, alimoniam spiritus. Revera pauper et inops pulso ad eum, qui aperit et nemo claudit, super sermonis hujus profundissimo sacramento. Oculi omnium in te sperant, Domine. Parvuli petierunt panem; non est qui frangat eis; speratur id a benignitate tua. O piissime, frange esurientibus panem tuum, meis quidem, si dignaris, manibus, sed tuis viri: us.

5. Dic, quæso, nobis, a quo, de quo, ad quemve dicitur: *Osculetur me osculo oris sui?* (*Cant. 1, 4.*) aut quale est istud ita subitaneum, et factum repente de medio sermonis exordium? Sic quippe in verba prorumpit, quasi quempiam loquentem præmiserit, cui consequenter respondentem et hanc introducat personam, quæcunque est ipsa quæ osculum flagitat. Deinde si se osculari a nescio quo vel petit, vel præcipit; cur signanter et nominatim ore, et ore suo; quasi aliud quam os, aut alienum, et non potius suum, exhibere sibi soleant osculantes? Quamquam ne hoc quidem dicit: *Osculetur me ore suo*: sed aliud profecto inusitatus: *Osculo, inquit, oris sui.* Et quidem jucundum eloquium, quod ab osculo principium sumit, et blanda ipsa quædam Scripturæ facies facile afficit et allicit ad legendum, ita ut quod in ea latet, delectet etiam cum labore investigare, nec fatiget inquirendi forte difficultas, ubi eloquii suavitas mulcet. Verum quem non valde attentum faciat istiusmodi principium sine principio. et novitas locutionis in veteri libro? Unde constat hoc opus non humano ingenio, sed Spiritus arte ita compositum, ut quamvis difficile intellectu, sit tamen inquisitu delectabile.

6. Sed quid? titulum præterimus? Non oportet ne unum quidem iota (*Matth. v, 18*), quando et minutias jubemur colligere fragmentorum, ne pereant (*Joan. vi, 12*). Titulus talis est: Incipiunt Cantica canticorum Salomonis. Observa in primis Pacifici nomen, quod est Salomon, convenire principio libri, qui incipit a signo pacis, id est ab osculo; simulque advertit hujusmodi principii solas ad hanc intelligendam scripturam mentes invitari pacificas, quæ sese jam a vitiorum vindicare perturbationibus et curarum tumultibus prævalent.

7. Dehinc ne hoc quoque otiosum putes, quod non simpliciter Cantica, sed Cantica canticorum habet inscriptio. Multa quippe legi cantica in Scripturis, et nullum illorum memini taliter appellari. Cecinit Israel carmen Domino, quod gladium pariter et jugum **1269** evaserit Pharaonis, gemino maris mirabiliter liberatus simul et vindicatus obsequio. Non tamen quod cecinit, dictum est Canticum can-

ticorum; sed, si bene recolo: *Cecinit*, ait Scriptura, *Israel carmen hoc Domino* (*Exod. xv, 1*). Cecinit etiam Delbora (*Judic. v, 1*), cecinit et Judith (*Judith xvi, 1*), cecinit et mater Samuelis (*I Reg. 11, 1*); prophetæ quoque aliqui cecinerunt, et nemo eorum legitur appellasse canticum suum Cantica canticorum. Sane omnes, ni fallor, cecinisse reperies pro quocunque suo, suorumve percepto commodo: verbi gratia, pro obtentu victoriæ, pro evasione periculi, aut pro concupitæ rei qualiscunque adepto beneficio. Ita ergo plerique cecinerunt, singuli pro singulis causis, ne ingrati divinis beneficiis invenirentur, juxta illud: *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei* (*Psal. xlviii, 19*). At vero rex iste Salomon, sapientia singularis, sublimis gloria, rebus affluens, pace securus, nullius talium eguisse cognoscitur, pro quo accepto ista decantare libuerit. Sed nec Scriptura ipsa sui uspiam tale aliquid significare videtur.

8. Itaque divinitus inspiratus, Christi et Ecclesiæ laudes, et sacri amoris gratiam, et æterni connubii cecinit sacramenta; simulque expressit sanctæ desiderium animæ, et epithalamii carmen, exultans in spiritu, jucundo composuit eulogio, figurato tamen. Nimirum velabat et ipse instar Moysi faciem suam (*Exod. 31, 6*), non minus forsitan in hæc parte fulgentem, eo quod illo adhuc in tempore nemo, aut raris erat, qui revelata facie gloriam istam speculari sufficeret. Igitur pro sui excellentia reor nuptiale hoc carmen hujusmodi titulo præsignatum [*alias præsignatum*], ut merito Cantica canticorum singulariter appelletur, sicut is quoque cui canitur, singulariter est dictus: *Rex regum, et Dominus dominantium* (*I Tim. vi, 15*).

9. Cæterum vos, si vestram experientiam advertatis (158), nonne in victoria, qua vicit mundum fides vestra, et in exitu vestro de lacu miseræ et de luto facis, cantastis et ipsi Domino canticum novum, quia mirabilia fecit? Rursus cum adject primum supra petram statuere pedes vestros, et dirigere gressus vestros; puto quod et tunc nihilominus pro indulta novitate vitæ immisum sit in os vestrum canticum novum, carmen Deo nostro. Quid cum poenitentibus vobis non solum peccata dimisit, sed insuper promisit et præmia; non multo magis spe gaudentes futurorum honorum, cantastis in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini? At si cui forte vestrum clausum vel obscurum aliquid de Scripturis interdum eluxerit, tunc prorsus necesse est pro percepta celestis panis alimonia divinas mulceat aures in voce exultationis et confessionis sonus epulantis. Sed et in quotidianis exercitiis et bellis, quæ nulla hora pie in Christo viventibus desunt a carne, a mundo, a diabolo, sicut militiam esse vitam hominis super terram (*Job vii, 1*) incessanter experimini in vobismet ipsis, quotidiana necesse est cantica pro assecutis vi-

(158) Adit codex Cisterciensis, quæ cantica per singulos profectus cantare debeamus: quod levari esse videtur.

etioris innovari. Quoties tentatio superatur, aut vitium subjugatur, aut imminens periculum declinatur, aut laqueus insidiantis deprehenditur, aut annosa et inveterata quæcunque animæ passio semel perfecteque sanatur, aut multum diuque cupita et sæpius petita virtus tandem aliquando Dei munere obtinetur, quid nisi toties, juxta prophetam, personat gratiarum actio et vox laudis (*Isai. LI, 3*), et ad singula quæque beneficia benedicitur Deus in donis suis? Alioquin ingratus reputabitur, cum discussio venerit, qui non poterit dicere Deo : *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ (Psal. cxviii, 54)*.

10. Arbitror vos in vobis ipsis illa jam recognoscere, quæ in psalterio, non Cantica canticorum, sed Cantica Graduum appellantur, eo quod ad singulos profectus vestros, juxta ascensiones quas quisque in corde suo disposuit, singula sint cantica deprecanda ad laudem et gloriam promoventis. Quoniam modo impleatur aliter ille versiculus non video : *Vox exultationis et salutis in tabernaculis justorum (Psal. cxvii, 15)*; aut certe Apostoli illa pulcherrima saluberrimamque exhortatio : *In psalmis, hymnis, 1270 et canticis spiritualibus cantantes, et psallentes in cordibus vestris Domino (Ephes. v, 19)*.

11. Sed est canticum, quod sui singulari dignitate et suavitate cunctis merito quæ memoravimus, et si qua sunt alia, antecellit: et jure hoc appellaverim Canticum canticorum, quia cæterorum omnium ipsum est fructus. Istiusmodi canticum sola unctio docet, sola addiscit experientia. Experti recognoscant, inexperti inardescant desiderio, non tam cognoscendi, quam experiendi. Non est enim strepitus oris, sed jubilus cordis; non sonus labiorum, sed motus gaudiorum; voluntatum, non vocum consonantia. Non auditur foris, nec enim in publico personat: sola quæ cantat audit, et cui cantatur, id est sponsa et sponsus. Est quippe nuptiale carmen, exprimens castos jucundosque complexus animorum, morum concordiam, affectuumque consentaneam ad alterutrum charitatem.

12. Cæterum non est illud cantare seu audire animæ puerilis et neophytæ adhuc, et recens conversæ de sæculo, sed provecæ jam et eruditæ mentis; quæ suis nimirum profectibus, Deo promovente, in tantum jam creverit, quatenus ad perfectam ætatem, et ad nobiles quodam modo pervenerit annos, annos dico meritorum, non temporum; facta nuptiis cælestis sponsi idonea, qualis denique suo loco plenius describetur. Sed præterit hora, qua nos exire urget ad opera manuum et paupertas et institutio regularis. Cras in nomine Domini quod cœperamus prosequemur de osculo, quia de titulo hodiernus sermo nos expedivit.

SERMO II.

De Incarnatione Christi per patriarchas et prophetas nuntiata, et ardentissime ab eis expectata.

1. Ardorem desiderii Patrum suspirantium Christi in carne præsentiam frequentissime cogitans, com-

pungor et confundor in memetipso; et nunc vix contineo lacrymas, ita pudet teporis torporisque miserabilium temporum horum. Cui namque nostrum tantum ingerat gaudium gratiæ bujus exhibitio, quantum sanctis veteribus accenderat desiderium promissio? Ecce enim quam multi in hac ejus, quæ proximo celebranda est, Nativitate gaudebunt! sed utinam de nativitate, non de vanitate! Illorum ergo desiderium flagrans et piæ expectationis affectum spirat mihi vox ista : *Osculetur me osculo oris sui (Cantic. I, 1)*. Senserat nimirum in spiritu, quisquis tunc spiritualis esse poterat, quanta foret gratia diffusa in labiis illis. Propterea loquens in desiderio animæ aiebat, *Osculetur me osculo oris sui*; nimirum omnimodis, cupiens tantæ suavitatis participio non fraudari.

2. Dicebat enim perfectus quisque : Quo mihi ora hæc seminiverbia prophetarum? Ipse potius speciosus forma præ filiis hominum, ipse me osculetur osculo oris sui. Non audio jam Moysen : impeditioris siquidem linguæ factus est mihi (*Exod. iv, 10*). Isaïæ labia immunda sunt (*Isai. vi, 5*) : Jeremias nescit loqui, quia puer est (*Jerem. I, 6*) : et prophetæ omnes elingues sunt. Ipse, ipse quem loquuntur, ipse loquatur : ipse me osculetur osculo oris sui. Non in eis jam, aut per eos loquatur mihi, quoniam tenebrosa aqua in nubibus aeris : sed ipse me osculetur osculo oris sui, cujus gratiosa præsentia, et admiranda fluente doctrinæ fiant in me fons aquæ salientis in vitam æternam. Quem unxit Pater oleo lætitiæ præ consortibus suis (*Psal. xlii, 8*), nunquid non ex ipso mihi uberius infunditur gratia? si tamen dignetur me osculari osculo oris sui. Cujus utique sermo vivus et efficax osculum mihi est, non quidem conjunctio labiorum, quæ interdum pacem mentitur animorum; sed plane infusio gaudiorum, revelatio secretorum, mira quædam et quodam modo indiscreta commixtio superni luminis et illuminatæ mentis. Adhærens quippe Deo, unus spiritus est (*I Cor. v, 17*). Merito proinde visiones et somnia non recipio, figuras et ænigmata nolo; ipsas quoque angelicas fastidio species. 1271 Quippe et ipsos longe superat Jesus meus specie sua et pulchritudine sua. Non ergo alium sive angelum, sive hominem, sed ipsum peto osculari me osculo oris sui. Nec sane præsumo me osculatum iri ab ore ipsius (est enim hoc assumpti hominis unicæ felicitatis et prærogativæ singularis); sed humiliter ab osculo oris sui peto me osculari, quod commune utique est multorum, qui dicere possunt, *Et nos omnes de plenitudine ejus accepimus (Joan. I, 16)*.

3. Intendite. Sit os osculans, Verbum assumens; osculatum, caro quæ assumitur: osculum vero, quod pariter ab osculante et osculato conficitur, persona ipsa scilicet ex utroque compacta, mediator Dei et hominum homo Christus Jesus. Hæc ergo ratione sanctorum nemo dicere præsumebat, *Osculetur me ore suo*; sed tantum, *Osculo oris sui*: ipsi sane servantes prærogativam istam, cui singulariter semel-

que os Verbi impressum tunc est, cum ei se corporaliter plenitudo omnis divinitatis indulsit. Felix osculum, ac stupenda dignatione mirabile, in quo non os ori imprimitur, sed Deus homini unitur. Et ibi quidem contactus laborum complexum significat animorum: hic autem confederatio naturarum divinis humana componit, quæ in terra sunt, et quæ in cælis pacificans. *Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum (Ephes. ii, 14)*. Ad hoc igitur osculum sanctus quisque antiqui temporis suspirabat; eo quod jucunditatem et exultationem thesaurizari super eum, et thesauros omnes sapientiæ et scientiæ in ipso absconditos præsentirent (*Coloss. ii, 3*), cuperentque et ipsi de plenitudine ejus accipere.

4. Sentio, placet vobis quod dicitur: sed accipite et alium sensum. Non latuit sanctos et ante adventum salvatoris, Deum super mortalium genus cogitare cogitationes pacis (*Jerem. xxix, 11*). Nec enim faceret verbum super terram, quod non revelaret servis suis prophetis (*Amos iii, 7*). Erat tamen verbum hoc absconditum a multis (*Luc. xviii, 34*). Fuit namque in tempore illo rara fides in terris, et tenuis admodum spes in pluribus quoque illorum qui expectabant redemptionem Israel. Qui vero præsciebant, ipsi et prædicebant Christum in carne venturum, et cum ipso pacem. Unde quidam eorum: *Et pax erit, inquit, in terra nostra, cum venerit (Mich. vi, 5)*. Imo per ipsum Dei gratiam homines recuperaturos cum omni fiducia, sicut divinitus acceperant, prædicebant. Quod et præcursor Domini Joannes suo tempore impletum agnovit, et perhibuit: *Gratia, inquit, et veritas per Jesum Christum facta est (Joan. i, 17)*: et ita verum esse omnis nunc Christianus populus experitur.

5. Cæterum illis prænuntiantibus pacem, moram autem faciente auctore pacis, nutabat populi fides, dum non erat qui redimeret, neque qui salvum faceret. Itaque causabantur homines moras, quod ille toties nuntiatus necdum veniret princeps pacis, sicut locutus fuerat per os sanctorum, qui a sæculo sunt, prophetarum ejus: et suspectas habentes promissiones, signum promissæ reconciliationis, quod est osculum, flagitabant; ac si nuntiis pacis unus quilibet de populo responderet, Quousque tollitis animas nostras? Jam olim prædicatis pacem, et non venit; promittitis bona, et adhuc turbatio. Ecce hoc ipsum multifarie, multisque modis et angeli patribus, et patres nostri annuntiarunt nobis dicentes: *Pax, pax; et non est pax (Jerem. vi, 14)*. Si mihi vult esse persuasum Deus, quod de suæ beneplacito voluntatis tam crebra jam legatione respondet, nec exhibet; osculetur me osculo oris sui, sicque in signo pacis faciat de pace securum. Nam verbis jam quomodo credam? Opus magis est opere verba firmari. Probet veridicos nuntios suos Deus (si tamen nuntii ejus sunt), et sequatur eos ipse, ut

A sæpius promiserunt, quia sine ipso possunt facere nihil. Misit puerum, tulit baculum, et necdum est vox neque vita (*IV Reg. iv, 29-31*). Non surgo, non suscitator, non excutior de pulvere, non respiro in spem, si non propheta ipse descendat, et osculetur me osculo oris sui.

6. Huc accedit, quod is qui nostrum proficitur se **1272** mediatorem ad Deum, Dei Filius est, et Deus est (*I Tim. ii, 5*). Et quid est homo ut innotescat ei, aut filius hominis ut reputet eum? Quæ mihi fiducia, ut tantæ me audeam credere majestati? Unde, inquam, terra et cinis præsumo Deum curam habere mei? Ad hæc diligit Patrem suum, me vero opus non habet, bonorum meorum non eget. Unde ergo constabit mihi, quod mediator meus in parte nequaquam sit? Tamen si vere, ut dicitis, decrevit misereri Deus, cogitatuque ut complacitor sit adhuc; statuat testamentum pacis, et fœdus perpetuum feriat mihi in osculo oris sui. Ut quæ procedunt de labiis suis, non faciat irrita; exinaniat se, humiliet se, inclinet se, et osculetur me osculo oris sui. Ut ex æquo partibus congruens mediator neutri suspectus sit, Deus Filius Dei fiat homo, fiat filius hominis, et certum me reddat in hoc osculo oris sui. Securum suscipio mediatorem Dei Filium, quem agnosco et meum. Minime plane jam mihi suspectus erit: frater enim et caro mea est. Puto enim, spernere me jam non poterit, os de ossibus meis, et caro de carne mea.

7. Ita ergo vetus querela sacrosanctum osculum, id est incarnandi Verbi mysterium, exigebat, dum longa et molesta expectatione fatigata fides deficeret, et infidelis populus adversus promissa Dei victus tædio murmuraret. Adinventio mea est, si non hoc idem et vos recognoscitis de Scripturis. Inde profecto erant querulæ illæ et pleniæ murmure voces: *Manda, remanda; Expecta, reexpecta, Modicum ibi, modicum ibi (Isai. xxviii, 10)*. Inde anxietas illæ et pleniæ pietatis preces: *Da mercedem, Domine, sustentibus te, ut prophetæ tui fideles inveniantur*. Item: *Suscita, Domine, preces (159); quas locuti sunt in nomine tuo prophetæ priores (Eccli. xxxvi, 18, 17)*. Inde blandæ illæ et plene consolatione promissiones: *Ecce apparebit Dominus, et non mentietur: si moram fecerit, expecta eum; quia veniens veniet, et non tardabit (Habac. ii, 3)*. Item: *Prope est ut veniat tempus ejus, et dies ejus non elongabuntur (Isai. xiv, 1)*. Et ex persona promissi: *Ecce ego, inquit, declino in vos ut flumen pacis, et ut torrens inundans gloriæ gentium (Isai. lxxvi, 12)*. In quibus verbis satis apparet et prædicatorum instantia, et diffidentia populorum. Sic itaque et plebs murmurabat, et fides nutabat; et, juxta Isaia vallicinium: *Angeli pacis amare fœbant (Isai. xxxiii, 7)*. Ne ergo universum genus humanum, moram faciente Christo, desperatione periret, dum se contemni

(159) Sic legebatur olim in Bibliis ante Romanam

Sixti correctionem. Septuaginta habent, τὰ: πρὸς

suspicaretur infirma mortalitas, suæque reconcilia-
tionis cum Deo de gratia toties repromissa diffideret;
sancti qui de spiritu certi erant, certitudinem de
carnis præsentia exoptabant, ac signum reformandæ
pacis propter pusillanimes et incredulos omni in-
stantia requirebant.

8. O radix Jesse, qui stas in signum populorum!
(*Isai. xi, 10.*) Quam multi reges et prophetæ volue-
runt te videre, et non viderunt! Felix tamen ex om-
nibus Simeon, cujus senectus in misericordia uberi!
Is nempe exultavit ut videret desiderii signum: et
vidit, et gavisus est; acceptoque osculo pacis in
pace dimittitur, ante tamen aperte pronuntians, Je-
sum esse natum in signum, cui contradicendum erat
(*Luc. ii, 25-35*). Omnino ita fuit. Contradictum est
exorto signo pacis, sed ab his qui oderunt pacem:
nam pax hominibus bonæ voluntatis, malevolis au-
tem petra scandali, et lapis offensionis (*ibid., 14*).
Herodes denique turbatus est, et omnis Jerosolyma
cum illo (*Math. ii, 3*): siquidem in propria venit,
et sui eum non receperunt (*Joan. i, 11*). Felices illi
in sua pernoctatione pastores, qui signi hujus vi-
sione digni habiti sunt. Jam tunc se abscondebat a
sapientibus et prudentibus, et revelabat parvulis.
Et Herodes videre voluit; sed quia non bona volun-
tate, non meruit, pacis siquidem signum erat, datum
tantum hominibus bonæ voluntatis; Herodi vero et
similibus ejus non dabitur nisi signum Jonæ pro-
phetæ. Porro ad pastores: *Et hoc, ait angelus vo-
bis signum; vobis humilibus, vobis obedientibus, vobis non alta sapientibus, vobis vigilantibus, et in lege Dei meditantibus die ac nocte: Hoc, inquit, vobis signum.* Quod? Quod angeli promittebant, quod
1273 populi requirebant, quod prophetæ præ-
dixerant, hoc fecit Dominus nunc, et ostendit vo-
bis, in quo recipiant increduli fidem, pusillanimes
spem, perfecti securitatem. Hoc ergo vobis signum.
Cujus rei signum? Indulgentiæ, gratiæ, pacis, et
pacis cujus non erit finis. Hoc est ergo signum:
*Invenietis infantem pannis quidem involutum, et po-
situm in præsepio* (*Luc. ii, 12*). Deus est tamen in
ipso mundum reconcilians sibi (*II Cor. v, 19*). Mori-
erietur propter peccata vestra, et resurget propter
justificationem vestram, ut justificati per fidem, pa-
cem habeatis ad Deum (*Rom. iv, 25; v, 1*). Hoc
signum pacis propheta quondam regi Achaz propo-
nebat petendam a Domino Deo suo, sive in excelso
supra, sive in inferno deorsum. Sed impius rex
recusavit (*Isai. vii, 11, 12*), non credens miser
quod in signo hoc ima summis in pace socianda
essent: quatenus et inferi Domino descendente
saluti, in osculo sancto signum pacis et ipsi reci-
pianit; et superni spiritus id ipsum nihilominus,
cum ad cælos redierit, æterna suavitate partici-
pent.

9. Sermo finiendus est: sed ut quod in eo dispu-
tatum est, brevi recolligam summa, patet hoc san-
ctum osculum duabus ex causis necessarie indultum
mundo, ut et infirmis faceret fidem, et desiderio

A satisfaceret perfectorum: porro ipsum osculum esso
non aliud quam mediatorem Dei et hominum, homi-
nem Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu
sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæcu-
lorum, Amen.

SERMO III.

De osculo pedis, manus et oris Domini, etc.

1. Hodie legimus in libro experientiæ. Converti-
mini ad vos ipsos, et attendat unusquisque con-
scientiam suam super his quæ dicenda sunt. Explo-
rare velim, si cui unquam vestrum ex sententia di-
cere datum sit: *Osculetur me osculo oris sui* (*Cantic. i, 1*). Non est enim cujusvis hominum ex affectu
hoc dicere; sed si quis ex ore Christi spirituale
osculum vel semel accepit, hunc proprium experi-
mentum profecto sollicitat, et repetit libens. Ego
arbitror neminem vel scire posse quid sit, nisi qui
accipit: est quippe manna absconditum; et solus
qui edit, adhuc esuriet. Est fons signatus, cui non
communicat alienus; sed solus qui bibit, adhuc si-
tiet. Audi expertum, quomodo requirit. *Redde mihi,*
inquit, *lætitiâ salutari tui* (*Psal. l, 14*). Minime
ergo id sibi arroget mei similis anima, onerata pec-
catis, suæque adhuc carnis obnoxia passionibus,
quæ suavitatem spiritus necdum senserit, inter-
norum ignara atque inexperta penitus gaudiorum.

2. Ostendo tamen ei quæ hujusmodi est, locum
in salutari sibi congruentem. Non temere assurgit
ad os serenissimi sponsi, sed ad pedes severissimi
Domini mecum pavida jaceat, et cum publicano ter-
ram tremens non cælum aspiciat (*Luc. xviii, 15*),
ne confusa in luminaribus cæli facies assueta tenebris
opprimatur a gloria, atque insolitis reverberata
splendoribus majestatis, densioris rursus cæcitate
caliginis obvolvatur. Non tibi, o quæcumque es talis
anima, non tibi ille locus vilis aut despicibilis vi-
deatur, ubi sancta peccatrix peccata deposuit, induit
sanctitatem. Ibi Æthiopissa mutavit pellem, et in
novum restituta candorem, jam tunc fiducialiter
veraciterque respondebat exprobrantibus sibi ver-
bum: *Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem* (*Cant. i, 4*). Miraris quam arte potuerit, vel quibus
obtinuerit meritis? Paucis accipe. Flevit amare, et
de intus visceribus longa suspiria trahens, salu-
taribus intra se succussa singultibus, felleos humores
evomuit. Cælestis medicus celerrime subvenit: quia
velociter currit sermo ejus (*Psal. cxlviii, 15*). Nun-
quid non potio est sermo Dei? Est utique, et fortis
et vehemens, et scrutans corda et renes (*Psal. vii, 10*). Denique *sermo Dei vivus et efficax, et penetra-
bilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divi-
sionem animæ ac spiritus, compagum anoque ac me-
dullarum, et discretor cogitationum* (*Hebr. iv, 12*).
Hujus ergo beatæ pœnitentis exemplo **1274** pro-
sternere et tu, o misera, ut desinas esse misera;
prosternere et tu in terram; amplectere pedes,
placa osculis, riga lacrymis, quibus tamen non
illum laves, sed te, et fias una de grege tonsarum
quæ ascendunt de lavacro (*Cant. iv, 2*); ita saue tu

suffusum pudore ac mœrore vultum non ante sustollere audeas quam audias, et ipsa : *Dimittuntur tibi peccata tua* (Luc. vii, 37-48); quam audias : *Consurge, consurge, captiva filia Sion; consurge, excutere de pulvere* (Isai. lxi, 1, 2).

3. Sumpso itaque ad pedes primo osculo, nec sic quidem præsumes statim ad osculum oris assurgere, sed erit tibi gradus ad ipsum medium quoddam aliud osculum, quod secundo loco ad manum accipies : de quo et talem accipe rationem. Si dixerit mihi Jesus : *Dimittuntur tibi peccata tua*; nisi ego peccare desiero, quid proderit? Exui tunicam meam; si reinduero eam, quantum profeci? Si rursus pedes meos, quos laveram, inquinavero, nunquid aliquid lavisse valebit? Sordens omni genere vitiorum jacui diu in luto fœcis; sed erit sine dubio recedenti, quam jacenti deterius. Denique qui me sanum fecit, ipsum mihi dixisse recordor : *Ecce sanus factus es, vade, jam amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat* (Joan. v, 14). Qui autem dedit voluntatem pœnitendi, opus est ut addat et continendi virtutem; ne iterem pœnitenda, faciamque novissima mea pejora prioribus. Væ enim mihi etiam pœnitenti, si statim subtraxerit manum, sine quo nihil possum facere. Nihil inquam, quia nec pœnitere, nec continere. Audio proinde, quod consulit Sapiens : *Verbum, inquit, in oratione ne iteres* (Eccli. vii, 15). Paveo et quod iudex intentat arbori non facienti fructum bonum (Matth. iii, 10). Fateor pro huiusmodi non sum omnino contentus priori gratia, qua jam malorum sum pœnitens, nisi et secundam accipero, ut videlicet dignos faciam pœnitentiæ fructus; et deinceps non revertar ad vomitum.

4. Hoc ergo restat mihi prius petendum et accipiendum, quam præsumam altiora et sacratiora contingere. Nolo repente fieri summus; paulatim proficere volo. Quantum displicet Deo impudentia peccatoris, tantum pœnitentis verecundia placet. Citius placas eum, si mensuram tuam servaveris, et altiora te non quæsieris. Longus saltus et arduus est de pede ad os, sed nec accessus conveniens. Quid enim? recenti adhuc respersus pulvere, ora sacra continges? heri de luto tractus, hodie vultui gloriæ præsentaris? Per manum tibi transitus sit. Illa prius te tergat, illa te erigat? Quomodo erigat? Dando unde præsumas. Quid istud? Decor continentia, et digni pœnitentiæ fructus, quæ sunt opera pietatis. Hæc te de stercore erigent in spem audendi potiora. Sane accipiendo donum, osculare manum : hoc est, non tibi, sed nomini ejus da gloriam. Da semel, et da iterum, tum pro donatis criminibus, tum pro collatis virtutibus. Aut certe videto unde munias frontem contra ictus istos : *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non accepisti?* (I Cor. iv, 7.)

5. Jam tandem in oculis duobus geminum habens divinæ dignationis experimentum, forsitan non confunderis præsumere sanctora. Quantum quippe crescis in gratiam, tantum et in fiduciam dilataris.

A Inde fit, ut et ames ardentius, et pulses fidentius pro eo quod tibi deesse sentis. Porro pulsanti aperietur. Jam summum illud, quodcumque est summæ dignationis et miræ suavitatis osculum, credo non negabitur sic affecto. Hæc via, hic ordo. Primo ad pedes procidimus, et ploramus coram Domino qui fecit nos, ea quæ fecimus nos. Secundo manum quærimus sublevantis, et roborantis genua dissoluta. Postremo cum ista multis precibus et lacrymis obtinemus, tum demum audemus forsitan ad ipsum os gloriæ caput attollere, pavens et tremens dico, non solum specularandum, sed etiam osculandum; quia spiritus ante faciem nostram Christus Dominus, cui adhærentes in osculo sancto, unus spiritus ipsius dignatione efficitur.

B **1275** 6. Tibi, Domine Jesu, tibi merito dixit cor meum : Exquisivit te facies mea; faciem tuam, Domine, requiram. Nempe auditam fecisti mihi mane misericordiam tuam, cum jacenti primum in pulvere, tuaque deosculanti reverenda vestigia, quod male vixeram remisisti. Porro in progressu diei lætificasti animam servi tui, cum deinde in osculo manus etiam bene vivendi gratiam indulsisti. Et nunc quid restat, o bone Domine, nisi ut jam in plenitudine lucis, in fervore spiritus ad oris quoque osculum dignanter admittens, adimpleas me lætitia cum vultu tuo? Indica mihi, o suavissime, o serenissime, indica mihi ubi pascis, ubi cubas in meridie. Fratres, bonum est nos hic esse; sed ecce advocat nos diei malitia. Hi siquidem, qui modo supervenisse nuntiantur, gratum cogunt rumpere magis quam finire sermonem. Ego exibo ad hospites, ne quid desit officii ejus, de qua loquimur, charitatis, ne forte et de nobis audire contingat : *Dicunt enim, et non faciunt* (Matth. xxiii, 3). Vos orate interim, ut voluntaria oris mei beneplacita faciat Deus ad vestram ipsorum ædificationem, et laudem et gloriam nominis sui.

SERMO IV.

De triplici profectu animæ, qui fit per osculum pedis, manus, et oris Domini.

1. Triplicem quemdam animæ profectum sub nomine trium osculorum sermo hesiærnus complexus est. Nunquid excidit vobis? Is mihi hodierna disputatione prosequendus erit, prout parere dignabitur in dulcedine sua pauperi Deus. Diximus, si recolis, illa oscula sumi ad pedes, ad manum, ad os, singula singulis referentes. In primo sane primordia dedicantur nostræ conversionis; secundum autem proficientibus indulgetur : porro tertium sola experitur, et rara perfectio. Ab hoc solo, quod ultimum positum est, sumpsit exordium Scriptura ista quam tractare suscepimus, et ipsius causa reliqua duo a nobis adjuncta sunt. An vero necessarie vos judicabilis. Puto enim, faciès ipsa eloquii facile admonet et ista requirere. Mirum vero si non et vos advertitis, oportere revera esse aliud, sive alia oscula, a quibus illud oris distinguere voluit qui dixit : *Osculetur me osculo oris sui* (Cant. i, 1). Cur enim, cum sufficeret

poterat dixisse simpliciter, *osculetur me*; præter morem tamen usumque loquendi, distincte et signanter adjecit, *osculo oris sui*, nisi ut ostenderet ipsum, quod petebat osculum, summum esse, non solum? Nonne denique ita invicem loquimur: Osculare me; vel: Da mihi osculum: et nemo sequitur ut dicat Ore tuo, sive, Osculo oris tui? Quid? alterutrum osculari parantes, num versus invicem ora tendimus, quæ tamen ab invicem non requirimus nominatim? Denique qui narrat, verbi gratia, a Domino susceptum in osculo proditorem: *Et osculatus est, ait, eum* (*Marc. xiv, 45*); nec addidit: Ore suo, vel, Osculo oris sui. Sic nimirum omnis et qui scribit, et qui loquitur consuevit. Sunt ergo hi tres animarum affectus, sive profectus, expertis duntaxat satis noti et manifesti, cum aut de actis malis indulgentiam, aut de bonis agendis gratiam, aut ipsius etiam indultoris et benefactoris sui præsentiam, eo quidem modo quo in corpore fragili possibile est, obtinent intueri.

2. Cæterum primum et secundum qua ratione oscula nominaverim, manifestius accipite. Osculum, pacis iudicium esse omnes novimus. Porro autem si, ut Scriptura loquitur, *peccata nostra separant inter nos et Deum* (*Isai lix, 2*), tollatur de medio quod interest, et pax est. Cum ergo satisfacimus, ut, ablato quod separat peccato, reconciliemur; indulgentiam quam recipimus, quid nisi quoddam osculum dixerim pacis? Idque interim non alibi, quam ad pedes sumendum. Humilis quippe et verecunda debet esse satisfactio, qua emendatur superba transgressio.

3. At cum etiam ad vivendum emendatius, Deoque **1276** dignius conversandum, placita quadam amplioris gratiæ familiaritate donamur; ampliori fiducia caput jam levamus de pulvere, largitoris, ut assolet, manum osculaturi; si tamen de accepto munere non nostram, sed auctoris gloriam quærimus, eique sua dona, et non nobis ascribimus. Alioquin si in te, et non magis in Domino gloriaris, propriam profecto et non Domini manum osculari convinceris: *quod, juxta beati Job sententiam, est iniquitas maxima, et negatio in Deum* (*Job xxxi, 28*). Si ergo, ad Scripturæ testimonium, propriam gloriam quærere, propriam est osculari manum; profecto qui dat gloriam Deo, Dei dicitur non incongrue manum osculari. Et in hominibus quidem ita esse videmus, servos videlicet offensorum dominorum osculari solere pedes, cum ab ipsis veniam petunt; et pauperes divitum manus, cum ab eis munus accipiunt.

4. Verum quia spiritus est Deus (*Joan. iv, 24*), et nullis simplex illa substantia membris distincta corporeis; erit forsitan qui nullatenus de illo recipiat tale aliquid, sed a me sibi Dei manus vel pedes flagitet demonstrari, sicque probari quod de osculo pedum manusve desinio. Sed quid, si et ego vicissim ab ipso meo sciscitatore de ore quoque Dei requirero, quatenus quod de oris osculo Scriptura lo-

quitur, ad Deum pertinere demonstret? Nempe aut cum isto simul et illa habet, aut cum illis pariter et isto caret. Sed enim et os habet Deus, quo docet hominem scientiam; et manum habet, qua dat escam omni carni; et pedes habet, quorum terra scabellum est, ad quos nimirum peccatores terræ conversi atque humiliati satisfaciunt. Hæc, inquam, habet Deus omnia per effectum, non per naturam. Invenit profecto apud Deum et verecunda confessio, quo se humiliando dejiciat; et prompta devotio, ubi se innovando reficiat; et jucunda contemplatio, ubi excedendo quiescat. Omnia omnibus est qui omnia administrat, nec quidquam est omnium proprie. Nam, quod in se est, lucem habitat inaccessibleem (*I Tim. vi, 16*), et pax ejus exsuperat omnem sensum (*Philipp. iv, 7*); et sapientiæ ejus non est numerus (*Psal. cxlvi, 5*), et magnitudinis ejus non est finis (*Psal. cxlvi, 3*); nec potest eum videre homo ut vivat (*Exod. xxxiii, 20*). Non quod longe ab unoquoque sit qui esse omnium est, sine quo omnia nihil: sed, ut tu plus mireris, et nil eo præsentius, et nil incomprehensibilis. Quid nempe cuique rei præsentius, quam esse suum? Quid cuique tamen incomprehensibilis, quam esse omnium? Sane esse omnium dixerim Deum, non quia illa sunt quod est ille; sed quia ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia (*Rom. xi, 36*). Esse est ergo omnium quæ facta sunt ipse factor eorum, sed causale, non materiale. Tali proinde modo dignatur illa majestas suis esse creatoris, omnibus quidem quod sunt; animantibus autem quod et vivunt; porro ratione utentibus lux, recte vero utentibus virtus, vincentibus gloria.

5. Et in his omnibus creandis, gubernandis, administrandis, movendis, promovendis, innovandis, firmandis, nullis corporeis indiget instrumentis, qui omnia solo verbo et corpora creavit, et spiritus. Animæ corporibus et corporeis egent sensibus, quibus sibi invicem innotescant, et valeant. At non ita omnipotens Deus, qui de sola voluntate celeris suppetit efficientia tam creandis rebus, quam ordinandis prout voluerit. Valet qui vult, quantum vult, et absque corporalium officio, obsequiove membrorum. Quid? ad intuentia quæ condidit ipse, putas sibi requirat corporei sensus adiutorium? Nihil omnium omnino latet, aut effugit lucem ubique præsentem; nec tamen ut agnoscat aliquid, necessarium habet renuntiantis sensus ministerium. Nec solum universa noscit sine corpore, sed et innotescit mundis corde sine corpore. Dico autem idem latius, ut planius fiat. Sed forte quia finiendi jam sermonis angustia non admittit, consilii magis est ut in crastinum differamus.

1277 SERMO V.

De quatuor generibus spirituum, videlicet Dei, angelis, hominis et pecoris.

1. Quatuor spirituum genera nota sunt vobis, pecoris, noster, angelicus, et qui condidit istos. Non est ex omnibus, cui sive propter se, sive propter

aliud, sive propter utrumque, necessarium corpus non sit, corporisve similitudo, excepto duntaxat illo, cui omnis tam corporalis, quam spiritualis creatura merito confitetur, et dicit: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non es* (Psal. xv, 2). Et primum quidem ita corpore esse constat, ut nec subsistere absque illo utcumque possit. Simul quippe et vivificare desinit, et vivere ille spiritus, quando moritur pecus. Verum nos vivimus quidem post corpus; sed ad ea quibus beate vivitur, nullus nobis accessus patet, nisi per corpus. Senserat hoc qui dicebat: *Invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* (Rom. i, 20). Ipsa siquidem quæ facta sunt, id est corporalia et visibilia ista, non nisi per corporis instrumentum sensa, in nostram notitiam veniunt. Habet ergo necessarium corpus spiritualis creatura quæ nos sumus, sine quo nimirum nequaquam illam scientiam assequitur, quam solam accepit gradum ad ea, de quorum fit cognitione beata. Illic si mihi objicitur de parvulis regeneratis, quod absque scientia rerum corporalium exeuntes de corpore, ad beatam vitam nihilominus transire credantur; breviter respondeo hoc illis conferre gratiam, non naturam. Et quid ad me de miraculo Dei, qui de naturalibus dissero?

2. Jam quod et supercælestis spiritus opus corporibus habeat, illa maxime certos nos faciat vera, et vere divina sententia: *Nonne omnes, ait, administratorii spiritus sunt, missi in ministerium propter eos qui hereditatem capiunt salutis?* (Hebr. i, 14.) Quomodo ergo modo implent ministerium suum absque corpore, præsertim apud viventes in corpore? Denique non est discurrere, nec de loco ad locum transire, nisi corporum: quod frequenter angelos facere tam indubitata, quam nota probat auctoritas. Hinc est quod et visi sunt patribus, et ad eos intraverunt, et manducaverunt, et pedes laverunt. Ita inferior superiorque spiritus propriis corporibus egent, sed tantum [*alias* tamen], quibus juvent, non etiam juventur.

3. At pecus quidem ex debito servitutis, et ad usus tantum temporalium corporaliumque necessitatum juvando servit; ideoque ille spiritus et cum tempore transit, et cum corpore deficit. Servus quippe non manet in domo in æternum, licet qui bene eo utuntur, omnem usum hujus temporalis servitutis ad quæstum referant æternorum. Angelus vero curat satagitque in libertate spiritus administrare officium pietatis, futurorum bonorum promptum mortalibus alacremque ministrum sese exhibens, utpote suis in æternum futuris civibus [*alias* concivibus], et cohæredibus supernæ jucunditatis. Ille ergo ut jure serviat, iste ut pie subveniat, ambo procul dubio suis corporibus egent ut juvent. Nam in quo ipsi eis juventur, non video, ad profectum duntaxat æternitatis. Irrationalis nempe spiritus, etsi corporalia per corpus et ipse hauriat: nunquid tamen eousque juvatur corpore suo, ut per

A corporalia et sensibilia quæ per illud sentit, etiam ad spiritualia et intelligibilia proficendo pertingat? Ad quæ tamen capessenda pro suo corporali temporali que obsequio nascitur juvare illos, qui omnem usum rerum temporalium ad fructum transferunt æternarum, utentes hoc mundo, tanquam non utentes.

4. Porro autem supercælestis spiritus absque adjutorio corporis, et absque intuitu horum quæ per corpus sentiuntur, sola profecto suæ vicinitate ac vivacitate naturæ sufficit apprehendere summa, et intima penetrare. An non hoc Apostolus intellexit, qui cum diceret: **1278** *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*; adjecit protinus, *a creatura mundi*? Nimirum quoniam a creatura cæli non ita. Quo enim is involutus carne et terræ incolæ spiritus, ex consideratione sensibilibus proficiens, gradatim quodam modo paulatimque nititur pervenire: eo ille cælestium habitator ingenita subtilitate ac sublimitate sua, in omni velocitate facilitateque pertingit, nullo utique sensus corporei adminiculo fultus, nullo corporei membri adjuncto officio, nullo corporeæ ejusdemque rei informatum intuitu. Cur enim inter corpora spirituales scrutetur sensus, quos in libro vitæ et absque contradictione legit, et absque difficultate intelligit? cur in sudore vultus sui laboret excutere grana de paleis, de uvis vina, et de amurca oleum, qui ex omnibus cæcis abunde que ad manum habet? Quis mendicet victum suum per domos alienas, in sua abundantis panibus? quis puteum fodere curet, et in terræ visceribus venas aquarum cum labore rimari, cui ultro affatim aquas limpidas fons vivus emanat? Nec brutus ergo, nec angelicus spiritus ad ea capessenda, quæ beatam spiritualem faciunt creaturam, suis ullo modo corporibus adjuvantur; ille quidem pro innata stoliditate non capiens, iste vero pro excellentioris gloriæ prærogativa non indigens.

5. Porro hominis spiritum, qui medium quemdam inter supremum et infimum tenet locum, usque adeo ad utrumque necessarium habere corpus manifestum est, ut absque eo nec ipse proficere, nec alteri prodesse possit. Nam, ut taceam membra cætera corporis, officium membrorum; quomodo modo, quæso, aut sine lingua instruis audientem, aut sine auribus percipis instrumentem?

6. Itaque cum absque corporis adminiculo nec bestialis spiritus servilis conditionis solvere debitum, nec spiritualis cælestisque creatura implere ministerium pietatis, nec rationalis anima tam proximo, quam etiam sibi sufficiat consulere ad salutem; liquet omnem creatum spiritum, sive ut juvet, sive ut juvetur simul et juvet, corporeo prorsus indigere solatio. Quid enim si qua animantia, quantum ad usum sui, reperiantur incommoda, nullisque apta usibus humanarum necessitatum? Prosunt profecto visu, etsi non usu; utiliora cordibus inuentium, quam utentium esse corporibus possent. Etsi nociva, etsi etiam perniciose temporali hominum constet

esse salutem; non tamen deest eorum corporibus unde cooperentur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti; et si non cedendo in cibum, aut exhibendo ministerium, certe ingenium exercendo, juxta eum, qui utique omni utendi ratione præsto est, communis disciplinæ profectum, quo *invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Nam et diabolus ejusque satellites, cum sit semper eorum maligna intentio, nocere quidem semper cupiunt, sed bonis æmulatoribus, quibus dicitur: *Quis vobis nocere poterit, si boni æmulatores fueritis (I Petr. III, 13)?* absit ut possint; magis autem prosunt et nolentes, cooperanturque in bonum bonis.

7. Cæterum angelica corpora, utrumnam ipsi spiritibus naturalia sint, sicut hominibus sua; et sint animalia sicut homines, immortalia tamen, quod nondum sunt homines; porro ipsa corpora mutant et versent in forma et specie qua volunt quando apparere volunt, densantes et solidantes ea quantum volunt, cum tamen in sui veritate præ subtilitate naturæ atque substantiæ suæ impalpabilia sint, et nostris omnino inattingibilia visibus; an vero simplici spirituali substantia subsistentes, corpora cum opus est sumant, rursumque expleto opere ponant in eandem, de qua sumpta sunt, materiam dissolvenda; nolo ut a me requiratis (160). Videntur Patres de hujusmodi diversa sensisse; nec mihi perspicuum est unde alterutrum doceam; et nescire me fateor. Sed et vestris profectibus non multum conferre arbitror harum rerum notitiam.

8. Illud autem scitote, nullum creatorum spirituum (160) idem dubium proponit Bernardus in lib. 5 de Consideratione, cap. 4. Apud Patres et præcipuos Ecclesiæ doctores, res fuit admodum ambigua; aliis affirmantibus, angelos incorporeos esse; aliis, nec paucioribus, negantibus: adeo ut Magister Sentent. lib. 2, distinct. 8, considerans hanc varietatem opinionum, non ausus sit quidquam definire. S. Augustinum dubie hac de re locutum video, attamen in eam partem, quæ angelis corpora tribuit, proniorem. Nam ut erat Platonica disciplina imbutus, Platoniorum opinionem de corporibus angelorum sic alicubi commemorat, ut approbare videatur, uti lib. 8 de Civitate Dei, capp. 14-16. Quin alibi frequenter angelos animalia vocat, et corpora eis tribuit. Eucheridii cap. 59 difficillimam esse dicit quæstionem de corporibus angelorum. Non vacat loca singula iudicare: plurima annotavit Estius in lib. 2 Sent. dist. 8.

Hodie porro certa, et omnibus probata sententia est, angelos esse incorporeos, nec habere corpora sibi naturaliter unita. Vide S. Thom. 1 p. q. 50, art. 1, et q. 51, art. 1 et 2. An vero id sit de fide, necne, non inter omnes convenit. Vide Estium loco citato. Modestiam S. Bernardi non audentis in hac quæstione præferre sententiam, imo profitentis ignorantiam, laudat Sixtus Senens. lib. 5 Biblioth. sanctæ, annot. 8.

(161) Recte hoc argumentum tractat Bernardus in lib. 5 de Consideratione, num. 12. « Inest angelus suggerens bona, non ingerens; inest hortans ad bonum, non bonum creans. Deus sic inest ut afficiat, ut infundat, vel potius ut infundatur et participetur, ita ut unum perinde cum nostro spiritum esse dicere quis non timuerit. Angelus ergo cum anima, Deus in anima. « Nimirum quod mentibus

A tuum 1279 per se nostris mentibus applicari, ut videlicet, nullo mediante nostri sive corporis instrumento, ita nobis immisceatur vel infundatur, quo ejus participatione docti sive doctores, vel boni sive meliores efficiamur. Nullus angelorum, nulla animarum hoc modo mihi capabilis est, nullius ego capax. Nec ipsi angeli ita se alterutrum capiunt. Sequeretur proinde prærogativa hæc summo ac in-circumscripso Spiritui, qui solus, cum docet angelum sive hominem scientiam, instrumentum non quærit nostræ corporeæ auris, sicut nec sibi oris. Per se infunditur, per se innotescit, purus capitur a parvis. Solus nullius indiget; solus et sibi, et omnibus de sola omnipotenti voluntate sufficiens (161).

B 9. Operatur tamen immensa et innumera per sub-jectam creaturam corporalem, sive spiritualem; sed quasi imperans, non quasi mendicans. En, verbi gratia, quod linguam meam corporalem assumpsit nunc in opus suum, docere videlicet vos, cum per se absque dubio facilius suavisque id posset; profecto indulgentia est, non indigentia. In profectu siquidem vestro meritum quærit mihi, non sibi solatium. Idipsum sapere opus est omni homini operanti bonum, ne forte in se de bonis Domini, et non in Domino gloriatur. Est tamen qui bonum operatur non volens, sive homo malus, sive angelus malus: et constat non fieri propter eum, quod fit per eum, cum prodesse nullum bonum possit invito. Igitur ei quidem dispensatio tantum credita est; sed nescio quomodo gratius jucundiusque sentimus bonum, quod per malum dispensatorem ministratur. Ipsa

C hominum per se applicetur, quod alii aliis verbis expriment, puta Deum solum animabus sive mentibus hominum posse substantialiter illabi, easque complere. Quod quidem diserte docent Dydimus, lib. 1 de Spiritu sancto; Gennadius, lib. de Ecclesiast. Dogmat. cap. 82; Beda, Comment. in Act. 5; Magister, in 2, dist. 8. Hujus vero doctrinæ plures expositiones profert Estius in 2, dist. 8, parag. 12. « Ac primo, » inquit, « confitendum est solum Deum implere mentem hominis secundum substantiam, id est, solum Deum præsentia suæ nature intimum esse toti animæ intrinsicè eam continendo, conservando, gubernando, et in ea operando: secundo, quoad desiderii ejus capacitatem: tertio, per cognitionem, quia omnia cordis penetralia et recessus scrutatur et cognoscit: quarto, peculiari quadam ratione Deus illabitur mentibus hominum, quando eas gratiæ suæ præsentia sanctificat, et domicilium ac templum efficit. Porro demonum suggestioni qui consentiunt, in eos jam intrare, eosque interdum etiam implere diabolus dicitur, non secundum substantiam eo modo quo supra explicatum est; sed secundum effectum suggestionis extrinsecus adhibitæ et secundum potestatem dominationis. Quod etiam de bonis angelis conformiter intelligendum est, qui et ipsi secundum effectus sanctarum suggestionum ingredi in cor hominis, atque in eo operari recte dicuntur, juxta illud Zachar. 1, *Angelus loquebatur in me*: qua scriptura ad hanc rem utitur Bernardus, lib. 5 de Considerat. num. 12; ubi hoc ipsum bonis angelis diserte tradit, et quomodo hoc aliter angelis, aliter Deo competat, dilucide exponit. » Ita ille latius quidem eo loco. Hoc idem graviter ac solide docet Cassianus, Collat. 7, cap. 13. Confer etiam serm. 31 in Cantica, n. 6.

est ergo causa, cur et per malos Deus faciat bona bonis : non autem, quod opera eorum indigeat in benefaciendo.

10. Porro his quæ ratione vel sensu carentia sunt, multo minus Deum egere quis dubitet? Sed quando in opus bonum et ipsa concurrunt, apparet quoniam omnia serviunt ei, cui merito est dicere : *Meus est orbis terre* (Psal. XLIX, 12). Aut certe quia novit quæ per quæ convenientius fiant ; de servitute corporeæ creature non efficaciam quærit, sed congruentiam. Esto deinde quod corporum ministeria opportune plerumque divinis operibus applicentur, ut, verbi gratia, pluvix vivificandis seminibus, vel multiplicandis segetibus, vel fructibus maturandis ; quid proprio, quæso, de corpore facere habet, cui ad tutum indifferenter universa corpora cœlestia atque terrestria obsequi constat? Plane superfluo haberet suum, qui nullum sibi reperit alienum. Verum si cuncta, quæ hoc loco dicenda occurrunt (162), præsentem volumus sermone concludere, sermo modum excolet, et vires forsitan aliquorum : propterea quæ restant, sub alio servemus absolvenda principio.

SERMO VI.

De summo et incircumscripito Spiritu, qui est Deus : et quo modo misericordia et iudicium dicantur pedes Domini.

1. Ut præcedenti sequens sermo cohæreat, tenetisne datum superius, solum summum et incircumscripium Spiritum ad omne quod facere vel fieri vult, corporis instrumento sive obsequio non egere? Demus ergo securi veram soli Deo, sicut immortalitatem, ita et incorporeitatem : quod solus spirituum universam corpoream naturam eo usque transcendat, ut quocumque corpore in quocumque opere non indigeat, solo, spirituali nutu, cum vult, ad quæcunque vult agenda contentus. Sola igitur est quæ nec propter se, nec propter alium, sola corporei instrumenti opus habet illa majestas, cuius omnipotentis arbitrio incunctanter præsto **1280** est omne opus, omne altum inclinat, omne adversum cedit, omne creatum favet, etiam nullo interveniente vel subveniente solatio corporali, sive spirituali. Docet vel monet sine lingua ; præbet vel tenet sine manibus ; sine pedibus currit et succurrit pereuntibus.

2. Actitabat ista et cum patribus prioribus sæculis ; experiebantur homines sæcula beneficia, sed latebat eos beneficus. Ille quidem attingebat a fine usque ad finem fortiter ; sed disponens omnia suaviter, non sentiebatur ab hominibus. Et gaudebant de bonis Domini ; et Dominum sabaoth, eo quod cum tranquillitate iudicaret omnia omnino nesciebant. Ab ipso erant, sed non cum ipso ; per ipsum vivebant, sed non ipsi ; ex ipso sapiebant, sed non ipsum, alienati, ingrati, insensati. Hinc demum factum est, ut quod erant, quod vivebant, quod sapiebant, non auctori tribuerent, sed nature ascriberent, aut

A certe, quod insipientius erat, fortunæ ; propriæ quæque industriæ atque virtuti multi multa arrogabant. Quanta sibi usurparunt seductorii spiritus, quanta soli et lunæ data sunt ; quanta terris et aquis attributa, quanta etiam manufactis fabrilibusque mortalium deputata operibus ! Herbis, arbustis, minutissimis vilissimisque seminibus pro nuninibus deferebatur.

3. Heu ! sic homines perdidervnt et commutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fenum? (Psal. cv, 20.) Quorum Deus miseratus errores, de monte umbroso et condense dignanter egrediens, in sole posuit tabernaculum suum (Psal. xviii, 6). Obtulit carnem sapientibus carnem, per quam discerent sapere et spiritum. Nam dum in carne et per carnem facit opera, non carnis, sed Dei, natura utique imperans, superansque fortunam, stultam faciens sapientiam hominum, dæmonumque debellans tyrannidem ; manifeste ipsum se indicat esse, per quem eadem et ante fiebant quando fiebant. In carne, inquam, et per carnem potenter ac patenter operatus mira, locutus salubria, passus indigna, evidenter ostendit, quia ipse sit qui potenter, sed invisibiliter sæcula condidisset, sapienter regeret, benigne protegeret. Denique dum evangelizat ingratiss, signa præbet infidelibus, pro suis crucifixoribus orat : nonne liquido ipsum se esse declarat, qui cum Patre suo quotidie oriri facit solem suum super bonos et malos, pluit super justos et injustos? (Matth. v, 45.) Hoc enim est quod ipse aiebat : *Si non facio opera Patris mei, nolite credere* (Joan. x, 37).

4. En aperit os carnis suæ docens in monte discipulos, qui in silentio angelos in cœlestibus docet. En ad tactum corporeæ manus curatur lepra, fugatur cæcitas, auditus reparatur, lingua muta resolvitur, discipulus prope mersus erigitur ; et is indubitanter agnoscitur, cui dixerat longe ante David : *Aperis tu manum tuam, et impleas omne animal benedictione* (Psal. cxliv, 16) ; et item : *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate* (Psal. ciii, 28). En secus corporales pedes jacens ac pœnitens audit peccatrix : *Remittuntur tibi peccata tua* (Luc. vii, 48), et recognoscit eum, de quo ex nullis retro temporibus scriptum legerat : *Egredietur diabolus ante pedes ejus* (Habac. iii, 5). Ubi nempe peccatum remittitur, ibi procul dubio diabolus de corde peccatoris expellitur. Hinc universaliter de cunctis pœnitentibus dicit : *Nunc iudicium est mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras* (Joan. xii, 31) : quod scilicet humiliter confitenti remittat Deus peccatum ; et diabolus eum, quem in hominis corde invaserat, amittat principatum.

5. Denique ambulat super undas carnalibus pedibus (Matth. xiv, 25), cui nondum carne vestito jam Psalmista præcinerat : *In mari vita tua, et semita tua in aquis multis* ; quod est : *Conculcas corda tu-*

(162) Confer ea quæ de hoc argumento dicuntur in opusculo de Gratia et Libero Arbitrio, cap. 13. num. 44 et 45, in tomo II.

mentia superborum, et fluxa desideria carnalium comprimis, justificans inpios **1281**, et superbos humilians. Quod tamen quia invisibiliter fit, carnalis non sentit a quo fit. Unde et subdit: *Et vestigia tua non cognoscuntur* (*Psal. LXXVI, 20*). Hinc rursus Pater ad Filium: *Sede, inquit, a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal. CIX, 1*); hoc est: Donec omnes qui te contempnunt, tuæ voluntati subjiciam, sive invitos et miseros, sive voluntarios et beatos. Itaque hoc opus Spiritus quia caro non percipiebat (animalis quippe homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei [*I Cor. II, 14*]), opus fuit ut corporalibus pedibus corporaliter incubans, et corporalibus labiis pedes eisdem deosculans, veniam peccatorum peccatrix perciperet; sicque illa mutatio dexteræ Excelsi (*Psal. LXXVI, 11*), qua mirabiliter, sed invisibiliter justificat impium, etiam carnalibus innotesceret.

6. Verum illos spirituales pedes Dei, quos primo loco spiritualiter osculari pœnitentem oportet, præterire me non oportet. Novi ego curiositatem vestram, quæ nil sua voluntate incrustatum omnino prætereat. Nec vero ducendum contemptui, nosse, quibus scriptura pedibus tam frequenter Deum commemorat, nunc quidem stare, ut ibi: *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus* (*Psal. CXXXI, 7*); nunc vero anbulare, ut ibi: *Et habitabo in illis, et deambulabo in eis* (*Levit. XXVI, 12; II Cor. VI, 16*); nunc etiam currere, juxta illud: *Exsultavit ut gigas ad currendam viam* (*Psal. XVIII, 6*). Si recte Apostolo visum est caput Christi referre ad Deitatem (*I Cor. XI, 3*); puto et nobis non incongrue videri pedes ad hominem pertinere; quorum alterum misericordiam, alterum judicium nominemus. Nota sunt vobis duo ista vocabula; et de plerisque Scripturæ locis ambo pariter, si cogitatis, occurrunt. Quia vero misericordiam pedem Deus in carne, cui se univit, assumpsit, docet epistola ad Hæbræos, tentatum perhibens per omnia Christum pro similitudine absque peccato, ut misericors fieret (*Hebr. IV, 15*). Quid illum alteram, qui judicium nuncupatus est, nonne ad hominem æque assumptum et ipsum pertinere ipse Deus homo aperte significat, ubi datam sibi perhibet a Patre potestatem judicium facere, quia Filius hominis est? (*Joan. V, 27*.)

7. His duobus ergo pedibus apte sub uno divinitatis capite concurrentibus, natus ex muliere, factus sub lege invisibilis Emmanuel, in terris visus est, et cum hominibus conversatus est (*Baruch III, 38*). His certe pertransit et nunc, benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, sed spiritualiter, sed invisibiliter. His, inquam, pedibus devotas perambulat mentes, incessanter lustrans, scrutansque corda et renes fidelium. Vide autem ne forte hæc illa sint sponsi crura, quæ sponsa tam magnifice commendat in consequentibus, comparans ea, ni fallor, columnis marmoreis, fundatis super bases aureas (*Cant. V, 15*). Pulchre omnino; quoniam quidem in incarnata Dei Sapientia, quæ auro designatur, misericordia et

veritas obviaverunt sibi (*Psal. LXXXIV, 11*); denique universæ viæ Domini misericordia et veritas (*Psal. XXIV, 10*).

8. Felix mens, cui semel Dominus Jesus utrumque infixit pedem! A duobus signis cognoscite eam quæ hujusmodi est, quæ secum necesse est referat divinis impressa vestigiis. Ipsa sunt timor et spes; ille iudicii, ista misericordiam repræsentans imaginem. Merito beneplacitum est Deo super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus (*Psal. CXLVI, 11*): cum timor initium sit sapientiæ (*Prov. I, 7*); spes, profectus: nam consummationem sibi charitas vindicat. Quæ cum ita sint, non parvus fructus est in primo hoc osculo, quod ad pedes accipitur; tantum curato ut neutro frauderis illorum. Porro enim si jam dolore peccati, et iudicii timore compungeris, veritatis iudiciumque vestigio labia impressisti. Quod si timorem doloremque divinæ intuitu bonitatis, et spe consequendæ indulgentiæ temperas, etiam misericordiam pedem amplecti te noveris. Alioquin alterum sine altero osculari non expedit; quia et recordatio solius iudicii in barathrum desperationis præcipitat, et misericordiam fallax assentatio pessimam generat securitatem.

9. Datum est et mihi misero nonnunquam sedere secus pedes Domini Jesu; et modo hunc, modo illum **1282** tota devotione complecti, in quantum me sua benignitas dignabatur admittere. At si quando miserationis oblitus, stimulante conscientia, iudicio paulo diutius inhærerem, mox metu incredibili ac miserabili confusione dejectus, et tenebroso circumfusis horrore, hoc solum palpitans de profundis clamabam: *Quis novit potestatem iræ tuæ, et præ timore tuo iram tuam dinumerare?* (*Psal. LXXXIX, 11, 12*) Quod si eo relicto pedem misericordiam plus tenere contingeret, tanta econtrario incuria et negligentia dissolvebar, ut confestim et oratio tepidior, et actio pigrior, et risus promptior, et sermo incautior, et omnis denique utriusque hominis status inconstantior appareret. Proinde magistra instructus experientia, non iudicium jam solum, aut solam misericordiam; sed misericordiam pariter et iudicium cantabo tibi, Domine (*Psal. C, 1*). In æternum non obliviscar justificationes istas; cantabiles mihi erunt ambæ pariter in loco peregrinationis meæ, quousque misericordia superexaltata iudicio, miseria conticescat, ac sola cantet tibi de cætero gloria mea, et non compungat.

SERMO VII.

De amore ardenti quo anima diligit Deum. Item de attentione tempore orationis vel psalmodiæ procurand

1. Ipse mihi laborem suscito, qui vos sponte provoco ad quærendum. Quia enim ego primi osculi occasione spirituales Dei pedes propriis definitionibus ac nominibus, et quidem ex abundanti, demonstrare curavi; vos pergitis inquirere et de manu, quæ secundo loco osculanda proponitur. Annuo, gero vobis morem; insuper non manum, sed manus ostendo,

propriisque distingno vocabulis. Latitudo una, altera fortitudo dicatur: quod et tribuat affluenter, et defendat potenter quod dederit. Utamque profecto osculabitur qui ingratus non fuerit, Deum utique bonorum omnium sicut largitorem, ita et conservatorem recognoscens et confitens. Satis de duobus osculis dictum esse reor: videamus et de tertio.

2. *Osculetur*, inquit, *me osculo oris sui* (*Cant.* 1, 4). Quis dicit? Sponsa. Quænam ipsa? Anima sitiens Deum. Sed pono diversas affectiones, ut ea quæ proprie sponsæ congruit, distinctius elucescat. Si ærvus est, timet a facie Domini; si mercenarius, sperat de manu Domini; si discipulus, aurem parat magistro; si filius, honorat patrem; quæ vero osculum postulat, amat. Excellit in naturæ donis affectio hæc amoris, præsertim cum ad suum recurrit principium, quod est Deus. Nec sunt inventa æque dulcia nomina, quibus Verbi, animæque dulces ad invicem exprimerentur affectus, quemadmodum sponsus et sponsa: quippe quibus omnia communia sunt, nil proprium, nil a se divisum habentibus. Una utriusque hæreditas, una domus, una mensa, unius torus, una etiam caro. Denique propter hanc relinquet ille patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una (*Gen.* 11, 24). Hæc quoque jubetur nihilominus oblivisci populum suum, et domum patris sui; ut concupiscat ille decorem ejus (*Psal.* XLIV, 11, 12). Si ergo amare specialiter sponsis ac principaliter convevit, non immerito sponsæ nomine censetur anima quæ amat. Amat autem quæ osculum petit. Non petit libertatem, non mercedem, non hæreditatem, non denique vel doctrinam, sed osculum; more plane castissimæ sponsæ ac sacrum spirantis amorem, nec omnino valentis flammam dissimulare quam patitur. Vide enim quale præripiat sermonis exordium. Magnum quid a magno petitura, nullo tamen, ut assolet, utitur blanditiarum fuco; nullis circumvolutionibus ad id quod desiderat ambit. Non facit prociem, non captat benevolentiam; sed ex abundantia cordis repente prorumpens, nude frontoseque satis: *Osculetur me*, ait, *osculo oris sui*.

3. An non tibi quasi dicere manifeste videtur: *Quid 1283 mihi est in celo, et a te quid volui super terram?* (*Psal.* LXXII, 25.) Amat profecto caste, quæ ipsum quem amat, quærit; non aliud quidquam ipsius. Amat sancte, quia non in concupiscentia carnis, sed in puritate spiritus. Amat ardentem, quæ ita proprio debriatur amore, ut majestatem non cogitet. Quid enim? respicit terram, et facit eam tremere (*Psal.* CIII, 32); et ista se ab eo postulat osculari! Ebriane est? Ebria prorsus. Et forte tunc, cum ad ista prorupit, exierat de cella vinaria, quo

(163) Sixtus Senensis, lib. 5 Biblioth. S. annot. 216, in istum locum sic animadvertit. « Bernardi verbis ex homilia in Cantica canticorum septima uti solent scholastici, cum disceptandi gratia contendunt, angelos custodes aliquando deserere custodiam eorum, quos custodiendos accepere. Albertus Magnus in primo Summæ volumine, quæst. 8, hunc

A se nimirum introductam postmodum gloriatur (*Cantic.* 1, 3; 11, 4). Nam et David de quibusdam dicebat Deo: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ et torrente voluptatis tuæ potabis eos* (*Psal.* xxxv, 9) O quanta amoris vis! quanta in spiritu libertatis fiducia! Quid manifestius, quam quod perfecta charitas foras mittit timorem? (*I Joan.* iv, 18.)

4. Verecunde tamen non ad ipsum sponsum sermonem dirigit, sed ad alios, tanquam de absente: *Osculetur me*, inquit, *osculo oris sui*. Grandis quippe res petitur, et opus est verecundia comitari precem, commendari petentem. Itaque per domesticos et intimos, accessus ad intima quæritur, ambitur ad desideratum. Quinam illi? Credimus angelos sanctos astare orantibus, offerre Deo preces et vota hominum: ubi tamen sine ira et disceptatione levare puras manus perspexerint. Probat hoc angelus ita loquens ad Tobiam: *Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas; ego obtuli orationem tuam Domino* (*Tob.* xii, 12). Puto id vobis satis et ex aliis Scripturæ testimoniis persuasum. Nam quod psallentibus quoque dignanter admisceri sancti angeli soleant, quid eo manifestius quod Psalmista ait: *Præveniant principes conjuncti psallentibus in medio juvenicularum tympanistiarum?* (*Psal.* LXXII, 26.) Unde et dicebat: *In conspectu angelorum psallam tibi* (*Psal.* cxxxvii, 1). Doleo proinde aliquos vestrum gravi in sacris vigiliis deprimi somno, nec cœli cives revereri, sed in præsentia principum tanquam mortuos apparere, cum vestra ipsi alacritate permoti, vestris interesse solemnibus delectentur. Vereor, ne vestram desidiam quandoque abominantes, cum indignatione recedant (163), et incipiat unusquisque vestrum sero cum gemitu dicere Deo: *Longe fecisti notos meos a me, posuerunt me abominationem sibi*; et illud: *Elongasti a me amicum et proximum, et notos meos a miseria* (*Psal.* LXXXVII, 9, 19); item: *Qui juxta me erant, de longe steterunt, et vim faciebant qui quærebant animam meam* (*Psal.* xxxvii, 12, 13). Pro certo enim si se a nobis boni spiritus elongaverint, impetus malignorum quis sustinebit? Dico ergo his qui ejusmodi sunt: *Maledictus qui opus Dei facit negligenter* (*Jerem.* XLVIII, 10). Dicit quoque, non ego, sed Dominus: *Utinam te calidum aut frigidum invenissem! sed quia te tepidum inveni, incipiam te evomere ex ore meo* (*Apoc.* III, 15, 16). Ea propterea attendite principes vestros, cum stalis ad orandum vel psallendum, et state cum reverentia et disciplina; et gloriamini, quia angeli vestri quotidie vident faciem Patris (*Matth.* xviii, 10). Nimirum missi in ministerium propter nos, qui hæreditatem capilocum expendens, ait: Homines ab angelis custodibus deseri non secundum locum, seu localem custodiam, sed secundum virtutem et efficaciam: et hoc non ex angeli desidia, sed ex hominis culpa eo modo quo sancti dicere solent, peccatorem discedere a Deo in regione dissimilitudinis, non distantia loci, sed meriti. »

mus salutis (*Hebr.* i, 14), devotionem nostram in A superna ferunt, referunt gratiam. Usurpemus officium quorum sortimur consortium, ut in ore infantium et lactentium perficiatur laus (*Psal.* viii, 3). Dicamus eis : *Psallite Deo nostro, psallite; atque audiamus eos vicissim respondentes : Psallite regi nostro, psallite.*

5. Laudem ergo cum cœli cantoribus in commune ducentes, utpote cives sanctorum et domestici Dei, *psallite sapienter* (*Psal.* xlvii, 7, 8). Cibus in ore; psalmus in corde sapit. Tantum illum terere non negligat fidelis et prudens anima quibusdam dentibus intelligentiæ suæ, ne si forte integrum glutiat et non mansum, frustretur palatum sapore desiderabili, et dulciori super mel et favum. Offeramus cum apostolis in cœlesti convivio et in Dominica mensa favum mellis (*Lue.* xxiv, 42). Mel in cera, devotio in littera est. Alloquin littera occidit, si absque spiritus condimento glutieris (*I Cor.* iii, 6). Si autem **1284** cum Apostolo psallas spiritu, psallas et mente (*I Cor.* xiv, 15); cognosces et tu de illius veritate sermonis, quem dixit Jesus : *Verba quæ locutus sum vobis, spiritus et vita sunt* (*Joan.* vi, 64); et item quem logimus dicente Sapientia : *Spiritus meus super mel dulcis* (*Eccli.* xxiv, 27).

6. Sic delectabitur in crassitudine anima tua, sic holocaustum tuum pingue fiet. Sic placabis regem, sic placebis principibus, sic denique totam tibi curiam benevolam reddes; et odorati odorem suavitatis in cœlestibus, de te quoque dicent : *Quæ est ista quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ et thuris, et universi pulveris pigmentarii* (*Cant.* iii, 6)? *Principes*, inquit, *Juda, duces eorum, principes Zabulon, principes Neptalim* (*Psal.* lxxvii, 28); hoc est continentium, continentium, contemptantium. Norunt siquidem principes nostri Regi suo acceptam esse psallentium confessionem, continentium fortitudinem, contemptantium puritatem : et solliciti sunt exigere a nobis istiusmodi primitias spiritus, quæ profecto non aliud sunt, quam primi et purissimi fructus sapientiæ. Quod enim non ignoratis, Judas *laudans vel confitens*, et Zabulon *habitaaculum fortitudinis*, Neptalim *cervus emissus* interpretatur : qui nimirum agilitatis suæ saltibus exprimit speculantis excessus, sed et opaca D penetrare nemorum, ut ille sensuum, consuevit. Scimus autem qui dixerit : *Sacrificium laudis honorificabit me* (*Psal.* xlix, 23).

7. Verum si non est speciosa laus in ore peccatoris (*Eccli.* xv, 9); nonne pernecessariam habetis continentiae virtutem, per quam fiat ut non regnet peccatum in vestro mortali corpore? Porro continentia non habet meritum apud Deum, quæ gloriam requirit humanam. Ideoque maxime opus est etiam puritate intentionis, qua soli mens vestra Deo et placere appetat, et valeat inhærere. Neque enim aliud est inhærere Deo, quam videre Deum; quod solis mundicordibus singulari felicitate donatur. Cor mundum habebat David, qui dicebat Deo : *Ad*

hæsit anima mea post te (*Psal.* lxxii, 9); item : *Mihi autem adhærere Deo bonum est* (*Psal.* lxxii, 28). Videndo adhærebat, et adhærendo videbat. Animæ ergo in his exercitæ cœlestes sese nuntii familiares exhibent et frequentes, præsertim si frequenter orantem persenserint [*alias prospiciant*]. Quis dabit mihi per vos, o benigni principes, petitiones meas innotescere apud Deum? Non enim Deo, cui etiam cogitatio hominis confitetur, sed apud Deum; hoc est, ipsis qui cum Deo sunt, tam beatis virtutibus, quam carne solutis spiritibus. Quis suscitabit me de terra inopem, et de stercore eriget pauperem, ut sedeam cum principibus et solium gloriæ teneam? Non ambigo quin gratanter in palatio collocant, quem dignanter in sterquilinio visitant. Denique lætati sunt de conversione; et in assumptione non agnoscent?

8. Hos itaque puto inter orandum alloqui sponsam, et ipsis, tanquam sponsi domesticis ac sodalibus, desiderium cordis sui aperire, cum ait : *Osculetur me osculo oris sui*. Et vide familiare amicumque colloquium animæ in carne suspirantis cum cœlestibus potestatibus. Gestit in oscula, petit quod cupit; non tamen nominat quem amat; quia illos nosse non dubitat, utpote de quo sibi frequens cum illis soleat esse confabulatio. Propterea non dicit : *Osculetur me ille vel illo*; sed : *Osculetur me tantum*; sicut et Maria Magdalena non exprimebat ex nomine quem quæreret, sed tantum aiebat ei quem putabat hortulanum : *Domine, si tu sustulisti eum* (*Joan.* xi, 15). Quem eum? Non aperit; quia palam omnibus esse credit, quod a suo corde nec ad momentum recedere potest. Ita ergo et ista loquens sodalibus sponsi sui, tanquam conscii et quibus se noverat manifestam, tacito nomine repente in hæc de dilecto verba prorumpit : *Osculetur me osculo oris sui*. De quo jam osculo nolo vos diutius protrahere, sed sermone crasino audietis quidquid orantibus vobis suggerere mihi inde dignabitur unctio docens de omnibus. Neque enim hoc secretum revelat caro et sanguis; sed is qui scrutatur profunda Dei Spiritus **1285** sanctus, qui a Patre Filioque procedens, cum ipsis pariter vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO VIII.

Quomodo per osculum oris Dei significatur Spiritus sanctus, quem Ecclesia sibi petit dari ad notitiam sanctæ Trinitatis.

1. Hodie vobis, sicut hesternam promissione tenetis, de summo, id est de oris osculo, disputare propositum est. Audite attentius quod sapit suavius, et gustatur rarius, et intelligitur difficiliter. Mihi videtur, ut paulo altius inchoem, ineffabile quoddam atque inexpertum omni creaturæ osculum designasse, qui ait : *Nemo novit Filium, nisi Pater; et nemo novit Patrem, nisi Filius, aut cui voluerit Filius revelare* (*Matth.* xi, 27). Pater enim diligit Filium, et singulari dilectione amplectitur, summus æqualem, æternus cœternum, unus unicum. Sed enim

non minori ipse a Filio affectione astringitur : quippe pro cuius amore et moritur, ipso attestante cum ait : *Ut sciant omnes quia diligo Patrem, surgite, eamus* (Joan. xiv, 31); haud dubium quin ad passionem. Illa itaque mutua gignentis genitique cognitio pariter et dilectio, quid nisi osculum est suavissimum, sed secretissimum?

2. Ego pro certo ad tantum et tam sanctum divini amoris arcanum ne ipsam quidem angelicam admitti arbitror creaturam. Etenim, Paulo hoc ipsum sapiente, *pax illa exsuperat omnem*, etiam angelicum, *sensum* (Phi'ipp. iv, 7). Unde nec ista, quanquam multum præsumens, audet tamen dicere : Osculetur me ore suo; soli illud scilicet reservans Patri : sed aliquid minus postulans : *Osculetur me*, inquit, *osculo oris sui*. Videte novam sponsam novum osculum accipientem, non tamen ab ore, sed ab osculo oris. *Insuflavit*, inquit, *eis*, haud dubium quin Jesus apostolis, id est primitivæ Ecclesiæ, *et dixit : Accipite spiritum sanctum* (Joan. xx, 22). Osculum profecto fuit. Quid? corporeus ille status? Non, sed invisibilis Spiritus : qui propterea in illo dominico statu datus est, ut per hoc intelligeretur et ab ipso pariter tanquam a Patre procedere, tanquam vere osculum, quod osculanti osculatoque commune est. Itaque sufficit sponsæ, si osculetur ab osculo sponsi, etiamsi non osculetur ab ore. Nec enim exiguum quid aut vile putat osculari ab osculo : quod non est aliud nisi infundi Spiritu sancto. Nempe si recte Pater osculans, Filius osculatus accipitur, non erit ab re osculum Spiritum sanctum intelligi, utpote qui Patris Filiique imperturbabilis pax sit, gluten firmum, individuum amor, indivisibilis unitas.

3. De ipso igitur audent sponsa, ipsumque infundi sibi audenter sub osculi nomine petit. Tenet quippe aliquid, unde non desit occasio præsumendi. Dicens enim Filius : *Nemo novit Filium, nisi Pater; et nemo novit Patrem, nisi Filius; adjecit, aut cui voluerit Filius revelare*. Non autem diffidit sponsa quin sibi velit, si cui voluerit. Petit ergo audenter dari sibi osculum, hoc est Spiritum illum, in quo sibi et Filius revelatur et Pater. Alter enim sine altero nequaquam innotescit. Unde est illud : *Qui videt me, videt et Patrem meum* (Joan. xiv, 9); et illud Joannis, *Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet. Qui autem confitetur Filium, et Patrem habet* (I Joan. ii, 23). Ex quibus liquido constat, quia nec Pater sine Filio, nec Filius sine Patre agnoscitur. Merito proinde non in alterius tantum, sed in utriusque cognitione constituit summam beatitudinem qui dicit : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (Joan. xvii, 3). Denique et qui sequuntur Agnum, referantur habere nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis (Apoc. xiv, 1) : quod est de utriusque notitia gloriari.

4. Sed dicit aliquis : Ergo et Spiritus sancti agnitio non est necessaria, ut cum dixerit esse vitam æternam nosse et Patrem et Filium, de Spiritu

a sancto tacuerit? Est utique : sed ubi Pater et Filius perfecte agnoscitur, utriusque bonitas, quæ Spiritus sanctus 1286 est, quomodo ignoratur? Neque enim integre homo homini innotescit, quandiu latet, utrumnam bonæ an malæ sit voluntatis. Quanquam et cum dictum est : *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum*; profecto si missio illa beneplacitum tam Patrie benigne mittentis, quam Filii voluntarie obedientis demonstrat, non omnino tacitum est de Spiritu sancto, ubi tantæ utriusque gratiæ mentio facta est. Utriusque siquidem amor et benignitas Spiritus sanctus est.

5. Trinæ ergo hujus agnitionis infundi sibi gratiam, quantum quidem capi in carne mortali potest, sponsa petit, cum osculum petit. Petit autem a Filio; quia Filii est cui voluerit revelare. Revelat ergo Filius se ipsum cui vult, revelat et Patrem. Revelat autem sine dubio per osculum, hoc est per Spiritum sanctum, Apostolo teste, qui ait : *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum* (I Cor. ii, 10). At vero dando Spiritum per quem revelat, etiam ipsum revelat; dando revelat, et revelando dat. Porro revelatio, quæ per Spiritum sanctum fit, non solum illustrat ad agnitionem, sed etiam accendit ad amorem, dicente Paulo : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (Rom. v, 5). Et ideo forsitan de his qui cognoscentes Deum, non tanquam Deum glorificaverunt, non legitur quod Spiritu sancto revelante cognoscerent; quia cum cognoscerent, non amaverunt. Sic quippe habes : *Deus enim illis revelavit*. Nec adjunctum est : *Per Spiritum suum, ne sibi sponsæ osculum mentes impiæ usurparent, quæ contentæ ea quæ inflat, eam quæ ædificat* (I Cor. viii, 1) nescierunt. Denique ipse Apostolus dicat per quid cognoverunt. *Per ea*, inquit, *quæ facta sunt, intellecta conspexerunt*. Unde et constat quia nec perfecte cognoverunt, quem minime dilexerunt. Si enim integre cognovissent, bonitatem qua pro eorum redemptione in carne nasci et mori voluit non ignorassent. Audi denique quid eis de Deo revelatum fuerit : *Sempiterna, ait, virtus ejus et divinitas* (Rom. i, 19-21). Vides quia quod sublimitatis, quod majestatis est, in præsumptione spiritus, non Dei, sed sui rimati sint; quod autem mitis sit et humilis corde, non intellexerint. Nec mirum, quia et caput eorum Behemoth nihil humile; sed, sicut de eo legitur, *omne sublime ridet* (Job xli, 25). Quo contra David non ambulabat in magnis, neque in mirabilibus super se (Psal. cxxx, 1, 2), ne scrutator majestatis opprimeretur a gloria (Prov. xxv, 27).

6. Vos quoque, ut caute in arcanis sensibus pedem figatis, mementote semper, quod Sapiens admonet : *Altiora, inquit, te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris* (Eccli. iii, 22). In spiritu ambulato in illis, et non in sensu proprio. Doctrina Spiritus non curiositatem acuit, sed charitatem accendit. Merito proinde sponsa, quem diligit anima sua in-

quirens, non se suæ carnis sensibus credit, non curiositatis humanæ inanibus ratiociniis acquiescit; sed petit osculum, id est Spiritum sanctum invocatur, per quem accipiat simul et scientiæ gustum, et gratiæ condimentum. Et bene scientia, quæ in osculo datur, cum amore recipitur; quia amoris indicium osculorum est. Scientia ergo quæ inflat, cum sine charitate sit, non procedit ex osculo. Sed nec qui zelum Dei habent, et non secundum scientiam, sibi ullatenus arrogant illud. Utrumque enim munus simul fert osculi gratia, et agnitionis lucem, et devotionis pinguedinem. Est quippe Spiritus sapientiæ et intellectus, qui instar apis ceram portantis et mel, habet omnino et unde accendat lumen scientiæ, et unde infundat saporem gratiæ. Neuter ergo se osculum percepisse putet, sive qui veritatem intelligit, nec diligit; sive qui diligit, nec intelligit. Sane in osculo isto nec error locum habet, nec tepor. Quamobrem geminæ gratiæ sacrosancti osculi suscipiendæ paret e regione duo labia sua quæ sponsa est, intelligentiæ rationem, sapientiæ voluntatem, ut de pleno osculo glorians mereatur audire: *Diffusa est gratta in labiis tuis; propterea benedixit te Deus in æternum (Psal. XLIV, 3)*. Itaque Pater Filium osculans, plenissime illi arcana suæ divinitatis **1287** eructat, et spirat suavitatem amoris, Scriptura hoc significante, cum ait: *Dies diei eructat verbum (Psal. XVIII, 3)*. Cui sane sempiterno singulariterque beato complexui, nulli omnino, ut jam dictum est, creaturæ interesse donatur, solo utriusque Spiritu teste ac conscio mutæ agnitionis et dilectionis. *Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? (Rom. XI, 34.)*

7. Sed dicat mihi fortasse aliquis: Tibi ergo unde innotuit, quod nulli fateris creditum creaturæ? **Profecto Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit (Joan. I, 18)**, dixerim, non mihi misero et indigno, sed plane Joanni amico sponsi, cujus hæc verba sunt; non solum autem, sed et Joanni evangelistæ, utique discipulo quem diligebat Jesus. Placita enim fuit Deo et anima illius, digna prorsus nomine et dote sponsæ, digna sponsi amplexibus, digna denique quæ recumberet super pectus Domini. Hauserat Joannes de sinu Unigeniti, quod de paterno hauserat ille. Nec solus ipse tamen, sed et omnes, quibus idem aiebat magni consilii angelus: *Vos dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis (Joan. XV, 15)*. Hauserat et Paulus, cujus evangelium non est ab homine, neque per hominem illud accepit, sed per revelationem Jesu Christi (*Galat. I, 11, 12*). Profecto hi omnes tam feliciter, quam veraciter dicere possunt: *Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis*. Et illa enarratio quid eis nisi osculum fuit? Sed osculum de osculo, et non de ore. Audi siquidem osculum de ore. *Ego et Pater unum sumus*; item: *Ego in Patre, et Pater in me est (Joan. X, 30, 38)*. Osculum est ore ad os sumptum; sed nemo appropriat. Osculum plane dilectionis et pacis; sed dilectio illa super-

A eminet omni scientiæ, et pax illa omnem sensum exsuperat. Verumtamen quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, Paulo revelavit Deus per Spiritum suum, hoc est per osculum oris sui. Igitur Filium in Patre, et Patrem esse in Filio, osculum de ore est. Quod autem legitur: *Non enim accepimus spiritum hujus mundi, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis (I Cor. II, 12)*; osculum sane de osculo est.

8. Et ut apertius alterutrum distinguamus, qui plenitudinem capit, osculum de ore sumit; qui vero de plenitudine, osculum de osculo recipit. Magnus quidem Paulus: sed quantumlibet sursum porrigat os, etiamsi se usque ad tertium cælum extendat, B citra os Altissimi tamen necesse est ut remaneat, et modo suo contentus in se subsistat; et cum pertinere ad vultum gloriæ non valebit, condescendi sibi, et ex alto transmitti osculum humiliter petat. Qui vero non rapinam arbitratur esse se æqualem Deo (*Philipp. II, 6*), ita ut audeat dicere: *Ego et Pater unum sumus*; quia ex æquo conjungitur, ex æquo complectitur, non osculum de loco inferiori mendicat, sed pari celsitudine os ori conjungit [*alias, os ore contingit*], et singulari prærogativa osculum de ore sumit. Christo igitur osculum est plenitudo, Paulo participatio; ut cum ille de ore, iste tantum de osculo osculatum se gloriatur.

9. Felix tamen osculum, per quod non solum agnoscitur Deus, sed et diligitur Pater: qui nequam plene cognoscitur, nisi cum perfecte diligitur. Quæ in vobis anima sensit aliquando in secreto conscientie suæ *Spiritum Filii clamantem: Abba, Pater? (Galat. IV, 6)*. Ipsa, ipsa, paterno se diligi præsumat affectu, quæ eodem se spiritu, quo et Filius, affectam sentit. Confide, quæcunque es illa, confide nihil hæsitans. In spiritu Filii filiam cognosce te Patris, sponsam Filii vel sororem. Utroque vocabulo eam, quæ hujusmodi est, invenies appellari. Ad manum est unde id probem: non multum laborabo. Vox sponsi est ad ipsam: *Veni in hortum meum, soror mea sponsa (Cant. V, 1)*. Soror siquidem est, quia ex uno Patre; sponsa, quia in uno Spiritu. Nam si carnale matrimonium constituit duos in carne una, cur non magis spiritualis copula duos conjungat in uno spiritu? Denique qui adhæret Domino, unus spiritus est (*I Cor. VI, 17*). Sed audi etiam de Patre, quam amanter **1288** quamque dignanter et filiam eam nominat, et nihilominus tanquam nurum propriam ad Filii blandos invitat amplexus. *Audi, inquit, filia, et vide, et inclina aurem tuam; et obliviscere populum tuum et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum. (Psal. XLIV, 11, 12)*. Ecce a quo ista flagitat osculum. O sancta anima, reverentiam habe, quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et fortasse non osculandus, sed adorandus cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IX.

De uberibus sponsi, id est Christi, quorum unum est longanimitas expectandi peccatores; alterum, benignitas seu facilitas eos recipiendi.

1. Accedamus jam ad librum, verbisque sponsæ rationem demus et consequentiam. Pendent enim, et prærupta nutant absque principio. Ideoque præmittendum cui competenter cohæreant. Ponamus proinde istos, quos sponsi sodales diximus, visitandi salutandique gratia, sicut heri et nudius tertius, accessisse nunc quoque ad sponsam; ipsamque submurmurantem et tædentem reperisse, mirari causam, et quasi alloqui in hunc modum. Quid novi accidit? quid te cernimus solito tristiore? quæ inopinati murmuris causa? Certe cum aversa et alienata ires post amatores tuos, cum quibus male erat tibi, compulsa tandem reverti ad virum tuum priorem, nonne ut saltem mereris tangere pedes, multis precibus et fletibus institisti? Recolo, inquit. Quid? Obtento eo, simulque accepta in osculo pedum indulgentia de offensis, nunquid non rursus facta impatiens, et tanta nequaquam dignatione contenta, sed majoris familiaritatis cupida, secundam quoque gratiam eadem qua prius instantia postulasti et impetrasti, ita ut in osculo manus adepta sis virtutes non paucas, et non parvas? Non diffiteor, ait. Et illi: Enimvero num tu es quæ jurare et obtestari solebas, si unquam ad osculum manus pervenire daretur, sufficere jam tibi; nil te de cætero petitoram? Ego. Quid igitur? Forte horum quæ acceperas quidpiam ablatum causaberis? Nihil. An vero rines repetitum iri, quod tibi de mala tua pristina conversatione indultum præsumperas? Non.

2. Age tamen, dic unde queamus satisfacere tibi. Non quiesco, ait, nisi osculetur me osculo oris sui. Gratias de osculo pedum, gratias et de manus; sed si cura est illi ulla de me, *Osculetur me osculo oris sui* (Cant. 1, 1). Non sum ingrata, sed amo. Accepi, fateor, meritis potiora, sed prorsus inferiora votis. Desiderio feror, non ratione. Ne, quæso, causemini præsumptionem, ubi affectio urget. Pudor sane reclamat; sed superat amor. Nec ignoro, quod honor regis iudicium diligit (Psal. xcviij, 4); sed præcops amor nec iudicium præstolatur, nec consilio temperatur, nec pudore frenatur, nec rationi subjicitur. Rogo, supplico, flagito, *osculetur me osculo oris sui*. En gratia ipsius multis jam annis caste sobrieque vivere curo, lectioni insisto, resisto vitis, orationi incumbio frequenter; vigilo contra tentationes, recogito annos meos in amaritudine animæ meæ. Sine querela me arbitror, quantum in me est, conversari inter fratres, superioribus potestatibus subdita sum, egrediens et regrediens ad imperium senioris. Aliena non cupio; mea potius et me pariter dedi. In sudore vultus mei comedo panem meum:

(104) Sic in ejusmodi privatis confessionibus revelabant ipsas etiam negligentias, quales vocat Bernardus in sermone 1 de Circumcisione, num. 5. Guigo, Carthusiæ Prior V, privatas appellat confes-

A cæterum quod in his omnibus est, totum constat de consuetudine, de dulcedine nihil. Quid nisi, juxta prophetam, *visula Ephraim sum docta diligere trituram?* (Osee x, 11). Denique in Evangelio qui hoc solum quod facere debet, facit, servus inutilis reputatur (Luc. xvij, 10). Mandata forsitan utcumque adimpleo; sed anima mea sicut terra sine aqua in illis. Ut igitur holocaustum meum pingue fiat: *Osculetur me, quæso, osculo oris sui*.

3. Plerique vestrum mihi quocumque, ut memini, in privatis confessionibus suis conqueri solent super hujuscemodi 1289 animi arentis languore atque hebetudine stolidæ mentis, quod Dei scilicet alta atque subtilia penetrare nequeant, quod de suavitate spiritus aut nil, aut parum sentiant. Quid isti, nisi ad osculum suspirant (164)? Suspirant plane, et inhiant spiritui sapientiæ et intellectus: intellectus utique quo pertingant; sapientiæ, quia gustent quod intellectu apprehenderint. Ego in hoc ipso affectu sanctum puto orasse Prophetam, cum diceret: *Sicut adipe et pinguedine repletur anima mea, et labiis exultationis laudabit os meum* (Psal. lxxij, 6). Osculum omnino petebat, et illud osculum, in cuius tactu perfusus labiis-pinguedine gratiæ specialis [*alias, spiritualis*], sequeretur quod alibi idem ipse precatur: *Repletur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam* (Psal. lxx, 8). Denique et eructavit ubi gustavit: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te* (Psal. xxx, 20). Satis hoc osculum detinuit nos, et necdum me illud, ut verum fatear, digne satis expressisse confido. Sed transeamus ad reliqua; quia id melius impressum, quam expressum innotescit.

4. Sequitur: *Quia meliora sunt ubera tua viro, fragrantia unguentis optimis* (Cant. 1, 1, 2). Et hæc verba cuius sint, auctor non loquitur, relinquens nobis libere commentari, cui potissimum personæ conveniant. Mihi vero non deest, unde illa congruenter assignem sive sponsæ, sive sponso, sive etiam sponsi sodalibus. Et primum sponsæ qualiter congruant, indicabo. Interim confabulantibus illa pariter atque illis, accessit ipse, de quo sermo erat. Utique libens appropriat de se loquentibus. Sic solet. D Sic euntibus in Emmaus, et conferentibus inter se, jucundum se facundumque exhibuit comitem (Luc. xxiv, 15). Nempe hoc est quod in Evangelio pollicetur: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ego sum in medio eorum* (Matth. xviii, 20); et per prophetam: *Antequam, ait, clament, ego exaudiam; et adhuc loquentibus illis dicam: Ecce adsum* (Isai. lxxv, 24). Ita ergo nunc non vocatus adfuit, et delectatus verbis prævenit preces. Arbitror quod interdum nec verba expectat, sed solis cogitationibus advocetur. Denique ait homo qui inventus est

siones, quæ fiebant in cellis privatis; communes, quæ ab omnibus fiebant singulis sabbatis, tametsi privatim. Confer lib. 1 de Vita S. Bernardi, num. 28.

secundum cor Dei: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua (Psal. ix, 17)*. Attendite et vos vobis in omni loco, scientes quoniam omnia vestra norit, scrutans corda et renes Deus, qui finxit singillatim corda vestra, et intelligit omnia opera vestra. Sponsa ergo sponsum adesse persentiens, substitit (pudet enim præsumptionis in qua se deprehensam intelligit, nam verecundius id moliri per internuntios existimarat); moxque conversa ad ipsum, temeritatem, prout valet, excusare conatur: *Quia meliora sunt*, inquit, *ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis*. Ac si dicat: Si altum sapere videor, tu fecisti, o sponse, qui in dulcedine uberum tuorum tanta me dignatione lactasti, quatenus omni metu, tui charitate, non mea temeritate depulso, audeam plus forte quam expediat. Audeo sane pietatis memor, Immenior majestatis. Hæc pro verborum consequentia dicta sint.

5. Nunc qualis sit ista uberum sponsi commendatio, videamus. Duo sponsi ubera, duo in ipso sunt ingenitæ mansuetudinis argumenta, quod et patienter exspectat delinquentem, et clementer recipit pœnitentem. Gemina, inquam, dulcedo suavitatis exuberat in pectore Domini Jesu, longanimitas videlicet in exspectando, et in donando facilitas. Et audi quia non sit hoc inventum meum. Legis profecto de longanimitate: *An divitiis bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis?* Item: *An ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* (Rom. II, 4.) Ad hoc siquidem diu suspendit sententiam ultionis a contemneute, ut quandoque exhibeat gratiam remissionis in pœnitente. Non enim vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, et vivat. Ponamus exempla et de altero ubere, quod dictum est remittendi facilitas. Legis et de ipsa: *Quacunque hora ingemuerit peccator, peccatum suum remittetur ei (Ezech. xxxiii, 11, 12)*; legis: *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus; et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum (Isai. lv, 7)*. Pulchre David paucis comprehendit utrumque, dicens: *Longanimis, et multum misericors (Psal. cii, 10)*. Hujus ergo geminæ bonitatis experimento in eam se fiduciam excrevisse fatetur sponsa, ut auderet petere osculum. Quid mirum, dicens, si sic præsumo de te, o sponse, quæ de tuis uberibus tantam sum experta abundantiam suavitatis? Ergo ad audendum me provocat dulcedo uberum tuorum, non meorum confidentia meritorum.

6. Quod autem dicit: *Meliora sunt ubera tua vino*, hoc est. Pinguedo gratiæ, quæ de tuis uberibus fluit, efficacior mihi est ad spiritualem profectum, quam mordax imprecatio prælatorum. Nec solum *meliora vino, sed et fragrantia unguentis optimis*; quia non modo internæ dulcedinis lacte præsentis alis, sed bonæ quoque opinionis grato odore respergis absentes, bonum habens testimonium et ab his

A qui intus, et ab his qui foris sunt. Habes, inquam, lac intus, et foris unguenta; quoniam quidem non essent quos lacte reficeres, si non prius odore attraheres. Sane de his unguentis, si quid dignum consideratione contineant, videbitur post hæc, cum eventum fuerit, ubi dicit in consequentibus: *In odore unguentorum tuorum curremus (Cant. i, 3)*. Nunc juxta promissum nostrum hæc ipsa verba, quæ sponsæ data sunt, an et sponso congruant videamus.

7. Sponsa loquente de sponso, repente, ut dixeram, adit ille, annuit voto, dat osculum, impletque in ea sermonem qui scriptus est: *Desiderium cordis ejus tribuisti ei, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum (Psal. xx, 3)*. Quod et probat ex ejus uberum repletione. Tantæ nempe efficacæ osculum sanctum est, ut ex ipso mox, cum acceperit illud, sponsa concipiat, tumescentibus nimirum uberibus, et lacte quasi pinguescentibus in testimonium. Quibus studium est orare frequenter, experti sunt quod dico. Sæpe corde tepido et arido accedimus ad altare, orationi incumbimus. Persistentibus autem repente infunditur gratia, pinguescit pectus, replet viscera inundatio pietatis; et si sit qui premat, lac conceptæ dulcedinis ubertim fundere non tardabunt. Dicat ergo: Habes, sponsa, quod petisti, et hoc tibi signum, quia meliora facta sunt ubera tua vino. Hinc te scilicet noveris osculum accepisse, quod te concepisse sentis. Unde et ubera tibi intumuerunt, facta in ubertate lactis meliora vino scientiæ sæcularis, quæ [alias, quod] quidem inebriat, sed curiositate, non charitate; impleas, non nutriens; inflans, non ædificans; ingurgitans, non confortans.

8. Sed demus et sodalibus ista depromere. Injuste, inquit, murmuras adversus sponsum; quia id plus valet quod ille jam dedit, quam quod tu petis. Quod enim postulas, te quidem delectat; sed ubera, quibus parvulus alis, quos et parvis, meliora, hoc est necessaria, sunt vino contemplationis. Aliud siquidem est quod unius lætificat cor hominis, et aliud quod ædificat multos. Nam etsi Rachel formosior, sed Lia secundior est. Noli ergo nimis insistere oculis contemplationis; quia meliora sunt ubera prædicationis.

D 9. Occurrit et alius sensus, quem quidem non proposueram, sed minime præteribo. Utquid enim verba hæc non magis convenire dicamus eis ipsis, quibus præest in sollicitudine, tanquam parvulis, mater aut nutrix? Nec enim æquanimitè ferunt juvenulæ et teneræ adhuc animæ, illam vacare quieti, cujus plenius erudiri doctrina, et exemplis informari desiderant. An non denique talium in subsequenti compescitur inquietudo, ubi sub gravi contestatione prohibentur suscitare dilectam, quousque ipsa velit? (Cant. II, 7.) Hæc itaque sentientes oculis inhiare sponsam, secretum quærere sibi, fugitare publicum, declinare turbas, et curæ ipsarum propriam præferre quietem: Noli, inquit, noli; quia major in uberibus quam in amplexibus fructus

existit. Per ea siquidem nos vindicas a carnalibus desiderii, quæ militant adversus animam; eripis mundo, et acquiris Deo. Hoc ergo est quod aiunt: *Quia meliora sunt ubera tua vino.* Carnis, inquit, voluptatem, qua paulo ante, tanquam vino, ebrîæ tenebamur, vincunt hæc, quas tua nobis ubera stillant, deliciæ spirituales.

1291 10. Et pulchre vino comparant carnalem affectum. Ut enim uva semel expressa non habet jam quod denuo fundat, sed perpetua ariditate damnatur; sic caro in pressura mortis ab omni prorsus sua delectatione siccatur, nec ultra revirescit ad libidines. Unde propheta: *Omnis caro fennum, et omnis gloria ejus tanquam flos feni. Exsiccatum est fennum, et cecidit flos (Isai. xl, 6, 7)*; et Apostolus: *Qui seminat in carne, de carne et metet corruptionem (Galat. vi, 8)*; et rursum: *Esca ventri, et venter escia; Deus autem et hunc, et has destruet (I Cor. vi, 15)*. Vile autem ne non carni tantum, sed et mundo forte competat ista proportio. Siquidem et ipse transit, et concupiscentia ejus: et cum omnia quæ in mundo sunt, finem habeant, finis eorum non erit finis. Verum ubera non sic. Hæc enim cum exhausta fuerint, rursum de fonte materni pectoris sumunt quod propinent sugentibus. Merito proinde meliora carnis, sæculive amore æsseruntur ubera sponsæ, quæ nullo unquam lactentium numero arcescunt, sed semper abundant de visceribus charitatis, ut iterum fluant. Flumina siquidem fluunt de ventre ejus, sicut in ea fons aquæ vivæ salientis in vitam æternam (*Joan. vii, 38; iv, 14*). Cumulatur deinde laus uberum fragrantia unguentorum, quod non solum verborum sapore pascant, sed et factorum opinione redoleant. Jam quæ sint ubera, quo tumida lacte, qualibus delibuta unguentis, sub alio sermone principio Christo adjuvante monstrabimus: qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO X.

De tribus unguentis spiritualibus, scilicet contritionis, devotionis et pietatis.

1. Non sum ego profundi sensus, neque aneo perspicacis ingenii, ut novi quidpiam ex me adinvenire possim; sed est fons magnus et indeficiens os Pauli, quod patet ad nos. De ipso haurio mihi etiam nunc in ostensione uberum sponsæ, sicut et frequenter soleo. *Gaudere, inquit, cum gaudentibus, flere cum flentibus (Rom. xii, 15)*. Materni breviter exprimuntur affectus, quia nec dolere parvuli, nec valere queunt absque illa quæ genuit: utrobique necesse est suis eam conformari visceribus. Igitur, juxta Pauli sententiam [*alias, sapientiam*], duas illas affectiones duobus sponsæ uberibus assignabo; compassionem uni, et congratulationem alteri. Alioquin parvula est, et nondum nubilus, si nondum ubera nūsit, si se videlicet neque ad congaudendum sentiat promptam, neque pronam ad condolendum. Talis si forte ad regimen animarum, seu ad officium prædicationis assumitur, aliis quidem non prodest,

A sibi vero obest plurimum. Porro sese ingerere, quantæ impudentiæ est?

2. Sed redeamus ad ubera sponsæ, ac pro diversitate uberum, diversas et lactis species proponamus. Nam congratulatio quidem exhortationis, compassio vero consolationis lac fundit. Porro utramque speciem uberum cœlitus irrorari pio pectori suo spiritualis mater toties sentit, quoties osculum sumit. Videas eam mox plenis uberibus parvulis incubare lactandis; et ex uno quidem consolatoria, ex altero vero exhortatoria uberius ministrare, prout singulis convenire videbit. Verbi causa, si quem forte ex his quos genuit in Evangelio, deprehenderit forti aliqua tentatione concussum, et inde turbatum ac tristem, pusillanimumque factum, non posse jam ferre vim tentationis; quomodo condolet, quomodo mulect? quomodo plangit, quomodo consolatur? quot argumenta pietatis mox reperit, quibus erigat desolatam? Econtra si promptum, si alacrem, si bene proficientem cognoverit; exultat, aggregitur salutaribus monitis, accendit amplius, instruit de quibus potest ut perseveret, utque in melius semper **1292** proficiat exhortatur. Omnibus se conformat, omnium in se transfert effectus, matrem se denique probat non minus deficientium quam proficientium.

3. Quanti hodie secus affectos se ostendunt? de his dico, qui animas regere susceperunt. Quod enim sine miserabili gemitu dicendum non est, Christi opprobria, sputa, flagella, clavos, lanceam, crucem et mortem, hæc omnia in fornace avaritiæ conflant, et profligant in acquisitionem turpis quæstus, et pretium universitatis suis marsupii includere festinant: hoc solo sane a Juda Iscariotis differentes, quod ille horum omne emolumentum paucorum denariorum numero compensavit; isti voraciori ingluvie lucrorum infinitas exigunt pecunias. His insatiabili desiderio inhiant, pro his ne amittant, timent; et cum amittunt, dolent; harum in amore quiescunt, quantum duntaxat liberum eis est a servandi, vel augmentandi cura. Animarum nec casus reputatur, nec salus. Non sunt profecto matrès, qui cum sint de Crucifixi patrimonio nimium incrassati, impinguati, dilatati, non compatiuntur super contritione D Joseph. Quæ mater est, non dissimulat: habet ubera, et non vacua. Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus novit, nec cessat exprimere de ubere quidem congratulationis lac exhortationis; de ubere vero compassionis lac consolationis. Et de sponsæ uberibus vel uberum lacte ista sufficiant.

4. Jam qualibus etiam unguentis eadem ubera redoleant, indicabo, si tamen vestris orationibus juver, ut quod inde mihi sentire datum est, detur et eloqui digne ad audientium utilitatem. Alia sponsæ, atque alia sponsæ unguenta sunt, quemadmodum et sua cuique ubera. Sed de sponsi quo in loco tractandum sit, superius præfixum est: nunc sponsæ unguentis intendamus, idque attentius, tanquam his quæ Scriptura non mediocriter commendavit, ita ut

ea pronuntiaverit non simpliciter bona, sed optima. Et pono diversas species unguentorum, quo ex pluribus ea, quæ potissimum sponsæ uberibus congruant, eligamus. Est unguentum contritionis, est et pietatis. Primum pungitivum, dolorem faciens; secundum temperativum, dolorem leniens; tertium sanativum, etiam morbum expellens. Nunc de singulis latius disseramus.

5. Est ergo unguentum, quod sibi conficit anima multis irretita criminibus, si, cum incipit cogitare vias suas, colligat, congerat, conerque in mortali conscientiæ multas ac varias species peccatorum suorum, et intra æstuantis pectoris ollam simul omnia coquat igne quodam pœnitentiæ et doloris, ut possit dicere cum Propheta: *Concaluit cor meum intrame, et in meditatione mea exardescat ignis* (*Psal. xxxviii, 4.*) Ecce hoc est unum unguentum, quo anima peccatrix suæ conversionis primordia condire debet, plagisque suis recentibus adhibere. Primum namque sacrificium Deo, spiritus contribulatus. Quandiu ergo non habet, tanquam pauper et inops, unde sibi melius ac pretiosius componat unguentum; non negligat parare interim istud, licet de vilibus speciebus; quia cor contritum et humiliatum Deus non despiciet (*Psal. l, 19.*) Tanto autem minus vile divinis apparebit conspectibus, quanto plus sibi illa viluerit in recordatione peccatorum suorum.

6. Tamen si illo visibili, quo visibiliter uncti a Peccatrice corporei pedes Dei referuntur in Evangelio, invisibile hoc et spirituale fuisse dicimus figuratum, non omnino vile reputare poterimus. Quid enim de illo legitur? *Et domus, inquit, impleta est ex odore unguenti* (*Joan. xii, 3.*) Peccatricis (165) manibus distillabatur, et extremis membris corporis, id est pedibus, fundebatur: **1293** et tamen non usque adeo contemptibile aut vile fuit, quin totam domum vis aromatum et suavitas repleret odoris. Quod si attendamus quanta in unius peccatoris conversione fragrantia respergatur Ecclesia, et quantis fiat odor vitæ ad vitam quivis pœnitens, si publice perfecteque pœniteat, profecto et de hoc æque indubitanter pronuntiabimus, quia *domus impleta est ex odore unguenti*. Denique et supernas beatorum mansiones attingit pœnitentiæ odor, ita ut, teste ipsa Veritate, magnum gaudium sit inter angelos Dei super uno peccatore pœnitentiam agente (*Luc. xv, 10.*) Gaudete, pœnitentes; pusillanimes, confortamini. Vobis dico, quos nuper conversos de sæculo, et a viis vestris pravis recedentes, exceptit mox amaritudo et confusio animi pœnitentis, ac velut recentium adhuc vulnerum dolor nimius exeruciat et perturbat. Securæ manus vestræ distillent myrrhæ

A amaritudinem in salubrem hanc unctionem; quia cor contritum et humiliatum Deus non despiciet. Non est omnino spernenda, nec vilis æstimanda hujuscemodi unctio, cujus odor non solum homines provocat ad correctionem, sed et angelos ad exultationem irruit.

7. Sed est unguentum tanto isto profecto pretiosius, quanto de melioribus compositum speciebus. Hujus siquidem species ne longe quærantur, penes nos et absque difficultate reperimus, ac de nostris hortulis talium perfacile copiam tollimus, quotiescunque necessitas poscit. Quis enim non satis de proprio, cum vult, ad manum habet iniquitates et peccata, si non dissimulat? Hæ autem sunt, sicut recognoscitis, species unguenti primi, quod jam descripsimus. At vero secundi hujus aromata terra nostra nequaquam profert, sed procul et de ultimis finibus ea nobis conquirimus. Nempe omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum (*Jac. i, 17.*) Fit enim unguentum istud de divinis collatis humano generi beneficiis. Felix qui ipsa sibi studiosæ colligere, et ante mentis suæ oculis digna cum gratiarum actione reducere curat. Profecto cum fuerint in vasculo pectoris pistillo crebræ meditationis contusa atque contrita, deinde igne sancti desiderii simul decocta omnia, et demum impingnata oleo lætitiæ, erit unctio longe pretiosior excellentiorque priore. Sufficit ad probandum ejus testimonium qui ait: *Sacrificium laudis honorificabit me* (*Psal. xlix, 23.*) Nec dubium quin excitet ad laudandum beneficiorum recordatio.

8. Porro cum Scriptura hoc solum testetur de illo alio, quia nequaquam despicitur, liquet amplius esse commendatum, quod et honorificat. Denique illud pedibus apponitur, hoc capiti. Si enim in Christo caput ad divinitatem referendum est, dicente Paulo: *Caput Christi Deus* (*I Cor. xi, 3.*); procul dubio caput ungit, qui gratias agit, quoniam Deum tangit, non hominem. Non quia non sit homo qui Deus est, siquidem Deus et homo unus est Christus; sed quia omne bonum a Deo, non ab homine est, etiam ipsum quod per hominem ministratur. Profecto enim spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam (*Joan. vi, 64.*) Propterea et maledictus qui spem suam ponit in homine (*Jerem. xvii, 5.*); quoniam etsi spes nostra tota merito pendet ex homine Deo, non tamen quia homo, sed quia Deus est. Itaque illud pedibus, hoc capiti exhibetur; quoniam et humiliatio contriti cordis humilitati congruit carnis, et majestatem decet glorificatio. En quale unguentum proposui vobis, quo

(165) Hoc in loco (ut et alibi non semel, sermone 3 de Assumptione, etc.) confunditur peccatrix illa mulier, de qua apud Lucam, cap. vii, cum Maria, Lazari et Marthæ sorore, quæ Christi Domini pedes in castello Bethaniæ unguento perfudit apud Joannem, cap. xii, ubi *domus ex odore unguenti repleta* dicitur. Verum plerique veterum ante Grego-

rium Magnum, imo recentiores non pauci, gravibus sane argumentis, alteram ab altera distinguunt, atque etiam a Maria Magdalena, de qua Christus ejecerat septem dæmonia, apud Marcum, cap. xvi, quæ Lucæ cap. vii secuta est Christum cum aliis, et quidem ante conversionem (ut eis videtur) Peccatricis. Confer sermonem 12 infra num. 6.

se nimirum tangi caput illud tremendum principatibus non ducit indignum, imo et honoris insigne iudicat, dicens : *Sacrificium laudis honorificabit me.*

9. Quamobrem non est pauperis et inopis, seu pusilli cordis animæ, conficere istiusmodi unctionem, nempe cujus aromata et species sola confidentia possidet, quæ tamen de libertate spiritus et cordis puritate descendat. Quæ enim pusillanimitas est et modicæ fidei mens, rei suæ familiaris tenuitate constringitur, nec valet præ inopia otiosi ad vacandum divinis **1294** laudibus, seu his, quæ laudes pariunt, intuendis beneficiis. Et si quando certe conatur assurgere, confestim domesticarum necessitatum curis urgentibus revocatur ad sua, et in se comprimi propria egestate compellitur. Quod si huius miseriam queritur a me causa, dicam quod ipsi in vobis, nisi fallor, aut esse, aut fuisse recognoscetis. Duabus de causis videtur mihi huiusmodi animi ægritudo et diffidentia solere contingere, aut de novitate videlicet conversionis, aut certe de conversationis tepore, etiamsi in conversione longum tempus habuerit. Utrumque profecto humiliat et dejicit conscientiam, et inquietam facit, dum sive pro tempore, sive pro tepore antiquas animi passiones necdum in se emortuas sentit : et necesse proinde habens resuscandis intendere de cordis hortulo spinis iniquitatum et urticis cupiditatum, longius a semetipsa evagari non sinitur. Quid enim ? qui laborat in gemitu suo, poteritne simul et in Dei laudibus exsultare ? Quoniam modo in ore gementis et plangentis sonabit pariter illud Isaïæ, *gratiarum scilicet actio, et vox laudis* (Isai. LI, 3) ? Nam sicut a Sapiente accipimus : *Musica in luctu, importuna narratio est* (Eccli. xxii, 6). Denique gratiarum actio beneficium sequitur, non præcedit. Quæ autem adhuc in tristitia est anima, beneficio non gaudet, sed indiget. Habet ergo unde preces offerat, non autem unde referat grates. Quomodo enim recolet beneficium, quod non accepit ? Merito proinde dixi, non esse animæ pauperis conficere hoc unguentum, quod de recolendis divinis beneficiis componi debet ; quoniam non potest videre lucem, donec tenebras intuetur. Nempe in amaritudine est, occupatque memoriam tristis recordatio peccatorum, nec libet lætum quidpiam simul admittere. Idcirco talibus denuntiat spiritus propheticus, dicens : *Vanum est vobis ante lucem surgere* (Psal. cxxvi, 2) ; quod est : Frustra surgitis ad intuenda beneficia quæ delectant, nisi prius recepto lumine consolationis de reatibus qui conturbant. Non est ergo pauperum hoc unguentum.

10. Sed videte quinam de ejus copia non immerito gloriantur. *Ibant gaudentes apostoli a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (Act. v, 41). Multum sibi profecto instillaverant de pinguedine spiritus, quorum lenitas non dico verbis, sed nec verberibus cessit. Erant enim divites in charitate, quæ nullis exhaustur expensis, et de ipsa facile holocausta medullata offerre sufficiebant. Fundebant passim sudantia pectora

liquorem sanctum, quo imbuta plenus erant, quando loquebantur variis linguis magnalia Dei, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis (Act. ii, 11, 4). Nec dubium quin et illi abundarent iisdem unguentis, quibus Apostolus testimonium perhibebat, dicens : *Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu ; qui in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo et in omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis, ita ut nihil vobis desit in ulla gratia* (I Cor. i, 4-7). Utinam et pro vobis ego has ipsas gratias referre possim, ut videam vos divites in virtutibus, alacres in laudibus Dei, spirituali hac pinguedine abundantius redundantes in Christo Jesu Domino nostro.

SERMO XI.

De duobus, nec est fructus et modo, pertinentibus ad opus humanæ redemptionis.

1. Dixi in fine sermonis, nec me iterare piget, quod cupiam vos omnes fieri sacræ unctionis participes, illius videlicet, in qua Dei beneficia cum letitia et gratiarum actione recolit sancta devotio. Hoc enim bonum est, tum propter relevandos vitæ præsentis labores, qui utique tolerabiliores nobis fiunt exsultantibus in laude Dei ; tum quia nihil ita proprie quemdam terris repræsentat cœlestis habitationis statum, sicut alacritas laudantium Deum, Scriptura dicente : *Beati qui habitant in domo tua, Domine ; in sæcula seculorum laudabunt te* (Psal. lxxxiii, 5). De hoc præcipue unguento **1295** prout dixisse Prophetam : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum ; sicut unguentum in capite* (Psal. cxxxii, 1). Neque enim priori videtur posse congruere. Illud enim etsi bonum sit, non est tamen jucundum ; quia recordatio peccatorum amaritudinem facit, non jucunditatem. Sed nec qui illud faciunt, in unum habitant, cum quisque peccata propria lugeat atque depleat. Qui vero in gratiarum actione versantur, Deum solum intuentur et cogitant ; ac per hoc ipsi vere habitant in unum. Bonum est autem quod faciunt, quia servant ei justissime gloriam cujus est, et nihilominus jucundum, quia delectat.

2. Quamobrem suadeo vobis amicis meis reflectere interdum pedem a molesta et anxia recordatione viarum vestrarum, et evadere in itinera planiora serenioris memoriæ beneficiorum Dei ; ut qui in vobis confundimini, ipsius intuitu respiretis. Volo vos experiri illud quod sanctus Propheta consuevit, dicens : *Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui* (Psal. xxxvi, 4). Et quidem necessarius dolor pro peccatis, sed si non sit continuus. Sane interpoletur lætiori recordatione divinæ benignitatis, ne forte præ tristitia induretur cor, et desperatione plus pereat. Miscerantur absinthio mel, ut salubris amaritudo salutem dare tunc possit, cum immixta temperata dulcore tibi poterit. Audi denique Deum, quomodo ipse contriti cordis temperat amaritudinem, quomodo pusillanimitatem a desperationis bara-

thro revocat, quomodo blandæ et fidelis promissionis melle mœrentem consolatur, erigit diffidentem. Ait per prophetam : *Ego infrenabo os tuum laude mea, ne intereas (Isai. XLVIII, 9)*. Hoc est : Ne intuitu facinorum tuorum nimiam incurras tristitiam, atque instar effrenis equi desperatus in præceps ruas, et pereas; freno te, inquit, inhibebo indulgentiæ meæ, et meis laudibus erigam, respirabisque in bonis meis, qui de tuis confunderis malis, dum me sane lenignorem, quam te culpabiliorem invenies. Hoc freno si infrenatus fuisset Cain, nequaquam desperando dixisset : *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear (Gen. IV, 13)*. Absit, absit. Major enim est ejus pietas, quam quævis iniquitas. Ideo justus non continet, sed tantum in principio sermonis accusator est sui (*Prov. XVIII, 17*) : porro autem in Dei laudes extrema sermonis claudere consuevit. Videte denique justum hoc ordine procedentem. *Cogitavi, ait, vias meas, et converti pedes meos in testimonia tua (Psal. CXVIII, 59)* : ut qui videlicet contritionem et infelicitatem in viis propriis perpesus fuerat, in via testimoniorum Dei delectaretur, sicut in omnibus divitiis. Et vos igitur exemplo justi, si de vobis in humilitate sentitis, sentite et de Domino in bonitate. Sic enim legitis apud Sapientem : *Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quærite illum (Sap. I, 4)*. Hoc autem facile menti persuadet divini munificentiam [alias, magnificentiam] frequens, imo continua recordatio. Alioquin quomodo implebitur apostolicum illud : *In omnibus gratias agentes (I Thess. V, 17)*, si ea pro quibus gratiæ debentur, a corde recesserint? Nolo vos Judaico notari opprobrio, de quibus Scriptura testatur quod non fuerint memores benefactorum ejus, et mirabilium ejus quæ ostendit eis (*Psal. LXXVII, 11*).

3. Verum quoniam bona, quæ largiri mortalibus non cessat misericors et miserator Dominus, recollere et recolligere omnia, omni homini impossibile est; (quis enim loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus? (*Psal. CV, 2*) id saltem, quod præcipuum est et maximum, opus videlicet nostræ redemptionis, a memoria redemptorum aliquatenus non recedat. In quo opere duo potissimum, quæ nunc occurrunt, vestris studiis intimare curabo. Et hoc quam paucis ad compendium potero, memor illius sententiæ : *Da occasionem sapienti, et sapientior erit (Prov. IX, 9)*. Duo ergo illa sunt, modus et fructus. Et modus quidem Dei exinanitio est; fructus vero, nostri de illo repletio. Hoc meditari, sanctæ spei seminarium est; illud summi amoris incentivum. Utrumque profectibus nostris necessarium, ne aut spes mercenaria sit, si amore non comitatur; aut amor tepescat, si infructuosus putetur.

1296 4. Porro fructum talem exspectamus nostri amoris, qualem ipse quem amamus, promisit : *Mensuram, inquam, plenam, et confertam, et coagitatam, et superfluentem dabunt in sinum vestrum (Luc. VI, 38)*. Mensura ista, ut audio, erit sine mensura. Sed velim scire, cujus rei futura sit illa mensura, vel

A potius illa immensitas quæ repromittitur. *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti diligentibus te (Isai. LXIV, 4)*. Dic nobis tu qui præparas, quid præparas? Credimus, confidimus, revera sicut promittis : *Replebimur in bonis domus tuæ (Psal. LXIV, 5)*. Sed quibus, quæso, bonis, vel qualibus? Forte frumento, vino et oleo, auro atque argeato, lapidibusve pretiosis? Sed hæc novimus et vidimus; et videmus, et fastidimus. Id quærimus, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Hoc placet, hoc sapit, hoc delectat inquirere, quodcumque est illud. *Erunt, inquit, omnes docibiles Dei (Joan. VI, 45), et ipse erit omnia in omnibus (I Cor. XV, 28)*. Ut audio, plenitudo quam exspectamus a Deo, non erit nisi de Deo.

B 5. Quis vero comprehendat, quam magna multitudo dulcedinis in brevi isto sermone sit comprehensa : *Erit Deus omnia in omnibus?* Ut de corpore taceam, in anima tria intueor : rationem, voluntatem, memoriam; et hæc tria ipsam animam esse. Quantum cuique horum in præsentis sæculo desit de integritate sua et perfectione, sentit [alias, novit] omnis qui ambulat in spiritu. Quare hoc, nisi quia Deus nondum est omnia in omnibus? Illic est quod et ratio sapissime in judiciis fallitur, et voluntas quadruplici perturbatione jactatur, et memoria multiplici oblivione confunditur. Triplici huic vanitati nobilis creatura subjecta est non volens, in spe tamen. Nam qui repelet in bonis desiderium animæ, ipse rationi futurus est plenitudo lucis, ipse voluntati multitudinem pacis, ipse memoriæ continuatio æternitatis. O veritas, charitas, æternitas! O beata et beatificans Trinitas! ad te mea misera trinitas miserabiliter suspirat, quoniam a te infelicitur exsulat. Discedens a te quantis se intricavit erroribus, doloribus, timoribus! Heu me! qualem pro te commutavimus trinitatem! *Cor meum conturbatum est, et inde dolor; dereliquit me virtus mea, et inde pavor, et lumen oculorum meorum non est mecum (Psal. XXXVII, 11)*, et inde error. En quam dissimilem trinitatem, o animæ meæ trinitas, exsulans ostendisti.

6. Verumtamen quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo quoniam adhuc constabor illi (*Psal. XLI, 6*); cum error videlicet a ratione, a voluntate dolor, atque a memoria timor omnis recesserit, et successerit illa quam speramus mira serenitas, plena suavitas, æterna securitas. Primum illud faciet veritas Deus; secundum, charitas Deus; tertium, summa potestas Deus, ut sit Deus omnia in omnibus, ratione recipiente lucem inexstinguibilem, voluntate pacem imperturbabilem consequente, memoria fonti indeficienti æternaliter inhærente. Videritis vos, rectene primum illud Filio, Spiritui sancto sequens, Patri ultimum assignetis, sic tamen ut nihil horum vel Patri, vel Filio, vel Spiritui sancto subtrahatis; ne cui forte personarum aut plenitudinem minuat distinctio, aut proprietatem tollat perfectio. Simul et hoc advertite,

quid simile filii hujus sæculi experiantur de carnis A illecebris, de mundi spectaculis, et de pompis Satana: cum tamen hoc totum sit, unde vita præsens eludit miseros amatores suos, dicente Joanne : *Quidquid in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et ambitio sæculi* (I Joan. 11, 16). Hæc de redemptionis fructu.

7. In modo quoque, quem, si recolitis, Dei esse exinanitionem definivimus, tria item præcipue vobis intuenda commendo [alias, committo]. Non enim simplex aut modica illa exinanitio fuit; sed semetipsum exinanivit usque ad carnem, ad mortem, ad crucem (Philipp. 11, 7, 8). Quis digne penset, quantæ fuerit humilitatis, mansuetudinis, dignationis, Dominum majestatis carne indui, multari morte, turpari cruce? Sed dicit aliquis: Non valuit opussum reparare Creator absque ista difficultate? **1297** Valuit, sed maluit cum injuria sui, ne pessimum atque odiosissimum vitium ingratitude occasionem ultra reperiret in homine. Sane multum fatigationis assumpsit, quo multæ dilectionis hominem debitorem teneret; commoneretque gratiarum actionis difficultas redemptionis, quem minus esse devotum fecerat conditionis facilitas. Quid enim dicebat homo creatus et ingratus? Gratis quidem conditus sum, sed nullo auctoris gravamine vel labore: siquidem dixit, et factus sum, quemadmodum et universa. Quid magnum est, quamlibet magna in verbi facilitate donaveris? Sic beneficium creationis attenuans humana impietas, ingratitude materiam inde sumebat, unde amoris causam habere debuerat [alias, debebat], idque ad excusandas excusationes in peccatis. Sed obstructum est os loquentium iniqua. Luce clarius patet, quantum modo pro te, o homo, dispendium fecit; de Domino servus, de divite pauper, caro de Verbo, et de Dei Filio hominis filius fieri non despexit. Memento jam te, etsi de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum. Sex diebus condidit omnia, et te inter omnia. At vero per totos triginta annos operatus est salutem tuam in medio terræ, O quantum laboravit sustinens! Carnis necessitates, hostis tentationes, nonne sibi crucis aggravavit ignominia, mortis cumulavit horrore? **Necessarie quidem.** Sic, sic homines et jumenta salvasti, Domine; quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam, Deus (Psal. xxxv, 7, 8).

8. Hæc meditamini, in his versamini. Talibus odoramentis refove te viscera vestra, quæ diu torsit odor molestior peccatorum, ut abundetis et his unguentis, non minus suavibus, quam salutaribus. Nec tamen adhuc vos putetis habere illa optima, quæ in sponsæ uberibus commendantur. De quibus incipere modo, finiendi jam sermonis angustia prohibet. Quæ dicta sunt de aliis, tenete memoria, probate vita; et de his juvate me precibus vestris, ut digne loqui possim quod et dignum sit tantis sponsæ deliciis; et vestras animas ad amorem ædificet spō si Domini nostri Jesu Christi. Amen.

SERMO XII.

De pretioso unguento pietatis; et de veneratione a subditis erga prælatos suos exhibenda.

1. Duo me unguenta vobis tradidisse recordor. unum contritionis, delicta multa complectens; alterum devotionis, multa continens beneficia: ambo salubria, sed non ambo suavia. Primum siquidem pungitivum sentitur, quia movet ad compunctionem amara recordatio peccatorum et dolorem facit, cum sequens mitigatorium sit, divinæ bonitatis intuitu consolationem dante, et sedante dolorem. Sed est unguentum, quod ambobus longe antecellit: et hoc appellaverim pietatis, eo quod fiat de necessitatibus pauperum, de anxietatibus oppressorum, de perturbationibus tristium, de culpis delinquentium, et postremo de omnibus quorumlibet miserorum ærumnis, etiamsi fuerint inimici. Despicabiles videntur species istæ; sed est super omnia aromata unguentum, quod ex eis conficitur. Sanativum est: beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur (Math. v, 7). Igitur multæ miseris collectæ atque oculo pietatis inspectæ, ipsæ sunt species, ex quibus unguenta optima componuntur sponsæ digna uberibus, sponsi sensibus grata. Felix mens, quæ talium collectione aromatum sese ditare et impinguare curavit, infundens ea oleo misericordis, et ardore decoquens charitatis. Quis, putas, est jucundus homo qui miseretur et commodat (Psal. cxi, 5), pronus compati, subvenire promptus, dare quam accipere beatus judicans; ignoscere facilis, irasci difficilis, ulcisci penitus non acquiescens, et per omnia proximorum æque ut proprias respiciens necessitates? O quæcumque es anima sic affecta, sic imbuta rore misericordis, sic affluens **1298** pietatis visceribus, sic te omnibus omnia faciens, sic facta ipsa tibi tanquam vas perditum, ut cæteris præsto ubique semper occurras atque succurras; sic denique mortua tibi, ut vivas omnibus: tu planè tertium optimumque unguentum felix possides, et manus tuæ distillaverunt totius suavitatis liquorem. Non exsiccabitur in tempore malo, nec fervor persecutionis ebibet illum: sed semper Deus memor erit omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiet.

2. Sunt viri divitiarum in civitate Domini virtutum: quæro an apud aliquos hæc unguenta inveniantur. Et primus occurrit, sicut ubique solet, mihi Paulus vas electionis, revera vas aromaticum, vas odoriferum, et refertum omni pulvere pigmentario. Christi enim erat bonus odor Deo in omni loco (II Cor. 11, 15). Multæ profecto suavitatis fragrantiam longe lateque spargebat pectus illud, quod sic affecerat sollicitudo omnium Ecclesiarum. Vide enim quales species et qualia aromata coacervaverat sibi. *Quotidie, inquit, morior per vestram gloriam* (I Cor. xv, 31); et rursum: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* (II Cor. xi, 29). Et multis talibus, quæ vobis bene nota sunt, abundabat dives iste in componendis unguentis optimis. Decebat namque primis et puris-

simis aromatibus redolere ubera, quæ Christi membra lactarent, quorum Paulus mater erat pro certo, parturiens semel et iterum, donec Christus formaretur in eis (*Galat. iv, 19*), ac membra capiti suo reformarentur.

3. Audi et de alio divite quomodo ad manum habebat electas species, de quibus optima unguenta conficeret. *Foris*, inquit, *non mansit peregrinus. Ostium meum viatori patuit* (*Job xxxi, 52*); item: *Oculus sui cæco, et pes claudo. Pater eram pauperum, conterebam molas iniqui, et de dentibus illius auferebam prædam* (*Job xxix, 15-17*). *Si negabam, quod volebant, pauperibus, et oculos viduæ expectare feci. Si comedi buccellum meam solus, et non comedit pupillus ex ea. Si desperi prætereuntem* (166), *eo quod non haberet indumentum, et absque operimento pauperem. Si non benedixerunt mihi latera ejus, et de vellerebus ovium mearum calefactus est* (*Job xxxi, 16-20*). Quanto, putamus, vir iste odore terram respererat in his operibus? Singula opera singula erant aromata. His propriam repleverat conscientiam, ut fetorem putidæ carnis internæ suavitatis exhalatione sibi temperaret.

4. Joseph postquam universam Ægyptum post se fecit currere in odore unguentorum suorum, etiam suis venitoribus eandem demum fragrantiam propinavit. Et quidem increpatoria verba vultu proferbat irato; sed erumpebant lacrymæ de pinguedine cordis (*Gen. xliii, 30; xlv, 2*), non iræ indices, sed gratiæ proditrices. Samuel lugebat Saul (*I Reg. xv, 35*), qui se quærebat occidere, et ad ignem charitatis incalcescente pectore liquefactus intus, pietatis adeps foras emanabat per oculos. Ob bonum denique quem circumquaque diffuderat suæ opinionis odorem, refert de eo Scriptura, quia *cognoverunt omnes a Dan usque Bersabee, quod fideiis Samuel propheta esset Domini* (*I Reg. iii, 20*). Quid de Moyse dicam? quanto adipe et pinguedine et ipse repleverat viscera sua? Nec domus illa exasperans, in qua pro tempore versabatur, potuit unquam in omni murmure et furore suo unctionem spiritus, qua semel imbutus fuerat, exterminare, quominus inter assiduas lites et quotidiana jurgia ipse in sua mansuetudine perduraret. Merito testatus est Spiritus sanctus de eo, quod esset *mitissimus omnium hominum, qui morabantur super terram* (*Num. xii, 3*). Si quidem cum his qui oderant pacem, erat pacificus (*Psal. cxix, 7*), in tantum ut populo ingrato et rebeli non modo non irascereur, sed et irascentem Deum suo interventu leniret, sicut scriptum est: *Dixit ut disperderet eos, si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus, ut averteret iram ejus ne disperderet eos* (*Psal. cv, 23*). Denique: *Si dimittas, ait, dimitte; sin autem, dele me de libro tuo quem scripsisti* (*Exod. xxxii, 31, 32*). O vere hominem unctum unctione misericordiæ!

A Loquitur plane parentis affectu, quam nulla possit delectare felicitas, **1299** ex sortibus quos parturivit. Verbi gratia, si dives quispiam mulieri pauperculæ dicat: Ingredere tu ad prandium meum, sed quem gestas infantulum relinque foris, quoniam plorat, et molestus est nobis: nunquid faciet? Nonne magis eliget jejunare, quam exposito pignore charo, sola prandere cum divite? Ita nec Moysi sedet solum se introduci in gaudium Domini sui, foris scilicet remanente populo; cui, licet inquieto et ingrato, vice pariter et affectione matris inhæret. Dolent viscera, sed tolerabiliorem sibi judicat tortionem quam evulsionem.

5. Quid David mansuetius, qui illius mortem lugebat, qui suam semper sitiçrat? (*II Reg. i, 11*). Quid benignius, ut ejus moleste ferret decessum, cui succedebat in regnum? Sed et de morte parricidæ filii, quam difficile consolationem admisit? (*II Reg. xix, 4*). Magnam profecto optimæ unctionis copiam præferebat talis affectio: ideo et securus orabat, dicens: *Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus* (*Psal. cxxxii, 1*). Ergo hi omnes habuerunt unguenta optima, quibus hodieque per universas ecclesias suavissime redolent. Nec solum ipsi, sed et quicumque se in hac vita ita benevolos et beneficos præbuerunt, ita inter homines humane vivere studuerunt, quatenus omnem, quam visi sunt habuisse gratiam, non sibi tenerent, sed in commune deducerent, æstimantes se amicis pariter et inimicis, sapientibus et insipientibus debitores. Cumque fuissent utiles omnibus, humiles in omnibus, et præ omnibus exsisterunt dilecti Deo et hominibus; quorum fragrantia in benedictione est. Quotquot, inquam, tales præcesserunt, fragrarunt suis temporibus, fragrant et hodie unguentis optimis. Tu quoque si donum quod desuper accepisti, nobis contubernaliibus tuis libenter impertiaris; si te exhibeas ubique inter nos officiosum, si affectuosum, si gratum, si tractabilem, si humilem, testimonium habebis ab omnibus, quod fragres et ipse unguentis optimis. Omnis in vobis, qui fraternas infirmitates, tam corporum quam animorum, non solum patienter supportat, sed insuper, si licet, et si valet, juvat obsequiis, confortat alloquiis, consiliis informat [*alias additur et relevat*], si hoc non potest propter disciplinam, sollicitis saltem orationibus solatiari non cessat infirmo: omnis, inquam, qui talia operatur in vobis, bonum omnino spargit odorem inter fratres, et odorem de unguentis optimis. Balsamum in ore, hujuscemodi frater in congregatione; monstratur digito, et dicunt de eo omnes: *Hic est fratrum amator et populi Israel; hic est qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate* (*II Machab. xv, 14*).

6. Sed recurramus ad Evangelium, atque aliquid, quod forte spectet et ad hæc unguenta, requiramus.

(166) Hæc vetus lectio: nunc Vulgata habet, *pereuntem*, secundum textum hebraicum et græcum I.XX Interpretum.

Maria Magdalene, et Maria Jacobi et Salome, emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum (Marc. xvi, 1). Quænam ista unguenta, tam pretiosa ut Christi corpori parentur et comparentur, tam copiosa ut toti sufficiant? Neutrum quippe duorum præcedentium aut emptum (167), aut factum specialiter ad opus Domini, aut toto in corpore legitur fuisse diffusum. Sed desubito introducit mulier, uno quidem in loco osculans pedes, et unguento ungens (Luc. vii, 38; Joan. xii, 5); in altero vero vel ipsa, vel altera, habens alabastrum unguenti, et illud mittens in caput (Marc. xiv, 3). Cæterum nunc, *emerunt, ait, aromata, ut venientes ungerent Jesum*. Emunt non unguenta, sed aromata: et unctio in obsequium Domini non facta assumitur, sed nova conficitur; nec ad ungendam tantum aliquam corporis partem, verbi gratia pedes aut caput; sed sicut scriptum est: *Ut venientes ungerent Jesum*; quod est totius complexio, non partis distinctio.

7. Tu quoque si te induas viscera misericordiz, liberalem benignumque exhibeas, non tantum parentibus sive cognatis tuis, aut quos tibi vel benefactores tenes, vel benefacturos speras: nam et ethnici hoc faciunt (Matth. v, 47); sed, juxta Pauli consilium, studeas operari bonum ad omnes (Galat. vi, 10), ita ut propter Deum nec inimico officium humanitatis corporale seu spirituale negandum, **1300** subtrahendumve existimes: constat te quoque abundare unguentis optimis, nec caput aut pedes Domini tantum, sed passim, quantum in te est, ungere suscepisse totum corpus, quod est Ecclesia. Et forte proinde ob hoc Dominus Jesus paratam sibi confectionem expendi noluit in suo corpore mortuo, ut servaret vivo. Vivit enim Ecclesia, quæ manducat panem vivum, qui de celo descendit. Ipsa est charius corpus Christi, quod ne mortem gustaret, morti illud alterum traditum fuisse nullus Christianus ignorat. Ipsam ungi, ipsam foveri desiderat, ipsius infirma membra cupit momentis accuratioribus relevari. Ipsi ergo pretiosa unguenta retinuit, cum anticipans horam, et accelerans gloriam, mulierum devotionem non eludit, sed instruit. Renuit ungi, sed parcens, non spernens; non recusans obsequium, sed reservans proficuum. Proficuum dico, non hujus materialis atque corporalis unguenti, sed plane spiritualis, quod in isto designatum est. In isto ergo pepercit Magister pietatis unguentis optimis pietatis, quæ membris suis indigentibus tam corporaliter quam spiritualiter omnino cuperet exhiberi. Denique paulo ante, cum in caput ejus, aut etiam in pedes funderetur unguentum, ipsumque satis pretiosum, nunquid prohibuit? Imo et obstitit prohibentibus. Nam et Simoni indignanti, quod se tangi a peccatrice permetteret, longam tenuit reprehensionis parabolam; et aliis perditionem unguenti causantibus respondit, dicens: *Quid molesti estis huic mulieri?*

8. Nonnunquam ego, ut modicum faciam exces-

sum, cum sederem mihi ad pedes Jesu mœrens, et offerens sacrificium spiritus contribulati in recordatione peccatorum meorum; aut certe ad caput, si quando vel raro starem, et exultarem in recordatione beneficiorum ejus, audivi dicentes: *Ut quid perditio hæc?* Causantes videlicet quod soli viverem mihi, qui, ut putabant, multis prodesse possem. Et dicebant: *Potuit enim venundari multo, et dari pauperibus* (Matth. xxvi, 8-10). Sed non bonum mercatum mihi est, etiamsi universum mundum lucrer, me ipsum perdere, et detrimentum mei facere. Unde intelligens verba hæc illas esse, quas Scriptura loquitur, muscas morituras, quæ perdunt suavitatem unguenti (Eccl. x, 1), recordatus sum divinæ illius sententiæ: *Popule meus, qui te beatificant, in errorem inducunt* (Isai. iii, 12). Verum audiant excusantem Dominum, et respondentem pro me, qui me quasi de otio incusant: *Quid, inquit, molesti estis huic mulieri?* quod est: Vos videtis in facie, et ideo secundum faciem judicatis. Non est vir, ut putatis, qui possit mittere manum ad fortia, sed mulier. Quid tentatis ei imponere jugum, ad quod ego eum minus sufficientem intueor? Bonum opus operatur in me. Stet in bono, quantum non convalescit ad melius. Si quando de muliere in virum, et virum perfectum profecerit, poterit et in opus perfectionis assumi.

9. Fratres, revereamur episcopos, sed vereamur labores eorum. Si labores pensamus, non affectamus honores. Agnoscamus impares vires nostras, nec delectet molles et femineos humeros virorum supponere sarcinis; nec observemus eos, sed honoramus. Inhumane nempe eorum redarguis opera, quorum onera refugis. Temerarie objurgat virum de prælio reverentem mulier nens in domo. Dico enim, si is qui de claustris est, eum qui versatur in populo, interdum minus districte minusve circumspecte sese agere deprehenderit, verbi gratia in verbo, in cibo, in somno, in risu, in ira, in judicio; non ad judicandum confestim prosiliat, sed meminerit scriptum: *Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier* (Eccl. xii, 14). Nam tu quidem in tui custodia vigilans bene facis; sed qui juvat multos, et melius facit, et viriliter. Quod si implere non sufficit absque aliqua iniquitate, id est absque quadam inæqualitate vitæ et conversationis suæ, momento quia *charitas operit multitudinem peccatorum* (1 Petr. iv, 8). Hæc dicta sint contra **1301** geminam tentationem, quæ sæpe viri religiosi episcoporum vel ambire gloriam, vel excessus temere judicare diabolicis instigationibus incitantur.

10. Sed redeamus ad unguenta sponsæ. Videsne quam sit præferendum cæteris istud pietatis unguentum, de quo solo permissum non est perditionem fieri? In tantum perditio de ipso non fit, ut nec aque frigidæ munus irremuneratum sinatur (Matth. x, 42). Bonum tamen contritionis unguentum, quod

(167) Plures manuscripti omittunt *emptum*.

de recordatione peccatorum conficitur, mittiturque in pedes Domini; quia cor contritum et humiliatum Deus non despiciet (*Psal. l. 19*). Cæterum longe melius esse arbitror id quod dicitur devotionis, factum de recordatione beneficiorum Dei; quippe quod et capiti idoneum reputatur, ita ut perhibeat de ipso Deus: *Sacrificium laudis honorificabit me (Psal. xlix, 23)*. Porro utrumque vincit unctio pietatis, quæ de respectu miserorum fit, et per universon Christi corpus diffunditur. Corpus dico, non illud crucifixum, sed quod illius acquisitum est passione. Optimum revera unguentum, in cuius comparatione cætera nec respicere se ostendit, qui ait: *Misericordiam volo, et non sacrificium (Math. ix, 13)*. Hanc ergo potissimum inter cæteras virtutes redolere puto ubera sponsæ, quæ sponsi per omnia gestit congruere voluntati. An non odore misericordiæ Thabita etiam in morte fragrabat? Et ideo cito de morte convaluit (*Act. ix, 39-41*), quia prævaluit odor vitæ.

11. Sed audite verbum abbreviatum super præsentis capitulo. Quisquis et inebriat verbis, et fragrat beneficiis, sibi dictum putet: *Quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis (Cant. i, 4, 2)*. Et ad hæc quis idoneus? Quis nostrum unum saltem horum integre perfecteque possideat, ut non videlicet interdum et in dicendo sterilior, et in operando tepidior sit? Sed est quæ merito et non dubie hoc præconio gloriatur, Ecclesia utique, cui nunquam de universitate suæ deest et unde inebriat, et unde fragret. Quod enim sibi deest in uno, habet in altero, secundum mensuram donationis Christi, æ moderationem Spiritus, dividens singulis prout vult (*Ephes. iv, 7; I Cor. xii, 11*). Fragrat Ecclesia in his, qui sibi faciunt amicos de manumona iniquitatis; inebriat in ministris verbi, qui vino lætitiæ spiritualis infundunt terram, et inebriant eam, et fructum referunt in patientia. Ipsa audacter secureque sese nominat sponsam, tanquam quæ vere habet ubera meliora vino, et fragrantia unguentis optimis. Quod etsi nemo nostrum sibi arrogare præsumat, ut animam suam quis audeat sponsam Domini appellare; quoniam tamen de Ecclesia sumus, quæ merito hoc nomine, et re nominis gloriatur; non immerito gloriæ hujus participium usurpamus. Quod enim simul omnes plene integreque possidemus, hoc singuli sine contradictione participamus. Gratias tibi, Domine Jesu, qui nos charissimæ Ecclesiæ tuæ aggregare dignatus es, non solum ut fideles essemus, sed ut etiam tibi vice sponsæ in amplexus jucundos, castos, æternosque copularemur, revelata et ipsi facie speculantes gloriam tuam, quæ tibi communis pariter est cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XIII.

De gloria et laude Deo semper attribuenda pro omnibus bonis ejus nobis impensis

1. Origo fontium et fluminum omnium mare est:

A virtutum et scientiarum, Dominus Jesus Christus. Quis enim Dominus virtutum, nisi ipse est rex gloriæ? Sed et juxta Annæ canticum, idem ipse *Deus scientiarum Dominus est (I Reg. ii, 3)*. Continentia carnis, cordis industria, voluntatis rectitudo, ex illo fonte manant. Non solum autem, sed et si quis callet ingenio, si quis nitet eloquio, si quis moribus placet, inde est. Inde scientiæ, inde sapientiæ sermo. Thesauri siquidem sapientiæ et scientiæ ibi omnes absconditi sunt (*Coloss. ii, 3*). Quid? Casta consilia, justa judicia, sancta desideria, **1302** nonne rivuli fontis illius sunt? Quod si copiæ aquarum secretis, subterraneisque recursibus incessanter æquora repetunt, ut inde rursus ad visus usque nostros jugi et infatigabili erumpant obsequio; cur non etiam spirituales rivi, ut arva mentium rigare non desinant, proprio fonti sine fraude et sine intermissione reddantur? Ad locum unde exeunt, revertantur flumina gratiarum, ut iterum fluant. Remittatur ad suum principium cæleste profluvium, quo uberius terris refundatur. Qualiter, inquis? Qualiter dicit Apostolus: *In omnibus gratias agentes (I Thess. v, 18)*. Quidquid sapientiæ, quidquid te virtutis habere confidis, Dei virtuti, et Dei sapientiæ deputa Christo.

2. Et quis tam insanus, ais, ut aliunde præsumat? Nemo plane, adeo ut et Phariseus gratias agat (*Luc. xviii, 11*), cujus tamen justitiæ non est laus a Deo. Nec enim illa gratiarum actio, si bene recolis Evangelium, gratiorem eum facit. Quare? Quia quidquid in ore devotum sonuerit, cordis non sufficit excusare tumorem apud eum qui alta a longe cognoscit (*Psal. cxxxvii, 6*). Deus, o Pharisee, non irridetur. Putas, tu habes aliquid quod non accepisti? Nil, inquis; et ideo gratias refero largitori. Si omnino nihil, ergo nec meritum præcessit in te ullum, ut illa, de quibus gloriaris, acciperes. Quod si et fatearis, primo quidem frustra inflaris adversus publicanum, qui ideo non habet quod tu, quia non accepit ut tu. Deinde vide etiam ne non integre sua dona resignes Deo, et tibi inflectens aliquid de gloria et honore ipsius, fraudis merito arguaris, et fraudis in Deum. Si enim de his quæ jactas, ex te tibi quidpiam forte arrogares, falli te magis quam velle fraudare crederem, et errorem corrigerem.

D Nunc vero quia gratias agendo, probas te tibi nihil tribuere, sed Dei esse dona tua merita, prudenter agnoscere, certe cæteros aspernando prodis te, quod in corde, et corde locutus sis, altero commo-dans linguam mendacio, altero veritatis usurpans gloriam. Non enim judicares publicanum contemnendum præ te, si non præ illo te honorandum censes. Sed quid respondes Apostolo, præscribenti et dicenti: *Soli Deo honor et gloria? (I Tim. i, 17)*. Quid angelo distinguenti et docenti quid sibi retinere placeat Deo, et quid partiri dignetur hominibus? Nam: *Gloria, inquit, in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis (Luc. ii, 14)*. Cernitisne Phariseum agentem gratias, labiis quidem honorare Deum, cordis autem sententia se?

Sic usu quodam magis, quam sensu vel affectu personare in ore multorum gratiarum actionem advertere est, in tantum ut homines quoque sceleratissimi ad quæque flagitia et facinora sua soleant gratias Deo agere, quod bene prospereque, ut quidem ipsi sapiunt, cesserit sibi in adimplerone perversarum voluntatum suarum. Audias, verbi gratia, furem, cum impiæ machinationis male cupitum manipulum reportarit, exultantem clam, et dicentem : Deo gratias, non inanes vigiliis feci, nocturnum laborem meum non peridi. Similiter qui hominem interfecit, nonne gloriatur, et refert gratias, quod prævaluit adversus æmulum, aut de hoste se vindicavit? Et nihilominus adulter tripudians gestit in Dei laudes, quod diu optato concubitu tandem potius sit.

3. Non ergo omnis gratiarum actio accepta est Deo, nisi quæ de cordis pudica et mera simplicitate procedit. Pudica sane dixerim, propter eos qui et de malis actibus suis gloriantes, Deo gratias agere solent quasi Deus more ipsorum lætetur cum male fecerint, et exsulet in rebus pessimis. Audiet qui hujusmodi est : *Existimasti inique quod ero tui similis ; arguam te, et statuum contra faciem tuam* (Psal. XLIX, 21). Mera vero adjuuxi propter hypocrisis, qui Deum quidem de bonis suis, sed verbo tenus glorificantes, corderelinent quod ore præbuerant; et quoniam dolose agunt in conspectu ejus, invenitur iniquitas eorum ad odium. Illi impie mala sua Deo, isti Dei bona fraudulentè intorquent sibi. Et quidem primum illud tam stultum, tanque sæculare, ac quodam modo etiam bestiale est, ut necesse non habeam de ipso monere vos : ceterum **1303** sequens religiosus maxime et spiritualibus viris insidiari solet. Magna et rara virtus profecto est, ut magna licet operantem, magnum te nescias, et manifestam omnibus, tuam te solum latere sanctitatem. Mirabilem te apparere, et contemptibilem reputare; hoc ego ipsis virtutibus mirabilis judico. Fidelis revera famulus es, si de multa gloria Domini tui, etsi non exeunte ex te, tamen transeunte per te, nil tuis manibus adhærere contingat. Tunc, juxta prophetam, projecis avaritiam ex calumnia, et excutis manus tuas ab omni munere (Isa. xxxiii, 15). Tunc, juxta mandatum Domini, lux tua lucet coram hominibus, ad glorificandum non te, sed Patrem qui in cœlis est (Matth. v, 16). Sed et imitator Pauli fideliumque prædicatorum, non prædicantium semetipsos, æque nec tu quæ tua sunt quæris, sed quæ Jesu Christi (II Cor. iv, 5; Philip. ii, 21). Quamobrem audies et tu : *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam* (Matth. xxv, 21.)

4. Joseph cum domum et omnia bona Ægyptii domini sui sibi credita sciret, dominam non ignoravit exceptam; et ob hoc non acquievit contingere. *Non est, inquit, ex omnibus bonis domini mei, quod non in mea potestate sit. vel non tradiderit mihi, præ-*

ter te, quæ uxor ejus es (Gen. xxxix, 9). Mulierem noverat gloriam esse veri, et iniuquin sibi iudicavit vice contraria ingloriam facere eum, qui se fecerat gloriosum. Advertit homo Dei sapientia prudens, virum uxorem fortiter, tanquam propriam zelare gloriam, sibi que ipsi retinuisse servandam, non alii credidisse; et manum ad non concessum extendere non præsumpsit. Quid ergo? Homo zelat gloriam suam, et Deum audet velle fraudare de sua quasi non zelantem? Sed audi quid dicat : *Gloriam, inquit, meam alteri non dabo* (Isa. XLVIII, 11). Quid ergo dabis, Domine, quid dabis nobis? *Pacem, inquit, do vobis, pacem relinquo vobis* (Joan. xiv, 27). Sufficit mihi : gratanter suscipio quod relinquis, et relinquo quod retines. Sic placet, sic mea interesse non dubito. Abjuro gloriam prorsus, ne forte si usurpavero non concessum, perdam merito et oblatum. Pacem volo, pacem desidero, et nihil amplius. Cui non sufficit pax, non sufficit tu. Tu es enim pax nostra, qui fecisti utraque unum (Ephes. ii, 14). Hoc mihi necessarium, hoc satis est, reconciliari tibi, reconciliari mihi. Nam ex quo posuisti me contrarium tibi, factus sum etiam mihi metipsi gravis (Job vii, 20). Cautus sum, nec ingratus fore beneficio datæ pacis, nec saci illegus invasor gloriæ tuæ. Tibi, Domine, tibi gloria tua maneat illibata; mecum bene agitur, si pacem habnero.

5. Golia prostrato lætatus est populus pace recepta, sed David singulariter exstitit gloriosus. Josue, Jephthæ, Gedeon, Samson, Judith quoque, quamquam femina, gloriose in diebus suis triumpharunt de hostibus; sed pace cum gaudio fruentibus cæteris, nemo eis communicavit in gloria. Judas Machabæus, multis et ipse inclutus victoriis, cum frequenter exultanti populo pacem fortiter pugnando tribuisset, nunquid gloriam quandoque est partitus alicui? *Denique et facta est, inquit, non gloria, sed lætitia magna in populo* (I Machab. iv, 58). Quid minus ab his omnibus Conditor omnium fecit, quominus et ipse debeat gloriari singulariter? Solus cuncta creavit, solus de hoste triumphavit, solus captivos liberavit : et socium habebit in gloria? *Et brachium, inquit, meum auxiliatum est mihi; item : Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum* (Isa. LXIII, 5, 3). Quid mihi ergo cum victoria, si nec in prælio fui? Impudentissime mihi arrogo vel gloriam absque victoria, vel victoriam sine pugna. Sed suscipite, montes, pacem populo, pacem suscipite vobis, non gloriam, ipsi soli eam servantes, qui solus et pugnavit, et vicit. Ita, quæso, ita sit : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. At vero non bonæ, sed plane iniquæ voluntatis est, qui nequaquam pace contentus, superbo oculo et insatiabili corde inquietus anhelat et ad gloriam Dei, nec pacem proinde retinens, nec gloriam apprehendens. Quis credat parieti, si se dicat **1304** parturire radium, quem suscipit per fenestram? aut si glorientur nubes quod imbres genuerint, quis non irrideat? Mihi liquido constat, nec de canalibus oriri

rivos aquarum, nec de labiis vel dentibus verba prudentiæ, etsi sensus ultra corporeus non [*alias deest* non] attingat.

6. Si qua sane in sanctis digna laude vel admiratione intueor, clara luce veritatis discutiens, profecto reperio laudabilem sive mirabilem alium appare, atque alium esse : et laudo Deum in sanctis suis, sive sit *Elisæus*, sive ille magnus *Elias*, mortuorum utique suscitatores. Ipsi quidem suo non imperio, sed ministerio foris exhibent nobis nova et insueta ; Deus vero in ipsis manens ipse facit opera. Invisibilis et inaccessibilis in se, in suis spectabilis atque mirabilis est, et solus mirabilis, qui facit mirabilia solus (*Psal. LXXI, 18*). Nec laus calami, laudabilis est pictura sive scriptura ; nec gloria linguæ aut labiorum, sermo bonus. Tempus est ut et propheta loquatur. *Nunquid gloriabitur, inquit, securis contra eum qui secat in ea ? aut exaltabitur serra contra eum a quo trahitur ? Quomodo si elevetur virga contra elevantem se, et exaltetur baculus qui utique lignum est (Isa. x, 15) ; sic contra Dominum omnis qui gloriatur, si non in Domino gloriatur (II Cor. x, 17)*. Si gloriandum est, Paulus me docuit unde, et in quo. *Gloria, inquit, nostra hæc est, testimonium conscientie nostræ (II Cor. i, 12)*. Securus glorior, si teste conscientia de gloria Conditoris nihil mihi usurpo ; securus plane, quia jam non contra Dominum, sed in Domino. Hæc nobis gloriatio non solum non prohibetur, sed et suadetur, cum dicitur : *Gloriam ab invicem quaeritis, et gloriam quæ a solo Deo est non vultis (Joan. v, 44)*. Revera gloriari in solo Deo, non nisi a solo Deo est. Nec mediocris ista gloria, quippe tam vera, quam de veritate, et in veritate tam rara, ut vix vel paucitas perfectorum perfecte gloriatur in ea. Eant ergo vani filii hominum, mendaces filii hominum ; eant, et decipiant ipsi de vanitate in idipsum (*Psal. LXXI, 10*). Nam sapiens gloriator prohibet opus suum, atque ad lumen veritatis diligenter examinabit ; et sic habebit in semetipso gloriam, et non in ore alterius. Stultus sum, si cistellæ laborum tuorum gloriam meam credidero, et cœpero mendicare eam abs te cum habere voluero. Nonne nempe in tuo arbitrio est probare me, vel improbare, prout volueris ? Sed retineo penes me, ipse fidelius servo mihi. Imo nec mihi eam credo : ipsi potius repono servandum, qui potens est depositum meum servare in illum diem (*II Tim. i, 12*), cautus in custodiendo, fidelis in restituendo. Secura tunc erit unicuique laus a Deo, his duntaxat qui humanas laudes contempserint. Nam gloria in confusione eorum qui terrena sapiunt, dicente etiam David : *Qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos (Psal. LII, 6)*.

7. Fratres, si hæc scitis, nemo vestrum velit laudari in vita ista ; quia quidquid hic favoris captas quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris. Tibi enim unde gloria, putide pulvis, tibi unde ? De vitæ sanctitate ? Sed Spiritus est qui sanctificat, spiritus dico, non tuus, sed Dei. Etsi prodigiis ac signis effulgeas,

A in manu tua fluunt, sed virtute Dei. An blanditur popularis favor, quod verbum bonum, et forte bene deprompseris ? Sed Christus donavit os et sapientiam. Nam lingua tua quid, nisi calamus scribæ ? Et hoc ipsum mutuo accepisti. Talentum creditum est, repetendum cum usura. Si inventus fueris ad opus impiger, ad fructum referendum fidelis, pro labore tuo mercedem accipies. Si quo minus, tolletur a te talentum, et nihilominus exigetur lucrum, et vocaberis servus nequam et piger. Omnis igitur de bonis multiformis gratiæ apparentis in vobis referatur ad ipsum laus, laudabilium siquidem universorum auctorem et largitorem ; idque non fiete, quemadmodum ab hypocritis, nec sola consuetudine, sicut a sæcularibus ; sed nec necessitate quidem, ut iumenta B ferendis oneribus applicantur : sed sicut decet sanctos, sinceritate fida, **1305** devotione sollicita, hilaritate grata, sed non dissoluta. Immolantes itaque hostiam laudis, et reddentes vota nostra de die in diem, curemus omni vigilantia jungere sensum usui, affectum sensui, exultationem affectui, gravitatem exultationi, humilitatem gravitati, libertatem humilitati : quo interdum liberis purgatiæ mentis passibus procedamus, et excedamus per inusitatas quasdam affectiones spirituales lætitiis in jubileis amœnitatibus, in lumine Dei, in suavitate, in Spiritu sancto ; probantes nos comprehensos in his quæ propheta intuebatur, cum diceret, *Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exultabunt tota die, et in justitia tua exaltabuntur (Psal. LXXXVIII, 16, 17)*.

8. At fortasse aliquis mihi dicat : Bene admones, sed si ea diceres quæ tuo proposito convenirent. Expectate paulisper ; non sum immemor. Nonne in manibus est id tractare quod dicitur, *Oleum effusum nomen tuum ? (Cant. i, 2)*. Hoc opus, hic labor est. Et quæ præmisimus, an fuerint necessaria, vos videritis. Nunc quod ad me attinet, quia hinc aliena non sint, paucis advertite. Non recordamini in sponsæ uberibus extremam commendatam esse suaveolentiam unguentorum ? Qui ergo consequentius, quam ut eandem fragrantiam sponsa, ne sibi arrogare putetur, de sponsi beneficio recognoscat ? Cui plane sensui illa omnia, quæ prætaxavimus, subservire cognoscitis. Quod ubera, inquit, mea sic redolent, et sic placent, nec studiis, nec meritis adscribo meis, sed tuæ, o sponsæ, tribuo largitati ; de oleo utique effuso, nomine tuo. Hoc pro litteræ consequentia.

9. Cæterum explanatio ipsius capituli, cujus occasione super nequissimo vitio ingrati tudinis præsentem sermonem tam in longum protraximus, tempus aliud et aliud exordium sermonis desiderat. Nunc hoc solum admonitos vos esse sufficiat, si sponsa utique de omni virtute sua vel gratia minime audeat sibi quidpiam arrogare ; quanto minus adolescentulæ, forte quæ nos sumus ? Dicamus proinde et nos sponsæ vestigia insectantes, dicamus : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam (Psal.*

CIII, 4). Dicamus non verbo et lingua tantum, sed opere et veritate, ne forte (quod nimis vereor) dicatur et de nobis: Quoniam dilexerunt eum in ore suo, et lingua sua mentiti sunt ei; cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento ejus (Psal. LXXVII, 38, 37). Dicamus ergo, dicamus, clamantes plus medullis cordis, quam labiis oris: *Salvos fac nos, Domine Deus noster, et congrega nos de nationibus, ut confiteamur nomini sancto tuo, non nostro; et glorietur in laude, non nostra, sed tua* (Psal. cv, 47), in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XIV.

De Ecclesia fidelium Christianorum; et de Synagoga Judæorum perfidorum.

1. Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus (Psal. LXXV, 2). Populus gentium qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam (Isa. ix, 2), quæ erat in Judæa, et in Israel, voluitque accedere et illuminari, ut qui aliquando non populus, nunc populus esset (I Petr. ii, 10); lapiaque unus angularis ambos in se parietes venientes e diverso reciperet, et esset de cætero in pace locus ejus. Porro fiduciam dabat iavitantis vox quæ jam sonuerat: *Lætamini, gentes, cum plebe ejus* (Deut. xxxii, sec. LXX; Rom. xv, 10). Ergo accedere voluit; sed vetuit Synagoga, immundam asserens Ecclesiam de gentibus et indignam, idololatriæ sæcem et ignorantia cæcitate imprope-
rans, et dicebat: Tu enim quo merito? Noli me tangere. Cur inquit? *An Judæorum Deus tantum? nonne et gentium?* (Rom. iii, 29.) Et si mihi certe meritum deest, sed non illi miseratio. Nunquid solummodo justus est? Est et misericors. Domine, veniant mihi miserationes tuæ et vivam; et rursus: *Misericordiæ tuæ multæ, Domine; secundum iudicium tuum vivifica me* (Psal. cxviii, 77, 156); quod nimirum temperatum, misericordia est. Quid faciet justus et misericors Dominus, altera gloriantes in lege, **1306** et applaudente justitiam sibi, nec indigente misericordia, sed despiciente ipsam quæ indiget; altera e regione propria cognoscente delicta, confidente indignitatem, reuente iudicium, flagitante misericordiam? quid, inquam, faciet iudex, et ille iudex, cui et iudicare, et misereri sic utrumque familiare est, ut neutrum altero familiaris? Quid sane possit convenientius, quam ut pro suo quæque accipiat voto, iudicium illa, ista misericordiam? Judæus iudicium quærit, et habeat; gentes autem super misericordia honorent Deum. Et est iudicium, ut qui contemnant Dei misericordem justitiam, et suam volunt constituere (quæ profecto non justificat, sed accusat), eidem suæ justitiæ relinquantur, opprimendi magis quam justificandi.

2. Est quippe ex lege, quæ neminem unquam duxit ad perfectum; est jugum, quod neque ipsi, neque patres eorum unquam portare potuerunt. Sed Synagoga fortis est, non curat onus leve nec jugum suave. Sana est, non est ei opus medicus,

nec unctio Spiritus. Confluit in lege, liberet eam si potest. Non autem data est lex quæ possit vivificare, iusuper et occidit: *Littera enim occidit* (II Cor. iii, 6). Propterea, inquit, dico vobis: *Moriemini in peccatis vestris* (Joan. viii, 24). Hoc ergo iudicium, Synagoga, quod flagitas errori tuo. Cæca et contentiosa desereris, donec plenitudo gentium (quas superba spernis, et invida repellis) introeat, et agnoscat etiam ipsa ipsum qui notus est in Judæa Deus, quodque est in Israel magnum nomen ejus. Hoc quippe in iudicium venit Jesus in hunc mundum; ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant (Joan. ix, 39). Ex parte tamen; quia non repellet Dominus plebem suam (Psal. cxlii, 14), ex toto servans sibi ad semen apostolos et multitudinem credentium, quorum erat cor unum et anima una. Sed nec repellet in finem, reliquias salvaturus. Iterum enim suscipiet Israel puerum suum; et recordabitur misericordiæ suæ (Luc. i, 54), ut ne ibi quidem iudicium deserat comes misericordia, ubi nullum ipsa reperit locum. Alioquin si pro meritis recepisset; iudicium profecto sine misericordia ei qui non facit misericordiam (Jac. ii, 13). Habet quippe Judæa oleum multum divinæ notitiæ, idque in se tanquam in vase clausum avara retinet. Peto, et non miseretur, nec commodat. Sola Dei cultum, sola notitiam, sola vult possidere magnum nomen ejus; nec zelat sibi, sed invidet mihi.

3. Ergo tu, Domine, iudica iudicium meum, et nomen tuum magnum magnificetur adhuc, et oleum quod multum est, multiplicetur magis. Crescat, eulliat, effundatur, derivetur et in gentes, et sentiat omnis caro salutare Dei. Quo pacto ut vult Judæus ingratus, tota in barba Aaron remaneat unctio salutaris? Non barbæ, sed capitis est. Caput autem non barbæ solius, sed et totius est corporis. Capiat sane prima, non sola. Refundat et inferioribus membris quod accepit ipsa desuper. Descendat, descendat et in ubera Ecclesiæ supernus liquor (avida quippe nimis hunc sibi exprimere de barba non despiciat); perfusaque rore gratiæ, ut se non ingrati probet, dicat: *Oleum effusum nomen tuum* (Cant. i, 2). Sed exuberet, quæso, adhuc et perveniat usque in oram vestimenti, in me utique omnium novissimo atque indignissimo, de vestimento tamen. Nam et ego illud mihi de maternis uberibus, tanquam parvulus in Christo, iure profecto pietatis efflagito. Quod si murmuret homo, cui de bonitate oculus nequam est; Domine, responde pro me, de vultu tuo iudicium meum prodeat, et non de supercilio Israel. Imo responde pro te, et dic calumniatori: Tibi quippe calumniatur, quod tribuas gratis; dic proinde illi: *Volo et huic novissimo dare similiter* (Math. xx, 16). Displicet Pharisæo. Quid mussitas? Jus meum, voluntas est iudicis. Quid justius ad meritum, quid ad præmium ditius? An non licet ei quod vult facere? Mihi quidem misericordia, sed tibi minime injuria sit. Tolle quod tuum est, et vade. Si decreverit salvare et me, quid tu perdis?

1307 4. Exaggera quantumvis merita, et extolle A sudores : melior est misericordia Domini super vitas (*Psal. LXII, 4*). Fateor, non sustinui pondus diei et æstus; sed jugum suave et onus leve pro beneplacito patrisfamilias porto. Opus meum vix unius est horæ; et si plus [*alias, pluris*], præ amore non sentio. Judæus proprias exercitet vires; mihi probare libet, quæ sit voluntas Domini bona, et beneplacens, et perfecta. Ex ea sane operis ac temporis damna mihi resarcio. Ille pacto conventionis, ego placito voluntatis innitor; credo, et non ad insipientiam mihi : nam vita in voluntate ejus. Illa mihi reconciliat Patrem, illa hæreditatem restituit, etiam cumulatori gratia; symphonizæ, et cantus, et epularum, ac totius exsultantis familiæ celeberrima gaudia suscitât mihi. Si indignatur frater meus senior ille, qui hædum comedere mavult cum amicis suis foris, quam mecum in paterna domo vitulum saginatum, respondebitur illi : *Epulari et gaudere oportet, quia hic filius meus mortuus fuerat, et revixit; perierat, et inventus est* (*Luc. xv, 32*). Adhuc Synagoga foris epulatur cum amicis suis dæmonibus, quibus satis placet, quod hædum peccati insipientis devorat transglutiens, atque quodam modo occultans, et reponens sibi illud in ventre socordizæ et insipientizæ suæ, dum contemnens Dei justitiam, et suam volens constituere, dicit se non habero peccatum, nec morte egere vituli saginati, mundani siquidem justamque ex legis operibus se reputans. At vero

Ecclesia, scisso velo occidentis litteræ in morte Verbi crucifixi, audacter ad ejus penetralia præeunte spiritu liberatis irrupit, agnosceatur, placet, sortitur æmula locum, fit sponsa, fruitor præreptis amplexibus; et in calore spiritus Christo Domino, cui confricatur, inhærens, stillante ac fundente undique suæ oleum exsultationis, hoc illa præ participibus suis excipiens, ait : *Oleum effusum nomen tuum*. Quid mirum si ungitur, quæ unctum amplectitur?

5. Ecclesia ergo recumbit intus, sed Ecclesia interim perfectorum. Spes tamen est et nobis. Excubemus pro foribus qui minus perfecti sumus, spe gaudentes. Sponsus et sponsa soli interim intus sint, mutuis secretisque fruuntur amplexibus, nullo strepitu carnalium desideriorum, nullo corporeorum phantasmatum perturbante tumultu. Turba vero adolescentularum, quæ absque hujusmodi inquietudinibus nondum esse possunt, foris expectant; expectantque secure, scientes ad se illud spectare quod legunt : *Adducentur regi virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi* (*Psal. XLIV, 15*). Et ut quæque sciat cujus spiritus sit, virgines dico illas, quæ ante Christo fœderatæ, quam fœdatæ mundi complexibus, ipsi firmiter perseverant, cui se tanto feliciter quanto maturius devoverunt; proximas vero, quæ pristinam suam deformitatem, in qua mundo huic quandoque conformes, mundi principibus, id est spiritibus spurcis, in omni carnali concupiscentia sese turpiter prostituerant, tandem aliquando erubescens et exeuntes, in novi

hominis formam, quanto serius tanto sincerius reformare festinant. Et hæc et illæ sane proficiant, non deficiant neque fatigentur, etsi necdum plene in se sentiunt, unde dicant et ipsæ : *Oleum effusum nomen tuum*. Nec enim audent adolescentulæ per se facere verba sponso. Tamen si magistræ vestigiis pressius inhærerere student, effusi olei saltem odore delectabuntur, et incitabuntur etiam de odoris perceptione cupere et quærere potiora.

6. Frequenter ego ipse, quod fateri non verecundor, maximeque in initio conversionis meæ, cordo durus et frigidus, et quærens quem vellet diligere anima mea : nec enim adhuc diligere poterat quem nondum invenerat, aut certe minus quam vellet diligebat, et ob hoc quærebat ut magis diligeret; quem nequaquam quæreret, nisi jam aliquatenus dilexisset. Cum ergo eum quærerem, in quo recalesceret atque requiesceret spiritus meus, utique torpens et languens; nec ulla de parte occurreret qui succurreret, per quem videlicet bruma rigens [*alias, pruina rigens*], quæ sensus stringebat inter nos, dissolveretur, et vernalis illa suavitas ac spiritualis amœnitas reverteretur : tunc magis ac magis languebat, et tædebat, et dormitabat anima mea; præ tædio, tristis et pene desperans, et mussitans secum illud : *A facie frigoris hujus quis sustinebit?* (*Psal. CXLVII, 17*). Cum subito forte ad affatum, vel etiam aspectum cujuspiam spiritualis perfectique viri, interdum et ad solam defuncti seu absentis memoriam, flabat spiritus, et fluebant aquæ; et erant mihi lacrymæ illæ panes die ac nocte. Quidnam istud, nisi odor exhalantis unctionis, quæ erat ille perfusus? Non enim unctio, quæ ad n.e nimirum nisi homine mediante non pertinebat. Et propter etsi gaudebam de munere, confundebar tamen et humiliabar, quod sola ad me tenuis exhalatio, et non pinguis aspersio pervenisset. Odoratu quippe delectatus, non tactu, indignum me proinde cognoscebam, cui per seipsum dulcesceret Deus. Et nunc idipsum si accidat, avidus quidem suscipio munus indultum, gratumque habeo; sed dolens doleo per meipsum non meruisse, atque, ut dicitur, de manu in manum minime accepisse, cum obnixè id peterem. Pudet nimirum magis ad hominis, quam ad Dei moveri memoriam. Et tunc cum gemitu clamo : *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei?* (*Psal. XLI, 3*). Existimo et aliquos vestrum idem esse expertos, et experiri interdum adhuc. Qua in re quid sentiendum, nisi quod nostra aut superbia convincitur, aut humilitas custoditur, aut fraterna charitas nutritur; aut desiderium excitatur? Unus idemque cibus et ægrotis est medicina, et ægrotativis diæta : porro et debiles confortat, et delectat valentes. Unus idemque cibus et languorem sanat, et servat sanitatem; et corpus nutrit, et palato sapit.

7. Sed redeamus ad verba sponsæ, et sic curemus audire quæ ait, ut studeamus et sapere quod sapit. Sponsa, ut dixi, Ecclesia est. Ipsa est cui plus dimissum est, et quæ plus diligit. Quod æmula

improperat ei ad convicium, hoc sibi ipsa inflectit ad commodum. Inde mansuetior ad correptionem, inde patientior ad laborem; inde ardentior ad amorem, inde sagacior ad cautelam; inde humilior pro conscientia, inde acceptior pro verecundia; inde ad obediendum paratior, inde ad gratiarum actionem devotior ac sollicitior. Denique illa, ut dictum est, murmurante et memorante merita sua, et labores, et pondus diei et æstus, Ecclesia beneficium recoliit dicens : *Oleum effusum nomen tuum.*

8. Hoc plane testimonium Israel ad confitendum nomini Domini; non tamen Israel secundum carnem, sed ejus qui secundum spiritum est. Nam hoc ille quo pacto dicat? Non quod non habeat oleum, sed non habet effusum. Habet, sed reconditum; habet in codicibus, sed non in cordibus. Foris hæret in littera; contrectat manibus vas plenum, sed et clausum nec aperit ut ungetur. Intus, intus est unctio spiritus; aperit et ungete, et jam non eris domus exasperans. Quid facit oleum in vasis, si non sentias et in membris? Quid tibi prodest pium Salvatoris nomen lectitare in libris, nec habere pietatem in moribus? Oleum est; effunde, et senties virtutem ejus, quæ triplex est. Sed Judæus ista fastidit; vos, audite. Volo dicere cur nomen sponsi oleo comparetur, quod nondum dixeram. Et tres hujus rei occurrunt causæ. At quoniam pluribus vocabulis appellatur, eo quod nullum quo proprie dicatur invenitur (ineffabilis quippe est); prius nobis invocandus est Spiritus sanctus, ut de multis unum, quod vult hoc loco intelligi (quoniam scripto designare non placuit), per se nobis aperire dignetur. Sed hoc quoque alias. Nam etsi in promptu nunc essent omnia, et neque vos onerati, nec ego fatigatus essem, hora tamen finem indicit. Tenete in quo attentos vos reddidi, ut non sit cras necesse repetere. Hoc incumbit, hoc in manibus est, docere scilicet, cur nomen sponsi oleo comparetur; et quod de nominibus. Et quoniam non possum **1309** ego a me dicere quidquam, indicta oratio est, ut nobis sponsus ipse revelet per Spiritum suum Jesus Christus Dominus noster, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XV.

Qualiter nomen Jesus est medicina salubris fidelibus Christianis in omnibus adversis.

1. Benignus est Spiritus sapientiæ (*Sap. 1, 6*), et non consuevit esse difficilis se invocantibus, qui sæpe et antequam invocetur, dicit : *Ecce adsum* (*Isai. Lxv, 24*). Audite jam quod orantibus vobis per me indicare dignatur de eo, quod heri ad hoc ipsum distulimus, et orationum vestrarum fructum tempestivum percipite. En ostendo nomen, quod oleo merito comparatur; et quo merito, dicam. Multa quidem Sponsi vocabula sparsa per omnem divinam paginam legitis, sed in duo ea vobis universa complectar. Nullum, ut arbitror, reperietis,

(168) Sic manuscripti: *alias*, tantum.

quod non aut pietatis gratiam, aut potentiam majestatis sonet. Spiritus ita dicit etiam per sibi familiarius organum : *Duo hæc audiivi: quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia* (*Psal. lxi, 12, 13*). Ergo secundum majestatem : *Sanctum et terribile nomen ejus* (*Psal. cx, 9*); secundum pietatem : *Non est nomen aliud sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (*Act. iv, 12*). Sed exemplis magis perspicuum fiet. *Hoc est*, inquit, *nomen quod vocabunt eum, Dominus, justus noster* (*Jerem. xxiii, 6*). Nomen potentiae est. Item : *Et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (*Isai. vii, 14*); pietatem insinuat. Item ipse de se : *Vos vocatis me*, ait, *Magister et Domine* (*Joan. xiii, 13*). Primum gratiæ est, secundum majestatis. Non enim minus pium est docere animum scientiam, quam præbere escam corpori. Rursum propheta : *Vocabitur, inquit, nomen ejus Admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis* (*Isai. ix, 6*). Primum, tertium, quartum, majestatem sonant; reliqua, pietatem. Quod horum ergo effunditur? Profecto majestatis ac potentiae nomen. in id quod est pietatis et gratiæ, quodam modo transfunditur, ipsumque effunditur abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum. Nomen, verbi causa, quod *Deus* est, nonne in id quod est *nobiscum Deus* (*Matth. i, 25*), hoc est in *Emmanuel*, liquescit et deficit? Sic *Admirabilis*, in id quod est *consiliarius*: sic *Deus* et *fortis*, in ea quæ sunt *pater futuri sæculi* et *princeps pacis*; et *Dominus justus noster*, in *misericors* et *miserator Dominus* (*Psal. cx, 4*). Non dico novum quid: quondam quoque nihilominus Abraham in Abraham, et Sarai in Saram effusa sunt (*Gen. xvii, 5, 15*); et jam tunc salutaris effusionis celebratum præfiguratumque mysterium recordamur.

2. Ubi jam illud, quod apud antiquos tam terribiliter, quam frequenter intonare solebat : *Ego Dominus, ego Dominus?* (*Exod. xx, 2*.) Mihi dicitur oratio cujus principium, nomine dulce paterno, sequentium obtinendarum petitionum præbet fiduciam. Servi nominantur amici (*Joan. xv, 14, 15*), et resurrectio non saltem (168) discipulis, sed fratribus nuntiatur (*Matth. xxviii, 10*). Nec miror, si cum venit plenitudo temporis, facta est effusio nominis; Deo quippe quod per Joelem promiserat adimplente, et effundente de Spiritu suo super omnem carnem (*Joel. ii, 28*); cum tale aliquid et apud Hebræos olim contigisse legam. Credo vos prævolare, et scire jam quid dicere velim. Quale erat, inquam, quod sciscitanti Moysi primo responsum est : *Ego sum qui sum?* et : *Qui est, misit me ad vos?* (*Exod. iii, 14*.) Nescio an vel ipse Moyses caperet sic, si non videlicet effunderetur. Sed fuscum est, et captum est; nec modo fuscum, sed et effusum: nam infusum jam erat. Jam cæli habebant illud, jam angelis innotuerat. Est autem foris missum; et quod angelis ita erat infusum ut esset et privatam, effusum et in homines est, ita ut jam tunc merito clamaretur de terra :

Oleum effusum nomen tuum (Cant. 1, 2): si non ingratae plebis exosa perveracia obstitisset. Ait enim: *Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob* (Exod. 111, 6, 15).

5. Currite, gentes; ad manum est salus, effusum est nomen, quod quicumque invocaverit, salvus erit. **1310** Angelorum Deus, etiam hominum Deum se nominat. Oleum misit in Jacob, et cecidit in Israel. Dicite fratribus vestris: *Date nobis de oleo vestro* (Math. xxv, 8). Si nolunt, rogate Dominum olei, ut mittat et vobis. Dicite: *Aufer opprobrium nostrum* (Isai. iv, 1). Ne, quaeso, insultet malevolus dilectae tuae, quam a finibus terrae evocare placuit tibi, tanto utique dignantius, quanto minus dignam. Decetne, obsecro, ut benigni patrisfamilias invitatos servus nequam excludat? *Ego sum*, ais, *Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob*. Et non amplius? Effunde, effunde; aperi manum tuam adhuc, et imple omne animal benedictione. Veniant ab oriente et occidente, et recumbant cum Abraham, Isaac et Jacob in regno caelorum (Math. viii, 11). Veniant, veniant tribus, tribus Domini; testimonium Israel ad constituendum nomini Domini (Psal. cxxi, 4). Veniant et recumbant, epulentur et delectentur in laetitia, et unus ubique resonet in voce exsultationis et confessionis sonus epulantis (Psal. xli, 5); *Oleum effusum nomen tuum*. Unum scio, si Philippum et Andream habuerimus ostiarios, repulsam omnino non patimur quicumque oleum petimus, quicumque volumus Jesum videre. Incunctanter Philippus dicet Andreae; Andreas autem et Philippus dicent Jesu. Jesus autem quid? Profecto quod Jesus. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum munet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert* (Joan. xii, 22-25). Morietur igitur granum, et surgat genitium seges. Oportet pati Christum, et resurgere a mortuis, et praedicari in nomine ejus poenitentiam et remissionem peccatorum, non solum in Judaeam, sed etiam in omnes gentes; quatenus ab uno nomine, quod est Christus, millia millium credentium Christiani dicantur, et dicant: *Oleum effusum nomen tuum*.

4. Agnosco enim nomen, quod in Isaia legi: *Servos suos*, inquit, *vocabit nomine alio, in quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Domino, amen* (Isai. lxxv, 15, 16). O nomen benedictum! O oleum usquequaque effusum! Quosque? De caelo in Judaeam, et inde in omnem terram excurrit; et de toto orbe clamat Ecclesia: *Oleum effusum nomen tuum*. Effusum plane, quod non solum caelos terrasque perfudit, sed aspersit et inferos, adeo ut in nomine Jesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua consteatur (Philipp. ii, 10, 11), et dicat: *Oleum effusum nomen tuum*. Ecce Christus, ecce Jesus, utrumque infusum angelis, utrumque effusum in homines, et illos homines qui computruerant tanquam jumenta in stercore suo, homines et jumenta salvans, quemadmodum multiplicavit misericordiam suam Deus. Quam charum,

quam vile! vile, sed salubre. Si vile non esset, non mihi effunderetur; si salubre non esset, non me lueraretur. Particeps nominis sum, sum et hereditatis, Christianus sum; frater Christi sum. Si sum quod dicor, haeres sum Dei, cohaeres autem Christi (Rom. vii, 17). Et quid mirum, si sponsi effusum est nomen, cum ipse quoque effusus sit? Nam semetipsum exinanivit, formam servi accipiens (Philipp. ii, 7). Denique ait: *Sicut aqua effusus sum* (Psal. cxi, 15). Effusa est plenitudo Divinitatis, habitans super terram corporaliter, ut de illa plenitudine omnes, qui corpus mortis gestamus, caperemus, ac vitali odore repleti diceremus: *Oleum effusum nomen tuum*. En quod nomen effusum, et qualiter, et quatenus.

5. Cur vero oleum? Nami hoc nondum dixi. In sermone superiore dicere coeperam; sed intervenit subito aliud quod praedicandum videbatur. Quanquam intermiserim ultra quam credidi: quod non aliud esse reor, nisi quod fortis mulier Sapientia misit manum ad collum, et digiti ejus apprehenderunt fusum. Novit enim modicam lanam vel linum in longum producere filum, atque in tela extendere latitudinem, et sic omnes domesticos suos vestire duplicibus (Prov. xxxi, 19, 21). Est procul dubio inter oleum et nomen sponsi similitudo; nec otiose Spiritus sanctus alterutrum comparavit. Ego autem dico in triplici quadam qualitate olei, quod lucet, pascit et ungit, si vos mellus non habetis. Fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem; lux, cibus, **1311** medicina. Vide ideam nunc et de sponsi nomine. Lucet praedicatum, pascit recogitatum, invocatum lenit et ungit. Et percurramus siugula.

6. Unde putas in toto orbe tanta, et tam subita fidei lux, nisi de praedicatione Jesu? Nonne in hujus nominis luce Deus nos vocavit in admirabile lumine suum, quibus illuminatis, et in lumine isto videntibus lumen, dicat merito Paulus: *Fuistis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino?* (Ephes. v, 8.) Hoc denique nomen coram regibus, et gentibus, et filiis Israel portare jussus est idem apostolus (Act. ix, 15); et portabat nomen tanquam lumen, et illuminabat patriam, et clamabat ubique: *Nox praecessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis: sicut in die honeste ambulemus* (Rom. xiii, 12, 13). Et monstrabat omnibus lucernam super candelabrum, annuntians in omni loco Jesum, et hunc crucifixum. Quomodo lux ista insplenduit ac perstrinxit cunctorum intuentium oculos, quando de ore Petri, tanquam fulgur, egrediens, claudi unius corporales plantas solidavit et bases, multosque spiritualiter caecos illuminavit? Nunquid non ignem sparsit, cum ait: *In nomine Jesu Christi Nazareni surge et ambula?* (Act. iii, 6.) Nec tantum lux est nomen Jesu, sed est et cibus. An non toties confortaris, quoties recordaris? Quid aequae mentem cogitantis impingat? quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat

mores bonos atque honestos, castas fovet affectiones? A Aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto infunditur; insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi nisi legero ibi Jesum. Si disputes aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit tibi Jesus (169). Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Sed est et medicina. Tristatur aliquis vestrum? Veniat in cor Jesus, et inde saliat in os; et ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando? Nonne si invocet nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam? Cui aliquando stetit ante faciem salutaris nominis duritia, ut assolet, cordis, ignaviæ torpor, rancor animi, languor acediæ? cui fons forte siccatus lacrymarum, invocato Jesu, non continuo erupit uberior, fluxit suavior? Cui, in periculis palpitanti et trepidanti, invocatum virtutis nomen non statim fiduciam præstitit, depulsi metum? Cui, quæso, in dubiis æstuanti et fluctuanti, non subito ad invocationem clari nominis emicuit certitudo? Cui in adversis diffidenti, jamjamque deficienti, si nomen adiutorii sonuit, defuit fortitudo? Nimirum morbi et languores animæ isti sunt, illud medicina. Denique et probare licet: *Invoca me*, inquit, *in die tribulationis; eruam te, et honorificabis me* (Psal. XLIX, 15). Nihil ita iræ impetum cohibet, superbix tumorem sedat, sanat livoris vulnus, restringit luxuriæ fluxum, exstinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem. Siquidem cum nomino Jesum, hominem mihi propono nitentem et humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem et omni denique honestate ac sanctitate conspicuum, eundemque ipsum Deum omnipotentem, qui suo me et exemplo sanat, et roboret adiutorio. Hæc omnia simul mihi sonant, cum insonuerit Jesus. Sumo itaque mihi exempla de homine, et auxilium a potente; illa tanquam pigmentarias species, hoc tanquam unde acuam eas: et facio confectionem, cui similem medicorum nemo facere possit.

7. Hoc tibi electuarium habes, o anima mea, reconditum in vasculo vocabuli hujus, quod est Jesus, salutariferum certe, quodque nulli unquam pesti ture inveniatur inefficax. Semper tibi in sinu D sit, semper in manu, quo tui omnes in Jesum et sensus dirigantur et actus. Denique et invitaris: *Pone me*, inquit, *signaculum in corde tuo, signaculum in brachio tuo* (Cant. viii, 6). Sed hoc 1312 alias. Nunc vero habes unde et brachio medearis, et cordi. Habes, inquam, in nomine Jesu, unde actus tuos vel pravos corrigas, vel minus perfectos adimpleas; itemque unde tuos sensus aut serves, ne corrumpantur; aut, si corrumpantur, sanes.

8. Habuit et Judæa quosdam Jesus, quorum va-

(169) Augustinus in lib. iii Confess. cap. 4, idem sibi accidisse ait in legendo Hortensii libro: « Hoc solum me, » inquit, « in tanta flagrantia refrange-

bat, quod nomen Christi non erat ibi... et quidquid sine hoc nomine fuisset, quamvis litteratum et expolitum et veridicum, non me totum rapiebat. »

A cuius gloriatur vocabulis. Illa enim nec lucent, nec pascunt, nec medentur. Idcirco Synagoga in tenebris est usque adhuc, fame et infirmitate laborans; et non sanabitur nec satiabitur, quousque sciat meum Jesum dominari Jacob et finium terræ, et convertatur ad vesperam, et famem patiatur ut canes, et circumeat civitatem (Psal. LVIII, 14, 7). Et illi quidem præmissi sunt, tanquam baculus ad mortuum Prophetam præveniens, et sua interpretari nomina nequiverant; vacua quippe erant. Superpositus mortuo baculus est, et non erat vox neque sensus, quoniam baculus erat. Descendit qui baculum misit (IV Reg. iv, 29-35): et mox salvum fecit populum suum a peccatis eorum, probans se esse quod dicebatur: *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit* (Luc. vii, 49). Nimirum qui dicit: *Salus populi ego sum* (Psal. xxxiv, 3). Jam vox, jam sensus est; et patet eum non inane portare nomen instar priorum. Sentitur infusa salus, et beneficium non tacetur. Intus sensus, foris vox. Compungor, et confiteor, et confessio vitam indicat: *A mortuo enim tanquam qui non est, perit confessio* (Eccli. xvii, 26). Ecce vita, ecce sensus. Suscitatus perfecte sum, integra est resurrectio. An aliud mors corporis est, nisi cum sensu privatur et vita? Peccatum, quod mors animæ est, nec compunctionis mihi sensum, nec confessionis reliquerat vocem, et eram mortuus. Venit is qui peccata dimittit, et utrumque restituit, et dicit animæ meæ: *Salus tua ego sum*. Quid mirum si cedit mors, ubi vita descendit? Jam corde creditur ad justitiam, et ore confessio fit ad salutem (Rom. x, 10). Jam oscitat puer, et oscitat septies (IV Reg. iv, 35), et dicit: *Septies in die laudem dixi tibi* (Psal. cxviii, 164), Domine. Videte hunc septenarium. Sacer numerus est; non vacat. Sed melius hoc alii servamus sermone, quo famelici et non fastidiosi ad tam bonas epulas accedamus, invitante nos sponso Ecclesiæ Domino nostro Jesu Christo, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XVI.

De cordis contritione, et de tribus speciebus veræ confessionis.

1. Quid sibi ergo vult septenarius iste? Nescio enim an ita simplex quispiam in nobis sit, qui otiosas esse has vices, et numerum hunc putet fortuitum. Ego nec illud vacare reor, quod propheta incumbens super mortuum, ad mensuram puerilis corporis sese contraxit, os suum ori illius conjunxit, oculisque oculos, et manibus manus (IV Reg. xxxiv). Spiritus sanctus sic omnia fieri, et sic scribi fecit, ad eruditionem procul dubio illorum spirituum, quos corrupti corporis circumvenit infida societas, ac stulta mundi sapientia desipere docuit. Corpus quippe quod corrumpitur, aggravat animam; et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitan-

bat, quod nomen Christi non erat ibi... et quidquid sine hoc nomine fuisset, quamvis litteratum et expolitum et veridicum, non me totum rapiebat. »

tem (*Sap.* ix, 15). Propterea nemo miretur aut moleste accipiat, si in his scrutandis, tanquam quibusdam Spiritus sancti apothecis, curiosus existo, cum sciam quia sic vivitur, et in talibus vita spiritus mei. Dico tamen his qui prævolantes ingenio, in omni sermone ante penæ flagitant linem, quam principium teneant, debitorem me etiam tardioribus esse, et maxime; sed nec studium tam esse mihi ut exponam verba, quam ut imbuam corda. Et haurire, et propinare me oportet: quod non fit celeriter percurrendo, sed tractando diligenter, et exhortando frequenter. Quanquam et præter spem quoque meam diu nos discussio detinuit sacramentorum. Putavi, fateor, unum ad hoc sermonem sufficere, silvamque istam umbrosam, latebrosamque allegoriarum pertransire **1313** nos cito, et ad planitiem moralium sensuum itinere diei quasi unius pervenire: sed secus contigit. Biduum quippe jam in eo expendimus, et adhuc restat via. Ictus oculi cernens summitates ramorum et montium cacumina pervolabat; sed vallium subterjacens vastitas, et densitas dumetorum frustrabatur obtutus. Nunquid, verbi gratia, Elisæi miraculum prævidere valebam, quia nobis videlicet de gentium vocatione et repulsione Judæorum disserentibus, ita de subito in medium prosiliret? Et nunc quandoquidem incidimus, non pigeat nos paululum immorari, consequenter ad id quod intermittimus, postea reversuros, siquidem animarum cibus nihilominus est iste. Canibus quoque ac venatoribus plerumque contingit a bestia, quam aggressi erant, desistere; et sequi aliam, quæ inopinantibus forte occurrerit.

2. Non parvulum fiduciæ robor præstat mihi, quod magnus ille vir propheta, potens in opere et sermone, de excelso monte cælorum descendens, visitare dignatus est me, cum sim cinis et pulvis; misereri mortuo, inclinare se jacenti, contrahi et cœquari parvo, cæco partiri lumen oculorum suorum, et os mutum oris proprii osculo solvere, debilesque manus suarum roborare contactu. Suaviter rumino ista, et replentur viscera mea, et interiora mea saginantur, et omnia ossa mea germinant laudem. Hoc semel contulit universitati; hoc quotidie singuli in nobis acitari sentimus; hoc cordi scilicet tribui intelligentiæ lumen, et ori ædificationis verbum, et manibus opus justitiæ. Dat sentire fideliter, dat proferre utiliter, dat efficaciter adimplere. Et est funiculus triplex, qui difficile rumpitur, ad extrahendas animas de carcere diaboli, et trahendas post se ad regna cœlestia, si recte sentias, si digne proloquaris, si vivendo confirmes. Oculis suis tetigit meos, interioris hominis frontem claris luminaribus ornans, fide et intellectu. Ori meo junxit suum, et mortuo signo pacis impressit; quoniam cum adhuc peccatores essemus, reconciliavit nos Deo, justitiæ mortuos. Os ori applicuit, iterato inspirans in faciem meam spiraculum vitæ, sed sanctioris quam primo. Nam primo quidem in

A animam viventem creavit me; secundo in spiritum vivificantem reformavit me. Manus suas meis superposuit, exemplum præbens honorum operum, formam obedientiæ. Aut certe manus suas misit ad fortia, ut doceret manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum.

3. Et oscitavit, inquit, puer septies (*IV Reg.* iv, 35). Sufficiebat ad gloriam manifestandi miraculi oscitasse semel; sed multiplicitas et insignis numerus mysterii admonent. Si illud ingens universi humani generis primum quidem exanime corpus attendas, vides ubique Ecclesiam, ex quo vitam propheta incumbente recepit, quasi septies oscitare; quia septies in die laudem dicere consuevit. Si te ipsum advertas, in hoc te noveris vita vivere spirituali, ac mysticum hunc implere numerum, si sensualitatis tuæ quinarium charitatis binario subjicis, exhibesque, juxta Apostolum, membra tua servire justitiæ in sanctificationem, quæ prius exhibuisti servire iniquitati ad iniquitatem (*Rom.* vi, 19); aut certe si eundem quinarium proximorum salutis impertiens, ad perficiendum septenarium duo hæc adjicias, misericordiam scilicet et judicium cantare Deo.

4. Habeo et alias septem oscitationes, septem videlicet experimenta, sine quibus vera et certa salus redivi spiritus minime constat: quatuor ad sensum compunctionis, tria ad confessionis sonum pertinentia. Si vivis, si vox, si sensus est, tu quoque eadem in te recognoscis. Porro sensum ex integro recuperasse te scias, si tuam conscientiam quadruplici sentis compunctione morderi; pudore gemino, et gemino metu: nam vitam ad perficiendum septenarium triplex confessionis species attestatur, de quibus postea videbitur. Nonne et sanctus Jeremias in suo planctu observat hunc numerum? Et tu igitur in tua pro te lamentatione formam habens propheticam, Deum cogita **1314** factorem tuum, cogita et benefactorem, cogita patrem, cogita Dominum. Ad omnia reus es; plange per singula. Ad primum et ultimum respondeat timor tuus, ad duo media pudor. Pater sane non metuitur, cum pater sit. Patris enim est misereri semper et parcere. Et si percutit, virga non baculo percutit; et cum percusserit, sanat. Paterna vox est: *Percutiam et ego sanabo* (*Deut.* xxxii, 39). Non est proinde quod a patre formides, qui etsi quandoque feriat ut emendet, nunquam tamen ut vindicet. At vero cogitantem quod patrem offenderim, est certe quod pudeat, etsi non quod terreat. Voluntarie genuit me verbo veritatis, non stimulo carnalis cupiditatis excussit, quemadmodum genitor carnis meæ. Deinde etiam non peperci Unigenito pro sic genito. Ita ipse quidem patrem se exhibuit mihi, sed non ego me illi vicissim filium. Quanam fronte attollo jam oculos ad vultum patris tam boni, tam malus filius? Pudet indigna gessisse genere meo, pudet tanto patre vixisse degenerem. Exitus aquarum deducite, oculi mei; operiat confusio faciem meam, vultum meum.

pudor suffundat, occupetque caligo. Desiciat in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus. Proh pudor! quem fructum habui in quibus nunc erubesco? Si in carne seminavi, de carne non metam nisi corruptionem (*Galat. vi, 8.*); si in mundo, et ipse transit, et concupiscentia ejus (*I Joan. ii, 17.*) Quid? caduca, vana, et prope nulla, et quorum finis mors est, infelix et insanus præferre non erubui æterni Patris amori et honori. Confundor, confundor audire : *Si ego pater, ubi est honor meus?* (*Malach. i, 6.*)

5. Sed et si Pater non esset, obrueret me beneficiis. Instaurat adversum me testes, ut alia innumera taceam, hujus corporis victum, et usum temporis hujus, et super omnia sanguinem dilecti Filii clamantem de terra. Pudet ingratitude, quanquam ad confusionis cumulum, arguar etiam reddidisse mala pro bonis, et odium pro dilectione. Minime quidem mihi a benefactore, sicut nec a patre timendum. Verus quippe beneficus est, dans affluenter, et non improperans (*Jac. i, 5.*) Non improperat dona, quia dona sunt; et beneficia sua mihi dedit, non vendidit. Denique sine pœnitentia sunt dona ejus. At quanto de illo benignius, tanto de me indignius sentire cogor. Erubescere, et dole nihilominus, anima mea; quoniam etsi illum non repetere et non improperare decet, nos tamen omnino dedecet ingratos immemoresque exstitisse. Heu! quid vel nunc tandem retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?

6. Quod si segnior forte suas partes minus exsequitur pudor, timor sane excitetur in adjutorium. Excitetur, ut excitet. Sepone parum pia vocabula benefactoris et patris, atque ad austeriora convertere. Nempe qui legitur : *Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis* (*II Cor. i, 3.*); legitur nihilominus : *Deus ulionum Dominus* (*Psal. xciii, 1.*); legitur : *Deus judex justus et fortis* (*Psal. vii, 12.*); legitur : *Terribilis in consiliis super filios hominum* (*Psal. lxxv, 5.*); legitur : *Deus zelans* (*Exod. xx, 5.*) Quod pater est, quod beneficus est, tibi est; quod Dominus ac creator, sibi; etenim *propter semetipsum fecit omnia*, Scriptura teste (*Prov. xvi, 4.*) Qui ergo quod tuum est tibi defendit ac servat; putas, et pro se aliquando non zelabit? putas, sui non requiret principatus honorem? Propter hoc *irritavit impius Deum*, quia *dixit in corde suo : Non requiret* (*Psal. ix, 13.*) Et quid est in corde suo dicere : *Non requiret*, nisi non metuere quod requirat? Sed requiret usque ad novissimum quadrantem: requiret et retribuet abundanter facientibus superbiam (*Psal. xxx, 24.*) Requiret a redempto servitium, honorem et gloriam ab eo quem plasmavit.

7. Esto quod dissimulet pater, ignoscat beneficus; sed non Dominus et Creator; et qui parcat filio, non parcat figmento, non parcat servo nequam, Pensa cujus sit formidinis et horrois, tuum atque omnium contempsisse factorem, offendisse Dominum majestatis. Majestatis est timeri, Domini est timeri,

et maxime hujus majestati; hujusque Domini. Nam si reum regie majestatis, quamvis humanæ, humanis legibus plecti **1315** capite sancitum sit; quis finis contemnentium divinam omnipotentiam erit? Tangit montes, et fumigant (*Psal. cxliii, 5.*); et tam tremendam majestatem audet irritare vilis pulvisculus, uno levi flatu mox dispergendus, et minime recolligendus? Ille, ille timendus est, qui postquam occiderit corpus, potestatem habet mittere et in gehennam (*Luc. xii, 5.*) Paveo gehennam, paveo judicis vultum, ipsis quoque tremendum angelicis potestatibus. Contremisco ab ira potentis, a facie furoris ejus, a fragore ruentis mundi, a conflagratione elementorum, a tempestate valida, a voce archangeli, et a verbo aspero. Contremisco a dentibus bestie infernalis, a ventre inferi, a rugientibus præparatis ad escam. Horreo vermem rodentem, et ignem torrentem, fumum, et vaporem, et sulphur, et spiritum procellarum; horreo tenebras exteriores. Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum (*Jerem. ix, 1.*) ut præveniam fletibus fletum, et stridorem dentium, et manuum pedumque dura vincula, et pondus catenarum prementium, stringentium, urentium, nec consumentium? Heu me, mater mea! utquid me genuisti filium doloris, filium amaritudinis, indignationis et plorationis æternæ? Cur exceptus genibus, cur lactatus uberibus, natus in combustionem, et cibus ignis?

8. Qui sic afficitur, sensum procul dubio recuperavit, et in duplici metu isto, itemque pudore illo æque duplici habet oscitationes quatuor. Tres quæ restant ex voce confessionis adjiciet, et nequaquam dicetur jam de eo, quod non sit vox neque sensus, si tamen de corde humili, simplici, fidelique processerit illa confessio. Omne ergo quod remordet conscientiam, consistere humiliter, pure, fideliter; et has vices implesti. Sunt qui gloriantur *cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis* (*Prov. ii, 14.*); quos notans propheta : *Peccata sua*, inquit, *prædicaverunt sicut Sodoma* (*Isai. iiii, 9.*) Verum hos ab hac disputatione, tanquam sæculares amoveo: nam quid ad nos de his qui foris sunt?

9. Quanquam et de his, qui religiose vestiti, et religionem professi sunt, nonnunquam audivimus aliquos reminisci et jactitare impudentissime mala sua præterita; quæ, verbi gratia, aliquando vel fortiter gladiatorio, vel argute litteratorio gessere confictu, seu aliud quid secundum mundi quidem vanitatem favorabile, secundum animæ vero salutem nocivum, perniciosum, damnosum. Sæcularis adhuc animi indicium est hoc; et humilis habitus qui gestatur a talibus, non sanctæ novitatis est meritum, sed priscae vetustatis operculum. Nonnulli talia, quasi dolendo et pœnitendo rememorant; sed gloriam intentione captantes, commissa sua non diluunt, sed seipsos illudunt: nam Deus non irridetur (*Galat. vi, 7.*) Veterem hominem non exuerunt, sed novo palliant. Non proditur aut projicitur vetus fermentum illa confessione; sed statuitur,

secundum illud : *Invetaverunt ossa mea, dum clamarem tota die (Psal. xxxi, 3)*. Pudet reminisci quorundam tantam proterviam, ut non pudeat eos cum exultatione lugenda jactitare, quod et post susceptum sanctum habitum callide quempiam supplantaverint, et circumvenerint in negotio fratrem; aut quod talionem pro convicio vel maledicto, id est malum pro malo; aut maledictum pro maledicto audacter reddiderint.

40. Sed est confessio eo periculosius noxia, quo subtilius vana, cum ipsa etiam inhonesta et turpia de nobis detegere non veremur, non quia humiles sumus, sed ut esse putemur. Appetere autem de humilitate laudem, humilitatis est, non virtus, sed subversio. Verus humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari. Gaudet contemptu sui, hoc solo sane superbus, quod laudes contemnit. Quid perversius, quidve indignius, quam ut humilitatis custos confessio superbæ militet, et inde velis videri melior, unde videris deterior? Mirabile jactantiæ genus, ut non possis putari sanctus, si non appareas sceleratus. At talis confessio speciem habens humilitatis, non virtutem, non solum veniam non meretur, **1316** sed et provocat iram. Nunquid profuit Saul, quod se ad increpationem Samuelis peccasse confessus est? (*1 Reg. xv, 30.*) Culpabilis procul dubio fuit illa confessio, quæ culpam non diluit. Quando enim humilem contemneret confessionem humilitatis magister, et cui humilibus dare gratiam certe ingenitum est? Omnino non poterat non placari, si quæ in ore sonuit, in corde radiasset humilitas. Ecce cur humilem esse debere confessionem dixi.

41. Oportet autem esse et simplicem. Non intentionem (forte quia latet homines) excusare delectet, si sit rea; nec levigare culpam, quæ gravis est; nec alieno adumbrare suavis, cum invitum nemo coegerit. Primum illud non confessio est, sed defensio; nec placat, sed provocat. Sequens monstrat ingratitudinem; et quo minor reputatur culpa, eo minuitur et gloria indultoris. Sed enim minus libenter beneficium datur, quod minus grate minusve necessarie provenire sentitur. Veniam proinde sibi abjudicat, qui munus largitoris attenuat: quod quidem omnis qui reatum suum verbis alleviare conatur, facit. Jam a postremo primi hominis dehortetur exemplum, nec culpam siquidem diffidentis, nec tamen consequentis veniam non dubium quin ob reatus mulieris admisionem (*Gen. iii, 2*). Genus excusationis est, cum argueris tu, alium incusare. Porro excusare te velle quando corripieris, quam sit non modo minime fructuosum, sed et perniciosum, sanctum David interroga. *Verba nempe malitiæ, excusationes in peccatis* appellat, ne in ea declinet cor suum rogans et supplicans (*Psal. cxl, 4*). Merito quidem. In animam etenim suam peccat qui se excusat, repellens proinde a se indulgentiæ medicinam, et sic vitam sibi proprio ore intercludens. Et quænam major malitia, quam propriam armari in salutem, et linguæ tuæ temetipsum mucrone

A confodere? Denique qui sibi nequam, cui est bonus? (*Eccli. xiv, 5.*)

42. Sit autem et fidelis confessio, ut consteatis in spe, de indulgentia penitus non dissidens, ne tuo te ore non tam justifies, quam condemnes. Judas certe proditor Domini, et Cain fratricida confessi sunt, et diffisi sunt: alter: *Peccavi, inquit, tradens sanguinem justum (Matth. xxvii, 4)*; alter: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear (Gen. iv, 13)*; et verax licet, nil eis profuit infidelis confessio. Hæ itaque tres confessionis observantiæ, junctæ quatuor superioribus compunctionis, septenarium implent.

43. Jam vero sic compunctus, et sic confessus, ac propria proinde certus de vita, certus quoque nihilominus es, ut arbitror, vacuo nequaquam nomine appellari Jesum, eum, qui in te talia valuit et voluit operari, nec vacue subsecutum fuisse baculum quem præmiserat. Non venit vacue, quia non venit vacuus. Nam quomodo vacuus, in quo habitavit plenitudo? Neque enim ei datus est ad mensuram spiritus. Denique et venit in plenitudine temporis (*Galat. iv, 4*), plenum proinde venire se indicans. Bene plenum, quem unxit Pater oleo lætitiæ præ consortibus suis (*Psal. xlv, 8*); unxit et misit plenum gratiæ et veritatis (*Joan. i, 14*). Unxit ut ungeret. Omnes ab eo uncti sunt, qui de plenitudine ejus meruerunt accipere. Ideo ait: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, ad annuntians mansuetis misit me; ut mederer contritis corde, ut prædicarem captivis indulgentiam, et clausis apertionem, ut prædicarem annum placabilem Domino (Isai. lxi, 1, 2)*. Veniebat, ut audis, ungere contritiones nostras, ac lenire dolores; ideoque venit unctus, venit mansuetus et mitis, et multæ misericordie omnibus invocantibus se. Sciebat se ad infirmos descendere, exhibuitque qualem oportuit. Et quoniam multæ erant infirmitates, multa quoque providus medicus medicamina curavit afferre. Attulit spiritum sapientiæ et intellectus, spiritum consilii et fortitudinis, spiritum scientiæ et pietatis, et spiritum timoris Domini.

44. Vides quot phialas plenas odoramentis celestis medicus præparavit ad sananda vulnera illius miseri, qui incidit in latrones? Septem sunt numero, septem **1317** fortasse præfatis oscitationibus excitandis accommodatæ. Spiritus enim vitæ erat in phialis. Ex his profecto infudit oleum meis vulneribus; infudit et vinum, sed minus quam olei. Sic nempe congruebat infirmitatibus meis, ut misericordiam superexaltaret iudicio, quemacmodum vino oleum superfertur infusum. Attulit proinde quinque cados olei, vini non nisi duos. Vinum siquidem timor tantum et fortitudo fuere; reliqua quinque oleum propria suavitate designant. In spiritu denique fortitudinis, tanquam potens crapulatus a vino (*Psal. lxxvii, 65*), descendit ad inferos, contrivit portas areas, et vectes ferreas confregit; alligavit fortem, et vasa captivitatis eri-

puil. Descendit nihilominus in spiritu timoris, sed A cum discessum ejus imminere persensit; nec obtinendus, non timidus.

15. O Sapientia! quanta arte medendi in vino et oleo animæ meæ sanitatem restauras, fortiter suavis, et suaviter fortis! fortis pro me, et suavis mihi. Denique attingis a fine usque ad finem fortiter, et disponis omnia suaviter, propellens inimicum, et infirmum fovens. Sana me, Domine, et sanabor; psallam et confitebor nomini tuo, et dicam: *Oleum effusum nomen tuum* (Cant. 1, 2). Non vinum effusum (nolo enim ut intres in iudicium cum servo tuo), sed oleum, quia coronas me in misericordia et miserationibus (Psal. cii, 4). Oleum plane, quod dum supernatat cunctis quibus immiscetur liquoribus, liquido illud designat nomen, quod est super omne nomen. O nomen præsuave et prædulce! o nomen præclarum, præelectum et præexcelsum, et superexaltatum in sæcula! Hoc vere oleum quod exhilarat faciem hominis, quod caput jejunantis impingrat, ut oleum peccatoris non sentiat. Hoc nomen novum, quod os Domini nominavit (Isai. lxii, 2). Quod et vocatum est ab angelo priusquam in utero conciperetur (Luc. ii, 21). Hoc non solum Judæus, sed quicumque invocaverit salvus erit (Joel. ii, 32); in tantum usquequaque effusum est. Hoc Pater donavit Filio, sponso Ecclesiæ Domino nostro Jesu Christo, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XVII.

De accessu et recessu Spiritus sancti observando, deque C invidia diaboli erga genus humanum.

1. Putamusne, satis processum est in sanctuario Dei, dum scrutamur mirabile sacramentum; an ad perscrutandum adhuc, si quid restat, audentis spiritum ad interiora sequi? Spiritus nempe iste scrutatur non solum hominum corda et renes, sed etiam profunda Dei: et sive ad nostra, sive ad alta (170), securus sequor eum quocumque ierit. Tantum ut custodiat corda nostra et intelligentias nostras, ne forte cum non aderit, adesse putemus, nostrumque pro ipso sequamur sensum deviantes. Venit namque, et vadit prout vult; et nemo facile scit, unde veniat, aut quo vadat (Joan. iii, 8). At istud sine damno fortasse salutis nescire licet: cæterum quando veniat, vel quando vadat, id plane periculosissime D ignoratur. Cum enim hæc Spiritus sancti circa nos dispensatoriæ quidem vicissitudines vigilantissime non observantur, fit ut nec absentem desideres, nec præsentem glorifices. Nempe qui idcirco recedit ut avidius requiratur; quoniam modo, si abesse nescitur, requiritur? Et rursum qui dignanter ad hoc redit ut consoletur; qualiter digne pro sua majestate suscipitur, si nec adesse sentitur? Mens ergo quæ ignorat abscessum, patet seductioni; et quæ reditum non observat, erit ingrata visitationi.

2. Petiit quondam aliquid Elisæus a magistro,

170) Sic manuscripti; non, alia.

cum discessum ejus imminere persensit; nec obtinuit, sicut scitis, nisi ea quidem conditione, si videret quando tolleretur a se (IV Reg. ii, 9, 10). In figura contigit hoc illis, scriptum est autem propter nos. Vigiles esse et solliciti circa opus nostræ salutis (quod mira subtilitate ac suavitate divinæ suæ artis incessanter actitat Spiritus in intimo nostri) prophético docemur et monemur exemplo. Nunquam sane sine nostra conscientia 1318 magistra unctio, quæ docet de omnibus, tollatur a nobis, si duplicato volumus munere non fraudari. Nunquam, cum venerit, inveniat imparatos, sed semper vultus suspensos, et expansosque habentes sinus ad largam Domini benedictionem. Quales denique quærit? *Similes hominibus expectantibus B dominum suum, quando revertatur a nuptiis* (Luc. xii, 36): qui utique ab illis supernæ mensæ copiosis deliciis vacua nunquam revertitur manu. Vigilandum proinde, et vigilandum omni hora, quia nescimus qua hora Spiritus venturus sit, seu iterum abiturus. It et redit Spiritus; et qui stat eo tenente, deserente cadat necesse est; sed non colliditur, quia Dominus rursum supponit manum suam. Et has alternare vices non cessat in his qui spirituales sunt, vel quos potius spirituales proinde ipse creare intendit, visitans diluculo, et subito probans. Denique *septies cadit justus, et septies resurgit* (Prov. xxiv, 16): si tamen cadit in die, ut se cadere videat, et cecidisse sciat, et resurgere cupiat, et requirat manum adjuvantis, et dicat: *Domine, in C voluntate tua præstitisti decori meo virtutem; avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus* (Psal. xxix, 8).

3. Aliud est dubitare de veritate, quod patiaris necesse est, cum Spiritus minime spirat; et aliud sapere falsitatem, quod facile caves, si eandem tuam ignorantiam non ignoras, quatenus dicas et tu: *Et si quid ignoravi, ignorantia mea mecum est* (Job xix, 4). Sancti Job sententia est; agnoscite. Pessimæ matris ignorantia, pessimæ iudem filia; duæ sunt, falsitas et dubietas: illa miserior, ista miserabilior; perniciosior illa, ista molestior. Cum loquitur Spiritus, cedit utraque: et est non solum ille Spiritus, cui contraria falsitas est; est et sapientia, quæ cum sit candor vitæ æternæ, et ubique attingat propter munditiam suam, obscurum ambigui non admittit. Cavenda sane, cum Spiritus iste non loquitur, etsi non molesta dubietas, certe falsitas exsecranda. Aliud est enim sub incerto, hoc vel illud opinando sentire, aliud temere affirmare quod nescias. Aut ergo loquatur semper Spiritus, quod nostri quidem minime arbitrii est; aut quando silere placet, hoc ipsum indicet, et loquatur saltem suum silentium, ne ipsum nobis falso præire putantes, nostrum pro ipso male securi sequamur errorem; et si suspenderit ambiguo, non relinquat

mendacio. Est qui dubie profert mendacium, nec mentitur; et est qui veritatem quam nescit affirmat, et mentitur. Nam et ille, non quidem quod non est, esse; sed se quod credit, credere dicit, et verum dicit, etiamsi hoc verum non sit quod credit; et is, cum se certum unde non est certus, dicit; verum non dicit, etiamsi verum sit de quo asserit.

4. Illis præmissis ad cautelam talio inexpertorum, sequar jam Spiritum, sicut confido, præeuntem, eadem tamen cautela, si potero, quam præmisi; et tentabo facere ipse quod doceo, ne dicatur et mihi: *Tu qui alios doces, teipsum non doces* (Rom. II, 21), Distinguendum sane inter manifesta et dubia, nec illa scilicet adduci in dubium, nec ista temere affirmari. Quod quidem ipsum de magisterio sperandum est Spiritus: nec enim nostra ad illud omnino industria sufficit. Quis novit hominum, an id quod inter homines judicatum a Deo sermo superior (a quo videlicet, si bene memini, quartus est iste) patefecit, in supernis quoque judicium jam factum præcesserit (171).

5. Quod dico, tale est. Putasne, Lucifer ille, qui mane oriebatur, sed præpropere elevabatur, antequam verteretur in tenebras, generi humano inviderit et ipse olei infusionem [*alias*, effusionem], ut per seipsum jam tunc indignabundus mussitaret, dicens intra se quodammodo: Utquid perditio hæc? Hoc ego non assero dicere Spiritum, sed nec contradicere dico; nescio enim. Potuit autem contingere, si tamen incredibile non putetur, plenum sapientia et perfectum decore, homines præscire potuisse futuros, etiam et profecturos in 1319 pari gloria. Sed si præscivit, in Dei verbo absque dubio vidit, et in livore suo invidit, et molitus est habere subjectos, socios dedignatus. Infirmiores sunt, inquit, inferioresque natura; non decet esse concives, nec æquales in gloria. An forte prodit impiam hanc ejus machinationem illa præsumpta ascensio, sessioque significans magisterium: *Ascendam*, inquit, *super montem excelsum, et sedebo in lateribus aquilonis* (Isai. XIV, 13), quo Altissimi quondam proinde similitudinem obtineret, si, quemadmodum ille super cherubin sedens, gubernat omnem angelicam creaturam; ita et ipse altus sederet, regeretque genus humanum? Absit! Iniquitatem meditatus est in cubili suo, mentiatur iniquitas sibi. Nos alium non agnoscimus judicem quam auctorem. Non diabolus, sed Dominus judicabit orbem terræ, et ipse Deus noster in sæculum sæculi; ipse reget nos in sæcula.

6. Ergo in cælo concepit dolorem, et in paradiso peperit iniquitatem, prolem malitiæ, matrem mortis et ærummarum; omniumque prima parens superbia. Nam etsi invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum (Sap. II, 24), initium tamen omnis peccati superbia (Eccli. X, 15). Verum quid illi profuit? Nihilominus

(171) In plerisque scriptis resecta parenthesi legitur, *præcesserit, utrumnam videlicet Lucifer, qui, etc., ut in num. seq. et sic habet prima editio.*

tu in nobis es, Domine, et nomen tuum invocatum est super nos; et dicit populus acquisitionis, dicit Ecclesia redemptorum: *Oleum effusum nomen tuum*. Cum ejicior ego, tu illud effundis post me, et in me; quoniam cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Accepit tamen Satan regnum super omnes filios superbiæ, factus princeps tenebrarum harum, ut regno humilitatis etiam superbia militet, dum in uno suo principatu temporali, et tali, multos humiles excelsos æternosque reges constituit. Jucundum judicium, ut superbus ille humilium maleator, eisdem ipsis nesciens fabricet coronas perpetuas, impugnando omnes, et omnibus succumbendo. Siquidem ubique et semper judicabit Dominus populos, et salvos faciet filios pauperum, et humiliabit calumniatorem. Ubique, et semper defensabit suos, propulsabit nocentes, et tollet virgam peccatorum desuper sortem justorum, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas (Psal. CXXIV, 3); critque tandem cum ex toto arcum conteret, et confringet arma, et scuta comburet igni. Tu tibi, miser, sedem collocas in aquilone, plaga nebulosa et frigida; et ecce suscitantur de pulvere inopes, et de stercore pauperes, ut sedeant cum principibus, et solium gloriæ teneant, doleasque impleri illud: *Pauper et inops laudabunt nomen tuum* (Psal. LXXXIII, 21).

7. Gratias tibi, pater orphanorum et iudex pupillorum, incaluit super nos mons coagulatus, mons pinguis, cæli distillaverunt a facie Dei Sinai, effusum est oleum, dilatatum est nomen, quod nobis et cui nos invidebat iniquus; dilatatum, inquam, usque ad corda et ora parvulorum, et in ore infantium et lactentium perfluit laus. Porro peccator videbit et irascetur; et erit sicut ira implacabilis, sic flamma inextinguibilis, quæ jam parata est ei et angelis ejus. Zelus Domini exercituum faciet hoc. Quomodo me amas, Deus meus, amor meus? quomodo me amas, ubique recordatus mei, ubique zelans salutem egeni et pauperis, non solum adversum homines superbos, sed etiam adversum sublimes angelos? In cælo et in terra judicas, Domine, nocentes me, expugnans impugnantem me; ubique subvenis, ubique assistis, ubique a dextris es mihi, Domine, ne commovear. Hæc cantabo Domino in vita mea, psallam Deo meo quandiu sum. Hæc virtutes ejus, hæc mirabilia ejus quæ fecit. Hoc primum et maximum judicium, quod mihi illa conscia secretorum aperuit virgo Maria: *Deposuit, inquiens, potentes de sede, et exaltavit humiles. 1320 Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes* (Luc. I, 52, 55). Secundum autem simile est huic, quod jam audistis, *ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant* (Joan. IX, 39). In his duobus judiciis consoletur se pauper, et dicat: *Memor fui judiciorum tuorum a sæculo, Domine, et consolatus sum* (Psal. CXVIII, 52).

8. Sed revertamur ad nos ipsos, scrutemurque

vias nostras; et ut in veritate id possimus, invoce-
mus Spiritum veritatis, et revocemus ab alto quo
nos eduxerat, quatenus antecedit nos etiam ad nos,
quoniam sine ipso possumus nihil. Nec verendum
quod dedignetur condescendere nobis, qui potius, si
vel exiguum quid absque ipso conamur, indignatur.
Non est enim ille vadens et non rediens, sed ducit
nos et reducit de claritate in claritatem, tanquam
Domini Spiritus, quandoque rapiens ad se in lumine
suo, quandoque [*alias additur, nobis*] contemperans,
et illuminans tenebras nostras, ut sive supra nos,
sive apud nos, semper in luce, semper ut filii lucis
ambulemus. Transivimus allegoriarum umbras; ven-
tum est ad indaganda moralia. *Ædificata est fides,*
instruatur vita; exercitatus est intellectus, dictetur
*actus [*alias, ditetur actus*]. Siquidem intellectus*
bonus omnibus facientibus eum (Psal. cx, 10), si
tamen et actus, et intelligentia dirigantur in laudem
et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui est super
omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XVIII.

*De duabus operationibus Spiritus sancti, quarum
una vocatur effusio, et alia infusio.*

1. *Oleum effusum nomen tuum (Cant. i, 2).*
Quid certum demonstrat Spiritus sanctus nobis in
nobis occasione hujus capituli? Profecto, quod inter-
rim occurrit, geminæ cujusdam suæ operationis
experimentum; unius quidem, qua nos primo intus
virtutibus solidat ad salutem; alterius vero, qua
foris quoque muneribus ornata ad lucrum. Illas nobis,
hæc nostris accipimus. Verbi gratia, fides, spes,
charitas nobis propter nos dantur; absque his quip-
pe salvi esse non possumus. Porro scientiæ seu sapient-
iæ sermo, gratia curationis, prophetia, simili-
que, quibus carere cum integritate etiam salutis
propriæ possumus, proximorum procul dubio in
salutem expendenda donantur. Et has Spiritus
sancti operationes, quas vel in nobis, vel in aliis
experimus, ut ex re nomina accipiant, infusionem,
si placet, atque effusionem nominemus. Cuiam ego
harum convenit: *Oleum effusum nomen tuum?* Non-
ne effusioni? Nam de infusione infusum potius, quam
effusum dixisset (172). Denique ob bonum odorem
uberum extrinsecus perfusorum, ait sponsa: *Oleum
effusum nomen tuum*; ascribens ipsum odorem no-
mini sponsi, tanquam oleo effuso super ubera. Et
quicumque munere gratiæ exterioris perfusum [*alias,*
perfundi] se sentit, quo et ipse aliis refundere pos-
sit, etiam huic dicere est: *Oleum effusum nomen
tuum.*

2. Sed sane cavendum in his, aut dare quod nobis
accepimus; aut quod erogandum accepimus, reti-
nere. Rem profecto proximi retines tibi, si, verbi
causa plenus virtutibus cum sis, forisque nihilominus
donis scientiæ et eloquentiæ adornatus, metu forte

(172) Apud Horstium et alio, hic inseritur periodus
sequens: *Denique de uberum foris spirante fragrantia
et non de internis Sponsæ virtutibus prolatum est,
Oleum effusum nomen tuum. Denique ob bonum*

A aut segnitie, aut minus discreta humilitate, vrebun
bonum, quod posset prodesse multis, inutuli, imo et
damnabili ligas silentio; certe maledictus, quod
frumenta abscondis in populis (*Prov. xi, 26*). Rursum
quod tuum est spargis et perdis, si priusquam in-
fundaris tu totus, semiplenus festines effundere,
contra legem arans in primogenito bovis, et ovis
primogenitum **1321** tondens (*Deut. xv, 19*). Nimi-
rum vita atque salute, quam alteri das, te raudas,
dum sana vacuus intentione, gloriæ inanis vento
inflaris, aut terrenæ cupiditatis veneno inficaris, et
lethali apostemate turgens interis.

3. Quamobrem, si sapis, concham te exhibebis, et
non canalem. Hic siquidem pene simul et recipit, et
refundit; illa vero donec impleatur, exspectat; et
B sic quod superabundat, sine suo damno communi-
cat, sciens maledictum qui partem suam facit dete-
riorem. Et ne meum consilium contemptibile ducas,
audi sapientiore me: *Stultus, ait Salomon, profert
totum spiritum suum simul, sapiens reservat in pste-
rum (Prov. xxix, 11).* Verum canales hodie in Ec-
clesia multos habemus, conchas vero perpauca.
Tantæ charitatis sunt per quos nobis fluente cœle-
stia manant, ut ante effundere quam infundi velint,
loqui quam audire paratiores, et prompti docere
quod non didicerunt, et alii præesse gestientes,
qui seipos regere nesciunt. Ego nullum ad salu-
tem pietatis gradum illi gradui anteponendum
existimo, quem Sapiens posuit, dicens: *Miserere
animæ tuæ placens Deo (Eccli. xxx, 24).* Quod si
C non habeo nisi parumper olei quo ungar, putas, tibi
debeo dare, et remanere inanis? Servo illud mihi, et
omnino nisi ad prophetæ jussionem non profero. Si
institerint rogantes aliqui ex his, qui forte existi-
mant de me supra id quod vident in me, aut au-
diunt aliquid ex me, respondebitur eis: *Ne forte non
sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes, et
emite vobis (Matth. xxv, 9).* Sed charitas, inquis,
non quærit quæ sua sunt (I Cor. xiii, 5). Et tu scis
quam ob rem? non quærit quæ sua sunt, profecto
quia non desunt. Quisnam quærat quod habet?
Charitas quæ sua sunt, id est propriæ saluti neces-
saria, nunquam non habet; nec modo habet, sed
etiam abundat. Vult abundare sibi, ut possit et om-
nibus; servat sibi quantum sufficiat, ut nulli deficiat.
D Alioquin si plena non est, perfecta non est.

4. Cæterum tu, frater, cui firma satis propria sa-
lus nondum est, cui charitas adhuc aut nulla est,
aut adeo tenera atque arundinea, quatenus omni
flatui cedat, omni credat spiritui, omni circumferat
vento doctrinæ; imo cui charitas tanta est, ut
ultra mandatum quidem diligas proximum tuum
plus quam teipsum: et rursus tantilla, ut contra
mandatum favore liquescat, pavore deficiat, pertur-
betur tristitia, avaritia contrahatur, protrahatur am-

odorem, etc., sed eam omittunt plerique manuscripti
et prima editio. Habet quidem codex Uticensis, sed
omissa sequente periodo, *Denique ob bonum, etc.* Et
vero superflua est alterutra.

bitione, suspicionibus inquietetur, conviciis exagitetur, curis evisceretur, honoribus tumeat, livore tabescat : tu, inquam, ita in propriis teipsum sentiens, quam dementia, quæso, aliena curare aut ambis, aut acquiescis? Sed enim audi quid consulat cauta vigilque charitas. *Non quod aliis, inquit, sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate (II Cor. VIII, 13).* *Noli nimium esse justus (Eccl. VII, 17).* Sufficit ut diligas proximum tuum tanquam teipsum; hoc quippe est ex æqualitate. Dicit David : *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, et labiis exsultationis laudabit os meum (Psal. LXII, 6)* : infundi nimirum prius volens et sic effundere; nec solum infundi prius, sed et impleri, quatenus de plenitudine eructaret, non oscitaret de inanitate. Cautè quidem : ne quod aliis remissio, sibi tribulatio esset; et nihilominus caste, imitans illum, de cuius plenitudine omnes accepimus. Disce et tu non nisi de pleno effundere, nec Deo largior esse velis. Concha imitetur fontem. Non manat ille in rivum, nec in lacum extenditur, donec suis satiatur aquis. Non pudeat concham non esse suo fonte profusiozem. Denique ipse fons vitæ plenus in seipso, et plenus seipso, nonne primum quidem ebulliens et saliens in proxima secreta cælorum, omnia implevit bonitate; et tunc deum impletis superioribus secretioribusque partibus erupit ad terras, ac de superfluo homines et jumenta salvavit, quemadmodum multiplicavit misericordiam suam. **P**rius interna replevit; et sic exundans in multis miserationibus suis visitavit terram, et inebriavit eam, multiplicavit locupletare eam. Ergo et tu fac similiter. Implere prius, et sic curato effundere. Benigna prudensque charitas affluere consuevit, non effluere. *Fili mi, ne perfluas, ait Salomon; et Apostolus : Propterea, inquit, debemus intendere his quæ dicuntur; ne forte perfluamus (Hebr. II, 4).* **Q**uid enim? tunc Paulo sanctior, sapientior Salomone? Alioquin nec mihi sedet ditari ex te exinanito. Si enim tu tibi nequam, cui bonus eris? De cumulo, si vales, adjuva me; sin autem, parcito tibi.

5. Sed jam adde, quæ et quanta salutis propriæ necessaria sint, quæ et quanta infundi oporteat, priusquam effundere præsumamus, quæ tamen impræsentiarum breviter colligere poterò. **H**ora siquidem jam multum ascendit, et sermonis urget ad finem. Accedit medicus ad vulneratum, spiritus ad animam. Quam enim non reperiat gladio diaboli vulneratam, etiam post sanatum vulnus antiqui delicti medicamento baptismatis? Ergo ad illam animam quæ dicit : *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ (Psal. XXXVII, 6)*; cum accedit spiritus, quid primo opus est? Ut tumor vel ulcus, quod forte supercrevit in vulnere, et potest impedire sanitatem, ante omnia amputetur. Abscindatur itaque ferro acutæ compunctionis ulcus inverteatæ consuetudinis. Sed est acerbis dolor; leniatur proinde unguento devotionis, quod non est aliud, nisi concepta de spe indulgentiæ exsultatio.

A Hanc continendi parit facultas, et victoria de peccato. Jam gratias agit, et dicit : *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis (Psal. CXV, 16, 17)*. Deinde apponitur medicamentum pœnitentiæ, malagma jejuniorum, vigiliarum, orationum, et si qua sunt alia pœnitentium exercitia. In labore cibandus est cibo boni operis, ne deliciat. Quod opus sit cibus, inde doceris : *Meus cibus est, inquit, ut faciam voluntatem Patris mei (Joan. IV, 34)*. Itaque comitentur pœnitentiæ labores pietatis opera quæ confortent. *Magnam, ait, fiduciam præstat apud Altissimum elemosyna (Tob. IV, 12)*. Cibus sitim excitat; potandus est. Accedat cibo boni operis orationis potus, componens in stomacho conscientie quod bene gestum est, et commendans Deo. Orando **B** bibitur vinum lactificans cor hominis, vinum spiritus, quod inebriat, et carnalium voluptatum infundit oblivionem. Humectat interiora ardentis conscientie, escas honorum actuum digerit, et deducit per quædam animæ membra, fidem roborans, spem confortans, vegetans ordinansque charitatem, et impinguans mores.

6. Sumpto cibo potuque, quid jam restat, nisi ut pauset ægrotus, et quieti contemplationis post sudores actionis incumbat? Dormiens in contemplatione Deum somniat; per speculum siquidem et in ænigmatè, non autem facie ad faciem interim intuetur. Tamen sic non tam spectati, quam conjectati, idque raptim et quasi sub quodam coruscamine scintillulæ transeuntis, tenuiter vix tacti inardescit amore, et ait : *Anima mea desideravit te in nocte, sed et spiritus meus in præcordiis meis (Isai. XXVI, 9)*. Talis amor zelat; hic decet amicum sponsi, hoc necesse est ardeat fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. Hic replet, hic fervet, hic ebullit, hic jam securus effundit, exundans et erumpens, ac dicens : *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? (II Cor. XI, 29)*. Prædicet, fructificet, innovet signa, et immutet mirabilia : non est quo se immisceat vanitas, ubi totum occupat charitas. Siquidem plenitudo legis et cordis est charitas (*Rom. XIII, 10*), si tamen plena. Deus denique charitas est (*I Joan. IV, 16*), et nihil est in rebus quod possit replere creaturam factam ad imaginem Dei, nisi charitas Deus, qui solus major est illa. Eam nondum adeptus periculosissime promovetur, quantislibet aliis videatur pollere virtutibus. Si habuerit omnem scientiam, si dederit omnem substantiam suam pauperibus, si tradiderit corpus suum ita ut ardeat; absque charitate vacuus est. En quanta prius **1323** infundenda sunt, ut effundere audeamus, de plenitudine, non de penuria largientes : primo quidem, compunctio; deinde, devotio; tertio, pœnitentiæ labor; quarto, pietatis opus; quinto, orationis studium; sexto, contemplationis otium; septimo, plenitudo dilectionis. Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus secundum operationem, quæ infusio appellatur; quatenus illa quæ effusio dicta est, pure,

et ob hoc tute jam administraretur ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XIX.

De natura, modo, ac proprietatibus amoris angelici erga Deum, juxta singulos angelorum ordines disserit.

1. Adhuc sponsa amatoria loquitur, adhuc pergit amplius prosequi laudes sponsi; et gratiam provocat, dum monstrat eam, quam jam acceperat, in se vacuam non fuisse. Audi etenim quid secuta adjungit: *Propterea, inquit, adolescentulæ dilexerunt te nimis (Cant. 1, 2).* Quasi dicat: Non frus ra nec inaniter nomen tuum exinanitum est, o sponse, atque effusum in ubera mea; propterea enim adolescentulæ dilexerunt te nimis. Propter quid? Propter nomen effusum, et propter ubera ex eo perfusa. Inde quippe excitatæ sunt in amorem sponsi, inde sumpserunt ut diligant. Sponsa infusum munus excipiente, illæ mox sensere fragrantiam, quæ longe a matre minime esse poterant; atque illa suavitate repletæ dicunt: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (Rom. v, 5).* Ergo ipsarum devotionem sponsa commendans: Hic, inquit, fructus, o sponse, effusi nominis tui, quod propterea adolescentulæ dilexerunt te. Effusum siquidem sentiunt, quod integrum capere non valebant; propterea dilexerunt te. Effusio quippe nomen facit capabile, captus [alias, captum] amabile, sed adolescentulis duntaxat. Qui capaciores sunt integro gaudent, effuso non indigent.

2. Angelica creatura irrepercuta mentis acie intuetur divinorum judiciorum abyssum multam, quorum summæ æquitatis ineffabili delectatione beata, gloriatur insuper effectui ea mancipari per suum ministerium, ac palam fieri; et propterea diligit merito Dominum Christum. *Nonne omnes, ait, administratorii spiritus sunt, missi in mysterium propter eos qui hæreditatem capiunt salutis? (Hebr. 1, 14.)* Porro archangelos (ut eis aliquid differentius ab his, qui simpliciter angeli sunt, tribuamus) mirabiliter, credo delectat, quod ipsis quoque æternæ Sapientiæ consilii familiaris admittuntur, eademque per ipsos locis quæque suis atque temporibus summo moderamine dispensantur. Et hæc causa quod diligunt Dominum Christum et ipsi. Illæ quoque beatitudines, quæ virtutes ex eo forsitan appellatæ sunt, quod virtutum ac prodigiorum occultas perpetuasque causas felici curiositate rimari ac mirari divinitus ordinatæ, signa, quæ et quando volunt, ex omnibus elementis terris potenter exhibeant: et ipsæ ergo exinde non immerito inardescunt diligere Dominum virtutum, et Dei virtutem Christum. Plenum quippe est suavitatis et gratiæ, incerta et occulta sapientiæ in ipsa sapientia intueri: plenum nihilominus honoris et gloriæ, causarum in Dei Verbo absconditarum mundo spectandas mi-

randasque in manu ipsorum dirigi efficientias.

3. Sed et illi spiritus, qui potestates nominantur, dum Crucifixi nostri divinam omnipotentiam ubique fortiter attingentem intueri ac magnificare delectantur, exturbare debellare et dæmonum hominumque contrarias potestates, pro his qui hæreditatem capiunt salutis, accipiunt potestatem. Et hi nonne justissimam habent causam, ut diligant Dominum Jesum? Sunt et super istos principatus, qui ipsum altius speculantes, et liquido pervidentes universitatis esse principium, et primogenitum **1324** omnis creatura, tanta proinde principatus dignitate donantur, ut ubique terrarum habeant potestatem, quasi de summo quodam rerum cardine, regna, et principatus, et quaslibet pro arbitrio mutare et ordinare dignitates; pro quorumque meritis facere primos novissimos, et novissimos primos; deponere potentes de sede, et exaltare humiles. Et hæc istis quoque ratio diligendi. Sed diligunt et dominationes. Cur? nescio quid subtilius subtiliusque indagare de Christi interminabili atque irrefragabili dominio, laudabili quadam præsumptione feruntur: quod scilicet ubique universitatis non solum potens, sed et præsens, supra infraque obsequi rectissimæ voluntati suæ cursus temporum, motus corporum, nutus mentium, ordine utique pulcherrimo cogat; idque cura tam vigili, ut ne puncto quidem aut iota, uni, ut dicitur, horum omnium debitum subtrahere famulatum ullatenus liceat; opera tamen tam facili, ut turbationem seu anxietatem ullam omnino gubernator non sentiat. Intuentes ergo Dominum sabaoth tanta cum tranquillitate omnia judicantem, intentissimæ suavissimæque contemplationis stupore nimio, sed sensato rapti in illud divinæ claritatis tam ingens pelagus, recipiunt sese in secretori quodam miræ tranquillitatis recessu, ubi tanta pace ac securitate fruuntur, ut quiescentibus ipsis, pro reverentia prærogativæ, tanquam vere dominationibus ministrare et militare videatur cætera multitudo.

4. In thronis sedet Deus. Et puto quod his spiritibus supra omnes qui memorati sunt, et justior causa, et copiosior sit materia diligendi. Etenim si intres hominis regis cujuscumque palatium, nonne cum plenum sic sellis, scamnis, cathedrisque, regia sedes in eminenti posita cernitur? Et non est necesse quærere ubi rex sedere solitus sit: nimirum mox occurrit manifesta sedes ejus, cæteris altior ornatiorque sedilibus. Sic quoque omni decoris ornatu cunctis aliis præeminere spiritibus istos intellige, in quibus speciali quodam stupendæ dignationis munere divina elegit residere majestas. Quod si sessio significat magisterium; puto illum, qui unus est nobis magister in cælo et in terra, Dei Sapientiam Christum, cum alias quidem ubique attingat propter munditiam suam, specialius tamen istos, atque principalius tanquam propriam sedem suam illustrare præsentia, et inde tanquam de solenni auditorio docere angelum, docere ho-

minem scientiam. Inde angelis divinorum notitia A
judiciorum, inde consiliorum archangelis; ibi virtutes audiunt, quando, et ubi, et qualia proferant signa. Ibi denique universi, sive sint potestates, sive principatus, sive dominationes, discunt profecto quid ex officio debeant, quid pro dignitate præsumant, et, quod præcipue cautum est omnibus, accepta potestate ad propriam voluntatem seu gloriam non abuti.

5. Illa tamen cæli agmina, quæ cherubin nuncupantur, si eis sui vocabuli servetur interpretatio, arbitror nihil habere quod ab ipsis, aut per ipsos accipiant: cum de ipso fonte ad plenum haurire liceat, ipso ea per se Domino Jesu dignanter introducente in omnem plenitudinem veritatis, thesauros sapientiæ scientiæque, qui in eo omnes absconditi sunt, [largissime revelante. Sed nec ea quæ appellata sunt seraphin, quippe quæ ipsa charitas Deus in se adeo traxit et absorbit, atque in eundem rapuit sanctæ affectionis ardorem, ut unus cum Deo esse spiritus videantur; instar profecto ignis, qui aerem, quem inflamat, dum suum ei totum calorem imprimit, induitque colorem, non ignitum, sed ignem fessicæ cernitur. Amant itaque præcipue contemplari in Deo illi quidem spiritus scientiam cujus non est numerus; hi vero charitatem, quæ nequaquam excidit. Unde et nomina ista sortiti sunt ex eo quique, in quo præminere videntur: nam cherubin quidem plenitudo scientiæ; seraphin vero incendentia vel incensa dicuntur.

1325 6. Diligitur ergo ab angelis Deus ob judiciorum suorum summam æquitatem; ab archangelis, ob consiliorum summam moderationem; porro a virtutibus, ob benignissimam exhibitionem miraculorum, per quæ incredulos dignantissime trahit ad fidem; a potestatibus vero, ob illam justissimæ potentæ vim, qua solet a piis malignantium propulsare et arcere crudelitatem; verum a principatibus, ob æternam et originalem illam virtutem, qua dat esse et essendi principium omni creaturæ superiori et inferiori, spirituali et corporali, attingens a fine usque ad finem fortiter; a dominationibus quoque, ob placidissimam voluntatem, qua licet ubique dominetur in fortitudine brachii sui, virtute tamen potentiori pro sua ingenita lenitate, D
imperturbabili tranquillitate disponit omnia suaviter. Diligitur et a thronis ob benevolentiam magistræ sapientiæ sine invidia sese communicantis, et unctionem, quæ gratis docet de omnibus. Cæterum a cherubin propterea diligitur, quia Deus scientiarum dominus est; et sciens quid cuique opus sit ad salutem, discrete provideque dona sua digne poscentibus, prout novit expedire, distribuit; a seraphin quoque, quia charitas est, et nihil oritur quæ fecit, et vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.

7. Hi ergo omnes, prout capiunt, diligunt. Sed enim adolescentulæ, quoniam minus sapiunt, minus

et capiunt, nec omnino sufficiunt ad tam sublimia: parvulæ quippe in Christo sunt, lacte et oleo nutriendæ. Ergo ex uberibus sponsæ opus sumere habent unde diligant. Habet oleum effusum sponsa, ad cujus illæ excitantur odorem, gustare et sentire quam suavis est Dominus. Cumque amore flagrantem persenserit, convertens se ad sponsum: *Oleum, ait, effusum nomen tuum, propterea adolescentulæ dilexerunt te nimis?* Quid est nimis? Valde, vehementer, ardentem. Vel certe magis ex obliquo vos, qui nuper venistis, tangit spiritualis sermo; vestram illam, quam et nos frequenter reprimere conati sumus, minus discretam vehementiam, imo intemperantiam prorsus nimium obstinatam redarguens. Non vultis esse communi contenti vita. Non sufficit vobis regu-

B
lare jejunium, non solennes vigiliæ, non imposita disciplina, non mensura, quam vobis partimur in vestimentis et alimentis; privata præfertis communibus. Qui vestri curam semel nobis credidistis, quid rursus de vobis vos intromittitis? Nam illam, qua toties Deum, conscientis vestris testibus, offendistis, propriam scilicet voluntatem vestram, ecce nunc iterum magistram habetis, non me. Illa vos naturæ docet non parcere, rationi non acquiescere, non obtemperare seniorum consilio vel exemplo, non obedire nobis. An ignoratis quia melior est obedientia quam victimæ? (*I Reg. xv, 22.*) Non legistis in Regula vestra, quod quidquid sine voluntate vel consensu patris spiritualis fit, vanæ gloriæ deputabitur, non mercedi? (*Regul. S. Benedicti, cap. 49.*)

C
Non legistis in Evangelio, quam formam obediendi puer Jesus pueris sanctis tradiderit? Nam, cum remansisset in Jerusalem, et dixisset in his quæ Patris sui erant oportere se esse, non acquiescentibus parentibus ejus, sequi illos in Nazareth non desepit, Magister discipulos, Deus homines, Verbum et Sapientia fabrum et feminam. Quid? Etiam addit sacra historia: *Et erat, inquit, subditus illis (Luc. ii, 43-51).* Quousque vos sapientes estis in oculis vestris? Deus se mortalibus credit et subdit; et vos in viis vestris adhuc ambulatis? Bonum receperatis spiritum; sed non bene utimini eo. Vereor ne alium pro isto recipiatis, qui sub specie boni supplantet vos et qui spiritu cœpistis, carne consummementi. An nescitis quia angelus Satanæ multoties transfiguratur se in angelum lucis? (*II Cor. xi, 14.*) Sapientia est Deus, et vult se amari non solum dulciter, sed et sapienter. Unde Apostolus: *Rationabile, inquit, obsequium vestrum (Rom. xii, 1).* Alioquin facillime zelo tuo spiritus illudet erroris, si scientiam negligas; nec habet callidus hostis machinamentum

1326 efficacius ad tollendam de corde dilectionem, quam si efficere possit, ut in ea incaute, et non cum ratione ambuletur. Quamobrem ego cogito modos quosdam tradere vobis, quos operæ pretium est Deum diligentibus observare. Sed quia hic sermo finem desiderat, cras eos, si Deus vitam mihi et otium, quod nunc habemus ad disserendum, servaverit, explicare conabor. Tunc enim recreatis no-

cturna quiete sensibus, et, quod est præcipuum; A oratione præmissa alacriores, ut justum est, ad sermonem de dilectione convenimus, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XX.

De triplici modo dilectionis, qua Deum diligimus.

1. Ut a Magistri verbis sermo exordiumumat: *Qui non amat Dominum Jesum, anathemata sit (I Cor. xvi, 22).* Valde omnino mihi amandus est, per quem sum, vivo et sapio. Si ingratus sum; et indignus. Dignus plane est morte, qui tibi, Domine Jesu, recusat vivere, et mortuus est; et qui tibi non sapit, desipit; et qui curat esse nisi propter te, pro nihilo est, et nihil est. Denique quid est homo, nisi quia tu innotuisti ei? (*Psal. cxliii, 3.*) Propter te metipsum, Deus, fecisti omnia; et qui esse vult sibi et non tibi, nihil esse incipit inter omnia: *Deum time, et mandata ejus observa; hoc est, inquit, omnis homo (Eccle. xii, 13).* Ergo si hoc est omnis homo, absque hoc nihil omnis homo. Inclina tibi, Deus, modicum id quod me dignatus est esse; atque de mea misera vita suscipe, obsecro, residuum annorum meorum; pro his vero, quos vivendo perdidisti, quia perditte vixi, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicias. Dies mei sicut umbra declinaverunt, et præterierunt sine fructu. Impossibile est ut revocem; placeat ut recogitem tibi eos in amaritudine animæ meæ. Jam de sapientia, ante te est omne desiderium meum, et propositum cordis mei; si qua esset in me, servarem ad te. Sed, Deus, tu scis insipientiam meam; nisi quod hoc ipsum fortasse sapere est, quod et ego agnosco eam, et quidem ex munere tuo. Auge illud mihi, minime quidem ingrato pro munusculo; sed sollicito pro eo quod deest. Pro his ergo ita sum amans te, quantum possum.

2. Sed est quod me plus movet, plus urget, plus accendit. Super omnia, inquam, reddit amabilem te mihi, Jesu bone, calix quem bibisti, opus nostræ redemptionis. Hoc omnino amorem nostrum facile vindicat totum sibi. Hoc, inquam, est quod nostram devotionem et blandius allicit, et justius exigit, et arctius stringit, et afficit vehementius. Multum quippe laboravit in eo Salvator, nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis auctor assumpsit. Illa denique dixit, et facta sunt; mandavit, et creata sunt (*Psal. xxxii, 9*). At vero hic et in dictis suis sustinuit contradictores, et in factis observatores, et in tormentis illusores, et in morte exprobratores. Ecce quomodo dilexit. Adde quod hanc ipsam dilectionem non reddidit, sed addidit. Nam quis prior dedit ei, et retribuetur ei? (*Rom. xi, 35.*) Sed ut sanctus Joannes evangelista ait: *Non quia nos dilexerimus Deum, sed quia ipse prior dilexit nos (I Joan. iv, 10).* Denique dilexit etiam non existentes; sed adjicit et resistentes diligere, juxta Pauli testimonium dicentis: *Quoniam cum adhuc inimici essemus, reconciliati sumus Deo per sanguinem Filii ejus (Rom.*

v, 10). Alioquin si non dilexisset inimicos, nondum possedisset amicos, sicut necdum quos sic diligeret essent, si non dilexisset qui nondum essent.

3. Dilixit autem dulciter, sapienter, fortiter. Dulce nempe dixerim, quod carnem induit; cautum, quod culpam cavet; forte, quod mortem sustinuit. Nam quos sane in carne visitavit, carnaliter tamen nequaquam amavit, sed in prudentia spiritus. Spiritus quippe ante faciem nostram Christus Dominus (*Thren. iv, 20*), æmulans nos Dei æmulatione, non hominis, et certe saniori, quam primus Adam Evam suam. Itaque quos in carne quæsit, dilexit in spiritu, redemit in **1327** virtute. Plenum prorsus omni suavitatis dulcedine, videre hominem hominis Conditorum. At dum naturam prudenter selegit a culpa, etiam potenter mortem propulit a natura. In carnis assumptione condescendit mihi, in culpæ vitiatione consulit sibi, in mortis susceptione satisfacit patri; amicus dulcis, consiliarius prudens, adjutor fortis. Huic securus me credo, qui salvare me velit, noverit, possit. Quem quæsit, hunc et vocavit per gratiam suam; nunquid venientem ejiciet foras? Sed nec vim, nec fraudem metuo profecto ullam, quod me videlicet de manu ejus possit eruere; qui et vincentem omnia vicit mortem, et seductorem universitatis serpentem, arte utique sanctiore delusit; isto prudentior, illa potentior. Carnis quidem assumit veritatem, sed peccati similitudinem; dulcem prorsus in illa exhibens consolationem infirmo, et in hac prudenter abscondens laqueum deceptionis diabolo. Porro ut Patri nos reconciliet, mortem fortiter subit et subigit, fundens pretium nostræ redemptionis sanguinem suum. Ergo nisi amasset dulciter, non me in carcere requisisset illa majestas; sed junxit affectioni sapientiam, qua tyrannum deciperet; junxit et patientiam, qua placaret offensum Deum Patrem. Hi sunt modi, quos vobis promiseram; sed præmisi eos in Christo, ut commendabiliores haberetis.

4. Disce, o Christiane, a Christo, quemadmodum diligas Christum. Disce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter. Dulciter, ne illecti; prudenter, ne decepti; fortiter, ne oppressi ab amore Domini avertamur. Ne mundi gloria seu carnis voluptatibus abducaris, dulcescat tibi præ his sapientia Christus; ne seducaris spiritu mendacii et erroris, luceat tibi veritas Christus; ne adversitatibus fatigeris, confortet te virtus Dei Christus. Zelum tuum inflammet charitas, informet scientia, firmet constantia. Sit fervidus, sit circumspectus, sit invictus. Nec teporem habeat, nec careat discretionem, nec timidus sit. Et vide ne forte tria tibi et in lege tradita fuerint, dicente Deo: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua (Deut. vi, 5).* Mihi videtur (si alius competentior sensus in hac trina distinctione non occurrit) amor quidem cordis ad zelum quemdam pertinere affectionis; animæ vero amor ad industriam seu judicium rationis; virtutis autem dilectio

ad animi posse referri constantiam vel vigorem. Dilige ergo Dominum Deum tuum toto et pleno cordis affectu; dilige tota rationis vigilantia et circumspectione; dilige et tota virtute, ut nec mori pro ejus amore pertimescas, sicut scriptum est in consequentibus: *Quoniam fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio* (Cant. viii, 6). Sit suavis et dulcis affectui tuo Dominus Jesus, contra male utique dulces vitæ carnalis illecebras; et vincat dulcedo dulcedinem, quemadmodum clavum clavus expellit. Sed sit nihilominus intellectui prævia lux et dux rationi, non solum ob cavendas hæreticæ fraudis decipulas, et fidei puritatem ab eorum versutiis custodiendam, verum et cautus quoque sis nimiam et indiscretam vehementiam in tua conversatione [*alias*, conversione] vitare. Sit etiam fortis et constans amor tuus, nec cedens terroribus, nec succumbens laboribus. Ergo amemus affectuose, circumspecte et valide, scientes amorem cordis, quem affectuosum dicimus, absque eo qui dicitur animæ, dulcem quidem, sed seducibilem; istum vero absque illo qui virtutis est, rationabilem esse, sed fragilem.

5. Et vide in manifestis exemplis hoc ita esse ut dicimus. Cum ægre ferrent discipuli quod de ascensuri Magistri discessu ab eodem ipso audierant, audierunt: *Si diligeritis me, gauderetis utique quia vado ad Patrem* (Joan. xiv, 28). Quid ergo? non diligebant de cuius discessione dolebant? Sed diligebant quodam modo, et non diligebant. Diligebant dulciter, sed minus prudenter; diligebant carnaliter, sed non rationabiliter; denique diligebant toto corde, non autem **1328** tota anima. Dilectio eorum contra salutem eorum; unde et aiebat: *Expedit vobis ut ego vadam* (Joan. xvi, 7), culpans consilium, non affectum. Loquenti item de morte sua futura, obviare sibi conantem Petrum, qui eum tenere diligebat, cum ita, ut meministis, increpando repressit, quid in eo aliud quam imprudentiam reprehendit? Postremo quid est: *Non sapis quæ Dei sunt* (Marc. viii, 32, 33), nisi: Non sapienter diligis, humanum sequens affectum, contra divinum consilium? Et vocavit Satanam, eo quod salutem, etsi nesciens, adversaretur, qui Salvatorem mori prohiberet. Unde et correctus, repentem postmodum triste verbum minime jam mori vetuit, sed se commoriturum esse promisit. Non autem implevit, quia necdum ad tertium pervenerat gradum, in quo virtute tota diligitur. Erat tota anima doctus diligere, sed adhuc infirmus; bene instructus, sed parum adjutus; non ignarus mysterii, sed martyrii pavidus. Non plane illa fortis ut mors dilectio tunc fuit, quæ morti succubuit; fuit autem postea, cum ex promissione Jesu Christi indutus virtute ex alto, tanta tandem cœpit virtute diligere, ut in concilio prohibitus prædicare nomen sanctum, constanter prohibentibus responderet: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (Act. v, 29). Tunc demum tota virtute dilexit, cum nec vitæ suæ pepercit pro dilectione. Majorem siquidem charitatem nemo habet, quam si animam

A suam ponat quis pro amicis suis (Joan. xv, 13): quam etsi minime tunc posuit, jam tamen exposuit. Ergo non abduci blanditiis, nec seduci fallaciis, nec injuriis frangi, toto corde, tota anima, tota virtute diligere est.

6. Et nota amorem cordis quodam modo esse carnalem, quod magis erga carnem Christi, et quæ in carne Christus gessit vel jussit, cor humanum afficiat. Hoc repletus amore, facile ad omnem de hujusmodi sermonem compungitur. Nihil audit libentius, nihil legit studiosius, nihil frequentius recolit, nihil suavius meditatur. Inde holocausta orationum, tanquam ex adipe vituli saginati impinguat. Astat oranti Homini Dei sacra imago, aut nascentis, aut lactentis, aut docentis, aut morientis, aut resurgentis, aut ascendentis; et quidquid tale occurrerit, vel stringat necesse est animum in amorem virtutum vel carnis exturbet vitia, fuget illecebras, desideria sedet. Ego hanc arbitror præcipuam invisibili Deo fuisse causam, quod voluit in carne videri, et cum hominibus homo conversari, ut carnalium videlicet, qui nisi carnaliter amari non poterant, cunctas primo ad suæ carnis salutarem amorem affectiones retraheret, atque ita gradatim ad amorem perduceret spiritualem. Nonne dentque in hoc gradu adhuc stabant qui aiebant: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te?* (Matth. xix, 27.) Solo profecto corporalis præsentis amore reliquerant omnia, adeo ut salutaris futuræ passionis et mortis ne audire quidem verbum æquanimiter sustinerent, sed nec gloriam ascendentis postmodum nisi cum gravi mœrore inspicere [*alias*, suscipere]. Hoc enim est quod eis dicebat: *Quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum* (Joan. xvi, 6). Itaque in sola interim gratia præsentis suæ carnis eos ab amore omnis carnis suspenderat.

7. Monstrabat autem postea eis altiore amoris gradum, cum diceret: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam* (Joan. vi, 64). Puto, hunc ascenderat jam qui dicebat: *Etsi cognovimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus* (II Cor. v, 16). Fortassis et nihilominus propheta in hoc ipso stabat, cum diceret: *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus*. Nam quod subjungit: *Sub umbra ejus vivemus inter gentes* (Thren. iv, 20), mihi videtur ex persona incipientium addidisse, ut quiescant saltem in umbra, qui solis ferre ardorem minus validos se sentiunt; et carnis dulcedine nutriantur, dum necdum valent ea percipere quæ sunt Spiritus Dei. Umbra siquidem Christi, carnem reor esse ipsius, de qua obumbratum est et Mariæ (Luc. i, 35), ut ejus objectu fervor splendorque Spiritus illi temperaretur. In carnis **1329** ergo devotione interim consoletur, qui vivificantem Spiritum necdum habet, eo duntaxat modo, quo habent illi qui aiunt: *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus*; et item: *Etsi cognovimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus*. Nam alias quidem nequaquam sine Spiritu sancto vel in

carne diligitur Christus, etsi non in illa plenitudine. Cujus tamen mensura devotionis hæc est, ut totum cor illa suavitas occupet, totum sibi ab amore universæ carnis ac carnalis illecebræ vindicet. Hoc quippe toto corde diligere est. Alioquin si carnis meæ quamlibet consanguinitatem vel voluptatem forte præfero carni Domini mei, per quod me videlicet minus ea implere contingat, quæ in carne manens verbo et exemplo me docuit; nonne liquido constat, quod toto nequaquam diligo corde, cum id divisum habens, partem impendere videar carni ejus, partem intorquere ad propriam? Denique ait: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus; et qui amat filium aut filiam plus quam me, non est me dignus* (Matth. x, 37). Ergo, ut breviter dicam, toto corde diligere, est omne quod blanditur de carne propria vel aliena, sacrosanctæ carnis ejus amori postponere. In quo et mundi æque gloriam comprehendendo, quia gloria mundi gloria est carnis, et qui ea delectantur, carnales esse non dubium est.

8. Licet vero donum, et magnum donum Spiritus sit istiusmodi erga carnem Christi devotio; carnalem tamen dixerim hunc amorem, illius utique amoris respectu, quo non tam Verbum caro jam sapit, quam Verbum sapientia, Verbum justitia, Verbum veritas, Verbum sanctitas, pietas, virtus; et si quid aliud quod sit, hujusmodi dici potest. Et hæc nempe omnia Christus, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio (I Cor. i, 30). An tibi æque et uno modo affecti videntur, is quidem qui Christo passo pie compatitur, compungitur, et movetur facile ad memoriam honorum quæ pertulit, atque istius devotionis suavitate pascitur, et confortatur ad quæque salubria, honesta, pia: itemque ille, qui justitiæ zelo semper est accensus, qui veritatem ubique zelat, qui sapientiæ fervet studiis; cui amica sanctitas vitæ, et morum disciplina; cujus mores erubescunt jactantiam, abhorrent detractionem, invidiam nesciunt, superbiam detestantur, omnem humanam gloriam non solum fugiunt, sed et fastidiunt et contemnunt; omnem in se carnis et cordis impuritatem vehementissime abominantur et persequuntur; omne denique tanquam naturaliter et malum respuunt, et quod bonum est amplectuntur? Nonne si compares utriusque affectiones, constat quodam modo illum superiorem, respectu quidem hujus, amare quasi carnaliter?

9. Bonus tamen amor iste carnalis, per quem vita carnalis excluditur, contemnitur et vincitur mundus. Proficitur autem in eo, cum fit et rationalis; perficitur, cum efficitur etiam spiritualis. Porro rationalis tunc est, cum in omnibus quæ oportet de Christo sentiri, fidei ratio ita firma tenetur, ut ab

(173) Sic veteres libri, sic primi editi; non, in odorem, ut in aliis vulgatis, quod jam notatum. Nempe currinus non in odorem, sed « spirantibus unguentis curremus, num. 4; « odore excitati, »

ecclesiastici sensus puritate nulla veri similitudinem, nulla hæretica seu diabolica circumventionem aliquatenus devietur. Itemque cum in propria conversatione illa cautela servatur, ut discretionis meta nulla superstitione vel levitate, vel spiritus quasi ferventioris vehementia excedatur. Et hoc esse tota anima Deum diligere jam supra diximus. Quod si etiam adjuvantis Spiritus vigor tantus accedat, ut nulla vi laborum vel tormentorum, sed nec mortis metu justitia unquam deseratur; in hoc etiam tota virtute diligitur, et est amor spiritualis. Quod nimirum nomen huic specialiter amori congruere puto, ob prærogativam utique plenitudinis spiritus, qua præcellit. Et hæc sufficiant pro eo quod sponsa dicit: *Propterea* **1330** *adolescentulæ dilexerunt te nimis* (Cantic. i, 2). In his quæ sequuntur, dignetur nobis aperire thesauros misericordiæ suæ ipse custos eorum Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXI.

Qualiter sponsa, id est Ecclesia, trahi se optat post sponsum, id est Christum.

1. *Trahe me post te, in odore* (173) *unguentorum tuorum curremus* (Cant. 3). Quid? sponsane ergo necesse habet trahi, et hoc post sponsum? Quasi vero invita eum, et non libens sequatur. Sed non omnis qui trahitur, invitatus trahitur. Nec enim infirmum aut debilem, eum videlicet qui per se ire non valet, trahi ad balneum, seu ad prandium piget, etsi reum pigeat trahi ad iudicium, vel ad poenam. Denique trahi vult quæ et hoc rogat: non autem rogaret, si sequi per se ipsam dilectum, prout vellet, valeret. Ut quid vero non valet? an infirmam fateamur et sponsam? Si una quævis ex adolescentulis infirmam se diceret, et peteret trahi, nequaquam miraremur. At vero de sponsa, quæ trahere et alios, utpote fortis et perfecta, posse sufficere videbatur: cui non durum sonet, quod et ipsa trahi, tanquam infirma vel debilis, necesse habeat? De quam anima jam confidimus quod valida sit et sana, si illam infirmam dici consenserimus, quæ pro sui singulari perfectione et excellentiori virtute sponsa Domini nominatur? An Ecclesia forte id dixerit, cum intueretur dilectum ascendentem, gestiens eum sequi, atque assumi cum ipso in gloria? Quanquam et quævis perfectionis anima, quamdiu quidem gemit sub corpore mortis hujus, et hujus sæculi nequam retinetur inclusa carcere, vincita necessitatibus, torta sceleribus, lentius segniusque assurgat necesse est ad contemplanda sublimia, nec omnino liberum habet sequi sponsum quocumque ierit. Hinc lacrymosa vox illa gementis: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (Rom. vii, 24.) Hinc supplex illa precatio: *Educ*

num. 9; curremus in odore unguentorum tuorum, non nostrorum fiducia meritorum; ad hæc, « tu curris in ipsa unctione, nos in illius odore curremus, tu in plenitudine, nos in odore, num. 11.

de carcere animam meam (Psal. cxxi, 8). Dicat A proinde, dicat cum gemitu etiam sponsa : *Trahe me post te* ; quia corpus quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem (Sap. ix, 15). An hoc dicat cupiens dissolvi et esse cum Christo, præsertim dum videat eas, propter quas manere ipsam in carne necessarium videbatur (Philipp. i, 23, 24), bene proficientes amare jam sponsum, et stare in tuto charitatis? Siquidem hoc præmiserat : *Propterea*, inquit, *adolescuntulæ dilexerunt te*. Nunc ergo quasi dicat, *Ecce adolescentulæ amant te*, et amando firmiter inbærent tibi, meque minime jam opus habent, nulla mihi causa in hac vita ulterius commorandi ; ideo ait, *Trahe me post te*.

2. Hoc sentirem, si dixisset, *Trahe me ad te*. B Nunc vero quia dicit, *post te*, magis illud mihi postulare videtur, ut conversationis ejus valeat vestigia sequi, ut possit æmulari virtutem, et normam tenere vitæ, et morum queat apprehendere disciplinam. In his quippe maxime opus est adjutorio, quo valeat abnegare semetipsam, et tollere crucem suam, et sic sequi Christum. Hic prorsus trahi necesse habet sponsa, nec sane trahi ab alio quam ab eo ipso qui ait : *Sine me nihil potestis facere* (Joan. xv, 5). Scio, inquit, ne nequaquam posse pervenire ad te, nisi gradiendo post te ; sed neque hoc quidem, nisi adjutam abs te : ideoque precor ut trahas me post te. *Beatus* siquidem *cujus est auxilium abs te ; ascensionem in corde suo disposuit in valle lacrymarum* (Psal. lxxxiii, 6), perventurus quandoque ad te in montibus gaudiorum. Quam pauci post te, o Domine Jesu, ire volunt! cum tamen ad te pervenire nemo sit qui nolit, hoc scientibus cunctis, quia *delectationes* **1331** *in dextera tua usque in finem* (Psal. xv, 41). Et propterea volunt omnes te frui, at non ita et imitari; conregnare cupiunt, sed non compati. Ex his erat ille qui dicebat : *Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia* (Num. xxiii, 40). Optabat sibi extrema justorum, sed non ita et principia. Mortem spiritualium optant sibi etiam carnales, quorum tamen vitam abhorrent, scientes pretiosam mortem esse sanctorum : quoniam *cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini* (Psal. cxxvi, 2, 3) ; et quia *beati mortui qui in Domino moriuntur* (Apoc. xiv, 13) : cum e contrario, juxta prophetæ sententiam, *Mors peccatorum pessima sit* (Psal. xxxiii, 22). Non curant quærere, quem tamen desiderant invenire ; cupientes consequi, sed non et sequi. Non sic illi quibus aiebat : *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis* (Luc. xxii, 28). Beati qui digni habiti sunt testimonio tuo, benigne Jesu ! Ipsi revera ibant post te, et pedibus et affectibus. Notaseis fecisti vias vitæ, vocans eos post te, quia via et vita es, et dicis, *Venite post me, faciam vos fieri pisces hominum* (Matth. iv, 19) ; item : *Qui mihi ministrat, me sequatur : et ubi sum ego,*

illic et minister meus erit (Joan. xii, 26). Dicebant ergo gloriantes : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te* (Matth. xix, 27).

3. Sic itaque et dilecta tua, relictis omnibus propter te, concupiscit semper ire post te, semper tuis inbærere vestigiis, ac sequi te quocunque ieris : sciens quoniam viæ tuæ viæ pulchræ, et omnes semitæ tuæ pacificæ ; et quia qui sequitur te, non ambulat in tenebris. Precatur autem se trahi, quoniam justitia tua sicut montes Dei, nec sufficit ad illam suis viribus. Precatur se trahi, ut assolet ; quia nemo venit ad te, nisi Pater tuus traxerit eum (Joan. vi, 44). Porro quos Pater trahit, trahis et tu. Opera quippe quæ Pater facit, hæc et Filius similiter facit. Sed familiarius a Filio postulat trahi, tanquam a sponso proprio (174), quem Pater misit obviam ei duce ac præceptorem, qui sibi præiret in via morum, et præpararet iter virtutum, et erudiret eam sicut semetipsum, et viam prudentiæ doceret, et traderet ei legem vitæ et disciplinæ ; et sic merito ipse concupisceret decorem ejus.

4. *Trahe me post te, in odore unguentorum tuorum curremus*. Propterea opus habeo trahi, quoniam refriguit paulisper in nobis ignis amoris tui ; nec valemus a facie frigoris hujus currere modo, sicut heri et nudiustertius. Curremus autem postea, cum reddideris lætitiæ salutaris tui, cum redierit melior temperies gratiæ, cum Sol justitiæ iterum incaluerit, et pertransierit tentationis nubes, quæ hunc operire ad horam cernitur, atque ad lenem flatum auræ blandioris solito ceperint unguenta liquescere, et aromata fluere, et dare odorem suum. Tunc curremus, in odore illo curremus. Spirantibus, inquam, unguentis curremus, quoniam abscedet torpor qui nunc est, et revertetur devotio, et jam non erit opus nobis ut trahamur, quippe odore excitatis, ut sponte curramus. Nunc vero interim *trahe me post te*. Videtne illum qui in spiritu ambulat, nequaquam permanere in uno statu, nec eadem semper facilitate proficere, et quod non sit in homine via ejus ; sed quemadmodum ei spiritus moderator, prout vult, dispensat, nunc segnius, nunc alacrius quæ retro sunt oblivisci, et ad anteriora sese extendere? Puto quod, hoc ipsum si attenditis, vestra vobis experientia intus respondet quod ego foris loquor.

5. Ergo cum te torpore, acedia, vel tædio afflicentis, noli propterea diffidere aut desistere a studio spirituali ; sed juvenatis require manu, trahi te obsecrans sponsæ exemplo, donec denuo suscitante gratia factus promptior alacriorque, curras, et dicas : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum* (Psal. cxviii, 32). Sic autem, quandiu adest gratia, delectare in ea, ut non te existimes donum Dei jure hæreditario possidere, ita videlicet securus de eo, quasi nunquam perdere possis : ne subito, cum forte retraxerit manum, et subtraxerit donum, tu animo concidas, et tristior

(174) *Addunt scripti quidam, qui concupivit decorem ejus.*

1332 quam oportet fias. Denique ne dixeris in abundantia tua, *Non movebor in æternum*; ne etiam illud quod sequitur, dicere cum gemitu quidem cogaris: *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus* (Psal. xxix, 7, 8). Curabis potius, si sapias, pro consilio Sapientis, in die malorum non immemor esse bonorum, atque in die bonorum non immemor esse malorum (Eccli. xi, 27).

6. Ergo in die virtutis tuæ noli esse securus, sed clama ad Deum cum Propheta, et dic: *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me* (Psal. lxx, 9). Porro in tempore tentationis consolare, et dic cum sponsa: *Trahe me post te, in odore unguentorum tuorum curremus*. Sic te non deseret spes in tempore malo, nec in bono providentia decrit, erisque inter adversa et prospera mutabilium temporum tenens quamdam æternitatis imaginem, utique hanc inviolabilem et inconcussam constantis animi æqualitatem, benedicens Dominum in omni tempore, proindeque vindicans tibi etiam in hujus rotundi sæculi dubiis eventibus, certisque defectibus, perennis quodammodo incommutabilitatis statum, dum te carperis renovare et reformare in insigne illud antiquum similitudinis æterni Dei, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio (Jac. i, 17). Quippe sicut ipse est, ita et tu eris in hoc mundo, nec in adversis timidus, nec in prosperis dissolutus. In hoc, inquam, nobilis creatura facta ad imaginem et similitudinem ejus qui se fecit, antiqui honoris dignitatem receptare, jam jamque et recuperare se indicat, cum sibi indignum ducit huic labenti sæculo conformari, reformari magis satagens, juxta Pauli doctrinam, in novitate sui sensus (Rom. xii, 2), in eam similitudinem in qua se conditam novit; ac per hoc etiam cogens, ut dignum est, sæculum istud, quod propter se factum fuit, versa vice mirum in modum conformari sibi, dum omnia ei cooperari in bonum incipiunt, tanquam in propria et naturali forma, abjecta degeneri specie recognoscenda Dominum suum, cui ad serviendum creata fuere.

7. Unde arbitror illum sermonem, quem dixit de se Unigenitus, videlicet si exaltaretur a terra, omnia traheret ad se ipsum; cunctis quoque ejus fratribus posse esse communem, his utique quos Pater præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. *Et ego igitur si exaltatus fuero a terra, audacter dico, omnia traham ad me ipsum* (Joan. xii, 32). Nec enim temerarie usurpo mihi, fratres mei, vocem, cujus me induo similitudinem. Quod si ita est, non putent divites hujus sæculi, fratres Christi sola possidere cælestia, quia audiunt dicentem: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum* (Matth. v, 3). Non eos, inquam, æstiment sola cælestia possidere, qui ea sola audiunt in promissione. Possident et terrena, et quidem tanquam nihil habentes, sed omnia possidentes: non mendicantes, ut miseri, sed ut domini possidentes, eo pro certo magis domini,

A quo minus cupidi. Denique fidei homini totus mundus divitiarum est. Totus plane: quia tam adversa, quam prospera ipsius, æque omnia servant ei, et cooperantur in bonum.

8. Ergo avarus terrena esurit ut mendicus, fideiis contemnit ut dominus. Ille possidendo mendicat, iste contemnendo servat. Quære a quovis eorum qui insatiabili corde lucris temporalibus inhiant, quidnam de his sentiat, qui sua vendentes et dantes pauperibus, regna cælorum pro terrena mercantur substantia, sapienter agant necne? Procul dubio respondebit: Sapienter. Quære item cur quod approbat, ipse non facit? Non possum, inquit. Quare? Profecto quia domina avaritia non permittit; quia liber non est; quia non sunt sua quæ possidere videtur; sed nec ipse sui juris. Si vere tua sunt, expende ad lucra, et pro terrenis cælestia commutato. Si non vales, fatere te pecuniæ tuæ non dominum esse, sed servum; custodem, non possessorem. Denique et conformaris crumenæ tuæ, tanquam servus domine suæ, dum, quomodo **1333** ille ille necessario et congaudet gaudenti, et dolenti condoleat, tu quoque cum crescente tuo marsupio crescis pariter animo, et cum decrescente decrescis. Nam et contraheris tristitia, cum illud exinanitur; et lætitia solveris, aut certe inflaris superbia, cum impletur. Hæc ille. Nos vero sponsæ curemus æmulari libertatem atque constantiam, quæ sicut bene instructa in omnibus, et erudita corde in sapientia, scit et abundare, scit et penuriam pati. Cum se rogat trahi, ostendit quid desit sibi, non pecuniæ, sed virtutis. Rursus cum se nihilominus de spe redituræ gratiæ consolatur; etsi desicere, non tamen diffidere se probat.

9. Dicit ergo: *Trahe me post te, in odore unguentorum tuorum curremus*. Et quid mirum si indiget trahi, quæ post gigantem currit, quæ comprehendere nititur eum qui saltit in montibus, transilit colles? *Velociter, ait, currit sermo ejus* (Psal. cxlvii, 15). Non valet ex æquo currere, non potest pari cum illo celeritate contendere, qui exultat ut gigas ad currendam viam (Psal. xviii, 6); non potest suis viribus et propterea rogat se trahi. Fessa sum, inquit, deficio, noli me deserere, sed *trahe me post te, ne incipiam vagari post amatores alios, ne curram quasi in incertum. Trahe me post te*; quia satius mihi est ut me trahas, ut scilicet vim qualemcunque mihi, aut terrendo minis, aut exercendo flagellis inferas, quam parcens in meo me torpore male securam derelinquas. Trahe quodam modo invitam, ut facias voluntariam; trahe torpentem, ut reddas currentem. Erit quando non indigebo tractore, quoniam voluntarie et cum omni alacritate curremus. Non curram ego sola, etsi solam me trahi petierim: current et adolescentulæ mecum. Curremus pariter, curremus simul; ego odore unguentorum tuorum, illæ meo excitatæ exemplo atque hortatu: ac per hoc omnes in odore unguentorum tuorum curremus. Habet sponsa imitatores sui, sicut et ipsa est Christi. Et ideo non ait singulariter, Curram; sed *curremus*.

10. Sed oritur quæstio, cur similiter, cum se petiit trahi, etiam adolescentulas non adjunxit, ut non, *Trahe me*; sed: *Trahe nos* diceret. Quid enim? fortene sponsa indiget trahi, et adolescentulæ non indigent? O pulchra, o felix, o beata! edisserere nobis hujus distinctionis rationem. *Trahe me*, ais. Quare, *me*; et non, *Nos*? An hoc bonum invides nobis? Absit! Neque enim protinus dixisses adolescentulas tecum esse cursuras, si sola post sponsum ire voluisses. Cur ergo pluraliter mox subjunctura *curremus*, trahi te singulariter postulasti? Charitas, inquit, ita postulabat. Disce per hoc verbum a me in spirituali exercitio duplex auxilium desuper sperare: correptionem, et consolationem. Altera foris exercet, altera visitat intus. Illa reprimat insolentiam, ista in fiduciam erigit; illa operatur humilitatem, ista pusillanimitatem consolatur; illa cautos, ista devotos facit. Timorem Domini docet illa; ista ipsum timorem infuso temperat gaudio salutari, sicut scriptum est: *Lætetur cor meum ut timeat nomen tuum* (Psal. lxxxv, 11); item: *Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore* (Psal. ii, 11).

11. Trahimur, cum tentationibus et tribulationibus exercemur; currimus, cum, internis consolationibus et inspirationibus visitati, tanquam in suaveolentibus unguentis respiramus. Ergo quod austerum et durum videtur, retineo mihi, tanquam forti, tanquam sanæ, tanquam perfectæ, et dico singulariter, *Trahe me*. Quod suave et dulce, tibi tanquam infirmo communico, et dico, *Curremus*. Novi ego adolescentulas delicatas et teneras esse, et minus idoneas sufferre tentationes: et propterea mecum volo ut currant, sed non ut mecum trahantur; volo habere socias consolationis, non autem et laboris. Quare? *Quoniam infirmæ sunt, et vereor ne deficiant, ne succumbant*. *Me*, inquit, o sponse, corripue, me exerce, me tenta, me trahe post te; quoniam ego in flagella parata sum, et potens ad sustinendum. Cæterum simul curremus: sola trahar, sed simul curremus. **1334** Curremus, curremus, sed in odore unguentorum tuorum non nostrorum fiducia meritorum: nec in magnitudine virium nostrarum currere nos confidimus, sed in multitudine miserationum tuarum. Nam et si quando cucurrimus ac voluntariæ fuimus, non sicut volentis, neque currentis, sed miserentis Dei (Rom. ix, 16). Revertatur misratio, et curremus. Tu quidem in virtute tua, tanquam gigas et potens, curris: nos, nisi unguenta tua spiraverint, non curremus. Tu, quem Pater unxit oleo lætitiæ præ consortibus tuis (Psal. xlv, 8), curris in ipsa unctione; nos in illius odore curremus: tu in plenitudine, nos in odore. Tempus esset ut persolverem quod de unguentis sponsi longe supra promisisse me memini, si non hujus sermonis longitudo vetaret. Differo ergo: nam et materiæ dignitas arctari molesta brevitate non patitur. Rogate Dominum unctionis, ut voluntaria oris mei beneplacita facere dignetur ad insinuandam vestris desiderii memoriam abundantæ suavitätis suæ,

A quæ est in sponso Ecclesiæ Jesu Christo Domino nostro. Amen.

SERMO XXII.

De quatuor unguentis sponsi; et totidem virtutibus cardinalibus.

1. Si ita pretiosa, ita magnifica sponsæ unguenta inventa sunt, quemadmodum cum tractarentur audistis; sponsi qualia sunt? Et si digne ea nos, prout sunt, non sufficimus explicare; haud dubium tamen quin excellentior horum virtus et gratia efficacior sit, quorum solus non solum adolescentulas, sed ipsam quoque sponsam odor excitat ad currentum. Si enim advertis, nil tale de propriis unguentis ausa est polliceri. Et quidem illa optima esse gloriatur; sed non dicit tamen, quia in eis cucurrisset, aut curreret; quod in istorum solo odore promittit. Quid, si ipsam unctionem in se effusam sentiret, cujus ita tenui exhilarata fragrantia permovetur ut currat? Mirum si non et volaret. Sed dicit aliquis: Desine jam commendare; satis, cum ea ceperis assignare, apparebit quid sint. Non. Minime ego istud polliceor. Sane an vel ipsa sint quæ animo suggeruntur dicenda, crede mihi, adhuc nescire me fateor. Existimo enim sponsum varias aromatum atque unguentorum habere species, et non paucas: et alias quidem esse in quibus singulariter oblectatur sponsa, tanquam propinquior ac familiarior; alias vero quæ usque ad adolescentulas perveniunt; alias quæ pertinent etiam ad longe positos et extraneos, ut non sit qui se abscondat a calore ejus. Sed licet suavis Dominus universis, maxime tamen domesticis; et quanto quis ei familiarius pro vitæ meritis ac mentis puritate appropriat, tanto eum arbitror recentiorum aromatum et unctionis suavioris sentire fragrantiam. ¶ 2. Porro in hujusmodi non capit intelligentia, nisi quantum experientia attingit. Ego vero haud temere mihi arrogarim sponsæ prærogativam. Novit sponsus quibus deliciis spiritus foveat dilectam, quibus singulariter refocillet sensus ejus inspirationibus, et mulceat oderamentis. Sit tibi fons proprius, in quo ei non communiect alienus, nec indignus bibat ex eo; est quippe *hortus conclusus, fons signatus* (Cant. iv, 12). Cæterum derivantur aquæ inde in plateas. Eas me habere ad manum fateor, dum tamen nemo mihi molestus sit aut ingratus, si de publico haurio et propino. Nam ut paulisper ministerium meum in hac parte commendem, nonnullius profecto fatigationis est atque laboris, quotidie scilicet exire, et haurire etiam de manifestis rivulis Scripturarum, et ex eis singulorum necessitatibus inservire, ut absque suo labore quisque vestrum præsto habeat aquas spirituales ad omne opus; verbi gratia, ad lavandum, ad potandum, ad cibos coquendos. Est nimirum aqua sapientiæ salutaris sermo divinus, non modo potans, sed et lavans, dicente Domino: *Et vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis* (Joan. xv, 3). Sed et crudos carnis cogitatus igne **1335** Spiritus sancti accendente coquit divinum eloquium, ac vertit in sensus spirituales et

cibos mentis, ita ut dicas : *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis* (*Psal. xxxviii, 4*).

3. Qui mente sane puriori per se ipsos apprehendere sublimiora sufficiunt, quam per nos proferantur, non solum non prohibeo, sed et multum congratulor, dum et ipsi nos patiantur simpliciora simplicioribus ministrare. Quis dabit mihi ut omnes prophetent? Utinam mihi necesse non esset in his occupari! Utinam aut alteri cura incumberet ista, aut certe, quod mallet, nemo in vobis esset qui ea indigeret, essentque omnes docibiles Dei, et ego possem vacare et videre quoniam sponsus est Deus! Nunc vero quem minime interim, non dico intueri, sed ne inquirere quidem licet (quod sine lacrymis non loquor), regem in decore suo sedentem super cherubin, sedentem super solium excelsum et elevatum, in ea forma, qua æqualis Patri in splendoribus sanctorum ante luciferum genitus est, in qua et semper desiderant angeli eum prospicere, Deum apud Deum : ipsum saltem hominem homo hominibus loquor secundum eam formam, in qua, ut se manifestum nimia sua dignatione et dilectione præberet, minoratus ab angelis in sole posuit tabernaculum suum et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo (*Psal. xviii, 6*). Suavem magis quam sublimem, et unctum, non altum loquor, qualem denique Spiritus Domini unxit, et misit evangelizare pauperibus, mederi contritis corde, prædicare captivis indulgentiam, et clausis apertionem, prædicare annum placabilem Domino (*Psal. lxi, 1, 2*).

4. Salvo igitur cuique, quod forte sublimius subtiliusque de Sponsi unguentis speciali munere sentire sibi et experiri donatum est, ego quod de communi accepi, profero in commune. Ipse siquidem fons vitæ, ipse fons signatus, de intra hortum conclusum erumpens, per os Pauli listulam suam, tanquam vere illa sapientia, quæ juxta beati Job sententiam *trahitur de oculis* (*Job xxxviii, 18*), in quatuor sese rivis diffudit, et derivavit in plateas, ubi videlicet et assignat nobis eum factum a Deo sapientiam, et justitiam, et sanctificationem, et redemptionem (*I Cor. i, 30*). Ex his utique quatuor rivis, tanquam pretiosissimis unguentis : nil enim obstat utrumque intelligi, et aquam, et unctionem ;

5. Sane et Ecclesia non ante currere valuit in odore sui Salomonis, quousque is qui ab æterno ex Patre sapientia erat, factus est ei in tempore a Patre sapientia, quo ipsius odorem percipere posset.

A Sic justitia, sic sanctificatio, sic et redemptio nihilominus ei factus est, ut horum quoque in odore currere posset, cum hæc æque omnia in se ante omnia esset. Nam et in principio quidem erat Verbum (*Joan. i, 1*) ; sed tunc demum ad videndum ipsum pastores venerunt festinantes, cum nuntiatum est factum. Venique et loquuntur ad invicem : *Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus, et ostendit nobis*. Et sequitur, quia *venerunt festinantes* (*Luc. ii, 15, 16*). Prius non se movebant, dum Verbum erat tantum apud Deum. At ubi Verbum, quod erat, factum est, ubi hoc Dominus fecit et ostendit ; tunc venerunt festinantes, tunc cucurrerunt. Quomodo ergo in principio erat Verbum, sed Verbum erat apud Deum, factum est autem quatenus esse inciperet et apud homines : sic nihilominus in principio sapientia erat, erat justitia, erat sanctificatio et redemptio, sed angelis ; ut esset et hominibus, fecit eum hæc omnia Pater, et fecit quod Pater. Denique *qui factus est, inquit, nobis sapientia* **1336** *a Deo* (*I Cor. i, 30*). Non ait simpliciter, *qui factus est sapientia* ; sed, *qui factus est nobis sapientia* : quoniam quod erat angelis, factus est et nobis.

6. At angelis, inquis, quomodo redemptio fuerit, non video. Nec enim auctoritas Scripturarum usquam assentire videtur, eos aliquando aut peccato exstitisse captivos, aut morti obnoxios, ut necessarium haberent redemptionem, exceptis duntaxat illis qui, superbix lapsu irremediabili corruentes, redimi deinceps non merentur. Si itaque angeli nunquam redempti sunt, alii utique non egentes, alii non promerentes ; alii quidem, quia nec lapsi sunt ; hi autem, quia irrevocabiles sunt, quo pacto tu dicis Dominum Jesum Christum eis fuisse redemptionem ? Audi breviter. Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti [*alias statum*] angelo ne laberetur, sic illum de captivitate eruens, sicut hunc a captivitate defendens. Et hac ratione fuit æque utrique redemptio, solvens illum, et servans istum. Liquet ergo sanctis angelis Dominum Christum fuisse redemptionem, sicut justitiam, sicut sapientiam, sicut sanctificationem : et nihilominus tamen hæc ipsa quatuor esse factum propter homines, qui invisibilia Dei non nisi per ea quæ facta sunt, intellecta conspicerere possunt (*Rom. i, 20*). Sic ergo omne quod erat angelis, factus est nobis. Quid? Sapientia, justitia, sanctificatio, redemptio. Sapientia in prædicatione, justitia in absolute peccatorum, sanctificatio in conversatione, quam habuit cum peccatoribus ; redemptio in passione, quam sustinuit pro peccatoribus. Ubi ergo hæc a Deo factus est ; tunc Ecclesia odorem sensit, tunc cucurrit.

7. Vide jam quadrifariam unctionem, vide amantissimam atque inestimabilem suavitatem ejus, quem unxit Pater oleo lætitiæ præ consortibus suis. Sedebas, o homo, in tenebris *alias tenebris* et umbra mortis per ignorantiam veritatis ; sedebas

vinctus catenis delictorum. Descendit ad te in carcerem, non ut torqueret, sed ut crueret de potestate tenebrarum. Et primo quidem veritatis doctor depulit umbram ignorantiae tuae luce sapientiae suae. Per justitiam deinde, quae ex fide est, solvit funes peccatorum, gratis justificans peccatorem. Quo gemino beneficio implevit sermonem illum sancti David: *Dominus solvit compeditos, Dominus illuminat caecos* (*Psal. c. xlv, 7, 8*). Addidit quoque sancte inter peccatores vivere, et sic tradere formam vitae, tantquam viae, qua redires ad patriam. Ad cumulum postremo pietatis tradidit in mortem animam suam, et de proprio latere protulit pretium satisfactionis, quo placaret Patrem; per quod illum plane ad se versiculum traxit: *Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio* (*Psal. c. xlix, 7*). Prorsus copiosa; quia non gutta, sed unda sanguinis largiter per quinque partes corporis emanavit.

8. Quid tibi debuit facere, et non fecit? Illuminavit caecum, solvit vinctum, reduxit erroneum, reconciliavit reum. Quis non post illum libenter atque alacriter currat, qui et ab errore liberat, et errata dissimulat; qui deinde merita vivendo tradit, premia moriendo conquirat? Quam excusationem habet qui in odore horum unguentorum non currit, nisi ad quem forte odor minime pervenit? Sed enim in omnem terram exivit odor vitae; quoniam misericordia Domini plena est terra, et miserationes ejus super omnia opera ejus. Ergo qui vitalem hanc sparsam ubique fragrantiam non sentit, et ob hoc non currit, aut mortuus est, aut putidus [*alias*, putridus. Fragrantia fama est. Pervenit [*alias*, praevinit] opinionis odor, excitat ad currendum, perducit ad unctionis experimentum, ad bravium visionis. Vox una laetantium, omnium pervenientium: *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum* (*Psal. xlvi, 9*). Omnino propter mansuetudinem, quae in te praedicatur, currimus post te, Domine Jesu, audientes quod non spernas pauperem, peccatorem non horreas. Non horruisti confidentem latronem, non lacrymantem peccatricem, non Chanaanam supplicantem, non deprehensam in adulterio, non sedentem **1337** in telonio, non supplicantem publicanum, non negantem discipulum, non persecutorem discipulorum, non ipsos crucifixores tuos. In odore horum currimus. Porro sapientiae tuae odorem ex eo percipimus quod audivimus quia si quis indiget sapientia, postulet eam a te, et dabis ei. Aiunt siquidem quod des omnibus affluenter, et non impropere (*Jac. i, v*). [At vero justitiae tuae tanta ubique fragrantia spargitur, ut non solum justus, sed etiam ipsa dicaris justitia, et justitia justificans. Tam validus denique es ad justificandum, quam multus ad ignoscendum. Quamobrem quisquis pro peccatis compunctus esurit et sitit justitiam, credat in te qui justificas impium, et solam justificatus per fidem, pacem habebit ad Deum. Sanctitatem quoque suavissime et copiosissime tua redolet non solum conversatio, sed et conceptio. Peccatam siquidem

A non commisisti, nec contraxisti. Qui ergo justificat a peccatis sectari desiderant deliberantque sanctioniam, sine qua nemo videbit Deum; audiant te clamantem: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum* (*Levit. xix, 2*). Considerent vias tuas, et discant a te quia justus sis in omnibus viis tuis, et sanctus in omnibus operibus tuis (*Psal. cxlv, 17*). Jam redemptionis odor quantos currere facit? Cum exaltaris a terra, tunc prorsus omnia trahis ad te ipsum. Passio tua ultimum refugium, singulare remedium. Deficiente sapientia, justitia non sufficiente, sanctitatis succumbentibus meritis, illa succurrit. Quis enim de sua vel sapientia, vel justitia, vel sanctitate praesumat sufficientiam sibi ad salutem? *Non quod sufficientes*, inquit, *simus cogitare aliquid a nobis tanquam ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (*II Cor. iii, 5*). Itaque cum defecerit virtus mea, non conturbor, non diffido. Scio quid faciam: calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo (*Psal. cxv, 13*). Illumina oculos meos, Domine, ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore (*Sap. ix, 10*), et sapiens sum. Delicta juventutis meae, et ignorantias meas ne memineris (*Psal. xviv, 7*), et justus sum. Deduc me, Domine, in via tua (*Psal. lxxxv, 11*), et sanctus sum. Verumtamen nisi interpellat sanguis tuus pro me, salvus non sum. Pro his omnibus currimus post te: dimitte nos, quia clamamus post te.

9. Nec currimus aequaliter omnes in odore omnium unguentorum: sed videas alios vehementius studiis flagrare sapientiae, alios magis ad poenitentiam spe indulgentiae animari, alios amplius ad virtutum exercitium vitae et conversationis ejus provocari exemplo, alios ad pietatem passionis memoria plus accendi. Putamus nos de singulis posse reperire exempla? Currebant in odore sapientiae, qui missi fuerant a Pharisaeis, cum reversi dicerent: *Nunquam homo locutus est* (*Joan. vi, 46*); utique admirantes doctrinam, et contentes sapientiam. Currebat in hoc ipso odore sanctus Nicodemus, qui venit ad Jesum nocte (*Joan. iii, 2*), in splendore multo sapientiae: de multis quippe instructus edoctusque recessit. Verum in odore justitiae cucurrit Maria Magdalena, cui *dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multum* (*Luc. vii, 47*). Justa profecto et sancta, et non jam peccatrix, quemadmodum Pharisaeus exprobrabat, nesciens justitiam seu sanctitatem Dei esse munus, non opus hominis; et quia non modo justus, sed et beatus, cui non imputabit Dominus peccatum. An oblitus erat quomodo vel suam ipsius, vel alterius corporalem tangendo lepram fugarat, non contraxerat? Sic tactus a peccatrice justus justitiam impertit, non perdit; nec sorde peccati, qua illam mundat, sed inquinat. Cucurrit et Publicanus, qui cum propitiationem peccatis suis humiliter imploraret, *descendit justificatus*, teste ipsa Justitia (*Luc. xviii, 14*). Cucurrit Petrus, qui lapsus *flevit amare* (*Luc. xxii, 62*), quatenus culpam dilueret, recuperaret justitiam. Cucurrit David, qui reatum agno-

scens et constans, audire meruit : *Et Dominus A transtulit a te peccatum tuum (II Reg. xii, 13)*. Porro in sanctificationis odore Paulus currere se testatur, cum Christi se imitatore esse gloriatur, dicens ad discipulos : *Estote imitatores mei, sicut et ego Christi (I Cor. xi, 1)*. Cucurrerunt et omnes qui aiebant : *Ecce nos reliquimus 1338 omnia, et secuti sumus te (Matth. xix, 27)*. Desiderio quippe sequendi Christum reliquerant omnia. Hortatur generaliter universos ad eundem odorem ista sententia : *Qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, et ipse ambulare (I Joan. ii, 6)*. Jam qui in odore cucurrerint passionis, si audire vis, universos martyres accipe. En quatuor unguenta assignata habetis ; primum, sapientiæ ; secundum, justitiæ ; tertium, sanctificationis ; quartum, redemptio- B nis. Tenete nomina, percipite fructum ; et compositionis modum, vel numerum specierum, quibus confecta sunt, nolite requirere. Non enim facile in sponsi unguentis hæc præsto esse possunt nobis, quemadmodum in superioribus illis sponsæ fuerunt. In Christo nempe rerum plenitudo est sine numero, et sine modo. Nam et sapientiæ ejus non est numerus (*Psal. cxlvi, 5*) ; et justitiæ ipsius sicut montes Dei (*Psal. xxxv, 7*), sicut montes æterni ; et sanctitas singularis, et redemptio inexplicabilis.

10. Dicendum et hoc, quia frustra hujus sæculi sapientes de quatuor virtutibus tam multa disputaverunt, quas tamen apprehendere omnino nequiverunt, cum illum nescierint, qui factus est nobis a Deo sapientia docens prudentiam ; et justitiæ delicta donans ; et sanctificatio, in exemplum temperantiæ continenter vivens ; et redemptio, in exemplum patientiæ fortiter moriens. Forsitan dicit aliquis : Cætera bene conveniunt, sed sanctificatio ad temperantiam minus proprie referri videtur. Ad quod respondetur primum, id esse continentiam, quod temperantiam. Deinde usitatum in Scripturis, sanctificationem pro continentia seu munditia poni. Denique quid illæ apud Moysen tam crebræ sanctificationes aliud erant, quam quædam purificationes hominum temperantium se a cibo, a potu, concubitu, hisque similibus ? Sed audi ipsum præcipue Apostolum, quam familiare habeat vel uti, vel usurpare sanctificationem in hoc sensu. *Hæc est, inquit, D voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut sciat unusquisque vestrum suum vas possidere in sanctificatione, et non in passione desiderii ; item : Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem (I Thess. iv, 3-7)*. Liqueat quod sanctificationem pro temperantia ponit

11. Educto itaque in lucem quod subobscurum videbatur, redeo ad id unde digressus eram. Quid vobis cum virtutibus, qui Dei virtutem Christum ignoratis ? Ubinam, quæso, vera prudentia, nisi in Christi doctrina ? Unde vera justitia, nisi de Christi misericordia ? Ubi vera temperantia, nisi in Christi vita ? Ubi vera fortitudo, nisi in Christi passione ? Soli ergo qui ejus doctrina imbuti sunt, prudentes

dicendi sunt ; soli justi, qui de ejus misericordia veniam peccatorum consecuti sunt ; soli temperantes, qui ejus vitam imitari student ; soli fortes, qui ejus patientiæ documenta fortiter in adversis tenent. Incassum proinde quis laborat in acquisitione virtutum, si aliunde eas sperandas putat, quam a Domino virtutum : cujus doctrina, seminarium prudentiæ ; cujus misericordia, opus justitiæ ; cujus vita, speculum temperantiæ ; cujus mors, insigne est fortitudinis. Ipsi honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXIII.

De tribus modis contemplationis circa Deum, sub figura trium cellarum.

1. *Introduxit me rex in cellaria sua. Ecce undè odor, ecce quo curritur. Dixerat quia currendum, et in quo currendum ; sed quo currendum esset, non dixerat. Ergo ad cellaria curritur, et curritur in odore qui ex ipsis procedit, sponsa illum solita sua sagacitate præsentiente, et cupiente in ipsius plenitudinem introduci. Verum de cellariis his quid sentiendum putamus ? Cogitemus ea interim loca quædam redolentia penes sponsum, plena odorem, referta deliciis. In istiusmodi nempe officina 1339 potiora quæque ex horto, sive ex agro servanda reponuntur. Illuc ergo pariter currunt. Qui ? Spiritu ferventes animæ. Currit sponsa, currunt adolescentulæ ; sed quæ amat ardentius, currit velocius, et citius pervenit. Perveniens, non dico repulsionem, sed nec cunctationem patitur. Sine mora aperitur ei, tanquam domesticæ, tanquam charissimæ, tanquam specialiter dilectæ, et singulariter gratæ. Adolescentulæ autem quid ? Sequuntur a longe ; neque enim, cum adhuc infirmæ sint, pari possunt devotione cum sponsa currere, nec ipsius omnino imitari desiderium et fervorem ; ideoque tardius pervenientes, foris remanent. At charitas sponsæ non quiescit, neque insolescit, ut assolet, successibus suis, ut eas obliviscatur, consolans magis et hortans ad patientiam, quatenus æquanimitè et sui ferant repulsam, et illius absentiam. Denique et nuntiat eis gaudium quod percepit, non ob aliud sane, nisi ut sibi congaudeant, dum confidunt minime alienum fore a se, quidquid gratiæ matri accesserit. Nam nec illa ita proficere curat, quo ipsarum negligat curam ; nec juvenos suos profectus putat illarum damno. Quocunque proinde meritorum prærogativa tollatur ab illis, charitate absque dubio et pia sollicitudine necesse est eam semper esse cum illis. Oportet denique eam sponsum suum imitari, et petentem nimirum cælos, et nihilominus in terris cum suis se fore usque ad summationem sæculi pollicentem. Sic et ista, quantumvis proficiat, quantumlibet promoveatur ; cura, providentia atque affectu ab his, quas in Evangelio genuit, nunquam amovetur, nunquam sua viscera obliviscitur.*

2. Dicat itaque eis : Gaudete, confidite. *Introduxit me rex in cellaria sua [alias, cubiculum] ; putate et vos pariter introductas. Sola introducta videor ; sed*

soli non proderit. Vestrum omnium est meus omnis profectus : vobis proficio, vobiscum partibor quidquid plus forte vobis meruero. Vis indubitanter scire quia in hoc sensu et affectu locuta sit? Audi quid illæ respondeant. *Exsultabimus et lætabimur in te. In te, inquit, exsultabimus et lætabimur*: nam in nobis necum meremur. Et addunt, *Memores uberum tuorum*, hoc est, æquanimitèr sustinemus dum venias, scientes te plenis ad nos reversuram uberibus. Tunc nos confidimus exsultare et lætari, memores interim uberum tuorum. Quod adjungunt, *super vinum (Cantic. 1, 5)*, significant se adhuc quidem pro sui imperfectione carnalium desideriorum, quæ vino designantur, recordatione pulsari; vincitamen eadem desideria memoria abundantia suavitatis, quam jam ex uberibus fluentem expertæ sunt. Dicerem de uberibus, si non me satis dixisse superius meminissèr (serm. 9). Nunc vero vides quomodo de matre præsumunt, quomodo ejus luca et gaudia sua reputant, propriae repulsæ injuriam illius introductione consolantes. Minime ita confiderent, nisi matrem agnoscerent. Audiant hoc prælati, qui sibi commissis semper volunt esse formidini, utilitati raro. Erudimini, qui judicatis terram. Discite subditorum matres vos esse debere, non dominos; studete magis amari, quam metui: et si interdum severitate opus est, paterna sit, non tyrannica. Matres fovendo, patres vos corripiendo exhibeatis. Mansuescite, ponite feritatem; suspendite verbera, producite ubera; pectora lacte pinguescant, non typho turgeant. Quid Jugum vestrum super eos aggravatis, quorum potius onera portare debetis? Cur morsus a serpente parvulus fugit conscientiam sacerdotis, ad quem eum magis oportuerat tanquam ad sinum recurrere matris? Si spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis; considerans unusquisque se ipsum, ne et ipse tentetur (*Galat. vi, 1*). Alioquin ille *in peccato suo morietur: sanguinem autem ejus, ait, de manu tua requiram (Ezech. iii, 20)*. **S**e. hæc alias.

3. Nunc quoniam litteræ consequentia ex his quæ prætaxavimus manifesta est, videamus jam de cellariis **1340** quid spiritualiter sentire debeamus. In consequentibus mentio fit etiam de horto et de cubiculo, quæ ambo nunc adjungo istis cellariis, et in præsentem disputationem assumo: nam simul tractata melius ex invicem innoscent. Et quæramus, si placet, tria ista in Scripturis sanctis, hortum, cellarium, cubiculum. In ipsis nempe libenter Deum sitiens anima versatur et moratur, sciens se ibi absque dubio inventuram quem sitit. Sit itaque hortus simplex ac plana historia; sit cellarium moralis sensus; sit cubiculum arcanum theoricæ contemplationis.

4. Et primum quidem historiam ad hortum puto non immerito deputari, quod in ea inveniantur viri virtutum, tanquam ligna fructifera in horto sponsi et in paradiso Dei, de quorum bonis actibus ac moribus quot sumis exempla, tot carpis poma. An forte

A quis ambigat Dei esse plantationem bonum hominem? Audi sanctum David de viro bono quid canat. *Erit, ait, tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, et folium ejus non defluet (Psal. 1, 3)*. Audi Jeremiam eodem spiritu concinentem, et eisdem pene verbis. *Erit tanquam lignum, inquit, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod ad humorem mittit radices suas, et non timebit cum venerit æstus (Jerem. xvii, 8)*. Item Propheta: *Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur (Psal. xci, 15)*. Et de se ipso: *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei (Psal. li, 10)*. Est ergo historia hortus, et ipsa tripartita. Continetur namque in ea cœli et terræ creatio, reconciliatio, et reparatio.

B Creatio quidem, tanquam horti satio sive plantatio. Reconciliatio autem, quasi germinatio satorum vel plantatorum. Tempore nempe suo rorantibus cœlis desuper, et nubibus pluentibus justum, aperta est terra et germinavit Salvatorem (*Isai. xlv, 8*), per quem facta est cœli terræque reconciliatio. Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum (*Ephes. ii, 14*), pacificans in sanguine suo quæ in terris sunt, et quæ in cœlis (*Coloss. i, 20*). Porro reparatio futura est in fine sæculi. Erit enim cœlum novum, et terra nova: et colligentur hœni de medio malorum, tanquam fructus de horto, in Dei promptuaria reponendi. *In die illa, ut scriptum est, erit germen Domini in magnificentia et gloria, et fructus terræ sublimis (Isai. iv, 2)*. Habes igitur tria tempora in horto historici sensus.

C 5. In Morali quoque disciplina tria æque advertere est, cellas quasi tres in cellario uno. Et idcirco forsitan pluraliter *cellaria* dixit, et non cellarium, cellarum videlicet hunc numerum cogitans. Infra denique introductam se gloriatur in *cellam vinariam (Cantic. ii, 4)*. Nos ergo, quia legimus: *Da occasionem sapienti, et sapientior erit (Prov. ix, 9)*: habentes occasionem ex vocabulo quod Spiritus sanctus cellæ huic censuit imponendum reliquis quoque duabus nomina imponamus, aromaticam uni, et unguentariam alteri. Causas horum vocabulorum videbimus postea. Nunc autem advertite cuncta apud sponsum salubria, cuncta suavia reperiri; vinum, unguenta, aromata. *Vinum*, Scriptura teste, *lætificat cor hominis (Psal. ciii, 15)*. Exhilarari nihilominus faciem in oleo legis (*ibid.*), quo utique pulvis pigmentorum infunditur, ut unguenta fiant. Aromata non modo grata suavitate odoris, sed vi quoque medendi utilia sunt. Merito se introductam illuc exsultat sponsa, ubi tanta redundet ubertas gratiæ.

D 6. Sed habeo et alia nomina puto et evidentiosem sui gerentia rationem. Et ut suo ordine nominentur, primam nuncupaverim disciplinæ; secundam, naturæ; postremam, gratiæ. In priori discis juxta ethicæ partis rationem inferior esse, in sequenti par, in posteriore superior: hoc est, sub alio, cum alio, super alium; vel sic, subesse, coesse, præesse. Pri-

mo ergo discis esse discipulus, secundo socius, tertio et magister. Et quidem omnes homines natura æquales genuit. At quoniam bono naturæ in moribus superbia depravato, facti sunt homines æqualitatis impatientes, contententes invicem superiores **1341** constitui, atque alterutrum supergredi cupientes, et inanis gloriæ cupidi, invicem invidentes, invicem provocantes: primo omnium in cella priori, jugo disciplinæ insolentia morum domanda est, quousque duris ac diutinis seniorum atrita legibus humilietur et sanetur cervicosa voluntas, bonumque in se naturæ, quod superbiendo amiserat, obeliendo recipiat; dum solo jam naturali affectu, non metu disciplinæ, cum universis naturæ suæ sociis, id est cum omnibus hominibus, socialiter, quantum in se est, quieteque sese habere didicerit, in cellam tandem naturæ transiens, experiensque quod scriptum est: *Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum! sicut unguentum in capite (Psal. cxxxii, 1, 2)*. Accedit nimirum disciplinatis moribus, tanquam tritis speciebus, oleum lætitiæ, bonum naturæ; et fit unguentum bonum atque jucundum. Quo quasi unctus redditur homo suavis et mitis, homo sine querela, neminem circumveniens, neminem concutiens, neminem lædens, nemini se superextollens aut præferens, insuper et libenter communicans in ratione dati et accepti.

7. Puto, si bene intellexisti utriusque cellæ proprietates, non incongrue me hanc unguentariam, illam aromaticam appellasse testaberis. In illa denique, sicut pigmentorum vires atque fragrantiam pistilli extorquet et exigit violenta contusio, sic rectorum morum elicit quodammodo et exprimit naturalem vim vis Magisterii, et districtio disciplinæ. In hac autem voluntariæ et tanquam innatæ affectionis grata mansuetudo sponte officiosa currit, instar plane unguenti quod est in capite, ad levem caloris tactum descendens ac diffuentis per totum. Itaque in cella disciplinæ, tanquam siccæ ac simplices aromatum species continentur, et inde aromaticam eam denominandam putavi. In ea vero quæ naturæ dicta est, quoniam jam quasi confecta repuntur et servantur unguenta, nihilominus ex re nomen et ipsa accepit, ut unguentaria nuncupetur. Nam vinariam quoque cellam, non aliam sane sui nominis arbitror ferre rationem, nisi quod in ea vinum zeli in charitate ferventis reconditur. Nec debet omnino præesse aliis, qui in eam necdum meruit introduci. Oportet prorsus hoc vino æstuet, qui aliis præsidet, quemadmodum Doctor Gentium æstuebat, quando dicebat: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? (II Cor. xi, 29)*. Alioquin improbe satis præesse affectas, quibus prodesset non curas; et quorum non zelas salutem, subjectionem nimis ambitiose vindicas tibi. Hanc ego cellam quoque gratiæ nominavi; non quod absque gratia vel reliquas duas obtinere omnino quis possit, sed ob plenitudinem quæ singulariter in ista percipitur. Denique, *plenitudo legis est charitas*; et,

A *qui diligit fratrem, legem implevit (Rom. xiii, 10, 8)*.

8. Vidisti rationem vocabulorum; vide et differentiam cellarum. Nec enim paris facilitatis seu facultatis ejusdem est, petulantes vagosque sensus atque intemperantem carnis appetitum magistræ comprimere metu, ac rigida disciplinæ cohibere censura; et spontaneo affectu bene cum sociis convivere; castigatis sub ferula vivere moribus, et sola Magistra voluntate gratum paribus gerere morem. Nam neque unius rursus quis dicat esse meriti, uniusve virtutis, socialiter vivere, et utiliter præesse. Quam multi denique sub præceptore quieti vivunt, quos si jugo absolvas, videas non posse quiescere, nec se ullo modo æqualibus servare innoxios? Itemque innumeros cernes simpliciter ac sine querela inter fratres conversari, super fratres non solum inutiliter, sed et insipienter et nequiter. Quadam siquidem bona mediocritate contenti sunt qui hujusmodi sunt, sicut eis mensuram gratiæ partitus est Deus; minime quidem egentem magistræ, nec **1342** tamen idonei magisterio. Prioribus ergo sequentes quidem in moribus antecellunt; sed utrisque superiores existunt, qui superiores esse sciunt. Denique et accipiunt in promissione qui bene præsent, constitui super omnia bona Domini sui (*Matth. xxiv, 48*) [At pauci profecto qui utiliter; pauciores, qui et humiliter præsiunt. Facile tamen utrumque adimplet, qui matrem virtutum discretionem perfecte adeptus, vino nihilominus charitatis usque ad contemptum propriæ gloriæ, usque ad sui ipsius oblivionem, et non ad querenda quæ sua sunt debriatur; quod solo ac miro Spiritus sancti magisterio intra cellam vinariam obtinetur. Virtus siquidem discretionis absque charitatis fervore jacet, et fervor vehemens absque discretionis temperamento præcipitat. Ideoque laudabilis, cui neutrum deest: quatenus et fervor discretionem erigat, et discretio fervorem regat. Ergo taliter oportet esse moratum eum qui præest. Optimum autem in moribus dixerim, et summam disciplinæ hujus perfecte apprehendisse, cui totas has cellas absque offendiculo percurrere et circuire donatum est: qui in nullo prorsus aut resistat prioribus, aut invidet paribus, aut subjectis vel desit in cura, vel in superbia præsit; prælati obediens, sociis congruens, subditis utiliter descendens: quod quidem perfectionis insigne haud dubius sponsæ annuerim. Inuit hoc etiam sermo quem dixit, quia *Introduxit me rex in cellaria sua*, dum non in unam aliquam cellam, sed in cellaria pluraliter se introductam ostendit.

9. Jam ad cubiculum veniamus. Quid et istud? Et id me præsumo scire quid sit? Minime mihi tantæ rei arrego experientiam, nec glorior in prærogativa, quæ soli servatur beate sponsæ, cautus juxta illud Græcorum, scire me ipsum; ut sciam etiam cum Propheta, *quid desit mihi (Psal. xxxviii, 5)*. Tamen si nihil omnino scirem, nihil dicerem. Quod scio, non invideo vobis, nec subtraho: quod nescio, doceat vos qui docet hominem scientiam (*Psal. xcii*),

40. Dixi, et meministis, in theoricæ contemplationis arcano regis esse quærendum cubiculum. Sed quomodo de unguentis dixisse me scio, multa videlicet et diversa penes sponsum ea esse, nec omnia præsto omnibus, sed sua quibusque pro diversitate indulta meritorum: sic quoque non unum puto cubiculum regi esse, sed plura. Nam nec una est regina profecto, sed plures: et concubinæ multæ sunt, et adolescentularum non est numerus. Et unaquæque invenit secretum sibi cum sponso, et dicit: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi* (Isai. xxiv, 16). Non omnibus uno in loco frui datur grata et secreta sponsi præsentia, sed ut cuique paratum est a Patre ipsius. Non enim nos eum elegimus, sed ipse elegit nos, et posuit nos; et ubi ab eo quisque positus est, ibi est. Denique mulier una compuncta secus pedes Domini Jesu sortita est locum (*Luc. vii, 38*) cum altera suæ devotionis fructum ad caput invenerit, (*Matth. xxvi, 7*) si tamen altera (175). Porro Thomas in latere, Joannes in pectore, Petrus in sinu Patris, Paulus in tertio cælo, secreti hujus gratiam sunt assecuti.

40. Quis nostrum digne distinguere sufficiat has varietates meritorum, vel potius præriorum? Ne omnino tamen præterisse quod ipsi novimus [*alias movimus*] videamur; prior mulier stravit sibi in tuto humilitatis; posterior, in solio spei; Thomas, in solido fidei; Joannes, in lato charitatis; Paulus, in intimo sapientiæ; Petrus, in luce veritatis. Sic ergo apud sponsum mansiones irultæ sunt, et sive regina, sive concubina, sive etiam de numero sit adolescentularum, congruum quæque pro meritis accipit ibi locum terminumque, quousque liceat sibi contemplando procedere, et introire in gaudium Domini sui, et rimari dulcissima secreta sponsi. Quod suo loco distinctius, quantum dignabitur ipse suggerere, demonstrare conabor. Nunc vero id nosse sufficiat, nulli adolescentularum, nulli concubinarum, nulli **1343** vel reginarum patere omnino accessum ad secretum illud cubiculi, quod suæ illi columbæ formosæ, perfectæ uni, unicum sponsus servat. Unde nec ego sane indignor, si non ad illud admitto,

(175) Ea.lem verba sunt Augustini in Joannem tractatu 9, num. 3. An una vel multiplex Maria fuerit, illa videlicet quæ Dominum non semel unxisse legitur et quæ Marthæ soror erat; apud veteres magna fuit controversia, de qua inter alios videndus Jansenius Gandavensis, Concordiæ Evang. cap. 48, ubi id argumenti solide suo more pertractavit. Quidam enim, Græci maxime, inter quos Origenes et Theophylactus, putant fuisse tres diversæ mulieres; unam scilicet peccatricem innominatam, de qua Lucæ cap. vii. Alteram quoque innominatam, de qua Matthæi cap. xxvi, et Marci cap. xiv. Tertiam, quæ dicta est soror Marthæ, de qua Joannis cap. xii. Chrysostomus vero, homilia 81, putat duas tantum fuisse; nempe unam eandem, quæ semel et iterum unctionis officium Christo legitur impendisse, alteram quæ fuerat soror Marthæ. S. Hieronymus e contrario, in Matthæi cap. xxvi, vult eandem quidem esse eam, quæ unguentum super Christi caput effudit, cum sorore Marthæ; diversam vero ab ea quæ pedes unxit in domo Pharisæi: cui sententiæ

præsertim cum constet mihi ne ipsam quidem sponsam interim adhuc ad omne quod vult pervenire secretum. Denique et flagitat indicari sibi, ubi pascat, ubi cubet in meridie (*Cantic. i, 6.*)

11. Sed audite quousque pervenerim, aut me pervenisse putaverim. Nec enim jactantiæ deputandum est, quod in vestros pando profectus. Est locus apud sponsum, de quo sua jura decernit, et disponit consilia ipse universitatis gubernator, leges constituens omni creaturæ, pondus, et mensuram, et numerum. Et locus iste altus et secretus, sed minime quietus. Nam etsi ipse, quantum in se est, disponit omnia suaviter, disponit tamen; et contemplantem, qui forte eo loci pervenerit, quiescere non permittit; sed mirabiliter, quamvis delectabiliter, rimantem et admirantem fatigat, redditque inquietum. Pulchre utrumque in consequentibus sponsa exprimit, et delectationem videlicet istiusmodi contemplationis, et inquietudinem, ubi et se dormire, et cor suum vigilare fatetur (*Cantic. v, 2*). Nam in somno quidem suavissimi stuporis, placidæque admirationis, sentire quietem; in vigiliis vero inquietæ nihilominus curiositatis ac laboriosæ exercitationis pati se fatigationem significat. Hinc beatus Job: *Si dormiero, ait, dico, Quando consurgam? et rursus exspectabo vesperam* (*Job. vii, 4*). Sentisne in his verbis sanctam animam velle interdum molestam quodam modo declinare suavitatem, eandemque rursus suavem molestiam affectare? Non enim dixisset, *Quando consurgam*, si ex toto ei quies illa suæ contemplationis placuisset: sed et si ex toto displicuisset, non denuo exspectasset horam quietis, id est *vesperam*. Non igitur locus est iste cubiculi, ubi nequaquam per omnem modum quiescitur.

12. Est item locus, de quo super rationalem reprobam quidem creaturam immobilis vigilat secretissima et severissima animadversio justii judicis Dei, terribilis in consiliis super filios hominum. Cernitur, inquam, a timorato contemplatore hoc loco Deus, justo, sed occulto judicio suo, reproborum nec diluens mala, nec acceptans bona; insuper et corda indurans, ne forte doleant, et resipiscant,

S. Ambrosius super Lucam favere videtur. Unam ubique admittit Gregorius Magnus, cui plerique suffragantur. Ambrosius in Lucam, ubi non repugnat quominus diversæ censeantur, scribit iterea posse eandem videri, quæ diversa fuerit tantum pro temporis et meriti diversitate, « ut adhuc illa peccatrix sit, jam ita perfectior. Etsi enim, » inquit, « personam non mutat Ecclesia vel anima, tamen mutat profectum. » Quidquid sit, Bernardus idem dubium movet sermone 12 in Cantica: at sermone 3 in Assumptione, num. 2, diserte asserit, eandem esse, de qua agitur Lucæ cap. vii, cum ea de qua Matthæi cap. xxvi, et Marci cap. xiv, atque Joannis xii. Ita enim habet: « Vide prærogativam Mariæ, quem in omni causa habeat advocatum. Indignatur siquidem Pharisæus » (nimirum Lucæ cap. vii), « conqueritur soror » (Joannis cap. xii), « etiam discipuli murmurant » (Matthæi cap. xxvi, et Marci cap. xiv), « ubique Maria tacet, et pro ea loquitur Christus. » Lege Vossium, Harmoniæ evangelicæ lib. i, cap. 3, et alios interpretes.

et convertantur, et sanet eos. Et hoc non absque certa et æterna ratione, quod tanto formidolosius constat esse, quanto immobilis fixum exstat in æternitate. Pavendum valde quod in propheta de hujusmodi legimus, ubi loquens ad angelos suos Deus sic ait: *Misereamur impio. Quibus paventibus atque quærentibus, Non ergo discet facere justitiam? Non, inquit; subdensque causam: In terra, ait, sanctorum iniqua gessit; et non videbit gloriam Domini (Isai. xxvi, 10)*. Timeant clerici, timeant ministri Ecclesiæ, qui in terris sanctorum quas possident, tam iniqua gerunt, ut stipendiis, quæ sufficere debeant, minime contenti, superflua quibus egeni sustentandi forent, impie sacrilegeque sibi retineant; et in usus suæ superbix atque luxuriæ victum pauperum consumere non vereantur, duplici profecto iniquitate peccantes, quod et aliena diripiunt, et sacris in suis vanitatibus et turpitudinibus abutuntur.

13. Talibus ergo cum impræsentiarum parcere ac misereri, ne in æternum parcat, cujus judicia abyssus multa, advertitur; quis hoc loco requiem quærat? Habet hæc visio tremorem [*alias, terrorem*] judicii, non securitatem cubiculi. Terribilis est locus iste, et totius expertus quietis. Totus inhorruï, si quando in eum raptus sum, illam apud me replicans cum tremore sententiam: *Quis scit si est dignus amore, an odio? (Eccle. ix, 1.)* Nec mirum si titubo ego ibi (folium utique quod a vento rapitur, et stipula sicca (*Job. xiii, 25*), ubi et maximus ille contemplator suos quoque fatetur pene motos fuisse pedes, pene effusos gressus; et dicebat: *Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. Quare? In labore, inquit, hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur; 1344 ideoque tenuit eos superbia (Psal. lxxii, 3-6)*, ne humiliantur ad pœnitentiam, sed damnentur propter superbiam cum superbo diabolo et angelis ejus. Nam qui in labore hominum non sunt, in labore dæmonum profecto erunt, dicente iudice: *Ite, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus (Matth. xxv, 41)*. Est tamen Dei locus et iste, plane non aliud quam domus Dei, et porta cœli. Hic nempe timeri dicitur Deus; hic sanctum et terribile nomen ejus, et tanquam ingressus gloriæ: *Initium plane sapientiæ timor Domini (Psal. cx, 9, 10)*.

14. Nec te moveat, quod initium sapientiæ huic dæmum loco dederim, et non priori. Ibi quippe in quodam quasi auditorio suo docentem de omnibus magistram audimus Sapientiam, hic et suscipimus; ibi instruimur quidem, sed hic afficimur. Instructio doctos reddit, affectio sapientes. Sed non omnes, quibus lucet, etiam calefacit; sic Sapientia multos, quos docet quid sit faciendum, non continuo etiam accendit ad faciendum. Aliud est multas divitias scire, aliud et possidere; nec notitia divitem facit, sed possessio. Sic prorsus, sic aliud est nosse Deum, et aliud timere; nec cognitio sapientem, sed timor

(176) Eodem sensu in libro de Gratia et Libero

facit, qui et afficit. Tunc sapientem dixeris, quem sua scientia inflat? Quis illos sapientes nisi insipientissimus dicat, qui cum cognovissent Deum, non tanquam Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt? Ego magis cum Apostolo sentio, qui insipiens cor eorum manifeste pronuntiat (*Rom. i, 21*). Et bene initium sapientiæ timor Domini; quia tunc primum Deus animæ sapit, cum eam afficit ad timendum, non cum instruit ad sciendum. Times Dei justitiam, times potentiam, et sapit tibi justus et potens Deus, quia timor sapor est. Porro sapor sapientem facit, sicut scientia scientem, sicut divitiæ divitem. Quid ergo prior locus? Tantum præparat ad sapientiam. Illic præpararis, ut hic initieris. Præparatio, rerum cognitio est. Verum hanc facillime sequitur elationis tumor, si non reprimat timor, ut merito dicatur: *Initium sapientiæ timor Domini*, qui se pesti insipientiæ primus opponit. Ibi itaque quidam accessus est ad sapientiam, hic et ingressus. Porro nec hic, nec ibi speculanti perfecta est quies; quia illic Deus apparet tanquam sollicitus, hic tanquam turbatus. Non ergo cubiculum quæsieris in his locis, quorum alter auditorium quasi docentis, alter prætorium judicis magis apparet.

15. Sed est locus, ubi vere quiescens et quietus cernitur Deus; locus omnino, non judicis, non magistri, sed sponsi: et qui mihi quidem, nam de aliis nescio, plane cubiculum sit, si quando in illum contigerit introduci. Sed, heu! rara hora, et parva mora! Clare ibi agnoscitur misericordia Domini ab æterno, et usque in æternum super timentes eum. Et felix qui dicere potest: *Particeps ego sum omnium timentium te, et custodientium mandata tua (Psal. cxviii, 63)*. Stat propositum Dei, stat sententia pacis super timentes eum, ipsorum et dissimulans mala, et remunerans bona: ut miro modo eis non modo bona, sed et mala cooperetur in bonum. O solus vere beatus, cui non imputabit Dominus peccatum! (*Psal. xxxi, 2*). Nam qui non habuerit peccatum, nemo. Omnes enim peccaverunt, et omnes egent gloria Dei (*Rom. iii, 23*). Quis accusabit tamen adversus electos Dei? (*Rom. viii, 33*). Sufficit mihi ad omnem justitiam solum habere propitium, cui soli peccavi. Omne quod mihi ipse non imputare decreverit, sic est quasi non fuerit. Non peccare. Dei justitia est; hominis justitia, indulgentia Dei. Vidi hæc, et intellexi illius sententiæ veritatem: *Omnis qui natus est ex Deo, non peccat; quia generatio cœlestis servat eum (I Joan. iii, 9)*. Generatio cœlestis, æterna prædestinatio est, qua electos suos Deus dilexit et gratificavit in dilecto Filio suo ante mundi constitutionem, sic in sancto apparentes sibi, ut viderent virtutem suam et gloriam suam, quo ejus forent consortes hæreticitatis, cujus et apparent conformes imaginis. Hos ergo adverti quasi 1345 nunquam peccasse; quoniam etsi qua deliquisse videntur in tempore, non apparent in æternitate; quia charitas Patris ipsorum cooperit multitudinem peccatorum (176). Et dixit Arbitrio, num. 29, peccata prædestinatorum dicun-

beatos, quorum remissa sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata (Psal. xxxi, 1); cum subito tanta mihi quoque de me aurborta fiducia et infusa lætitia est, quantas certe in loco horroris, id est in loco secundæ visionis, non præcesserat timor, ita ut mihi visus sim tanquam unus ex illis beatis esse. O si durasset! Iterum, iterumque visita me, Domine, in salutari tuo, ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ (Psal. cv, 4, 5).

16. O veræ quietis locus, et quem non immerito cubiculi appellatione censuerim! in quo Deus, non quasi turbatus ira, nec velut distentus cura prospicitur; sed probatur voluntas ejus in eo bona, et beneplacens et perfecta. Visio ista non terret, sed mulcet; inquietam curiositatem non excitat, sed sedat; nec fatigat sensus, sed tranquillat. Hic vere quiescit. Tranquillus Deus tranquillat omnia; et quietum aspicere, quiescere est. Cernere est regem post diurnas forensium quasi lites causarum, dimissis a se turbis, curarum molestias declinantem, petentem de nocte diversorium, cubiculum introentem cum pacis, quos hoc secreto et hac familiaritate dignatur, eo certe securius, quo secretius quiescentem; eo serenius se habentem quo placidius solos intuentem quos diligit. In hoc arcanum et in hoc sanctuarium Dei si quem forte vestrum aliqua hora sic rapti et sic abscondi contigerit, ut minime avocet aut perturbet vel sensus agens, vel cura pungens, vel culpa mordens, vel ea certe, quæ difficilium amoventur, irruentia imaginum corporearum phantasmata; poterit quidem hic, cum ad nos redierit, gloriari et dicere: *Introduxit me rex in cubiculum suum* (Cant. 1, 5). Quod tamen an ipsum sit de quo exultat sponsa, non temere affirmaverim. Est tamen cubiculum, et cubiculum regis; quia nimirum de tribus, quos triplici assignavimus visioni, solus factus est in pace locus iste. Ut enim aperte monstratum est, et in priori exigua, et in secundo nulla percipitur quies: cum et illic apparens admirabilis, ad indagandæ studium exerceat curiositatem; et hic innotescens terribilis, infirmitatem concutiat. At vero tertio isto in loco, non plane terribilis, nec tam admirabilis quam amabilis apparere dignatur, serenus et placidus, suavis et mitis, et multæ misericordiæ omnibus intuentibus se [alias, invocantibus se].

17. Jam ut horum quæ de cellario, horto, cubiculo, longiori sunt disputata sermone, memoria vestra

tur abscondi in charitate, nempe Dei. Confer sermonem 4 de Diversis, num. 5, et sermonem 1 de Septuagesima, cum notis.

(177) *Habitus anno 1138, composito schismate, post suum ex Italia reditum.*

(177) Ab initio sermonis ad hunc locum insignis est in scriptis diversitas. In quibusdam omisso hoc exordio, sermo ita incipit: *Recti diligunt te. Et hoc cui potissimum personæ congruere judicamus? Si adolescentulis, matri sine dubio id loquuntur, si quidem cum dixissent ei, Exultabimus et lætabor in te, memores uberum tuorum super vinum, continuato sermone hoc quoque inferunt: Recti, etc. Alii scripti nostram lectionem habent. Ex hac varietate*

A compendium teneat; mementote trium temporum, trium meritorum, trium quasi præmiorum. In horto advertite tempora, merita in cellario, præmia in triplici illa contemplatione cubiculum inquiringentis. Et de cellario quidem ista sufficiant. Porro de horto vel cubiculo si qua addenda, aut alia forte quam dicta sunt, modo advertenda occurrerint, loco suo non prætereamus. Sin autem, sufficient quæ dicta sunt, et minime iterentur, ne unquam in fastidium, quod absit! veniant ea, quæ proferuntur ad laudem et gloriam sponsi Ecclesiæ Domini nostri Jesu Christi, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula Amen.

1346 SERMO XXIV (177).

B *Agit præcipue contra detestabile vitium detractionis; et qua in re rectitudo hominis potissimum consistat.*

1. Hoc demum tertio, fratres, reditum ab Urbe nostrum clementior oculus e cælo respexit, et vultus tandem serenior desuper arrisit nobis. Quievit Leonina rabies, sinem accepit malitia, Ecclesia pacem recepit. Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, qui eam per hoc ferme octennium diro schismate conturbabat. Num vero ego gratis de tantis periculis ero redditus vobis? Vestris desideris donatus sum, vestris me profectibus paro: quorum vivo meritis, volo vivere studiis et salutem. Quodque dudum cæpta in Canticis me exsequi vultis, libenter quidem accipio, et dignum arbitror interruptum potius resarcire sermonem, quam novi ordi quidpiam. Vereor autem ne dissonum per id temporis animum et distentum diu habitum, non solum ad tam diversa, sed etiam ad tam indigna, dignitas materiæ, prout oportet, non admittat. Sed si quod habeo, hoc vobis do; poterit et fideli obsequio meo Deus, etiam quod non habeo, dare ut dem. Si non; culpatur sane ingenium, non voluntas.

2. Locus autem unde incipere debemus, ni fallor, iste est: *Recti diligunt te*. Quod antequam explanare incipiamus, quid sit videamus, cujus sit, quisnam hoc videlicet dicat. A nobis namque exiguit quod auctor non loquitur. Et fortasse melius adolescentulis id damus, ut suis verbis et hoc addant (177). Siquidem cum dixissent: *Exultabimus et lætabor in te, memores uberum tuorum super vinum* (nec dubium quin matri loquerentur), continuo sermone hoc quoque inferunt: *Recti diligunt te*

nata est magna confusio in plerisque editis, in quibus refertur utrumque exordium, sed perperam. Hæc enim varietas inde orta est, quod Bernardus bis hunc eundem sermonem pronuntiavit: primo quidem cum exordio breviori anno 1137, antequam Romam tertio proficisceretur; secundo vero, cum inde rediit anno 1138, eundem repetiit cum altero exordio, ut interruptum opus ab ultimo hoc sermone resumeret. Codex unus Regius, num. 4511, consequenter eundem sermonem sub duplici exordio repetit: unus item Thuanus Colbertinus semel hoc loco cum uno exordio, et iterum post sermonem 60 cum altero.

(Cant. 1, 3). Puto propter aliquas de numero ipsarum, quæ non idem saperent, licet pariter currere viderentur; quæ sua sunt querentes, et non ambulantes simpliciter neque sincere, sed speciali gloriæ matris invidentes, et captantes occasionem murmurandi adversus eam, ex eo nimirum quod sola in cellaria introisset. Quod non est aliud nisi quod Apostolus ait : *Periculum in falsis fratribus* (II Cor. XI, 26). Ipsæ sunt denique quibus exprobrantibus subinde pro se satisfacere cogitur, ubi eis ita respondet : *Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem* (Cant. 1, 4). Itaque propter murmurantes et blasphemantes dicitur ab his quæ bonæ, quæ simplices, quæ humiles et mansuetae sunt; ab his, inquam, dicitur sponsæ consolandi gratia : *Recti diligunt te*. Non sit tibi, inquit, cura de iniqua reprehensione blasphemarum harum, cum constet quia *Recti diligunt te*. Bona profecto consolatio, cum blasphematur a malis bene facientes, si recti diligant nos. Omnino sufficit adversus os loquentium iniqua, opinio bonorum cum testimonio conscientiae. *In Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti, et lætentur*. *Mansueti*, inquit, *lætentur* (Psal. XXXIII, 2). Mansuetis placeam, et æquanimiter audio quidquid in me jaculare voluerit livor perditarum.

3. Ergo in hoc sensu puto appositum, *Recti diligunt te*. Nec absurde, ut æstimo : cum ubique pene in choro adolescentularum tales inveniantur, quæ acta sponsæ curiose observent, derogandi, non imitandi causa. Torquentur in bonis seniorum suorum, malis pascuntur. Videas ambulare seorsum, convenire sibi et sedere pariter, moxque laxare procaces linguas in detestandum susurrium. Una uni conjungitur, nec **1347** spiraculum incedit in eis; tanta est libido detrahendi, audiendive detrahentem. Ineunt familiaritatem ad maledicendum, concordēs ad discordiam. Conciliant inter se inimicissimas amicitias, et pari consentaneæ malignitatis affectu celebratur odiosa collatio. Haud secus egere quondam Herodes et Pilatus, de quibus narrat Evangelium quia *facti sunt amici in illa die* (Luc. XXIII, 12), hoc est in die Dominicæ passionis. Convenientibus sic in unum, non est Dominicam cœnam manducare, sed magis propinare et bibere calicem dæmoniorum; dum importantibus linguis aliorum perditionis virus, aliorum aures intrantem mortem libenter excipiunt. Sic quippe, juxta prophetam, *intra mors per fenestras nostras* (Jerem. IX, 21), cum prurientes auribus et oribus, lethale poculum detractionis invicem nobis ministrare contendimus. Non veniat anima mea in concilio detrahentium, quoniam Deus odit eos, dicente Apostolo : *Detractores Deo odibiles* (Rom. I, 30). Quam sententiam Deus ipse loquens in psalmo, audi quomodo confirmat : *Detrahentem, inquit, proximo suo, hunc persequer* (Psal. C, 5).

4. Nec mirum, cum id præcipue vitium charitatem, quæ Deus est, et quidem cæteris acrius, impugnare et persequi cognoscatur, quemadmodum vos quoque potestis advertere. Omnis qui detrahit, pri-

um quidem se ipsum prodit vacuum charitate. Deinde quid aliud detrahendo intendit, nisi ut is, cui detrahit, veniat in odium vel contemptum ipsis, apud quos detrahit? Ferit ergo charitatem in omnibus qui se audiunt lingua maledica, et quantum in se est, necat funditus et exstinguit : non solum autem, sed et in absentibus universis, ad quos volans verbum forte per eos, qui præsentēs sunt, pervenire contigerit. Vides quam facile et in brevi ingentem multitudinem animarum velociter currens sermone tabe malitiæ hujus inficere possit. Propterea dicit de talibus propheticus spiritus : *Quorum os maledictione et amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem* (Psal. XLII, 3). Utique tam veloces, quam velociter currit sermo. Unus est qui loquitur, et unum tantum verbum profert; et tamen illud unum verbum, uno in momento, multitudinis audientium, dum aures inficit, animas interficit. Cor siquidem felle livoris amarum per linguas instrumentum spargere nisi amara non potest, dicente Domino : *Ex abundantia cordis os loquitur* (Luc. VI, 45). Et sunt species pestis hujus, dum alii quidem nude atque irreverenter, uti in buccam venerit, virus evomant detractionis; alii autem quodam simulatæ verecundiæ fuce conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conentur. Videas alta præmitti suspiria, sicque quadam cum gravitate et tarditate, vultu næsto, dimissis superciliis, et voce plangenti egredi maledictionem, et quidem tanto persuasibiliorem, quanto creditur ab his qui audiunt, corde invito, et magis condolentis affectu, quam malitiose proferri. Doleo, inquit, vehementer, pro eo quod diligo eum satis, et nunquam potui de hac re corrigere eum. Et alius : *Mihi quidem, ait, bene compertum fuerat de illo istud; sed per me nunquam innotuisset. At quoniam per alterum patefacta est res, veritatem negare non possum : dolens dico, revera ita est. Et addit : Grande damnum! nam alias quidem in pluribus valet; cæterum in hac parte, ut verum fateamur, excusari minime potest.*

5. His paucis adversus malignissimum vitium commemoratis, revertamur ad explanandi ordinem, et demonstremus qui sint hoc loco intelligendi *Recti*. Non enim arbitror sentire quempiam rectæ intelligentiæ, secundum corpus rectos dici eos qui sponsam **1348** diligunt. Propterea demonstranda nobis est spiritualis, id est animi cordisve, rectitudo. Spiritus est qui loquitur, spiritualibus spiritualia comparans. Ergo secundum animum, non secundum terrenam et facultatam materiam, Deus hominem rectum fecit. Ad imaginem quippe et similitudinem suam creavit illum (Gen. I, 27). Ipse vero, quemadmodum psallis : *Rectus Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo* (Psal. XCI, 46). Rectus itaque Deus rectum fecit hominem similem sibi, id est sine iniquitate, sicut non est iniquitas in eo. Porro iniquitas, cordis est, non carnis vitium, ut per hoc noveris in spirituali portione tui, et non in crassa luteaque substantia Dei similitudinem conservandam fore, sive reparan-

dam. Spiritus enim est Deus, et eos qui volunt similes ei vel perseverare, vel fieri, oportet intrare ad cor, atque in spiritu id negotii actitare: ubi revelata facie speculantes gloriam Dei, in eandem imaginem transformentur de claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu (*II Cor. III, 18*).

6. Quanquam et corporis staturam dedit homini Deus rectam; forsitan ut ista corporea exterioris viliorisque rectitudo figmenti hominem interiore illum, qui ad imaginem Dei factus est, spiritualis suæ servandæ rectitudinis admoneret, et decor limi deformitatem argueret animi. Quid enim indecentius, quam curvum recto corpore gerere animum? Perversa res est et fœda, luteum vas, quod est corpus de terra, oculos habere sursum, cœlos libere suspicere, cœlorumque luminaribus oblectare aspectus; spiritualem vero cœlestemque creaturam suos e contrario oculos, id est internos sensus atque affectus, trahere in terram deorsum; et quæ debuit nutriri in crucis, hærerè luto, tanquam unam de subibus, amplexarique stercora (*Thren. IV, 5*). Erubescere, anima mea, divinam pecorina commutasse similitudinem; erubescere volutari in cœno, quæ de cœlo es. Erubescere, anima, ait corpus, in mei consideratione. Creata creanti similis recta, me quoque accepisti adiutorium simile tibi, utique secundum lineamenta corporeæ rectitudinis. Quocumque te vertas, sive ad Deum sursum, sive ad me deorsum (nemo siquidem carnem suam unquam odio habuit), ubique occurrit tibi species decoris tui, ubique pro statu tuæ dignitatis habes de magisterio sapientiæ familiarem admonitionem. Me ergo meam, quam tui gratia accepi, retinente et servante prærogativam; tu quomodo non confunderis amisisse tuam? Cur suam in te Conditor intuetur abolitam similitudinem, cum tuam in me tibi conservet, assidueque repræsentet? Jam omne adiutorium, quod tibi ex me debebatur, vertisti tibi in confusionem; abuteris obsequio meo, indignè humanum corpus inhabitas, brutus et bestialis spiritus.

7. Istiusmodi ergo curvæ animæ non possunt diligere sponsam, quoniam non sunt amicæ sponsi, cum sint mundi. *Qui vult, inquit, amicus esse hujus mundi, inimicus Dei constituitur (Jac. IV, 4)*. Ergo quærere et sapere quæ sunt super terram, curvitas animæ est; et e regione, meditari ac desiderare quæ sursum sunt, rectitudo. Et ipsa ut perfecta sit (178), in sensu definiatur et consensu. Rectum revera te dixerim, si recte in omnibus sentias, et factis non dissentias. Invisibilis animi statum nuntiet fides et actio. Rectum iudicæ, si fide catholicum, et justum opere probaveris. Si quo minus, curvum

(178) Hunc etiam locum, ob præmissam rationem, in editis turbavit discrepantia veterum codicum. Quibus enim prolixius deest proœmium hujus sermonis, in his ita effertur hæc textus: *rectitudo. Et hæc rectitudinem, ut sit perfecta in omnibus, inveniri necesse est sensu atque consensu. Illum verè rectum corde dixerim, qui et recte in omnibus sentiat, et a recto quod senserit, in nullo dissentiat. Ecce de*

A censere non dubites. Sic nempe habes: *Si recte offers et recte non dividis, peccasti (Gen. IV, 7)*. Recte quidem quodcumque horum offers, recte autem ab alterutro ea non dividis. Noli esse rectus oblator et pravus divisor. Quid dividis actum a fide? Inique dividis, fidem perimens tuam: nam fides sine operibus mortua est (*Jac. II, 20*). Munus mortuum offers Deo? Si enim quædam anima fidei ipsa devotio est, quid fides quæ non operatur ex dilectione, nisi cadaver exanime? Bene honoras Deum munere fetido? bene placas tuæ fidei interfectore? Quomodo hostia pacifica ubi tam sæva discordia est? Non mirum si Cain insurrexit in fratrem, qui suam prius occiderat fidem. Quid miraris, o Cain, si ad tua non respicit munera qui te despicit? (*Gen. IV, 5*). Nec hoc mirum si non respicit ad te, qui ita divisus es in te. Si manum devotioni, quid animum das livori? Non concilias Deum tibi, discors tecum, non placas, sed peccas; et nondum quidem impie ferendo, sed tamen dividendo non recte. Etsi necdum fratricida, jam tamen fideicida teneris. Nunquid rectus, vel quando manum porrigis Deo, cujus cor in terram trahit livor et fraternum odium? Quomodo rectus, cujus fides mortua, cujus opus mors, cujus nulla devotio, amaritudo multa? Erat quidem in offerente fides, sed non in fide dilectio; recta oblatio, sed crudelis divisio.

8. Mors fidei est separatio charitatis. Credis in Christum? fac Christi opera, ut vivat fides tua. Fidem tuam dilectio animet, probet actio. Non incurvet terrenum opus, quem fides cœlestium erigit. Qui te dicis in Christo manere, debes, sicut ipse ambulavit, et tu ambulare. Quod si propriam gloriam quæris, florenti invides, absenti detrahis, reponis lædenti te: hoc Christus non fecit. Confiteris te nosse Deum, factis autem negas. Non recte plane, sed impie linguam Christo, animam dedisti diabolo. Audi ergo quid dicat: *Homo iste labiis me honorat, cor autem ejus longe est a me (Isa. XXIX, 13)*. Non es profecto rectus, qui tam non recte dividis. Non potes attollere caput pressum diaboli jugo. Non te subrigere prævales, cui dominatur iniquitas. Iniquitates tuæ supergressæ sunt caput tuum, et sicut onus grave gravatæ sunt super te (*Psal. XXXVII, 5*). Iniquitas denique sedet super talentum plumbi (*Zach. V, 7*). Vides quod non faciat hominem rectum fides etiam recta, quæ non operatur ex dilectione. At qui sine dilectione est, non habet unde diligat sponsam. Sed nec opera, quamvis recta, rectum cor efficere sufficiunt sine fide. Quis enim rectum dicat hominem non placentem Deo? Sine fide autem impossibile est placere Deo (*Hebr. XI, 6*). Qui non pla-

quibus dicitur ad sponsam: *Recti diligunt te, qui videlicet in omnibus et recte, et recto acquiescunt. Tum concluditur sermo his verbis: Utinam et nos de illis simus, annumerati dilectoribus sponsi, præstante eodem Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula, Amen. Nostram vero lectionem alii codices præferunt.*

cet Deo, non potest illi placere Deus. Nam cui placet Deus, Deo displicere non potest. Porro cui non placet Deus, nec sponsa ejus. Quomodo ergo rectus, qui nec Deum diligit, nec Ecclesiam Dei, cui dicitur: *Recti diligunt te*? Si ergo nec fides sine operibus, nec opera sine fide sufficiunt ad animi rectitudinem; nos qui in Christum credimus, fratres, rectas studeamus facere vias nostras et studia nostra. Levemus corda nostra cum manibus ad Deum, ut toti recti inveniamur, fidei nostræ rectitudinem rectis actibus comprobantes, dilectores sponsæ, dilecti a sponso Jesu Christo Domino nostro, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XXV.

De nigredine et formositate sponsæ, id est Ecclesiæ.

1. Ecce quod dixeram in sermone, quia æmulis lacessentibus sponsa respondere cogatur, quæ corpore quidem de numero adolescentularum esse videntur, animo autem longe sunt. Ait nempe: *Nigra sum, sed formosa, filia Jerusalem* (Cant. 1, 4). Patet quod detraberent ei, nigredinem improperantes. Sed adverte sponsæ patientiam ac benignitatem. Non modo enim non reddidit maledictum pro maledicto, sed insuper benedixit, filias Jerusalem vocans, quæ magis pro sua nequitia filia Babylonis, vel filia Baal, aut si quod aliud nomen improperii occurrisset, appellari meruerant. Sane didicerat a propheta, imo ab ipsa unctione quæ docet suavitatem, calammum **1350** quassatum non conterendum, et linum fumigans non exstinguendum (Isa. xlii, 3). Propterea non putavit amplius irritandas satis commotas perse, nec quidquam addendum stimulis invidiæ, qua torquebantur. Magis autem cum his qui oderunt pacem, studuit esse pacifica, sciens se etiam insipientibus debitoricem. Maluit ergo ipsas favorabili demulcere vocabulo, quia curæ fuit ei infirmarum potius operam dare salutem quam propriæ ultioni,

2. Omnibus quidem optanda est ista perfectio; proprie autem optimorum forma est prælatorum. Sciunt quippe boni fidelesque præpositi, languentium sibi creditam animarum curam, non pompam. Cumque internum murmur cujuspiam illarum querulæ vocis indicio deprehendunt, etsi in ipsos usque ad convicia et contumelias prorumpentis; medicos se et non dominos agnoscentes, parant confestim adversus phrenesim animæ, non vindictam, sed medicinam. Hæc igitur ratio cur sponsa filias Jerusalem dicat eas ipsas, quas malevolas sustinet atque maledicas: videlicet ut in blando sermone deliniant murmurantes, commotionem sedet, sanet livorem. Scriptum est enim: *Lingua pacifica compescit lites* (Prov. xxv, 15). Alias vero filia revera Jerusalem quodam modo sunt quæ hujusmodi sunt, nec falso ita eas nominat sponsa. Sive enim propter sacramenta Ecclesiæ, quæ indifferenter quidem cum bonis suscipiunt; sive propter fidei æque communem confessionem, sive ob fidelium corporalem saltem societatem, seu etiam propter spem futuræ salutis, a qua omnino non sunt, quandiu hic vivunt, vel tales despe-

randæ, quantumlibet vivant desperate; non incongrue filia Jerusalem nominantur.

3. Videamus jam quid illud fuerit dicere: *Nigra sum, sed formosa*. Nullaue in his verbis repugnantia est? Absit! Propter simplices dico, qui inter coloreem et formam discernere non noverunt, cum forma ad compositionem pertineat, nigredo color sit. Non omne denique quod nigrum est continuo deforme est. Nigredo, verbi causa, in pupilla non dedecet; et nigri quidam lapilli in ornamentis placent; et nigri capilli candidis vultibus etiam decorem augent et gratiam. Sic tibi quoque facile advertere est in rebus innumeris. Quanquam sine numero sunt, quæ in superficie quidem reperies decoloria, in compositione vero decora. Tali fortassis modo potest sponsa, cum pulchritudine utique compositionis, nævo non carere nigredinis; sed sane in loco peregrinationis suæ. Alioquin erit cum eam sibi in patria exhibebit sponsus gloriæ gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi. At vero nunc si diceret, quia nigredinem non haberet, se ipsam seduceret, et veritas in ea non esset. Quamobrem ne mireris quia dixit: *Nigra sum*, et rursus nihilominus, quia *formosa* sit, gloriatur. Quomodo enim non formosa cui dicitur: *Veni, formosa mea*? (Cant. ii, 10.) Cui autem dicitur: *Veni*, nondum pervenerat, ne forte quis putet hoc dictum, non quidem huic nigræ, quæ adhuc laborat veniendo in via; sed beatæ illi, quæ jam prorsus absque nigredine regnat in patria.

4. Sed audi unde nigram et unde formosam se dixerit. An nigram quidem ob tetram conversationem, quam prius habuit sub principe hujus mundi, imaginem terrestris hominis adhuc portans; formosam vero de cœlesti similitudine, quam postea commutavit, ambulans jam in novitate vitæ? Sed si hoc est, cur non magis de præterito, nigra fui, et non *nigra sum*, dicit? Si cui tamen placet hic sensus, id quod sequitur, *sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis* (Cant. 1, 4), sic oportet intelligi, ut de veteri quidem conversatione Cedar, de nova vero Salomonis se dixerit tabernaculum. Hoc enim esse pelles, quod tabernaculum, propheta ostendit dicens: *Reperente vastata sunt tabernacula mea, subito pelles mee* (Jerem. iv, 20). Prius igitur **1351** *nigra*, sicut vilissima tabernacula Cedar: postea *formosa*, sicut pelles gloriosi regis.

5. Sed videamus quomodo ad statum potius vitæ potioris utrumque respiciat. Si consideremus habitum exteriorum sanctorum, eum qui in facie est, quam sit humilis utique et abjectus, et quadam neglectus incuria; cum tamen identidem intus revelata facie gloriam Dei speculantes, in eandem imaginem transformantur de claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu (II Cor. iii, 18): nonne una quælibet talis anima merito nobis videbitur posse respondere exprobrantibus sibi nigredinem: *Nigra sum, sed formosa*? Vis tibi denique demonstrarem animam et nigram pariter, et formosam? *Epistolæ*, inquam,

graves sunt; sed præsentia corporis infirma, et sermo contemptibilis (II Cor. x, 40). Paulus hic erat. Itaque Paulum, o filix Jerusalem, de præsentia corporis æstimatis, et tanquam decolorem deformemque contemnitis, quia cernitis homunculum afflictari in fame et siti, in frigore et nuditate, in laboribus plurimis, in plagis supra modum, in mortibus frequenter? (II Cor. xi, 23, 27.) Hæc sunt quæ denigrant Paulum. Pro huiusmodi doctor gentium reputatur Inglorius, ignobilis, niger, obscurus; tanquam denique peripsema huius mundi. Enimvero nonne ipse est qui rapitur in paradysum, qui unum alterumque perambulans, usque ad tertium sui puritate penetrat cœlum? O vere pulcherrima anima! quam, etsi infirmum inhabitantem corpusculum, pulchritudine cœlestis admittere non desepit, angelica sublimitas non rejectit, claritas divina non repulit. Hanc vos dicitis nigram? Nigra est, sed formosa, filix Jerusalem. Nigra vestro, formosa divino angelicoque iudicio. Etsi nigra est, forinsecus est. Sibi autem pro minimo est, ut a vobis iudicetur, aut ab his qui secundum faciem iudicant. Homo siquidem videt in facie, Deus autem intuetur cor (I Reg. xvi, 7). Propterea etsi nigra foris, sed intus formosa, ut ei placeat cui se probavit. Non enim vobis: quibus si adhuc placeret, Christi servus non esset. Felix nigredo, quæ mentis candorem parit, lumen scientiæ, conscientiæ puritatem.

6. Audi denique quid per prophetam Deus promittat istiusmodi nigris, quos aut humilitas pœnitentiæ, aut charitatis zelus, tanquam solis æstus, decolorasse videtur. Si fuerint, ait, *peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabitur; et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut luna alba erunt (Isai. i, 18).* Non plane contemnuenda in sanctis ista nigredo externa, quæ candorem operatur internum, et sedem proinde præparat sapientiæ. *Candor est enim vite æternæ sapientia, ut Sapiens definit (Sap. vii, 26): et candidam oportet esse animam, in qua ipsa sedem elegerit. Quod si anima iusti sedes est sapientiæ, haud dubie dixerim animam iusti esse candidam. Et fortassis iustitia ipsa candor est. Justus autem erat Paulus, cui reposita fuerat corona iustitiæ (II Tim. iv, 8).* Candida proinde Pauli anima erat, et sapientia sedebat in ea, ita ut sapientiam loqueretur inter perfectos, sapientiam in mysterio absconditam, quam nemo principum mundi huius agnovit. Porro hunc in eo sapientiæ, iustitiæque candorem nigredo illa exterior de præsentia corporis infirma, de laboribus plurimis, de jejuniis ac vigiliis multis, aut operabatur, aut promerebatur. Ideoque et quod nigrum est Pauli, speciosius est omni ornatu extrinseco, omni etiam regio cultu. Non comparabitur ei quantalibet pulchritudo carnis, non cutis utique nitida et arsurâ, non facies colorata vicina putredini, non vestis pretiosa obnoxia vetustati, non auri species, splendorve gemmarum, seu quæque talia, quæ omnia sunt ad corruptionem.

7. Merito proinde omnis cura sanctorum, spreto

ornatu cultuque superfluo exterioris sui hominis, qui certe corrumpitur, omni se diligentia præbet et occupat excolendo ac decorando interiori illi, qui ad imaginem Dei est, et renovatur de die in diem. Certi sunt enim Deo non posse esse quidquam acceptius imagine sua, si proprio fuerit restituta decori. **1352** Propterea et omnis gloria eorum intus, non foris est; hoc est, non in flore feni, aut in ore vulgi, sed in Domino. Ude et dicunt: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ (II Cor. i, 12):* quod conscientiæ solus sit arbiter Deus, cui soli placere desiderant; et cui placere, sola vera et summa gloria est. Non mediocriter plane gloria illa quæ intus est, in qua gloriari dignatur et Dominus gloriæ, dicente David: *Omnis gloria ejus filix regis ab intus (Psal. xlii, 14).* Et tutior sua cuique gloria, dum habet eam in semetipso, et non in altero. At non in solo fortassis candore interno, sed in exteriori quoque nigredine et exteriori gloriandum, ne quid omnino sanctis depereat, sed omnia cooperantur in bonum. Non solum igitur in spe, sed et gloriari in tribulationibus. *Libenter, ait, gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* Optanda infirmitas, quæ Christi virtute compensatur. Quis dabit mihi non solum infirmari, sed et destitui ac deficere penitus a memetipso, ut Domini virtutum virtute stabiliar? *Nam virtus in infirmitate perficitur.* Denique ait: *Quando infirmor, tunc fortis sum et potens (II Cor. xii, 9, 10).*

8. Quod cum ita sit, pulchre sponsa convertit sibi ad gloriam, quod ei pro opprobrio ab æmulis intorquetur; non modo formosam, sed et nigram esse se glorians. Non enim erubescit nigredinem, quam novit præcessisse et in sponso: cui similari quantæ etiam gloriæ est? Nil sibi gloriosius proinde putat, quam Christi portare opprobrium. Unde vox illa prorsus exsultationis et salutis: *Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi! (Galat. vi, 14.)* Grata ignominia crucis ei qui Crucifixo ingratus non est. Nigredo est, sed forma et similitudo Domini. Vade ad sanctum Isaiam, et describet tibi qualem in spiritu illum viderit. Quem namque alium dicit *virum doloris, et scientem infirmitatem; et quia non erat ei species neque decor? Et addidit: Nos putavimus eum tanquam leprosum, et percussum a Deo, et humilitatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; et livore ejus sanati sumus (Isai. liii, 3, 5).* Ecce unde niger. Junge et illud sancti David: *Speciosus forma præ filiis hominum (Psal. xlii, 3);* et habes totum in sponso, quod sponsa de se hoc in loco testata est.

9. Num tibi recte et ipse videtur secundum ea quæ dicta sunt, æmulis posse respondere Judæis: *Niger sum, sed formosus, filii Jerusalem? Niger plane, cui non erat species, neque decor; niger, quia vermis et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis (Psal. cxi, 7).* Denique se ipsum fecit peccatum (II Cor. v, 21): et nigrum dicere verear? Intuere sane paucis sordidum, plagis lividum, illitum

spatis, pallidum morte; et nigrum vel tunc profecto A
fatebere. Percunctare etiam apostolos, eundem
ipsum qualem in monte perspexerint; aut certe
angelos, in qualem prospicere concupiscant; et ni-
hilominus formosum mirabere. Ergo formosus in se,
niger propter te. Quam formosum et in mea forma
te agnosco, Domine Jesu! non ob divina tantum
quibus effulges miracula, sed et propter veritatem,
et mansuetudinem, et justitiam. Beatus qui te in his
hominem inter homines conversantem diligenter ob-
servans, se ipsum præbet pro viribus imitorem tui.
Hoc jam beatitudinis munus formosa tua primitias
suar dotis accepit; nec quod formosum est tui, imi-
tari pigra; nec quod nigrum sustinere confusa. Unde
et dicebat: *Nigra sum, sed formosa, filia Jerusalem;*
et addidit similitudinem: *Sicut tabernacula Cedar,* B
sicut pelles Salomonis. At istud obscurum est, nec
attingendum omnino fatigatis. Habetis tempus ad
pulsandum. Si non dissimulatis, aderit qui revelat
mysteria; nec cunctabitur aperire, qui et ad pulsan-
dum invitat. Ipse est enim qui aperit, et nemo clau-
dit (*Apoc. iii, 7*), sponsus Ecclesiæ Jesus Christus
Dominus noster, qui est benedictus in sæcula sæcu-
lorum. Amen.

1353 SERMO XXVI (179).

*In quo beatus Bernardus obitum fratris sui Girardi
loquitur.*

1. *Sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis*
(*Cant. i, 4*). Hinc incipiendum, quia hic desit sermo
superior. Hoc expectatis audire quid sit, et qualiter
ei quod proximo tractatum est capitulo coaptetur, C
quia similitudo est. Potest enim hoc ita subjunctum
fuisse, ut utraque pars similitudinis ad id solum
respondeat, quod ibi præcesserat: *Nigra sum.* Potest
et ita, ut duobus illis duo ista, id est singula singulis,
referantur. Ille sensus simplicior, iste obscurior est.
Sed tentemus utrumque: et prius quidem hunc, qui
difficilior apparet. Non autem in duobus primis, sed
in duobus duntaxat extremis difficultas est. Nam
Cedar quidem, quod interpretatur *tenebræ*, aperte
satis cum nigredine convenire videtur; sed *pelles*
Salomonis cum formositate non ita. Porro taberna-
cula in eandem nihilominus concurrere convenientiam
quis non videat? Quid enim tabernacula, nisi nostra
sunt corpora, in quibus peregrinamur? Nec enim
habemus hic manentem civitatem, sed futuram in-
quirimus (*Hebr. xiii, 14*). Sed et militamus in eis,
tanquam in tabernaculis; prorsus violenti ad regnum.
Denique militia est vita hominis super terram (*Job*

(179) Habitus anno 1158.

(180) Hic incipit Bernardi de Girardo fratre oratio
funeris, quam Berengarius, ille Abaelardi impudens
discipulus, immerito suggillat, in primis quod « tri-
stia lætis confœderet: » deinde quod quibusdam
Ambrosii verbis utatur, ex ejus oratione funebri de
morte Satyri fratris « syllabatum » de promptis. At
ista nec in hoc sermone leguntur: nec, si legeren-
tur, Bernardo facerent injuriam. Loca duo hic re-
ferre juvat. En primum: « Decessit frater a vita,
imo, ut rectius fatear, mortem reliquit pro vita.

vii, 1); et quoad militamus in hoc corpore, pere-
grinamur a Domino, id est a luce. Nam Dominus lux
est; et in quantum quisque cum eo non est, in tan-
tum in tenebris est, hoc est in Cedar. Flebilem pro-
inde vocem illam agnoscat suam: *Heu mihi quia*
incolatus meus prolongatus est! habitavi cum habitau-
tibus Cedar, multum incola fuit anima mea (*Psal. cxix,*
5, 6). Est ergo hoc habitaculum nostri corporis, non
civis mansio, aut domus indigenæ; sed aut taber-
naculum militantis, aut stabulum viatoris. Est, in-
quam, hoc corpus tabernaculum, et tabernaculum Ce-
dar, quod nimirum animam, quasi objectu sui, incir-
cumscripti luminis interim nunc fraudat aspectu;
nec sinit omnino videre illud, nisi per speculum qui-
dem et in ænigmate, non autem facie ad faciem (*I*
Cor. xiii, 12).

2. Videsne unde Ecclesiæ nigredo, unde pulcher-
rimis quoque animabus nonnulla rubigo inhæserit?
De tabernaculo profecto Cedar, de exercitio labo-
riosæ militiæ, de diuturnitate miseri incolatus, de
angustiis ærumnosi exsilii, de corpore denique fra-
gili et gravi; quia corpus quod corrumpitur, aggra-
vat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum
multa cogitantem (*Sap. ix, 15*). Propterea et cu-
piunt dissolvi, ut corpore levatæ, Christi avolent in
amplexus. Unde et gemens una de miseris aiebat:
Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis
hujus? (*Rom. vii, 24*.) Scit nimirum quæ hujusmodi
est, quod non possit in tabernaculo Cedar carere ad
purum macula aut ruga, non quantulacunque nigre-
dine; et cupit exire, ut se possit exuere. Et hæc
ratio, cur sponsa nigram se dixerit *sicut tabernacula*
Cedar. Sed enim quomodo formosa, *sicut pelles Sal-*
omonis? At nescio quid sublime ac sacrum sentio in
his pellibus involutum, quod minime ausim omnino
contingere, nisi ad nutum sane ipsius, qui reposuit
et signavit. Legi nimirum: *Qui scrutator est ma-*
jestatis, opprimetur a gloria (*Pror. xxv, 27*). Super-
sedeo igitur et differo. Vobis interim curæ erit so-
lito impetrare 1354 favorem vestris precibus; ut
eo alacriores, quo fidentiores redeamus ad id, quod
attentioribus eget animis. Et fortassis inveniet pius
pulsator, quod temerarius scrutator non posset.
Quanquam et mœror finem imperat, et calamitas
quam patior.

3. Quousque enim dissimulo (180), et ignis quem
intra me ipsum abscondo, triste pectus adurit, in-
teriora depascitur? Clausus latius serpit, sævit
acrius. Quid mihi et cantico huic, qui in amaritu-

Frater, inquam, decessit, tenor conscientiæ, morum
speculum, vinculum religionis. Quis ulterius vege-
tabit ad laborem? quis amplius leniet mœrentem?
Alterum hoc est: « Bos bovem requirit, se quod
solum putat, frequenti mugitu pium testatur affe-
ctum. Bos, inquam, bovem requirit, cum quo du-
cere collo aratrum consuevit. » Posterior quidem
locus exstat post initium apud Ambrosium: neuter
apud Bernardum. Cautè præmissit Berengarius,
« ni fallor, » ne mendacii atque imposturæ argue-
retur.

dine snm? Vis doloris abducit intentionem, et indignatio Domini ebibit spiritum meum. Subtracto siquidem illo, per quem mea in Domino studia utcumque libera esse solebant, simul et cor meum dereliquit me. Sed feci vim animo, ac dissimulavi usque huc; ne affectus fidem vincere videretur. Denique plorantibus aliis, ego, ut advertere potuistis, siccis oculis secutus sum invisum funus, siccis oculis steti ad tumulum, quousque cuncta peracta sunt exsequiarum solemnina. Indutus sacerdotalibus, solitas in eum orationes proprio ore complevi, terram meis manibus ex more jeci super dilecti corpus, terram mox futurum. Qui me intuebantur flebant, et mirabantur quod non flerem ipse, cum non illum quidem, sed me potius, qui illum amissem, omnes miserarentur. Cujus enim vel ferreum pectus super me ibi non moveretur, quem videret Girardus superstitem? Commune damnatum; sed præ meo non reputabatur infortunio. At ego quibus poteram viribus fidei, reluctabar affectui, nitens vel invitus non moveri frustra additione nature, universitatis debito, conditionis usu, potentis jussu, judicio justis, flagello terribili, Domini voluntate. Pro hujusmodi semper extunc et deinceps exegi a memetipso non indulgere multo stetit, multum tamen turbatus et mæstus. Nec potui imperare tristitiæ, qui potui lacrymæ; sed, ut scriptum est: *Turbatus sum, et non sum locutus* (Psal. LXXVI, 5). At suppressus dolor altius introrsum radicavit, eo, ut sentio, acerbior factus, quo non est exire permissus. Fateor, victus sum. Exeat necesse est foras quod intus patior. Exeat sane ad oculos filiorum, qui scientes incommodum, planctum humanis æstiment, dulcius consolentur.

4. Scitis, o filii, quam justus sit dolor meus, quam dolenda plaga mea. Cernitis nempe quam comes deseruit me in via hac qua ambulabam, quam non segnis ad opus, quam suavis ad mores. Quis ita mihi pernecessarius? cui æque dilectus ego? Frater erat genere, sed religione germanior. Dolete, quæso, vicem meam vos, quibus hæc nota sunt. Infirmus corpore eram, et ille portabat me; pusillus corde eram, et confortabat me; piger et negligens, et excitabat me; improvidus et obliviosus, et commonebat me. Quo mihi avulsus es? quo mihi raptus e manibus, homo unanimis, homo secundum cor meum? Amavimus nos in vitæ; quomodo in morte sumus separati? Amarissima separatio! et quam non posset omnino efficere nisi mors. Quando enim me vivus vivum desereres? Omnino opus mortis, horrendum divortium. Quis enim tam suavi vinculo mutui nostri non pepercisset amoris, nisi totius suavitatis inimica mors? Bene mors, quæ unum rapiendo, duos furiosa peremit. **1355** An non mors etiam mihi? Imo plus mihi, cui utique omni morte

A infeliciores vita servata est. Vivo ut vivens moriar; et hoc dixerim vitam? Quam mitius me privares, o austera mors, vitæ usu, quam fructu! nam vita sine fructu gravior mors. Denique duplex malum ligno paratur infructuoso, securis et ignis (*Math. III, 10*). Ergo meis laboribus invidens, elongasti a me amicum et proximum, per cujus maxime studium erant, si quando erant, fructuosi. Satius proinde mihi fuisset periclitari vita, quam tua, o Girarde, præsentia, qui meorum in Domino studiorum eras sollicitus incitator, fidelis [*alias, fortis*] adjutor, cautus examinador. Cur, quæso, aut amavimus, aut amisimus nos? Dura conditio, sed mea miseranda fortuna, et non illius! Nam tu, charè frater, si charos amisisti, chariores utique recepisti. B Me vero quænam jam miserum consolatio manet post te unicum solatium meum? Placita fuit pariter utrique societas corporum pro morum concordia; sed solum me divisio vulneravit. Commune quod libuit; quod triste et lugubre, meum: in me transierunt iræ, in me confirmatus est furor. Erat ambobus alterutrum grata præsentia, dulce consortium, suave colloquium; sed tantas utriusque delicias ego perdidici, tu mutuasti. Et quidem immutatis illis retributio multa.

5. Quanto fenore gaudiorum ac benedictionum cumulo cares hodie nobis, frater charissime (181)! Habes certe pro me tantillo repositam tibi Christi præsentiam; nec dispendium sentis absentia a nobis tuæ, angelorum admistis choris. Non est igitur quod causeris tu de nostra quasi subtracta tibi præsentia, cui affatim sui suorumque copiam Dominus majestatis indulsit. At ego pro te quid? Quam velle scire quidnam sentias nunc de me illo unico tuo, mediis nutante curis et pœnis, destituto te baculo Imbecillitatis meæ! si tamen licet adhuc cogitare de miseris, ingresso abyssum luminis, atque illo pelago æternæ felicitatis absorpto. Forte enim etsi nosti nos secundum carnem, sed nunc jam non nosti: et quoniam introisti in potentias Domini, memoraris justitiæ ejus solius, immemor nostri. Cæterum qui adhæret Deo, unus spiritus est (*I Cor. VI, 17*), et in divinum quemdam totus immutatur affectum, nec potest jam sentire aut sapere nisi Deum, et quod sentit et sapit Deus, plenus Deo. Deus autem charitas est, et quanto quis conjunctior Deo, tanto plenior charitate. Porro impassibilis est Deus, sed non incompassibilis, cui proprium est misereri semper et parcere. Ergo et te necesse est misericordem esse, qui inhæres misericordii, quamvis jam minime miseris: et qui non pateris, compateris tamen. Affectus proinde tuus non est imminutus, sed immutatus; nec, quoniam Deum induisti, nostri cura te exuisti (182); et ipsi enim cura est de nobis (*I Petr. V, 7*). Quod in-

(181) Quidam codices scripti et editi hic addunt *tanto*, ut respondeat *quanto*, sed perperam.

(182) Hanc curam colligere licet ex duabus Gerardi apparitionibus, in lib. IV de Vita Bernardi, num. 40, et lib. V, num. 8.

De Girardi conversione lege Guillelmum in lib. I de Vita Bernardi, num. 11 et 12. Cellerarius erat apud Clarain-Vallem, ibid., num. 27. Ejus mors incidit in annum 1138, post eum ex Italia cum Bernardo reditum, hic, num. 14. Similem orationem funebrem de Humberto habes in tomo III.

firmum est abjecisti, sed non quod piūm. Charitas A
denique nunquam excidit (I Cor. XIII, 8) : non obli-
visceris me in finem.

6. Videor mihi quasi audire fratrem meum di-
centem : *Nunquid mater oblivisci poterit filii uteri
sui? Etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar
tui (Isa. XLIX, 15)*. Non expedit prorsus. Scis ubi
verser, ubi jaceam, ubi reliqueris me; non est qui
porrigat manum. Ad omne quod emergerit, respicio
ad Girardum ut consueveram, et non est. Heu! tunc
ingemisco miser, sicut homo sine adiutorio. Quem
consulam in ambiguis? cui in adversis fidam? quis
portabit onera? quis pericula propulsabit? Nonne
ubique gressus meos Girardi oculi anteibant [*alias,*
animabant!]? Nonne tuum, Girarde, pectus curæ meæ
notius, quam meum ipsius habebant, familiarius B
incursabant, acrius urgebant (183)? Nonne in lingua
tua illa placabili et potenti meam a sermonibus
 sæculi frequentissime vindicabas, **1356** et amico
reddebas silentio? Dominus dederat illi linguam
eruditam, ut sciret quando deberet proferre sermo-
nem. Ita denique in prudentia responsorum suorum,
et in gratia data sibi desuper, et domesticis satis-
faciebat et exteris, ut pene me nemo requireret, cui
prior forte Girardus occurrisset. Occurrebat autem
adventantibus, opponens se, ne subito meum otium
incursarent. Si quibus sane per se satisfacere non
quibat, hos perducebat ad me, cæteros emittebat.
O virum industrium! o amicum fidelem! et amico
gerebat morem, et officii charitatis non deerat.
C Quis vacua ab eo recessit manu? Si dives, consi-
lium; si pauper, subsidium reportabat. Nec quære-
bat quæ sua sunt, qui se mediis ingerebat curis, ut
ego vacarem. Sperabat enim, sicut erat humillimus,
majorem de nostra quiete fructum, quam si vacaret
ipse. Interdum tamen postulabat absolvi, et alteri
cedere, quasi qui melius provideret. Sed ubi ille in-
veniretur? Nec petulanti aliquo, ut assolet, in eo
officii detinebatur affectu, sed solo intuitu charitatis.
Siquidem plus omnibus laborabat, et minus omnibus
accipiebat; ita ut sæpe, cum aliis necessaria mini-
straret, egeret ipse in pluribus, verbi causa, cibo
aut veste. Denique cum se sentiret decessui propin-
quare : « Dcus, » inquit, « tu scis quod quan-
tum in me fuit, semper optavi quietem; mihi in-
tendere, tibi vacare. Sed implicitum tenuit timor
tuus, voluntas fratrum, et studium obediendi,
super omnia abbatis pariter et fratris germana
dilectio. » Ita est. Gratias tibi, frater, de omni fru-
ctu meorum, si quis est, in Domino studiorum.
Tibi debeo si profeci, si profui. Tu intricabar, et
ego tuo beneficio feriatius sedebam mihi, aut
certe divinis obsequiis sanctius occupabar, aut do-
ctrinæ filiorum utilius intendebam. Cur enim securus
Intus non essem, eum te scirem agentem foris
manum dexteram meam, lumen oculorum meorum,

pectus meum, et linguam meam? Et quidem inde-
fessa manus, oculus simplex, pectus consilii, lin-
gua loquens judicium, sicut scriptum est : *Os justi
meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judi-
cium (Psal. XXXVI, 30)*.

7. Sed quid dixi foris agentem illum? quasi in-
terna Girardus nesciret, ac spiritualium experts
esset donorum. Norunt qui illum norunt spirituales,
quam verba ejus spiritum redolerent. Norunt con-
tubernales, quam mores ejus et studia non carnem
saperent, sed ferverent spiritu. Quis illo rigidior in
custodia disciplinæ? quis in castigando corpus suum
districtior, suspensior vel sublimior in contemplando,
subtilior in disserendo? Quoties cum eo disserens ea
didici quæ nesciebam; et qui docturus adveneram, do-
ctus magis abscessi? Nec mirum de me, cum magni ac
sapientes viri id ipsum nihilominus ex illo sibi acci-
disse testentur. Non cognovit litteraturam; sed habuit
litterarum inventorem sensum, habuit et illuminantem
Spiritus. Nec in maximis tantum, sed in minimis ma-
ximus erat. Quid, verbi causa, in ædificiis, in agris,
hortis, aquis, cunctis denique artibus seu operibus
rusticorum? quid, inquam, vel in hoc rerum genere
Girardi subterfugit peritiam? Cæmentariis, fabris,
agricolis, hortulanis, sutoribus, atque textoribus
facile magister erat. Cumque omnium judicio om-
nibus esset sapientior, solis in suis oculis non erat
sapienter. Utinam multos, etsi minus sapientes, non
plus tangeret illa maledictio; *Væ qui sapientes estis
in oculis vestris (Isa. v, 21)*! Scientibus ista loquor,
et adhuc plura his de illo, et majora compertis. Par-
co tamen, quia caro mea, et frater est. Hoc tamen
securus addo: mihi utilis in omnibus, et privatis et
publicis, foris et intus. Merito ex eo pendebam totus,
qui mihi totum erat. **1357** Solum pene rel.querat
mihi provisoris honorem et nomen: nam opus ipse
faciebat. Ego vocitabar abbas, sed ille præerat in
sollicitudine. Merito requievit in illo spiritus meus,
per quem licebat delectari in Domino, præ. care
liberius, orare securius. Per te, inquam, mihi, frater
mi, mens sobria et grata quies, sermo efficacior,
pinguior oratio, frequentior lectio et ferventior
affectus.

D 8. Heu! sublatus es, et hæc omnia simul. Tecum
omnes pariter abiere deliciæ, et lætitiæ meæ. Jam
curæ irruunt, jam molestiæ hinc inde pulsant, et
angustiæ undique solum me repererunt, solæ mihi
te abeunte remanserunt, solus sub sarcina gemo. Aut
ponere, aut opprimi necesse est, quia tu tuos hu-
meros subduxisti. Quis mihi tribuat cito mori post
te? Nam pro te nolim, nec te tua fraudare gloria.
Porro supervivere tibi, labor et dolor. Vivam, quoad
vivam, in amaritudine; vivam in mœrore: et hæc
sit mihi consolatio, ut mœrore affligar. Non par-
cam; et juvabo manum Domini: et tuum manus

(183) Id testatur Bernardi per Girardum in oratio de miraculis ne is inde insolesceret, in *Lb. 1*
Vite, num. 45.

Domini tetigit me. Me, inquam, tetigit et percussit, non illum, quem vocavit ad requiem; me occidit, cum succidit illum. Nunquid enim occisum quis dixerit, quem plantavit in vita? At quod illi vitæ jama fuit, mihi plane est mors; neque illa morte mortuum dixerim, non hunc qui obdormivit in Domino. Exite, exite, lacrymæ jampridem cupientes; exite, quia is qui vobis meatum obstruxerat, comēavit. Aperiantur cataractæ miseri capitis; et erumpant fontes aquarum, si forte sufficiant sordes diluere culparum, quibus iram merui. Cum consolatus fuerit super me Dominus, tunc fortassis et ego merear consolari, si tamen non peperero a mœrore: nam, qui lugent, ipsi consolabuntur (*Math. v. 5*). Propterea condescendat mihi omnis sanctus, et in spiritu lenitatis qui spiritualis est, sustineat lamentantem. Luctus meus humano, quæso, pensetur affectu, non usu. Videmus nempe mortuos quotidie plangere mortuos suos: fletum multum, et fructum nullum. Non culpam affectum, nisi cum excedit modum; sed causam. Ille nimirum naturæ est, et ejus turbatio pœna peccati: hæc vanitas et peccatum. Etenim ibi sola, nisi fallor, plorantur damna gloriæ carnis, vitæ præsentis incommoda. Et plorandi qui ita plorant. Nunquid ego sic? Similis mihi affectus, sed altera causa, dissimilisque intentio. Nulla mihi sane querela de omnibus quæ sunt mundi. In his profecto quæ sunt Dei, ademptum daleo fidele auxilium, salutare consilium. Girardum lugeo: Girardus est in causa, frater carne, sed proximus spiritu, socius proposito.

Adhæsit anima mea animæ illius; et unam fecit de duabus, non consanguinitas, sed unanimitas. Carnis quidem necessitudo non defuit; sed plus junxit societas spiritus, consensus animorum, morum conformitas. Cum ergo essemus cor unum et anima una, hanc meam pariter atque ipsius animam pertransiit gladius, et scindens, mediam partem locavit in cælo, partem in cœno deseruit. Ego, ego illa portio misera in luto jacens, truncata parte sui, et parte potiori; et dicitur mihi: Ne flevieris? Avulsa sunt viscera mea a me; et dicitur mihi: Ne senseris? Sentio, sentio vel invitus, quia nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est; sentio prorsus et doleo, et dolor meus in conspectu meo semper. Non sane nos poterit duritiæ et insensibilitatis arguere ille qui verberat, quomodo illos de quibus ait: *Percussi eos, et non doluerunt* (*Jerem. v. 3*). Affectum meum confessus sum, et non negavi. Carnalem quis dixerit: ego humanum non nego, sicut nec me hominem. Si nec hoc sufficit, nec carnalem negaverim. Nam et ego carnalis sum, venudatus sub peccato, addictus morti, pœnis et ærumnis obnoxius. Non sum, fateor, insensibilis ad pœnas, mortem horreo meam et mœorum. Meus Girardus erat, meus plane. An non meus, qui frater sanguine fuit, professione **1358** filius, sollicitudine pater, consors spiritu [*aliam, cum consors spiritu*], lutimus affectu? Is recessit a me; sentio, læsus sum, et graviter.

A 10. Ignoscite, filii: imo si filii, vicem dolete paternam. Misere mini mei, misere mini mei, saltem vos amici mei, qui certe consideratis quam gravia pro peccatis recepi de manu Domini. In virga indignationis suæ percussit me, digne pro meritis, dure pro viribus. An leve quis dixerit vivere me absque Girardo, nisi qui ignorat quid mihi cum Girardo? Nec tamen contradico sermonibus sancti; nec reprehendo judicium, quo recepit quisque quo dignus est: ille, coronam quam meruit; ego, quam debui pœnam. Nunquid quia sentio pœnam, reprehendo sententiam? Humanum est illud, hoc impium. Humanum, inquam, et necesse affici erga charos, sive delectabiliter cum præsto sunt, sive cum absunt, moleste. Non erit otiosa socialis conversatio, præsertim inter amicos: et quid effecerit mutuus amor in sibi præsentibus, horror indicat separationis, et dolor de invicem separatis. Doleo super te, Girardo charissime, non quia dolendus, sed quia ablatas. Et ideo fortassis dolendum mihi potius super me, qui bibo calicem amaritudinis. Et solus dolendus, quia solus bibo: non enim et tu. Solus ego patior quod solent pariter pati qui se diligunt, cum se amittunt.

B 11. Utinam non te amiserim, sed præmiserim! utinam vel tarde aliquando sequar te quocumque ieris! Non enim dubium quin ad illos ieris, quos circa medium extremæ noctis tuæ invitabas ad laudem, cum in vultu et voce exultationis subito erupisti in illud Davidicum, stupentibus qui assistebant: *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis* (*Psal. cxlviii. 1*). Jam tibi, frater mi, nocte adhuc media diescebat, et nox sicut dies illuminabatur. Prorsus illa nox illuminatio tua in deliciis tuis. Accitus sum ego ad id miraculi, videre exultantem in morte hominem, et insultantem morti. Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus? Jam non stimulus, sed jubilus. Jam cantando moritur homo, et moriendo cantat. Usurparis ad lætitiã, mater mœroris; usurparis ad gloriam, gloriæ inimica; usurparis ad introitum regni, porta inferi; et fovea perditionis, ad inventionem salutis: idque ab homine peccatore. Juste nimirum, quia tu iuque in hominem innocentem et justum potestatem temeraria usurpasti. Mortua es, o mors, et perforata hamo quem incauta glutisti, cujus illa vox est in propheta: *O mors, ero mors tua; morsus tuus ero, inferne* (*Ose. xiii. 14*). Illo, inquam, hamo perforata, transeuntibus per medium tui fidelibus latuna lætumque exitum pandis ad vitam. Girardus te non formidat, larvalis effigies. Girardus per medias fauces tuas transit ad patriam, non modo securus, sed et lætabundus et laudans. Cum ergo supervenissem, et extrema jam psalmi, me audiente, clara voce complexisset, suspiciens in cælum, ait: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* (*Luc. xxiii. 46*). Et repetens eundem sermonem, ac frequenter ingeminans: *Pater, Pater*, conversus ad me, exhilarata quidem facie: *Quanta, o inquit, dignitas*

Dei, patrem hominum esse ! quanta hominum gloria, A Dei filios Dei esse et hæredes ! Nam si filii, et hæredes. » Sic cantabat quem nos lugemus : in quo et meum, fateor, luctum pene in cantum convertit, dum intentus gloriæ ejus, propriæ fere miseræ obviscor.

12. Sed revocat me ad me pungens dolor, facileque a sereno illo intuitu, tanquam a levi excitat sonino perstringens anxietas. Plangam igitur, sed super me, quia super illum jam vetat ratio. Puto enim, si opportunitas daretur, modo diceret nobis : Nolite flere super me, sed super vos ipsos flete. Planxit merito David super parricida filio (*II Reg. xix, 1*), cui perpetuo sciret obstructum exitum de ventre mortis mole criminis. Merito super Saul et super Jonatham (*II Reg. i, 17*) ; quibus æque **1359** absorptis semel, emersio jam non speratur (184). Et quidem resurgent, sed non ad vitam ; imo ad vitam, ut vivi in morte infeliciter moriantur. Quamquam de Jonatha possit non immerito hæere sententia (185). At mihi etsi non ista suppetit plangendi ratio, non tamen nulla. Plango primum super mea ipsius plaga, atque hujus jactura domus ; plango deinde super pauperum necessitatibus, quorum Girardus pater erat ; plango certe et super universo statu nostri ordinis nostræque professionis, qui de tuo, Girarde, zelo, consilio et exemplo robur non mediocre capiebat ; plango postremo, etsi non super te, propter te tamen. Hinc prorsus, hinc afficior graviter, quia vehementer amo. Et nemo mihi molestus sit, dicens non debere sic affici ; cum benignus Samuel super reprobo rege (*I Reg. xvi, 1*), et pius David super parricida filio satisfecerint affectioni, et non ad injuriam fidei, non in superni suggillationem judicii. *Absalon fili mi*, ait sanctus David, *fili mi Absalon* (*II Reg. xviii, 33*) : et ecce plus quam Absalon hic. Salvator quoque videns civitatem Jerusalem, et prævidens ruituram, *flevit super eam* (*Luc. xix, 41*). Et ego propriam, et quæ in præsentem est desolationem non sentiam ? Plagam meam recentem, et gravem non doleam ? Ille flevit compatiendo, et ego patiendo non audeam ? Et certe ad tumulum Lazari nec fientes arguit, nec a fletu prohibuit, insuper et flevit cum fientibus : *Et lacrymatus est*, inquit, *Jesus* (*Joan. xi, 35*). Fuerunt lacrymæ illæ testes profecto naturæ, non indices diffidentis. Denique et prodiit mox ad vocem ejus qui erat mortuus, ne continuo putes fidei præjudicium dolentis affectum.

13. Sic nec fletus utique noster infidelitatis est signum, sed conditionis indicium ; nec quia percussus ploro, arguo ferientem, sed provoco pietatem, seve-

(184) Ita omnes scripti cum primis editis : recentiores, *sperabatur*.

(185) Videtur dubitare Bernardus de salute Jonathæ. Sed alii Patres et interpretes eum coelo asserunt. Vide apud Rangolium in caput xxxi lib. I Reg., § 2 ; Sallianum ad annum mundi 2979, num. 155 ; Abulens. in cap. cit. Mors autem ejus infelix cum

ritatem flectere satago. Unde et verba mea dolore sunt plena, non tamen et murmure. Numquid non plenum justitiæ protuli, quod unius sententiæ complemento et punitus est qui debuit, et coronatus qui meruit ? Et adhuc dico : Bene utrumque fecit dulcis et rectus Dominus. Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine. Cantet tibi misericordia, quam fecisti cum servo tuo Girardo ; cantet et judicium, quod nos portamus. In altero bonus, in altero justus laudaberis. An solius laus bonitatis ? Est et justitiæ. *Justus es, Domine, et rectum judicium tuum* (*Psal. cxviii, 137*). Girardum tu delisti, Girardum tu abtulisti : et si dolemus ablatum, non tamen obliviscimur quod datus fuit, et gratias agimus quod habere illum meruimus, quo carere in tantum non volumus, in quantum non expedit.

14. Recordor, Domine, pacti mei et miserationis tuæ, ut magis justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris. Cum pro causa Ecclesiæ anno præterito Viterbii essemus (186), ægrotavit ille, et invalescente languore, cum jam proxima videretur vocatio, ego ægerrime ferens comitem peregrinationis, et illum comitem in terra relinquere aliena, nec resignare his qui mihi eum commiserant, quoniam amabatur ab omnibus, sicut erat amabilis valde ; conversus ad orationem cum fletu et gemitu : *Expecta, inquam, Domine, usque ad reditum. Restitutum amicis tolle jam eum, si vis, et non causabor. Exaudisti me, Deus : convuluit, opus perfecimus quod injunxeras, redivimus cum exultatione reportantes manipulos pacis. Porro ego oblitus pene sum meæ conventionis, sed non tu. Pudet singultuum horum, qui prævaricationis me arguunt. Quid plura ? Repetisti commendatum, recepisti tuum. Finem verborum indicunt lacrymæ ; tu illis, Domine, finem modumque indixeris.*

1360 SERMO XXVII.

De ornatu sponsæ, et qualiter anima sancta in cælum dicatur.

1. Quia debitis humanitatis officiis amicam reverentem in patriam prosecuti sumus, redeo, fratres, ad propositum ædificandi quod intermiseram. Incongruum namque est diu flere latentem ; et sedenti ad epulas lacrymas multas ingerere, importunum. Sed et si nostras desiteamus ærumas, ne id quidem oportet nimis, ne non tam amasse illum, quam nostra quæsisse de illo commoda videamur. Temperet sane dilecti gaudium mœstitiam desolatorum ; et tolerabilius fiat nobis quod nobiscum non est, quia cum Deo est. Fretus ergo orationibus vestris, volo in lucem, si possum, prodere quidquid illud est, quod opertum illis pellibus sentio, quæ in exemplum

parente Saule non debet quemquam movere. Impii quocunque modo discedant, male moriuntur. Pii bene et feliciter occumbunt, quocunque mortis genere defungantur.

(186) Viterbii in Italia Bernardus duplicem moram fecit : primam, anno 1133, teste epistola 151 ; alteram, anno 1137, cujus hic mentio.

decoris sponsæ productæ sunt. Hoc, si recolis [alias, sicut recolitis], tactum fuit, sed iadiscussum remansit : porro discussum et declaratum, quomodo nigra sit sicut tabernacula Cedar. Quomodo ergo sicut pelles Salomonis formosa (Cant. 1, 4), quasi vero Salomon in omni gloria sua quidquam habuerit condignum decore sponsæ, et gloria ornatus ejus? Et quidem si non ad decorem sponsæ, sed ad nigredinem potius nescio quas pelles istas, sicut et tabernacula Cedar respicere diceremus, fortassis competeret, nec deesset unde id congruere monstrarem, sicut et monstrabimus. At vero si sponsæ claritati quarumcunque decorem pellium comparandum putamus, hic prorsus opus nobis est ejus ad quem pulsastis auxilio, quatenus mysterium hoc digne aperire possimus. Quid namque eorum quæ in facie lucent, si internæ cujuscumque sanctæ animæ pulchritudini comparetur, non vile ac sordidum recto appareat æstimatori? Quid, inquam, tale in se ostendit ea quæ præterit figura hujus mundi, quod æquare speciem animæ possit illius, quæ exuta terreni hominis vetustatem, ejus qui de cælo est, decorem induit, ornata optimis moribus pro monilibus, ipso purior sicut et excelsior æthere, sole splendidior? Noli ergo respicere ad istum Salomonem, cum indagare cupis cujusmodi se pellibus similem in decore sponsa gloriatur.

2. Quid est ergo quod dicit : *Formosa sum sicut pelles Salomonis*? Magnum et mirabile quiddam, ut ego æstimo : si tamen non hunc, sed illum hic attendamus, de quo dicitur : *Eccis plus quam Salomon hic* (Matth. xii, 42). Nam usque adeo is meus Salomon est, ut non modo *pacificus* (quod quidem Salomon interpretatur), sed et *pax ipsa* vocetur, Paulo perhibente quia *ipse est pax nostra* (Ephes. ii, 14). Apud istum Salomonem non dubio posse inveniri quod decori sponsæ omnino comparare non dubitem. Et præsertim de pellibus ejus adverte in Psalmo : *Extendens, ait, cælum sicut pellem* (Psal. ciii, 2). Non ille profecto Salomon, etsi multum sapiens, multumque potens, extendit cælum sicut pellem; sed is potius qui non tam sapiens quam ipsa Sapientia est, ipse prorsus extendit et condidit. Istius siquidem, et non illius illa vox est : *Quando præparabas cælos, haud dubium quin Deus Pater, ego aderam*. Aderat sine dubio præparanti cælos sua virtus, suaque sapientia. Nec putes astitisse otiosam, et quasi ad spectandum solummodo, quia dixit, *aderam*, non etiam, *præparabam*. Respice paulisper inferius, et inuenies aperte subjungentem, quia *eram cum eo componens omnia* (Prov. viii, 27-30). Denique ait : *Quæcunque enim Pater facit, hæc et Filius similiter facit* (Joan. v, 19). Et ipse itaque extendit cælum sicut pellem. Pulcherrima pellis, quæ in modum magni cujusdam tentorii universam operiens faciem terræ, solis, lunæ atque stellarum varietate tam

Aspectabili humanos oblectat aspectus. Quid hac pelle formosius? quid **1361** ornatus cælo? Minimo tamen vel ipsum ullatenus conferendum gloriae et decori sponsæ, eo ipso succumbens, quod præterit et hæc figura ipsius, utpote corporea, et corporea subjacens sensibus. Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna (II Cor. iv, 18).

3. Sed est rationalis quædam sponsæ species, et spiritualis effigies; ipsaque æterna, quia imago æternitatis. Decor ejus, verbi gratia, charitas est, et charitas, sicut legitis, *nunquam excidit* (I Cor. xiii, 8). Est certe et justitia : *Et justitia ejus, inquit, manet in sæculum sæculi* (Psal. cxi, 3). Est etiam patientia; et legitis nihilominus quia *patientia pauperum non peribit in finem* (Psal. ix, 19). Quid voluntaria paupertas? quid humilitas? Nonne altera regnum æternum (Matth. v, 3), altera æque exaltationem promeretur æternam? (Luc. xiv, 11.) Eo quoque spectat et timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi (Psal. xviii, 10). Sic prudentia, sic temperantia, sic fortitudo, et si quæ sunt virtutes aliæ, quid nisi margaritæ sunt quædam in sponsæ ornatu, splendore perpetuo coruscantes? Perpetuo, inquam, quia sedes et fundamentum perpetuitatis. Nec enim perpetuæ beatæque vitæ omnino locus in anima est, nisi mediis quidem interjectisque virtutibus. Unde Propheta Deo, qui utique vita beata est : *Justitia, inquit, et judicium præparatio sedis tuæ* (Psal. lxxxviii, 15). Et Apostolus dicit : *Christum habitare, non omni modo quidem, sed signanter per fidem in cordibus nostris* (Ephes. iii, 17). Domino quoque sessuro super asellum, vestea suas discipuli substraverunt (Matth. xxi, 7, 8); significantes Salvatorem seu salutem nequaquam insidere nudæ animæ, quam non videlicet vestitam invenerit doctrina et moribus apostolorum. Et ideo Ecclesia promissionem habens futuræ felicitatis, curat interim præparare et præornare se in vestitu deaurato, circumdata varietate (Psal. xlii, 10) gratiarum atque virtutum (187), quo digna et capax plenitudinis gratiæ inveniatur.

4. Cæterum spirituali huic tam pulchræ varietati, quam de prima interim stola in quadam veste sum sanctificationis accepit, nullo pacto ego comparaverim in decore cælum hoc visibile atque corporeum, quamvis in suo genere quidem siderea varietate pulcherrimum. Sed est cælum cæli, de quo Propheta : *Psallite, inquit, Domino, qui ascendit super cælum cæli ad orientem* (Psal. lxxvii, 33, 34). Et hoc cælum intellectuale ac spirituale : et qui fecit cælos in intellectu (Psal. cxxxv, 5), creavit illud et statuit in sempiternum, ipsumque inhabitat. Ne vero putes sponsæ devotionem citra illud remanere cælum, in quo scit habitare dilectum : ubi enim thesaurus ejus, ibi et cor ejus (Matth. vi, 21). Ammu-

(187) Addit Horstius, *qualem quidem ex parte descripsimus* : quæ desiderantur in primis editis et in omnibus nostris manuscriptis.

latur sane assistentes vultui ad quem suspirat, et quibus se interim non valet videndo associare, studet conformare vivendo, moribus magis, quam vocibus clamans: *Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ (Psal. xxv, 8).*

5. Prorsus de hoc cælo minimesibi indignum ducit ducere similitudinem. Hoc extantum sicut pellis, non spatiis tamen locorum, sed affectibus animorum; hoc miris variisque artificis distinctum operibus. Divisiones autem sunt, non colorum (188), sed beatitudinum. Nam alios quidem posuit angelos; alios aetern, archangelos; alios vero, virtutes; alios, dominationes; alios, principatus; alios, potestates; alios, thronos; alios cherubin, atque alios seraphin. Sic stellatum cælum hoc; sic depicta hæc pellis. Hæc una de pellibus mei Salomonis, et hæc præcipua in omni ornata multiforum gloriæ ejus. Habet autem grandis ista pellis quamplurimas in se æque Salomonis pelles, quoniam unusquisque beatus et sanctus, qui ibi est, pellis est utique Salomonis. Benigni siquidem sunt atque extenti in charitate, pertingentes usque ad nos, quibus gloriam, quam habent, 1362 non invident, sed optant; ita ut ex ipsis hujus rei gratia demorari apud nos non graventur, seduli circa nos, et curam gerentes nostri, omnes administratorii spiritus, missi in ministerium propter eos qui hæreditatem capiunt salutis (*Hebr. 1, 14*). Quamobrem sicut cælum cæli singulariter dicitur universa illa multitudo collecta beatorum; sic et cæli cælorum propter singulos, qui utique cæli sunt, nominantur, et ad singulos spectat quod dicitur: *Extendens cælum sicut pellem (Psal. ciii, 2)*. Videtis, credo, quænam illæ pelles, et cujus sint Salomonis, de quarum sponsa similitudine gloriatur.

6. Nunc jam intueamini ejus gloriam, quæ et cælo se comparat, et illi cælo, quod tanto est gloriosius, quanto divinius. Nec immerito usurpat inde similitudinem, unde originem ducit (189). Nam si propter corpus, quod de terra habet, tabernaculis Cedar se assimilat, cur non et propter animam, quæ de cælo est, cælo æque similem se esse gloriatur, præsertim cum vita testetur originem, testetur naturæ dignitatem et patriæ? Unum Deum adorat et colit, quo modo angeli, Christum super omnia amat, quo modo

angeli, casta est, quo modo angeli, idque in carne peccati et fragili corpore, quod non angeli, querit postremo, et sapit quæ apud illos sunt, non quæ super terram. Quod evidentius cælestis insigne originis, quam ingentiam, et in regione dissimilitudinis, retinere similitudinem, gloriam vitæ cælibis in terra, et ab exsule, usurpari, in corpore denique pene bestiali vivere angelum? Cælestis sunt ista potentia, non terrenæ, et quod vere de cælo sit anima quæ hæc potest, aperte indicant. Audi tamen apertius: *Vidi, inquit, civitatem sanctam Jerusalem novam, descendentem de cælo, a Deo paratam, tanquam sponsam ornata viro suo; et addidit: Et audivi vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis (Apoc. xxi, 2, 3)*. Ad, quid? Credo ut sibi acquirat sponsam de hominibus. Mira res! Ad sponsam veniebat, et absque sponsa non veniebat. Quærebat sponsam, et sponsa cum ipso erat. An duæ erant? Absit! *Una est enim, ait, columba mea*. Sed sicut de diversis ovium gregibus unum facere voluit, ut sit unum ovile, et unus pastor (*Joan. x, 16*), ita cum haberet sponsam inhærentem sibi a principio multitudinem angelorum, placuit ei et de hominibus convocare Ecclesiam, atque unire illi quæ de cælo est, ut sit una sponsa, et sponsus unus. Ergo ex adjecta ista, perfecta est illa, non duplicata, et agnoscit de se dictum: *Una est perfecta mea (Cant. vi, 8)*. Porro unam conformitas facit, nunc quidem in simili devotione, postea vero et in pari gloria.

7. Habes itaque utrumque de cælo, et sponsum, scilicet Jesum, et sponsam, Jerusalem. Et ille quidem ut videretur, semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo (*Philipp. ii, 7*). At illum in quam, putamus, forma seu specie, aut in quo habitu videlicet descendente vidit ille qui vidit? An forte in frequentia angelorum, quos vidit descendentes et ascendentes super Filium hominis? (*Joan. 1, 51*) Sed melius dicimus quod sponsam tunc vidit, cum Verbum in carne vidit, agnoscens duos in carne una. Dum enim sanctus ille Emmanuel terris intulit magisterium disciplinæ cælestis, dum supernæ illius Jerusalem, quæ est mater nostra, visibilis quædam imago et species decoris ejus per ipsum

(188) Omnes scripti nostri habent *colorum*, præter unum Gemeticense, qui, *locorum*; editi, *cælorum*.

(189) Berengarius Abælardi discipulus in Apologético, quod pro suo præceptore edidit contra Senonense concilium ipsiunque Bernardum, ita in hæc verba cavillatur, quasi S. doctor senserit animas creari in cælo, et postea in corpora infundi. Sic enim viro sanctissimo impudenter insultat: « Errasti vere, » inquit, « dum originem animarum e cælo asseruisti esse. Quod qualiter in libro astruas, quoniam utile et facile est cognitu, sagaci lectori ab altiori cardine retexam. Est liber quem hebræus Firasirin (Schirhaschirim), latinus nominat Canticum canticorum, cujus littera vigilantibus animis divinæ ejusmodi intelligentiæ sudat arcanum. » Et infra: « Hæc verba tua subtiliter explorata Christianæ

mentis palato hæresim sapiunt. Si enim idcirco animæ originem de cælo adstruis, quia quandoque beata futura est in cælis, eadem ratione corporis origo erit in cælis, quia quandoque beatum futurum est in cælis. Aut si ideo animæ originem cælestem adscribis, quia olim orta, id est facta, sit in cælis (quod quidem verborum talium resultat intentio), pravitatem Origenis incurris. » Ita temerarius ille Apologista. Verum quidni anima dicatur cælestis, cum Patrem habeat cælestem, ejus conversatio in cælis esse debeat, ejus patria in cælo sit, quemadmodum ejus substantia omnia terrena transcendit? Unde S. Augustinus lib. ii contra Julianum: « Cum corpus e terra, et spiritum possideamus e cælo, ipsi terra et cælum sumus. » Sed apage putidum illum calumniatorem Berengarium.

nobis et in ipso expressa innotuit : quid nisi in A sponso sponsam perspeximus, unum eundemque Dominum gloriæ admirantes, et sponsum decoratum coronâ, et sponsam ornatam monilibus suis? Ipse igitur qui descendit, ipse est et qui ascendit, ut nemo ascendat in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, unus idemque Dominus, et sponsus in capite, **1363** et sponsa in corpore. Nec frustra in terris visus est homo cœlestis, cum de terrenis cœlestes quamplurimos fecerit sibi similes, ut sit quod legitur : *Qualis cœlestis, tales et cœlestes* (1 Cor. xv, 48). Extunc igitur in terra vivitur more cœlestium, dum instar supernæ illius beatæque creaturæ, hæc quoque, quæ a finibus terræ venit audire sapientiam Salomonis, cœlesti viro nihilominus casto inhæret amore, etsi necdum quomodo illa juncta per speciem, tamen sponsata per fidem, juxta promissum Dei dicentis per prophetam : *Sponsabo te mihi in misericordia et miserationibus, et sponsabo te mihi in fide* (Ose. ii, 19). Unde magis magisque conformari satagit formæ, quæ de cœlo venit, discens ab ea verecunda esse et sobria, discens pudica et sancta, discens patiens atque compatiens, postremo discens mitis et humilis corde. Et ideo moribus hujusmodi contendit et absens placere ei, in quem angeli prospicere concupiscunt, ut dum desiderio fervet angelico, probet se proinde civem sanctorum, et domesticam Dei, probet dilectam, probet sponsam.

8. Ego puto omnem animam talem non modo cœlestem esse propter originem, sed et cœlum ipsum posse non immerito appellari propter imitationem. Et tunc liquido ostendit quia vere origo ipsius de cœlis est, cum conversatio ejus in cœlis est. Est ergo cœlum sancta aliqua anima, habens solem intellectum, lunam fidem, astra virtutes. Vel certe sol, justitiæ zelus aut fervens charitas; et luna continentia. Quomodo enim claritas, ut aiunt, lunæ non nisi a sole est, sic absque charitate seu justitia continentiam meritum nullum est. Hinc donique Sapiens : *O quam pulchra est, inquit, casta generatio cum charitate!* (Sap. iv, 1.) Porro stellas dixisse virtutes non me pœnitet, considerantem congruentiam similitudinis. Quo modo nempe stellæ in nocte lucent, in die latent, sic vera virtus, quæ sæpe in prosperis non apparet, eminet in adversis. Illud sane cautelâ

(190) Idem locus laudatur in sermone 1 de Purificatione, n. 4, et sermone 5 in Dominica 1 novembris, n. 5; item supra, sermone 25, num. 6. Hunc ex Scriptura passim adducunt, præter Bernardum, Augustinum et Gregorium Magnus. Hactenus tamen in Bibliis juxta translationem Vulgatam non inveni, quamvis passim a dictis Patribus nomine Scripturæ citetur. S. quidem Augustinus, Enarratione in Psal. xlvi, ad versum 9, et serm. 200, n. 1, « Cur enim, inquit, non agnoscamus eos cœlos, qui facti sunt sedes Dei? sicut scriptum est, *Anima justis sedes est sapientiæ.* » S. Gregorius, 29 Moral. cap. 15 : « Quid hic aliud cœlum, nisi sublimis debet intelligi vita sanctorum?... De hoc cœlo Dominus ait : *Cœlum mihi sedes est.* De que sede alias scriptum est : *Anima justis sedes sapientiæ est.* » Et rursus idem, Hom. 38 in Evang. in princ. : « Congregatio quippe justorum, regnum cœlorum dicitur. Quia enim per pro-

est, hoc necessitatis. Ergo virtus est sidus, et homo virtutum, cœlum. Nisi quis forte cum Deum, per prophetam dixisse legit : *Cœlum mihi sedes est* (Isa. lxxvi, 1); cœlum hoc volubile visibilique intelligendum existimet, et non potius illud, de quo alibi apertius Scriptura commemorat : *Anima, inquit, justis sedes est sapientiæ* (190). Qui autem ex doctrina Salvatoris sapit spiritum esse Deum, atque in spiritu adorandum (Joan. iv, 24); etiam sedem ei non ambigit assignare spiritualem. Ego vero fidenter id fecerim, non minus in hominis justis, quam in angelico spiritu. Confirmat me in hoc sensu maxime illa fidelis promissio : *Ego et Pater, ait Filius, ad eum, id est ad sanctum hominem, veniemus et mansionem apud eum faciemus* (Joan. xiv, 23). Prophetam quoque non de alio dixisse cœlo arbitror : *Tu autem in sancto habitas, laus Israel* (Psal. xxi, 4). Manifeste autem Apostolus dicit *habitare Christum per fidem in cordibus nostris* (Ephes. iii, 17).

9. Nec mirum, si libenter inhabitat cœlum hoc Dominus Jesus, quod utique, non quomodo cæteros, dixit tantum ut fieret, sed pugnavit ut acquireret, occubuit ut redimeret. Ideo et post laborem voto positus, ait : *Hæc requies mea in sæculum sæculi; hic habitabo, quoniam elegi eam* (Psal. cxxxii, 14). Et beata cui dicitur : *Veni, electa mea, et ponam in te thronum meum. Quid tu tristis es nunc, o anima mea, et quare conturbas me? Putasne et tu penes te invenias locum Domino? Et quis nobis locus in nobis huic idoneus gloriæ, sufficiens majestati? Utinam vel merear adorare in loco ubi steterunt pedes ejus. Quis dabit mihi saltem vestigiis adhærere sanctæ cujuscumque animæ, quam elegit in habitationem sibi? Tamen, si dignetur infundere et meam animam unctione misericordiæ suæ, atque ita extendere sicut pellem, quæ utique cum ungitur dilatatur, quatenus et ego dicere valeam : *Viam 1364 mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum* (Psal. cxviii, 52); potero etiam ipse fortassis ostendere in me ipso, etsi non cœnaculum grande stratum, ubi possit recumbere cum discipulis suis; attamen ubi saltem reclinet caput. A longe suspicio illos certe beatos, de quibus dicitur : *Et inhabitabo in eis, et deambulabo in illis* (II Cor. vi, 16).*

10. O quanta illi animæ latitudo, quanta et meripheta Dominus dicit, *Cœlum mihi sedes est*; et Salomon ait, *Anima justis sedes sapientiæ*, etc. Ecce Salomoni sententia tribuitur : et quidem ad marginem notatur, *Sapientiæ*, cap. 7. Nempe liber Sapientiæ a multis veterum Patrum Salomoni attributus est. Ibi vero versu 7 ita lego : *Invocavi, et venit in me spiritus sapientiæ.* Ex quibus verbis citata et celebris apud Patres sententia formata videri possit. Conjecturam probabit lector, donec invenerit meliorem. Porro observet idem, multas Scripturæ sententias apud Patres citari, juxta translationem LXX Interpretum, quarum plures passim in Operibus Bernardi notavimus. Verum id de præsentis loco non accipiendum, cum Græcè primum scriptus sit liber Sapientiæ, aut certe Hebraicus ejus textus non exstet. Quidam huc accersunt Prov. xii, 28, *In semita justitiæ, vita.*

torum prerogativa, quæ divinam in se præsentiam, A et digna invenitur suscipere, et sufficiens capere! Quid illa, cui et spatiosa [alias, spatia] suppetunt deambulatoria, ad opus quidem majestatis? Non est profecto intricata forensibus causis curisve sæcularibus, nec certe ventri et luxuriæ dedita; sed nec curiosa spectandi, seu cupida omnino domiandi, vel etiam tumida dominatu. Oportet namque primo quidem his omnibus vacuasse animam, ut cælum fiat atque habitatio Dei. Alioquin quomodo poterit vacare, et videre quoniam ipse est Deus? Sed et odio sive invidiæ aut rancori minime prorsus indulgendum, quoniam in malevolam animam non introibit sapientia (Sap. 1, 4). Deinde necesse est eam crescere ac dilatari, ut sit capax Dei. Porro latitudo ejus, dilectio ejus, sicut dicit Apostolus: *Dilatamini B in charitate (II Cor. vi, 13)*. Nam etsi anima minime, cum sit spiritus, quantitatem corpoream recipit; tamen confert illi gratia quod negatum est a natura. Crescit quidem et extenditur, sed spiritualiter; crescit non in substantia, sed in virtute; crescit et in gloria; crescit etiam in templum sanctum in Domino; crescit denique et proficit in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi (Ephes. iv, 13). Ergo quantitas cujusque animæ æstimetur de mensura charitatis quam habet, ut verbi gratia, quæ multum habet charitatis, magna sit; quæ parum, parva; quæ vero nihil, nihil, dicente Paulo; *Si charitatem non habuero, nihil sum (I Cor. xiii, 3)*. Quod si quantulamcunque habere cœperit, ut saltem diligentes se diligere curet, ac salutare vel fratres suos, C et eos qui se salutant; jam nonnihil quidem illam animam dixerim, quæ in ratione dati et accepti socialem saltem retinet charitatem. Verumtamen juxta sermonem Domini, quid amplius facit? (Matth. v, 47.) Nec amplam proinde, nec magnam, sed plane angustam modicamque censuerim animam, quam adeo modicæ charitatis esse cognoverim.

1. At si grandescat et proficiat, ita ut transiens limitem angusti obnoxiique amoris hujus, latos fines bonitatis gratuitæ tota libertate spiritus apprehendat, quatenus largo quodam gremio bonæ voluntatis ad omnem seipsam curet extendere proximum, diligendo unumquemque tanquam seipsam; nunquid jam illi recte dicetur: *Quid amplius facis? quippe D quæ seipsam tam amplam facit. Amplum, inquam, gerit charitatis sinum, quæ complectitur universos, etiam quibus nulla se novit; carnis necessitudine junctam, nulla spe percipiendi commodi cujusquam illectam, nulla percepti rehdhibitione obnoxiam, nullo denique omnino astrictam debito, nisi illo sane, de quo dicitur: *Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis (Rom. xiii, 8)*. Verum si adjicias etiam usquequaque vim facere regno charitatis, ut usque ad ultimos ejus terminos occupare illud pius invasor prævaleas, dum ne inimicis quidem claudenda viscera pietatis existimes; benefacias his quoque qui te oderunt, ores et pro persecquentibus ac calumniantibus te, nec non et cum his qui oderunt pacem*

esse pacificus studeas: tunc prorsus latitudo cæli, latitudo tuæ animæ; et altitudo non dispar, sed nec dissimilis pulchritudo; impleturque tunc demum in ea quod dicitur: *Extendens cælum sicut pellem (Psal. ciii, 2)*: in quo jam miræ latitudinis, altitudinis, ac pulchritudinis cælo summus et immensus atque gloriosus, non modo dignanter habitat, sed et spatiosè deambulat.

1365 12. Videsne quales in se habeat Ecclesia cælos, cum sit nihilominus ipsa, in sua quidem universitate, ingens quoddam cælum, extantum a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum? Vide etiam consequenter, cui et in hoc ipso assimilés eam, si tamen non tibi excidit illud quod paulo ante memoratum est hujus rei exemplar, de cælo videlicet cæli, et cælis cælorum (Supra num. 9). Ergo exemplo illius quæ sursum est mater nostra, hæc quoque quæ adhuc peregrinatur, habet cælos suos, homines spirituales, vita et opatione conspicuos, fide puros, spe firmos, latos charitate, contemplatione suspensos. Et hi pluentes pluviam verbi salutarem, tonant increpationibus, coruscant miraculis. Ili enarrant gloriam Dei, hi extenti sicut pelles super omnem terram, legem vitæ et disciplinæ digito quidem Dei scriptam in semetipsis ostendunt, ad dandam scientiam salutis plebi ejus: ostendunt et Evangelium pacis, quoniam Salomonis sunt pelles.

13. Agnosce jam in his pellibus supernarum illarum imaginem, quæ in sponsi ornatu non longe superius describebantur (Supra num. 3). Agnosce similiter et reginam astantem a dextris ejus, circumamictam similibus ornamentis, non tamen paribus (Psal. xlv, 10). Nam etsi huc etiam in loco peregrinationis suæ, et in die virtutis suæ, in splendoribus sanctorum, non minima claritatis atque decoris est portio; differenter tamen illum coronat integritas et consummatio gloriæ beatorum. Quamquam et sponsam dixerim perfectam atque beatam, sed ex parte. Nam ex parte tabernaculum Cedar; formosa tamen, sive in illa portione sui, quæ jam beata regnat; sive etiam in illustribus viris, quorum, etiam in hac nocte, sua sapientia atque virtutibus, tanquam cælum suis sideribus, adornatur. Unde propheta: *Qui docti, inquit, fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates (Dan. xii, 3)*.

14. O humilitas! o sublimitas! Et tabernaculum Cedar, et sanctuarium Dei; et terrenum habitaculum, et cœleste palatium; et domus lutea, et aula regia; et corpus mortis, et templum lucis; et despectio denique superbis, et sponsa Christi. *Nigra est, sed formosa, filiæ Jerusalem*: quam etsi labor et dolor longi exsilii decolorat, species tamen cœlestis exornat, exornant pelles Salomonis. Si horretis nigram, miremini et formosam; si despicitis humilem, sublimem suspicite. Hoc ipsum quam cautum, quam plenum consilii, vlenum discretionis et

congruentiæ est, quod in sponsa dejectio ista, et ista A
 celsitudo, secundum tempus quidem, eo modera-
 mine sibi pariter contemperantur, ut inter mundi
 hujus varietates et sublimitas erigat humilem, ne
 deficiat in adversis; et sublinem humilitas reprimat,
 ne evanescat in prosperis? Pulchre omnino ambæ res,
 cum ad invicem contrariæ sint, sponsæ tamen
 pariter cooperantur in bonum, subserviunt in salutem.

15. Et hæc pro eo quod sponsa videtur de pel-
 libus Salomonis inducere similitudinem. Restat tamen
 aperiendus ille super eodem capitulo sensus, quem
 in principio commemoravi et promisi, qualiter vi-
 delicet tota ad solam nigredinem similitudo referatur:
 qua quidem non estis promissione fraudandi. Cæterum
 id differendum in aliud sermonis principium; tum
 quia hoc jam hujus flagitat longitudo; tum etiam ut
 præveniat ex more oratio ea, quæ in laudem et
 gloriam sunt referenda sponsi Ecclesiæ Jesu Christi
 Domini nostri, "qui est Deus benedictus in sæcula
 sæculorum. Amen."

1366 SERMO XXVIII.

*De nigredine et formositate sponsi, et quomodo auditus
 potius quam visus valeat in rebus fidei, et ad noti-
 tiam veritatis.*

1. Tenetis, credo, cujus et quibus Salomonis pel-
 libus decorem sponsæ sentiam comparatum, si tamen
 ad ostensionem commendationemque referatur decoris
 data ex his similitudo. At si ad nigredinem magis
 referenda putetur, sicut et illa de tabernaculis Cedar
 de non eodem aliunde occurrit mihi quidquam de
 hujusmodi pellibus Salomonis, nisi quas forte rex
 in usum tabernaculi soleret assumere, si quando in
 tentoriis habitare liberet; quas utique, si quæ tamen
 fuerunt, obscuras sine dubio et tetras esse necesse
 fuit, tanquam quæ quotidiano forent expositæ soli,
 et frequentium injuriis pluviarum. Neque id frustra
 (191), sed ut is qui intus repositus erat ornatus,
 nitidior servaretur. Hoc exemplo sponsa non negat
 nigredinem, sed excusat; nec probro ducit qualem-
 cunque habitum, quem claritas formet, judicium
 veritatis non improbet. Denique quis infirmatur,
 cum quo non infirmetur? quis scandalizatur, et non
 uritur? (II Cor. xi, 29.) induit se compassionis
 nævum, ut morbum in altero passionis levet,
 vel sanet; nigrescit candoris zelo, lucro pulchritudinis.

2. Multos candidos facit unius denigratio, non
 cum tingitur culpa, sed cum cura afficitur. *Expe-
 dit*, inquit, ut unus moriatur homo pro populo,
 et non tota gens pereat (Joan. xi, 50): expedit ut
 unus pro omnibus denigretur similitudine carnis
 peccati, et non tota gens nigredine condemnetur
 peccati: splendor et figura substantiæ Dei obnubiletur
 in forma servi pro vita servi: candor vitæ æternæ
 nigrescat in carne, pro carne purganda: speciosus

(191) Aliter habent tres scripti post putetur: *redu-
 cendæ ad memoriam illæ, quibus olim Salomon taber-
 naculum operuit. Erant procul dubio nigre, quoti-*

forma præ filiis hominum, pro filiis hominum illu-
 minandis obscuretur in passione, turpetur in cruce,
 palleat in morte: ex toto non sit ei species neque
 decor, ut sibi speciosam atque decoram acquirat
 sponsam Ecclesiam sine macula et sine ruga. Agnosco
 pellem Salomonis, imo ipsum in pelle nigra
 Salomonem amplector. Habet et Salomon nigredinem,
 sed in pelle; foris niger, in cute niger, non intus:
 alioquin omnis gloria ejus filiiæ regis ab intus
 (Psal. xlii, 3, 14). Intus divinitatis candor, decor
 virtutum, splendor gloriæ [alias, gratiæ], innocentie
 puritas: sed tegit hæc despicibilior infirmitatis color;
 et quasi absconditus vultus ejus et despectus,
 dum tentatur per omnia pro similitudine absque
 peccato. Agnosco denigratæ formam naturæ; agnosco
 tunicas illas pelliceas, protoplastorum peccantium
 habitum (Gen. iii, 21). Denique semetipsum
 denigravit formam servi accipiens, in similitudinem
 hominum factus, et habitu inventus ut homo (Philipp.
 ii, 7). Agnosco sub pelle hædi, qui peccatum
 significat, et manum quæ peccatum non fecit, et
 collum per quod mali cogitatio non transivit; ideoque
 non est inventus dolus in ore ejus (Isa. lxxiii, 9).
 Novi quod sis lenis natura, mitis et humilis corde,
 blandus aspectu, suavis spiritu, et quidem unctus
 oleo lætitiæ præ consortibus tuis (Psal. xlii, 8).
 Unde ergo nunc ad instar Esau pilosus et hispidus?
 Cujusnam rugosa et tetra imago hæc, et unde hi
 pili? Mei sunt: nam pilosæ manus similitudinem
 exprimunt peccatoris. Meos agnosce hos pilos; et
 in pelle mea video Deum Salvatorem meum.

3. Non tamen Rebecca sic illum induit, sed
 Maria; tanto digniorem qui benedictionem acciperet,
 quanto sanctior quæ peperit. Et bene in meo
 habitu; quia mihi benedictio vindicatur, mihi postu-
 latur hæreditas. Siquidem audierat: *Postula a me,
 et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem
 tuam terminos terræ* (Psal. ii, 8). *Tuam, inquit,
 hæreditatem, tuamque possessionem dabo tibi.* Quo-
 modo dabis ei, si sua est? Et quomodo suam mones
 ut postulet? aut quomodo sua, si necesse habet
 ut postulet? Mihi proinde postulat, qui 1367 meam
 ad hoc induit formam, ut suscipiat causam. Quippe
 disciplina pacis nostræ super eum, dicente propheta,
 et Dominus in eo posuit iniquitatem omnium nostrum
 (Isa. lxxiii, 5, 6): unde debuit fratribus per omnia
 similiari, sicut ait Apostolus, ut misericors fieret
 (Hebr. ii, 17). Propterea vox quidem, vox Jacob
 est; manus autem, manus sunt Esau (Gen. xxvii, 22).
 Suum est quod auditur ex eo: quod in eo videtur,
 nostrum. Quod loquitur, spiritus et vita est: quod
 apparet, mortale et mors. Aliud cernitur, et aliud
 creditur. Nigrum sensus renuntiat, fides candidum
 et formosum probat. Niger est, sed oculis insipientium:
 nam fidelium mentibus formosus valde: niger
 est, sed formosus; niger reputatione Herodis,
 diano expositæ soli, quotidianarum injuriis pluviarum.
 Neque id frustra, etc.

formosus confessione latronis, centurionis fide. A

4. Quam formosum adverterat qui exclamavit : Vere homo hic Filius Dei erat ! Sed in quo advertit, advertendum. Si enim attenderet quod apparebat, quomodo formosus, quomodo Filius Dei? Quid nisi deforme et nigrum oculis spectantium occurrebat, cum expansis in cruce manibus medius duorum nequam, risum malignantibus daret, fletum fidelibus? Et solus erat risui, qui solus poterat esse terrori, solus honori debuerat. Unde igitur advertit pulchritudinem Crucifixi, et quod is sit Filius Dei, qui cum iniquis reputatus est? (Isa. LIII, 12.) Respondere aliquid ad id nostrum nec fas, nec opus est; nec enim evangelistæ hoc diligentia præterit. Sic enim habes : Videns autem centurio qui ex adverso stabat, quia sic clamans exspirasset, ait : Vere hic homo Filius Dei erat (Marc. xv, 39). Ergo ad vocem credidit, ex voce agnovit Filium Dei, et non ex facie. Erat enim fortasse ex ovis ejus, de quibus ait : Oves meæ vocem meam audiunt (Joan. x, 47) (192).

5. Auditus invenit quod non visus; oculum species fefellit, auri veritas se infudit. Oculum pronuntiabat infirmum, oculum fœdum, oculum miserum, oculum morte turpissima condemnatum; auri Dei Filius, auri formosus immotuit; sed non Judæorum, quia erant incircumcisi auribus. Merito Petrus abscondit auriculam servi, ut viam faceret veritati, et veritas liberaret eum, id est liberam faceret. Erat ille centurio incircumciscus, sed non aure, qui ad unam expirantis vocem sub tot infirmitatis iudicis Dominum majestatis agnovit. Ideoque non despexit quod vidit, quia credidit quod non vidit. Non autem credidit ex eo quod vidit; sed ex eo procul dubio quod audivit, quia fides ex auditu (Rom. x, 17). Dignum quidem fuerat per superiores oculorum fenestras veritatem intrare ad animam; sed hoc nobis, o anima, servatur in posterum, cum videbimus facie ad faciem. Nunc autem unde irrepsit morbus, inde remedium intret, et per eandem sequatur vestigia vita mortem, tenebras lux, venenam serpentis antidotum veritatis; et sanet oculum qui turbatus est, ut serenus videat quem turbatus non potest. Auris prima mortis janua, prima aperiatur et vitæ; auditus, qui tulit, reparat visum; quoniam nisi crediderimus, non intelligemus. Ergo auditus ad meritum, visus ad præmium. Unde Propheta, *Auditui meo*, inquit, *dabis gaudium et lætitiā* (Psal. L, 10) : quod fidelis retributio auditionis beata visio sit, et beatæ meritum visionis fidelis auditio. Beati autem mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (Matth. v, 8). Porro, fide oportet mundari oculum qui videat Deum, quemadmodum habes : *Fide mundans corda eorum* (Act. xv, 9).

6. Interim ergo, dum necdum paratus est visus, auditus excitetur, auditus exercitetur (193), auditus

(192) Sic codices duo : alius cum editis addit et cognosco meus . et cognoscunt me meæ : Colbertinus tantum, et cognoscunt me meæ.

excipiat veritatem. Felix, cui Veritas attestatur, dicens : *In auditu oris obelivit mihi* (Psal. XVII, 45). Dignus qui videam, si priusquam videam, obedisse inveniar; securus videbo, ad quem meæ obedientiæ munus præcesserit. Quam beatus qui ait : *Dominus Deus aperuit mihi aurem, et ego non contradico, retrorsum non abii* (Isa. L, 5). Ubi et voluntariæ habes obedientiæ formam, et longanimitatis exemplum. Qui enim non contradicit, spontaneus est; et qui retro non abii, perseverat. Utrumque necessarium; **1368** quoniam hilarem datorem diligit Deus (II Cor. ix, 7), et qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (Matth. x, 22). Utinam et mihi aperiat aurem Dominus, intret ad cor meum sermo veritatis, mundet oculum, et lætæ præparet visioni, ut dicam Deo etiam ipse : *Præparationem cordis mei audivit auris tua* (Psal. ix, 17); ut audiam a Deo, etiam ipse cum cæteris obedientibus : *Et vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis* (Joan. xv, 3). Nec omnes mundantur qui audiunt, sed qui obediunt : *Beati qui audiunt, et custodiunt illud* (Luc. xi, 28). Talem requirit auditum qui mandat dicens : *Audi, Israel* (Deut. vi, 3); talem offert qui ait : *Loquere, Domine, quia audit serrus tuus* (I Reg. iii, 9); talem spondet qui dicit : *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus* (Psal. LXXXIV, 9).

7. Et ut scias etiam Spiritum sanctum hunc in animæ spirituali profectu ordinem observare, ut videlicet prius fornet auditum, quam lætificet visum : *Audi, inquit, filia, et vide* (Psal. XLIV, 11). Quid intendis oculum? Aurem para. Videre desideras Christum? Oportet te prius audire eum, audire de eo, ut dicas cum videris : *Sicut audivimus, sic vidimus* (Psal. XLVII, 9). Immensa claritas, visus augustus, et non potes ad eam. Potes auditu, sed non aspectu. Clamantem denique Deum : *Adam, ubi es?* (Gen. iii, 9.), non videbam jam peccator, audiebam tamen. Sed auditus aspectum restituet, si pius, si vigil, si fidelis præcesserit. Fides purgabit quem turbavit impietas; et quem inobedientia clausit, aperiet obedientia. Denique : *A mandatis tuis, inquit, intellexi* (Psal. cxviii, 104) : quod intellectum reddat observatio mandatorum, quem tulit transgressio. Adverte adhuc in sancto Isaac quomodo præ cæteris sensibus auditus in jam senes vignerit. Caligant oculi patriarchæ, palatum seducitur, fallitur manus, non fallitur auris. Quid mirum, si auris percipit veritatem, cum fides ex auditu, auditus per verbum Dei (Rom. x, 17), verbum Dei veritas sit? *Vox, inquit, vox Jacob est*. Nihil verius. *Manus autem manus sunt Esau* (Gen. xxvii, 22). Nihil falsius. Falleris : manus similitudo deceptit te. Nec in gustu veritas, etsi suavis est. Nam quomodo habet veritatem qui se putat edere venationem, cum domesticis vescatur hædorum carnibus? Multo minus

(193) Quibusdam deest *audiens exercitetur*. Forsan id adscribendum scribis, qui utrum legendum esset dubitans, utrumque posuit.

oculus qui nihil videt. Non est veritas in oculo, non sapientia. *Væ qui sapientes estis*, ait, *in oculis vestris!* (Isa. v, 21.) Non bona sapientia, cui male dicitur. Mundi est, ac per hoc *stultitia apud Deum* (1 Cor. iii, 19).

8. Bona et vera sapientia trahitur de occultis, ut sapit beatus Job (Job xxviii, 18). Quid foris eam quæris in corporis sensu? Sapor in palato, in corde sapientia est. Non quæras sapientiam in oculo carnis, quia caro et sanguis non revelat eam, sed spiritus (Math. xvi, 17). Non in gustu oris: nec enim invenitur in terra suaviter viventium (Job xxviii, 13). Non in tactu manus, cum sanctus dicat: *Ni osculatus sum manum meam ore meo, quod est iniquitas maxima, et negatio in Deum* (Job xxxi, 27, 28). Quod tunc fieri arbitror, cum donum Dei, quod est sapientia, non Deo, sed meritis ascribitur actionum. Sapiens fuit Isaac, sed tamen erravit in sensibus. Solus habet auditus verum, qui percipit verbum. Merito carnem redivivam Verbi tangere prohibetur mulier carnaliter sapiens; plus quippe tribuens oculo quam oraculo, id est carnis sensui quam verbo Dei. Quem enim mortuum vidit, resuscitatum [*alias resurrexerunt*] non credidit, cum tamen hoc promiserit ipse. Denique non quievit oculus, usque dum satiatus est visus; quoniam non erat consolatio fidei, nec Dei rata promissio. Nonne cælum et terra, et quidquid omnino carnis oculus attingere potest, ante habent transire et perire, quam iota unum aut unus apex ex omnibus quæ locutus est Deus? Et tamen cessavit a fletu in visu oculi, quæ noluit consolari in verbo Domini; pluris habens experimentum, quam fidem. At experimentum fallax.

9. Mittitur ergo ad certiores fidei cognitionem; quæ utique apprehendit quod sensus nescit, experimentum non invenit. *Noli me tangere*, inquit: hoc est: Dissuesce huic seducibili sensui; innitere verbo, fidei assuesce. Fides nescia falli, fides invisibilia comprehendens, 1369 sensus penuriam non sentit. denique transgreditur fines etiam rationis humanæ, naturæ usum, experientiæ terminos. Quid interrogas oculum ad quod non sufficit? Et manus quid explorare conatur quod supra ipsam est? Minus est quidquid ille vel illa renuntiet. Sane fides pronuntiet de iis, quæ majestati nihil minuat. Disce id habere certius, id tutius sequi, quod illa suaserit. *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum* (Joan. xx, 17). Quasi vero cum jam ascenderit, tunc tangi ab ea velit aut possit. Et utique poterit, sed affectu, non manu; voto, non oculo; fide, non sensibus. Quid tu me, ait, modo tangere quæris, quæ sensu corporis gloriam æstimas resurrectionis? Nescis quod tempore adhuc meæ mortalitatis transfigurati ad horam morituri corporis gloriam oculi discipulorum sustinere nequiverint? (Math. xvii, 6.) Adhuc quidem tuis sensibus gero morem, formam ingerendo servilem, quam de consuetudine recognoscas. Cæterum mirabilis facta et gloria mea ex

A te, confortata est, et non poteris ad eam. Differ ergo iudicium, suspende sententiam, et tantæ rei definitionem ne credas sensui, fidei reservato. Illa dignius, illa desinet certius, quæ plenius comprehendet. Denique comprehendit suo illo mystico ac profundo sicut, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas et profundum. Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, illa in se quasi quodam involacro clausum portat, servatque signatum.

10. Illa igitur digne me tanget, quæ Patri condescendemem suscipiet, non jam in humili habitu, sed in cælesti; carne ipsa, sed altera specie. Quid deformem vis tangere? Exspecta ut formosum tangas. Nam qui deformis modo, tunc formosus; deformis tactui, deformis aspectui; deformis denique deformi tibi, quæ sensibus plus inhæres, fidei minus. Esto formosa, et tange me; esto fidelis, et formosa es. Formosa formosum et dignius tanges, et felicius. Tanges manum fidei, desiderii digito, devotionis amplexu; tanges oculo mentis. At nunquid adhuc nigrum? Absit! Dilectus tuus candidus et rubicundus. Formosus plane circumdant flores rosarum, et lilia convallium; hoc est, martyrum, virginumque chori: et qui medius resideo, utrique non dissideo choro, virgo et martyr. Quomodo denique candidis non congruo virginum choris, virgo, Virginis filius, virginisque sponsus? Quomodo non roseis martyrum, causa, virtus, fructus et forma martyrii? Talem talis taliterque tange, et dic: *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex milibus* (Cant. v, 10).

C Millia millium cum dilecto, et decies centena millia circa dilectum, et nemo ad dilectum. Num tibi verendum erit, ne forte in quempiam de multitudine errore incidas, quærendo quem diligis? Non prorsus ambiges quemnam eligas. Facile occurret electus ex milibus, cunctis insignior, et dices: *Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ* (Isa. lxii, 1). Non ergo in pelle nigra, quæ hactenus sane ingerenda fuit oculis persequentium, ut contemnerent occidendum; aut etiam amicorum, et recognoscere: redivivum. Non, inquam, jam in pelle occurret nigra, sed in veste alba, speciosus forma, non modo præ filiis hominum, sed etiam præ vultibus angelorum. Quid me vis tangere in humili habitu, servili forma, specie contemptibili?

D Tange cælesti decorum specie, gloria et honore coronatum; divina quidem majestate tremendum, sed ingenua serenitate gratum ac placidum.

11. Inter hæc advertenda prudentia sponsæ, et profunditas sermonum ejus, quæ sub figura pellium Salomonis, scilicet in carne, rimata est Deum, in morte vitam; summam gloriæ et honoris inter opprobria, et sub nigro denique habitu crucifixæ candorem innocentie, splendoremque virtutum, sicut illæ utique pelles, cum essent nigre atque despectæ, pretiosa et præcaudida prælivitis regis in se ornamenta servabant. Merito nigredinem non contemnit in pellibus, decorem qui sub pellibus est advertens. Et ideo quidam 1370 illam contem-

pererunt, quia hunc minime cognoverunt: si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent (1 Cor. ii, 8). Non cognovit Herodes, et idcirco desepit; non cognovit Synagoga, quæ nigredinem illi passionis et infirmitatis improperans, *Alios, ait, salvos fecit, seipsum non potest saltum facere. Christus rex Israel descendat nunc de cruce, et credimus ei* (Matth. xxvii, 42). Sed cognovit latro de cruce, licet in cruce, qui et innocentie puritatem confessus est. *Hic autem, inquiring, quid mali fecit?* et gloriam regie majestatis simul est protestatus: *Memento mei, dicens, dum veneris in regnum tuum* (Luc. xxiii, 41, 42). Cognovit centurio, qui Filium Dei clamat (Matth. xxvii, 54); cognoscit Ecclesia, quæ et æmulatur nigredinem, ut decorem participet. Non confunditur nigra videri, nigra dici, ut dilecto dicat: *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me* (Psal. lxxviii, 10). At sane nigra instar pellium Salomonis, foris scilicet, et non intus: neque enim intus nigredinem meus Salomon habet. Denique non ait: *Nigra sum sicut Salomon; sed, sicut pelles Salomonis*: quod in superficie tantum sit veri nigredo pacifici. Peccati nigredo intus est; et prius interiora culpa commaculat, quam ad oculos prodeat. Denique de corde exeunt cogitationes malæ, furta, homicidia, adulteria, blasphemie: et hæc sunt quæ coinquinant hominem (Matth. xv, 19, 20); sed absit ut Salomonem! Minime prorsus apud verum pacificum istiusmodi inquinamenta reperies. Oportet namque esse sine peccato eum qui tollit peccata mundi, quo ad reconciliandos peccatores inventus idoneus, jure sibi nomen vindicet Salomonis.

12. Sed est nigredo affligentis pœnitentiæ, cum assumitur lamentatio pro delictis. Hanc fortassis non abhorreat in me Salomon, si sponte tamen induam mihi pro peccatis meis; quia cor contritum et humiliatum Deus non despiciet (Psal. l, 19). Est et affligentis compassionis, si afflicto condoleas; et fraternum te decoretur incommodum. Nec hanc profecto rejiciendam putat noster pacificus, quippe quam et sibi ipse pro nobis dignanter induit, qui peccata nostra tulit in corpore suo super lignum (1 Petr. ii, 24). Est et persecutionis: quæ etiam pro summo ornamento habetur, si quidem suscipiatur pro justitia et veritate. Unde est illud: *Ibant gaudentes discipuli a conspectu concilii, quoniam digni habitii sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (Act. v, 41); denique: *Beati qui persecutionem patientur propter justitiam* (Matth. v, 10). Hac potissimum gloriari Ecclesiam arbitror, hanc libentius imitari de pellibus sponsi. Denique et habet in promissione: *Si me persecuti sunt, et vos persequentur* (Joan. xv, 20).

13. Unde et addit sponsa: *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol* (Cant. i, 5), hoc est: Nolite me notare quasi deformem, quia cernitis pro ingruente persecutione minus florentem, minus secundum gloriam sæculi coloratam. Quid

A exprobratis nigredinem, quam fervor persecutionis, non conversationis pudor invexit? Vel solem dicit zelum justitiæ, quo accenditur et accingitur adversus malignantes, dicens Deo: *Zelus domus tuæ comedit me* (Psal. lxxviii, 10)? et illud: *Tabescere me fecit zelus meus, quia oblii sunt verba tua inimici mei*; illud quoque: *Defectio tenuit me pro peccatoribus dereliquentibus legem tuam* (Psal. cxviii, 139 53); item: *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam?* (Psal. cxxxviii, 21.) Etiam illud Sapientis caute observat: *Filiæ, ait, tibi sunt? noli ostendere lætum vultum ad ipsas* (Eccli. vii, 26): ut scilicet remissis et mollibus et fugitantibus disciplinam, non candorem serenitatis, sed obscurum severitatis exhibeat. Vel decolorari a sole, est ignescere charitate fraterna, flere cum flentibus, cum infirmitantibus infirmari, uri ad scandala singulorum. Vel sic: Sol justitiæ decoloravit me Christus, cujus amore languo. Languor isto, coloris quædam exterminatio est, et defectus in desiderio animæ: unde et dicit: *Memor fui Dei, et delectatus sum, et exercitatus sum et defecit spiritus meus* (Psal. lxxvi, 3). Ergo, instar urentis solis, desiderii ardor peregrinantem in corpore decolorat, dum vultui gloriæ inhiantem, impatientem facit **1371** repulsa, et excruciat amantem dilatio. Quis nostrum ita sancto amore ardet, ut desiderio videndi Christum, omnem colorem præsentis gloriæ, lætitiæque fastidiat et deponat, illa ei prophetica voce contestans: *Et diem nominis non desiderari, tu scis* (Jerem. xvii, 16); item cum sancto David: *Renuit consolari anima mea* (Psal. lxxvi, 7); id est, præsentium bonorum inani lætitia despiciet colorari? Vel certe decoloravit me sol, sui nimirum comparisonem splendoris, dum approprians illi, ex eo me obscuram deprehendo, nigram invenio, fœdam despicio. Cæterum alias quidem formosa sum; quid fuscam dicitis, solius solis pulchritudini succumbentem? At sensui priori videntur magis assentire ea quæ sequuntur. Adjiciens siquidem: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me*; persecutionem passam se esse aperte significat. Sed hinc aliud sermonis principium ordiemur, quoniam sufficere hac vice possunt, quæ accepimus de gloria sponsi Ecclesiæ Domini nostri Jesu Christi, dono ipsius, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XXIX.

De querimonia Ecclesiæ contra suos impugnatores, et contra illos qui impugnant unitatem fraternam.

1. *Filii matris meæ pugnaverunt contra me* (Cant. i, 5). Annas et Caiphas, et Judas Iscarioth, filii Synagogæ fuerunt: et hi contra Ecclesiam, æque Synagogæ filiam, in ipso exortu ipsius acerbissime pugnaverunt, suspendentes in ligno collectorem ipsius Jesum. Jam tunc siquidem Deus implevit per eos, quod olim præsignaverat per prophetam, dicens: *Percutiam pastorem, et dispergentur oves* (Zach. xiii, 7). Et fortassis illius vox illa est in cantico Ezechie: *Præcisæ est velut a textente vita mea,*

dum adhuc ordire, succidit me (Isa. xxxviii, 12). A De his ergo atque aliis, qui de illa gente Christiano nomini contradixisse sciuntur, puta dictum a sponsa : *Filii matris meae pugnauerunt contra me.* Et pulchre filios matris suae, non autem et patris sui illos vocat, qui non habebant patrem Deum, sed ex patre diabolo erant; homicidæ utique, sicut et ille homicida erat ab initio (*Joan. viii, 44*). Propterea non dicit : *Fratres mei*; aut : *Filii patris mei*; sed *Filii*, inquit, *matris meae pugnauerunt contra me.* Alioquin si non ita distingueret, videretur etiam apostolus Paulus comprehensus in his, de quibus conqueritur, quod et ipse aliquando persecutus sit Ecclesiam Dei (*I Cor. xv, 9*), sed misericordiam consecutus est, quia ignorans hoc fecit manens in incredulitate (*I Tim. i, 13*); et probavit Deum se habere patrem, fratrem Ecclesiae tam ex patre, quam ex matre esse.

2. Sed attende quomodo nominatim filios matris suae, et solos ineusat, quasi soli in culpa sint. Quanta et ab exteris passa est? juxta illud apud prophetam : *Sæpe expugnauerunt me a juventute mea*; et : *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores (Psal. cxviii, 1-3)*. Quid ergo singulariter filios matris tuæ causaris, quæ te minime ignoras et ex aliis at que aliis nationibus sæpissime impugnatam? *Ad mensam divitis vocatus*, inquit, *diligenter, considera quæ tibi apponuntur.* Fratres, ad mensam Salomonis sedemus. Quis ditior Salomone? Non de terrenis dico divitiis, quanquam et ipsis Salomon abundaret; sed intuemini præsentem mensam, quomodo supernis est referta deliciis. Spiritualia sunt et divina, quæ nobis in ea apponuntur. *Diligenter ergo, inquit, considera quæ tibi apponuntur, sciens quia talia te oportet præparare (Prov. xiiii, 1, 2)*. Ego utique, quod in me est, diligenter attendo id mihi apponi in his verbis sponsæ, et ad meam prorsus doctrinam cautelamque respicere, quod ita ex nomine ac sola exprimitur persecutio a domesticis; et tacentur tot et tam gravia quæ ubique terrarum nihilominus ex omni natione quæ sub cælo est, ab infidelibus, ab hæreticis et schismaticis pertulisse cognoscitur. Novi sponsæ prudentiam; nec putavim casu hæc illam, aut quasi immemorem præterisse. Sed profecto id expressius **1372** plangit, quod et sentit differentius, quodque vigilantius nobis cavendum existimat. Quidnam hoc? Malum utique intestinum atque domesticum. Hoc tibi manifeste in Evangelio ore ipsius Salvatoris exprimitur, cum dicit : *Et inimici hominis domestici ejus (Math. x, 36)*. Hoc et in propheta : *Homo, inquit, pacis meae, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem (Psal. xl, 10)*; item : *Quoniam, si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique; et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero homo unanimitis, dux meus, et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos (Psal. lvi, 13-15)*, hoc est : **Quod a te patior convivio et contubernali meo, id**

molestius sentio, fero ægrius. Scitis hæc quærimonia cujus, et de quo sit.

3. Agnoscite ergo et sponsam eodem de filiis matris suæ conquerentem affectu, quoniam in eodem spiritu, cum ait : *Filii matris meae pugnauerunt contra me.* Unde et alibi loquitur : *Amici mei et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt (Psal. xxxvii, 12)*. Longe, quæso, a vobis facite semper hoc tam abominabile et detestabile malum, vos qui experti estis, et quotidie experimini, quam bonum sit et quam jucundum habitare fratres in unum (*Psal. cxxxii, 1*), si tamen in unum, et non in scandalum. Alioquin nec jucundum plane, nec bonum, sed pessimum ac molestissimum. Væ autem homini illi, per quem unitatis vinculum jucundum turbatur! Judicium profecto portabit quicumque est ille. Ante mihi contingat mori, quam audire in vobis quempiam juste clamitantem : *Filii matris meae pugnauerunt contra me.* Nonne præsentis congregationis tanquam unius matris filii omnes vos estis, singuli alterutrum fratres? Quid ergo a foris vos conturbare, aut contristare possit, si intus bene estis, et fraterna pace gaudetis? Denique *quis vobis nocere poterit, inquit, si boni æmulatores fueritis? (I Petr. iii, 13)*. Quamobrem æmulamini charismata meliora (*I Cor. xii, 31*), ut bonos vos probetis æmulatores. Charisma peroptimum charitas est; plane incomparabile, quod novæ sponsæ cælestis sponsus toties inculcare curabat, nunc quidem dicens : *In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem*; nunc vero : *Mandatum novum do vobis, ut diligatis inimicem (Joan. xiii, 35, 34)*; et : *Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem (Joan. xv, 12)*; itemque orans unum eos fore, sicut ipse et Pater unum sunt (*Joan. xvii, 11*). Et vide si non ipse Paulus, qui te ad charismata meliora invitavit, inter cætera charitatem in summo ponit, sive cum fide et spe dicit eam esse majorem et supereminentem scientiæ; sive cum enumeratis pluribus ac mirabilibus supernæ gratiæ donis, tandem ad superexcellentiorem viam nos mittit; haud aliam profecto illam, quam charitatem definiens. Denique quidnam huic comparandum putemus, quæ ipsi præfertur martyrio ac fidei transferenti montes (*I Cor. xii, 31*; *xiii, 3*). Hoc igitur est quod dico : Pax vobis a vobis sit; et omne quod extrinsecus minari videtur, non terret, quia non nocet. Nam econtrario quidquid foris blandiri appareat, nulla est profecto consolatio, si intus, quod absit! seminarium discordiæ germinaverit.

4. Proinde, dilectissimi, pacem habete ad vos, et nolite lædere invicem, non facto, non verbo, non signo qualicumque : et ne quis forte exacerbatus et præoccupatus a pusillanimitate spiritus et tempestate, Deum interpellare cogatur adversus eos qui se læserint aut contristaverint, et prorumpere in verbum grave contingat : *Filii matris meae pugnauerunt contra me.* Sic enim peccantes in fratrem, in

Christum peccatis, qui ait : *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (Matth. xxv, 40, 45). Nec cavendum a gravioribus tantum offensis, verbi gratia, ab aperto convicio seu maledicto, sed a clandestino quoque et venenato susurrio. Non, inquam, sufficit os custodire ab his et his similibus; cavenda sunt et lexia : si tamen leve debeat dici quodcumque in fratrem præsumpseris voluntate lædendi; cum hoc solo, si irasceris illi, divini reus iudicii tenearis (Matth. v, 22). Merito quidem : nam quod **1373** tu leve putas, et ob hoc levius præcipias, plerumque alius aliter accipit, tanquam homo videns in facie, et secundum faciem iudicans, paratus festucam trabem suspicari, et scintillam putare fornacem. Non enim est omnium charitas illa, quæ omnia credit (I Cor. xiii, 7). Proni sunt autem sensus hominis et cogitationes ad malum potius suspicandum, quam ad bonum credendum : præsertim ubi disciplina silentii nec te, qui in causa es, excusare permittit, nec illum vulnus suspicionis aperire quod patitur, ut curetur. Ita uritur ille, et moritur clauso et lethali vulnere, intra semetipsum gemens, dum totus in ira et disceptatione positus, nil aliud silena versare in mente possit, nisi injuriam quam accepit. Non potest orare, non potest legere, non sanctum aut spirituale aliquid meditari : et ita intercepto vitali spiritu, dum suis destituta alimentis vadit ad mortem anima pro qua Christus mortuus est, quid tu interim, queso, animi habes? Quid oratio tua, aut opus, quodcumque interim feceris, sapit tibi, contra quem nimirum Christus anxie clamat de pectore fratris tui quem contristasti : Filius, inquiens, matris mee pugnat contra me, et qui simul mecum dulces capiebat cibos, replevit me amaritudine?

5. Quod si dixeris illum non tam graviter pro tam levi causa debuisse turbari, respondeo : Quanto levior est, tanto a te levius potuit non committi. Quanquam nescio quomodo leve dicas, ut jam dixi, quidquid amplius est quam irasci, cum vel hoc ipsum obnoxium esse iudicio ex ore ipsius acceperis iudicis. Quid enim? Tunc leve dixeris, in quo offenditur Christus, unde ad Dei iudicium pertrahi habes, cum horrendum sit incidere in manus Dei viventis? (Hebr. x, 31.) Tu ergo accepta forte injuria (quod quidem interdum non accidere in his conventibus difficile est), non continuo more sæcularis, obliqua referre fratrem responsione festines, sed neque, sub specie quasi corripiendi, verbo acuto et urenti transigere audeas illatenus animam, pro qua Christus affigi cruci dignatus est, non grunnire quasi increpando, non labiis mussitare quasi murmurando, non narem contrahere aut cachinare quasi subsannando, non frontem rugare quasi invehendo aut comminando. Sane commotio tua ibi moriatur ubi oritur, nec permittatur exire quæ mortem portat, ne perimat; ut dicere possis et tu cum Propheta : *Turbatus sum, et non sum locutus* (Psal. lxxvi, 5).

6. Quosdam altius intellexi sentire istud, quasi de diabolo et angelis ejus dictum, qui, cum fuerint et

ipsi filii Jerusalem illius quæ sursum est mater nostra, ex quo lapsi sunt, non cessant sororem suam Ecclesiam impugnare. Sed neque contendo, si quis usurpet hoc etiam in bonam significationem, secundum quod spirituales, qui sunt in Ecclesia, adversus carnales fratres suos dimicant in gladio spiritus, quod est verbum Dei (Ephes. vi, 17), vulnerantes eos ad salutem, atque ad spiritualia istiusmodi impugnationibus provehentes? Utinam corripiat me justus in misericordia, et increpet me, percutiens et sanans, occidens et vivificans, quo audeam et ego dicere : *Viro autem, jam non ego, vivit vero in me Christus* (Galat. ii, 20). *Esto, inquit, consentiens adversario tuo, dum es cum eo in via, ne tradat te iudici, et iudex tortori* (Matth. v, 25). Bonus adversarius, cui si consentiens ero, non erit unde aut justus me calumnieetur, aut tortor. Ego profecto, si quos vestrum aliquando pro hujusmodi contristavi, non me poenitet; contristati enim sunt ad salutem. Et quidem nescio id me fecisse unquam absque mea quoque magna tristitia, secundum illud : *Mulier cum parit, tristitiam habet* (Joan. xvi, 21). Sed absit ut jam meminerim pressuræ, tenens fructum doloris mei, dum perinde videam Christum formatum in sobole. Nescio autem quomodo etiam teneris mihi astricti sunt, qui post increpatoria et per increpatoria tandem convalescerunt de infirmitate, quam qui fortes ab initio permanerunt, non indigentes istiusmodi medicamento.

1374 7. Ergo in hunc sensum poterit Ecclesia, seu anima diligens Deum, dicere quod decoloravit eam sol, mittendo scilicet et armando de filiis matris ejus qui eam salubriter expugnarent, et captivam ducerent ad fidem amoremque ipsius, multis utique confixam sagittis illis, de quibus scriptum est : *Sagittæ potentis acutæ* (Psal. cxxx, 4); et item : *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi*. Ideoque sequitur et ait : *Quoniam non est sanitas in carne mea* (Psal. xxxvii, 3, 4); ut secundum animam sanius proinde fortiorque factus dicat : *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma* (Matth. xxvi, 41); et eum Apostolo : *Quando anim infirmior, tunc potens sum et fortis* (II Cor. xii, 10). Vides quia carnis infirmitas robur spiritui augeat, et subministret vires? Ita e contrario noveris carnis fortitudinem debilitatem spiritus operari. Et quid mirum, si hoste debilitato, tu fortior efficeris? Nisi forte illam tibi insanissime ducas amicum, quæ non cessat concupiscere adversus spiritum (Galat. v, 17). Vide ergo, si non prudenter sagitari et impugnari salubriter postulat sanctus, cum dicit in oratione : *Confige timore tuo carnes meas* (Psal. cxviii, 120). Optima timor iste sagitta, qui configit et interficit carnis desideria, ut spiritus salvus sit. Sed et qui castigat corpus suum, et in servitum redigit, novus is tibi videtur etiam manum contra se pugnantis ipse juvare?

8. Est et sagitta sermo Dei vivus et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti (Hebr. iv, 12), de quo Salvator : *Non veni, inquit, pacem mittere, sed gladium* (Matth. x, 34). Est etiam sagitta electa

amor Christi, quæ Mariæ animam non modo con-
fixit, sed etiam pertransiit, ut nullam in pectore
virginali particulam vacuum amore relinqueret, sed
toto corde, tota anima, tota virtute diligeret, et
esset gratia plena. Aut certe pertransiit eam, ut
veniret usque ad nos, et de plenitudine illa omnes
acciperemus, et floret mater charitatis, cujus pater
est charitas Deus, parturiens et in sole ponens ta-
bernaculum ejus, ut Scriptura impleretur, quæ
dicit: *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea
usque ad extremum terræ* (Isa. xlix, 6). Hoc enim
impletum est per Mariam, quæ in carne visibilem
edidit, quem invisibilem nec de carne, nec cum carne
suscepit. Et illa quidem in tota se grande et suave
amoris vulnus accepit: ego vero me felicem puta-
verim, si summa saltem quasi cuspidem hujus gladii
pungi inter me sensero, ut vel modico accepto amoris
vulnere, dicat etiam anima mea: *Vulnerata
charitate ego sum* (Cant. ii, 5). Quis mihi tribuat in
hunc modum non modo vulnerari, sed et expugnari
omnino usque ad exterminationem coloris et calor
illius, qui militat adversus animam?

9. Si exprobraverint filiæ hujus sæculi illi animæ
quæ hujusmodi est, dicentes pallidam et sine colore
esse; nonne tibi congrue posse respondere videbitur:
*Nolite me considerare quod fusca sim, quia de-
coloravit me sol?* Et si se ad hoc meminerit perve-
nisse adhortationibus seu increpationibus aliquorum
servorum Dei, æmulantium eam Dei æmulatione;
nonne consequenter veraciter inferre poterit,
quia *filiis matris meæ pugnaverunt contra me?* Erit
ergo sensus, juxta quod dictum est, ut Ecclesia seu
studiosa quævis anima id loquatur, non quasi gemens
aut conquerens, sed quasi gaudens et gratias agens,
insuper et glorians, quod pro nomine et amore Chri-
sti digna sit fusca seu decolor esse et dici: atque
hoc ipsum ascribat non suæ industriæ, sed gratiæ
et misericordiæ prævenientis se, et mittentis ad se.
Nam quomodo crederet sine prædicante? quomodo
autem prædicarent nisi mitterentur? (Rom. x, 14, 15.)
Filiis matris suæ contra se pugnassem memorat, non ut
irata, sed ut non ingrata. Unde et sequitur: *Posuerunt
me custodem in vineis*. Quod verbum utique si spiri-
tualiter examinetur, puto, nil in se quærimoniæ aut
rancoris habere videbitur, sed magis favorabile ali-
quid redolere. Verum ad id contingendum, prius sane
quam manum apponere audeamus (locus enim sanc-
tus est), conciliandus est nobis solitis precibus, et
sic consultandus ille Spiritus qui scrutatur alta Dei;
aut certe Unigenitus qui est in sinu Patris, sponsus
1375 Ecclesiæ Jesus Christus Dominus noster,
qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.
Amen.

SERMO XXX.

*Qualiter populus fidelium seu animæ electorum per
vineas significantur, quarum Ecclesia custos dicitur;
et de prudentiæ carniæ, quæ est mors.*

1. *Posuerunt me custodem in vineis* (Cant. i, 5).
Qui? Tuine illi oppugnatores quos proxime menio-

A rasti? Audite et intelligite, si non se ab illis ipsi
fatetur ista promotam, a quibus et passam. Nec mi-
rum tamen, siquidem fuerit causa pugnandi intentio
corrigenendi. Nam quis nesciat multos amicablem
utiliterque multoties oppugnatos? Quam multos quo-
tidie experimur piis impugnationibus prælatorum ad
meliora proficere, provehi ad altiora? Ergo illud potius
demonstremus, si possumus, quemadmodum adver-
sus Ecclesiam pugnatum sit a filiis matris suæ, et
hostili animo, et damno utili. Id enim jucundius,
cum qui nocere intendunt, præsumunt et nolentes.
Utrumque vero sensum tenet superior interpretatio:
quoniam quidem non defuerunt, et qui bene, et qui
male amularentur eam, diversa intentione pugnan-
tes; sed utrique profuerunt. In tantum denique se
profecisse ex iis quæ ab æmulis passa est gloriatur,
ut pro una vinea, quam sibi abstulisse visi sunt,
super multas se gaudeat constitutam. Hoc mihi, in-
quit, præstitere pugnando contra me et contra vineam
meam, qui dicunt: *Exinanite, exinanite usque
ad fundamentum in ea* (Psal. cxxxvi, 7), ut unam
pluribus commutarem. Hoc quippe est quod infert,
Vineam meam non custodivi: tanquam causam sub-
jungens unde hoc illi contigerit, ut non in una jam,
sed in pluribus custos posita sit. Et littera quidem
sic est.

2. Sed si eam simpliciter sequimur, contenti cu
solo quod sonare in superficie illa videtur, putabi-
mus nos legere in Scriptura sancta de his vineis
corporeis et terrenis quæ quotidie cernimus de rore
coeli et de pinguedine terræ accipere, unde fundunt
vinum, in quo est luxuria: et sic nihil, non dico
Domini sponsæ dignum, sed nec cuius cæterarum
congruum quid de tam sancta et divina Scriptura
attulisse videbimur. Quæ enim convenientia sponsis
et custodiæ vinearum? Sed etsi convenire putetur,
unde docebitur fuisse aliquando Ecclesiam istius-
modi deputatam officio? Nunquid de vineis cura est
Deo? Si autem spirituali sensu vineas Ecclesiæ,
id est fideles interpretamur populos, juxta prophetæ
sensum dicentis, *Vinea Domini sabaoth domus Israel
est* (Isa. v, 7), incipiet fortassis elucere nobis quo-
modo sponsæ minime indignum sit fieri custodem
in vineis.

3. Puto quod et non parva insuper et in hoc ipso
apparebit prærogativa, si quis diligentius curet ad-
vertere quantum ubique per orbem in hujusmodi
vineas dilataverit terminos suos a die illa qua Jeru-
solyinis a filiis matris suæ expugnata est et extur-
bata, una cum prima illa sua novella plantatione;
multitudinem dico credentium, quorum legitur fuisse
cor unum et anima una (Act. iv, 32). Et ipsa est,
quam modo fatetur se minime custodisse, sed non
ad insipientiam sibi. Nec enim ita inde evulsa in
persecutione fuit, ut non alibi plantaretur, atque
aliis locaretur agricolis, qui reddant fructus ejus
temporibus suis. Non prorsus, non perit, sed mi-
gravit; etiam crevit et dilatata est, tanquam cui
benefixit Dominus. Denique leva oculos tuos et vide

si non operuit montes umbra ejus, et arbusta ejus A cedros Dei; si non extendit palmites suos usque ad mare et usque ad flumen propagines ejus (Psal. LXXIX, 11, 12). Nec mirum, Dei enim ædificatio est, Dei agricultura est (I Cor. III, 9). Ipse fecundat, ipse propagat, ipse putat et purgat eam, ut fructum plus afferat. Quando nempe sua destitueret cura vel opera, quam plantavit dextera ejus? Non plane habenda neglectui, in qua apostoli palmites, Dominus vitis, et Pater ejus **1376** agricola est (Joan. xv, 2, 5, 1). In fide plantata, in charitate mittit radices, defossa sarculo disciplinæ, stercoreta pœnitentium lacrymis, rigata prædicantium verbis: et sic sane exuberans vino in quo est lætitia, sed non luxuria; vino totius suavitatis, nullius libidinis. Hoc certe vinum lætificat cor hominis; hoc constat et angelos bibere cum lætitia. Denique gaudent in conversione et pœnitentia peccatorum, salutem hominum sitiētes. Lacrymæ pœnitentium vinum eorum, quod in illis vitæ odor, sapor gratiæ sit, indulgentiæ gustus, reconciliationis jucunditas, sanitas redeuntis innocentia, serenata suavitas conscientia.

4. Ergo ex illa una vinea, quam sævæ persecutionis visa est delevisse tempestas, quantæ in universa terra propagatæ reflouerunt? Et in his omnibus custos posita sponsa est, ut non contristetur, quod primam vineam non custodivit. Consolare, filia Sion: si cæcitas ex parte contigit in Israel, quid tu perdis? Mirare mysterium, et noli plangere detrimentum; dilata sinum, et collige plenitudinem gentium. Dic civitatibus Judæ: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repulistis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes* (Act. XIII, 46). Moysi sane oblatum est a Deo, si prævaricatorem populum vellet dimittere, et divinæ exponere ultioni, ipsum quidem fieri posse in gentem magnam: sed ille renuit (Exod. xxxii, 9-13). Quare? Ob nimiam profecto dilectionem qua illi fortiter devinctus populo tenebatur; et quoniam non requirebat quæ suæ sunt, sed Dei honorem, et non quod sibi utile foret, sed quod multia. Et ille quidem sic.

5. Ego autem consilio secretiori puto hoc munus divinitus pro sui magnitudine servatum sponsæ, ut ipsa potius, et non Moyses, mitteretur in gentem magnam. Non enim oportebat amicum sponsi præripere sponsæ benedictionem; et propterea non quidem Moyses, sed nova sponsa, cui dicitur: *Ite in mundam universum, prædicate Evangelium omni creaturæ* (Marc. xvi, 15); ipsa, inquam, prorsus missa est in gentem magnam. Num in majorem potuit quam in universitatem? Et facile universitas cessit portanti pacem, gratiam offerenti. Sed non sicut gratia, ita et lex. Quam dissimili vultu ad omnem conscientiam se offerunt suavitas hujus, et illius austeritas. Quis sane ex æquo respiciat condemnantem et consolantem, reposcentem et ignoscentem, plectentem et amplectentem? Non pari profecto ac-

ceptabitur voto umbra et lux, ira et pax, judicium et misericordia, figura et veritas, virga et hæreditas, frenum et osculum. Graves denique Moysi manus, testibus Aaron et Ilur (Exod. xvii, 12); grave Legis jugum, testibus ipsis apostolis, qui hoc et sibi, et patribus importabile clamitant (Act. xv, 10); grave jugum, et vile præmium: nam terra est in promissione. Pro hujusmodi non est Moyses missus in gentem magnam. Verum tu, mater Ecclesia, promissionem habens vitæ quæ nunc est et futuræ, facile in duplici gratia obtines ab universis te recipi, et propter jugum suave, et propter regnum sublime. Pulsa de civitate, ab universitate exciperis, dum sic provocat quod promittis, ut quod imponis non terreat. Quid adhuc unius vineæ plangis damnum, quod tanto tibi fenore compensatum est? Pro eo quod fuisi derelicta, et odio habita, et non fuit qui per te transiret: *Ponam te, inquit, in superbiam sæculorum, gaudium in generatione et generationem; et suges lac gentium, et mammillis regum lactaberis; et scies quia ego Dominus salvans te, et redemptor tuus fortis Jacob* (Isa. lx, 15, 16). Tali itaque modo dicit se sponsa positam custodem in vineis, et quia vineam suam non custodivit.

6. Ego loci hujus occasione me ipsum reprehendere soleo, quod animalarum susceperim curam, qui meam non sufficerem custodire; vineas animas interpretans. Quod si probas et tu hanc nostram interpretationem, vide etiam consequenter, an recte quoque dicamus fidem, vitam; virtutes, palmites; **1377** botrum, opus; devotionem, vinum. Siquidem nec palmes absque vitæ, nec virtus sine fide aliquid est. Sine fide enim impossibile est placere Deo (Hebr. xi, 6); fortasse et displicere necesse erit. Denique omne quod non est ex fide, peccatum est (Rom. xiv, 23). Hoc ergo considerare oportuit illos qui me posuerunt custodem in vineis, si videlicet propriam custodissent. At quanto tempore inculta jacuit et deserta, redacta in solitudinem! Prorsus defecerat vinum; ex ea, arefactis, præ sterilitate fidei, virtutum palmitibus. Erat fides, sed mortua. Quomodo enim non mortua sine operibus? Et id quidem in sæculari vita. Cæterum conversus ad Dominum, meliuscule ceppi, fateor, custodire; non tamen prout oportuit. Et quis nempe ad hoc idoneus? Nec sanctus Propheta, qui ait: *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam* (Psal. cxxvi, 1). Quantis etiam tunc memini me patere insidiis illius, qui sagittat in occultis immaculatum? Quantum nobis, o vinea mea, furtivis subreptum est machinamentis eo ipso tempore, quo vigilantius intendere cœpinus curæ et custodiæ nostri? Quot et quales piorum botros operum aut prælocavit ira, aut tulit jactantia, aut scævavit inani gloria? Quanta ab illecebra gulæ, quanta ab acedie spiritu, quanta a pusillanimitate spiritus et tempestate sustinimus? Sic eram: et nihilominus tamen posuerunt me custodem in vineis, non considerantes quid de mea ego facerem vel fecissem, nec au-

dientes arguentem magistrum ac dicentem : *Si quis A domui suæ præresse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit ? (I Tim. III, 5.)*

7. Miror audaciam plurimorum, quos videmus de suis vineis non colligere nisi spinas et tribulos, vineis tamen Dominicis etiam se ingerere non vereri. Fures sunt et latrones, non custodes, neque cultores. Hoc illis. Væ autem mihi etiam nunc a periculo vineæ meæ! imo magis nunc, quando pluribus intentus, minus circa unam diligens, minusque sollicitus fieri cogor. Nec spem circumdare, nec torcular fodere in ea licet. Heu! destructa est maceria ejus, et vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam! (*Psal. LXXIX, 13.*) Patet exposita tristitiæ, iracundiæ atque impatientiæ pervia. Demoliuntur eam sedulæ quædam vulpeculæ instantium necessitatum; irrumpunt undique anxietates, suspiciones, sollicitudines; turbæ discordantium, causarum molestiæ rara hora desunt. Non est prohibendi facultas, non copia declinandi, sed nec orandi spatium. Quo imbre lacrymarum perfundere sufficiam *sterilitatem animæ meæ?* (*Psal. XXXIV, 12.*) Vineæ meæ volui dicere, sed de psalmo sic incidit propter usum, et sensus idem est; nec piget erroris qui admonet similitudinis, quia non de vinea sermo est, sed de anima. Ergo anima cogitetur, cum vinea legitur; siquidem sub hujus specie et nomine illius sterilitas deploratur. Quibus ergo lacrymis rigabo sterilitatem vineæ meæ? Omnes palmites ejus aruerunt præ inopia; jacent sine fructu, eo quod non habeant humorem, Jesu bone! quos fasciculos sarmentorum ex eis in tuo quotidie sacrificio ustio contriti cordis mei te teste absumit? Sit, obsecro, sacrificium tibi spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum, Deus, ne despicias (*Psal. L, 19.*)

8. Et ego quidem sic pro imperfecto meo traho ad me capitulum præsens. Perfectus autem omnis erit qui alias dicere poterit : *Vineam meam non custodivi*; illo videlicet sensu, quo Salvator loquitur in Evangelio, *Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam (Matth. x, 39).* Idoneus plane et dignus qui ponatur custos in vineis, quem propriæ cura vineæ a commissarum diligentia et sollicitudine non impedit aut retardat; dum non quærit quæ sua sunt, neque quod sibi utile est, sed quod multis. Propterea sane Petro cura ista credita est in tam multis vineis, quæ erant de circumcissione, quia homo paratus erat *et in carcerem, et in mortem ire (Luc. XXII, 33),* usque adeo suæ vineæ, id est suæ animæ, non detinebatur amore, quominus curæ intenderet creditarum. Merito et Paulo inter gentes tam ingens **1378** silva credita est vinearum, quod et ipse in suæ custodia vineæ minime curiosus intentus sit; ita ut non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus fuerit propter nomen Domini Jesu Christi (*Act. XXI, 13*). Denique : *Nihil horum vereor, inquit, nec facio animam meam pretiosorem*

quam me (Act. xx, 24). Optimus æstimator rerum, qui nihil suorum sibi præferendum existimet.

9. Quam multi salutis propriæ modicam vilissimamque pecuniam prætulere! Paulus nec animam. *Non, inquit, facio eam pretiosorem quam me.* Ergo differentiam facis inter te, et animam tuam? Prudenter quidem tu tibi pluris es, quam quidvis tuum. Sed quomodo non tua anima tu? Arbitror quod quia Paulus jam tunc in spiritu ambularet, et mente consentiret legi Dei quoniam bona est (*Rom. VII, 16*); idcirco hanc ipsam mentem suam, tanquam principale ac supremum quiddam sui, dignum duxerit suimet potius, quam suæ cujuspiam rei nomine designare; reliquum vero, quod constat naturæ esse inferioris, et inferiori proinde villiorique essentiæ, quod est corpus, inhærere; non modo officio vivificandi ac sensificandi, sed et fovendi nutriendique desiderio: hoc, inquam, sensuale atque carnale appellatione sui homo spiritualis indignum judicans, inter sua magis censuit deputandum, quam se personaliter exprimendum per illud. Cum me dico, inquit, excellentius quod in me est, in quo et sto per gratiam Dei, id est mentem rationemque, intellige. Cum loquor animam meam, hoc inferius accipe, quod carni animandæ vides accommodatum, etiam et junctum in concupiscentia. Id me fuisse quidem, sed jam non esse agnosco, quia *non secundum carnem* adhuc ambulo, *sed secundum spiritum (Rom. VII, 4).* *Vivo ego jam non ego, vivit vero in me Christus (Galat. II, 20).* Secundum mentem ego, secundum carnem non ego. Quid enim si carnaliter etiam nunc anima concupiscit? *Jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum (Rom. VII, 17).* Et ideo non me quidem, sed tamen meum dixerim quod in me carnaliter sapit, idque non aliud quam ipsam animam. Revera enim animæ portio est carnalis affectio ejus, et vita, quam administrat corpori. Hanc ergo animam suam Paulus spernebat præ se, paratus pro Domino non solum alligari, sed et mori in Jerusalem, et sic perdere animam suam juxta consilium Domini.

10. Tu quoque si propriam deseras voluntatem, si corporis voluptatibus perfecte renuntias, si carnem tuam crucifigas cum vitis et concupiscentiis, sed et mortifices membra tua, quæ sunt super terram: probabis te Pauli imitorem, qui non facias animam tuam pretiosorem te ipso; probabis et Christi discipulum, etiam illum perdendo salubriter. Et quidem prudentius eam perdis ut custodias, quam custodis ut perdas. Nam *qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam (Matth. XVI, 25).* Quid hic vos dicitis, observatores ciborum (194), morum neglectores? Hippocrates et sequaces ejus docent animas salvas facere in hoc mundo; Christus et ejus discipuli, perdere. Quemnam vos e duobus sequi magistrum eligitis? At manifestum se facit qui sic disputat: hoc oculis, hoc capiti, et illud pectori

(194) Vide notas ad epist. 345, not. 910.

vel stomacho nocet. Profecto unusquisque quod a suo magistro didicit, hoc in medium profert. Num in Evangelio legisti has differentias, aut in prophetis, aut in litteris apostolorum? Caro et sanguis pro certo revelavit tibi hanc sapientiam, non spiritus Patris; est enim carnis hæc sapientia. Sed audi quid de ipsa nostri medici sentiant. *Sapientia, inquit, carnis mors est*; item: *Sapientia carnis inimica est Deo* (Rom. viii, 6, 7). Num Hippocratis seu Galeni sententiam, aut certe de schola Epicuri debui proponere vobis? Christi sum discipulus; Christi discipulis loquor: ego si peregrinum dogma induxero, ipse peccavi. Epicurus atque Hippocrates corporis alter voluptatem, alter bonam habitudinem præfert; meus Magister utriusque rei contemptum prædicat. Animæ in corpore vitam, quam summo studio iste **1379** unde sustentet, ille unde et delectet, inquit atque inquirere docet, Salvator monet et perdere.

11. Quid enim tibi aliud de Christi auditorio sonuit, cum paulo ante clamatum est: *Qui amat animam suam, perdet eam*? (Joan. xii, 25.) *Perdet eam* dixit, sive ponendo ut martyr, sive affligendo ut poenitens. Quamquam genus martyrii est, spiritu facta carnis mortificare; illo nimirum, quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, sed diurnitate molestius. Videsne hac sententia Magistri mei carnis sapientiam condemnari, per quam utique aut in luxum voluptatis dissolvitur, aut ipsa quoque bona valetudo corporis ultra quam oporteat appetitur? Denique quod vera sapientia in voluptates non effluat, audisti profecto a Sapiente, ne inveniri quidem hanc in terra suaviter viventium (Job xxiii, 13). Qui autem invenit, dicit: *Super salutem et omnem pulchritudinem dixi sapientiam* (Sap. vii, 10). Si super salutem et pulchritudinem, quanto magis super voluptatem et turpitudinem? Quid vero prodest temperare a voluptatibus, et investigandis diversitatibus complexionum, ciborumque varietatibus inquirendis, quotidianam expendere curam? Legumina, inquit, ventosa sunt, caseus stomachum gravat, lac capiti nocet, potum aquæ non sustinet pectus, caules nutriunt melancholiam, choleram porri accendant, pisces de stagno aut de lutosa aqua mæx penitus complexionis non congruunt. Quale est hoc, ut in totis fluviis, agris, hortis, cellariisve reperiri vix possit quod comedas?

12. Puta te, quæso, monachum esse, non medicum; nec de complexionibus judicandum, sed de professione. Parce, obsecro, primum quidem quieti tuæ, parce deinde labori ministrantium, parce gravamini domus, parce conscientiæ. Conscientiæ dico, non tuæ, sed alterius; illius videlicet, qui prope sedens, et edens quod sibi apponitur, de tuo singulari jejuni murmurat. Scandalo quippe est ei aut tua odiosa superstitio, aut durtitia, quam forte putat illius, qui tibi habet providere. Scandalizatur, inquam, in tua singularitate frater judicans te superstitiosum, tan-

(195) Id est, ad propriam ejus utilitatem. Sic veteres scripti et editi primi: Horstius et alii, *proprias utiliter nos custodire*.

quam superflua quæritantem; aut certe me durum causans, qui non perquiram victui tuo necessaria. Frustra sibi quidam blandiuntur de exemplo Pauli, hortantis discipulum non bibere aquam, sed *modico uti vino propter stomachum et frequentes suas infirmitates* (I Tim. v, 23). Qui attendere debent primum quidem Apostolum minime sibi ipsi rem istiusmodi suadere, sed nec discipulum æque exposcere sibi. Deinde non monacho hoc intimari, sed episcopo, cujus vita teneræ adhuc et nascenti Ecclesiæ per-necessaria esset. Timotheus hic erat. Da mihi alterum Timotheum; et ego cibo eum, si vis, etiam auro, et potu balsamo. Cæterum tu tibimetipsi dispensas, misertus tui. Suspecta est mihi, fateor, tua ipsius in te dispensatio; et vereor tibi illud sub tegmine et nomine discretionis a carnis prudentia. Id te saltem volo admonitum esse, ut si tibi ita auctoritas Apostoli placet de bibendo vino, *modico*, quod ille adjunxit, non prætermittas. Et de hoc satis. Sed revertamur ad sponsam, et discamus ab ea vineas proprias se utiliter non custodire (195), præsertim nos qui videmur deputati custodes in vineis sponsi Ecclesiæ Jesu Christi Domini nostri, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XXXI.

De excellentia divinæ visionis; et quomodo in præsen-ti sanctis viris gustus divinæ præsentis variatur, pro variis animæ desideriis.

1. *India mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie* (Cant. i, 6). Studiosis mentibus Verbum sponsus **1380** frequenter apparet, et non sub una specie. Quid ita? Profecto quoniam nondum videtur *sicuti est*. Nempe illa visio stat, quia forma etat quæ tunc videtur; est enim: nec ullam capit ex eo quod est, fuit, vel erit, mutationem. Tolle nempe: Fuit et Erit; unde jam transmutatio aut vicissitudinis obumbratio? At quidquid veniens ex eo quod Fuit non cessat tendere in id quod Erit, transitum sane habet per Est, sed omnino non est. Nam quomodo est, quod nunquam in eodem stato permanet? Solum proinde vere est, quod nec a Fuit præciditur, nec ab Erit expungitur; sed solum atque inexpugnabile remanet ei Est, et manet quod est. Nec fuit sane tollit illi esse ab æterno; nec Erit esse in æternum: ac per hoc sibi vindicat verum esse, id est increabile, Interminabile, invariabile. Cum igitur ipse qui sic est, imo qui non sic est aut sic est, videtur sicuti est; stat, ut dixi, illa visio, quia nulla eam interpolat vicissitudo. Et tunc ille de Evangelio unus omnibus, qui sic vident, denarius redditur (Matth. xx, 9) in una specie quæ offertur. Nam et quod apparet, ut invariabile in se est, ita invariabiliter intuentibus præsto est; et quibus apparet, nil videre desiderabilius volunt, nil possunt delectabilius. Quando ergo illa vel fastidiet aviditas, vel se subtrahet suavitas, vel fraudabit veritas, vel deficiet æternitas? Quod si in æternum extenditur

videndi copla pariter et voluntas; quomodo non plena felicitas? Nil quippe aut deest jam semper videntibus, aut superest semper volentibus.

2. At talis visio non est vitæ præsentis, sed in novissimis reservatur, his duntaxat qui dicere possunt: *Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est (I Joan. III, 2)*. Et nunc quidem apparet quibus vult; sed sicuti vult, non sicuti est. Non sapiens, non sanctus, non propheta videre illum, sicuti est, potest, aut potuit in corpore hoc mortali (196); poterit autem in immortalis, qui dignus habebitur. Itaque videtur et hic, sed sicut videtur ipsi, et non sicuti est. Nam neque hoc luminare magnum (solem loquor istum, quem quotidie vides) vidisti tamen aliquando sicuti est, sed tantum sicut illuminat, verbi causa aerem, montem, parietem. Quod nec ipsum quidem aliquatenus posses, si non aliqua ex parte ipsum lumen corporis tui, pro sui ingenita serenitate et perspicuitate, cælesti lumini simile esset. Non denique alterum membrum corporis capax est luminis, ob nullam utique dissimilitudinem. Sed nec ipse oculus, cum turbatus fuerit, lumini propinquabit, nimirum ob amissam similitudinem. Qui ergo turbatus, nullatenus serenum solem videt propter dissimilitudinem; serenus aliquatenus videt propter nonnullam similitudinem. Profecto si pari prorsus puritate vigeret, videret omnino inoffensa acie eum sicuti est, propter omnimodam similitudinem. Ita et solem justitiæ illum, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, videre in hoc mundo, sicut illuminat, illuminatus potest, tanquam jam in aliquo similis; sicuti est, omnino non potest, tanquam nondum perfecte similis. Propterea dicit: *Accedite ad eum et illuminamini, et facies vestræ non confundentur (Psal. XXXIII, 6)*. Ita sane, sed si quantum satis est illuminamur, ut revelata facie speculantes gloriam Dei, in eadem imaginem transformemur de claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu (II Cor. III, 18).

3. Ergo accedendum ad eum, non irruendum, ne irreverens scrutator majestatis opprimatur a gloria (Prov. xxv, 27). Nec locis sane accedendum, sed claritatibus; ipsi'sque non corporeis, sed spiritualibus, tanquam a Domini Spiritu. A Domini plane, et non a nostro, quamvis in nostro. Qui itaque clarior, ille propinquior esse autem clarissimum, pervenisse est. Porro jam præsentibus non aliud est videre sicuti est, quam esse sicuti est, et aliqua dissimilitudine non confundi. Sed 1381 id tunc, ut dixi. Interim vero tanta hæc formarum varietas, atque numerositas specierum in rebus conditis, quid nisi quidam sunt radii Deitatis, monstrantes quidem quia vere sit a quo sunt, non tamen quid sit prorsus definites? Itaque de ipso viles, sed non ipsum. Cum autem de eo, quem non vides, cætera vides, scis indubitanter existere quem oportet inquirere, ut

(196) Confer quæ Bernardus de S. Benedicto habet in sermone 9 de Diversis; et infra de Moyses,

A inquirentem non fraudet gratia, negligentem ignorantia non excuset. Verum hoc genus videndi commune. In promptu enim est, juxta Apostolum, omnium utenti ratione, invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspicere (Rom. I, 20).

4. Alius procul dubio ille modus, quo quondam Patribus crebra illa atque ambitiosa divinæ præsentiae familiaritas dignanter indulta est, quanquam nec ipsis sicuti est, sed sicut dignata est. Nec uno omnibus modo, sed, ut ait Apostolus, *multifarie multisque modis (Hebr. I, 1)*; cum ipse in se sit unus, dicente ipso ad Israel, *Dominus Deus tuus, Deus unus est (Deut. VI, 4)*. Et hæc demonstratio, non quidem communis; sed tamen foris facta est, nimirum exhibita per imagines extrinsecus apparentes, seu voces sonantes. Sed est divina inspectio, eo differentior ab his quo interior, cum per se ipsum dignatur invisere Deus animam quærentem se, quæ tamen ad quærendum toto se desiderio et amore devovit. Et hoc signum istiusmodi adventus ejus, sicut ab eo qui expertus est edocetur: *Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus (Psal. xcvi, 3)*. Oportet namque ut sancti desiderii ardor præveniat faciem ejus ad omnem animam, ad quam est ipse venturus, qui omnem consumat rubiginem vitiorum, et sic præparet locum Domino. Et tunc scit anima quoniam juxta est Dominus, cum se senserit in lo igne succensam, et dixerit cum propheta, *De excelso misit ignem in ossibus meis, et erudit me (Thren. I, 13)*: et illud, *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis (Psal. xxxviii, 4)*.

5. Tali animæ suspiranti frequenter, imo sine intermissione oranti, et afflictanti se præ desiderio, cum interdum desideratus ille, qui ita quæritur, miseratus occurrit; puto illi de propria experientia convenire ut dicat cum sancto Jeremia: *Bonus es, Domine, sperantibus in te, animæ quærenti te (Thren. III, 25)*. Sed et angelus ejus, qui unus est de sodalibus sponsi, in hoc ipsum deputatus, minister profecto et arbiter secretæ mutuæque salutationis; is, inquam, angelus quomodo tripudiat, quomodo colletatur et condelectatur, et conversus ad Dominum dicit: *Gratias ago tibi, Domine majestatis, quia desiderium cordis ejus tribuisti ei, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eam! Ipse est qui in omni loco sedulus quidam pedisequus animæ non cessat sollicitare eam, et assiduis suggestionibus monere, dicens, Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui: et rursum, Exspecta Dominum, et custodi viam ejus (Psal. xxxvi, 4, 31)*; item, *Si moram fecerit, exspecta eum, quia veniens veniet, et non tardabit (Habac. II, 3)*. Ad Dominum autem: *Sicut cervus, inquit, desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima ista ad te, Deus (Psal. xli, 2)*. Desideravit te in nocte, sed et spiritus tuus in præcordiis ejus de mane vigilavit ad te (Isai. xxvi, 9). Et iterum sermone 33 in Cantica, num. 6, et sermonem 34, num. 1.

rum : Tota die expandit ad te manus suas (*Psal.* LXXXVII, 10), dimitte illam quia clamat post te (*Math.* xv, 23) : convertere aliquantulum, et deprecabilis esto super eam (*Psal.* LXXXIX, 15). Respice de cœlo, et vide, et visita desolatam. Fidelis paronymus, qui mutui amoris conscius, sed non invidus, non suam querit, sed Domini gratiam : discurret medius inter dilectum et dilectam, vota offerens, referens dona. Excitat istam, placat illum. Interdum quoque, licet raro, repræsentat eos pariter sibi, sive hanc rapiens, sive illum adducens : siquidem domesticus est et notus in palatio, nec veretur repulsam, et quotidie videt faciem Patris.

6. Vide autem tu ne quid nos in hac Verbi animæque commistione corporeum seu imaginatorium sentire existimes. Id loquimur quod Apostolus dicit, quoniam *qui adhæret Deo, unus spiritus est* (*I Cor.* vi, 17). Excessum puræ mentis in Deum, sive Dei piæ descensum **1382** in animam, nostris quibus possumus exprimimus verbis, spiritualibus spiritualia comparantes. Itaque in spiritu sit ista conjunctio, quia spiritus est Deus, et concupiscit decorem animæ illius quam forte adverterit in spiritu ambulantiem, et curam carnis non perferentem in desiderio, præsertim si sui amore flagrantem conspexerit. Non ergo sic affecta et sic dilecta, contenta erit omnino vel illa quæ multis per ea quæ facta sunt, vel illa quæ paucis per visa et somnia facta est manifestatio sponsi, nisi et speciali prærogativa intimis illum affectibus atque ipsis medullis cordis cœlitus illapsum suscipiat, habeatque præsto quem desiderat non figuratum, sed infusum; non apparentem, sed afficientem; nec dubium quin eo jucundiorum quo intus, non foris. Verbum nempe est, non sonans, sed penetrans; non loquax, sed efficax; non obstrepens auribus, sed affectibus blandiens. Facies est non formata, sed formans; non perstringens oculos corporis, sed faciem cordis lætificans: grata quippe amoris munere, non colore.

[7. Non tamen adhuc illum dixerim apparere sicuti est, quamvis non omnino aliud hoc modo exhibeat quam quod est. Neque enim vel sic continue præsto erit, quamvis devotissimis mentibus, sed nec uniformiter omnibus. Oportet namque pro variis animæ desideriis divinæ gustum præsentis variari, et infusum saporem supernæ dulcedinis diversa appetentis animi aliter atque aliter oblectare palatum.] Denique advertisti in hoc amatorio carmine quoties mutaverit vultum, et in quanta multitudine dulcedinis suæ coram dilecta dignatus sit transforulari; et quomodo nunc quidem instar verecundi sponsi sanctæ animæ secretos petat amplexus, et oculis delectetur; nunc vero in oleo et unguentis medicum exhibere appareat, nimirum propter teneras et infirmas animas istiusmodi adhuc indigentes fomentis et medicamentis: unde et delicato adolescentularum nomine designantur. Si musset quis, audiet quia *non est opus sanis medicus, sed male habentibus* (*Math.* ix, 12). Nunc rursus

A quasi viator quispiam itinerantibus sponsæ simul atque adolescentulis sese associans, jucundissimis confabulationibus suis a labore viæ omnem relevat comitatum, ita ut eo discedente loquantur: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Jesu, dum loqueretur nobis in via?* (*Luc.* xxiv, 32.) Facundus comes, qui in sermonum et morum suavitate suorum, tanquam in quadam suaveolentia spirantium unguentorum, post se currere faciat universos: unde et dicunt, *In odore unguentorum tuorum curremus* (*Cantic.* i, 5). Item aliquando occurrens, quasi prædives aliquis paterfamilias, qui in domo sua abundet panibus; imo tanquam rex magnificus et potens, qui sponsæ pauperis videatur pusillanimitatem erigere, provocare cupiditatem, demonstrans illi omnia desiderabilia gloriæ suæ, divitias torcularium ac promptuariorum, hortorum et agrorum copias, demum etiam introducens eam in ipsa secreta cubiculi. Nimirum confidit in ea cor viri sui, et non est ex omnibus quod ab illa existimet abscondendum, quam redemit inopem, probavit fidelem, amplexatur amabilem. Atque ita non cessat, sive hoc, sive illo modo interno, jugiter apparere conspectui quærentium se, ut sermo impleatur, quem dixit: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Math.* xxviii, 20).

8. Et in his omnibus suavis et mitis, et multæ misericordiæ. Nam in oculis quidem affectuosum et blandum, in oleo autem et in pigmentis atque unguentis clementem et affluentem visceribus pietatis et compassionis: porro in via hilarem, affabilem, plenum gratiæ et solatii; in ostensione vero divitiarum ac possessionum munificum se ac largum pro regia liberalitate remuneratorem demonstrat. Ita per omnem hujus carminis textum reperies Verbum istiusmodi similitudinibus adumbrari. Unde ego puto id significatum apud prophetam, ubi ait, *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus; in umbra ejus* **1383** *vivemus inter gentes* (*Thren.* iv, 20): quod scilicet videamus nunc per speculum et in ænigmate, et necdum facie ad faciem. At istud sane donec vivimus inter gentes: nam inter angelos aliter; quando jam indifferenti omnino felicitate cum ipsis videbimus eum et nos, sicuti est, hoc est in forma Dei, et non in umbra. Quomodo namque apud veteres quidem umbram figuramque dicimus exstitisse, nobis autem per gratiam Christi in carne præsentis ipsam per se illucescere veritatem; ita nos quoque respectu futuri sæculi in quadam interim veritatis umbra vivere non negabit, nisi qui non acquiescit Apostolo dicenti, *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamur* (*I Cor.* xiii, 9); et illud, *Non arbitror me comprehendisse* (*Philipp.* ii, 15). Quomodo enim non est distinctio ejus qui per fidem ambulat, et illius qui per speciem? Ergo justus ex fide vivit (*Habac.* ii, 4), beatus exultat in specie: et ideo sanctus homo vivit interim in umbra Christi, sanctus angelus in splendore vultus gloriæ gloriatur.

9. Et bona fidei umbra, quæ lucem temperat oculo caliganti, et oculum præparat luci; scriptum est

enim: *Fide mundans corda eorum* (Act. xv, 9). Fides itaque lucem non exstinguit, sed custodit. Quidquid sane est illud quod videt angelus, hoc mihi umbra fidei servat, fideli sinu repositum, in tempore revelandum. Annon expedit tenere vel involutum, quod nudum non capis? Denique et Mater Domini vivebat in umbra fidei, cui dictum est: *Et beata quæ credidisti*. Habuit et de Christi corpore umbram, quæ audivit: *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (Luc. 1, 35, 45). Nec enim vilis umbra, quæ de virtute Altissimi formatur. Et vere virtus in carne Christi, quæ virgini obumbravit, ut quod impossibile erat mortali feminæ, objectu tamen involucris vivifici corporis ferret præsentiam majestatis, et lucem sustineret inaccessibilem. Virtus plane, in qua omnis contraria fortitudo debellata est; et virtus et umbra fugans dæmones, tutans homines; aut certe virtus vegetans, umbra refrigerans.

10. Vivimus proinde in umbra Christi, qui per fidem ambulamus, et carne ipsius pascimur ut vivamus. Caro enim Christi vere est cibus (Joan. vi, 56). Et vide ne propterea etiam nunc describatur hoc loco apparens, tanquam in schemate pastorali, ubi illum sponsa, quasi unum quempiam de pastoribus videtur alloqui, dicens: *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie*. Bonus Pastor, qui animam suam dat pro ovibus suis (Joan. x, 11): animam pro illis, carnem illis; illam in pretium, istam in cibum. Res mira! ipse pastor, ipse pascua est, ipse redemptio. Verum sermo in longum pergit, quoniam locus amplus est, et grandia continens, et non explicabitur paucis; atque hac necessitate videtur mihi jam rumpendus potius quam finiendus. Oportet autem, ut, quoniam materia pendet, memoria vigilet; quatenus ubi pausatam erit, inde mox resumatur et pertractetur, prout Dominus dabit, Jesus Christus sponsus Ecclesiæ, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XXXII.

Qualiter Christus suscipitur ab anima sancta tanquam sponsus, et ab anima infirma tanquam medicus. Item de differentia cogitationum, unde oriantur.

1. *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie* (Cant. 1, 6). Hic sumus, hinc progredimur. Sed antequam tractari incipiat visio ista et allocutio, recapitulandum breviter arbitror de aliis visionibus quæ præcesserunt, quomodo nobis aptari spiritualiter possint pro votis et meritis singulorum, ut apprehensis illis, si tamen hoc datum fuerit, facilius et in hujus discussione eluceat intellectus. Verum id difficillimum. Nam etsi illa verba, quibus ipsæ visiones seu similitudines describuntur, sonare corpora atque corporea videantur; spiritualia tamen sunt quæ nobis ministrantur in his, ac per hoc in spiritu quoque causas et rationes earum oportet inquiri. Et quis idoneus investigare et comprehen-

dere tam multos animæ affectus profectusque, **1384** quibus hæc de præsentia sponsi tam multiformis gratia dispensatur? Tamen si intremus ad nos, et Spiritus sanctus in lumine suo dignetur ostendere nobis, quod opere suo non designatur assidue acitare in nobis, puto non omnino non in his sine intellectu remansuros. Confido enim non accepisse nos spiritum hujus mundi, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis (I Cor. ii, 12).

2. Ergo si cui nostrum cum sancto Propheta adhærere Deo bonum est (Psal. lxxii, 28), et, ut loquar manifestius, si quis in nobis est ita desiderii vir, ut cupiat dissolvi et cum Christo esse, cupiat autem vehementer, ardentem sitiit, assidue meditatur; is profecto non secus quam in forma sponsi suscipiet verbum in tempore visitationis, hora videlicet qua se astringi intus quibusdam brachiis sapientiæ, atque inde sibi infundi senserit sancti suavitatem amoris. Siquidem desiderium cordis ejus tribuetur ei, etsi adhuc peregrinanti in corpore, ex parte tamen, idque ad tempus, et tempus modicum. Nam cum vigiliis, et obsecrationibus, et multo labore (197) et imbre lacrymarum quæsitus adfuerit, subito dum teneri putatur elabitur; et rursus lacrymanti et insectanti occurrens, comprehendendi patitur, sed minime retineri, dum subito iterum quasi e manibus evolat. Etsi insititerit precibus et fletibus devota anima, denuo revertetur, et voluntate labiorum ejus non fraudabit eam; sed rursus mox disperebit, et non videbitur, nisi iterum toto desiderio requiratur. Ita ergo et in hoc corpore potest esse de præsentia sponsi frequens lætitia, sed non copia; quia etsi visitatio lætificat, sed molestat vicissitudo. Et hoc tandiu necesse est pati dilectam, donec semel posita corporeæ sarcina molis, avolet et ipsa levata pennis desideriorum suorum, libere iter carpens per campos contemplationis, et mente sequens expedita dilectum quocunque ierit.

3. Nec tamen vel in transitu præsto erit sic omni animæ, nisi illi duntaxat, quam ingens devotio, et desiderium vehemens, et prædulcis affectus sponsam probat, et dignam, ad quam gratia visitandi accessurum Verbum decorem induat, formam sponsi accipiens. Qui enim nondum invenitur ita affectus, sed compunctus magis actuum recordatione suorum, loquens in amaritudine animæ suæ dicit Deo: *Noli me condemnare* (Job. x, 2); aut forte etiam adhuc periculose tentatur a propria concupiscentia abstractus et illectus: hic talis non sponsum requirit, sed medicum; ac per hoc non oscula quidem vel amplexus, sed tantum remedia vulneribus accipiet suis, in oleo utique et unguentis. Annon sæpenumero sic sentimus, et sic experimur orantes, nos, qui nostris quotidie adhuc excessibus tentamur præsentibus, mordemur præteritis? A quanta me

(197) Labore deest in quibusdam manuscriptis.

amaritudine frequenter liberasti adveniens, Jesu bone? Quoties post anxios fletus, inenarrabiles gemitus et singultus, sauciam conscientiam meam unxisti unctioe misericordiae tuae, et oleo laetitiae perfudisti? Quoties me oratio, quem pene desperantem suscepit, reddidit exultantem, et praesumentem de venia? Qui similiter afficiuntur, ecce hi sciunt, quod vere medicus sit Dominus Jesus, qui sauat contritos corde, et alligat contritiones eorum (*Psal. cxlvi, 3*). Qui experti non sunt, credant inde eidem ipsi dicenti: *Spiritus Domini unxit me, ad evangelizandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde (Isa. lxi, 2; Luc. iv, 17, 21)*. Si adhuc dubitant, accedant certe et probent, et sic in semetipsis discant quid sit: *Misericordiam volo, et non sacrificium (Matth. ix, 13)*. Sed videamus et reliqua.

4. Sunt qui in studiis spiritualibus fatigati, et versi in teporem, atque in defectu quodam spiritus positi, ambulant tristes vias Domini, corde arente et taedente accedunt ad quaeque injuncta, frequenter murmurant; longos dies, longas conqueruntur et noctes, loquentes cum sancto Job: *Si dormiero, dicam: Quando consurgam? et rursum expectabo resperam (Job vii, 4)*. Ergo ubi contingit tale aliquid pati, si misertus Dominus appropiet nobis in via qua ambulamus, et incipiat loqui de caelo qui de caelo est, nec non favorabile quidpiam cantare nobis **1385** de canticis Sion, narrare etiam de civitate Dei, de pace civitatis, de aeternitate pacis, de statu aeternitatis: dico vobis, erit pro vehiculo animae dormitanti et pigritanti laeta narratio, ita ut pellat omne fastidium ab animo audientis, et a corpore fatigationem. An tibi aliud vel pati, vel petere ille videtur, qui ait: *Dormitavit anima mea praetaxidio, confirma me in verbis tuis? Et nonne cum obtinuerit, clamabit: Quomodo dilexi legem tuam, Domine! tota die meditatio mea est? (Psal. cxviii, 97, 28)*. Sunt enim quaedam verba Verbi sponsi ad nos, nostrae meditationes de ipso et ejus gloria, elegantia, potentia, majestate. Non solum autem, sed et cum avida mente versamus testimonia ejus et judicia oris ejus, et in lege ejus meditatur die ac nocte; sciamus pro certo adesse sponsum, atque alloqui nos, ut non fatigemur laboribus, sermonibus delectati.

5. Tu ergo, eum tibi aliqua talia volvi animo sentis, non tuam putes cogitationem, sed illum agnosce loquentem, qui apud prophetam dicit: *Ego qui loquor justitiam (Isa. lxiii, 1)*. Simillima enim sunt nostrae cogitata mentis sermonibus Veritatis in nobis loquentis; nec facile quis discernit, quid intus pariat cor suum, quidve audiat, nisi qui prudenter advertit Dominum in Evangelio loquentem, quia *de corde exeunt cogitationes malae (Matth. xv, 19)*; et illud: *Quid cogitatis mala in cordibus vestris? (Matth. ix, 4)*. Et: *Qui loquitur mendacium, de suo loquitur (Joan. viii, 44)*. Apostolus autem: *Non quod sufficientes, inquit, simus cogitare aliquid a*

nobis tanquam ex nobis (subaudis [Tiraq. subaudi] bonum); sed sufficientia nostra ex Deo est (II Cor. iii, 5). Cum ergo mala in corde versamus, nostra cogitatio est; si bona, Dei sermo est. Illa cor nostrum dicit, haec audit. *Audiam, ait, quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam (Psal. lxxxiv, 9)*. Itaque pacem, pietatem, justitiam Deus in nobis loquitur; nec talia nos cogitamus ex nobis, sed in nobis audimus. Caeterum homicidia, adulteria, furta, blasphemiae, et his similia, de corde exeunt (*Matth. xv, 19*): nec audimus ea, sed dicimus. Denique *dixit insipiens in corde suo: Non est Deus (Psal. xliii, 1)*. Et propter hoc *irritavit impius Deum, quia dixit in corde suo: Non requiret (Psal. ix, 13)*. Sed est praeterea quod corde quidem sentitur, non tamen cordis est verbum. Nec enim de corde exit, sicut nostra cogitatio, sed neque illud est quod ad cor fieri diximus, verbum videlicet Verbi, cum sit malum. Immittitur autem a contrariis potestatibus, sicut fiunt immissiones per angelos malos; quale, verbi causa, fuit quod legitur misisse in cor diabolus, ut traderet Dominum Judas Simonis Iscariotis (*Joan. xiii, 2*).

6. Verum quis ita vigil et diligens observator motionum internarum suarum, sive in se, sive et ex se factarum, ut liquido ad quaeque illicita sensa cordis sui discernat inter morbum mentis, et morsum serpentis? Ego nulli hoc mortalium possibile puto, nisi qui illuminatus a Spiritu sancto speciale accepit donum illud quod Apostolus inter caetera charismata quae enumerat, nominat discretionem spirituum (*I Cor. xii, 10*). Quantumlibet enim quis, secundum Salomonem, omni custodia servet cor suum (*Prov. iv, 23*), et omnia quae intra se moventur vigilantissima intentione observet; etiamsi diuturnum forte in his habuerit exercitium et frequens experimentum, non poterit tamen ad purum in se dignoscere discernere ab invicem malum innatum, et malum seminatum. Nam *delicta quis intelligit? Nec multum refert nostra scire, unde inest nobis malum, dummodo inesse sciamus: vigilandum potius et orandum undecunque sit, ne consentiamus*. Denique orat propheta contra utrumque malum, dicens: *Ab oculis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo (Psal. xviii, 13, 14)*. Et ego, non possum tradere vobis quod non accepi. Non autem accepi, fateor, unde assignem certam notionem inter partem cordis, et seminarium hostis. Quippe utrumque malum, utrumque a malo; utrumque in corde, sed non utrumque de corde. Hoc totum certum mihi in me, etsi incertum quid cordi, quid hosti **1386** tribuam. Et id quidem, ut dixi, absque periculo.

7. Sed sane est ubi periculose, imo damnabiliter erratur, atque ibi merito nobis certa praefigitur regula, ne quod Dei est in nobis, demus nobis, putantes Verbi visitationem nostram esse cogitationem. Ergo quantum distat bonum a malo, tantum

Ista duo a se : quoniam nec de Verbo malum, nec de corde exiit bonum, nisi quod prius forte de Verbo conceperit ; quia non potest bona arbor malos fructus facere, nec arbor mala fructus bonos (*Matth.* vii, 18). **A** At satis dictum esse credo quid Dei, quid nostrum in nostro sit corde ; nec superflue, ut arbitror, sed ut sciant inimici gratiæ (198), absque gratia nec ad cogitandum bonum sufficere cor humanum, sed sufficientiam ipsius ex Deo esse ; Dei vocem, bonum quod cogitatur, non cordis prolem existere. Tu ergo si vocem ejus audis, non jam nescias unde veniat, aut quo vadat ; sciens quia a Deo exit, et ad cor vadit. Vide autem quomodo verbum quod egreditur de ore Dei non revertatur ad eum vacuum, sed prosperetur et faciat omnia ad quæ misit illud, ut dicere possis et tu, quia *gratia Dei in me vacua non fuit* (*I Cor.* xv, 10). Felix mens, cui Verbum individuus comes, ubique se affabile præbet, cujus indesinenter oblectata suavitate facundiæ, a carnis molestiis et vitii sese vindicet omni hora, redimendo tempus a diebus malis (*Ephes.* v, 16). Non lassabitur, non molestabitur ; quoniam, sicut dicit Scriptura : *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit* (*Prov.* xii, 21).

B **3** Jam vero magni Patrisfamilias seu regniæ majestatis schema apparere existimo his qui, accedentes [*alias, ascendentes*] ad cor altum, de majori spiritus libertate et puritate conscientiæ magnanimo facti, consueverunt audere majora, inquieti prorsus et curiosi secretiora penetrare, et apprehendere sublimiora, et tentare perfectiora, non modo sensuum, sed et virtutum. Hi enim pro fidei magitudine digni inveniuntur qui inducantur in omnem plenitudinem ; nec est omnino in omnibus apothecis sapientiæ a quo Deus scientiarum Dominus arcendos censeat cupidus veritatis, vanitatis non conscius. Talis erat Moyses, qui audebat dicere Deo : *Si inveni gratiam in oculis tuis, ostende mihi te ipsum* (*Exod.* xxxiii, 13, 18). Talis Philippus, qui sibi et suis condiscipulis Patrem flagitabat ostendi (*Joan.* xiv, 8) : talis et Thomas, qui ulsi sua manu tangeret vulnus et fossam latus, credere recusabat (*Joan.* xx, 25). Pusilla fides, sed de magnitudine animi miro modo descendens (199). Talis quoque **C** David, qui et ipse dicebat Deo : *Tibi dixit cor meum : Exquisivit te facies mea ; faciem tuam, Domine, requiram* (*Psal.* xxvi, 8). Tales itaque magna audent, quoniam magni sunt : et quæ audent,

obtinent juxta verbum promissionis ad ipsos, quod est istiusmodi : *Quemcunque locum calcaverit pes vester, vester erit* (*Deut.* xi, 24). Magna siquidem fides magna meretur ; et quatenus in bonis Domini fiduciæ pedem porrexeris, eatenus possidebis.

D 9. Denique Moysi ore ad os loquitur Deus ; et palam, non per ænigmata et figuras Dominum videre meretur, cum prophetis aliis tantum in visione apparere se dicat, et per somnium loqui (*Num.* xii, 6-8). Philippo quoque secundum petitionem cordis sui ostensus est Pater in Filio, in eo procul dubio quod incontinenti audivit : *Philippe, qui videt me, videt et Patrem* ; et, *Quia ego in Patre, et Pater in me est* (*Joan.* xiv, 9, 10). Sed et Thomæ juxta desiderium cordis ejus palpandum se præbuit (*Joan.* xx, 27), et voluntate labiorum ejus non fraudavit eum. Quid David ? nonne et ipse voto se non omnino fraudari significat, ubi ait non daturum se somnium oculis suis, nec palpebris suis dormitationem, donec inveniret locum Domino ? (*Psal.* cxxxii, 4, 5.) Igitur istiusmodi magnis spiritibus magnus occurrit Sponsus, et magnificabit facere cum eis, emittens lucem suam, et veritatem suam, eosque delucens et adducens in montem sanctum suum, et in tabernacula sua, ita ut dicat qui ejusmodi est : *Quia fecit mihi magna qui potens est* (*Luc.* i, 49). Regem in decore suo videbunt oculi ejus (*Isa.* xxxiii, 17) ; præeuntem se ad speciosa deserti, ad flores rosarum, et lilia convallium ad amœna hortorum, irrigua fontium, **1387** ad delicias cellariorum, et odora-menta aromatum, postremo ad ipsa secreta cubi- culi.

10. Isti sunt thesauri sapientiæ et scientiæ penes sponsum absconditi, hæc vitæ pascua præparata in refectionem animarum sanctarum. Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ipsis. Hoc solum admonitum sit, ne solus habere velit quæ possunt sufficere pluribus. Propterea enim fortassis post ista omnia sponsus, tanquam pastor apparere describitur, ut proinde admoneatur assecutor tantorum munerum pascendi gregis simpliciorum, qui scilicet tam non valent per semetipsos apprehendere ista, quam non audent sine pastore oves exire in pascua. Denique hoc ipsum sponsa prudenter advertens postulat sibi indicari ubi ipse pascat et cubet sub meridiano fervore, parata (ut quidem ex hoc intelligi datur) pasci et pascere cum illo, et sub illo. Nec enim tutum arbitratur longe agere gregem a summo

(198) Abaculadum, ut puto, intelligit, qui gratiam Christi pene ad rationem et exemplum redigebat, ut dictum est tomo III, in Opusculo xi.

(199) Quomodo ex animi magnitudine, si ex fidei pusillitate? Verum in hac apostoli Thomæ sententia S. Bernardus duo distinguit : unum, quod credere detrectavit, in quo fidei defectus est ; alterum, conditio sine qua credere recusavit, nimirum nisi videret cicatrices vulnere : quod cum magnum quiddam sit, ad animi refertur magnitudinem, cujus est magna audent. Huic Bernardi interpretationi maxime favet sermo 162, in Appendice ad Opera S. Augustini,

in quo sic legitur. « Quamvis igitur modicæ fidei homo, quamvis imbecillis ingenii christianus, nunquam sollicitudinem suam inquisitioni Thomæ æquiparare potuisset. Nunquam enim post agnitionem, conversationem, loquelam ausus esset petere, ut etiam tactu Christum perscrutaretur in Christo, et in ipso homine quem cernebat, hominis corpus inquireret, et resurrectionem ejus non tam mirabilem gloria crederet, quam passionis injuria comprobaret, » etc. Ita ibi. Vide eandem sententiam apud Guillel. Sancti Theoderici abbatem in libro De contemplando Deo, cap. 1, n. 3, hic.

Pastore, nimirum ob incursiones luporum, eorum maxime qui veniunt ad nos in vestimentis ovium : et propterea satagit in eisdem cum ipso pariter pascere pascuis, et cubare umbris. Et causam ponit : *Ne incipiam, inquiens, vagari post greges sodalium tuorum.* Ipsi sunt qui se volunt videri amicos sponsi, et non sunt : et cum suos, non illius greges pascere cura sit eis ; hinc inde tamen insidiantes dicunt : *Ecce hic est Christus, ecce illic est* (Marc. xiii, 21), videlicet ut multos seducant, et abducant a Christi gregibus, et socient suis. Hoc pro litteræ textu. Jam vero spiritualem sensum qui in ea latet sub alio sermonis principio. exspectate, quidquid illud erit, quod mihi inde vobis orantibus sua misericordia partiri dignabitur sponsus Ecclesiæ Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMŌ XXXIII.

De his quæ semper sectanda sunt a mente devota. Quid sit merities, et de quatuor generibus tentationum semper evitandis.

1. Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubas in meridie (Cant. 1, 6). Et alius quidam : Indica, inquit, mihi cur me ita judices (Job x, 2). Ubi non sane sententiam causatur, sed scrutatur causam, erudiri flagellis petens, non erui. Item alius precatur, dicens : *Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me* (Psal. xxiv, 4). Quas dixerit vias vel semitas, manifestat alibi : *Deduxit me, inquit, super semitas justitiæ* (Psal. xxii, 3). Ergo tria ista anima curiosa Dei non cessat inquirere ; justitiam, et judicium, et locum habitationis gloriæ sponsi ; tanquam viam in qua ambulet, cautelam qua ambulet, et ad quam ambulet mansionem. De qua mansionem sic habes in propheta : *Unam petii, inquit, a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ* (Psal. xxvi, 4) ; et iterum : *Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ* (Psal. xxv, 8). Porro de reliquis duobus : *Justitia et judicium, ait, præparatio sedis tuæ* (Psal. lxxxviii, 15). Merito tria ista mens devota requirit, utpote sedem Dei, et sedis præparationem. Et pulchre in sponsæ prærogativam concurrunt pariter omnia ad consummationem virtutum, ut de forma justitiæ sit formosa, de judiciorum notitia cauta, de desiderio præsentis seu gloriæ sponsi casta. Talem prorsus decet esse sponsam Domini, pulchram, eruditam et castam. Ergo petitio quam ultimam posui ; istius est loci. Petit siquidem ab eo quem diligit anima sua, indicari sibi ubi pascatur, et ubi cubet in meridie.

2. Et primo advertite quam eleganter amorem spiritus a carnis discernat affectu, dum dilectum exprimere magis ipsa affectione, quam nomine volens, non simpliciter : *Quem diligo ; sed : O, inquit, quem diligit anima mea,* spiritualem designans dilectionem. Deinde quidnam eam in loco pascuæ adeo delectet, diligenter attende. Sed nec illud

A prætereat te de hora meridiana, et quod is potissimum exploratur locus, in quo qui pascit, cubat simul : quod est magnæ securitatis indicium. Arbitror enim ob hoc additum, *Cubat, quod eo loci minime necesse sit stare, et vigilare super custodiam gregis, 1388* quando grex, etiam cubante pastore et pausante sub umbris, libere nihilominus discurret in pascuis. Felix regio, in qua pro libitu oves ingrediuntur et egrediuntur, et non est qui extereat. Quis mihi tribuat videre vos, meque pariter in montibus pasci una cum illis nonaginta novem quæ illic relictæ leguntur, cum pastor earum dignanter ad unam descendit quæ erraverat ? (Matth. xviii, 12.) Secure procul dubio cubat prope, qui et longe recedere minime dubitavit, sciens quia in tuto eas relinqueret. Merito sponsa illo suspirat, merito inhiat loco pascuæ simul et pacis, sed quietis, sed securitatis, sed exsultationis, sed admirationis, sed stuporis. Nam et me miserum, heu ! longe agentem et de longe salutantem, en ipsa ejus recordatio ad lacrymas provocat, plane juxta affectionem et vocem dicentium : *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur tui, Sion* (Psal. cxxxvi, 1). Libet exclamare et me cum sponsa pariter et cum Propheta : *Lauda Deum tuum, Sion ; quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te. Qui posuit fines tuos pacem, et adipe frumenti satiat te* (Psal. cxlvii, 12-14). Quis non illic vehementer cupiat pasci et propter pacem, et propter adipem, et propter satietatem ? Nihil ibi formidatur, nihil fastiditur, nihil deficit. Tuta habitatio paradisi, dulce pabulum Verbum, opulentia multa nimis æternitas.

3. Habeo et ego Verbum, sed in carne ; et mihi apponitur veritas, sed in sacramento. Angelus ex adipe frumenti saginatur, et nudo saturatur grano ; me oportet interim quodam sacramenti cortice esse contentum, carnis surfure, litteræ palea, velamine fidei. Et hæc talia sunt quæ gustata afferunt mortem, si non de primitiis spiritus quantulumcumque accipiant condimentum. Prorsus mors mihi in olla, nisi ex prophetæ farina dulcoretur (IV Reg. iv, 40, 41). Denique absque spiritu et sacramento ad judicium sumitur, et caro non prodest quidquam, et littera occidit, et fides mortua est. Sed spiritus est qui vivificat, ut vivam in eis. At quantalibet sane abundantia spiritus pinguescant ista, non pari omnino jucunditate sumitur cortex sacramenti et adeps frumenti, fides et species [alias mendose, spes], memoria et præsentia, æternitas et tempus, vultus et speculum, imago Dei et forma servi. Nempe in omnibus his fides locuples mihi, intellectus pauper. Nunquid vero par sapor intellectui fideique, cum sit in meritum ista, ille in præmium ? Vides ergo tantum distare inter pabula, quantum et inter loca ; et sicut exaltantur cœli a terra, ita habitantes in eis, bonis potioribus abundare ?

4. Festinemus proinde, filii, festinemus ad locum tutiorem, ad pastum suavorem, ad uberiorem et

fertiliorem agrum. Festinemus ut habitemus sine metu, abundemus sine defectu, epulemur sine fastidio. Tu enim, Domine sabaoth, qui cum tranquillitate iudicas omnia, etiam cum securitate æque omnia ibi pascis. Idem ipse et Dominus exercituum, et pastor ovium. Ergo et pascis, et cubas pariter, sed non hic. Denique stabas cum e cælo prospiceres unam ex tuis oviculis (Stephanum loquor) a lupis circumdari super terram (Act. vii, 55). Et propterea, *quæso, indica mihi ubi pascas, ubi cubas in meridie*; hoc est tota die: etenim illa meridies tota est dies, et ipsa nesciens vesperam. Et ideo melior dies illa in atriiis tuis super millia (Psal. lxxxiii, 14), quia nescit occasum. At matutinum forsitan habuit, cum primum videlicet dies sanctificatus illuxit nobis, per viscera utique misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto (Luc. i, 78). Vere tunc suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui (Psal. xlvii, 10), cum in medio umbræ mortis exortus matutini lux orta est nobis, et mane vidimus gloriam Domini. Quanti reges et prophetæ voluerunt videre, et non viderunt? Quare? nisi quia nox erat, et necdum venerat illud expectatum mane, cui fuerat repromissa misericordia? Unde et orabat quis dicens: *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te speravi* (Psal. cxlii, 8).

5. Fuit namque quædam hujus aurora diei, ex quo sol justitiæ per archangelum Gabrielem nuntiatum est terris, et Virgo Deum in utero de Spiritu sancto concepit **1389** et peperit Virgo, ac deinceps, quoad in terris visus est, et cum hominibus conversatus est. Nam usque adeo per totum id temporis lux pusilla, et tanquam lux revera auroræ apparuit, ut diem esse interim apud homines pene universitas ignoraret. Denique *si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (I Cor. ii, 8). Et utique ipsis paucis discipulis dicebatur: *Adhuc modicum lumen in vobis est* (Joan. xii, 35); eo quod aurora esset et initium, vel potius iudicium diei, dum Sol adhuc absconderet radios suos, et minime eos spargeret super terram. Paulus quoque dicebat, quoniam *nox præcessit, dies autem appropinquavit* (Rom. xiii, 12), significans esse tunc adhuc adeo modicum lumen, ut propinquasse, quam venisse diem dicere maluerit. Quando autem hoc dicebat? Profecto quando Sol reversus ab inferis, jam se ad alta cæli sustulerat. Quanto magis cum adhuc similitudo carnis peccati instar densæ nubis operiret auroram, juxta omnes nimirum nostri corporis passiones, ita ut neque amara mors, nec crux probrosa defuerit? quanto magis, inquam, tunc exigua tenuisque admodum lux fuit, et quæ de auroræ magis, quam de Solis prodire præsentia videretur?

6. Erat ergo aurora, et ipsa subobscura satis, tota illa Christi videlicet conversatio super terram, usque dum occumbens et rursum exoriens, solaris suæ præsentia lumine clariori fugavit auroram, et mane facta absorpta est nox in victoria. Denique

A habes: *Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum, orto jam sole* (Marc. xvi, 2). *Amnon* mane tuit, quando ortus est Sol? Attulit autem novum de resurrectione decorem, et sereniorum solito lucem, quoniam etsi noveramus eum secundum carnem, sed nunc jam non novimus (II Cor. v, 16). Est scriptum in Propheta: *Decorem induit, induit fortitudinem, et præcinxit se* (Psal. xcii, 4); quod carnis infirma, tanquam nubila quædam excusserit, stolam gloriæ induens. Sane extunc elevatus est Sol, et sensim denum diffundens suos radios super terram, cæpit paulatim ubique clarior apparere, fervidiorque sentiri. Verum quantumlibet incalescat et invalescat, multiplicet et dilatat radios suos per omnes hujus nostræ mortalitatis curriculum (erit enim nobiscum usque ad consummationem sæculi (Matth. xxviii, 20); non tamen ad meridianum perveniet lumen, nec in illa sui plenitudine videbitur modo, in qua videndus est postea, ab his duntaxat, quos hæc visione ipse dignabitur. O vere meridies, plenitudo fervoris et lucis, solis statio, umbrarum exterminatio, desiccatio paludum, fetorum depulsio! O perenne solstitium, quando jam non inclinabitur dies! o lumen meridianum, o vernalis temperies, o æstiva venustas, o autumnalis ubertas; et, ne quid videar præteritise, o quies et feriatio hiemalis! Aut certe, si hoc magis probas, sola tunc hiems abiit et recessit. Hunc locum, inquit, tantæ claritatis et pacis et plenitudinis indica mihi, ut quemadmodum Jacob adhuc in corpore manens vidit Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima ejus (Gen. xxxii, 30); vel certe sicut Moyses vidit eum, non per figuras et ænigmata, seu per somnia, uti prophetæ alii, sed modo plane præcellenti atque inexperto cæteris, sibi noto et Deo (Num. xii, 6-8); vel sicut Isaias revelatis oculis cordis vidit eum super solum excelsum et elevatum (Isa. vi, 4); vel etiam quomodo Paulus raptus in paradysum audivit verba ineffabilia (II Cor. xii, 4), et Dominum suum Jesum Christum vidit oculis suis; ita ego quoque te in lumine tuo et in decore tuo per mentis excessum merear contemplari pascentem uberius, quiescentem securius.

D 7. Nam et hic pascis, sed non in saturitate; nec cubare licet, sed stare et vigilare oportet propter timores nocturnos. Heu! nec clara lux, nec plena refectio, nec mansio tuta: et ideo *indica mihi ubi pascas, ubi cubas in meridie*. Beatam me dicis cum esurio et sitio justitiam (Matth. v, 6). Quid hoc ad illorum felicitatem, qui repleti sunt in bonis donus tuæ (Psal. lxiv, 5), qui epulantur et exultant in conspectu Dei, et delectantur in lætitia? (Psal. lxxvii, 4.) Sed et si quid patior propter justitiam, nihilominus **1390** beatam pronuntias (Matth. v, 9). Et certe pasci ubi timere pati, jucunditatem habet, sed non securitatem. Porro autem pasci et pati simul, nonne molesta jucunditas est? Omnia mihi hic cedunt citra perfectum, plura præter votum, et tutum

nihil. Quando adimplebis me lætitia cum vultu tuo? A (*Psal. xv, 11.*) Vultum tuum, Domine, requiram (*Psal. xxvi, 8.*) Vultus tuus merities est. *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Scio satis ubi pascas non cubans; indica mihi ubi pascas et cubes. Non ignoro ubi aliis temporibus pascere soleas; sed scire velim ubi in meridie pascas. Nam in tempore quidem mortalitatis meæ, et in loco peregrinationis meæ consuevi sane sub tua custodia pasci, et pascere in lege, et prophetis, et psalmis de te; nec non in evangelicis pascuis, et apud apostolos similiter requievi; frequenter etiam de gestis sanctorum, et verbis, et scriptis eorum, victum mihi atque attinentibus mihi mendicavi ut potui; frequentius autem (quoniam is magis ad manum fuit) manducavi panem doloris, et vinum compunctionis bibi; et *factæ sunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?* (*Psal. xli, 4.*) Nisi quod de mensa tua; siquidem parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me (*Psal. xxii, 5*); de ipsa, inquam, tuæ quidem beneficio miserationis, accipio, in quo utcumque respiro, quoties tristis est anima mea, et quoties conturbat me. Hæc pascua novi et frequentavi te secuta pastorem; sed indica, quæso, etiam quæ non novi.

8. Sunt quidem et alii pastores, qui dicunt se esse sodales tuos, et non sunt, habentes greges suos, et fines suos pabulo mortis refertos, in quibus pascunt nec tecum, nec per te, quorum utique terminos non intravi, nec appropriavi eis. Ipsi sunt qui dicunt: *Ecce hic est Christus, ecce illic est* (*Marc. xiii, 21*); promittentes sapientiæ et scientiæ pascua uberiora, et creditur eis, et confluit ad eos multi, et faciunt eos filios gehennæ duplo quam se. Cur hoc, nisi quia non est ibi merities et perspicua lux, ut liquido veritas cognoscatur; facileque pro ea recipitur falsitas propter verisimilitudinem, quæ non facile in obscuro a vero discernitur, præsertim quia *aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis absconditus suavior?* (*Prov. ix, 17.*) Et propterea quæso, ut indices mihi *ubi pascas, ubi cubes in meridie*, id est in manifesto, *ne seducta incipiam vagari post greges sodalium tuorum*, quemadmodum et ipsi vagi sunt, nulla stabiles certitudine veritatis, semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes (*II Tim. iii, 7*). Hæc sponsa propter philosophorum et hæreticorum varia et vana dogmata.

9. Mihi vero videtur non solum propter ea, sed et propter dolos invisibilium potestatum, sicut sunt seductorii spiritus, sedentes in insidiis, et parantes sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde: propter hos, inquam, et maxime, videtur mihi illa merities optanda etiam nobis, ut clara luce deprehendamus astutias diaboli, atque angelum Satanæ illum, qui se transfiguratur in angelum lucis (*II Cor. xi, 14*), ab angelo nostro facillime discernamus. Non enim aliter nos custodire sufficimus ab incursu et dæmonio meridiano (*Psal. xc,*

6), nisi in meridiano æque lumine. Quod quidem dæmonium idcirco meridianum dictum existimo, quia sunt aliqui de numero malignorum, qui cum merito tenebræ obstinatæque voluntatis suæ nox et nox perpetua sint, diem tamen se ad fallendum simulare noverunt, nec modo diem, sed et meridiem, sicut eorum princeps contentus esse æqualis Deo, etiam *adversatur, et extollitur supra id quod dicitur, aut quod colitur Deus* (*I Thess. ii, 4*). Itaque nisi cordi illius, quem forte aliquod istiusmodi dæmonium meridianum tentandum acceperit, oriens ex alto illuxerit verus merities, qui falsum vincat et prodat, non poterit omnino caveri, sed tentabit et supplantabit sine dubio sub specie boni, pro bono scilicet malum incauto et improvide persuadens. Et tunc merities, id est major claritas, apparet, tentans, cum quasi boni majoris imaginem præfert.

1391 10. Quoties, verbi causa, suggestit anticipare vigiliis, quo ad solemnia fratrum illuderet dormitanti? Quoties, produci jejunia, ut divinis obsequiis eo inutilem redderet, quo imbecillum? Quoties bene proficientibus in cœnobiis invidens, obtentu quasi majoris puritatis eremum petere persuasit, et cognoverunt miseri tandem, quam verus sit sermo quem frustra legerant: *Væ soli, quoniam si ceciderit, non habet sublevantem?* (*Eccle. iv, 10.*) Quoties ad opus manuum plus, quam opus fuerat, incitavit; et fractum viribus, cæteris regularibus exercitiis invalidum reddidit? Quam multis exercitationem corporis, quæ juxta Apostolum ad modicum valet (*I Tim. iv, 8*), non modicam persuasit, et pietate fraudavit? Denique ipsi experti estis, quomodo quidam, ad verecundiam illorum dico, qui ante inhiberi non poterant (ita in spiritu vehementi ad omnia ferebantur), post ad tantam ignaviam devenerunt, ut secundum illud Apostoli, cum spiritu cœperint, nunc carne consummentur (*Galat. iii, 3*): quam turpe iniere sædus cum suis corporibus, quibus crudele ante indixerant bellum. Videas, pro pudor! importune superflua quæritare, qui prius necessaria obstinatissime recusabant. Quanquam si qui in sua forte invicti obstinatione perdurant, indiscretius abstinentes, et singularitate notabili conturbantes eos, cum quibus habitare debent unius moris in domo; haud scio sane an se existentem pietatem retinere, cum hujusmodi mihi videantur et longius abjecisse. Nam qui sapientes in oculis suis decreverunt apud se nec consilio acquiescere, nec præcepto, videant quid respondeant, non mihi, sed dicenti: *Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.* Præmiserat autem quia *melior est obedientia quam victima et auscultare magis quam offerre adipem arietum* (*I Reg. xv, 22, 23*), id est abstinentiam contumaciam. Unde Dominus per Prophetam: *Nunquid manducabo, ait, carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo* (*Psal. xlix, 13*)? significans minime sibi accepta fore jejunia superbiorum vel immundorum.

11. Sed sane vereor, ne damnantes superstitiones, videamur frena laxare gulosis; et audiant illi ad periculum sui, quod ad remedium his dicitur. Quamobrem audite, utraque pars, quatuor esse tentationum genera, et ipsa nobis ita prophetico sermone describi. *Scuto*, inquit, *circumdabit te veritas ejus; non a timore nocturno, a sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et dæmonio meridiano* (*Psal. xc, 5, 6*). Attendite nihilominus et vos alii, quod omnibus spero profuturum. Illud omnes in nobis sentimus et sensimus qui conversi sumus ad Dominum, quod sancta Scriptura dicit: *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in timore, et præpara animam tuam ad tentationem* (*Eccli. ii, 1*). Itaque primordia nostræ conversionis, juxta communis quidem experientiæ rationem, primus exagitat timor, quem intrantibus statim horror vitæ ingerit arctioris, et insuetæ austeritatis disciplinæ. Atque is timor nocturnus dicitur, vel quia nox in Scripturis designare solet adversa, vel quoniam propter quod adversa pati agredimur, id nondum revelatum est. Si enim dies ille lucret, in cujus lumine pariter et labores et præmia videremus; timor omnino quorumvis laborum nullus esset præ desiderio præmiorum, dum clara luce appareret quoniam non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis (*Rom. viii, 18*). Nunc vero quoniam abscondita sunt ab oculis nostris, et nox est interm in hac parte; tentamur nimirum a timore nocturno, et pro bonis quæ non videmus, formidamus quæ impræsentiarum sunt adversa tolerare. Vigilandum proinde et orandum primo intrantibus contra hanc primam tentationem, ne subito præoccupati a pusillanimitate spiritus et tempestate, a bono cæpto, quod absit! resiliant.

12. Superata autem hac tentatione, armemur nos nihilominus et adversus hominum laudes, quæ de laudabili potissimum vita sumunt materiam. Alioquin patebimus vulnere a *sagitta volante in die*, quæ est inanis gloria. Fama siquidem volat; et ideo in die, quia ex **1392** operibus lucis. Si hæc exsufflatur tanquam inanis aura, restat ut solidius aliquid afferatur de divitiis et honoribus sæculi, si forte qui non curat laudes, appetat dignitates. Et vide, si non hic ordo tentandi servatus est in Domino nostro, cui post suggestum ad solam vanitatem præcipitium, ostensa sunt omnia regna mundi atque oblata (*Matth. iv, 6, 8*). Tu ergo exemplo Domini et ista renue. Aliter necesse est circumveniri te a *negotio perambulante in tenebris*, quod est hypocrisis. Etenim ista de ambitione descendit, et in tenebris habitatio ejus: quippe abscondit quod est, et quod non est mentitur. Negotiatur autem omni tempore, formam retinens pietatis ad sese occultandum, virtutem autem ejus vindicans, et eicens honores.

13. Postrema tentatio est dæmonium meridianum, quod solet maxime insidiari perfectis, qui videlicet, tanquam viri virtutum, omnia superave-

rint; voluptates, favores, honores. Quid enim jam superest ei qui tentat, in quo possit pugnare palam adversus lujusmodi? Venit proinde occultus, qui manifestus non audet; et quem satis expertus est apertum omne horrere malum, falso bono supplantare molitur. Qui autem dicere possunt cum Apostolo: *Non enim ignoramus astutias ejus* (*II Cor. ii, 11*); quo plus proficiunt, eo magis solliciti sunt cavere a laqueo isto. Hinc est quod Maria angelica salutatione turbatur (*Luc. i, 29*), dolum, nisi fallor, suspicans; et Josue non prius amicum angelum suscipit, quam esse amicum noverit. Denique sci scitatur, suusne sit, an adversariorum (*Josue v, 13-15*), tanquam qui expertus sit dæmonii meridiani versutias. Apostoli quoque aliquando cum laborarent in remigando, vento adversante et jactante naviculam, videntes Dominum ambulante super mare, et putantes esse phantasma, ita ut clamarent præ timore, nonne apertam meridiani suspicionem dæmonii prætenderunt? Et recordamini Scripturæ dicentis, quia *quarta vigilia noctis venit ad eos ambulans supra mare*. Quarto igitur, id est supremo demum loco, hæc tentatio formidetur, et quo se in summo stare quis viderit, eo sibi vigilantius ab incursu et dæmonio meridiano cavendum intelligat. Porro discipulis verus se manifestavit merides in eo quod audierunt: *Ego sum, nolite timere* (*Matth. xiv, 25-27*); et falsi suspicio ab eis depulsa est. Utinam et nobis, quoties palliata falsitas molitur irrepere, emittat lucem suam et veritatem suam ad prodendam illam oriens ex alto verus merides, et dividat lucem a tenebris, ut non notemur a propheta tanquam *ponentes lucem tenebras, et tenebras lucem* (*Isai. v, 20*).

14. Adhuc, nisi tædio fuerit longitudo sermonis, has quatuor tentationes tentabo suo ordine assignare ipsi corpori Christi, quod est Ecclesia. Et ecce quam brevius possum percurro. Videte primitivam Ecclesiam, si non primo pervasa est acriter nimis a *timore nocturno*. Erat enim nox, quando omnis qui interficeret sanctos, arbitrabatur obsequium se præstare Deo. Hac autem tentatione devicta et sedata tempestate, inclyta facta est, et juxta promissionem ad se factam, in brevi posita in superbiam sæculorum. Et dolens inimicus quod frustratus esset, a timore nocturno convertit se callide ad sagittam volantem in die, et vulneravit in ea quosdam de Ecclesia. Et surrexerunt homines vani, cupidi gloriae, et voluerunt sibi facere nomen: et exeuntes de Ecclesia, diu eandem matrem suam affixerunt in diversis et perversis dogmatibus. Sed hæc quoque pestis depulsa est in sapientia sanctorum, sicut et prima in patientia martyrum.

15. En tempora ista libera quidem Deo miserante ab utraque illa malitia; sed plane foeda a *negotio perambulante in tenebris*. Væ generationi huic a fermento Phariseorum, quod est hypocrisis! si tamen hypocrisis dici debet, quæ jam latere præ abundantia non valet, et præ impudentia non quærit. Serpit

hodie putida tabes per omne corpus Ecclesiæ, et quo latius, eo desperatius; eoque periculosius, quo interius. Nam si insurgeret apertus inimicus hæreticus, mitteretur foras et aresceret; si violentus inimicus, absconderet se forsitan **1393** ab eo. Nunc vero quem ejiciet, aut a quo abscondet se? Omnes amici, et omnes inimici; omnes necessarii, et omnes adversarii; omnes domestici, et nulli pacifici; omnes proximi, et omnes quæ sua sunt quærun[t]. **Ministri Christi sunt, et serviunt Antichristo. Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde is quem quotidie vides meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus. Inde aurum in frenis, in sellis et calcaribus, et plus calcaria quam altaria fulgent. Inde splendidæ mensæ et cibis, et scyphis; inde commensationes et ebrietates; inde cithara, et lyra, et tibia; inde redundantia torcularia, et promptuaria plena, cructantia ex hoc in illud. Inde dolia pigmentaria, inde referta marsupia. Pro hujusmodi volunt esse et sunt ecclesiarum præpositi, decani, archidiaconi, episcopi, archiepiscopi. Nec enim hæc merito cedunt, sed negotio illi, quod perambulat in tenebris.**

16. Olim prædictum est, et nunc tempus impletionis advenit : *Ecce in pace amaritudo mea amarissima (Isai. xxxviii, 17).* Amara prius in nece martyrum, amarior post in conflictu hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum. Non fugare, non fugere eos potest; ita invaluerunt, et multiplicati sunt super numerum. Intestina et insanabilis est plaga Ecclesiæ; et ideo in pace amaritudo ejus amarissima. Sed in qua pace? Et pax est, et non est pax. Pax a paganis, et pax ab hæreticis; sed non profecto a filiis. Vox plangentis in tempore isto : *Filios enutrivit et exaltavi, ipsi autem spreverunt me (Isai. 1, 2).* Spreverunt et maculaverunt me a turpi vita, a turpi quæstu, a turpi commercio, a negotio denique perambulante in tenebris. Superest ut jam de medio fiat dæmonium meridianum ad seducendos si qui in Christo residui sunt, adhuc permanentes in simplicitate sua. Siquidem absorbit fluvios sapientium, et torrentes potentium, et *habet fiduciam ut Jordanis inluat in os ejus (Job xl, 18)*, id est simplices et humiles qui sunt in Ecclesia. Ipse enim est Antichristus, qui se non solum diem, sed et meridiem mentietur, et extolletur supra id quod dicitur, aut quod colitur Deus : quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui (*II Thess. ii, 4, 8*), utpote verus et æternus Meridies, sponsus et advocatus Ecclesiæ, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XXXIV.

In quo tractatur de humilitate et patientia.

1. Si ignoras te, o pulchra inter mulieres, egredere, et abi post greges sodalium tuorum, et pasce hædos tuos juxta tabernacula pastorum (*Cant. 1, 7*). Olim sanctus Moyses, quoniam multum præsumebat de gratia et familiaritate, quam invenerat apud Deum,

A aspirabat ad quamdam visionem magnam, ita ut diceret Deo : *Si inveni gratiam in oculis tuis, ostende mihi te ipsum.* Accepit autem pro ea visionem longe inferiorem, ex qua tamen ad ipsam quam volebat, posset aliquando pervenire (*Exod. xxxiii, 13-23*). Filii quoque Zebedæi in simplicitate cordis sui ambulantes, magnum aliquid et ipsi ausi sunt, sed ad gradum nihilominus sunt reducti, per quem fuerat ascendendum (*Matth. xx, 21-23*). Ita et modo sponsa, quoniam rem grandem postulare videtur, reprimitur sane austeriori responsione, sed plane utili et fideli. Oportet namque humiliter sentire de se nitentem ad altiora, ne, dum supra se attollitur, cadat a se, nisi in se firmiter per veram humilitatem fuerit solidatus. Et quia nisi humilitatis merito maxima minime obtinentur, propterea qui provehendus est, correptione humiliatur, humilitate meretur. Tu ergo cum te humiliari videris, habeto id signum in bonum omnino argumentum gratiæ propinquantis. Nam sicut ante ruinam exaltatur cor (*Prov. xvi, 18*), ita ante exaltationem humiliatur. Sane utrumque legis, Deum scilicet et superbis resistere, et humilibus dare gratiam (*Jac. iv, 6*). Nonne denique servum suum Job, cum post insignem **1394** triumphum, tantam et tam probatam ipsius patientiam larga remunerandam benedictione censeret, prius in multis et districtis percunctationibus humiliare curavit, et sic parare viam benedictioni (*Job xxxviii, sqq.*).

2. At parum est cum per se ipsum humiliat nos Deus, si tunc libenter accipimus, nisi quando et per alium hoc facit, sapiamus similiter. Quamobrem accipite hujus rei mirabile documentum de sancto David. Aliquando maledictum est illi et a servo; at ille nec cumulatam injuriam sensit, quia presensit gratiam. *Quid mihi, ait, et vobis, filii Sarviæ? (II Reg. xvi, 10.)* O vere hominem secundum cor Dei, qui se ulciscenti, potius quam exprobranti succensendum putavit! Unde et secunda conscientia loquebatur : *Si reddidi retribuētibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis (Psal. vii, 4).* Vetuit ergo prohiberi maledicum conviciantem, quæstum æstimans maledicta. Et addit : *Dominus misit illum ad maledicendum David (II Reg. xvi, 10).* D Prorsus secundum cor Dei, qui de corde Dei ferebat sententiam. Sæviebat lingua maledica, et ille intendebat quid in occulto ageret Deus. Vox maledicentis in auribus, et animus inclinabat se ad benedictionem. Nunquid in ore blasphemi Deus? Absit! Sed eo usus est ad humiliandum David. Nec latuit Prophetam; quippe cui incerta et occulta sapientiæ suæ manifestaverat Deus (*Psal. l, 8*), et ideo dicit : *Bonum mihi quod humiliasti me, ut discam justificationes tuas (Psal. cxviii, 71).*

3. Vides quia humilitas justificat nos? Humilitas dixi; et non : Humiliatio. Quanti humiliantur, qui humiles non sunt? Alii cum rancore humiliantur, alii patienter, alii et libenter. Primi rei sunt, sequentes innoxii, ultimi justii. Quanquam et innocen-

via portio justitiæ est, sed consummatio ejus apud humilem; qui autem dicere potest: *Bonum mihi quia humiliasti me*, is vere humilis est. Non potest hoc dicere qui invitus tolerat; minus, qui murmurat. Neutri horum promittitur gratiam, quod humiliatur: etsi sane longe hi duo a se differant, et alter quidem in patientia sua possideat animam suam, alter in suo murmure pereat. Sed enim etsi unus iram, neuter tamen gratiam promeretur; quoniam non humiliatis, sed humilibus Deus dat gratiam. Est autem humilis, qui humiliationem convertit in humilitatem, et ipse est qui dicit Deo: *Bonum mihi quod humiliasti me*. Nemini prorsus, quod patienter fert, bonum est, sed plane molestum. Scimus autem quod hilarem datorem diligit Deus (II Cor. 12, 7). Unde et cum jejunamus, jubemur caput nostrum ungere oleo, et faciem lavare (Matth. vi, 17), ut nostrum scilicet opus bonum spirituali quodam gaudio condat, et holocaustum nostrum pingue fiat. Etenim sola gratiam, quam præfert, meretur læta et absoluta humilitas. Quæ enim coacta fuerit vel extorta, qualis utique est in viro patiente illo qui possidet animam suam; hæc, inquam, humilitas, etsi vitam obtinet propter patientiam, propter tristitiam tamen gratiam non habebit (200). Non enim congruit ei, qui ejusmodi est, illud Scripturæ: *Glorietur humilis in exaltatione sua* (Jac. 1, 9); quoniam non sponte humiliatur, neque libenter.

4. Vis autem videre humilem recte gloriantem, et vere dignum gloria? *Libenter*, inquit, *glorior in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi* (II Cor. xii, 9). Non dicit patienter se ferre infirmitates suas; sed et gloriari, et libenter gloriari in illis, probans etiam sibi bonum esse, quod humiliatur; nec sufficere omnino, ut possideat animam suam tanquam patienter humiliatus, nisi et gratiam accipiat tanquam sponte humiliatus. Generalem vero hinc audi regulam: *Omnis qui se humiliat, ait, exaltabitur* (Luc. xiv, 14). Significat profecto, non omnem exaltandam esse humilitatem, sed eam tantum, quæ de voluntate venit, non ex tristitia, nec ex necessitate. Nec enim per contrarium omnis qui exaltatur, humiliandus erit; sed tantum qui se exultat, humiliabitur, nimirum ob voluntariam vanitatem. Ita ergo non qui humiliatur, sed qui sponte se humiliat, exaltabitur; **1395** utique ob meritum voluntatis. Esto enim quod humilitatis materia per alium ministratur, verbi gratia, probra, damna, supplicia; non tamen idcirco recte ab alio, quam a semetipso humiliatus ille dicetur, qui illa omnia tacita et læta conscientia, causa Dei subeunda deceiverit.

5. Sed quo progredimur? Patienter, ut sentio, sustinetis excessum in verbo de humilitate et patientia; sed revertamur ad locum, de quo digressi sumus. Id namque incidit nobis ex occasione respon-

(200) Nimirum peculiarem gratiam veris humilibus repromissam, his verbis, *Deus humilibus dat gratiam*; peculiarem, inquam, gratiam, non modo

A si, quo grandia præsumptam sponsam reprimendam censuit sponsus, et non ad insipientiam illi; sed ut sane ex eo probabilioris et majoris humilitatis daretur occasio, per quam dignior potiorum, atque eorum ipsorum quæ petebat, capacior efficeretur. Verum tamen quia adhuc in januis sumus præsentis capituli, discussionis ejus initium principio, si placet, sermonis alterius ordiamur, præsertim ne verba sponsi vel recenseantur cum tædio, vel audiantur. Quod ipse avertat a servis suis Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XXXV.

De increpatione dura, quam facit sponsus ad sponsam; et duplici ignorantia nimium pavenda et fugienda.

B
1. *Si te, inquit, ignoras, egredere* (Cant. 1, 7). Dura et aspera increpatione, quod dicit, *egredere*. Hoc quippe verbum servi audire solent a valde irascensibus et indignantibus dominis, vel ancillæ a dominabus suis, cum graviter illas offenderint: Exi hinc, exi a me, egredere a conspectu meo et a domo ista. Hoc ergo verbo aspero et amaro satis, nimiumque increpatorio utitur modo sponsus contra dilectam, sub conditione tamen, si se ipsam ignoraverit. Nil quippe validius efficaciusve ad terrendum potuit in eam intendere, quam ut egredi minaretur. Quod et tu advertere potes, si bene attendas unde quo egredi jubeatur. Unde enim, quo putas, nisi de spiritu ad carnem, de bonis animi ad sæcularia desideria, de interna requie mentis ad mundi strepitum, et inquietudinem curarum exteriorum? In quibus omnibus non est nisi labor et dolor, atque afflictio spiritus. Quæ enim anima semel a Domino didicit et accepit intrare ad se ipsam, et in intimis suis Dei præsentiam suspirare, et quærere faciem ejus semper: spiritus est enim Deus; et qui quærunt eum, oportet eos in spiritu ambulare, et non in carne, ut secundum carnem vivant: talis, inquam, anima nescio an vel ipsam gehennam ad tempus experiri horribilius pœnalisve ducat, quam post spiritualis studii hujus gustatam semel suavitatem exire denuo ad illecebras, vel potius ad molestias carnis, sensuumque inexplebilem repetere curiositatem, dicente Ecclesiaste: *Oculus non impletur visu, nec auris auditu* (Eccle. 1, 8). Audi enim hominem expertum quæ loquimur: *Bonus es, inquit, Domine, sperantibus in te, animæ quærenti te* (Thren. iii, 25). Ab hoc bono si quis avertere sanctam illam animam conaretur, puto haud secus accepisset, quam si se de paradiso, et ab ipso introitu gloriæ conspiceret deturbari. Audi adhuc et alium similem huic: *Tibi dixit cor meum, ait, exquisivit te facies mea; faciem tuam, Domine, requiram* (Psal. xxvi, 8). Unde et dicebat: *Mihi autem adhærere Deo bonum est* (Psal. lxxii, 28); et item loquens ad animam suam dicit: internam, sed etiam externam, nempe exaltationem etiam in hac vita.

Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi (Psal. cxiv, 7). Dico ergo vobis : Nihil est quod in tantum formidet, quisquis hoc beneficium semel accepit, quam ne gratia derelictus, necesse habeat denuo egredi ad carnis consolationes, imo desolationes; rursusque carnalium sensuum sustinere tumultus.

2. Terribilis proinde et nimis formidolosa comminatio : *Egredere, et pascere hædos tuos.* Quod est : Indignum te noveris illa tua familiari et suavi rerum contemplatione cœlestium, intelligibilem, divinatum. Quamobrem egredere de sanctuario meo, corde tuo, ubi secretos sacrosque veritatis ac sapientiæ sensus **1396** dulciter haurire solebas; et magis tanquam una de sæcularibus, pascendis et oblectandis tuæ carnis sensibus intricare. Hædos quippe (qui peccatum significant, et in judicio collocandi sunt a sinistris) dicit vagos et petulantes corporis sensus, per quos peccatum, tanquam mors per fenestras, intravit ad animam. Cui et bene congruit quod sequitur in Scriptura : *Juxta tabernacula pastorum.* Non enim supra, sicut agni, sed juxta tabernacula pastorum hædi pascuntur. Pastores siquidem, qui veri pastores sunt, licet tabernacula habeant de terra et in terra, corpora videlicet sua, in diebus quibus nunc militant; non tamen de terra, sed de cœlestibus pascuis greges Dominicos pascere consueverunt : neque enim suam eis, sed Domini prædicant voluntatem. At hædi, qui sunt corporis sensus, cœlestia non requirunt; sed juxta tabernacula pastorum, in omnibus videlicet bonis sensibilibus hujus mundi, quæ est regio corporum, sumunt, unde sua desideria non tam satient quam irriterent.

3. Turpis mutatio studiorum! ut cui ante studii fuerat, peregrinantem et exulem animam suam sacris meditationibus, tanquam cœlestibus pascere bonis, Dei beneplacitum et mysteria voluntatis ejus inquirere, penetrare devotione cœlos, et mente supernas circuire mansiones, salutare patres atque apostolos et choros prophetarum, martyrumque admirari triumphos, ac stupere pulcherrimos ordines angelorum : nunc omnibus his omissis, turpi se mancipet corporis servituti ad obediendum carni, ad satisfaciendum ventri et gulæ, ad mendicandum in universa terra, unde ex ea quæ præterit mundi hujus figura, suam semper famelicam curiositatem aliquatenus consoletur. Exitus aquarum deducant oculi mei super hujusmodi animam, quæ cum nutritur in croceis, demum amplexatur stercorea (*Thren. iv, 5*). *Parit enim, juxta beati viri sententiam, sterilem quæ non habebat filios, et viduæ non benefecit (Job xxiv, 21).* Et vide, quia non simpliciter, *egredere*; sed, *egredere*, inquit, *et abi post greges sodalium tuorum, et pascere hædos tuos.* In quo, ut mihi videtur, magnæ cujusdam rei nos admonet. Quid istud? Heu! quod egregia creatura, jam olim facta de grege, et nunc in pejus miserabiliter proreus, non solum inter greges remanere permitti-

tur, sed post abire jubetur. Quomodo, inquis? Quomodo legis : *Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis (Psal. xlviii, 13).* Ecce quomodo de grege facta est egregia creatura. Puto, dicerent jumenta, si loqui fas esset : *Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis (Gen. iii, 22).* Cum in honore esset, inquit. In quo honore, quæris? Habebat in paradiso, et in loco voluptatis conversatio ejus. Nihil molestiæ, nihil indigentis sentiebat, odoriferis stipatus malis, fulcitur floribus, gloria et honore coronatus, et constitutus super opera manuum Plasmatoris; magis autem ob insigne divinæ similitudinis præcallebat; et erat illi sors et societas cum plebe angelorum, et cum omni militia cœlestis exercitus.

4. Sed mutavit istam gloriam Dei in similitudinem vituli comedentis fenum. Inde est quod panis angelorum factus est fenum positum in præsepio, appositum nobis tanquam jumentis. *Verbum quippe caro factum est (Joan. i, 14),* et juxta prophetam : *Omnis caro fenum.* At fenum istud minime desiccatum est, nec ex eo cecidit flos, quia requievit super ipsum Spiritus Domini. Propter hoc namque aliquando finis venit universæ carnis, quia spiritus recesserat vitæ. Denique ait : *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est (Gen. vi, 3).* Caruis nomine hoc loco vitium designari intellige, non naturam : nec enim spiritum natura expungit, sed vitium. Propter vitium ergo *omnis caro fenum, et omnis gloria ejus tanquam flos feni. Exsiccatus est, inquit, fenum, et cecidit flos;* sed non ille flos qui de virga et radice Jesse ascendit, eo quod requievit super eum Spiritus Domini (*Isai. xi, 1, 2*); nec illud fenum quod *Verbum factum est,* pro eo quod sequitur in propheta, *Verbum autem Domini manet in æternum (Isai. xl, 6-8).* Si enim fenum Verbum, et **1397** Verbum in æternum manet, fenum quoque necesse est maneat in æternum. Alioquin quomodo vitam præbet æternam, si ipsum minime manet in æternum? Ait enim : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et quem panem dicat, aperit cum subjungit : *Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita (Joan. vi, 52).* Quomodo ergo æternum non est, quo æternaliter vivitur?

5. Sed recole nunc mecum vocem Filii ad Patrem loquentis in psalmo : *Non dabis, inquit, Sanctum tuum videre corruptionem (Psal. xv, 10).* Haud dubium quin de corpore dicat, quod in sepulcro jacebat exanime. Hoc enim sanctum et angelus qui nuntiavit Virgini, locutus est dicens : *Et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei (Luc. i, 35).* Quo ergo pacto sanctum fenum poterat videre corruptionem, quod de incorrupti uteri perpetuo virore vernantibus pascuis ortum, etiam avidos angelorum in se ligere possit obtutus, insatiabiliter oblectandos? Perdat sane fenum viriditatem, si Maria virginitatem amiserit. Ergo cibus hominis mutavit se in pabulum pecoris, homine mutato in pecus. Heu tristis et la-

crymosa mutatio! ut homo paradisi accola, terræ dominus, cœli civis, domesticus Domini sabaoth, frater beatorum spirituum, et cœlestium cohæres virtutum, repentina se conversione invenerit et propter infirmitatem jacentem in stabulo, et propter similitudinem pecorinam indigentem feno, et propter indomitam feritatem alligatum præsepicio, sicut scriptum est: *In campo et freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te (Psal. xxxi, 9)*. Agnosce tamen, o bos, possessorem tuum; et tu, asine, præsepe domini tui; ut prophetæ Dei fideles inveniantur, qui ista sunt Dei mirabilia prælocuti. Cognosce, pecus, quem non cognovisti homo; adora in stabulo quem fugiebas in paradiso; honora præsepium cuius contempsisti imperium; comede fenum, quem panem, et panem angelicum fastidisti.

6. Sed quænam causa, inquis, tantæ dejectionis? Profecto quod homo cum in honore esset, non intellexit. Quid non intellexit? Non dicit: Nos dicamus. Positus in honore non intellexit quod limus esset, honoris fastigio delectatus; et continuo in se expertus est, quod tanto post tempore homo de filiis captivitatis et prudenter advertit, et veraciter protulit, dicens: *Qui se putat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit (Galat. vi, 3)*. Væ misero, quod non fuit qui jam tunc diceret ei: *Quid superbis, terra et cinis? (Eccli. x, 9)*. Hinc egregia creatura gregi admista est, hinc bestiali similitudine Dei similitudo mutata est, hinc societas cum jumentis pro consortio angelorum inita est. Vides quam sit fugienda nobis hæc ignorantia, de qua tot millia malorum universo nostro generi provenerunt? Ait enim propterea hominem jumentis insipientibus comparatum, quia non intellexit. Cavenda proinde omnimodis ignorantia, ne forte, si adhuc sine intellectu, et post vexationem, inventi fuerimus, multo plura et graviora prioribus mala inveniant nos, dicaturque de nobis: *Curavimus Babylonem, et non est sanata (Jerem. L1, 9)*. Merito quidem, quod nec vexatio dederit intellectum auditui.

7. Et vide ne forte etiam hinc sponsus, cum dilectam ab ignorantia tanto increpationis tonitruo deterret, propterea minime dixerit: Egrederi cum gregibus; aut: Egrederi ad greges; sed: *Egrederi, ait, post greges sodalium tuorum*. Utquid hoc? Sane ut secundam proinde ignorantiam priore magis pavendam pudendamque ostenderet, quod illa hominem bestiis parem fecisset, ista et posteriorem. Nam homines quidem merito ignorantia ignorati, id est reprobati, et ad tremendum illud judicium stare, et igni perpetuo tradi habent, non autem et pecudes. Nec dubium fore deterius his qui sic erunt, quam his qui omnino non erunt. *Melius ei fuerat, inquit, si natus non fuisset homo ille (Marc. xiv, 21)*. Non utique si natus non fuisset omnino, sed si natus non fuisset homo; sed, verbi gratia, aut pecus, aut alia quæpiam creatura: quæ quoniam judicium non haberet, ad judicium non veniret, ac per hoc nec ad

supplicium. Sciat ergo anima rationalis, quæ se ob priorem ignorantiam **1398** erubescit, pecudes habere sodales in perfruendis utique bonis terræ; non etiam similiter socias habituram in perferendis tormentis gehennæ; et tum demum etiam ab ipsis gregibus suorum sodalium jumentorum cum dedecore exturbandum; nec jam vel cum ipsis ituram, sed plane post, quando illis nihil mali sentientibus, ipsa malis omnibus exponetur: a quibus non liberabitur in æternum, siquidem secundo ignorare adjecerit. Egreditur itaque homo, et solitarius abit post greges sodalium suorum, cum solus in inferno inferiori retruditur. Annon tibi posteriorem videtur tenere locum, qui ligatis manibus et pedibus projicitur in tenebras exteriores? Et erunt profecto novissima hominis illius pejora prioribus, quando qui prius bestiis æquabatur, nunc et postponitur.

8. Puto quod et in præsentī vita, si bene advertas, posteriorem ire pecoribus hominem judicabis. Annon siquidem tibi videtur ipsis bestiis quodam modo bestialior esse homo ratione vigen, et ratione non vivens? Nam pecus quidem si se ratione non regat, excusationem habet a natura, a qua hoc ei penitus munus negatum est; non habet homo, cui ab ipsa speciali prærogativa donatum est. Merito proinde eo ipso censetur homo egredi, et post ire gregalibus animantibus, quod solum hoc animal conversatione degeneri jura naturæ transgrediens, rationis compositionis expertia moribus et affectibus imitatur. Convincitur ergo ire post greges homo, et nunc quidem depravatione naturæ, postmodum autem et extremitate poenæ.

9. Ecce sic maledicetur homo qui ignorantiam Dei habere inventus fuerit. Dei dicam, an sui? Utrumque sine dubio: utraque ignorantia damna-bilis est, utralibet sufficit ad perditionem. Vis scire quia ita est? Sed de Dei minime dubitas, si tamen constat tibi non aliam vitam esse æternam, quam ut Patrem cognoscas Deum verum, et quem misit Jesum Christum (*Joan. xvii, 3*). Audi ergo sponsus liquido et aperte in anima etiam animæ ignorantiam condemnantem. Quid enim dicit? Non utique si Deum, sed: *Si ignoras te, inquit, etc.* Patet ergo quia ignorans ignorabitur (*I Cor. xiv, 38*), sive se, sive Deum ignorare contingat. De qua utraque ignorantia erit nobis, si tamen Deus manum apponit, utilis admodum disputatio. Non modo tamen; ne fatigati, et non præmissa ex more oratione, aut ego minus diligenter rem necessariam prosequar, aut vos minus attente, quæ nonnisi magno suscipienda sunt desiderio, audiatis. Etenim si corporis cibus, cum absque appetitu et satiatus illum sumis, non modo non prodest, sed et nocet plurimum; multo magis panis animæ cum fastidio sumptus, non scientiæ nutrimentum, sed magis tormentum conscientiæ importabit. Quod a nobis avertat sponsus Ecclesiæ Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XXXVI.

Quod scientia litterarum sit bona ad instructionem, sed scientia propriæ infirmitatis sit utilior ad salutem.

1. En ego meæ promissioni; en ego desideriis vestris; en ego etiam Deo pro debito famulatu. Triplici, ut videtis, ratione urgeor ad loquendum; pacti veritate, charitate fraterna, timore Domini. Si tacuero, os meum condemnabit me. Quid, si loquar? Profecto vereor idem iudicium, ne loquentem viderelicet, et non facientem, identidem os meum condemnet me. Juvate me orationibus vestris, ut semper possim et loqui quæ oportet, et opere implere quæ loquor. Non ignoratis hodiernum nobis propositum esse sermonem de ignorantia, vel potius de ignorantia; quoniam dux, si meministis, propositæ sunt, nostri una, et altera Dei: quas et monimus ambas esse cavendas, quod ambæ damnabiles sint. Superest ut clarius hoc ipsum faciam, edisseram plenius. **Sed** prius querendum existimo, sitne ignorantia omnis damnabilis: **1399** Et mihi quidem videtur non esse: neque enim omnis ignorantia damnat; sed multa et innumera esse, quæ nescire liceat absque diminutione salutis. Verbi gratia, si ignoras fabrilem artem, seu carpentariam, aut cæmentariam, et quæcunque istiusmodi sunt artes, quæ ad usus vitæ hujus præsentis ab hominibus exercentur, nunquid impedit ad salutem? Etiam absque omnibus illis artibus, quæ liberales dicuntur (quamvis honestioribus utilioribusque studiis et discantur et exercentur), quamplurimi hominum salvi facti sunt, placentes moribus atque operibus: quantos enumerat Apostolus in Epistola ad Hebræos, factos dilectos, non in scientia litterarum, sed in conscientia pura et fide non ficta (*Hebr. xi*). Omnes placuerunt Deo in vita sua, vitæ meritis, non scientiæ. Petrus, et Andreas, et filii Zebedæi, cæterique condiscipuli omnes, non de schola rhetorum aut philosophorum assumpti sunt; et nihilominus tamen Salvator per ipsos operatus est salutem in medio terræ. Non in sapientia, quæ in ipsis esset plus quam in cunctis viventibus (*Eccl. 1, 16*) (quemadmodum sanctus aliquis de semetipso confessus est), sed in fide et lenitate ipsorum salvos fecit illos, etiam et sanctos, etiam et magistros. Denique notas mundo fecerunt vias vitæ, et non in sublimitate sermonis, aut in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed sicut placuit Deo per stultitiam prædicationis eorum salvos facere credentes, quia mundus eum in sua sapientia non cognovit (*I Cor. 1, 1; 1, 17, 21*).

2. Videar forsitan nimis in suggillatione scientiæ, et quasi reprehendere doctos, ac prohibere studia litterarum. Absit! Non ignoro quantum Ecclesiæ profuerint et prosint litterati sui, sive ad refellendos eos qui ex adverso sunt, sive ad simplices instruendos. Denique legi: *Quia tu repulisti scientiam, repellam et ego te, ut non fungaris mihi sacerdotio* (*Osee 17, 6*): legi: *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt multos,*

A quasi stellæ in perpetuas æternitates (*Dan. 12, 3*). **Sed** et scio ubi legerim: *Scientia inflat* (*I Cor. viii, 1*): et rursus: *Qui apponit scientiam, apponit et dolorem* (*Eccl. 1, 18*). Vides quia differentia est scientiarum, quando alia inflans, alia contristans est. Tibi vero velim scire quænam harum videatur utilior seu magis necessaria ad salutem, illane quæ tumet an quæ dolet. Sed non dubito quin dolentem tumentis præferas, quia sanitatem, quam tumor simulat, dolor postulat. Qui autem postulat, propinquat saluti; quoniam qui petit accipit (*Luc. xi, 10*). Denique qui sanat contritos corde, exsecratur inflatos, dicente Sapientia, quia *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jac. iv, 6*). Et Apostolus aiebat: **Dico autem per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem** (*Rom. xii, 3*). Non prohibet sapere, sed plus sapere quam oportet. **Quid est autem sapere ad sobrietatem? Vigilantissime observare quid scire magis priusve oporteat.** Tempus enim breve est. Est autem, quod in se est, omnis scientia bona, quæ tamen veritate subnixæ sit: sed tu qui cum timore et tremore tuam ipsius operari salutem pro temporis brevitate festinas, ea scire potius ampliusque curato quæ senseris viciniora saluti. Nonne medici corporum medicinæ portionem definiunt eligere in sumendis cibis, quid prius, quid posterior, et ad quem modum quidque sumi oporteat? Nam, etsi bonos constat esse cibos, quos Deus creavit, tu tamen ipsos tibi, si in sumendo modum et ordinem non observes, reddis plane non bonos. Ergo quod dico de cibis, hoc sentite et de scientiis.

3. Sed melius mitto vos ad Magistrum. Non est enim nostra ista sententia, sed illius; imo et nostra, quoniam Veritatis. **Qui se, inquit, putat aliquid scire, nondum scit quomodo oporteat eum scire** (*I Cor. viii, 2*). Vides quoniam non probat multa scientem, si sciendi modum nescierit. Vides, inquam, quomodo fructum et utilitatem scientiæ in modo sciendi constituit? Quid ergo dicit modum sciendi? Quid, nisi ut scias quo ordine, quo studio, quo fine quæque nosse oporteat? Quo ordine, ut id prius, quod **1400** maturius ad salutem: quo studio, ut id ardentius, quod vehementius ad amorem: quo fine, ut non ad inanem gloriam, aut curiositatem, aut aliquid simile, sed tantum ad ædificationem tuam vel proximi. Sunt namque qui scire volunt eo fine tantum, ut sciant; et turpis curiositas est. Et sunt qui scire volunt, ut sciatur ipsi; et turpis vanitas est. Qui profecto non evadent subsannantem, satyricum, et ei qui ejusmodi est decantantem:

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.
(*PERSIUS, satyra 1, vers. 27.*)

Et sunt item qui scire volunt ut scientiam suam vendant; verbi causa, pro pecunia, pro honoribus: et turpis quæstus est. Sed sunt quoque qui scire volunt, ut ædificent; et charitas est. Et item qui scire volunt, ut ædificentur; et prudentia est.

4. Horum omnium soli ultimi duo non inveniuntur in abusione scientiæ, quippe qui ad hoc volunt intelligere ut bene faciant. Denique: *Intellectus bonus omnibus facientibus eum* (Psal. cx, 10). Reliqui omnes audiant: *Scienti bonum et non facienti, peccatum est ei* (Jac. iv, 17); ac si per similitudinem dicat: Sumentis cibum et non digerenti, perniciosum est ei. Cibus siquidem indigestus, et qui bonam non habet decoctionem malos generat humores, et corrumpit corpus, et non nutrit. Ita et multa scientia ingesta stomacho animæ, quæ est memoria, si decocta igne charitatis non fuerit, et sic per quosdam artus animæ, mores scilicet atque actus, transfusa atque digesta, quatenus ipsa de bonis quæ noverit, vita attestante et moribus, bona efficiatur; nonne fida scientia reputabitur in peccatum, tanquam cibus conversus in pravos noxiosque humores? An non malus humor peccatum? an non mali humores pravi mores? At non inflationes et tortiones in conscientia sustinebit qui huiusmodi est, sciens videlicet bonum et non faciens? An non responsum mortis et damnationis toties in semetipso habebit, quoties in mentem venerit sermo quem dixit Deus, quia *servus sciens voluntatem Domini sui, et non faciens digna, plagis vapulabit multis* (Luc. xii, 47). Et vide ne forte in persona talis animæ propheta plangeret, dicens: *Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo* (Jerem. iv, 19). Nisi quod ipsa ingeminatio geminam videtur innuere sensum, ut præter hunc quem diximus, etiam alium requiramus. Puto enim quod in sua persona potuit hoc dixisse Propheta, quod videlicet scientia plenus, et æstuans charitate, et omnino effundere cupiens, non inveniret qui careret audire; et sic quasi oneri sua sibi scientia erat, quam communicare non poterat. Plangit itaque pius Ecclesiæ doctor tam illos qui scire contemnunt quomodo sit vivendum, quam illos qui scientes, male nihilominus vivunt. Et hoc pro eo quod eundem sermonem Propheta repetit.

5. Advertisne jam quam verum sensit Apostolus, quia *scientia inflat*? Volo proinde animam primo omnium scire se ipsam, quod id postulet ratio et utilitatis et ordinis. Et ordinis quidem, quoniam quod nos sumus primum est nobis; utilitatis vero, quia talis scientia non inflat, sed humiliat, et est quædam præparatio ad ædificandum. Nisi enim super humilitatis stabile fundamentum, spirituale ædificium stare minime potest. Porro ad se humiliandum nihil anima invenire vivacius seu accommodatius potest, quam si se in veritate invenerit: tantum non dissimulet, non sit in spiritu ejus dolus, statuatur ante faciem suam, nec se a se avertere abducatur. Nonne se ita intuens clara luce veritatis, inveniet se in regione dissimilitudinis: et suspirans misera, quam jam latere non poterit quod vere misera sit, nonne cum Propheta clamabit ad Dominum: *In veritate tua*

A *humiliasti me?* (Psal. cxviii, 75.) Nam quomodo non vere humiliabitur in hac vera cognitione sui, cum se perceperit oneratam peccatis, mole hujus mortalis corporis aggravatam, terrenis intricatam curis, carnalium desideriorum face infectam, cæcam, curvam, infirmam, implicitam multis erroribus, expositam mille periculis, mille timoribus trepidam, mille 1401 difficultatibus anxiam, mille suspitionibus obnoxiam, mille necessitatibus ærumnosam, proclivem ad vitia, invalidam ad virtutes? Unde huic jam extollentia oculorum, unde levare caput? Nonne magis convertetur in ærumna sua, dum configitur spina (Psal. xxxi, 4). Convertetur, inquam, ad lacrymas, convertetur ad planctus et gemitus, convertetur ad Dominum, et in humilitate B clamabit: *Sana animam meam, quia peccavi tibi* (Psal. xl, 5). Porro conversa ad Dominum recipiet consolationem, quia Pater est misericordiarum, et Deus totius consolationis.

6. Ego quandiu in me respicio, in amaritudine moratur oculus meus. Si autem suspexero et levavero oculos ad diviniæ miserationis auxilium; temperabit mox amaram visionem mei visio læta Dei, cui et dico: *Ad me ipsum anima mea conturbata est, propterea memor ero tui* (Psal. xli, 7). Nec mediocris Dei visio, pius et deprecabilem experiri, sicut revera benignus et misericors est, et præstabilis super malitia (Joel ii, 13), quippe cujus natura bonitas, et cui proprium est misereri semper et parcere. Tali itaque experimento et tali ordine salubriter innotescit Deus, cum prius se homo noverit in necessitate positum, et clamabit ad Dominum, et exaudiet eum, et dicet: *Eruam te, et honorificabis me* (Psal. xlii, 15). Atque hoc modo erit gradus ad notitiam Dei cognitio tui; et ex imagine sua, quæ in te renovatur, ipse videbitur, dum tu quidem revelata facie gloriam Domini cum fiducia specularando, in eandem imaginem transformaris de claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu (II Cor. iii, 18).

7. Sed jam demum advertite quomodo utraque cognitio sit tibi necessaria ad salutem, ita ut neutra carere valeas cum salute. Nam, si ignoras te, non habebis timorem Dei in te, non humilitatem. An vero sine timore Dei et sine humilitate de salute præsumas, tu videris. Bene fecistis grunniendo significare quod minime ita sapiatis, imo quod non ita desipiatis, ne in eo quod planum est immoremur. Sed attendite cætera. An potius pausandum est nobis propter somnolentos? Putabam me uno sermone implere quod promisi de duplici ignorantia; et fecissem, nisi fastidiosis longior videretur. Quosdam siquidem oscitantes, quosdam et dormitantes intueor. Nec mirum: præcedentis noctis vigiliæ (201) (longissimæ quippe fuerunt) excusant eos. Verum illis quid dicam, qui et tunc dormierunt, et modo

(201) Sic matutinorum quod vocamus officium appellat ex mente S. Benedicti.

rihilominus dormiunt? Sed non pergo nunc ulterius A exagitare verecundiam eorum : sufficit tetigisse. Puto quod melius deinceps vigilabunt, nostræ observationis cauterium verituri. In hac spe gerimus eis hac vice morem; et quod continuandum ratio exigebat, corum charitate, pendente licet disputatione, partimur, facientes finem, ubi non erat finis. Ipsi vero super sibi facta indulgentia nobiscum glorificent Sponsum Ecclesiæ, Jesum Christum Dominum nostrum, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XXXVII.

De duplici notitia, et duplici ignorantia; deque malis seu damnis quæ pariunt.

1. Puto, non habemus nunc opus hortari ad vigilandum, cum absque dubio sermo ille suggillatioris vigilet, utpote adhuc recens, qui heri a nobis charitative prolatus, bene aliquos expergefecit. Ergo tenetis memoria quod teneam assensum vestrum, neminem absque sui cognitione salvari : de qua nimirum mater salutis humilitas oritur, et timor Domini, qui et ipse sicut initium sapientiæ, ita est et salutis. Nemo, dico, absque illa cognitione salvatur, qui tamen ætatem habeat ac facultatem cognoscendi. Quod propter parvulos loquor, et propter fatuos, quorum alia ratio est. Quid, si ignoras Deum? poteritne spes esse salutis cum Dei ignorantia? Ne hoc quidem. Nec enim potes aut amare quem nescias, aut habere quem non amaveris. Noveris proinde te, ut Deum timeas; noveris ipsum, ut æque ipsum diligas. In altero initiaris ad sapientiam, 1402 in altero et consummaris quia initium sapientiæ timor Domini, est (Psal. cx, 10), et plenitudo legis est charitas (Rom. xiii, 10). Tam ergo utraque ignorantia cavenda est tibi, quam sine timore et amore Dei salus esse non potest. Cætera indifferentia sunt, nec salutem, si sciuntur, nec damnationem, si nesciantur, habentia.

2. Non tamen dico contemnendam aut negligendam scientiam litterarum, quæ ornat animam, et erudit eam, et facit ut possit etiam alios erudire. Sed duo illa oportet et expedit ut præcedant, in quibus summam salutis constitui superior ratio declaravit. Et vide, si non intuebatur, et si non docebat hunc ordinem qui dicebat: *Seminate vobis ad justitiam, metite spem vitæ*; et tunc demum *illuminate vobis*, ait, *lumen scientiæ* (Osee x, 12). Ultimam posuit scientiam, tanquam picturam, quæ statum habere nequeat super laane: et ideo illa duo præmisit et subjecit illi, tanquam si solidum aliquid picturæ substerneret. Securum jam intendam scientiæ, si vitæ prius per beneficium spei securitatem accepero. Tu ergo seminasti tibi ad justitiam, si ex vera notitia tui evigilasti timere Deum, temetipsum humiliasti, fudisti lacrymas, eleemosynas profudisti, cæterisque te pietatis actionibus mancipasti, si jejuniis et vigiliis afflixisti corpus, si pectus tusionibus, cælos clamoribus fatigasti. Hoc siquidem seminare est ad justitiam. Semina sunt bona opera, bona studia;

semina lacrymæ sunt. *Ibant*, inquit, *et flebant mitentes semina sua*. Sed quid? semper flebunt? Absit! Sed *venient cum exultatione portantes manipulos suos* (Psal. cxxv, 6). Merito *cum exultatione*, cum reportant manipulos gloriæ. Ad istud, inquis, in resurrectione in novissimo die, et est nimis longa exspectatio. Noli animo frangi, noli deficere a pusillanimitate spiritus; habes interim de primitiis spiritus, quod ad præsens in exultatione metas. *Seminate*, ait, *vobis ad justitiam, metite spem vitæ*. Non te modo mittit ad diem novissimum, quando res jam erit in re, et non in spe; sed de præsentibus loquitur. Prorsus magna lætitia et exultatio multa et nimis, cum vita venerit.

3. Sed nunquid tantæ lætitiæ spes erit sine lætitia? *Spe gaudentes*, ait Apostolus (Rom. xii, 12). Et David non lætaturum, sed lætatum se dixit, quod in domum Domini se speraret iturum (Psal. cxxi, 4). Nondum vitam tenebat, sed spem profecto vitæ messuerat; atque in semetipso experiebatur veritatem Scripturæ perhibentis quia non modo remuneratio, sed ipsa quoque *exspectatio justorum lætitia*. Hanc parit in animo illius qui sibi ad justitiam seminavit, præsumpta indulgentia delictorum, si tamen ipsam indulgentiam efficaciam attestatur acceptæ gratiæ ad vivendum sanctius deinceps. Omnis in vobis qui hæc sentit intra se actitari, scit quid loquitur Spiritus, cujus vox atque operatio minime inter se unquam dissentiunt. Propterea ergo intelligit quæ dicuntur, quoniam quæ foris audit, intus sentit. Nam, qui in nobis loquitur, operatur in vobis unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult (I Cor. xii, 11): aliis quidem loqui, aliis autem operari quod bonum est.

4. Quisquis itaque vestrum post illa amara et lacrymosa conversionis suæ primordia respirasse in spem atque in quoddam serenum supernæ consolationis pennis gratiæ sublevatum se evolasse lætatur; is profecto jam metit, suarum recipiens fructum temporaneum lacrymarum; et ipse vidit Deum, et audivit vocem dicentis: *Date ei de fructibus manuum suarum* (Prov. xxxi, 31). Nam, quomodo non vidit Deum, qui gustavit et vidit quoniam suavis est Dominus? Quam dulcem et suavam te sensit, Domine Jesu, cui a te non modo peccata donata sunt, sed et minus sanctitatis indultum est; neque id solum, sed et addita insuper ad cumulum honorum vitæ æternæ promissio! Felix qui tantum jam messuit, habens interim quidem fructum suum in sanctificationem, finem vero vitam æternam! Merito qui se invento flevit, gavisus est viso Domino: ad cujus utique miserationis intuitum tantos jam levavit manipulos, remissionem, sanctificationem, spem vitæ. O quam verus est sermo qui in Propheta legitur: *Qui seminant 1403 in lacrymis, in exultatione metent* (Psal. cxxv, 5). Ubi breviter comprehensa utraque cognitio est: et nostri quidem in lacrymis serens; quæ autem Dei, metens in gaudio.

5. Hac ergo in nobis gemina præeunte notitia.

jam ea quæ forte supercreverit scientia minime inflat, utpote quæ nihil asferre valeat terreni commodi vel honoris, quod non sit sane Inferius spe concepta, letitiaque spei jam altius radicata in animo. *Spes autem non confundit; quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (Rom. v, 5).* Ideo illa non confundit, quia ista infundit certitudinem. Per hanc enim ipse Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quod filii Dei sumus (Rom. viii, 16). Quidam igitur nobis de nostra quantacunque scientiâ provenire possit quod non sit minus hac gloria, qua inter Dei filios numeramur? Parum dixi: nec respici in ejus comparatione potest orbis ipse et plenitudo ejus, etiamsi totus cedat unicuique nostrum in possessionem. Cæterum, si nos ignorantia Dei tenet, quomodo speramus in eum quem ignoramus? si nostri, quomodo humiles erimus, putantes nos aliquid esse, cum nihil simus? Scimus autem nec superbis, nec desperatis partem esse vel societatem in sorte sanctorum.

6. Intuere ergo nunc mecum, quanta curâ et sollicitudine ambas istas repellere a nobis ignorantias debeamus, quarum omnis peccati altera initium parit, altera consummationem: sicut duprum e regione notitiarum initium sapientiæ una, perfectionem altera gignit; illa timorem Domini, ista charitatem. At istud de notitiis supra ostensum est. Nunc de ignorantibus vide. Etenim, sicut initium sapientiæ timor Domini (Eccli. i, 16), sic initium omnis peccati superbia (Eccli. x, 13): et quomodo perfectionem sibi sapientiæ vindicat amor Dei, ita desperatio sibi omnem malitiam consummationem. Et quemadmodum ex notitia tui venit in te timor Dei, atque ex Dei potestatis Dei itidem amor; sic e contrario de ignorantia tui superbia, ac de Dei ignorantia venit desperatio. Sic autem superbiam parit tibi ignorantia tui, cum meliorem quam sis, decepta et deceptrix tua cogitatio te esse mentitur. Hoc quippe et superbia, hoc initium omnis peccati, cum major es in tuis oculis quam apud Deum, quam in veritate. Et ideo qui primus peccavit hoc grande peccatum (diabolus loquor), de ipso dictum est quia in veritate non stetit, sed mendax est ab initio (Joan. viii, 44); quoniam, quod in sua fuit cogitatione, non fuit in veritate. Quid, si in eo discordaret a veritate, ut minorem se inferioremque putaret, quam veritas haberet? Excusaret eum sua procul dubio ignorantia, et minime reputaretur superbus, nec tam inveniretur iniquitas ejus ad odium, quam humilitas fortassis ad gratiam. Si enim in quonam statu unumquemque nostrum habeat Deus, liquido cognosceremus; nec supra sane, nec infra secedere deberemus, veritati in omnibus acquiescentes (202). Nunc autem, quia consilium hoc posuit tenebras latibulum suum, et sermo absconditus est a nobis, ita ut nemo sciat

A si dignus sit amore vel odio (Eccl. ix, 1); justius tutiusque profecto, juxta ipsius Veritatis consilium, novissimum nobis locum eligimus, de quo postmodum cum honore superius educamur, quam præsumimus altiore, unde cedere mox oporteat cum rubore (Luc. xiv, 10, 9).

7. Non est ergo periculum, quantumcumque te humiliter, quantumcumque reputes minorem quam sis, hoc est, quam te veritas habeat. Est autem grande malum, horrendumque periculum, si vel modice plus vero te extollas, si vel uni videlicet in tua cogitatione te præferas quem forte parem tibi veritas judicat, aut etiam superiorem. Quemadmodum enim si per ostium transeas, cujus superliminare, ut ad intelligentiam loquar, nimium bassum sit, non nocet quantumcumque te inclinaveris; nocet autem, si vel transversi digiti spatio plus quam ostii patitur mensura, erexeris, ita ut impingas et capite quassato collidaris; sic in anima non est plane timenda qualibet humiliatio, horrenda autem nimiumque pavenda vel minima **1404** temere præsumpta erectio. Quamobrem noli te, homo, comparare majoribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli uni. Quid scis enim, o homo, si unus ille, quem forte omnium vilissimum atque miserrimum reputas, cujus vitam sceleratissimam ac singulariter foedissimam horres, et propterea illum putas spernendum non modo præ te, qui forte jam sobrie, et juste, et pie vivere te confidis, sed etiam præ cæteris omnibus sceleratis tanquam omnium sceleratissimum: quid scis, inquam, si melior et te, et illis mutatione dextere Excelsi in se quidem futurus sit, in Deo vero jam sit? Et propterea non mediocrem, non vel penultimum, non ipsum saltem inter novissimos eligere locum nos voluit: sed *recumbe*, inquit, *in novissimo loco*; ut solus videlicet omnium novissimus acdeas, teque nemini, non dico præponas, sed nec comparare præsumas. En quantum malum venit de ignorantia nostri, utique peccatum diaboli, et initium omnis peccati, superbia. Quid etiam Dei parturiat ignorantia, alias videbimus. Nam nunc horæ brevitatis non permittit, quoniam hodie tarde convenimus. Itaque sufficiat unumquemque modo, ne se ipsum ignoret, admonitum esse, non solum sermone nostro, sed ipsius quoque dignatione sponsi Ecclesiæ Jesu Christi Domini nostri, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XXXVIII.

Qualiter ex ignorantia Dei nascitur desperatio, et qualiter sponsa dicatur pulchra inter mulieres.

1. Quid igitur Dei ignorantia parturit? Nam hinc incipiendum est, sicut recordamini hic heri fuisse terminatum. Quid itaque parturit? Diximus desperationem, sed quonam modo, dicamus. Forte aliquis reversus in se, et displicens sibi in omnibus malis quæ fecit, cogitansque respiscere, et redire

(202) Insignis hæc notio humilitatis, cujus ratio in ipsa veritate consistit. Confer sermonem 20 de Diversis.

ab omni via mala et carnali conversatione sua, si ignorat, quam sit bonus Deus, quam suavis et mitis, et quam multus ad ignoscendum, nonne sua carnalis cogitatio arguet eum, et dicit: Quid facis? et vitam istam vis perdere, et futuram? Peccata tua maxima sunt, et nimium multa: nequaquam pro tot et tantis, nec si tu excories, sufficies satisfacere. Complexio tenera est, vita exstitit delicata, consuetudinem difficile vinces. Pro his et similibus desperatus resilit miser, ignorans quam facile omnipotens Bonitas, quæ [alias, Omnipotens qui] neminem vult perire, cuncta ista dissolveret: sequiturque impœnitentia, quæ est delictum maximum, et blasphemia irremissibilis. Ipse vero aut conturbatus nimia tristitia absorbetur, et fertur in profundum, minime jam ut consolationem recipiat, emersurus, sicut scriptum est: *Impius, cum venerit in profundum malorum, contemnit* (Prov. xviii, 3): aut certe dissimulans, et sibi qualicumque verisimili blandiens ratione, revocat se irrevocabiliter in sæculum, ad perfruendum et deliciandum in omnibus bonis ejus, quoad licuerit. Cum autem dixerit: Pax et securitas, tunc repentinus ei superveniet interitus, sicut dolor in utero habentis, et non effugiet (*I Thess. v, 3*). Ita ergo et de ignorantia Dei universæ malitiæ consummatio venit, quæ est desperatio.

2. Apostolus dicit quod ignorantiam Dei quidam habent (*I Cor. xv, 34*). Ego autem dico omnes ignorare Deum, qui nolunt converti ad Deum. Neque enim ob aliud procul dubio renuunt, nisi quia gravem et severum imaginantur, qui pius est, durum et implacabilem, qui misericors est, ferum et terribilem, qui amabilis est: et mentitur iniquitas sibi, formans sibi idolum pro eo quod non est ipse. Quid timetis modicæ fidei? ut peccata nolit remittere? Sed affixit ea cruci cum suis manibus. Quod teneri et delicati estis? Sed ipse novit figmentum nostrum. Quod male assueti, et ligati peccandi consuetudine? Sed Dominus solvit compeditos (*Psal. cxlv, 7*). Forte ne irritatus immanitate et multitudine criminum, cunctetur porrigere manum adjutorii? Sed ubi abundavit delictum, superabundare et gratia consuevit (*Rom. v, 20*). **1405** An de vestimento solliciti estis, vel cibo, cæterisque corpori vestro necessariis, et propterea cunctamini relinquere vestra? Sed scit quia his omnibus indigetis (*Matth. vi, 25-32*). Quid vultis amplius? quid jam impedit a salute? Sed hoc est quod dico: Deum ignoratis, sed nec creditis auditui nostro. Vellem vos vel expertis credere, quia, nisi credideritis, non intelligetis. Sed non est omnium fides.

3. Absit autem ut de tali, hoc est de Dei ignorantia, sponsam commonitam sentiamus, quæ tanta sponsi pariter et Dei sui, non dico agnitione, sed amicitia et familiaritate donata est, ut ejus crebra colloquia et oscula mereretur, et nunc familiari ausu loquitur: *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie*. Ubi sane non ipsum, sed locum habitationis gloriæ ejus sibi indicari requirit, quanquam non

aliud ipse, et aliud locus ejus vel gloria. Sed reprimenda censetur propter præsumptionem, et de se ipsius commonenda cognitione, in qua nimirum visa est aliquatenus caligare, quæ tantæ se æstimavit idoneam visioni, sive minus attendens præ excessu suo, quod esset in corpore, sive frustra sperans, etiam manentem in corpore ad illam se posse inaccessibleem accedere claritatem. Ergo ad se ipsam protinus revocatur, et ignorantia vincitur, et insolentia castigatur. Si ignoras te, inquit, *egredere* (*Cant. i, 6, 7*). Terribiliter sponsus intonat in dilectam, non tanquam sponsus, sed tanquam magister; et non quasi iratus, sed ut terita purgaretur, purgata idonea redderetur huic ipsi, cui inhiat, visioni. Mundicordibus nempe illa visio sequestratur.

4. Pulchre autem pulchram, non omnimode quidem, sed pulchram inter mulieres eam dicit, videlicet cum distinctione; quatenus et ex hoc amplius reprimatur, et sciat quid desit sibi. Ego enim puto mulierum nomine hoc loco appellatas animas carnales ac sæculares, nihil in se virile habentes, nihil forte aut constans in suis actibus demonstrantes, sed totum remissum, totum femineum et molle quod vivunt, et quod agunt. Spiritualis autem anima, etsi inde jam pulchra quod non secundum carnem ambulat, sed secundum spiritum; ex eo tamen quod adhuc in corpore vivit, citra perfectum adhuc pulchritudinis proficit, ac proinde non pulchra omnimodo, sed pulchra inter mulieres, id est inter animas terrenas, et quæ non sunt, sicut ipsa; spirituales, non autem inter angelicas beatitudines, non inter virtutes, potestates, dominationes. Sicut patrum aliquis olim inventus et dictus est *justus in generatione sua* (*Gen. vi, 9*), id est præ omnibus sui temporis suæque generationis; et Thamar justificata perhibetur ex Juda (*Gen. xxxviii, 26*), hoc est, præ Juda; et in Evangelio publicanus descendisse refertur de templo justificatus, sed justificatus a Pharisæo (*Luc. xviii, 14*); et quomodo magnus ille Joannes magnifice quondam commendatus est, quod videlicet superiorem non haberet, sed hoc inter natos mulierum (*Luc. vii, 28*), non autem inter choros beatorum cælestiumque spirituum; ita et sponsa modo dicitur pulchra, sed interim adhuc inter mulieres, et non inter cælestes beatitudines.

5. Desinat proinde, quandiu in terris est, quæ in cælis sunt curiosius investigare, ne forte scrutatrix majestatis opprimatur a gloria. Desinat, inquam, donec inter mulieres versatur, inquirere quæ apud sublimes illas sunt potestates, solis ipsis perspicua, solis licita, tanquam cælestibus cælestia ad videndum. Mirabilis facta est, inquit, visio ista ex te, o sponsa, quam tibi postulas demonstrari: nec modo prævales inueneri meridianam et miram quam inhabitato claritatem. Dixisti enim: *Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie*. Sed enim induci in nubes, penetrare in plenitudinem luminis, irrumpere claritatis abyssos, et lucem habitare inaccessibleem, nec temporis

est hujus, nec corporis. Id tibi in novissimis reser-
vatur. cum te mini exhibero gloriosam, non ha-
bentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi.
An nescis quia quamdiu vivis in hoc corpore, pere-
grinaris a lumine? Quomodo quæ necdum tota pul-
chra es, idoneam te existimas universitatem **1406**
pulchritudinis intueri? Quomodo denique quæris me
in mea claritate videre, quæ adhuc ignoras te? Nam
si te plenius nosses, scires utique, corpore quod
corrumpitur aggravatam nullatenus posse attollere
oculos, et figere in illum fulgorem in quem prospicere
angeli concupiscunt. Erit, cum apparuero, quod
tota pulchra eris, sicut ego pulcher sum totus:
et simillima mihi, videbis me sicuti sum. Tunc au-
dies: *Tota pulchra es, amica mea, et macula non
est in te (Cant. iv, 7)*. Nunc vero, etsi ex parte jam
sænilis, ex parte tamen dissimilis, contenta esto ex
parte cognoscere. Te ipsam attende, et altiora te ne
quæsieris, et fortiora te ne scrutata fueris (*Eccli.
iii, 22*). Alioquin *si ignoras te, o pulchra inter mu-
lieres (Cant. i, 7)*; nam et ego te dico pulchram, sed
inter mulieres, hoc est ex parte; cum autem vene-
rit quod perfectum est, tunc evacuabitur quod ex
parte est (*I Cor. xiii, 10*): *si ergo ignoras te; sed
quæ sequuntur, dicta sunt, et non oportet iterum
dici. Promiseram me de duplici ignorantia utiliter
disputaturum: si quominus implemisse videor, date
veniam volenti. Nam velle adjacet mihi, perficere
autem non invenio, nisi quantum sua benignitate ad
vestram ædificationem largiri dignabitur sponsus
Ecclesiæ Jesus Christus Dominus noster, qui est super
omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.*

SERMO XXXIX.

*De curribus Pharaonis, id est diaboli, et de princi-
pibus exercitus, qui sunt malitia, luxuria, et
avaritia.*

1. *Equitatu meo in curribus Pharaonis assimilavi
te, amica mea (Cant. i, 8)*. Ante omnia in his verbis
libenter accipimus Ecclesiæ typum in patribus præ-
cessisse, et nostræ sacramenta salutis præsteu-
esse. In exitu Israel de Ægypto, geminoque illo ad-
mirabilis maris obsequio, et transitum scilicet po-
pulo dantis, et ultionem de hostibus, baptismi gra-
tia evidenter exprimitur, salvantis homines, et cri-
mina submergentis. *Omnes, inquit, sub nube su-
erunt, et omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in
mari (I Cor. x, 1, 2)*. Sed oportet consequentiam,
sicut solemus, signare verborum, et sequentia prio-
ribus copulare; et ita demum elicere suave quid-
piam, si possumus, quod prosit moribus instruendis.
Ubi itaque sponsæ præsumptio dura et austeri in-
crepatione repressa est; ne tristior remaneret, bona
illi aliqua, quæ jam acceperat, ad memoriam relucun-
tur, et aliqua quæ nodum acceperat, promittuntur;
sed et pulchra denuo perhibetur, et appellatur ami-
ca. Quod tibi, inquit, dure locutus sum, amica mea,
nulla in me tibi suspicio sit odii vel rancoris. Nam
signa amoris mei in te evidentiæ sunt ipsa mea mu-
nera, quibus te honoravi et ornavi. Nec mihi animi

est illa retrahere, sed magis addere ampliora. Vel
sic: Non ægre feras, amica mea, minime te accipere
modo quod postulas, quæ tanta a me jam accepisti:
et majora horum accipies, si in præceptis meis am-
bulaveris, et in amore meo perseveraveris. Hæc pro
litteræ consequentia.

2. Nunc jam videamus, qualia sint quæ se donasso
commemorat. Et primum quidem est, quod eam as-
similavit equitatu suo in curribus Pharaonis, libe-
rando utique a jugo peccati, mortificatis universis
operibus carnis; quemadmodum ille populus libera-
tus est a servitute Ægypti, subversis et submersis
cunctis curribus Pharaonis (*Exod. xiv, 28*). Id qui-
dem miseratio maxima, in qua ego quoque si glo-
riari voluero, non ore insipiens: Veritatem enim
dicam. Fateor et fateor: *Nisi quia Dominus ad-
juvit me, paulo minus habitasset in inferno anima
mea (Psal. xciii, 17)*. Non sum ingratus, non sum
oblitus; misericordias Domini in æternum cantabo
(*Psal. lxxxviii, 1*). Verum hactenus mihi cum spon-
sa. De reliquo, illa singulari dignatione, postquam
liberata est, asciscitur in amicam, decorem induitur
tanquam Domini sponsa, interim tamen in genis
duntaxat et in collo. Ad hæc illi promittuntur mi-
renulæ pro ornatu, ipsæque aureæ pro pretio, sed et
distinctæ argento pro decore. Cui non admodum
placeat ordo ipse donationum? Primum, misericor-
diter liberatur; secundo, dignanter adamatur; ter-
tio, benigne **1407** abluit et purgatur; postremo,
optimi ornamenti accipit promissionem.

3. Non ambigo quosdam jam vestrum in semet-
ipsis recognoscere quæ dicuntur, proprioque experi-
mento communitas ad intelligentiam prævolare.
Sed sane memor versiculi illius: *Declaratio sermo-
num tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis
(Psal. cxviii, 130)*; pro hujusmodi dignum duo-
eadem modice latius explananda. Benignus est enim
Spiritus sapientiæ (*Sap. i, 6*), et placet illi doctor
benignus et diligens, qui ita cupiat satisfacere stu-
diosis, ut morem gerere tardioribus non recuset.
Denique: *Qui elucidant me, vitam æternam habe-
bunt, ait ipsa Sapientia (Eccli. xxiv, 31)*: quo quidem
præmio ego fraudari noluerim. Quanquam in his
etiam quæ plana videntur, quandoque talia latent,
quæ ipsis quoque, qui capaciores videntur et præ-
volantes ingenio, non erit inutile si diligentius de-
clarentur.

4. Sed vide jam similitudinem de Pharaone et
exercitus ejus, et Domini equitatu. Non inter ipsos
exercitus similitudo data est, sed de ipsis. Quæ
enim societas luci ad tenebras? aut quæ pars fidei
cum infideli? Sed inter sanctam spiritualemque ani-
mam, et equitatum Domini plane comparatio est, et
inter Pharaonem et diabolum, amborumque exerci-
tus. Nec miraberis unam animam equitatus multi-
tudini similitam, si advertas quantæ in ipsa una,
quæ tamen sancta anima sit, virtutum acies habeantur;
quanta in affectionibus ordinatio, quanta in
moribus disciplina, quanta in orationibus armatura,

quantum in actionibus robur, quantus in zelo terror, quanta denique ipsi cum hoste conflictuum assiduitas, numerositas triumphorum. Denique in consequentibus legitur : *Terribilis ut castrorum acies ordinata* (Cant. vi, 3); et item : *Quid videbis*, inquit, in *Sunamite*, nisi *choros castrorum*? (Cant. vii, 1.) Aut si id tibi non placet, noveris huiusmodi animam nunquam esse sine angelorum custodia, qui eam æmulantur Dei æmulatione, solliciti suo viro cœrvare, et virginem castam exhibere Christo. Et ne dixeris in corde tuo : *Ubi sunt? quis eos vidit? Vidit eos propheta Elisæus*, insuper et fecit orando, ut videret etiam *Giezi* (IV Reg. vi, 16, 17). Tu non vides, quia non es propheta, nec puer prophetæ. Vidit patriarcha *Jacob*, et ait : *Castra Dei sunt hæc* (Gen. xxxii, 2). Vidit et doctor gentium, qui dicebat : *Nonne omnes administratorii spiritus sunt, missi in ministerium propter eos qui hæreditatem capiunt salutis* (Hebr. i, 14).

5. Ergo angelicis fulta ministeriis, et superno stipata agmine sponsa incedens, similis est equitatu Domini; illi utique, qui quondam in curribus Pharaonis tam stupendo divini adjutorii miraculo triumphavit. Si enim diligenter advertas, cuncta quæ ibi miraris magnifice perpetrata, invenies hic nihilominus admiranda. Nisi quod in eo nunc magnificentius triumphatur, quod quæ illic corporaliter præcesserant, hic spiritualiter adimplentur. An non tibi nempe multo fortius longeque gloriosius esse videtur, diabolum prosternere, quam Pharaonem; atque aerias debellare potestates, quam currus Pharaonis subvertere? Ibi denique pugnatum est adversus carnem et sanguinem; hic adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualitæ nequitia in cœlestibus (Ephes. vi, 12). Et prosequere modo mecum singula proportionis membra. Ibi populus eductus de Ægypto, hic homo de sæculo; ibi prosternitur Pharaon, hic diabolus; ibi subvertuntur currus Pharaonis, hic carnalia et sæcularia desideria, quæ militant adversus animam, subruuntur; illi in fluctibus, isti in fretibus; marini illi, amari isti. Puto et nunc clamitare dæmonia, si forte contingat incidere in talem animam : *Fugiamus Israel, quia Dominus pugnat pro eo* (Exod. xiv, 25). Visne etiam aliquos de principibus Pharaonis propriis tibi designem nominibus, et de curribus describam, ad instar quorum tu quoque alios, si qui sunt, per te ipsum valeas invenire? Magnus quidam princeps spiritualis atque invisibilis regis Ægypti profecto Malitia est, magnus **1408** Luxuria, magnus Avaritia. Et hi quidem possident terminos suos sub rege suo, sicut sui cuique assignati sunt. Nam Malitia in omni regione maleficiorum atque facinorum dominatur; Luxuria omni immunditiæ et turpitudini carnis præest; Avaritia in partes rapinæ et fraudis sortita est principatum.

(203) In editis plerisque additur *parvulo papilionis*, quod glossæma est marginale in scriptis.

6. Accipe nunc quoque quales his suis principibus Pharaon præparaverit currus ad persequendum populum Dei. Habet namque Malitia currum suum rotis quatuor consistentem : Sævitia, Impatientia, Audacia, Impudentia. Valde etenim velox est currus iste ad effundendum sanguinem, qui nec innocentia sistitur, nec patientia retardatur, nec timore frenatur, nec inhibetur pudore. Trahitur autem duobus admodum perniciousis equis, et ad omnem perniciem paratissimis, terrena Potentia, et sæculari Pompa. Tunc namque quadriga ista malitiæ currit valde velociter, cum hinc quidem potentiæ effectus subest ejus adimplendis malitiosis conatibus; inde plausus pompe arridet perpetratis sceleribus, ut sermo impleatur qui scriptus est : *Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur* (Psal. ix, 5); et iterum alia Scriptura : *Hæc est, inquit, hora vestra, et potestas tenebrarum* (Luc. xxi, 52). Porro præsentent duobus his equis aurigæ duo, Tumor et Livor; et tumor quidem pompam, livor vero potentiam agit. Is enim rapido fertur diabolicarum amore pompæ, cujus apud se cor prius intumuit. Nam, quod in se firmiter stat timore compressum, gravitate modestum, humilitate solidum, puritate sanum, aura hujus vanitatis nequaquam leviter rapietur. Item terrenæ jumentum potentiæ nonne invidia agitur, et quasi quibusdam livoris urgetur hinc inde calcaribus, suspitione utique decedendi, et metu succumbendi? Aliud est enim quod suspectus est successor, et aliud quod timetur invasor. His itaque stimulis terrena potentia continue agitur. Et currus quidem malitiæ sic se habet.

7. Luxuriæ vero currus quadriga nihilominus volvitur vitiorum, Ingluvie videlicet ventris, Libidinis coitus, Mollitiæ vestium, otii soporisque Resolutione. Trahitur equis æque duobus, Prosperitate vitæ, et rerum Abundantia; et qui his præsentent duo, ignavia Torpor, et insida Securitas : quia et copia ignaviam solvit, et, secundum Scripturam : *Prosperitas stultorum perdet illos* (Prov. i, 32); non sane ob aliud, nisi quoniam male securos reddat : *Cum autem dixerint, Pax et securitas; tunc subitaneus superveniet eis interitus* (I Thess. v, 3). Hi calcaria minime habent, neque flagella, vel aliquid huiusmodi, sed pro his utuntur conopeo (203) ad faciendam umbram, et flabello ad citandum ventum. Porro conopeum Dissimulatio est, umbram faciens, et protegens ab æstu curarum. Proprium namque est molles et delicatæ animæ etiam necessarias dissimulare curas, et ne æstuantes sollicitudines sentiat, sub latibulo dissimulationis abscondi. Flabellum vero Effusio est, ventum adulationis apportans. Larga sunt enim luxuriosi, ementes auro ventum de ore adulatorum. Et de hoc satis.

8. Jam vero Avaritia rotis et ipsa vehitur quatuor vitiorum, quæ sunt Pusillanimitas, Inhumanitas, Contemptus Dei, mortis Oblivio. Porro jumenta tra-

hencia, Tenacitas, et Rapacitas; et his unus auriga ambobus præsidet, habendi Ardor. Solæ siquidem Avaritia, quoniam conducere plures non patitur, uno contenta est servitore. Ipse vero injuncti operis promptus admodum atque infatigabilis exsecutor, urgendis sane jumentis trahentibus, flagris utitur acerrimis, Libidine acquirendi, et Metu amittendi.

9. Sunt et alii principes regis Ægypti habentes et ipsi currus suos in expeditione domini sui, sicut Superbia, quæ unus est de majoribus principibus; sicut inimica fidei Impietas, magnum et ipsa tenens locum in domo et regno Pharaonis; et multi adhuc sunt alii inferioris ordinis satrapæ et equites, quorum non est numerus in Pharaonis exercitu; quorum et nomina, et **1409** officia, necnon et arma et apparatus eorum vestris studiis, ut in his exerceamini, inquirenda relinquo. In istorum itaque principum fortitudine, curruumque suorum, invisibilis Pharao ubique discurrens, in omnem familiam Domini, quibus potest viribus, more tyrannico debacchatur, in his etiam his diebus exeuntem Israel de Ægypto insequitur. At ille nec subvectus curribus, nec protectus armis; nihilominus tamen sola Domini manu confortatus, secure decantat: *Cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est; equum et ascensorem projecit in mare (Exod. xv, 4); item: Hi in curribus et hi in equis; nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus (Psal. xix, 8).* Et hæc dicta sint pro adducta similitudine de equitatu Domini, et curribus Pharaonis.

10. Post hæc amica appellatur. Nam ipse quidem et ante liberationem amicus erat, alioquin non liberasset quam non amasset; sed illa beneficio liberationis adducta est ut esset amica. Audi denique confitentem. *Non quia dilexerimus eum nos, inquit, sed ipse prior dilexit nos (I Joan. iv, 10).* Recordare nunc mihi Moysi et Æthiopiassæ, et agnosce jam tunc præfiguratum conjugium Verbi et animæ peccatricis; et discerne, si potes, quid tibi dulcius sapiat in consideratione suavissimi sacramenti, Verbine nimium benigna dignatio, an animæ inæstimabilis gloria, an inopinata fiducia peccatoris. Sed non potuit Moyses Æthiopiassæ mutare pellem, potuit Christus. Sequitur enim: *Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis.* Sed hoc sermone alteri reservetur; ut semper quæ in mensa Sponsi nobis apponuntur, cum aviditate sumentes, eructemus in ipsius laudem et gloriam, Jesu Christi Domini nostri, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XL.

Quod intentio sit facies animæ: quæ sit ejus pulchritudo aut deformitas; quæ ejusdem solitudo et purdicitia.

1. *Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis (Cant. i, 9).* Tenera est sponsæ verecundia; et ad increpationem sponsi, puto, facies ejus rubore suffusa est, pulchriorque ex eo apparens, illico audit: *Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis.* Vide autem ne carnaliter cogites coloratam carnis putredinem, et puru-

lentiæ flavi sanguineo humoris, vitreæ cutis superficiali summam atque æqualiter suffundentem: e quibus sibi invicem moderate permistis, ad venustandam genarum effigiem rubor subpallidus in efficiendam corporeæ pulchritudinis temperatur. Alioquin incorporea illa animæ invisibilisque substantia, nec corporeis distincta membris, nec visibilibus exstat fucata coloribus. Tu vero spirituales essentiam spirituali, si potes, attinge intuitu, et ad coaptandum propositæ similitudinis schema cogita animæ faciem, mentis intentionem; ex qua nimirum rectitudo operis, sicut ex facie pulchritudo corporis, æstimatur. Porro verecundiam intellige, tanquam colorem in facie, quod hæc potissimum virtus et venustatem ingerat, et augeat gratiam. *Pulchræ ergo sunt genæ tuæ, sicut turturis.* Poterat usitatius faciem ponere et describere pulchram, sicut solet, cujus pulchritudo laudatur, pulchra facie seu decora facie dici: sed nescio quid tibi voluerit, ut magis genas pluraliter dicendum putaverit, nisi quod minime id crediderim otiosum. Spiritus namque sapientiæ loquitur, cui non est fas vel modicum quid omnino ascribere otiosum, aut secus dictum quam oportuerit. Est itaque sine dubio causa, quæcumque illa sit, cur pluraliter genas maluerit, quam singulariter faciem dicere. Et si tu melius non habes, ego quod mihi videtur aperio.

2. Duo quædam in intentione, quam faciem animæ esse diximus, necessario requiruntur, res et causa; id est, quid intendas, et propter quid. Et ex his sane duobus animæ vel decor, vel deformitas judicatur; ut, verbi causa, anima, quæ ambo ista recta atque pudica habuerit, illi merito veraciterque dicatur: *Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis.* Quæ vero altero **1410** horum caruerit, non poterit dici de ea, quod pulchræ sint genæ ejus sicut turturis, propter eam, quæ adhuc ex parte erit, deformitatem. Multo autem minus illi hoc poterit convenire, quæ neutrum horum habere laudabile invenitur. At id totum fiet planius in exemplis. Si, verbi causa, intendat quis animum inquirendæ veritati, atque id solo veritatis amore; nonne is tibi videtur et rem, et causam habere honestam, meritoque sibi vindicare quod dicitur: *Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis?* quippe cui in neutra genarum nævus reprehensionis appareat. Quod si minime quidem veritatis desiderio, sed aut inanis gloriæ, aut alterius qualiscunque commodi temporalis obtentu in veritatem intenderit: jam, etsi unam genarum videatur habere formosam, non tamen, ut arbitror, dubitabis judicare vel ex parte deformem, cujus alteram faciem causæ turpitudinis fœdaverit. Si autem videris hominem nullis honestis studiis intendentem, sed carnis illecebris irrationem, ventri et luxuriæ deditum quales sunt illi, quorum deus venter est, et gloria in confusione eorum, qui terrena sapiunt (Philipp. iii, 19): quid istum? nonne ex utraque parte fœdissimum judicabis, in cuius utique intentione et res, et causa reproba invenitur?

3. Ergo intendere non in Deum, sed in sæculum, sæcularis animæ est, nec ullam prorsus genarum speciosam habentis. Intendere autem quasi in Deum, sed non propter Deum, hypocritæ plane animæ est: cuius etsi una facies decora videtur, quod ad Deum qualicumque intentione respiciat; ipsa tamen simulatio omne in ea decorum exterminat, et magis per totum ingerit fœditatem. Si autem vel solum, vel maxime, ob vitæ præsentis necessaria ad Deum converterit intentionem; non quidem faccè hypocrisis putidam, pusillanimitatis tamen vitio dicimus subobscuram, et minus acceptam. Porro e contrario intendere in aliud quam in Deum, tamen propter Deum; non otium Mariæ, sed Marthæ negotium est. Absit autem ut huiusmodi est, quidquam illam dixerim habere deforme! Nec tamen ad perfectum affirmaverim pervenisse decoris: quippe quæ adhuc sollicita est et turbatur erga plurima, et non potest terrenorum actuum vel tenui pulvere non respergi. Quem tamen cito facileque deterget vel in hora sanctæ dormitionis casta intentio, et bonæ conscientie interrogatio in Deum. Ergo solum inquirere Deum propter ipsum solum, hoc plane est utramque bipartitæ intentionis faciem habere pulcherrimam; atque id proprium ac speciale sponsæ, cui merito singulari prærogativa audire conveniat: *Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis.*

4. Cur vero, *sicut turturis*? Pudica avicula est, et conversatio ejus non cum multis, sed solo degere fertur contenta compare, ita ut si illum amiserit, alterum non requirat, sed sola deinceps conversetur. Tu ergo qui hæc audis, ut sane non otiose audias ea quæ scripta sunt propter te, et nunc propter te versantur et disputantur: tu, inquam, si ad istiusmodi Spiritus sancti incitamenta moveris, et inardescis dare operam, quomodo animam tuam facias sponsam Dei; stude ambas speciosas habere has genas tuæ intentionis, ut imitator castissimæ volucris, sedeas, secundum prophetam, solitarius, quoniam levasti te supra te (*Thren.* III, 28). Omnino supra te est, angelorum Domino desponsari. Au non supra te, adhærere Deo atque unum spiritum esse cum eo? Sede itaque solitarius, sicut turtur. Nihil tibi et turbis, nihil cum multitudine cæterorum; etiamque ipsum obliviscere populum tuum, et domum patris tui et concupiscet rex decorem tuum (*Psal.* XLV, 11, 12). O sancta anima, sola esto, ut soli omnium serves te ipsam, quem ex omnibus tibi elegisti. Fuge publicum, fuge et ipsos domesticos; secede ab amicis et intimis, etiam et ab illo qui tibi ministrat. An nescis te verecundum habere sponsum, et qui nequaquam suam velit tibi indulgere præsentiam præsentibus cæteris? Secede ergo, sed mente, non corpore; sed intentione, sed devotione, sed spiritu. Spiritus enim ante faciem tuam Christus Dominus, spiritusque requirit. **¶¶¶** non corporis solitudinem, quanquam et corpore interdum non otiose te separas, cum opportune potes, præsertim in tempore orationis. Tenes etiam in hoc et manda-

tum sponsi, et formam: Tu, inquit, *cum oraveris, intra in cubiculum tuum et clauso ostio ora* (*Matth.* VI, 6). Et quod dixit, fecit. Solus in oratione pernoctabat, non modo se abscondens a turbis, sed nec ullum quidem discipulorum, nec ullum domesticorum admittens (*Luc.* VI, 12, 13). Denique tres secum intimos sibi adduxerat, cum ultro proponeret ad mortem; avulsus est et ab ipsis orare volens (*Matth.* XXVI, 37-39). Ergo et tu fac similiter, quando orare volueris.

5. De cætero sola indicitur tibi mentis et spiritus solitudo. Solus es, si non communia cogites, si non affectes præsentia, si despicias quod multi suspiciunt, si fastidias quod omnes desiderant, si jurgia devites, si damna non sentias, si non recorderis injuriarum. Alioquin nec si solus corpore es, solus es. Videsne posse esse te et solum, cum inter multos; et inter multos, cum solus es? Solus es in quantacunque hominum verberis frequentia: tantum cave alienæ conversationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius iudex. Etiam si perperam actum quid deprehendas, nec sic iudices proximum, magis autem excusa. Excusa intentionem, si opus non potes; puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quod si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, et dicite apud temetipsum: Vehemens fuit nimis tentatio, quid de me illa fecisset, si accepisset in me similiter potestatem? Et memento, me modo alloqui sponsam, et non amicum sponsi instruere, cui alia ratio est diligentius observandi ne quis peccet, et explorandi an peccet, et emendandi si peccatum fuerit. A qua sane necessitate sponsa libera est, soli vivens sibi, et ipsi, quem diligit, sponso pariter et Domino suo, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XLI.

Qualiter sponsa recipit interim magnam consolationem de contemplatione divinæ claritatis, antequam perveniat ad claram ejus visionem.

1. *Collum tuum sicut monilia* (*Cant.* I, 9). Solet ornari collum monilibus, non ipsis comparari. Sed hoc illæ faciant, quibus quia de proprio non uest decor, aliunde necesse est ut mendicent, unde et speciosas mentiantur. Nam sponsæ collum ita in se ipso formosum, et tam decenter quasi natura formatum est, ut extrinsecus non requirat ornatum. Quid enim opus est peregrinorum fucos adhibere colorum, cui propria, et tanquam innata sufficit pulchritudo, in tantum ut ipsorum quoque, quæ ad ornandum quærentur monilium possit adæquare nitorem? Hoc nempe intelligi voluit, qui minime quidem a collo, ut assolet, pendere monilia, sed ipsum potius esse *sicut monilia* dixit. Non jam invocandus est nobis Spiritus sanctus, ut sicut spirituales sponsæ genas sua dignatione tribuit invenire, ita etiam ipsius spirituale collum demonstrare dignetur. Et meo quidem intellectui (quia mihi incumbit loqui quæ sentio) nihil interim verisimilius pro-

babiliusve elucet, quam ipsum animæ intellectum A colli nomine designari. Tu quoque idem, ut arbitror, approbabis, si advertas similitudinis rationem. Annon siquidem tibi videtur colli quodam modo vice fungi intellectus, per quem tua anima trajicit in se spiritus vitalia alimenta, atque in quædam transfundit viscera morum, affectumque suorum? Hoc ergo sponsæ collum, id est purus et simplex intellectus, eum nuda et aperta veritate satis per se ipsum reniteat, non indiget ornamento; sed ipsum magis, tanquam pretiosum monile, animam decenter exornat, ac proinde simile monilibus ipsis 1412 describitur. Bonum monile veritas, bonum puritas sive simplicitas, bonum plane monile sapere ad sobrietatem. Philosophorum vel hæreticorum intellectus non habet hunc in se puritatis, veritatisque nitorem: et ideo multam curam gerunt ipsum colorare et fucare phaleris verborum, et versutis syllogismorum, ne, si nudus appareat, falsi etiam appareat turpitudine.

2. Sequitur: *Murænas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Si, *faciam*, singulariter, et non pluraliter, *faciemus*, dixisset, absolute et indubitanter hoc etiam loqui sponsum pronuntiassem. Nunc autem vide ne forte magis sodalibus ejus congruentiusque assignemus, sponsam quasi consolantibus tali promissione, quod donec perveniat ad visionem ejus, cujus sic flagrat desiderio, facturi sint illi murænas pulchras et pretiosas, quæ sunt aurium ornamenta. Atque hoc propterea, ut opinor, quia fides ex auditu; et quandiu per fidem ambulatur et non perspicimur, danda opera potius instruendo auditui, quam visui exserendo [*alias*, exercendo]. Frustra namque intenditur oculus qui non sit fide mundatus, cum solis qui mundo corde sunt, videndi copia promittatur (*Matth.* v, 8). Scriptum vero est: *Fide mundans corda eorum* (*Act.* xv, 9). Quia ergo fides ex auditu, et ex illa visus purgatio est, merito illi orrandis auribus intendebant, dum auditus, sicut ratio docuit, visus sit preparatio. Tu, inquit, o sponsa, intuendæ dilecti inhias claritati; sed hoc alterius temporis est. Damus autem in præsentiarum ornamenta auribus tuis, quod erit tibi interim consolatio, erit et præparatio ad hoc ipsum quod postulas, ac si illud prophætæ ei dicant: *Audi, filia, et vide* (*Psal.* xlv, 11). Videre desideras, sed audi prius. Gradus est auditus ad visum. Proinde audi, et inclina aurem tuam ornamentis quæ tibi facimus, ut per auditus obedientiam ad gloriam pervenias visionis. Nos auditui tuo damus gaudium et lætitiâ. Nam visui non est nostrum dare (in quo gaudii plenitudo et tui desiderii adimpletio est), sed illius quem diligit anima tua. Ipse ut gaudium tuum plenum sit, ostendet se ipsum tibi; ipse adimplebit te lætitiâ cum vultu suo. Tu interim accipe ad consolationem murænas has de manu nostra; ceterum delectationes in dextera ejus usque in finem.

3. Advertendum cujusmodi ei murænas offerunt: *Aureas*, inquit, et *vermiculatas argento.* Aurum divi-

nitatis est fulgor, aurum sapientiâ quæ desursum est. Hoc auro fulgentia quædam quasi veritatis signacula spondent se figuraturos hi, quibus id ministerii est, superni aurifices, atque internis animæ auribus inserturos. Quod ego non puto esse aliud, quam texere spirituales quædam similitudines, et in ipsis purissima divinæ sapientiæ sensa animæ contemplantis conspectibus importare, ut videat, sicut item per speculum et in ænigmatæ, quod nondum facie ad faciem valet ullatenus intueri. Divina sunt, et nisi expertis prorsus incognita quæ effamur; quomodo videlicet in hoc mortali corpore, fide adhuc habente statum, et necdum propalata perspicui substantia luminis, jam tamen [*alias*, interim] puræ interdum contemplatio veritatis partes suas agere intra nos vel ex parte præsumit; ita ut liceat usurpare etiam alicui nostrum, cui hoc datum desuper fuerit, illud Apostoli: *Nunc cognosco ex parte*; item, *Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus* (*I Cor.* xiii, 12, 9). Cum autem divinius aliquid raptim et veluti in velocitate coruscæ luminis interluserit menti spiritu excedenti, sive ad temperamentum nimii splendoris, sive ad doctrinæ usum, continuo, nescio unde, adsunt imaginariæ quædam rerum inferiorum similitudines, infusus divinitus sensis convenienter accommodatæ, quibus quodam modo adumbratus purissimus ille ac splendidissimus veritatis radius, et ipsi animæ tolerabilior fiat, et quibus communicare illum voluerit, capabilior, Existimo tamen ipsas formari in nobis sanctorum suggestionibus angelorum, sicut e contrario contrarias 1413 et malas ingeri immisiones per angelos malos non dubium est.

4. Et fortassis hinc illud est speculum atque ænigma, ut dixi, per quod videbat Apostolus (*I Cor.* v, 12), ex istiusmodi puris pulchrisque imaginationibus angelorum quasi manibus fabricatum: quatenus et Dei esse, quod purum et absque omni phantasia corporearum imaginum cernitur, sentiamus; et elegantem quamlibet similitudinem, qua id digne vestitum apparuerit, ministerio deputemus angelico. Quod signasse expressius videtur alia interpretatio, dicens: *Similitudines auri fabri faciemus tibi, cum distinctionibus argenti* (*Cant.* i, 10, juxta LXX. Unum est, *cum distinctionibus argenti, et vermiculatas argento.* In quo mihi significare videtur non modo similitudines intus per angelos suggeri, sed nitorem quoque eloquii per ipsos extrinsecus ministrari, quo congrue atque decenter ornata, et facilius ab auditoribus capiantur, et delectabilis. Quod si dixeris: Quid eloquio et argento! dicit tibi propheta: *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum* (*Psal.* xi, 7). Ita ergo illi cælestes administratorii spiritus peregrinanti in terris sponsæ faciunt murænas aureas, vermiculatas argento.

5. Vide autem quomodo illa aliud cupit, et aliud accipit: et nitenti ad contemplationis quietem labor prædicationis imponitur; et sitienti sponsi præsentiam, filiorum sponsi parientorum, alendo-

rumque sollicitudo injungitur. Neque nunc tantum accidit illi hoc; sed et alia vice, ut memini, cum sponsi amplexus et oscula suspiraret, responsum est ei: *Qua meliora sunt ubera tua vino (Cant. 1, 1)*; ut ex hoc se intelligeret matrem, atque ad dandum lac parvulis, nutriendumque filios revocari. Fortassis et in aliis cantici hujus locis hoc ipsum tu quoque, nisi piger sis ad inquirendum, per te ipsum advertere poteris. An non res ista quondam in sancto patriarcha Jacob præfigurabatur, cum frustratus optatis diuque expectatis Rachelis amplexibus, pro sterili et decora secundam et lippam invitus atque ignarus accepit? (*Gen. xxix, 23, 25*.) Ita ergo nunc sponsa scire cupiens et inquirens, ubi in meridiana horis dilectus pascit et cubet, murænnulas pro eo reportat aureas, vermiculatas argento; id est, sapientiam cum eloquentia; haud dubium quin ad prædicationis opus.

6. Docemur ex hoc sane, intermittenda plerumque dulcia oscula propter lactantia ubera; nec cuiquam sibi, sed omnibus esse vivendum (204). Væ qui bene de Deo et sentire, et eloqui acceperunt, si quæstum æstiment pietatem; si convertant ad inanem gloriam, quod ad lucra Dei acceperant erogandum; si alta sapientes, humilibus non consentiant. Paveant quod in propheta legitur, dicente Domino: *Dedi eis aurum meum et argentum meum; ipsi autem de argento et auro meo operati sunt Baal (Ose. 11, 8)*. Tu ergo audi quid sponsa, accepta hinc quidem increpatione, inde vero promissione, responderit. Neque enim vel de promissis extollitur, vel pro repulsa irascitur; sed, sicut scriptum est: *Corripie sapientem, et amabit te (Prov. 15, 8)*; et item quod ad donationes et promissiones spectat: *Quanto major es, humilia te in omnibus (Eccli. 10, 20)*; quod ex ejus responsione melius utrumque patebit. Sed ipsa, si placet, discussio in aliud sermonis principium differatur, et de iis quæ dicta sunt, glorificemus Sponsum Ecclesiæ Dominum nostrum Jesum Christum, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XLII.

De duplici humilitate: una videlicet, quam parit veritas; et altera, quam inflammat charitas.

1. Cum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum (*Cant. 1, 11*). Hæc sunt verba sponsæ, quæ in hodiernum diem distulimus; hoc responsum, quod dedit 1414 ubi increpata est a sponso, non tamen sponso, sed ejus sodalibus: quod facile est advertere ex verbis ipsis. Cum enim non dicit, quasi ad secundam personam: Cum esses rex in accubitu tuo, sed: *Cum esset in accubitu suo*, patet quod non ad ipsum loquitur, sed de ipso. Puta proinde sponsum, ubi eam (quatenus visum fuit) aut corripuit, aut repressit, comperta ex suffusione genarum verrecundia, cessisse loco, ut illa se absente loqueretur liberius quæ sentiret; sed et si pavidiior, ut assolet, quam oportuerit, et dejectior animo facta esset, so-

(204) Editi primi habent *sed omnes illi qui mortuus est pro omnibus, esse vivendum*.

alium eam consolationes erigerent. Quod tamen et per se ipsum facere non neglexit, quantum judicavit pro tempore oportere. Nam ut clarum relinqueret quantum sibi in illa correptione complacuit, quippe quam sensit digne et prout oportuit acceptari, non saue ante se absentavit quam ex abundantia (quod non est dubium) cordis prorumperet in laudes ejus, et genarum collique ipsius pulchritudinem commendaret. Propterea et qui cum ipsa remanent, blande loquuntur illi, et munera offerunt, scientes Domini voluntatem. Ad ipsos ergo responsio ejus. Et litteralis quidem contextio schematis ita se habet.

2. Sed priusquam ex hac testa nucleum spiritus elicere inchoemus, dico unum breviter. Felix, cui sua objurgatio sic respondet, quemadmodum habemus formam præsentis loci. Utinam magis neminem objurgare necesse sit! hoc enim melius. Sed quoniam in multis offendimus omnes, mihi tacere non licet, cui ex officio incumbit peccantes arguere, magis autem urget charitas. Quod si arguero et fecero quod meum est, illa autem increpatione procedens minime quod suum est faciat, neque id ad quod misi illam, sed revertatur ad me vacua, tanquam jaculum feriens et resiliens: quid me animi tunc habere putatis, fratres? Nonne angor, nonne torqueor? Et ut mihi usurpem aliquid ex verbis Magistri, quia de sapientia (205) non possum; prorsus coarctor e duobus, et quid eligam nescio (*Philip. 1, 23, 22*): place-rene mihi in eo quod locutus sum, quoniam quod debui feci; an penitentiam agere super verbo meo, quia quod volui, non recepi? Volui nimirum perimere hostem, et eripere fratrem; et non feci sic, magis autem contrarium accidit: nam læsi animam, et culpam auxi, siquidem accessit et contemptus. *Nolunt audire te*, inquit, *quia nolunt audire me (Ezech. 10, 7)*. Vides quæ majestas contemnitur. Non te putes me solum sprevisse. Dominus locutus est; et quod dixit prophetæ, dixit et apostolis: *Qui vos spernit, ait, me spernit (Luc. 10, 16)*. Non sum propheta, non sum apostolus; et prophetæ tamen et apostoli, audeo dicere, vice fungor: et quibus non æquor meritis, eorum implicor curis; etsi ad meam multam confusionem, etsi ad grande periculum mihi, super cathedram Moysi sedeo, cujus tamen non vindico mihi vitam, nec experior gratiam. Quid tamen? num ideo cathedræ non deferretur, quoniam occupata est ab indigno? Etiam si Scribæ et Pharisei in ea sedeant, inquit: *Quæ dicunt facite (Matth. xxiii, 2, 3)*.

3. Plerumque etiam impatientia contemptui jungitur, ita ut aliquis non solum non curet corrigi objurgatus, sed insuper objurganti indignetur, more phrenetici manum medici repellentis. Mira perversitas! Medicanti irascitur, qui non irascitur sagittanti! Est enim qui sagittat in obscuro rectos corde (*Psal. 1, 3*), qui et te ipsum nunc sagittavit ad mortem; et in illum non commoveris? Mihi indi-

(205) Genmet. addit *mea*.

gnaris, qui sanum te fieri cupio? *Irascimini*, inquit, *et nolite peccare* (*Psal.* iv, 5). Si peccato irascaris, non solum minime peccas, sed et quod peccaras, exterminas. Nunc vero et peccatum retines medicamentum respuendo, et peccare apponis irrationabiliter irascendo; et est supra modum peccans peccatum.

4. Aliquoties additur et impudentia, ut non modo **1415** impatienter ferat quod corripitur, sed etiam id unde reprehenditur, impudenter defendat. Hoc plane desperatio. *Frons*, inquit, *mulieris meretricis facta est tibi; noluitis erubescere* (*Jerem.* iii, 3): et ait: *Recessit zelus meus a te, ultra non irascar tibi* (*Ezech.* xvi, 42). Solo auditu contremisco. Sentisne quanti periculi, quantique horroris et tremoris res sit peccati defensio? Dicit iterum: *Ego quos amo, arguo et castigo* (*Apoc.* iii, 19). Si ergo te zelus deseruit; et amor: nec eris amore dignus, qui indignus castigatione censeris. Vides quia tunc magis irascitur Deus, dum non irascitur. *Misereamur impio*, inquit, *et non discet facere justitiam* (*Isa.* xxvi, 10). Misericordiam hanc ego nolo. Super omnem iram miseratio ista, sapiens mihi vias justitiæ. Satius profecto mihi, juxta Prophetæ consilium, apprehendere disciplinam, nequando irascatur Dominus, et peream de via justa (*Psal.* ii, 12). Volo irascaris mihi, Pater misericordiarum; sed illa ira, qua corrigis devium, non qua extrudis de via. Illud tua nobis benigna animadversio parit, hoc formidolosa nutrit dissimulatio. Non enim cum nescio, sed cum sentio te iratum, tunc maxime confido propitium: etenim cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. *Deus*, inquit, *tu propitius fuisti eis, et u'ciacens in omnes adinventiones eorum* (*Psal.* cxviii, 8). Moysen loquitur et Aaron, atque Samuel, quos modo præmiserat; et hoc vocat propitiationem, quod eorum Deus non peperit excessibus. I nunc tu ergo, atque hanc tibi excludito in æternum, defendendo errorem, et accusando correptionem. An non istud est malum dicere bonum, et bonum malum? An non ex hac odiosa impudentia pullulabit mox impœnitentia, mater desperationis? Quem enim præniteat super bono quod putat? *Væ illis* inquit (*Isa.* v, 20). *Væ* istud æternum est. Aliud est quemque tentari a propria concupiscentia abstractum et illectum; et aliud sponte appetere malum tanquam bonum, ad mortem quasi ad vitam male securum proferare. Pro hujusmodi, dico, malle aliquando tacuisse et dissimulasse quod agi perperam deprehendi, quam ad tantam reprehendisse perniciam.

5. Dicas forsitan mihi, quod bonum meum, ad me revertatur, et quia liberavi animam meam, et mundus sum a sanguine hominis, cui annuntiavi et locutus sum, ut averteretur a via sua mala, et viveret. Sed etsi innumera talia addas, me tamen minime ista consolabuntur, mortem filii intuentem. Quasi vero meam illa reprehensione liberationem quasi-erit, et non magis illius! Quæ enim mater, etiamsi omnem quam potuit curam et diligentiam ægrotanti

A filio adhibuisse se sciat, si demum frustratam se viderit, et omnes labores suos esse penitus inefficaces, illo nihilominus moriente, propterea unquam a fleitibus temperavit? Et illa quidem hoc pro morte temporali; quanto magis me pro morte æterna mei filii manet utique ploratus et ululatus multus, etiamsi nihil mihi conscius sum, quominus annuntiaverim illi? Vides etiam a quantis e regione malis et se, et nos liberat, qui correptus mansuete respondet, veracunde acquiescit, modeste obtemperat, humiliter confitetur. Huic ego animæ in omnibus me profitear debitorem, huic me ministrum et servum, tanquam dignissimæ Domini mei sponsæ, et quæ revera dicere possit: *Cum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.*

B 6. Bonus humilitatis odor, qui de hac valle plorationis ascendens, perfusus circumquaque vicinis regionibus, ipsum quoque regium accubitum grata suavitate respersit. Est nardus humilis herba, quam et calidæ ferunt esse naturæ hi qui herbarum vires curiosius explorarunt. Et ideo per hanc videor mihi non inconvenienter hoc loco virtutem humilitatis accipere, sed quæ sancti amoris vaporibus flagret. Quod, propterea sane dico, quoniam est humilitas quam nobis veritas parit, et non habet calorem: et est humilitas quam charitas format et inflammat. Atque hæc **1416** quidem in affectu, illa in cognitione consistit. Etenim tu, si temetipsum intus ad lumen veritatis et sine dissimulatione inspicias, et sine palpatione dijudices; non dubito quin humiliaris et tu in oculis tuis, factus vilior tibi ex hac vera cognitione tui, quamvis necdum fortasse id esse patiaris in oculis aliorum. Eris igitur humilis, sed de opere interim veritatis, et minime adhuc de amoris infusione. Nam, si veritatis ipsius, quæ te tibi veraciter atque salubriter demonstravit, sicut splendore illuminatus, ita affectus amore fuisses; voluisses procul dubio, quod in te est, eandem de te omnes tenere sententiam, quam ipsam apud te veritatem habere cognoscis. Sane, Quod in te est dixerim; quoniam plerumque non expedit innotescere omnibus omnia quæ nos scimus de nobis, atque ipsa veritatis charitate, et charitatis veritate velamur palam fieri velle quod noceat agnoscenti. Alioquin, si privato amore tui tentus detines pariter intra te iudicium veritatis inclusum, cui dubium est minus te veritatem diligere, cui proprium præfers vel commodum, vel honorem?

D 7. Vides igitur non esse id ipsum, hominem de se ipso non alium jam sapere, veritate luminis redargutum; et humilibus sponte consentire, manere charitatis adjutum. Illud enim necessitatis est, hoc voluntatis. *Semetipsum exinanivit*, inquit, *formam servi accipiens* (*Philipp.* ii, 7), et formam humilitatis tradens. Ipse se exinanivit, ipse se humiliavit, non necessitate iudicii, sed nostri charitate. Poterat nimirum vilem se et contemptibilem demonstrare, sed plane non reputare, quoniam sciebat se ipsum. Voluntate proinde humilis fuit, et non iudicio, qui ta-

lem se obtulit, qualem se esse nescivit (206); magis autem placuit minimum reputari, qui se summum non ignorabat. Denique ait: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (Matth. xi, 29). Corde dixit, cordis affectu, id est voluntate. Itaque necessitatem exclusit, qui voluntatem confessus est. Non enim quomodo ego vel tu invenimus nos in veritate dignos dedecore et contemptu, dignos omni extremitate et inferioritate, dignos etiam suppliciiis, dignos plagis; non, inquam, ita et ille: quæ tamen omnia expertus est, quia voluit, tanquam humilis corde; humilis videlicet illa humilitate, quam cordis suasit affectio, non quam extorsit discussio veritatis.

8. Propterea dixi, hanc voluntariæ humilitatis speciem, non redargutione veritatis, sed charitatis intra nos infusione creari, quia cordis est, quia affectionis, quia voluntatis: an vero recte, tu judica. Itemque etiam hoc tuo æque examinetur iudicio, dignene eandem Domino assignarim, quem charitate constat exinanitum, charitate minoratum ab angelis, charitate parentibus subditum, charitate Baptistæ manibus inclinatum, charitate carnis infirma passum, charitate postremo morti obnoxium, cruce inglorium exstitisse. Sed et hoc unum adhuc tui sit considerare arbitrii, rectene etiam hanc ipsam humilitatem ita charitate calentem, herba humili et calida, id est nardo, putaverim designatam. Et si ita cuncta probaveris (probabis enim rationi manifestissimæ acquiescens) tunc si jam apud te ipsum humiliatus es necessaria illa humilitate, quam scrutans corda et renes Veritas sensibus ingerit animæ vigilantis; adhibe voluntatem, et fac de necessitate virtutem, quoniam nulla est virtus sine convenientia voluntatis [*alias*, convenientia voluntatis]. Sic autem fiet istud, si nolis alter apparere foris, quam te invenis intus. Alioquin time, ne de te ipso legas: *Quoniam dolose egit in conspectu ejus, ut inveniantur iniquitas ejus ad odium* (Psal. xxxv, 3). *Pondus*, inquit, *et pondus abominatio est apud Deum* (Prov. xx, 10). Quid enim? tu te depretiaris in secreto apud te ipsum, veritatis trutina ponderatus; et foris alterius prelii mentiens, majore te pondere vendis nobis, quam ab ipsa accepisti? Time Deum, et noli hanc rem pessimam facere, ut quem humiliat veritas, extollat voluntas: hoc enim resistere est veritati, hoc pugnare contra Deum. Magis **1417** autem acquiesce Deo, et sit voluntas subdita veritati; nec tantum subdita, sed et devota. *Nonne Deo*, inquit, *subjecta erit anima mea?* (Psal. lxi, 2.)

9. At parum est esse subjectum Deo, nisi sis et omni humanæ creaturæ propter Deum; sive abbati, tanquam præcellenti; sive prioribus, tanquam ab eo constitutis. Ego plus dico, subdere paribus, subdere et minoribus. *Sic enim decet nos*, inquit, *omnem implere justitiam* (Matth. iii, 15). *Vade et tu ad minorem, si vis in justitia esse perfectus; defer infe-*

riori juniore te inclinato. Hoc enim faciens, trahes et ipse ad te sponsæ sermonem quem dixit: *Quia nardus mea dedit odorem suum*. Odor devotio est, odor bona opinio, quæ ad omnes pervenit, ut Christi sis bonus odor in omni loco, spectabilis omnibus, amabilis omnibus. Non potest hoc ille humilia, quem veritas ad humilitatem cogit; quoniam sibi habet illam, et exire non patitur, ut sparsa foris redoleat. Magis autem non habet odorem, quia non habet devotionem, utpote qui non sponte, neque libenter se humiliat. Sponsæ vero humilitas, tanquam nardus, spargit odorem suum, amore calens, devotione vigena, opinione recedens. Sponsæ humilitas voluntaria est, perpetua est, fructifera est. Odor ejus nec reprehensione exterminatur, nec laude. Audierat: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturiz, et collum tuum sicut momia* (Cant. i, 9). Acceperat et reprobationem ornatus aurei, et nihilominus tamen eum humilitate respondet: et quanto majorem se audit, tanto humiliat se in omnibus. Non gloriatur in meritis, nec inter laudes suas humilitatis obliviscitur, quam et humiliter confitetur sub nardi nomine; ac si voce virginis Mariæ dicat: *Nullius mihi meriti conscia sum ad tantam dignationem, nisi quod respexit Deus humilitatem ancillæ suæ* (Luc. i, 48). Nam quid est aliud, *nardus mea dedit odorem suum*, quam: *Placuit mea humilitas?* Non mea, inquit, sapientia, non mea nobilitas, non mea pulchritudo, quæ nulla erant mihi, sed quæ sola increat humilitas dedit odorem suum, id est solitum. Solito placet Deo humilitas; solito plane atque ex consuetudo excelsus Dominus humilia respicit: et ideo, cum esset rex in accubitu, id est in excelsis habitaculo suo, illic quoque humilitatis odor ascendit. *In altis habitat*, inquit, *et humilia respicit in cælo et in terra* (Psal. cxii, 5, 6).

10. Ergo, cum esset rex in accubitu suo, nardus sponsæ dedit odorem suum. Accubitus regis, sinus est Patris; quia semper in Patre Filius. Nec dubites regem hunc esse clementem, cui perennis accubitus est paternæ benignitatis diversorium. Merito clamor humilium ascendit ad eum, cui fons pietatis est mansio, cui familiaris suavitas, cui substantialis, vel potius consubstantialis bonitas est: cui ideo totum quod est, de Patre est, ut nil prorsus in regia majestate, nisi paternum, humilium trepidatio suspicetur. Denique: *Propter miseriam inopum et gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus* (Psal. xi, 6). Horum igitur conscia sponsa, utpote domestica atque clarissima, non se putat arcendam [*alias*, arcendam] sponsi gratia penuria meritorum, sola de humilitate præsumens. Regem denique nominat, nam sponsum interim territa increpatione non audet; et in alto habitare fatetur, nec sic tamen diffidit humilitas.

11. Primitivæ Ecclesiæ potes hunc congruentis

(206) Alii, qualem esse nescivit, subaudiendo se ex proximo membro, id est qualem se non esse intellexit, nempe vilem et contemptibilem.

sine aptare sermonem, si recordaris dies illos, quibus, assumpto Domino ubi erat prius, et sedente in dextera Patris, illo suo antiquo nobili atque glorioso accubitu, discipuli erant congregati in loco uno, perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus et Maria matre Jesu, et fratribus ejus (Act. 1, 13, 14). Nonne tibi videtur revera tunc temporis nardum parvulæ et trepidantis sponsæ dare odorem suum? Denique, cum factus est repente de cælo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes (Act. 11, 2), an non merito paupercula tunc dicere potuit: *Cum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum? Patuit pro certo omnibus in loco manentibus, quam gratus humiliatis, et quam beneplacitus odor ascenderat, cui mox tam* **1418** *copiosa et gloriosa remuneratione responsum est. Cæterum illa non ingrata beneficii fuit. Audi enim quomodo mox repleta devotione parat se ad omnia mala perferenda pro nomine ejus: nam sequitur: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Infirmas meas, quam nostis, non sinit ulterius progredi. Hoc solum dico, quia tribulationum amaritudines sub myrrhæ nomine dicit se subire paratam amore dilecti. Reliquum capituli alias prosequemur, si tamen exoratus a vobis Spiritus sanctus adfuerit, qui nos intelligere faciat verba sponsæ, quæ ipse inspirando formavit, sicut novit illius, cujus ipse Spiritus est, laudibus convenire, sponsi Ecclesiæ Jesu Christi Domini nostri, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.*

SERMO XLIII.

Qualiter consideratio passionis et laborum Christi faciat sponsam, id est animam, pergere illam inter prospera et adversa hujus mundi.

1. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur (Cant. 1, 12). Ante rex, modo dilectus; ante in accubitu regio, modo inter sponsæ ubera. Magna humilitatis virtus, cui etiam Deitatis majestas tam facile se inclinat. Cito reverentiæ nomen in vocabulum amicitiae mutatum est: et qui longo erat, in brevi factus est prope. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi. Myrrhæ, amara res, dura et aspera tribulationum significat. Ea sibi dilecti causa imminere prospiciens, gratulabunda id loquitur, confidens se omnia viriliter subituram. Ibant, inquit, gaudentes discipuli a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati (Act. 5, 41). Propterea denique non fascem, sed fasciculum dilectum dicit, quod leve præ amore ipsius ducat, quicquid laboris imminet et doloris. Bene fasciculus, quia parvulus natus est nobis (Isa. 1x, 6). Bene fasciculus, quia non sunt condignæ passionis hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis (Rom. viii, 18). Id enim, inquit, quod in præsentem est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis (II Cor. iv,*

A 17). Erit ergo quandoque nobis ingens cumulus gloriæ, qui modo est fasciculus myrrhæ. An non fasciculus, cujus jugum suave est, et onus leve? (Matth. xi, 30.) Non quia levis in se (nec enim levis passionis asperitas, mortis amaritudo), sed levis tamen amanti. Et ideo non ait tantum: Fasciculus myrrhæ dilectus meus; sed: Mihi, inquit, quæ diligo, fasciculus est. Unde et dilectum nominat, monstrans dilectionis vim omnium amaritudinum superare molestantiam, et quia fortis est ut mors dilectio (Cant. viii, 6). Et ut scias non in se illam, sed in Domino gloriari, neque de propria virtute, sed de Domini adjutorio præsumere fortitudinem; dicit illum inter ubera sua comoraturum, cui secunda decantet: Etiam si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es (Psal. xxii, 4).

2. Memini me in uno superiorum sermonum (Serm. 10, num. 1) duo sponsæ ubera congratulationem definisse atque compassionem, juxta Pauli doctrinam, dicentis: *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus (Rom. xii, 15).* Quia vero inter adversa et prospera versans, novit utrobique pericula non deesse; medium hujusmodi uberiorum suorum vult habere dilectum, cujus adversus utraque continua protectione munitam nec læta extollant, nec tristia dejiciant. Tu quoque, si sapias, imitaberis sponsæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam charum fasciculum de principali tui pectoris, nec ad horam patieris avelli; amara illa omnia quæ pro te pertulit, semper in memoria retinens, et assidua meditatione revolvens, quo possis dicere et tu: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.*

3. Et ego, fratres, ab incunte mea conversione, pro acervo meritorum, quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum colligare, et inter ubera mea collocare curavi, collectum ex omnibus anxietatibus et amaritudinibus Domini mei: primum videlicet, infantilium **1419** *illarum necessitatum; deinde, laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in jejunando, lacrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo; postremo, periculorum in falsis fratribus, conviciorum, sputorum, colaphorum, subannationum, exprobrationum, clavorum, horumque similium, quæ in salutem nostri generis silva evangelica copiosissime noscitur protulisse. Ubi sane inter tot odoriferæ myrrhæ hujus ramusculos minime prætermittendam putavi etiam illam myrrham, qua in cruce potatus est; sed neque illam, qua unctus est in sepultura. Quarum in prima applicuit sibi meorum amaritudinem peccatorum; in secunda futuram incorruptionem mei corporis dedicavit. Memoriam abundantis suavitatis horum eructabo, quoad vixero; in æternum non obliviscar miserationes istas, quia in ipsis vivificatus sum.*

4. Ille olim sanctus David cum lacrymis require-

bat: *Veniant mihi, inquit, miserationes tuæ, et vivam (Psal. cxviii, 77)*. Has et alius quidam sanctorum cum gemitu memorabat, dicens: Misericordiam Domini multam. Quam multi reges et prophete voluerunt videre, et non viderunt. Ipsi laboraverunt, et ego in labores eorum introivi; ego messui myrrham, quam illi plantaverunt; mihi hic salutaris fasciculus servatus est; nemo tollet eum a me, inter ubera mea commorabitur. Hæc meditari dixi sapientiam, in his justitiæ mihi perfectionem constitui, in his plenitudinem scientiæ, in his divitias salutis, in his copias meritorum. Ex his mihi interdum potus salutaris amaritudinis, ex his rursum suavis unctio consolationis. Hæc me erigunt in adversis, in prosperis reprimunt, et inter læta tristitiaque vitæ præsentis via regia incedenti tutum præbent utrobique ducatum, hinc inde mala imminetia propulsando. Hæc mihi conciliant mundi iudicem, dum tremendum potestatis mitem humilemque figurant; dum non solum placabilem, sed et imitabilem repræsentat eum, qui inaccessible est principatibus, terribilis apud reges terræ. Propterea hæc mihi in ore frequenter, sicut vos scitis; hæc in corde semper, sicut Deus scit; hæc stylo meo admodum familiaria, sicut apparet; hæc mea sublimior interim philosophia, scire Jesum, et hunc crucifixum. Non requiro, sicut sponsa, ubi cubet in meridie (*Cant. 1, 6*), quem lætus amplector mea inter ubera commorantem. Non requiro ubi pascat in meridie, quem intueor Salvatorem in cruce. Illud sublimius, istud suavius; pans illud, hoc lac; hoc viscera reficit parvulorum, hoc replet ubera matrum: et ideo inter ubera mea commorabitur.

5. Hunc et vos, dilectissimi, tam dilectum fasciculum colligite vobis, hunc medullis inserite cordis, hoc munite aditum pectoris, ut et vobis inter ubera commoretur. Habete illum semper non retro in humeris, sed ante præ oculis, ne portantes et non odorantes, et onus premat, et odor non erigat. Mementote quia accepit eum Simeon in ulnis suis (*Luc. 11, 28*); Maria gestavit in utero, fovit in gremio, sponsa sibi inter ubera collocavit. Et, ne quid prætermittam, factum est verbum in manu Zachariæ prophete, nec non et quorundam aliorum. Arbitror et Joseph virum Mariæ super geneta frequenter illi arrisisse. Illi omnes ante se eum habuerunt, et nullus retro. Exemplo ergo sint vobis, ut et similiter faciatis. Si enim ante oculos habueritis quem portatis, pro certo videntes angustias Domini, levius vestras portabitis, ipso auxiliante Ecclesiæ sponso, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

1420 SERMO XLIV.

De correptione pro ingenio peccantium moderanda ut nempe humiles et morigeri leniter, duri et obstinati austere corrigantur.

1. *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi (Cant. 1, 13)*. Si dilectus in myrrha, multo magis in botri suavitate. Ergo Dominus meus Jesus

myrrha mihi in morte, botrus in resurrectione, se ipsum mihi saluberrimum temperavit in potum, in lacrymis in mensura. Mortuus est propter peccata nostra, et resurrexit propter justificationem nostram (*Rom. 11, 25*), ut peccatis mortui justitiæ vivamus (*1 Petr. 11, 24*). Itaque tu, si peccata luxisti, bibisti amaritudinem; si autem jam respirasti in spem vitæ vita sanctiori, mutata est tibi myrrhæ amaritudo in vinum, quod lætificat cor hominis. Et fortassis hoc illud significaverit, quod Salvatori oblatum est in cruce [*alias additur vinum*] myrrhatum, et ideo noluit bibere, quoniam istud sitiebat. Tu ergo post myrrhæ, ut dixi, amaritudines, vinum jucunditatis experiens, haud temere et ipse dicere poteris: *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi*. Engaddi duplicem habet interpretationem, et uni ambæ intellectui servant. Dicitur namque *fons hædi, et baptisma gentium*; lacrymasque peccantium aperte designat. Dicitur et *oculus tentationis*, qui et lacrymas æque fundat; et tentationes, quæ minime unquam desunt vitæ hominis super terram, prospiciat. Sed et populus gentium, qui ambulabat in tenebris, nunquam per se laqueos tentationum agnoscere, ac per hoc nec evadere potuit, donec per gratiam illius qui illuminat cæcos, recepit oculos fidei, donec venit ad Ecclesiam, quæ habet oculum tentationis; donec se tradidit viris spiritualibus instruendum, qui illuminati spiritu sapientiæ, suo et experimento docti, possunt veraciter dicere quia non ignoramus astutias diaboli, et cogitationes ejus (*11 Cor. 11, 11*).

2. Ferunt in Engaddi arbusculas balsami crescere, quæ in modum vinearum ab indigenis excoluntur: et inde forsitan vineas appellavit. Alioquin quid faceret botrus Cypri in vineis Engaddi? quis unquam botros de vineis in vineas transportavit? solet siquidem vinum, ubi deest, aliunde evelli, non ubi adest. Ergo vineas Engaddi dicit plebes Ecclesiæ, quæ habet balsami liquorem, spiritum mansuetudinis, in quo parvulorum adhuc in Christo teneritudinem blande fovet, et dolores poenitentium consolatur. Sed et si quis frater in aliquo delicto præoccupatus fuerit, vir ecclesiasticus, qui hunc spiritum jam accepit, curabit huiusmodi mox instruere in eodem spiritu lenitatis, considerans se ipsum, ne et ipse tentetur (*Galat. 6, 1*). In hoc typo quotquot baptizandi sunt, etiam corporaliter Ecclesia oleo materiali ungere consuevit.

3. Quia vero vulnera illius qui incidit in latrones, et jumento corporis pii Samaritani, Ecclesiæ est deportatus in stabulum, non in solo oleo, sed in vino simul et oleo sanitatem recipiunt (*Luc. 10, 30-34*): necessarium habet spiritualis medicus etiam vinum fervidi zeli cum oleo mansuetudinis, cui sane convenit non modo consolari pusillanimes, sed et corripiere inquietos. Si enim viderit illum qui vulneratus est, id est qui peccavit, blandis ac lenibus hortamentis, quæ in eum prærogata sunt, minime emendatum, magis autem forte etiam abuteutem sua

mansuetudine, et patientia negligentiorum fieri, et in peccato suo etiam securius obdormire: frustrato tam suavi oleo monitorum, oportebit sane mordacioribus uti medicamentis, et vinum compunctionis infundere; duris videlicet cum eo increpationibus atque invectionibus agere, et, si causa requirit, et duritia tanta est, etiam censuræ ecclesiasticæ baculo percellere contemptorem. Sed unde illi hoc vinum? Nec enim in vineis Engaddi vinum invenitur, sed oleum. Quærat ergo in Cypro: nam illa insula ferax est vini, et vini optimi, tollensque **1421** inde sibi ingentem botrum, quem olim exploratores de Israel in vecte ferebant (*Num. xiii, 24*), chorum propheticum præcedentem, et subsequentem apostolicum, medium autem Jesum pulchro schemate figurantes: hunc ergo botrum accipiens sibi dicat: *Botrus Cypri dilectus meus mihi.*

4. Vidimus botrum; videamus qualiter zeli vinum exprimat ex eo. Etenim si peccanti homini homo peccator minime indignatur, sed magis quasi quendam ei suavissimi balsami rorem sudans pium exhibet compassionis affectum; hoc scimus unde venit, et jam audistis, sed non advertistis forsitan. Dicitum namque est, quod ex consideratione sui ipsius cuique veniat mansuetum esse ad omnes, dum homo consilio sapientissimi Pauli, ut pie condescendere sciat præoccupatis in peccato, considerat se ipsum, ne et ipse tentetur? (*Galat. vi, 4*). An non hinc denique amor proximi radicem trahit, de quo in lege mandatur: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum?* (*Luc. x, 27*.) Ex intimis sane humanis affectibus primordia ducit sui ortus fraterna dilectio, et de insita homini ad se ipsum naturali quadam dulcedine, tanquam de humore terreno, sumit procul dubio vegetationem et vim, per quam, spirante quidem gratia desuper, fructus parit pietatis: ut quod sibi anima naturaliter appetit, naturæ consorti, id est alteri homini, jure quodam humanitatis, ubi poterit et oportuerit, non existimet denegandum, sed sponte ac libens impertiat. Inest ergo naturæ, si peccato non obsolescat, istiusmodi gratæ et egregiæ quasi suavitatis liquor, ut molliorem magis ad compatiendum peccantibus, quam ad indignandum asperiores sese sentiat et exhibeat.

5. Verum quia, juxta Sapientis sententiam, *musca morituræ exterminant hoc suavitatis unguentum* (*Eccle. x, 1*), et minime habet in se natura unde id reparet sibi semel amissum, sentit se dolenda mutatione corrui in illud, quod veraciter ait Scriptura: *Proni sunt sensus hominis et cogitationes in malum ab adolescentia* (*Gen. viii, 21*). Non bona adolescentia, in qua filius junior portionem sibi paternæ substantiæ postulat sequestrari, et bonum incipit velle dividere, quod in commune dulcius possidetur; et habere solus, quod participatione non minuitur, partitione amittitur. Denique: *Omnia, inquit, bona sua dissipavit vivendo luxuriose cum meretricibus* (*Luc. xv, 11, 13*). Quænam hæc meretrices? Vide ne ipse sint quæ exterminant suavitatis unguentum, carnales videlicet

concupiscentiæ, de quibus saluberrime Scriptura te admonens: *Post concupiscentias, inquit, tuas non eas* (*Eccle. xviii, 30*). Et merito morituras describit Sapiens; quoniam et mundus transit, et concupiscentia ejus (*I Joan. ii, 17*). His ergo, dum satisfacere singulariter volumus, boni nos socialis atque communis singulari suavitate privamus. Hæc prorsus muscæ sordidæ et pungentes, quæ in nobis decorem naturæ fœdant, mentem curis et sollicitudinibus lacerant, socialis gratiæ suavitatem exterminant. Hinc homo junior filius appellatur, quod natura, quodam insensatæ lubrico adolescentiæ depravata, omnem virilis maturitatis ac sapientiæ succum amiserit; et, versus in asperum, arente animo præter se universos despiciat, factus sine affectione.

6. Igitur ab ineunte adolescentia ista pessima atque miserrima prona sunt sensus hominis et cogitationes in malum, et natura ad indignandum quam ad compatiendum paratior. Iude homo tanquam omnino exutus hominem, in quo vult sibi, cum opus habet, ab hominibus subveniri, non vult ipse hominibus opus habentibus subvenire. Magis autem judicat, spernit, irridet homo homines, delinquentes peccator, non considerans se ipsum, ne et ipse tentetur. A quo malo minime per se, ut dixi, natura resurget, neque recuperabit oleum ingenitæ mansuetudinis, quod semel est exterminatum in ea. Veruntamen quod non potest natura, potest gratia. Quem ergo hominum unctio spiritus miserata, perfundere denuo sua benignitate dignabitur, is continuo revertetur in hominem, insuper et aliquid melius a gratia quam a natura **1422** recipiet. In fide et lenitate sanctum faciet illum, et dabit illi non oleum, sed balsamum in vineis Engaddi.

7. Nec enim dubium ex fonte hædi profluere charismata meliora, ejus utique unctio hædos verti in agnos, et de sinistra transfert in dexteram peccatores, abundantius quidem ante perfusus unctio misericordiæ, ut, ubi abundaverunt delicta, superabundet et gratia (*Rom. v, 20*). An non vere videtur tibi redisse quodammodo is homo in hominem, qui animæ sæcularis feritate deposita, et recuperata, etiam cum fenore gratiæ, humanæ unctio mansuetudinis, quam in ipso muscæ carnalium cupiditatum penitus exterminarant; de suo quem gestat homine, imo qui ipse est, et materiam sumit, et formam miserendi hominibus aliis, ita ut tanquam feralem quendam rictum exhorreat [*alias, ritum exhorreat*], non solum cuiquam facere hominum quod pati ipse nolit, sed etiam non facere omnia omnibus quæcunque sibi fieri velit?

8. En unde oleum. Vinum unde? Profecto ex botro Cypri. Etenim, si amas Dominum Jesum toto corde, tota anima, tota virtute tua; nunquid si videris ejus injurias, contemptumque, ferre ullatenus æquo animo poteris? Minime: sed mox arreptus spiritu judicii et spiritu ardoris, et tanquam potens crapulatus a vino (*Psal. lxxvii, 65*), repletus zelo Phinees, dicces cum David: *Tabescere me fecit zelus meus, quia*

obliti sunt verba tua inimici mei (Psal. cxviii, 159); A et cum Domino : *Zelus domus tuæ comedit me (Psal. lxxviii, 10; Joan. ii, 17)*. Vinum est ergo fervidissimus zelus iste, expressum de botro Cypri, et calix inebrians Christi amor. Denique Deus noster ignis consumens est (*Deut. iv, 24*), et propheta ignem dicebat de excelso missum in ossibus suis (*Thren. i, 13*), eo quod divino amore flagraret. Hebens itaque ex fraterno oleum mansuetudinis, et ex divino amore vinum æmulationis, securus accede ad sananda vulnera illius qui incidit in latrones, piissimi Samaritani optimus imitator. Secure quoque dicit et tunc cum sponsa, *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi* : hoc est, Zelus justitiæ, amor dilecti mei mihi in affectibus pietatis. Et de hoc satis. Nam et infirmitas mea pausandum indicit, sicut et sæpe B facit; ita ut plerumque cogar imperfectas, ut ipsi scitis, relinquere disputationes, residuaque capitulorum in diem alterum reservare. Sed quid? Ego in flagella paratus sum (*Psal. xxxviii, 18*), sciens me adhuc recipere longe imparia meritis. Vapulem sane, vapulem ut male operans, si forte verbera in merita reputentur: fortassis miserabitur flagellato, qui bonum in me non invenit quod remuneret, sponsus Ecclesiæ Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XLV.

De duplici pulchritudine animæ; et qualiter anima loquitur ad Dei-Verbum, et Verbum ad animam; et quæ sint eorum linguæ.

1. *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra; oculi tui columbarum (Cantic. i, 14)*. Pulchre, optime, ex amore, sponsæ præsumptio; ex amore, indignatio sponsi. Hoc rei exitus probat. Etenim præsumptionem correptio, correptionem emendatio, emendationem remuneratio secuta est. Adest dilectus, amovetur magister, rex disparet, dignitas exiit, reverentia ponitur. Cedit quippe fastus, ubi invalescit affectus. Et sicut quondam quasi amicus ad amicum Moyses loquebatur (*Exod. xxxiii, 11*), et Dominus respondebat: ita et nunc inter Verbum et animam, ac si inter duos vicinos, familiaris admodum celebratur confabulatio. Nec mirum. Ex uno amoris fonte natrique influit diligere invicem, confoveri pariter. Ergo dulciora melle volant hinc inde verba, mutui in se totius suavitatis feruntur aspectus, sancti indices amoris. Denique is ilam amicam nuncupat, pulchram pronuntiat, pulchram iterat, eadem ab illa vicis im recipiens. Nec otiosa iteratio, quæ amoris confirmatio est, et fortassis aliquid innuit requirendum.

1423 2. Queramus geminam animæ pulchritudinem: hoc enim mihi videtur inuere. Decor animæ humilitas est. Non a me ipso hoc dico, cum propheta prior dixerit: *Asperges me hyssopo, et mundabor (Psal. l, 9)*; humili herba et pectoris purgativa humilitatem significans. Hac se post gravem lapsum rex et propheta lavari confidit, et sic niveum quemdam innocentiam recuperare candorem. Verum in eo qui

graviter peccavit, etsi amanda, non tamen admiranda humilitas. At si quis innocentiam retinet, et nihilominus humilitatem jungit, nonne is tibi videtur geminam animæ possidere decorem? Sancta Maria sanctimoniam non amisit, et humilitate non caruit: et ideo concupivit Rex decorem ejus, quia humilitatem innocentiam sociavit; denique: *Respexit, inquit, humilitatem ancillæ suæ (Luc. i, 48)*. Ergo beati qui custodiunt vestimenta sua munda, videlicet simplicitatis et innocentie, si tamen et decorem inducere humilitatis adjiciant. Profecto audit quæ hujusmodi invenitur: *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra*. Utinam vel semel dicas animæ meæ, Domine Jesu: *Ecce tu pulchra es*. Utinam mihi humilitatem custodias! nam primam vestem ego male servavi. B Servus tuus sum ego. Nec enim audeo profiteri amicum, qui testimonium decoris mei cum repetitione non audio. Sufficit mihi si semel audiam. Sed quid, si et hoc in quæstione sit? Scio quid faciam: venerabor amicam servus, cumulatam in ea decorem deformis homunculus admirabor; gaudebo ad vocem sponsi, tantam nihilominus pulchritudinem admirantis. Quis scit, si saltem ex hoc inventurus sim gratiam in oculis amicæ, ut gratia ipsius et ipse inveniar inter amicos? Denique amicus sponsi stat, et gaudio gaudet propter vocem sponsi. En vox ejus in auribus dilectæ: audiamus et gaudeamus. Adsunt sibi, loquuntur pariter; stemus simul: nulla non huic subducat colloquio sæculi cura, nulla illecebra corporis.

C 3. *Ecce, inquit, tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra. Ecce admirationis vox est, reliquam laudis. Mesito admiranda, cui sanctitas amissa humilitatem non attulit, sed servata admisit. Merito pulchra reperitur, cui neutra defuit pulchritudo. Rara avis in terris, aut sanctitatem non perdere, aut humilitatem sanctimonia non excludi: et ideo beata quæ utramque retinuit. Denique probatum est: nihil sibi conscia est, et correptionem non abnuat. Nos et cum magna delinquimus, vix ferimus reprehendi; hæc autem æquo animo audit contra se amaritudines nihil peccans. Nam, si desiderat videre claritatem sponsi, quid mali est? magis et laudis est. Et tamen increpata pœnitentiam agit, et dicit: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur (Cantic. i, 12)*: hoc est: Sufficit mihi, nolo jam scire nisi Jesum, et hunc crucifixum. Magna humilitas! Actu innocens suscipit pœnitentis affectum; et quæ non habet unde pœniteat, habet tamen ut pœniteat. Cur ergo, inquis, increpata est, si nihil mali fecit? Sed enim audi nunc dispensationem et prudentiam sponsi. Sicut Abraham olim obedientia sane tentata est, ita et nunc humilitas sponsæ. Et quomodo ille impleta obedientia tunc audivit: *Nunc cognovi quod timeas Deum (Gen. xxi, 12)*: sic et huic modo quasi sub aliis verbis dicitur: Nunc cognovi quod humilis sis; hoc enim est quod ait: *Ecce tu pulchra es*. Et ideo præconium iterat, ut gloriæ sanctitatis additum signet humilitatis deco-*

rem. *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra.* Nunc cognovi quod pulchra sis, non solum ex meo amore, sed etiam ex tua humilitate. Non dico nunc pulchram inter mulieres, nec pulchram in generis, nec in collo, sicut ante dicebam: sed pulchram simpliciter fateor, non utique pulchram ex comparatione, non cum distinctione, non ex parte.

4. Et addit: *Oculi tui columbarum.* Aperte adhuc commendatur humilitas. Ad hoc siquidem respicit, quod illa reprehensa de alta inquisitione sua, continuo non cunctata est ad simpliciora descendere, ita ut diceret: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* Multum profecto distat inter vultum gloriæ, et fasciculum **1424** myrrhæ: et ideo magnum humilitatis insigne, inde huc acquiescere revocari. *Ergo oculi tui columbarum.* Jam, inquit, non ambulans in magnis, neque in mirabilibus super te: sed instar simplicissimæ volucris contenta es simplicioribus, nidificans in foraminibus petræ, meis vulneribus immorans, et libenter ea quæ sunt de me duntaxat incarnato et passo, oculo intuens columbino.

5. Aut certe quia in specie avis hujus Spiritus sanctus apparuit (*Math. iii, 16*), spiritualis magis quam simplex in ea intuitus columbæ nomine commendatur. Et si hoc placeat, oportet referas capitulum præsens ad id quod paulo ante sodales muræ-nulas ei facere aureas promiserunt (*Cantic. i, 10*), non intendentes, ut tunc docui, ornare aures corporis, sed informare auditum cordis (supra, *serm. 41, n. 2-4*). Potuit itaque fieri, ut fide, quæ est ex auditu, corde amplius mundato, ad videndum quod ante non poterat, instructor redderetur. Et quoniam de acceptis muræ-nulis in visu acutiori ad intelligentiam spiritualem visa est profecisse; placuit sponso, cui semper, quod in se est, placet magis videri in spiritu; et annumerans id quoque ejus laudibus, ait: *Oculi tui columbarum.* Jam me, inquit, intueri in spiritu, quia spiritus ante faciem tuam Christus Dominus (*Thren. iv, 20*). Et habes unde id possis, quia *oculi tui columbarum.* Ante non habebas, et ideo reprimenda fuisti: sed nunc copiam habeto vivendi, quia *oculi tui columbarum*, id est spirituales. Non sane copiam quam petebas: nec enim vel modo adhuc ad illam potes, sed quæ tamen interim sufficere possit. Sane ducenda es de claritate in claritatem: et propterea vide, ut potes, modo; et cum plus poteris, plus videbis.

6. Non puto, fratres, non puto mediocrem hanc, neque communem esse omnibus visionem, etsi sit inferior illa, qua videndus est in futuro. Denique ex his quæ sequuntur advertite. Sequitur enim: *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, ecce tu pulcher.* Vides quam in excelso stat, et in sublime mentis verticem extulit, quæ universitatis Dominum quadam sibi proprietate vindicat in dilectum. Attende enim quomodo non simpliciter, *Dilecte*; sed, *dilecte mi*, inquit, ut proprium designaret. Magna visio prorsus, de qua ista in id fiducia et auctoritatis exerevit, ut om-

nium Dominum, dominum nesciat, sed dilectum. Existimo enim nequaquam hac vice ejus sensibus importatas imagines carnis, aut crucis, aut alias quascunque corporearum similitudines infirmitatum. In his namque, juxta prophetam, *non erat ei species neque decor* (*Isai. lxxii, 2*). Hæc autem eum intuita, nunc pulchrum decorumque pronuntiat, in visione meliori illum sibi apparuisse significans. Ore enim ad os, sicut quondam cum sancto Moyse (*Exod. xxxiii, 11*), loquitur cum sponsa; et palam, non per ænigmata et figuras, Deum videt. Talem denique ore pronuntiat, qualem et mente conspiciatur, visione plane sublimes et suavi. Regem in decore susceperunt oculi ejus, non tamen ut regem, sed ut dilectum. Viderit sane eum quis super solum excelsum et elevatum; et alius quoque facie ad faciem sibi apparuisse testatus sit: mihi tamen videtur eminentia in hac parte esse apud sponsam, quod ibi visus legitur Dominus, hic dilectus. Sic enim habes: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, et elevatum* (*Isai. vi, 1*); et item: *Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea* (*Gen. xxxii, 50*). Sed si ego Dominus, inquit, ubi est timor meus? (*Malach. i, 6*). Quod si illis facta est revelatio cum timore; quia ubi Dominus, ibi timor: ego profecto, si optio daretur, tanto libentius, tantoque charius sponsæ amplecterer visionem, quanto in meliori affectione, quæ est amor, factam adverto. Nam timor pœnam habet, perfecta autem charitas foras mittit timorem (*I Joan. iv, 18*). Multum sane interest apparere terribilem in consiliis super filios hominum (*Psal. lxxv, 15*), et apparere speciosum forma præ filiis hominum (*Psal. xlii, 5*). *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus.* Verba ista plana amorem resonant, non timorem.

7. Sed forte ascendunt cogitationes in corde tuo, et quæris dubius apud te, dicens: Qua ratione verba Verbi facta ad animam referuntur, et rursus animæ ad **1425** Verbum, ut illa audierit vocem loquentis sibi, et perhibentis quod pulchra sit, vicissimque idem præconium suo mox reddiderit laudatori? Quomodo possunt hæc fieri? Nam verbo loquimur, non verbum loquitur. Itaque anima non habet unde loquatur, nisi os corporis sibi verba formaverit ad loquendum. Bene quæris: sed attende spiritum loqui, et spiritualiter oportere intelligi quæ dicuntur. Quoties proinde audis vel legis, Verbum atque animam pariter colloqui, et se invicem intueri; noli tibi imaginari quasi corporeas intercurren-tes voces, sicut nec corporeas colloquentium apparere imagines. Audi potius quid tibi sit in hujusmodi cogitandum. Spiritus est Verbum, spiritusque anima, et habent linguas suas, quibus se alterutrum alloquantur, præsentibusque indicent. Et Verbi quidem lingua favor dignationis ejus: animæ vero, devotivus fervor. Elinguis est anima atque infans quæ hanc non habet, et non potest ipsi ullatenus sermocinatio esse cum Verbo. Ergo hujusmodi linguam suam cum Verbo movet, volens ad animam loqui, non

potest anima non sentire. *Vivus est enim sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, per- tingens usque ad divisionem anime et spiritus* (Hebr. iv, 12). Et rursus cum sua anima [alias male animam] movet, Verbum latere multo minus poterit; non solum quia ubique est præsens, sed propter hoc magis, quod, nisi ipso stimulante, devotionis lingua minime ad loquendum movetur.

8. Verbo igitur dicere animæ, *pulchra es*, et appellare amicam, infundere est unde et amet, et se præsumat amari. Ipsi vero Verbum vicissim nominare dilectum, et fateri pulchrum; quod amat et quod amatur, sine fictione et fraude adscribere illi, et mirari dignationem, et stupere ad gratiam. Siquidem pulchritudo illius dilectio ejus; et ideo major, quia præveniens. Medullis proinde cordis et intimarum vocibus affectionum tanto amplius atque ardentius clamat sibi diligendum, quanto id prius sensit diligens quam dilectum. Itaque locutio Verbi infusio doni, responsio animæ cum gratiarum actione admiratio. Et idcirco plus diligit, quod se sentit in diligendo victam: et ideo plus miratur, quod præventam agnoscit. Unde non contenta est semel dicere pulchrum, nisi repetat et decorum, eminentiam decoris illa repetitione designans.

9. Aut certe in utraque Christi substantia dignam expressit omni admiratione decorem, in altera naturæ, in altera gratiæ. Quam pulcher es angelis tuis, Domine Jesu, in forma Dei, in die æternitatis tuæ, in splendoribus sanctorum ante luciferum genitus, splendor et figura substantiæ Patris, et quidem perpetuus minimeque fucatus candor vitæ æternæ! Quam mihi decorus es! Domine mi, in ipsa tui hujus positione decoris! Etenim ubi te exinanivisti, ubi naturalibus radiis lumen indeficiens exuisti; ibi pietas magis emicuit, ibi charitas plus effulsit, ibi amplius gratia radiavit. Quam clara mihi oriris Stella ex Jacob (*Num. xxiv, 17*), quam lucidus Flos cæ radice Jesse egredieris (*Isai. xi, 1*), quam jucundum lumen in tenebris visitasti me, Oriens ex alto! (*Luc. 1, 78*). Quam spectabilis et stupendus etiam Virtutibus supernis in conceptu de Spiritu, in ortu de Virgine, in vitæ innocentia, in doctrinæ fluentis, in coruscationibus miraculorum, in revelationibus sacramentorum! Quam denique rutilans post occasum, Sol justitiæ, de eorde terræ resurgis! quam formosus in stola tua demum (*Isai. lxiii, 1*), Rex gloriæ, in alta cælorum te recipis! Quomodo non pro his omnibus *omnia ossa mea dicunt: Domine, quis similis tui* (*Psal. xxxiv, 10*).

10. Hæc ergo similiaque puta in dilecto intuitem sponsam advertisse, cum diceret: *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus*. Neque hæc sola, sed insuper aliquid procul dubio de naturæ decore superioris, quod nostrum omnino prætervolat intuitum, et effugit experimentum. Ergo iteratio utriusque decorem substantiæ designavit. Audi deinde quo modo tripudiat ad aspectum affatumque dilecti, et coram ipso nuptiali carmine quæ amoris sunt gra-

tulabunda decantat. Sequitur enim: *Lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina*. Sed servemus recentiori principio sponsæ cantilenam, ut et nos de quiete facti alacriores, liberius exultemus et lætemur in ea ad laudem et gloriam sponsi ipsius Jesu Christi Domini nostri, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XLVI.

De statu et compositione totius Ecclesiæ. Item, quomodo per activam vitam, quæ sub obedientia agitur, perveniatur ad contemplativam.

1. *Lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina laquearia nostra cypressina* (*Cantic. 1, 15, 16*). Epithalamium canit, cubile et thalamos pulchro sermone describens. Sponsum invitat ad requiem. Hoc enim melius, quiescere et cum Christo esse. Necessarium autem exire ad lucra propter salvandos. Verum nunc opportunitate, ut putat, inventa, ornatum nuntiat thalamum, lectulumque velut digito monstrans, dilectum, ut dixi, invitat ad requiem, et cum euntibus in Emmaus cordis ardorem non sustinens, ad mentis pertrahit hospitium, secum pernoctare compellit (*Luc. xxiv, 29, 32*), et cum Petro loquitur: *Domine, bonum est nos hic esse* (*Matth. xvii, 4*).

2. Jam quid spiritualiter ista continent, requiramus. Et in Ecclesia quidem lectum in quo quiescit, claustra existimo esse et monasteria, in quibus quiete a curis vivitur sæculi, et sollicitudinibus vitæ. Atque is lectus floridus demonstratur, cum exemplis et institutis patrum, tanquam quibusdam læne olentibus respersa floribus, fratrum conversatio et vita refulget. Porro domos populares conventus intellige Christianorum: quos hi qui in sublimitate positi sunt, christiani utique utriusque ordinis principes, quasi tigna parietes, justis impositis legibus fortiter stringunt, ne sua quique lege vel voluntate viventes, tanquam parietes inclinati et maceriæ depulsæ dissideant a semetipsis, et sic omnis structura ædificii corruens dissipetur. Laquearia vero quæ a tignis firmiter pendent, et domos insigniter ornant, puto bene instituti cleri mansuetos et disciplinatos mores, riteque administrata officia designare. Quomodo namque stabunt ordines clericorum, et administrationes eorum, si non principum, tanquam tignorum beneficio et munificentia sustententur, et prolegantur potentia?

3. Quod autem tigna cedrina, et cypressina laquearia describuntur, natura absque dubio habet in his speciebus lignorum, quod congruat præfatis ordinibus. Et cedrus quidem quoniam imputribile est, necnon et odoriferum, altæque proceritatis lignum, satis indicat quales oporteat assumi virus in vices tignorum. Ergo validos et constantes necesse est esse eos, qui super alios ordiuntur, necnon et longanimes in spe, atque ad superna mentis verticem attollentes, qui etiam bonum fidei sæ et conversationis ubique odorem spargentes, dicere

cum Apostolo possint : *Christi enim bonus odor sumus Deo in omni loco (II Cor. ii, 15)*. Cypressus item, boni æque odoris et imputribile similiter lignum, incorruptæ vitæ et fidei etiam quemvis de clero debere esse demonstrat, ut merito decori domus ac laquearium ornatui deputetur. Scriptum est enim : *Domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum (Psal. xcii, 5)*. Ubi sane et sanctimoniam decus, et indeficientis gratiæ expressa perseverantia est. Oportet ergo virum, qui ad ornamentum et decorem assumitur domus, bonis ornatum moribus esse; et quamvis semper ipse sit intus, bonum tamen testimonium habere et ab his qui foris sunt. Sunt et alia in natura lignorum horum competentia his, quæ spiritualiter disseruntur : sed brevitatis causa prætereo.

4. Notandum vero pulchre omnem Ecclesiæ statum brevi uno versiculo comprehensum; auctoritatem scilicet prælatorum, cleri decus, populi disciplinam, monachorum quietem. In horum prorsus, cum recte sunt omnia, sancta mater Ecclesia consideratione lætatur, et tunc ea quoque offert intuenda dilecto, cum ad ejus, tanquam omnium auctoris, refert omnia **1427** bonitatem, nihil sibi ex omnibus tribuens. Nam quod ait, *noster et nostrarum*, non usurpationis est signum, sed dilectionis : quod nimiam videlicet fiducia charitatis, nihil ejus, quem valde diligit, a se æstimet alienum. Nec enim se sponsi contubernio, aut quietis ejus putat arcendam consortio, quæ semper non quæ sua, sed quæ illius sunt, quærere consuevit : et hæc causa, cur sibi et sponso simul, sive lectulum, sive domos ausa sit prænuñtiare communes. Dixit enim : *Lectulus noster; et, signa domorum nostrarum; et, laquearia nostra* : audacter se in possessione associans, cui junctam non dubitat in amore. Non ita illa, quæ propriæ voluntati nondum abrenuntiavit, sed per se jacet, per se habitat : magis autem non per se, sed cum meretricibus luxuriose vivendo conversatur, concupiscentias loquor carnis, cum quibus dissipat bona sua, et portionem substantiæ quam sibi dividi postulavit (*Juc. xv, 12, 13*).

5. Cæterum tu qui has Spiritus sancti voces audis vel legis, putasne aliqua horum quæ dicuntur, valeas applicare tibi, ac de felicitate sponsæ, quæ hoc amoris carmine ab ipso Spiritu canitur, aliquid recognoscere in temetipso, ne dicatur et tibi, quia vocem ejus audis, et non scis unde veniat, aut quo vadat? En forte appetis et ipse contemplationis quietem, et bene facis : tantum ne obliviscaris flores, quibus lectulum sponsæ legis aspersum. Ergo cura et tu tuum similiter circumdare bonorum floribus operum, virtutum exercitio, tanquam flore, fructum sanctum otium prævenire. Alioquin delicto satis otio dormitare voles, si non exercitatus quiescere appetas, et Liæ fecunditate neglecta, solis cupias Rachelis amplexibus oblectari. Sed et

(207) In editis passim hic additur *sua inobedientia coinquinaverint*. At hoc comma deest in plerisque manuscriptis : et vero in idem recidit cum su-

perposterus ordo est, ante meritum exigere præmium, et ante laborem sumere cibum, cum dicat Apostolus : *Qui non laborat non manducet (II Thess. iii, 10)*. A *mandatis tuis intellexi*, inquit (*Psal. cxviii, 104*) : ut scias, nisi obedientiæ mandatorum contemplationis gustam penitus non deberi. Non igitur putes de propriæ amore quietis, sanctæ obedientiæ actibus, seniorumve traditionibus præjudicium ullatenus faciendum. Alioquin non dormiet tecum sponsus in lecto uno [*alias*, lectulo uno], illo præsertim, quem tibi pro obedientiæ floribus, cicutis atque urticis inobedientiæ aspersisti. Propter quod non exaudiet orationes tuas, vocatusque non venit : nec enim dabit inobedienti copiam sui tantus obedientiæ amator, ut [*alias* qui] mori quam non obedire maluerit. Sed neque approbat inæ contemplationis inane otium, qui dicit per prophetam : *Laboravi, sustinens (Jerem. vi, 11)*; significans tempus, quo exsul cælo et patria summæ quietis, operatus est salutem in medio terræ. Magis autem vereor, ne te quoque involvat formidolosa illa sententia, ita intonans in perfidiam Judæorum : *Neomenias vestras, et sabbata, et festivitates alias non feram; item : Calendas vestras et solemnitates vestras odit anima mea, facta sunt mihi molesta (Isai. i, 13, 14)*. Et iugebit super te propheta, et dicet : *Viaerunt cum hostes, et deriserunt sabbata ejus (Thren. i, 7)*. Cur enim quod dilectus repudiat, non irrideat inimicus.

6. Miror valde impudentiam aliquorum qui inter nos sunt, qui, cum omnes nos sua singularitate turbaverint, sua impatientia irritaverint, sua contumacia et rebellione contempserint (207), audent nihilominus ad tam sordidum conscientiæ suæ lectulum omni orationum instantia totius puritatis Dominum invitare. *At cum extenderitis, ait, manus vestras, avertam oculos meos, et cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam (Isai. i, 15)*. Quid enim? lectulus non est floridus, magis autem et putidus est; et tu illuc Regem gloriæ trahis? Ad pausandum hæc facis, an ad causandum? Centurio vetat illum intrare sub tectum suum propter suam indignitatem, cujus tamen fides in universo redolet Israel (*Matth. viii, 8, 10*) : et tu ad te compellis intrare, tantorum sordens spurcitiis vitiorum? Clamat apostolorum princeps : *Exi a 1428 me, Domine, quia homo peccator sum (Luc. v, 8)*; et tu dicis : *Intra ad me, Domine, quoniam sanctus sum? Omnes, inquit, unanimes in oratione estote, fraternitatem diligite (I Petr. ii, 17)*. Et vas electionis : *Lev ntes puras manus, ait, sine ira et disceptatione (I Tim. ii, 8)*. Videsne quomodo concordent sibi, et eodem spiritu de pace et tranquillitate animi, quam habere debet ille qui orat, loquantur princeps apostolorum, et doctor gentium? Perge ergo tu tota die expandere ad Deum manus tuas, qui fratres tota die molestas, unanimitatem impugnas, ab unitate te separas.

In primis quidem editis legitur, sed omisso præcedenti, *sua contumacia et rebellione contempserint*.

7. Et quid me vis facere, inquis? Profecto ut primo quidem emundes conscientiam ab omni inquinamento iræ et disceptationis, et murmuris, et livoris; et quidquid omnino adversari cognoscitur aut paci fratrum, aut obediendi seniorum, de cordis habitaculo eliminare festines. Deinde etiam circumdare tibi flores bonorum quorumcumque actuum et laudabilium studiorum, atque odorama virtutum; id est, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ; hæc cogitare (*Philipp. iv, 8*), in his exerceri curato. Ad istiusmodi secure vocabis sponsum: quoniam cum introduxeris eum, veraciter dicere poteris et tu, quia *lectulus noster floridus*, redolente nimirum conscientia pietatem, sed pacem, sed mansuetudinem, sed justitiam, sed obedientiam, sed hilaritatem, sed humilitatem. Et de lectulo quidem sic.

8. Dominum vero Dei spirituales se ipsum quisque agnoscat, qui tamen jam non in carne ambulet, sed in spiritu: *Templum enim Dei, ait, sanctum est, quod estis vos (I Cor. iii, 17)*. Curate ergo, fratres, spirituali huic ædificio, quod vos estis, ne forte cum in superiora proficere cœperit, vacillet et corruat, si lignis fortibus non fuerit subnixum et colligatum: curate, inquam, illi tigna dare imputribilia et immobilia; timorem videlicet Domini castum, illum, qui permanet in sæculum sæculi (*Psal. xviii, 10*); patientiam, de qua scriptum est quia *patientia pauperum non peribit in finem (Psal. ix, 19)*; longanimitatem quoque, quæ sub quovis structuræ pondere inflexibilis perseverans, in infinita sæcula vitæ beatæ protenditur, Salvatore loquente in Evangelio: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (Matth. x, 22)*; magis autem super omnia charitatem, quæ nunquam excidit, quia *fortis est, inquit, ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio (Cantic. viii, 6)*. Studete deinde his tignis substernere et alligare ligna alia æque pretiosa et pulchra, cui tamen illa ad manum fuerint in opus laquearium ad decorem domus; sermonem scilicet sapientiæ sive scientiæ, prophetiam, gratiam curationum, interpretationem sermonum, et cætera talia, quæ magis noscuntur sane apta ornatui, quam necessaria fore salutis. De his præceptum non habeo, consilium autem do: quoniam quidem istiusmodi ligna constat et laboriose quæri, et difficile inveniri, et periculose elaborari (nam et rara ea, præsertim his temporibus, terra nostra producere reperitur), consulo sane et moneo non multopere ista requiri; magis autem ex lignis aliis laquearia præparari, quæ etsi minus appareant splendida, non minus tamen valida esse probantur, insuper et facilius possidentur, et tutius.

9. Utinam et mihi illorum suppetat copia lignorum, quibus hortus Sponsi Ecclesia copiose densatur, pax, bonitas, benignitas, gaudium in Spiritu sancto, misereri in hilaritate, tribuere in simplici-

tate, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus (*Rom. xii, 8, 15*). An non tu illam domum (quod ad laquearia spectat) satis abundeque ornata censeas, quam talibus lignis inspexeris sufficienter compositæque tabulatam? Domine, dilexi decorem domus tuæ (*Psal. xlv, 8*). Semper da mihi ligna hæc, quæso, **1429** quibus tibi semper ornatum exhibeam thalamum conscientiæ: conscientiæ dico et meæ, et alterius. His contentus ero. Erunt et qui meo in hac re consilio acquiescere volent, quia et te puto fore contentum: cætera sanctis apostolis, et viris apostolicis derelinquo. Sed et vos, dilectissimi, tametsi illa ligna non habeatis; nihilominus tamen, si hæc habetis, confidite; nihilominus cum omni fiducia accedite ad lapidem summum, angularem, electum, pretiosum; nihilominus super fundamentum apostolorum et prophetarum et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini, domos spirituales, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo, per Jesum Christum (*Ephes. ii, 19-22, et I Petr. ii, 4-9*, sponsum Ecclesiæ, Dominum nostrum, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XLVII.

De triplici flore, scilicet virginitalis, martyrii et bonæ operationis; et de devotione habenda circa divinum officium.

1. *Ego flos campi, et lilium convallium (Cantic. ii, 1)*. Ad hoc respicere puto quod sponsa de respersis lectulum floribus commendarat. Ne enim sibi flores adscriberet illos, quibus lectulus decoratus, et venustatus thalamus videbatur, infert sponsus se esse florem campi; nec de thalamo sane prodire flores, sed de campo; et suo munere et sui participatione fieri quod renitet, et quod redolet. Ne quis ergo exprobrare illi posset, et dicere: *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis (I Cor. iv, 7)*? ipse dilectæ suæ, sicut ambitiosus amator, ita informator benignus, pie illi dignanterque demonstrat, cui nitorem, de quo gloriabatur, ac suaveolentiam lectuli debeat deputare. *Ego flos campi*, inquit: de me est quod gloriaris. Saluberrime admonetur et ex hoc loco, quia nequaquam gloriari oportet: et si quis gloriatur, in Domino gloriatur (*II Cor. x, 17*). Et secundum litteram istud: nunc jam scrutemur, ipso de quo loquitur, adjuvante, spirituales qui in ea tegitur intellectum.

2. Et primo advertite nunc mihi trifarium quemdam floris statum; in campo, in horto, in thalamo: ut post hoc etiam illud facilius compertum fiat, cur se potissimum campi florem elegerit appellare. Et in campo quidem atque in horto oritur flos, in thalamo autem minime. Redolet et lucet in eo, non tamen erectus et stans, ut in horto vel campo; sed plane jacens, tanquam qui illatus sit, non innatus. Propterea et necesse est sane reparare frequenter, et semper recentiores apponere flores, quod diu odorem suum minime retineant, nec decorem. Quod

si, ut in alio sermone præfatus sum, lectulus re-
 spersus floribus conscientia est bonis referta ope-
 ribus (*Serm. præced. num. 7*); vides certe, ut similitudo
 seruetur, nequaquam sufficere semel vel
 secundo operari quod bonum est, nisi incessanter
 addas nova prioribus, quatenus seminans in bene-
 dictionibus, de benedictionibus et metas. Alioquin
 jacet et marcet flos boni operis atque in brevi omnis
 ex eo et nitor exterminatur, et vigor, si non aliis
 atque aliis superjectis pietatis actibus continue re-
 paratur. Hoc in thalamo.

3. In horto autem non ita : sed neque in campo
 similiter. Ex se enim semel productis floribus assi-
 due subministrant, unde diu in ipsis deus ingenitum
 perseveret. Differunt tamen et ipsi inter se,
 quod hortus quidem ut floreat, hominum manu et
 arte excolitur : campus vero ex semetipso naturali-
 ter producit flores, et absque omni humanæ diligen-
 tiæ adiutorio. Putasne jam tibi videris advertere
 quisnam ille sit campus, nec sulcatus vomere, nec
 defossus sarculo, nec fimo impinguatus, nec manu
 hominis seminatus; honestatus [*alias, venustus*]
 tamen nihilominus nobili illo flore, super quem constat
 requievisse Spiritum Domini? *Ecce*, inquit,
odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit
Dominus (Gen. xxvii, 27). Necdum speciem suam
 ille flos agri induerat, et jam dabat **1430** odorem
 suum, quando eum, ut hoc præ gaudio exclamaret,
 presensit spiritu, corpore marcens sanctus et senex
 Patriarcha, caligans visu, sed odoratu sagax. Non
 se proinde debuit florem thalami protestari, qui flos
 est perpetuo vicens : sed neque item horti, ne hu-
 mano videretur opere generatus. Pulchre autem et
 convenientissime, *Flos campi sum*, ait, qui et absque
 humana industria prodiit, et semel prodeunti nulla
 est deinceps dominata corruptio, ut sermo impleatur
 quem dixit : *Non dabis Sanctum tuum videre corru-
 ptionem (Psal. xv, 10)*.

4. Sed, si placet, accipe et aliam hujus rei ratio-
 nem, ut arbitror, non spernendam. Non enim sine
 causa saepe multiplex spiritus a Sapiente describitur,
 nisi quod sub uno litteræ cortice diversos plerum-
 que sapientiæ intellectus tegere consuevit. Itaque
 juxta præfatam de floribus statu partitionem, flos est
 virginitas, flos martyrium, flos actio bona. In horto
 virginitas, in campo martyrium, bonum opus in
 thalamo. Et bene in horto virginitas, cui familiaris
 verecundia est, fugitans publici, latibus gaudens,
 patiens disciplinæ. Denique in horto flos clauditur,
 qui in campo exponitur, spargiturque in thalamo.
 Et habes : *Hortus conclusus, fons signatus (Cant. iv,*
12). Quod utique claustrum pudoris signat in vir-
 gine, et inviolatæ custodiam sanctitatis : si tamen
 talis fuerit, quæ sit sancta corpore et spiritu. Bene
 item in campo martyrium, dum martyres ludibrio
 omnium exponantur, spectaculum facti et angelis,
 et hominibus. Nonne illorum miseranda vox est in
 psalmo : *Facti sumus opprobrium vicinis nostris,*
subsannatio et illusio his qui in circuitu nostro sunt?

(*Psal. lxxviii, 4*.) Bene quoque in thalamo actio
 bona, quæ conscientiam et quietam facit, et tutam.
 Post bonum denique opus securius in contempla-
 tione dormitur, et tanto quis fiducialius sublimia
 intueri et investigare aggreditur, quanto sibi con-
 scius est minime se propriæ amore quietis chari-
 tatis operibus defuisse.

5. Et hæc omnia secundum aliquid Dominus Jesus.
 Ipse flos horti, virgo virga virgine generatus. Idem
 flos campi, martyr, martyrum corona, martyrii
 forma. Denique foras civitatem eductus est, extra
 castra passus est, in ligno elevatus est, spectandus
 hominibus, subsannandus ab omnibus. Ipse item
 thalami flos, speculum et exemplum totius benefi-
 centiæ, quemadmodum ipse Judæis protestatus est,
 dicens : *Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo*
(Joan. x, 32); et item Scriptura de eo : *Qui per-*
transiit, ait, benefaciendo et sanando omnes (Act. x,
38). Si igitur hæc tria Dominus, quæ fuit causa ut
 e tribus se campi florem makerit appellare? Profecto
 ut eam ad tolerantiam animaret, cui noverat immi-
 nere, si quidem vellet pie vivere in Christo, perse-
 cutionem pati. Id se ergo libentius profiteatur, ad
 quod potissimum vult habere sequacem; atque hoc
 est quod alias dixi, quoniam semper et illa appetit
 quietem, et ille incitat ad laborem, denuntians ei
 quod *per multas tribulationes oportet intrare in re-*
gnum cælorum (Act. xiv, 21). Unde cum nova in
 terris Ecclesia noviter desponsata sibi redire ad
 Patrem disponderet, dicebat ei : *Venit hora ut omnis*
qui interficit vos arbitretur obsequium se præstare
Deo (Joan. xvi, 2); item : *Si me, ait, persecuti sunt,*
et vos persequentur (Joan. xv, 20). Potes et tu in
 Evangelio multa colligere huic denuntiationi malo-
 rum perferendorum similia.

6. *Ego flos campi et lilium convallium*. Illa ergo
 monstrante lectulum, ille vocat ad campum, ad
 exercitium provocat. Non putat quidquam persuasi-
 bilibus fore illi ad ineundum certamen, quam si se
 ipsum certantis aut exemplum proponat, aut præ-
 mium. *Ego flos campi*. Sane utrumvis in hoc ser-
 mone intelligi datur, vel quod sit videlicet pugnantis
 forma, vel quod gloria triumphantis. Utrumque
 mihi, Domine Jesu, et speculum patientis, et præ-
 mium patientis. Utrumque fortiter provocat ac vehe-
 menter accendit. Tu doces manus meas ad prælium
 exemplo virtutis tuæ, tu caput meum post victoriam
 tuæ coronas præsentia majestatis; sive quia pugnan-
 tem te specto, sive **1431** quia te exspecto non
 solum coronantem, sed et coronam : in utroque mi-
 rabiliter tibi me allicis; uterque funis violentissi-
 mus ad trahendum. Trahe me post te : libenter te
 sequor, libentius fruor. Si sic bonus es, Domine,
 sequentibus te, qualis futurus es consequentibus?
Ego flos campi. Qui diligit me, veniat in campum,
 non refugiat mecum et pro me inire certamen, ut
 possit dicere : *Bonum certamen certavi (II Tim.*
iv, 7).

7. Et quoniam non superbi vel arrogantes, sed

humiles potius, qui de se præsumere nesciunt, martyrio idonei sunt; addit se etiam lilium esse convallium, id est humilium coronam, specialem gloriam futuræ exaltationis ipsorum hujus eminentia floris designans. Erit namque cum *omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur* (Isa. xl, 4) : et tunc candor ille vitæ æternæ, lilium plane, non collium, sed convallium, apparebit. *Justus germinabit sicut lilium*, inquit (Osee xiv, 6). Quis justus, nisi humilis? Denique cum se manibus Baptiste servi Dominus inclinaret, et ille expavesceret majestatem, *Sine*, inquit; *sic enim decet nos implere omnem justitiam* (Matth. iii, 15), consummationem profecto justitiæ in humilitatis perfectione constituens. Justus ergo humilis, justus convallis est. Et si humiles inventi fuerimus, germinabimus et nos sicut lilium, et florebit in æternam ante Dominum. An non vere vel tunc maxime se lilium convallium comprobavit, cum *reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ?* (Philipp. ii, 21.) Non ait, corpus nostrum, sed, *corpus humilitatis nostræ* : ut hujus lilii miro et sempiterno candore solos significet humiles illustrandos. Et hæc dicta sint pro eo quod sponsus se florem cæmpi, et lilium esse convallium protestatus est.

8. Jam etiam quid de sua consequenter charissima protestetur, bonum esset audire : sed hora non patitur. Ex Regula namque nostra nihil operi Dei proponere licet (Reg. S. Benedicti, cap. 43). Quo quidem nomine laudum solemniam, quæ Deo in oratorio quotidie persolvuntur, Pater Benedictus ideo vult appellari, ut ex hoc clarius aperiret quam nos operi illi vellet esse intentos. Unde vos moneo, dilectissimi, pure semper ac strenue divinis interesse laudibus. Strenue quidem, ut sicut reverenter, ita et alacriter Domino assistatis : non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra transibientes, non fractis et remissis vocibus muliebre quiddam balba de nare sonantes; sed virili, ut dignum est, et sonitu, et affectu voces sancti Spiritus deponentes. Pure vero, ut nil aliud dum psallitis, quam quod psallitis cogitetis. Nec solas dico vitandas cogitationes vanas et otiosas : vitandæ sunt et illæ, illa duntaxat hora, et illo loco, quas officiales fratres (208) pro communi necessitate, quasi necessario, frequenter admittere compelluntur. Sed, ne illa quidem profecto recipere tunc consuluerim, quæ forte paulo ante, in claustris sedentes, in codicibus legeratis, qualia et nunc me viva voce disserente ex hoc auditorio Spiritus sancti recentia reportatis. Salubria sunt, sed minime illa salubriter inter psallendum revolvitis. Spiritus enim sanctus illa hora gratum non recipit, quidquid aliud quam debes, neglecto eo quod debes, obtuleris. Cujus semper facere voluntatem ad ejus voluntatem ipso inspi-

ante possimus, gratia et misericordia sponsi Ecclesiæ Jesu Christi Domini nostri, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XLVIII.

De laude reciproca, quæ fit inter sponsum et sponsam, et qualiter per umbram Christi intelligatur corpus et fides ejus.

1. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias* (Cantic. ii, 2). Non bonæ filiæ quæ pungunt. Attende pessimum germinem ejus cui maledictum est, terræ nostræ. Cum, inquit, **1432** *colueris eam, spinas et tribulos germinabit tibi* (Gen. iii, 18). Donec ergo in carne est anima, inter spinas profecto versatur; et necesse est ut patiat iniquitudo tentationum tribulationumque aculeos. Quod si lilium est ipsa juxta sponsi verbum, videat quam vigilem sollicitamque esse oporteat super custodia sui, septa undique spinis, hinc inde aculeos intendentibus. Nec enim vel levissimam spinæ sustinet ulla tenus puncturam floribus teneriudo, sed innoxia et modice premittitur, perforatur. Sentis quam merito necessarie hortetur nos propheta servire Domino in timore (Psal. ii, 11); et item Apostolus, cum timore nihilominus et tremore nostram ipsorum operari salutem? (Philipp. ii, 12.) Tenebant nimirum proprio experimento hujus sententiæ veritatem, utpote amici sponsi, qui minime prorsus ambigerent, et ad suas animas pertinere quod dicitur : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*. Denique unus eorum : *Conversus sum*, ait, *in ærumna mea, dum configitur spina* (Psal. xxxi, 4). Bene confixus, qui conversus exiit est. Bene pungeris, si compungeris. Multi cum sentiunt pœnam, corrigunt culpam; et talis dicere potest : *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina*. Spina culpa est, spina pœna est, spina falsus frater, spina vicinus est malus.

2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*. O candens lilium! o tener et delicate flos! increduli et subversores sunt tecum : vide quomodo caute ambules inter spinas. Plenus est mundus spinis : in terra sunt, in aere sunt, in carne tua sunt. Versari in his et minime lædi, divinæ potentiæ est, non virtutis tuæ. Sed *confidite*, inquit, *quia ego vici mundum* (Joan. vi, 33). Etsi igitur undique tibi intendi prospicias tribulationum, tanquam tribulorum, aculeos; non turbetur cor tuum neque formidet, sciens *quia tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio spes, spes autem non confundit* (Rom. v, 3-5). Considera lilia agri, quomodo inter spinas vigent et nitent. Si fenum quod hodie est et cras in clibanum mittitur, Deus sic custodit (Matth. vi, 28-30), quanto magis amicum et sponsam suam charissimam? Denique custodit Dominus omnes diligentes se (Psal. cxxiv, 20). *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*. Non medioeris titulus profecto virtutis inter pravos

(208) Officiales, qui exterioribus officiis deputati sunt, distinguit a claustralibus in sermone 9 de Diversis, num. 4; et infra, sermone 57, n. 11.

vivere bonum, et inter malignantes innocentiae re-
nere candorem et morum lenitatem: magis autem
si his qui oderunt pacem pacificum et amicum ipsis
te exhibeas inimicis. Id plane tibi similitudinem
datam de lilio jure quodam proprietatis specialiter
vindicanbit, quod ipsas utique pungentes se spinas
candore proprio illustrare et venustare non cessat.
An non proinde liliu m tili videtur implere quodam
modo Evangelii perfectionem, qua orare jubemur
pro calumniantibus et persequentibus nos, benefa-
cere his qui oderunt nos? (*Luc. vi, 27, 28.*) Ergo et
tu fac similiter, et erit anima tua amica Domini, et
laudabit te de te, dicens quia *sicut liliu m inter spi-
nas, sic amica mea inter filias.*

3. Sequitur: *Sicut malus inter ligna silvarum, sic
dilectus meus inter filios.* Reddit sponsa præconi-
vicem commendanti se sponso, a quo laudari est
laudabilem fieri, et quem laudare intelligere et ad-
mirari laudabilem. Et sicut ex eminenti flore figu-
rata a sponso laus ejus est, ita e regione et ex
excellenti ligno ipsa illius singularem gloriam emi-
nentiamque demonstrat. Movet tamen me de ligno
hoc, quod non tantæ esse excellentiæ videatur,
quantæ aliqua cæterorum: et ideo minus digne as-
sumi in opus similitudinis, utpote quod non suf-
ficiat laudis vicem implere. *Sicut malus inter ligna
silvarum, sic dilectus meus inter filios.* Denique nec
sponsa magni æstimasse videtur, quæ hoc in lignis
silvarum tantum efferre curavit, nimirum sterilibu-
nec fructus humano victui optos ferentibus. Cur
ergo omissis melioribus et nobilioribus lignis, hujus
mediocritas arboris adducta in medium est ad so-
mandum sponsi præconium? Itane ad mensuram
1433 laudem recipere debuit, qui ad mensuram
Spiritum non accepit? Hoc nempe data de illa ar-
bore similitudo facit, ut videatur habere superio-
rem, qui parem non habet. Quid dicemus ad hæc?
Fateor, parva laus, quoniam parvi laus. Non enim
hoc loco prædicatur magnus Dominus et laudabilis
nimis (*Psal. cxliv, 3*), sed parvus Dominus et
amabilis nimis, parvulus utique, qui natus est no-
bis (*Isai. ix, 6*).

4. Ergo non majestas attollitur hic, sed com-
mendatur humilitas; digneque ac rationabiliter
quod infirmum et stultum est Dei, hominum forti-
tudini et sapientiæ antefertur. Ipsi sunt namque
ligna silvestria et infructuosa, quoniam, secundum
Prophetam, *omnes declinaverunt, simul inuti'es facti
sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad
unum* (*Psal. cxiii, 3*). *Sicut malus inter ligna sil-
varum, sic dilectus meus inter filios.* Una inter ligna
silvarum Dominus Jesus arbor faciens fructum,
secundum hominem sane, etsi prælatus hominibus,
sed ab angelis minoratus (*Psal. viii, 6*). Miro et-
enim modo et angelis sese factus caro subjecit, et
angelos sibi manens Deus subjecto retinuit. Deni-
que: *Videbitis, inquit, angelos ascendentes et descen-
dentes super Filium hominis* (*Joan. i, 51*): quod in
vno eodemque homine Christo Jesu et infirmi atem

A foveant, et stupeant majestatem. Quia ergo sponsa
id dulcius, quod se imminuit, sapit; libentius attol-
lit gratiam, præfert misericordiam, stupet dignatio-
nem. Libuit proinde hominem inter homines admi-
rari, non inter angelos Deum, tanquam malus inter
ligna excellit silvarum, et non plane inter hortorum
plantaria. Nec putat minui laudes, ubi de conside-
ratione infirmitatis pietatis bonitas exaltatur. Quo
enim juxta aliquid magis laudat, minus prosequens glo-
riam dignitatis, ut gratia dignationis emineat.
Sicut ergo Apostolus quod stultum et infirmum est
Dei sapientius fortiusque dicit esse hominibus (*I
Cor. i, 25*), sed non angelis; et sicut Propheta spe-
ciosum prædicat forma præ filiis hominum (*Psal.
cxliv, 3*), et non præ angelis; sic ista certe in eo-
dem spiritu loquens, sub typo fructiferæ arboris
silvestriumque lignorum hoc loco efferre voluit
Hominem Deum super omnem gratiam hominum,
non autem super excellentiam angelorum.

5. *Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus
meus inter filios.* Et bene inter filios; quia cum esset
unicus Patris sui, multos illi et absque invidia filios
acquirere studuit, quos non confunditur vocare fra-
tres, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.
Jure autem præponitur universis adoptatis per
gratiam is qui per naturam filius est. *Sicut malus
inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios.*
Merito *sicut malus*, qui instar fructiferæ arboris et
umbram refrigerii habet, et fert fructum optimum.
C An non vere fructiferum lignum, cujus flores fru-
ctus honoris et honestatis? (*Eccli. xxiv, 23*.) De-
nique lignum vitæ est apprehendentibus eum (*Prov.
iii, 18*). Non comparabuntur huic omnia ligna sil-
varum, quia, etsi sint arbores pulchræ et magnæ,
quæ opem ferre videantur orando, ministrando, do-
cendo, exemplis juvando, solus tamen Dei Sapien-
tia Christus lignum est vitæ, solus panis vivus qui
de cælo descendit, et dat vitam mundo (*Joan. vi,
41, 53*).

6. Ideo ait: *Sub umbra ejus quem desideraveram
sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo* (*Cantic. ii,
3*). Merito ejus desideraverat umbram, de quo et
refrigerium esset et refectionem pariter acceptura.
D Nam cætera quidem silvarum ligna, etsi umbram
solatii habent, sed non vitæ refectionem, non fru-
ctus perpetuos salutis. Unus est enim vitæ auctor,
unus mediator Dei et hominum homo Christus Je-
sus (*I Tim. ii, 5*), qui dicit sponsæ suæ: *Salus tua
ego sum* (*Psal. xxxiv, 5*). *Non Moyses, inquit, de-
dit vobis panem hunc de cælo, sed Pater meus dat
vobis panem de cælo verum* (*Joan. vi, 32*). Propterea
ergo Christi potissimum desideraverat umbram,
quod solus sit qui non solum ab æstu refrigerat
vitiatorum, sed et replet delectatione virtutum. *Sub
umbra ejus quem desideraveram sedi.* Umbra ejus,
caro ejus; umbra ejus, fides. Mariæ obumbravit
proprii Filii caro; mihi, Domini fides. Quanquam et
mihi quoque quomodo non obumbrat caro, qui in

ysterio **1434** manduco eam? Et sancta nihilominus Virgo fidei et ipsa experta est umbram, cui tictum est: *Et beata que credidisti (Luc. 1, 43). Sub umbra ejus quem desideraveram sedi.* Et propheta: *Spiritus, inquit, ante faciem nostram Christus Dominus; in umbra ejus vivemus (209) inter gentes (Thren. iv, 20).* In umbra in gentibus, in luce cum angelis. In umbra sumus, quandiu per fidem ambulamus, et non per speciem; et ideo justus in umbra, qui ex fide vivit. At qui vivit ex intellectu, beatus est; quia non in umbra jam, sed in lumine. Justus erat David, et ex fide vivebat, cum dicebat Deo: *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua, et vitam (Psal. cxviii, 73, 144);* sciens successurum fidei intellectum, intellectui revelandum lumen vitæ, et luminis vitam. Prius est venire ad umbram, et ita ad id cujus umbra est pertransire, quoniam, *nisi credideritis, ait, non intelligetis (Isai. vii, 9, juxta LXX).*

7. Vides fidem et vitam esse, et vitæ umbram. Nam e regione vita in deliciis agens, quoniam non est ex fide, et mors est, et umbra mortis. *Quæ enim, inquit, vidua in deliciis est, vivens mortua est (I Tim. v, 6).* Denique sapientia carnis mors est. (*Rom. viii, 6*). Sed et mortis est umbra, illius scilicet quæ cruciat in æternum. Sedimus et nos aliquando in tenebrosis et umbra mortis, carnaliter conversantes, et non ex fide viventes; mortui jam quidem justitiæ, a morte vero secunda paulo minus absorbendi. Quæntum etenim umbra prope est corpori cujus est umbra, tantum pro certo vita illa nostra inferno appropinquavit. Denique: *Nisi quia Dominus adjovit me, inquit, paulo minus habitasset in inferno anima mea (Psal. xciii, 17).* Nunc autem de umbra mortis ad vitæ transivimus umbram; magis autem translati sumus de morte ad vitam (*I Joan. iii, 14*), in Christi umbra viventes, si tamen viventes, et non mortui. Nec enim, reor, continuo, ut quis in umbra ejus fuerit, quod vivat in ea, quia non plane omnis qui fidem habet ex fide vivit. Nam fides sine operibus mortua est; nec potest dare vitam, quam minime ipsa habuerit. Ideo propheta eam dixisset: *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus, non contentus fuit sequi et dicere: In umbra ejus sumus; sed, in umbra, inquit, ejus vivimus inter gentes.* Et tu ergo vide ut vivas exemplo prophetæ in umbra ejus, ut quandoque et regnes in lumine ejus. Nec enim tantum umbram habet, habet et lucem. Ipse per carnem umbra est fidei, ipse intelligentiæ lumen per Spiritum. Et caro est enim, et spiritus. Caro, in carne manentibus; spiritus, ante faciem nostram, id est in futuro; si tamen quæ retro sunt obliviscentes, ad ea quæ ante sunt nosmetipsos extendimus, quo pervenientes experiamur de verbo quod dixit: *Caro non prodest quidquam, spiritus est qui vivificat (Joan. vi, 64).* Nec ignoro quod in carne adhuc manens quis dixerit: *Et si cognovimus Christum secundum carnem,*

(209) Rouauid. Tiraq. Horst., vivimus.

sed nunc jam non novimus (II Cor. v, 16). At hoc ille: nos vero qui nondum in paradysum, nondum ad tertium cælum rapi meruimus, Christi interim carne pascamur, mysteria veneremur, exempla sectemur, fidem servemus; et vivimus profecto in umbra.

8. *In umbra ejus quem desideraveram sedi.* Fortassis feliciter aliquid ista expertam se gloriatur in eo, quod se in umbra dicit: non, ut propheta, vivere, sed sedisse. Sedere enim quiescere est. Plus est autem quiescere in umbra quam vivere, sicut vivere plus est quam tantummodo esse in ea. Igitur quod est commune multorum propheta assumens sibi: *In umbra ejus vivimus, inquit; sponsa vero habens prærogativam, etiam quod sub ea singulariter sederit, gloriatur.* Non enim ut ille pluraliter: *Vivimus; ita et hæc: Sedimus dixit; sed singulariter, sedi, ut agnoscas prærogativam.* Ubi itaque nos cum labore vivimus, qui conscii peccatorum sub timore servimus, ibi hæc devota et amans suaviter requiescit. Denique timor pœnam habet, amor suavitate. Unde ait: *Et fructus ejus dulcis gutturi meo; gustum contemplationis significans, quem obtinuerat per amorem suaviter sublevata.* At istud in umbra, quia per speculum et in ænigmate. Erit cum declinaverint umbræ crescente lumine, imo penitus disparuerint, et subintrabit sicut perapicua, ita et **1435** perpetua visio; critique non modo suavitas gutturi, sed et satiæ ventri; sine fastidio tamen. *Sub umbra ejus quem desideraveram sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo.* Nos quoque ubi sponsa pausat, pausemus pariter, de sumpto gustu patremfamilias glorificantes, qui nos ad tales epulas invitavit, sponsum Ecclesiæ Jesum Christum Dominum nostrum, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO XLIX.

Qualiter per discretionem ordinatur charitas, ut omnia membra Ecclesiæ, id est electi, invicem colligantur.

1. *Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem (Cant. ii, 4).* Ut quidem propositi capituli videtur sonare littera, habito pro votis dulci admodum familiarique colloquio cum dilecto, illo abeunte sponsa regreditur ad adolescentulas, aspectu ita ipsius affatuque reflecta atque accensa, quatenus ebriciæ similis appareret. Et quasi illis stupentibus novitatem, et quærentibus causam, respondit mirum minime esse, si vino æstualet, quæ in cellam vinariam introisset. Et secundum litteram ita. Secundum spiritum quoque non negat ebriam, sed amore, non vino, nisi quod amor vinum est. *Introduxit me rex in cellam vinariam.* Quando præsens est sponsus, et sponsa ad ipsum sermonem dirigit; tunc sponsus dicitur aut dilectus, aut, quem diligenti anima mea, inquit; loquens vero de ipso adolescentulis, regem nominat. Ut quid hoc? Propterea credo, quia et sponsæ amanti atque dilectæ conveniat uti familiaris, quod ad se est, amoris nominibus, et

adolescentulis tanquam disciplina indigentibus opus A ait reverendo premi vocabulo majestatis.

2. *Introduxit me rex in cellam vinariam.* Quænam ista sit cella vinaria, prætereo dicere, quia dixisse me recolo. Tamen si ad Ecclesiam referatur sermo, cum repleti Spiritu sancto discipuli musto ebrii a populo putarentur; tunc tanquam amicus sponsi pro sponsa stans Petrus in medio eorum: *Non, inquit, sicut vos aestimatis, hi ebrii sunt.* Attende interim, quod non omnino ebrios, sed ebrios sicut ab illis aestimati sunt, denegavit. Erant enim ebrii, sed Spiritu sancto, non musto. Et quasi testificarentur ad plebem, revera se in cellam fuisse vinariam introductos, rursus Petrus pro omnibus: *Sed hoc est, ait, quod dictum est per prophetam Joel: Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus; effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiae: juvenes vestri visiones videbunt, et senes vestri somnia somniabunt.* An non tibi cella videtur fuisse vinaria illa domus, in qua erant discipuli pariter congregati, cum factus est repente de caelo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes (Act. II, 13-17, 2), adimplevitque prophetiam Joel! Et nonne unusquisque illorum exiens inebriatus ab ubertate domus illius, et torrente voluptatis tantæ potatus, dicere merito quibat: *Quoniam introduxit me rex in cellam vinariam?*

3. Sed et tu quoque, si collecto tuo spiritu, mente sobria et vacua curis, orationis domum solus intro- C eas, et stans coram Deo ad unum aliquod de altari- bus, cæli janua tangas sancti desiderii manu, et præsentatus choris sanctorum, tua penetrante devo- tione (siquidem oratio justi penetrat cælos) in ipso- rum præsentia miserandus deplores miseras et calamitates quas pateris; crebris suspiriis et gemi- tibus inenarrabilibus prodas necessitatem, flagites pietatem; si, inquam, hoc egeris, confido in eo qui dixit; *Petite, et accipietis (Matth. VII, 7),* quia, si perseveraveris pulsans, non exibis vacuus. Verum cum te nobis reddideris plenum gratia et charitate, nec poteris spiritu fervens dissimulare munus accep- tum, quod sine invidia communicabis; erisque omnibus in gratia, quæ data est tibi, non modo gratus, sed fortassis etiam admirandus; poteris et D ipse veraciter protestari, quia *introduxit me rex in cellam vinariam;* tantum cautus esto, non in te, sed in Domino gloriarı. Nec omne donum, quamvis spi- rituale, prodire 1436 dixerim de cella vinaria, cum sint et aliæ penes sponsum cellæ vel apothecæ, diversa in se recondita habentes dona atque cha- rismata, secundum divitias gloriæ ejus: de quibus cellis memini me alibi latius disputasse (*supra*, serm. 23). *Nonne hæc condita sunt, inquit, apud me, et signata in thesauris meis? (Deut. xxxii, 34.)* Ergo pro diversitate cellarum, divisiones gratiarum sunt, et unicuique manifestatur Spiritus ad utilitatem. Et quanquam alii quidem detur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ, alii vero prophetia, alii gratia

curationum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum, aliaque aliis his similia (*I Cor. XII, 7-11*), non tamen quis horum pro hujusmodi di- cere poterit, quod introductus fuerit in cellam vina- riam. Ex aliis quippe cellis sive thesauris ista su- muntur.

4. Sed si quis orando obtineat mente excedere in id divini arcani, unde mox redeat divino amore vehementissime flagrans, et æstuans justitiæ zelo, nec non et in cunctis spiritualibus studiis atque offi- ciiis perminium fervens, ita ut possit dicere: *Conca- luit cor meum intra me, et in meditationibus meis exar- descit ignis (Psal. xxxviii, 4):* is plane, cum ex cha- ritalis abundantia bonam et salutarem vini lætitiæ ructare crapulam cœperit, in cellam non immerito perhibebitur vinariam introisse. Cum enim duo sint beatæ contemplationis excessus, in intellectu unus, et alter in affectu; unus in lumine, alter in fervore; unus in agnitione, alter in devotione: pius sane affe- ctus, et pectus amore calens, et sanctæ devotionis infusio, etiam et vehementis spiritus repletus zelo, non plane aliunde, quam e cella vinaria reportan- tur: et cuicumque cum horum copia surgere ab oratione donatur, potest in veritate loqui, quia *intro- duxit me rex in cellam vinariam.*

5. Sequitur: *Ordinavit in me charitatem.* Omnino necessarie. Importabilis siquidem absque scientia est zelus. Ubi ergo vehementis æmulatio, ibi maxime discretio est necessaria, quæ est ordinatio charitatis. Semper quidem zelus absque scientia minus efficax, minusque utilis invenitur; plerumque autem et per- niciosus valde sentitur. Quo igitur zelus fervidior, ac vehementior spiritus, profusiorque charitas; eo vigi- lantiori opus scientia est, quæ zelum supprimit, spiritum temperet, ordinet charitatem. Proinde sane, ne tanquam nimia et importabilis pro impetu spiri- tus, quem e cella videtur vinaria reportasse, præsertim ab adolescentulis sponsa timeatur; jungit quod discretionis est etiam se pariter accepisse, id est ordi- nem charitatis. Discretio quippe omni virtuti ordi- nem ponit; ordo modum tribuit et decorem, etiam et perpetuitatem. Denique ait: *Ordinatione tua per- severat dies (Psal. cxviii, 91);* diem virtutem ap- pellans. Est ergo discretio non tam virtus, quam quædam moderatrix et auriga virtutum, ordina- trixque affectuum, et morum doctrix. Tolle hanc, et virtus vitium erit, ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis convertetur, exterminiumque naturæ. *Ordinavit in me charitatem.* Factum est au- tem hoc, cum in Ecclesia quosdam quidem dedit apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios pastores et doctores ad conso- mationem sanctorum (*Ephes. IV, 11, 12*). Oportet au- tem ut hos una omnes charitas liget, et contemperet in unitatem corporis Christi: quod minime omnino facere poterit, si ipsa non fuerit ordinata. Nam si suo quisque feratur impetu secundum spiritum quem accepit, et ad quæque volet indifferenter, prout afficitur, et non rationis judicio convolarit:

dum sibi assignato officio nemo contentus erit, **A** illud? *Quæ retro sunt videlicet obliviscens, ad ea quæ ante sunt me extendo.* Magna fiducia! quod magnum electionis Vas perfectum abnuens, profectum fletur. Ego non ambulans, sed sedentem a mortis tenebris comprehendere periculum est. Et quis sedens, nisi qui non curat proficere? Id caveo: et si morte præoccupatus fueris, in refrigerio eris. Dices Deo: *Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo nihilominus, inquit, omnes scribentur.* Qui omnes? Profecto qui in desiderio proficiendi inveniuntur. Sequitur enim: *Dies formabuntur, et nemo in eis (Psal. cxxxviii, 16);* subaudis: Peribit. Dies proficientes intellige, qui si morte præoccupati fuerint, in eo quod eis deest perficiendi sunt. Formabuuntur, et nemo in eis informis relinquetur.

6. *Ordinavit in me charitatem.* Utinam et in me Dominus Jesus tantillum ordinet charitatis quod dedit; ut sic mihi curæ sint universa quæ sunt ipsius, ut tamen quod mei potissimum propositi seu officii esse constiterit, ante omnia curem: sed sane ita id prius, ut tamen ad multa, quæ mihi specialiter non attinent, afficiar amplius. Non enim semper quod prius curandum, id etiam diligendum amplius erit: cum sæpe quod prius **1437** est ad sollicitudinem, minus sit ad utilitatem, ac per hoc minus esse oporteat et in affectu. Frequenter proinde quod pro injuncto præponitur, de judicio posthabetur **B** (210): et quod veritas judicat præponendum, id charius amplectendum ordo postulat charitatis. Nonne, verbi gratia, ex injuncto incumbit mihi cura omnium vestrum? Jam quidquid huic forte prætulero operi, quo minus ipsi invigilem digne et utiliter pro viribus exsequendo; etsi ex charitate fortassis id facere videar, ordinis tamen ratio non consentit. Quod si ante omnia quidem, ut debeo, huic intendo curæ, non autem magis ad majora gaudeo Dei lucra, quæ per alterum fieri forte comperero, patet me ordinem charitatis ex parte tenere, ex parte nequaquam. Si vero me et ad id amplius, quod specialius incumbit, sollicitum, et nihilominus ad illud, quod majus est, magis affectum exhibeam; utrobique **C** profecto invenio charitatis ordinem assecutus, et non est cur dicere non possim etiam ipse, quia *ordinavit in me charitatem.*

7. Si autem dicas difficile quemquam plus alieno gaudere magno bono, quam proprio parvo, advertes certe vel ex hoc excellentiam gratiæ apud sponsam, et quoniam [*alias, quam*] non cuilibet animæ dicere sit, quia *ordinavit in me charitatem.* Quare facies deciderunt quorundam vestrum modo ad hunc sermonem? Nam alta suspiria testantur tristitiam animorum, conscientiarumque defectionem. Nimirum metientes nosmetipsos nobis, sentimus aliquid nostram pro nostræ imperfectionis experientia, quam rara virtus sit alienæ non invidere virtuti, nedum gaudere ad illam, nedum etiam tanto plus **D** quam ad propriam quemque gratulari, quanto se perpenderit in virtute superatum. Adhuc modicum lumen in nobis est, fratres, quotquot de nobis ita sentimus. Ambulemus dum lucem habemus, ne tenebræ non comprehendant (*Joan. xii, 55*). Ambulare, proficere est. Ambulabat Apostolus, qui dicebat: *Non arbitror me comprehendisse; et addit: Unum autem, quæ retro sunt obliviscens, ad ea quæ ante sunt, me extendo (Philipp. iii, 15).* Quid est, *unum autem?* Unum autem, inquit, quasi remansit mihi ad remedium, ad spem, ad consolationem. Quid

SERMO L.
De duplici charitate, scilicet actuali et affectuali; et ejus ordinatione.

1. Vos forsitan expectatis tractari sequentia, explicitum putantes versiculum, qui novissime tractabatur. Verum ego aliud molior: habeo enim quod adhuc vobis apponam de fragmentis hesterni convivii, quæ mihi collegeram ne perirent. Peribunt autem, si nulli apposuero: nam si voluero ea habere solus, ipse peribo. Nolo proinde vestram illis, quam bene novi, fraudare ingluviem: præsertim cum sint de ferculo charitatis, eo dulcia quo subtilia; eo sapida quo minuta. Alioquin contra charitatem est valde nimis de ipsa charitate fraudare. Itaque hic sum: *Ordinavit in me charitatem (Cant. ii, 4).*

2. Est charitas in actu, est et in affectu. Et de illa

(210) Ita scripti nostri omnes, atque editi primi. Subsequentes, *Dei judicio, etc.* Horstias, *proinde quod veritas judicat præponitur, de judicio, etc.*

quidem quæ operis est, puto datam esse legem hominibus, mandatamque formatam: nam in affectu quis ita habeat, ut mandatur? Ergo illa mandatur ad meritum, ista in præmium datur. Cujus initium quidem, profectumque vitam quoque præsentem experiri divina posse gratia non negamus; sed plane consummationem defendimus futuræ felicitati. Quomodo ergo jubenda fuit, quæ implenda nullo modo erat? Aut si placet tibi magis de affectuali datum fuisse mandatum, non inde contendo, dummodo acquiescas et tu mihi, quod minime in vita ista ab aliquo hominum possit, vel potuerit adimpleri (211). Quis enim sibi arrogare id audeat, quod se Paulus ipse fatetur non comprehendisse? (Philipp. iii, 13.) Nec latuit præceptorem, præcepti pondus hominum excedere vires; sed iudicavit utile ex hoc ipso suæ illos insufficientiæ admoneri, et ut scirent sane, ad quem iustitiæ finem niti pro viribus oporteret. Ergo mandando impossibilia, non pravariatores homines fecit, sed humiles, ut omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus Deo; quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo (Rom. iii, 19, 20). Accipientes quippe mandatum, et sentientes delictum, clamabimus in cælum, et miserebitur nostri Deus: et sciemus in illa die, quia non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit (Tit. iii, 5).

3. Atque hoc dixerim, siquidem consenserimus affectualem legem fuisse mandatam. Sed actuali id potius convenire (212) inde vel maxime apparere videtur, quod cum dixisset Dominus: *Diligite inimicos vestros*, mox de operibus inlert: *Benefacite his qui oderunt vos* (Luc. vi, 27). Item Scriptura: *Si esuriet inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum datum* (Rom. xii, 20). Et hic de actu habes, non de affectu. Sed audi item Dominum etiam de sui dilectione mandantem: *Si diligitis me*, inquit, *sermone meos servate* (213) (Joan. xiv, 15). Atque hic quoque ad opera mittitur per injunctam observantiam mandatorum. Supervacue autem 1439 de opere monuisset, si in affectione jam fuisset dilectio. Sic te ergo necesse est et illud accipere, quod iuberis diligere proximum tuum sicut te ipsum (Math. xxii, 39), etsi non ita aperte expressum sit. An non denique satis tibi esse iudices ad implendum istud de proximi dilectione mandatum, si id perfecte observes, in quo omni homini recte de lege naturæ præscribitur: *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris?* (Tob. iv, 16.) Et item illud: *Quæcunque vultis ut*

faciant vobis homines, et vos facite aliis (Matth. vii, 12).

4. Neque hoc dico, ut sine affectu ore simus, et corde arido solas moveamus manus ad opera. Legi inter alia, quæ scribit Apostolus magna et gravia hominum mala, hoc quoque annumeratum, sine affectione scilicet esse (Rom. i, 31). Sed est affectio quam caro gignit; et est quam ratio regit, et est quam condit sapientia. Prima est, quam Apostolus legi Dei dicit non esse subjectam, nec esse posse (Rom. viii, 7); secunda, quam perhibet e regione consentientem legi Dei, quoniam bona est (Rom. vii, 16); nec dubium distare inter se contentiosam et consentaneam. Longe vero tertia ab utraque distat, quæ et gustat, et sapit quoniam suavis est Dominus (Psal. xxxiii, 9), primam eliminans, secundam remunerans. Nam prima quidem dulcis, sed turpis; secunda sicca, sed fortis; ultima pinguis, et suavis est. Igitur per secundam opera fiunt, et in ipsa charitas sedet, non illa affectualis, quæ solo sapientiæ condita pinguescens magnam menti importat multitudinem dulcedinis Domini; sed quædam potius actualis, quæ etsi nondum dulci illo amore suaviter reficit, amore tamen amoris ipsius vehementer accendit. *Non diligamus*, ait, *verbo, neque lingua, sed opere et veritate* (I Joan. iii, 18).

5. Vides quomodo caute medius incedit inter vitiosum atque affectuosum amorem, ab utroque pariter hanc distinguens actualem et salutiferam charitatem? Nec linguæ mentientis in hac dilectione recipit fictum, nec rursus afficientis exigit sapientiæ gustum. *Opere, inquit, diligamus et veritate*: quod videlicet moveamur ad bene operandum magis quodam vividæ veritatis impulsu, quam sapidæ illius charitatis affectu. *Ordinavit in me charitatem*. Quam putas harum? Utramque, sed ordine opposito. Nam actualis inferiora præfert, affectualis superiora. Etenim in bene affecta mente non dubium, verbi causa, quin dilectioni hominis Dei dilectio præponatur, et in hominibus ipsis perfectiores infirmioribus, cælum tenet, æternitas temporis, anima carni. Attamen in bene ordinata actione sæpe, aut etiam semper, ordo oppositus invenitur. Nam et circa proximi curam et plus urgemur, et pluries occupamur; et infirmioribus fratribus diligentiori sedulitate assistimus; et paci terræ magis quam cœli gloriæ jure humanitatis et ipsa necessitate intendimus; et temporalium inquietudine curarum vix aliquid sentire de æternis permittimur; et languoribus nostri cor-

(211) Vide Tract. De diligendo Deo, cap. 10, num. 29.

(212) Bernardi sententia est, præceptum de diligendo convenire potius charitati actuali, quam affectuosæ. Sed affectuosæ nomine intelligit amorem illum perfectissimum, qui solis beatis, aut certe perfectis competit: actualem vero, qui non sistit in simplici affectu, sed in affectum prorumpit, ita ut internum dilectionis actum neutiquam excludat, « Neque hoc dico, » inquit num. 4, « ut sine affectione simus: » imo potius includat dilectionem internam,

« quæ etsi nondum dulci illo amore suaviter reficit, amore tamen amoris ipsius vehementer accendit. » Et hic est amor internus, » quo contenta est charitas actualis, num. 6. Vide Admonitionem ad librum De diligendo Deo, supra, tom. II.

(213) Ubi ergo servandi sunt? « Haud dubium quin in corde, » ait Bernardus in sermone 5 de Adventu, num. 2; imo et ex corde, sicut ibidem explicat, ita ut sint instar cibi, qui « transeat in affectiones, et in mores. »

poris, postposita animæ cura, pene continue inser-
vimus; et ipsis denique infirmioribus membris nostris
abundantiorem honorem, juxta sententiam Apostoli,
circumdamus (*I Cor. xii, 23*): per hoc quodam
modo facientes verbum Domini, de quo habes: *Erunt
novissimi primi, et primi novissimi (Matth. xx, 16)*.
Orantem denique hominem cum Deo loqui quis du-
bitet? Quoties tamen inde charitate jubente abducimur
et avellimur, propter eos qui nostra indigent
opera vel loquela? quoties pie cedit negotiorum
tumultibus pia quies? quoties bona conscientia po-
nitur codex, ut operi manuum insudetur? quoties
pro administrandis terrenis, justissime ipsis super-
sedemus celebrandis missarum solemnibus? (214) Ordo
præposterus: sed necessitas non habet legem. Agit
ergo suum **1440** actualis charitas ordinem juxta
patrisfamilias jussionem, incipiens a novissimis
(*ibid.*, 8). Pia certe et justa, quæ non sit acceprix
personarum; nec pretia consideret rerum, sed ho-
minum necessitates.

6. At non ita affectualis: nam a primis ipsa ducit
ordinem. Est enim sapientia, per quam utique quæ-
que res sapiunt prout sunt: ut, verbi gratia, quæ
pluris natura habet, pluris quoque ipsa affectio sen-
tiat, minora minus, minima minime. Et illum qui-
dem ordinem charitatis veritas facit; hunc autem
veritatis charitas vindicat sibi. Nam et vera in hoc
est charitas, ut qui indigent amplius, accipiant prius:
et rursus in eo clara apparet veritas, si ordinem
tenemus affectu, quem illa ratione. Tu ergo si diligas
Dominum Deum tuum toto corde, tota anima, tota
virtute tua (*Matth. xxii, 37*); et amorem amoris (215)
illum, quo contenta est charitas actualis, affectu
frequentiori transiciens, ipso cominus divino amore,
ad quem is est gradus, accepto in plenitudine spiritu,
totus ignescas: sapit tibi profecto Deus, etsi non
digne omnino prout est (quod utique impossibile est
omni creaturæ), certe prout tuum sapere est. Deinde
sapies etiam ipse tu tibi prout es, cum te senseris
nil habere prorsus, unde te ames, nisi in quantum
Dei es: quippe qui totum unde amas, in illum effu-
deris. Sapies, inquam, tibi prout es, cum ipso expe-
rimento amoris tui, et affectionis quam ad te ipsum
habebis, nihil dignum te esse invenies, quod vel a te
ipso ametur, nisi propter ipsum, sine quo ipse es
nihil.

7. Jam vero proximus, quem vere te oportet dili-
gere tanquam te ipsum, ut tibi et ipse sapiat prout
est, haud aliud profecto sapiet tibi, quam tu tibi,
qui hoc est quod tu: est enim homo. Qui itaque te
non diligis, nisi quia diligis Deum; consequenter

(214) Apud Cistercienses olim intermittebantur
Sacra tempore messis. Unde Philippus Augustus
audito apud Barwellenses monachos tempore mes-
sionum, monachis ad granelias commeanibus, tem-
poralium occasione a Missarum solemnitate ces-
sari; singulis diebus mane Missarum solemnitas pro
anima patris sui ibidem sepulti celebrari præcepit.
Litteræ hac de re exstant in lib. vi de Re Diploma-
tica, pag. 603. Alias Bernardus oblationem hostiæ

A omnes qui similiter diligunt eum, diligis tanquam te
ipsum. Porro inimicum hominem, quoniam nihil est,
pro eo quod non diligit Deum; non potes quidem
diligere tanquam te ipsum, qui Deum diligis; diliges
tamen ut diligat. Non est autem id ipsum, diligere
ut diligat, et diligere quia diligit. Proinde ut tibi et
ipse sapiat prout est, sapiet tibi, non quidem quod
est, qui utique nihil est; sed quod futurus forsitan
est, quod est prope nihili, quippe quod adhuc pendet
sub dubio. Etenim de quo constat quod ad amorem
Dei non sit deinceps rediturus, sapiat tibi necesse
est, non prope jam nihil, sed nihil ex toto, utpote
quod in æternum nihil est. Illo igitur excepto, qui
non modo jam non diligendus, iusuper et odio ha-
bendus est, secundum illud: *Nonne qui oderunt te,*
B *Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam?*
(*Psal. cxxxviii, 21.*) De cætero nulli vel inimicissimo
homini negari quantulumcunque affectum charitas
sane in hac parte ambitiosa permittit. Quis sapiens,
et intelligit hæc?

8. Da mihi hominem, qui ante omnia quidem ex
toto se diligat Deum; se vero et proximum, in quan-
tum diligunt ipsum; inimicum autem, tanquam ali-
quando forsitan dilecturum; porro parentes carnis
sux germanius, propter naturam; spirituales vero
eruditores suos profusus, propter gratiam; atque in
hunc modum ad cætera quæque Dei ordinato inten-
dat amore, despiciens terram, suspiciens cælum,
utens hoc mundo tanquam non utens, et inter
utenda et fruenda intimo quodam mentis sapore
discernens, ut transitoria transitorie, et ad id dun-
taxat quod opus, et prout opus est curet, æterna
desiderio amplectatur æterno: talem, inquam, da
mihi hominem, et ego audacter illum sapientem pro-
nuntio, cui nimirum quæque res revera sapiunt
prout sunt, et cui in veritate atque securitate com-
petit gloriari, et dicere, quia *ordinavit in me chari-
tatem*. Sed **1441** ubi ille, aut quando ista? Quod
fletis dico, quousque odoramus, et non gustamus,
prospicientes patriam, et non apprehendentes, suspir-
antes, et de longe salutantes? O veritas exsulum
patria, exsillii finis? video te, sed intrare non sinor
carne retentus, sed nec dignus admitti, peccatis sor-
dens. O Sapientia, quæ attingis a fine usque ad
finem fortiter in instituendis et continendis rebus;
D et disponis omnia suaviter in beandis et ordinandis
affectibus! dirige actus nostros, prout nostra tem-
poralis necessitas poscit; et dispone affectus nostros,
prout tua veritas æterna requirit, ut possit unusquis-
que nostrum secure in te gloriari et dicere, quia
ordinavit in me charitatem. Tu es enim Dei virtus et

salutaris et usque ad defectum ultimum, vix ali-
quando intermisit, teste Gaufrido in lib. v de ejus
Vita, cap. 4.

(215) In quibusdam codicibus deest *amoris*, hoc
loco. Sed non est contra mentem Bernardi, qui
de charitate actuali superius agens, num. 4,
« Amore tamen amoris ipsius, » inquit, « vehementer
accendit.

Dei sapientia, Christus sponsus Ecclesie, Dominus A noster, super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LI.

Qualiter sponsa petit sibi accumulari fructus bonorum operum cum floribus et odoramentis fidei; item de spe et timore.

1. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore languo* (Cant. 11, 5). Crevit amor, quia incentiva amoris plura solito processerunt. Vides siquidem, quanta hac vice non videndi tantum, sed et colloquendi copia fuit. Ipsa quoque visio apparet vultu induta sereniori, et sermo jucundior, et sermocinatio longior atque protractior. Nec solum oblectata colloquio, sed et gloriata præconio est. Ad hæc, ejus quem desideraverat refrigerata est umbra, citata fructu, potata calice. Nec enim sitibunda putanda est exisse de cella vinaria, in quam se introductam modo novissime gloriatur; imo vero sitibunda, quoniam *qui bibit me*, inquit, *adhuc sietet* (Eccli. xxiv, 29). Post ista omnia, sponso more suo secedente, illa languere amore se perhibet, id est præ amore. Quo enim gratiorem fuerat experta præsentiam, eo postmodum absentiam molestiorem sensit. Subtractio nempe rei quam amas, augmentatio desiderii est; et quod ardentius desideras, cares ægrius. Rogat proinde ista interim odoramentis florum ac fructuum confoveri, quousque denuo revertatur, quem molestissime sustinet demorantem. Atque is ordo sermonum.

2. Nunc jam spiritualem fructum, qui in ipsis est, spiritu duce veritatis tentemus eruere. Et si communis Ecclesia sanctorum hic recipitur loquens, nos in floribus fructibusque designati sumus; sed et quique conversi de sæculo in toto sæculo. In floribus quidem novella et tenera adhuc incipientium conversatio demonstratur, in fructibus vero proficientium fortitudo et maturitas perfectorum. His stipata mater peregrinans et fructificans, cui vivere Christus est, et mori lucrum; profecto æquanimitus fert molestiam suæ dilationis, quoniam, juxta Scripturam, datur *ei de fructu manuum suarum*, tanquam ex primitiis spiritus, et laudant *eam in portis opera ejus* (Prov. xxxi, 31). Si autem secundum moralem sensum in una anima vis tibi utraque hæc assignari, et flores videlicet, et fructus; fidem florem, fructum actum D intellige. Nec incongrue, ut opinor, id tibi videbitur, si advertas, quomodo instar floris necessario præcedentis fructum, bonum quoque opus fide oporteat præveniri. Alioquin *sine fide impossibile est placere Deo* (Hebr. xi, 6), Paulo attestante, magis autem æque ipso docente: *Omne quod non est ex fide, etiam peccatum est* (Rom. xiv, 23). Itaque nec sine flore fructus, nec sine fide opus bonum. Sed et fides sine operibus mortua est (Jac. ii, 26); sicut inutiliter quoque flos apparet, ubi non sequitur fructus. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore languo*. Ergo ex bonis operibus in fide non ficta radicatis recipit consolationem mens assueta quieti, quoties sibi, ut assolet, lux contemplationis

subtrahitur. Quis enim, non dico continue, sed vel aliquandiu, dum in hoc corpore manet, lumine contemplationis fruatur? At quoties, ut dixi, corrumpit a contemplativa, toties in 1442 activam se recipit, inde nimirum tanquam e vicino familiarius reditura in id ipsum; quoniam sunt invicem contubernales hæc duæ, et cohabitantes pariter; est quippe soror Mariæ Martha. Neque enim, etsi a contemplationis lumine cadit, patitur tamen ullatenus se incidere in tenebras peccati, seu ignaviam otii, sane in luce bonæ operationis se retinens. Et ut scias etiam opera lucem esse: *Lucent lux vestra*, inquit, *coram hominibus* (Matth. v, 16): quod non est dubium de operibus fuisse dictum, quæ homines poterant intueri.

3. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore languo*. Cum præsto est quod amatur, viget amor; languet, cum abest. Quod non est aliud, quam tædium quoddam impatientis desiderii, quo necesse est affici mentem vehementer amantis absente quem amat, dum totus in expectatione, quantalibet festinationem reputat tarditatem. Et ideo ista postulat sibi accumulari bonorum operum fructus cum fidei odoramentis, in quibus moram faciente sponso interim requiescat. Loquor vobis experimentum meum quod expertus sum. Si quando sane comperi profecisse aliquos vestrum ex meis monitis, tunc non me piguit, fateor, curam prætulisse sermonis proprio otio et quieti. Cum enim, verbi gratia post sermonem iracundus quispiam reperitur mutatus in mitem, superbus in humilem, pusillanimis in fortem: porro mitis, humilis, fortis in sua quisque gratia excrevisse, et se ipso melior factus esse agnoscitur: sed et qui forte tepuerant et languerant circa spirituale studium torpentes et dormitantes, ad ignitum eloquium Domini referri usse et evigilasse videntur; et qui deserto fonte sapientiæ, foderant sibi propriæ voluntatis cisternas non valentes aquas continere, proptereaque ad omne inunctum gravati corde arido murmurabant, nullum in se habentes devotionis humorem: hi, inquam, cum de rore verbi, et pluvia voluntaria, quam congregavit Deus hæreditati suæ, resoruisse probantur in opera obedientiæ, facti in omnibus voluntarii et devoti; non est, dico vobis, unde subeat mentem, quasi pro intermisso studio jucundæ contemplationis, tristitia, cum talibus fuero circumdatus floribus atque fructibus pietatis. Patienter avellor ab infecundæ Rachelis amplexibus, ut de Lia mihi exuberent fructus profectuum vestrorum. Minime prorsus pigebit me intermissæ quietis [alias, interturbatæ quietis] pro cura sermonis, cum videro in vobis germinare semen meum, atque ex eo augeri incrementa frugum justitiæ vestræ. Caritas enim quæ non querit quæ sua sunt (I Cor. xiii, 5), id mihi jamdudum facile persuasit, nil scilicet desiderabilium meorum vestris præferre utilitatibus. Orare, legere, scribere, meditari, et si quæ sunt alia spiritualis studii lucra hæc arbitratus sum propter vos detrimenta.

4. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore languo.* Hoc itaque locuta est sponsa adolescentulis in sponsi absentia, monens eas in fide proficere et operibus bonis donec veniat, sentiens in eo fore et beneplacitum sponsi, et filiarum salutem, et suam ipsius consolationem. Scio me hunc locum in libro *De dilectione Dei* plenius explicuisse, et sub alio intellectu: potiorne an deteriori lector Judicet si cui utrumque videre placuerit. Non sane a prudente de diversitate sensuum iudicabor, dummodo veritas utrobique nobis patrocinetur; et charitas, cui Scripturas servire oportet, eo ædificet plures, quo plures ex eis in opus suum veros eruerit intellectus. Cum enim hoc displiceat in sensibus Scripturarum, quod in usibus rerum assidue experimur? In quantos, verbi causa, sola aqua nostrorum assumitur corporum usus? Ita unus quilibet divinus sermo non erit ab re, si diversos pariat intellectus, diversis animarum necessitatibus et usibus accommodandos.

5. Sequitur: *Læva ejus sub capite meo, et dextera ejus amplexabitur me.* Et insuper hoc quoque in præfato opusculo memini uberius disputatum; sed signemus sermonis ordinem. Liquet denuo adesse sponsum, **1443** credò, ut sua præsentia languentem erigat. Quomodo enim non in præsentia ejus convalesceret, quam absentia consternarat? Ergo non sustinet dilectæ molestiam: adest, neque enim moram facere potest tantis desideriis evocatus. Et quia illam compererat, donec absens fuit, fidelem ad opera, et sollicitam ad lucra, in eo nimirum, quod flores sibi et fructus præceperat adunari; etiam cum propensiori hac vice remuneratione gratiæ est reversus. Denique uno brachiorum suorum sustentat caput jacentis, alterum ad amplexandum parans, ut sinu foveat. Felix anima quæ in Christi recumbit pectore, et inter Verbi brachia requiescit. *Læva ejus sub capite meo, et dextera ejus amplexabitur me.* Non ait: *Amplexatur*; sed, *amplexabitur me*, ut noveris priori gratiæ adeo non ingrati, ut secundam gratiarum actione præveniret.

6. Disce in referendo gratiam non esse tardus aut segnis, disce ad singula dona gratias agere. *Diligenter*, inquit, *considera quæ tibi apponuntur* (*Prov. xxiii, 4*), ut nulla videlicet Dei dona debita gratiarum actione frustrentur; non grandia, non mediocria, non pusilla. Denique jubemur colligere fragmenta ne pereant (*Joan. vi, 12*); id est, nec minima beneficia oblivisci. Numquid non perit quod donatur ingrato. Ingratitudo inimica est animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio. Ingratitudo ventus urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluentia gratiæ. Propter hoc denique sponsa mox ut gratiam de læva sensit, gratias egit, non exspectans plenitudinem quæ in dextera est. Neque enim ubi memorata est lævam jam esse sub capite suo, etiam secuta est a dextera se similiter amplexatam; sed, *amplexabitur me*, inquit.

7. Cæterum quid putamus Verbo sponso lævam esse, sive dexteram? Num id quod dicitur hominis verbum istiusmodi corporeas partes habet in se divisas, et lineamenta distincta, ac distinguenda inter sinistram et dexteram? Quanto magis is, qui Dei et Deus est, sermo varietatem prorsus aliquam non admittit, sed est qui est (*Exod. iii, 14*), in sua nimirum natura tam simplex ut non habeat partes, tam unus ut non habeat numeros. Est enim Dei sapientia, de qua scriptum est: *Et sapientiæ ejus non est numerus* (*Psal. cxlvi, 5*). At si quod invariabile est, id incomprehensibile, ac per hoc etiam ineffabile esse necesse est; ubi, quæso, invenias verba, quibus illam majestatem vel digne assignes, vel proprie proloquaris, vel competenter definias? Tamen utcumque loquamur, quod utcumque de ea Spiritu sancto revelante sentimus. Docemur auctoritate Patrum, et consuetudine Scripturarum congruentes de rebus notis licere similitudines usurpare; sed et verba non nova invenire, sed nota naturari [*alias*, transferre], quibus digne et competenter eadem similitudines vestiantur. Alioquin ridicule ignota per ignota docere conaberis.

8. Ergo quia per dextrum et sinistram adversa solent atque prospera designari: videtur mihi hoc loco intelligi posse lævam quidem Verbi, comminationem supplicii; dextram vero regni promissionem. Est autem cum mens nostra formidine pœnæ serviliter premitur: et tunc nequaquam *sub capite*, sed super caput læva esse dicenda est: nec potest sic affecta anima omnino dicere, quia *læva ejus sub capite meo*. At vero si proficiens ex hoc spiritu servitutis transierit in quendam spontanei obsequii digniorem affectum, quatenus videlicet præniis potius provocetur quam ardeatur suppliciis, magis autem si amore boni ipsius agatur; tunc indubitanter dicere poterit, quia *læva ejus sub capite meo*: quippe qui illum servilem metum, qui in sinistra est, meliori atque excellentiori habitudine animi superarit, et dignis desideriis etiam ipsi appropriaverit dexterae, in qua sunt omnes promissiones, dicente Propheta ad Dominum: *Delectationes in dextera tua usque in finem* (*Psal. xv, 11*). Unde et certa spe concepta cum fiducia loquitur: *Et dextera ejus amplexabitur me*.

1444 9. Tu jam mecum videris, an ita affectæ et assecutæ hunc tantæ suavitatis locum, illud quoque conveniat de psalmo usurpare, ut dicat etiam ipsa: *In pace in idipsum dormiam, et requiescam*; præsertim cum suppetat causa quæ sequitur: *Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me* (*Psal. iv, 9, 10*). Quod equidem tale est. Donec quis premitur a spiritu servitutis, parumque habet de spe, de timore plurimum; non est ei pax neque requies, fluctuante nimirum conscientia inter spem et timorem, maximeque quod a superexcellente timore abundantius crucietur: nam timor pœnam habet. Et ideo non est illi dicere: *In pace in idipsum dormiam et requiescam*, quando necdum se singulariter,

in spe constitutum dicere potest. Cæterum si paulatim per incrementum gratiæ cœperit deficere timor, et proficere spes; cum demum ad hoc ventum fuerit ut totis viribus exurgens charitas in adiutorium spei foras mittat timorem: nonne ejusmodi anima singulariter in spe constituta videbitur, ac proinde etiam in pace in idipsum dormire jam et requiescere?

10. *Si dormiatis, inquit, inter medios clericos, pennæ columbæ deargentatæ (Psal. LXXII, 14).* Quod propterea dictum puto, quoniam est locus inter timorem et securitatem, tanquam inter lævam et dexteram, media videlicet spes, in qua mens et conscientia, molli nimirum supposito charitatis stratu, suavissime requiescit. Et forte in consequentibus hujus ipsius cantici hic locus fuerit designatus, ubi in descriptione feruli Salomonis inter cætera habes: *Media charitate constravit propter filias Jerusalem (Cant. III, 10).* Nam qui se singulariter in spe constitutum sentit, non jam in timore servit, sed requiescit in charitate. Denique requiescit et dormit sponsa, pro qua dicitur: *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.* Magna et stupenda dignatio, quod quiescere facit animam contemplantem in sinu suo, insuper et custodit ab infestantibus curis, protegitque ab inquietudinibus actionum, et molestiis negotiorum; nec patitur omnino suscitari, nisi ad ipsius utique voluntatem. At istud non in angustiis finiendi jam sermonis adoriendum est, magis autem hinc alius inchoetur, quatenus locus delectabilis debita in tractando diligentia non fraudetur. Non quod vel tunc sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, præsertim in tam digna, tanque eccellente et omnino supereminente materia; sed sufficientia nostra ex Deo est, sponso Ecclesiæ Jesu Christo Domino nostro, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LII.

De excessu, qui contemplatio dicitur, in qua sponsus facit quiescere animam sanctam, pro ejus quiete zelans.

1. *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ut non excitetis neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit (Cant. II, 7).* Prohibentur adolescentulæ: has enim filias Jerusalem dicit, quia, etsi delicatæ et molles, et quasi femineis adhuc affectibus et actibus infirmæ, sponsæ tamen inhærent spe proficiendi et proficiscendi Jerusalem: prohibentur ergo ab infestatione sponsæ dormientis, ne scilicet præter voluntatem ipsius ullatenus eam excitare præsumant. Propterea enim dulcissimus sponsus lævam suam capiti ejus supposuit, secundum ea quæ præmissa sunt, quatenus in sinu suo eam quiescere faceret et dormire. Et nunc sicut subinde Scriptura prosequitur, ipse custos illius

A dignantissime et benevolentissime vigilat super eam, ne adolescentularum crebris minutisque necessitatibus inquietata evigilare cogatur. Ista est litteralis cohærentia textus. Sed enim contestatio illa facta per *capreas cervosque camporum*, nihil omnino secundum litteram consequentiæ rationabilis habere videtur; adeo totam sibi cam **1445** vindicat intelligentia spiritualis. At quoquo modo illa se habeat, interim bonum est nos hic esse, et intueri paulisper naturæ divinæ bonitatem, suavitatem, dignationem. Quid namque tu, homo, in humanis unquam affectibus expertus es dulcius, quam modo tibi exprimitur de corde Altissimi? Et exprimitur ab illo qui scrutatur alta Dei, et non potest nescire quæ in eo sunt, quia Spiritus ipsius est; nec aliud plane loqui, quam quod apud ipsum vidit, quoniam veritatis Spiritus est.

2. Denique nec deest in nostro genere, qui hoc munere felix lætificari meruerit, et sic in semetipso suavissimi arcani hujus habuerit experimentum; nisi tamen Scripturæ loco, qui præ manibus est, omnino decredimus, ubi manifeste in lucitur cælestis sponsus vehementissime zelans pro quiete cujusdam dilectæ suæ, sollicitus servare inter brachia propria dormientem, ne qua forte molestia vel inquietudine a somno suavissimo deturatur. Non me capio præ lætitia, quod illa majestas tam familiari dulcique consortio nostræ se inclinare infirmitati minime dedignatur, et superna Deitas animæ exsultantis inire connubia, eique sponsi ardentissimo amore capti exhibere affectum non despicit. Sic, sic in cælo esse non ambigo, ut lego in terra, sentietque pro certo anima quod continet pagina, nisi quod non sufficit ista omnino exprimere, quantum capere illa tunc poterit, sed nec quantum jam potest. Quid, putas, illic accipiet, quæ hic tanta familiaritate donatur, ut Dei brachiis amplecti se sentiat, Dei sinu foveri, Dei cura et studio cusculiri, ne dormiens forte a quopiam, donec ultro evigilet, excitetur?

3. Age jam itaque, dicamus si possumus, quisnam ille sit somnus, quo dilectam suam sponsus obdormire velit, nec patiatnr omnino, nisi ad ipsius arbitrium, excitari, ne forte cum legerit quis apud Apostolum: *Hora est jam nos de somno surgere (Rom. XIII, 11)*, sive apud Prophetam exorari ab ipso Deum, illuminari oculos suos ne unquam obdormiat in morte (Psal. XII, 4), nominum æquivocatione turbetur, nec inveniat omnino, quid digne de dormitione sponsæ quæ hoc loco memoratur, sentire possit. Nam ne illud quidem simile est huic, quod de Lazaro ait in Evangelio Dominus: *Lazarus amicus noster dormit, eamus et a somno excitemus eum (Joan. XI, 11)*. Hoc enim dicebat de morte corporis ejus, cum discipuli de dormitione somni dictum putarent. Non autem is sponsæ somnus dormitio corporis, vel placida, quæ sensus carnis suaviter sopit ad tempus, vel horrida, quæ funditus vitam tollere consuevit. Multo magis vero et ab illa alienus existit quæ ob-

dormitur morte, cum videlicet in peccato quod est ad mortem, irrevocabiliter perseveratur. Magis autem istiusmodi vitalis vigilque sopor sensum interiorum illuminat, et morte propulsata vitam tribuit sempiternam. Revera enim dormitio est, quæ tamen sensum non sopiat, sed abducit. Est et mors, quod non dubius dixerim, quoniam Apostolus quosdam in carne adhuc viventes commendando si loquitur: *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo (Coloss. III, 3).*

4. Proinde et ego non absurde sponsæ exstasim vocaverim mortem, quæ tamen non vita, sed vitæ eripiat laqueis, ut possit dicere: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium (Psal. CXXIII, 7).* Inter medios namque laqueos in hac vita inceditur, qui utique toties non timentur, quoties sancta aliqua et vehementi cogitatione anima a semetipsa abripitur; si tamen eoque mente secedat et avolet, ut et hunc communem transcendat usum et consuetudinem cogitandi: etenim frustra jacitur rete ante oculos pennatorum (*Prov. I, 17*). Quid enim formidetur luxuria, ubi nec vita sentitur? Excedente quippe anima, etsi non vita, certe vitæ sensu, necesse est etiam ut nec vitæ tentatio sentiatur. Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam? (*Psal. LIV, 7.*) Utinam hac morte ego frequenter cadam, ut evadam laqueos mortis, ut non sentiam vitæ luxuriantis mortifera blandimenta, ut obstupescam **1446** ad sensum libidinis, ad æstum avaritiæ, ad iracundiæ et impatientiæ stimulos, ad angores sollicitudinum, et molestias curarum! Moriatur anima mea morte justorum, ut nulla illam illaqueet fraus, nulla oblectet iniquitas. Bona mors, quæ vitam non aufert, sed transfert in melius, bona, qua non corpus cadit, sed anima sublevatur.

5. Verum hæc hominum est. Sed moriatur anima mea morte etiam, si dici potest, angelorum, ut presentium memoria excedens, rerum se inferiorum corporearumque non modo cupiditatibus, sed et similitudinibus exuat, sitque ei pura cum illis conversatio, cum quibus est puritatis similitudo. Talis, ut opinor, excessus aut tantum, aut maxime contemplatio dicitur. Rerum etenim cupiditatibus vivendo non teneri, humanæ virtutis est, corporum vero similitudinibus speculari non involvi, angelicæ puritatis est. Utrumque tamen divini muneris est, utrumque excedere, utrumque te ipsum [*alias, utrumque exuere te ipsum, etc.*] transcendere est, sed longe unum, alterum non longe. Beatus qui dicere potest: *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine (ibid., 8).* Non fuit contentus exire, nisi et longe se faceret, ut posset quiescere. Transilisti carnis oblectamenta, ut minime jam obediatis concupiscentiis ejus, nec tenearis illecebris: profecisti, separasti te, sed nondum elongasti, nisi et irruentia undique phantasmata corporearum similitudinum transvolare mentis puritate prævaleas. Hucusque noli tibi promittere requiem. Erras, si citra invenire te existimas locum quietis, secretum solitudinis, luminis serenum, habitaculum pacis.

Sed da mihi qui illuc pervenerit, et incunctanter fateor quiescentem, qui merito dicat: *Convertere, anima mea, in requiem tuam; quia Dominus benefecit tibi (Psal. cxiv, 7).* Atque hic vere in solitudine locus et in lumine habitatio, prorsus juxta prophetam, tabernaculum in umbraculum diei ab æstu, in securitatem et absconsionem a turbine et a pluvia (*Isa. iv, 6*); de quo et sanctus David: *Abscondit me, inquit, in tabernaculo suo in die malorum, protegit me in abscondito tabernaculi sui (Psal. xxvi, 5).*

6. Puta ergo in solitudinem hanc secessisse sponsam, ibique præ æmœnitate loci inter amplexus sponsi suaviter obdormisse, id est in spiritu excessisse, quando prohibita sunt adolescentulæ expergefaceri illam, quoadusque ipsa voluerit. At istud qualiter? Non enim simpliciter, neque levi, ut assolet, commotione prohibita sunt; sed omnino nova et insueta contestatione, *per capreas scilicet cervosque camporum.* Quo quidem genere ferarum videntur mihi satis congruenter expressæ sancte animæ exuta corporibus, simul et qui cum Deo sunt angeli, nimirum propter acumen visus, et saltus celeritatem. Utrumque hoc siquidem utrisque spiritibus convenire cognoscimus: nam facile et petunt summa, et intima penetrant. Quorum quoque in campis designata conversatio evidenter liberos atque expeditos signat in contemplatione discursus. Quid sibi vult ergo adjuratio facta per istos? Profecto ne inquietæ adolescentulæ audeant levi ex causa evocare dilectam a tam reverendo collegio, cui absque dubio toties admiscetur, quoties contemplando excedit. Pulchre itaque horum auctoritate terrentur, a quorum societate constat avelli illam ipsorum importunitate. Attendant adolescentule quos offendant, pariter cum matrem inquietant; et minime ita materna de charitate confidunt, ut non in illum cœlestem conventum sine magna necessitate irruere vereantur. Id quippe se agere cogitent, quoties in contemplatione quiescenti plus jussu molestæ sunt. Ponitur sane in voluntate ipsius, et vacare sibi, et curæ illarum intendere prout oportere judicaverit, cum vetatur excitari ab illis, quousque ipsa velit. Novit sponsus quanta flagret dilectione etiam erga proximos sponsa, et satis propria charitate sollicitari matrem de profectibus filiarum, nec se ullo pacto illis subtracturam seu denegaturam quantum et quoties opus fuerit: proptereaque secure discretioni **1447** ejus credendam censuit hanc dispensationem. Non enim est talis, quales multos videmus prophetica inustione notatos, qui quoque crassum est et forte assumentes, quod debile est projiciunt (*Ezech. xxxiv, 3, 4*). Nunquid medicus valentes requirit, et non potius ægrotantes? Si contingat, facit forsitan ut amicus, sed non ut medicus. Quos docebis, Magister bone, si omnes indoctos repuleris? Quibus, quæso, adhibebis diligentiam disciplinæ, si indiscipulatos vel effugaveris omnes, vel fugaris? In quibus, obsecro, tuam pro-

labis patientiam, si solos admiseris mansuetos, inquietos excluderis?

7. Sunt tamen de hic sedentibus, qui utinam præsens capitulum attentius observarent. Cogitent certe, quanta præpositis reverentia debeatur, quos temere inquietando, cæli quoque civibus se reddunt infestos: et nobis forte plusculum solito parcere demum inciperent, nec tam irreverenter leviterque se jam ingererent cum vacamus. Rara satis mihi ad feriandum a supervenientibus, ut bene norunt, conceditur hora, etiam cum ipsi me in omni patientia sustinebunt. Verum ego scrupulosius moveo istiusmodi querelam, ne quis forte pusillanimitas supra vires propriæ patientiæ dissimulet a necessitatibus suis, dum me inquietare veretur. Supersedeo igitur, et ne magis impatientiæ exemplum videar dare infirmis. Pusilli Domini sunt credentes in eum; non patior ut ex me scandalum patiantur (*Matth. xviii, 6*). Non utor hac potestate; magis autem ipsi me utantur ut libet: tantum ut salvi fiant. Parcent mihi si non pepercerint, et in eo potius requiescam, si non me inquietare timuerint pro necessitatibus suis. Geram eis morem quoad potuero, et in ipsis serviam Deo meo, quandiu fuero, in charitate non ficta. Non quæram quæ mea sunt; nec quod mihi est utile, sed quod multis, id mihi utile iudicabo. Hoc solui deprecor, ut fiat acceptum eis fructuosumque ministerium meum, si forte vel ex hoc inveniam in die mala misericordiam in oculis Patris eorum simul et sponsi Ecclesiæ Jesu Christi Domini nostri, qui cum eo est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LIII.

Per montes et colles significari cælestes spiritus, quos transiit sponsus per suum in terras adventum, seu per mysterium Incarnationis suæ.

1. *Vox dilecti mei (Cant. ii, 8)*. Videns sponsa novam adolescentularum verecundiam, et verecundum timorem, quod scilicet de novo cœpissent non audere se ingerere sancto otio ipsius, nec sicut heri et nudius tertius molestæ fieri quiescenti in contemplatione præsumerent: agnoscit hoc sibi provenisse cura et opera sponsi; et exultans in spiritu, sive pro illarum profectu, quæ a nimia et superflua inquietudine compescuntur; sive pro sua deinceps futura liberiori quiete, sive etiam pro dignatione et favore sponsi, adeo pro hac ipsa ejus quiete zelantis, et tanto studio defensantis suavissima otia sua, imo studia ferventissima; ait hoc facere vocem dilecti sui, hujus rei gratia factam ad illas. Etenim is qui aliis præest in sollicitudine, vix unquam, vel raro secure vacat sibi, dum semper timet sui penuriam facere subditis, et non placere Deo, quod communi utilitati propriam præfert quietem et contemplationis dulcedinem. Non autem parum gaudii et securitatis accedit interdum suaviter feriant, cum ex metu quodam et reverentia erga se inmissa divinitus cordibus subditorum, intelligit suam Deo placere quietem, qui facit ut illi æquo magis animo sævas necessitates sustineant, quam patris spiritualis

A grata audeant otia temere perturbare. Nam justa trepidatio parvulorum manifeste signat, audisse eos intus quasi minacem atque increpatoriam illius procul dubio vocem, qui in propheta loquitur: *Ego qui loquor justitiam (Isa. lxiii, 1)*. Vox ejus, inspiratic ejus est, ac justitiam timoris incussio.

2. Comperta ergo hac voce, sponsa gaudens et exultans: **1448** *Vox, inquit, dilecti mei*. Amica est, et gaudio gaudet propter vocem sponsi. Et addit: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles*. Comperta ex auditu vocis dilecti præsentia, incunctanter intendit bene curiosos oculos ad videndum quem audierat. Auditus ducit ad visum, quia fides ex auditu (*Rom. x, 17*), qua corda mundantur, ut possit videri Deus: sic enim habes: **B** *Fide mundans corda (Act. xv, 9)*. Videt itaque venientem, quem loquentem audierat, observante etiam hic ordinem illum Spiritu sancto, qui apud Prophetam descriptus est ita: *Audi, filia, et vide (Psal. xlii, 11)*. Et ut certius advertas, non casu, neque fortuito, sed de studio magis et industria, ob illam scilicet rationem quam præmissimus, auditum hoc loco præmissum visui; vide si non hic ordo verborum a sancto quoque Job observatus invenitur, ubi sic loquitur Deo: *Auditu auris audivi te, et nunc oculus meus videt te (Job xlii, 5)*. Sed et ubi Spiritus sanctus super apostolos in die Pentecostes descendisse memoratur, nonne auditus visum prævenisse describitur? Ait enim: *Factus est repente de cælo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis; et infra: Et apparuerunt illis dispersitæ linguæ tanquam ignis (Act. ii, 2, 3)*. Et hic ergo Spiritus sancti adventum primo auditus, dehinc visus percepisse refertur. Sed de hoc satis, quoniam tu quoque, si curas operam dare hujusmodi inquisitioni, poteris et ipse fortassis in aliis Scripturæ locis nonnulla similia reperire.

3. Nunc jam illud consideremus, quod diligentioris eget inquisitionis, et difficiliore habet accessus. ad quod nimirum omnino me egere fateor adjutorio Spiritus sancti, ut ponere in lucem possim, qui sint illi montes seu colles, super quos salientem, et transilientem eos, Ecclesia sponsum lætis spectavit obtutibus, credo cum properaret ad ipsius redemptionem, cujus concupierat decorem. Nam id quidem **D** propterea ita et non dubie senserim, quoniam simile quid de Propheta occurrit mihi, evidenter in spiritu prævidente et exprimente Salvatoris adventum: *In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Exsultavit ut gigas ad currendam viam: a summo cælo egressio ejus, et occursum ejus usque ad summum ejus (Psal. xviii, 6, 7)*. Cursus et recursus is notissimus est; a quo, et ad quid initus consummatusque, notissimum. Quid igitur? pingemus nobis, sive in psalmis ista legentes, sive in præsentis cantico, virum gigantem proceræ staturæ, absentis cujuspiam mulierculæ amore captum, et, dum properat ad cupitos amplexus, transilientem montes collesque hos, quos videmus mole corporea super plana terræ tanta altitudine

eminentes, ut et supra nubes aliqui illorum verticem extulisse cernantur? Verum non decet istiusmodi corporeas phantasias imaginari, præsertim tractantes hoc canticum spirituale: sed nec licet omnino nobis, qui meminimus legisse in Evangelio, quia, *spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu oportet adorare* (Joan. iv, 24).

4. Qui sunt ergo hi spirituales montes et colles, ut postmodum consequenter agnoscamus, sponsus (qui Deus, ac per hoc et spiritus est) quales et cujuscumque dabat saltus in illis, vel super illos? Si illos putamus, in quibus Evangelium refert olim fuisse relictas nonaginta novem oves, cum pius pastor earum venit unam in terris quærere quæ perierat (Matth. xviii, 12); nihilominus adhuc in obscuro res est, et intellectus hæret: dum difficile sit invenire, spirituales illæ (216) et supercælestes beatitudines (nam ipsæ sunt sine dubio, quæ ibi memoratæ sunt oves) quos vel quales alios habeant spirituales similiter montes vel colles ad habitandum, pascendumve in illis. Verumtamen si non in veritate aliqui essent, Veritas hoc non dixisset. Sed neque Propheta longe ante de civitate superna Jerusalem protulisset, quia fundamenta ejus sint in montibus sanctis (Psal. lxxxvi, 1), si non vere inibi essent montes sancti. Denique quod cælestis habitatio illa vere habeat, non modo spirituales, sed et vivos ac rationales montes collesque, audi Isaiam: *Montes et colles cantabunt coram Deo laudes* (Isa. lv, 12).

5. Quinam igitur isti nisi iidem ipsi cœli inhabitatores 1449 spiritus, quos Dominica voce oves diximus appellatos, ut ipsi sint montes qui oves? Nisi forte absurdum tibi videatur, aut in montibus montes, aut in ovibus oves pasci. Et juxta litteram quidem durum sonat; secundum spiritualem autem intelligentiam dulce sapit, si subtiliter advertamus, quomodo utrarumque ovium pastor, Dei scilicet sapientia Christus, unum idemque pabulum veritatis aliter in terris, aliter in cælestibus gregibus suis administret. Nam nos quidem mortales homines interim in loco peregrinationis nostræ, in sudore vultus nostri comedere panem nostrum necesse habemus, foris illum in labore et ærumna mendicantes; id est, vel a doctis viris, vel a sacris libris, vel cœte per ea quæ facta sunt, invisibilia Dei intellecta conspicientes. Angeli autem in omni plenitudine, etsi non a semetipsis, tamen in semetipsis, tanta facilitate quanta et felicitate accipiunt, unde et beate vivunt. Sunt enim omnes docibiles Dei: quod sane electos hominum quandoque assecuturos certa veritate promittitur, et nondum experiri tribuitur felicitate secunda.

6. Pascuntur proinde in montibus montes, vel oves in ovibus, cum sane supernæ illæ substantiæ spirituales intra semetipsas de Verbo vitæ, unde suam beatam perpetuent vitam, affluenter inveniunt,

iiidem ipsi et montes, et oves: montes, propter plenitudinem vel celsitudinem; oves, propter mansuetudinem. Pleni quippe Deo, celsi meritis, cumulati virtutibus, nihilominus tamen erectos vertices tota et humili obedientia submittant et inclinant illius longe supereminentis imperio majestatis, tanquam oves mansuetissimæ ad nutum sui pastoris per omnia ambulantes, et sequentes eum quocumque ierit. Et in his, secundum prophetam David, vere montibus sanctis, tanquam primæ omnium creata sapientia, fundamenta civitatis Domini ab initio firmiter stabilita consistunt (Psal. lxxxvi, 1); quæ utique una est in cœlo et in terra, licet ex parte peregrinans, et ex parte regnans. Et ex his nihilominus, juxta Isaiam, tanquam quibusdam vitalibus cymbalis bene sonantibus, jugis resonat gratiarum actio, et vox laudis (Isa. li, 3), suavi et incessabili voce implentibus, quod ex eodem Propheta paulo ante memoravimus, quia *montes et colles cantabunt coram Deo laudes*; et item quod ille alius loquens ad Dominum Deum: *Beati, ait, qui habitant in domo tua, Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te* (Psal. lxxxiii, 5).

7. Hi ergo: ut ad id recurramus, unde aliquantulum, sed, ut puto, necessarie digressum est: illi sunt montes atque colles, in quibus Ecclesia vidit cælestem sponsum mira alacritate salientem, cum ad suos properaret amplexus; nec modo salientem, sed et transilientem eos. Vis tibi hos saltus ex litteris prophetarum, apostolorumque demonstrarem? Non quod nunc omnia, quæ de hac re apud illos ab otiosis inveniri queunt, testimonia replicare incipiam (hoc enim longum est, et opus non est); sed ea tantum modo pono, quæ breviter et aperte asstruere videantur id quod dicitur de sponsi saltibus. Dicit de illo David quia *posuit in sole tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo: exsultavit ut gigas ad currendam viam, a summo cœlo egressio ejus* (Psal. xviii, 6, 7). En quantum saltum dedit, a summo cœlo ad terras. Sane enim non invenio alibi, ubi in sole posuerit tabernaculum suum, id est, in luce et in manifesto suam dignatus sit exhibere præsentiam ipse lucis inaccessibleis habitator, nisi utique in terris. Denique: *In terris risus est, et cum hominibus conversatus est* (Baruch. iii, 38). In terris, inquam, palam, quod est in sole, posuit tabernaculum suum, corpus videlicet, quod de Virginis corpore ad hoc sibi aptare dignatus est, ut in eo in se invisibilis videretur; et sic videret omnis caro salutare Dei, cum in carne venisset.

8. Saliit ergo in montibus, id est in illis supremis spiritibus, cum ad eos usque descendit, sacramentum a sæculis absconditum, et magnum pietatis mysterium eis dignanter aperiens. Sed transiliens hos superiores atque eminentiores montes, cherubim scilicet atque 1450 seraphim, nec non dominationes, principatus et potestates, virtutesque etiam ad

(216) Sic Rouauld. Mabillonius et alii editi, *illas*.

inferiorem usque ange.orum ordinem descendere, A tanquam ad colles dignatus est. Sed nunquid vel in illis remansit? Transiit et colles. *Non enim, inquit, angelos, sed semen Abrahæ apprehendit* (Hebr. 11, 16), quod utique angelis inferius est, ut sermo impleretur, quem dixit memoratus Propheta, loquens ita ad Patrem de Filio: *Minuisti eum paulo minus ab angelis* (Psal. VIII, 6). Quanquam hoc sane ad commendationem naturæ humanæ dictum possit intelligi, quod homo ad imaginem et similitudinem Dei conditus, ac prædictus ratione ad instar utique angeli, modicum tamen distet ab angelo propter corpus de terra. Sed audi apostolum Paulum aperte pronuntiantem de eo: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitrabatur esse se æqualem Deo: quia semetipsum exinanivit, formam B servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo* (Philipp. 11, 6, 7); et rursum: *Ubi venit, inquit, [plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret* (Galat. 11, 4, 5). Qui ergo factus ex muliere, factus et sub lege est, procul dubio non solum montes, id est majores superioresque beatitudines, sed etiam minores angelos descendendo transiit, qui quidem in comparatione superiorum, merito collium nomine designantur. Cæterum qui minor est in regno cælorum, major est quovis carnem portante super terram, etiamsi sit ille magnus Joannes Baptista (Luc. VII, 28). Nam etsi sane Deum hominem fateamur, etiam in homine super omnem principatum et potestatem longe incomparabiliter præeminere; certum tamen quia etsi præit majestate, sed infirmitate succubuit. Ita ergo saliit in montibus, et transiit colles, cum non solum superioribus, sed et inferioribus spiritibus dignantissime se inferiorem exhibuit. Nec modo illis supernis spiritibus, sed et ipsis qui domos luteas inhabitant, subjectum se exhibuit, transiens et vincens humilitate etiam hominum humilitatem. Erat denique subditus Mariæ et Joseph, cum esset duodennis, in Nazareth (Luc. 11, 51, 52): et apud Jordanem Joannis se manibus jam juvenis ineffnavit (Matth. 11, 13). Sed et inclinata est dies, nec adhuc omnino de his montibus descendere libet.

9. Cæterum si hac vice voluerimus cuncta horum, prout delectat, explorare amœna, abdita perscrutari; verendum ne aut sermo grata brevitate careat, aut larga excellensque materies debita diligentia festinatione fraudetur. Pausemus proinde hodie jam, si placet, in montibus istis; quoniam bonum est nos hic esse, ubi a pastore Christo una cum sanctis angelis in loco pascuæ collocati, et jucundius pascimur, et uberius. Et nos siquidem oves pascuæ ejus. Ruminemus ergo, tanquam munda animalia boni pastoris, quæ hodierno sermone tota aviditate glutivimus; sermone altero

residua capituli ejusdem attentius percepturi, largiente sponso Ecclesiæ Jesu Christo Domino nostro, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LIV.

Qualiter iterum per montes significentur angeli et homines, et per colles dæmones. Item de triplici timore, quo quisque timere debet, ne gratiam bene operandi a Deo acceptam perdat.

1. Super eodem capitulo, quod hesterno sermone [alias, die] versatum est, dicturus sum et alium intellectum quem hodierno servavi: vos probate, et eligite potiora. Non est opus superiora repetere quæ excidisse non arbitror in tam brevi. Si quominus tamen, scripta sunt ut dicta sunt, et excepta stylo, sicut et sermones cæteri, ut facile recuperetur quod forte exciderit. Quapropter accipite alia. *Ecce venit is, inquit, saliens in montibus, transiliens colles* (Cantic. 11, 8). Sponsum loquitur: qui profecto tunc in montibus saliit, cum missus a Patre ad evangelizandum pauperibus, Angelorum fungi non est deditus officio, factus magni consilii Angelus, qui Dominus erat. Per se descendit ad terras, qui 1451 alios delegare solebat: per se notum fecit Dominus salutare suum, perse in conspectu gentium revelavit justitiam suam (Psal. xcvi, 2). Cum itaque omnes, juxta Pauli sententiam, *administratorii spiritus* sint, *missi in ministerium propter eos qui hæreditatem capiunt salutis* (Hebr. 1, 14); qui erat super illos, factus est inter illos tanquam unus ex illis, dissimulans injuriam, accumulans gratiam. Sed audi ipsum. *Non veni, inquit, ministrari, sed ministrare, et animam meam dare pro multis* (Matth. xx, 28). Quod quidem cæterorum nemo fecisse inventus est, ut omnes quotquot ministrasse visi sunt, ipse devotis transierit fidelibusque obsequiis. Bonus minister, qui carnem suam in cibum, sanguinem in potum, animam ministravit in pretium. Bonus plane, qui spiritu alacer, charitate fervens, pietate devotus, non solum salit in montibus, sed et transiit colles, id est superat et vincit alacritate ministrandi, utpote quem unxit Deus Deus suus oleo lætitiæ præ consortibus suis (Psal. xlii, 8): in quo utique singulariter exsultavit ut gigas ad currendam viam. Denique transiit Gabrielem, et] prævenit (217) ad Virginem, eodem archangelo attestante, cum ait: *Ave, gratia plena, Dominus tecum* (Luc. 1, 28). Quid? Quem modo reliquisti in cælo, nunc [alias, hunc] in utero reperis. Quonam modo? Volavit et prævolavit super pennas ventorum. Victus es, o archangele: transiit te qui præmisit te.

2. Aut certe saliebat in montibus, cum in angelis olim patribus apparebat: quod utique proprietati litteræ magis convenire videtur. Non enim ait, *saliens in montes*; sed, *in montibus*, ut ipse in eis videatur salire, qui facit et dat ut saliant; quemadmodum loquitur in prophetis, operatur in justis, cum illis verba, et istis opera tribuit. Adde quod aliqui eorum personam ejus gerebant, ita ut loqueretur

(217) Sic legendum cum manuscriptis; non *pervenit*, ut in editis.

quisque illorum, non tanquam angelus, sed tanquam Dominus. Verbi gratia, ille angelus qui cum Moysē loquebatur, dicebat, non, Ego Domini, sed, *Ego Dominus*, atque id frequentius iterabat. Saliebat ergo in montibus, id est in angelis, in quibus et loquebatur, et suam hominibus exhibebat præsentiam. Ad homines enim saliebat, sed in angelis, non in se; non in sua natura, sed in subjecta creatura. Qui enim salit, de loco ad locum vadit: quod non cadit in Deum. Ergo in montibus, id est in angelis, saliebat, qui in se non poterat; et saliebat usque ad colles, id est patriarchas et prophetas, cæterosque spirituales viros de terra. Sed transiliebat et colles, cum non solum magnis et spiritualibus viris, sed et aliquibus de populo, etiam et nonnullis mulieribus æque in angelis loqui et apparere dignatus est. Vel colles dicit aerias potestates, quæ inter montes quidem minime jam numerantur, pro eo quod a virtutum celsitudine defluerunt per superbiam; nec tamen usque ad humilia vallium, sive ad valles humilium per pœnitentiam detumescunt. De his arbitror illud dictum in psalmis: *Montes, sicut cera, fluxerunt a facie Domini* (Psal. xcvi, 5). Illos itaque tumentes ac steriles colles, tanquam medios positos inter montes perfectorum et valles pœnitentium, procul dubio transiit, qui in montibus salit; hisque præteritis et despectis descendit ad valles, ut valles abundant frumento. Porro illi e regione æterna ariditate ac sterilitate damnantur, sicut habes prophetæ super illos imprecationem: *Nec ros, inquit, nec pluvia descendat super vos*. Atque ut noveris quod ad angelos qui prævaricati sunt sub figura montium Gelboe ista loquatur, *Ubi, inquit, ceciderunt vulnerati multi* (II Reg. 1, 21). Quam multi in his maledictis montibus de exercitu Israel ceciderunt a principio, et quotidie cadunt! De quibus et habes in eodem propheta, cum dicit Dominus: *Sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius, et ipsi de manu tua repulsi sunt* (Psal. lxxxvii, 6).

3. Non est ergo mirum, si steriles et infructuosi permanent isti, non montes cœlici, sed aërii colles, super quos nec ros, nec pluvia descendit; quippe auctore gratiæ et benedictionum largitore transiliente eos, et 1452 descendente ad valles, ut cœlesti imbri perfundat humiles qui sunt super terram, et fructum afferant in patientia, fructum tricesimum, sexagesimum, et centesimum (Math. xiii, 8, 23; Luc. viii, 15). Denique visitavit terram, et inebriavit eam: multiplicavit locupletare eam (Psal. lxxiv, 10). Terram visitavit, non aerem quia *miseri cordia Domini plena est terra* (Psal. xxxii, 5). Denique, *Operatus est salutem in medio terræ* (Psal. lxxiii, 12); nunquid et in medio aëris? Hoc adversum Origenem, qui in aere Dominum gloriæ denuo pro dæmonibus impudenti crucifigit mendaciam, cum hujus conscius mysterii Paulus affirmat, quod resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (Rom. vi, 9).

4. Verum non solum visitavit terram, qui aerem

A transilivit, sed etiam cœlum, dicente Scriptura: *Domine, in cœlo misericordia tua, et veritas tua usque ad nubes* (Psal. xxxv, 6). Usque ad nubes enim cœlum est quod inhabitant sancti angeli, quos non transiit Sponsus, sed salit in eis, ita ut imprimat ipsis duo quedam vestigia pedum suorum, misericordiam et veritatem: de quibus Domini vestigiis memini me in superioribus sermonibus plenius disputasse (serm. 6). A nubibus vero et infra dæmonum habitatio est in aere isto infimo et caliginoso; in quibus non salit sponsus, sed transiit illos et præterit nec ullum in se retinent Dei transeuntis vestigium. Nam quomodo in diabolo veritas est, de quo in Evangelii Veritatis sententia exstat, quod in veritate non stetit, sed mendax exstitit ab initio? Sed nec misericordem quis dixerit eum, qui nihilominus ab initio homicida fuisse eadem ipsa Evangelii veritate convincitur (Joan. viii, 44). Porro autem qualis paterfamilias, tales et domestici ejus. Pulchre proinde de Sponso Ecclesia psallens, quod in altis habitet, et humilia respiciat in cœlo et in terra (Psal. cxii, 5, 6), nullam omnino mentionem facit de his qui in aere versantur spiritibus superbis, quoniam Deus superbis resistit, et humilibus dat gratiam (Jac. iv, 6).

5. Videt ergo illum salientem in montibus et transilientem colles, juxta imprecationem David dicentis: *Omnes montes qui in circuitu ejus sunt*, id est in circuitu Gelboe, *visitet Dominus; a Gelboe autem transeat* (II Reg. 1, 21). Diabolo nempe, qui per Gelboe designatur, hinc inde sunt montes quos visitat Dominus; supra angeli, infra homines. In pœnam siquidem suam locum in aere isto, medium inter cœlum et terram, de cœlo cadens sortitus est, ut videat et invideat, ipsaque invidia torqueatur, Scriptura dicente: *Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet, et tabescet* (Psal. cxi, 10). Quam miser, cum suspicit cœlos, in quibus innumeros montes intuetur divina claritate fulgentes, divinis laudibus resultat, sublimes in gloria, abundantes in gratia! Quam miserior, cum respicit terram, montes nihilominus quam plurimos de populo acquisitionis habentem, fide solidos, spe excelsos, claritate spatiosos, cultos virtutibus, honorum operum fructibus refertos, de rore cœli tanquam de saltu sponsi quotidianam recipientes benedictionem! Cum quanto putamus dolore et rancore aspiciat ille cupidissimus gloriæ istos in circuitu suo tam gloriosos montes, cum se et suos e regione incultos, tenebrosos, bonis omnibus infecundos despiciat, ita ut se sentiat esse opprobriata hominum et angelorum, qui omnibus exprobrabat secundum illud in Psalmis: *Draco iste quem formasti ad illudendum ei?* (Psal. cii, 26.)

6. Atque hoc, quia ob ipsorum superbiam transiit eos Sponsus, saliens in montes qui in circuitu ejus sunt, tanquam fons ascendens de medio paradisi, irrigans universa, et implens omne animal benedictione. Beati qui torrente voluptatis hujus potari interdum vel raro promerentur in quibus etsi non

continue fluit, saltem per horas salit aqua sapientiæ et fons vitæ, ut fiat in ipsis quoque fons aquæ salientis in vitam æternam. Et quidem hujus fluminis impetus lætificat civitatem Dei, sane perenniter et affluenter. In nostros autem montes qui in terra sunt, utinam interdum facta quasi inundatione saltus dare aliquos non despiciat, quibus **1453** sufficienter irrigati, nobis quoque, qui valles sumus, stillare vel raras guttulas possint, ne omnino aridi et steriles remaneamus! Miseria, et egestas, et omnino fames valida in regione illa, quæ nullis unquam istiusmodi vel saltibus, vel instillationibus humectatur, præterfluente et transiliente illam fonte sapientiæ: *Et quia non habuerunt, inquit, sapientiam, perierunt propter suam insipientiam (Baruch III, 28).*

7. *Ecce venit is saliens in montibus, transiliens colles.* Ad hoc salit ut transiliat, qui non vult ad omnes pertingere; neque enim in omnibus beneficium est Deo. Fratres, si, juxta sapientiam Pauli, scripta sunt, ista ad correptionem nostram (*I Cor. x, 11*), observemus Sponsi discretos et circumspectos saltus, quemadmodum videlicet tam apud Angelos quam apud nos, et in humiles saliat, et superbos transiliat: siquidem excelsus Dominus et humilia respicit; et alta a longe cognoscit (*Psal. cxxvii, 6*). Hæc, inquam, attendamus, quo cauti simus Sponsi nos salutiferis saltibus præparare, ne veluti a montibus Gelboe forte transeat et a nobis, si indignos nos sua visitatione conspexerit. Quid superbis, terra et cinis? Et de Angelis transilit Dominus, execrans eorum superbiam. Ergo repudiatio Angelorum flat emendatio hominum: scripta est enim ad ipsorum correptionem. Cooperetur mihi in bonum etiam diaboli malum, et lavem manus meas in sanguine peccatoris. Qualiter, inquis? Audi. Superbo certe diabolus horrenda et formidolosa maledictio intorquetur, propheta David in spiritu dicente de illo sub typo Gelboe, ut supra memoratum est: *Montes, inquit, qui in circuitu ejus sunt, visitet Dominus, a Gelboe autem transeat.*

8. Sane ego hoc legens, referensque oculos in me, et intuens diligenter, invenio me peste ipsa infectum, quam in angelo Dominus in tantum exborruit, quatenus propterea declinaret ab eo, cum omnes in circuitu ejus montes, sive de Angelis, sive de hominibus, visitationis suæ gratia dignaretur; et pavens tremensque aio ad memetipsum: Si sic actum est cum angelo, quid de me fiet terra et cinere? Ille in cœlo intumuit, ego in sterquilinio. Quis non tolerabiliorem in divite superbiam, quam in paupere ducat? Væ mihi! si tam dure in potente illo adversum est pro eo quod elevatum est cor illius, nec ei profuit quod cognata potentibus superbia esse cognoscitur; quid de me exigendum et misero, et superbo? Denique jam luo pœnas, jam acerbissime vapulo. Non sine causa sane ab heri et nudius tertius invasit me languor iste animi, et mentis hebetudo, insolita quædam inertia spiritus. Carrebam bene: sed ecce lapis offensionis in via; impegi, et corruvi.

A Superbia inventa est in me, et Dominus declinavit in ira a servo suo. Hinc ista sterilitas animæ meæ, et devotionis inopia quam patior. Quomodo ita exaruit cor meum, coagulatum est sicut lac, factum est sicut terra sine aqua? Nec compungi ad lacrymas queo; tanta est duritia cordis. Non sapit psalmus, non legere libet, non orare delectat, meditationes solitas non invenio. Ubi illa inebriatio spiritus? ubi mentis serenitas, et pax, et gaudium in Spiritu sancto? Ideo ad opus manuum piger, ad vigilias somnolentus, ad iram præceps, ad odium pertinax, linguæ et gulæ indulgentior, segnior obtusiorque ad prædicationem. Heu! omnes montes in circuitu meo visitat Dominus, ad me autem non appropinquat.

B Num collis non sum ex his quos transilit sponsus? Nam alium quidem intueor singularis abstinentiæ, alium vero patientiæ admirandæ, alium autem summiæ humilitatis et mansuetudinis, alium multæ misericordiæ et pietatis; illum in contemplatione frequenter excedere, hunc pulsare et penetrare cœlos orationum instantia, aliosque in aliis præeminere virtutibus. Hos, inquam, considero omnes ferventes, omnes devotos, omnes in Christo unanimes, omnes donis cœlestibus et gratia affluentes, tanquam spirituales revera montes qui a Domino visitantur, et sponsum in se salientem frequenter recipiunt. Ego autem, qui horum in me invenio nihil, quid me aliud putem quam unum **1454** de montibus Gelboe, quem præterit in ira et indignatione sua ille cæterorum omnium benignissimus visitor?

C **9.** Filioli, hæc cogitatio tollit extollentiam oculorum, conciliat gratiam, sponsi saltibus præparat. Hæc ego in me transfiguravi propter vos, ut et vos ita faciatis. Imitatores mei estote. Quod non de exercitio dico modo virtutum, aut morum disciplina, aut gloria sanctitatis (nec enim de hujusmodi quidquam mihi temere arrogaverim imitatione dignum); sed volo vos non parcere vobis, sed accusare vosmetipsos, quoties forte in vobis, vel ad modicum tepere gratiam, virtutem languescereprehenditis, sicut et ego pro hujusmodi memetipsum accuso. Hoc facere hominis est, qui curiosus circumspector est sui, et scrutator viarum suarum ac studiorum, atque in omnibus semper suspectum habet arrogantiae vitium ne subrepat. In veritate didici, nil æque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inveniaris non altum sapere, sed timere. *Beatus homo qui semper est pavidus (Prov. xxviii, 14).* Time ergo cum arriserit gratia, time cum abierit, time cum denuo revertetur; et hoc est semper pavidum esse. Succedant vicissim sibi in animo tres isti timores, secundum quod gratia vel ades dignatur, vel offensa recedere, seu iterum redire placata sentietur. Cum adest, time ne non digne opereris ex ea: nam hoc monet Apostolus: *Videte, inquit, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis (I Cor. vi, 1);* et ad discipulum: *Noli, inquit, negligere gratiam quæ in te est (I Tim. iv, 14);* et de semetipso dico-

bat: *Quia gratia Dei in me vacua non fuit (I Cor. xv, 40)*. Sciebat homo, consilium Dei habens, redundare in contemptum donantis donum negligere, nec expendere ad quod donatum est; idque intolerabilem esse superbiam judicabat: et propterea studiosissime hoc malum et ipse cavebat, docebatque cavendum. Sed rursus latet fovea hic, quæ nolo vos lateat, de qua is ipse superbiam spiritus tanto periculosius, quanto occultius, sicut habetis in psalmo, *insidiatur quasi leo in spelunca sua (Psal. x, 9)*. Nam si impedire non prævalet actionem, tentat intentionem, suggerens et suadens, quatenus effectum gratiæ arroges tibi. Quod quidem superbiam genus longe illo priore intolerabilius esse non ambigas. Quid enim odiosius illa voce, qua quidam dixerunt: *Manus nostra excelsa, et non Dominus, fecit hæc omnia? (Deut. xxxii, 27)*.

10. Si ergo timendum manente gratia; quid, si recesserit? num multo magis tunc timendum? Plane multo magis; quia ubi deficit tibi gratia, deficiis tu. Audi etenim quid dator gratiæ dicat. *Sine me, ait, nihil potestis facere (Joan. xv, 5)*. Time ergo subtracta gratia, tanquam mox casurus; time et contremisce, Deo tibi, ut sentis, irato; time, quia reliquit te custodia tua. Nec dubites in causa esse superbiam, etiamsi non appareat, etiamsi nihil tibi conscius sis. Quod enim tu nescis, scit Deus; et qui te iudicat, ipse est. Sed nec qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat (*II Cor. x, 18*). Nunquid commendat te Deus, cum gratia privat? Aut nunquid qui hæmilibus dat gratiam (*Jac. iv, 6*), humili auferet datam? Ergo argumentum superbiam privatio est gratiæ. Quanquam tamen interdum subtrahitur gratia, sive retrahitur, non pro superbia quæ jam est, sed quæ futura est, nisi subtrahatur. Habes hujus rei evidens documentum de Apostolo, qui stimulos carnis suæ sustinebat invitus, non quia extolleretur, sed ne extolleretur (*II Cor. xii, 7*). Sed sive jam existens, sive nondum, superbia tamen semper causa erit subtractæ gratiæ.

11. Jam si gratia repropitiata redierit, multo amplius tunc timendum, ne forte contingat recidivum pati, juxta illud de Evangelio. *Ecce sanus factus es, unde et amplius jam noli peccare, ne aliquid deterius tibi contingat (Joan. v, 14)*. Audis recidere quam incidere esse deterius. Proinde invalescente periculo, invalescat et metus. Beatus es, si cor tuum triplici isto timore repleveris, ut timeas quidem pro accepta gratia, amplius pro amissa, longe plus pro recuperata. Hoc fac, et eris hydra in **1455** Christi convivio, impleta usque ad summum, continens nimirum metretas, non binas tantum, sed et ternas, ut Christi merearis benedictionem, quæ aquas tuas convertat in vinum lætitiæ, et perfecta charitas foras mittat timorem (*I Joan. iv, 18*).

12. Quod dico, tale est. Aqua timor est, quoniam ab æstu refrigerat desideriorum carnalium. *Initium, inquit, sapientiæ timor Domini (Psal. cx, 10)*; et

A habes: *Aqua sapientiæ salutaris potavit illum (Eccli. xv, 3)*. Si timor sapientia, et sapientia aqua; timor aqua est; denique: *Timor Domini, inquit, fons vitæ (Prov. xiv, 7)*. Porro hydra mens tua. *Capientes, inquit, singulæ metretas binas vel ternas. Tres metretæ, timores tres. Et impleverunt eas, inquit, usque ad summum (Joan. ii, 6, 7)*. Non unus timor, non duo quoque, sed tot tres simul replent usque ad summum. Omni tempore time Deum, et ex omni corde tuo, et implesti hydriam tuam usque ad summum. Amat Deus integrum nunus, affectum plenum, perfectum sacrificium. Cura proinde nuptiis cœlestibus plenam inferre hydriam, ut de te quoque dicatur: *Quia replevit eum spiritu timoris Domini (Isai. xi, 3)*. Qui sic timet, nihil negligit. Unde namque negligentia intret in plenitudinem? Alioquin quod capere adhuc aliquid potest, plenum non est. Eadem sane ratione non potest simul et sic timere, et altum sapere. Non est enim quo admittas superbiam, repletus timore Domini. Et sic de cœteris vitis sentiendum, quia necesse est omnia plenitudine timoris excludi. Tunc demum si plene, si perfecte timeris, salit charitas saporem aquis tuis ad Domini benedictionem. Sine charitate enim timor pœnam habet. Et quidem charitas vinum, quod lætificat cor hominis (*Psal. ciii, 15*). Perfecta autem charitas foras mittit timorem, ut ubi aqua fuerat, vinum esse incipiat ad laudem et gloriam sponsi Ecclesiæ Jesu Christi Domini nostri, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LV.

Qualiter homo per veram penitentiam potest evadere iudicium Dei.

1. *Similis est dilectus meus capræ hinnuloque cervorum (Cant. ii, 9)*. Ex præcedenti versiculo vendet. Quem enim salientem et properantem modo descriperat, consequenter comparat capræ hinnuloque cervorum. Aptè quidem, quod hoc genus animantium cursu velox, et saltu agile sit. Porro sermo de sponso est, et sermo sponsus est. Et Propheta dicit de Deo quia *velociter currit sermo ejus (Psal. cxlvii, 15)*; sane congruus hinc loco, ubi sponsus, qui sermo Dei est, saliens transiliensque describitur, similis proinde factus capræ hinnuloque cervorum. Et hæc ratio similitudinis. Adde tamen, ne nulla similitudinis ipsius vel anima proportiuncula vacet, quia caprea quidem non modo cursus pernicitate, sed et acumine visus eminet. Quod utique proprie illam respicit narrationis partem, qua sponsus, non solum saliens, sed et transiliens apparere refertur; quia nisi acuto et perspicaci intuitu non posset omnino, præsertim inter currendum, discernere in quos salire, et quos transilire deberet. Alioquin poterat sufficere, ad designandam festinantis velocitatem, de solo hinnulo comparatio; is quippe rapidiori se ferre noscitur cursu. Nunc vero quoniam sponsus iste, etsi ardentè amans, cursim ruere in dilectæ videatur amplexus, nihilominus tamen gressus, vel potius saltus suos prudenti considerat

dirigere novit, cautus ubi oporteat figere pedem : A oportuit profecto cum hinnulo etiam de caprea similitudinem dari, quatenus et per illum desiderium salvantis, et per hanc eligentis exprimeretur iudicium. Christus nempe justus et misericors, salvator et iudex : et quia amat, vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire (*I Tim. II, 4*); et quia iudicat, novit qui sunt ejus (*II Tim. II, 19*), et ipse scit quos elegit a principio (*Joan. XIII, 18*).

2. Igitur duo hæc bona sponsi, misericordiam scilicet et iudicium, in his duobus animantibus commendata a Spiritu sancto nobis interim sentiamus, ut in **1456** testimonium integritatis et perfectionis fidei nostræ, nos quoque Prophetam imitantes, misericordiam et iudicium cantemus Domino (*Psal. C, 1*). Ego autem non dubito, et alia de horum natura ab his quidem, qui talium curiosi et gnari sunt, posse monstrari, quæ sponso aptari utiliter et congruenter queant : sed hæc, ut arbitrari, sufficere possunt ad dandam rationem adductæ similitudinis. Pulchre tamen Spiritus sanctus non de cervo, sed de hinnulo cervorum similitudinem dedit, in quo et Patrum fecit mentionem, e quibus Christus secundum carnem, et infantia meminit Salvatoris. Ut hinnulus quippe apparuit parvulus qui natus est nobis (*Isai. IX, 6*). Verum tu qui adventum desideras Salvatoris, time scrutinium iudicis, time oculos capreae, time illum qui per prophetam dicit : *Et erit in die illa, et ego scrutabor Jerusalem in lucernis* (*Sophon. I, 12*). Acuto visu est; nihil inscrutum relinquet oculus ejus. Scrutabitur renes et corda (*Psal. VII, 10*), ipsaque cogitatio hominis constabit illi (*Psal. LXXV, 11*). Quid tutum in Babylone, si Jerusalem manet scrutinium? Puto enim hoc loco prophetam Jerusalem nomine designasse illos, qui in hoc sæculo vitam ducunt religiosam, mores supernæ illius Jerusalem conversatione honesta et ordinata pro viribus imitantes; et non veluti hi, qui de Babylone sunt, vitam in perturbatione vitiorum, scelerumque confusione vastantes. Denique illorum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium, et non egent scrutinio, sed supplicio. Mea autem, qui videor monachus et Jerosolymita, peccata certe occulta sunt, nomine et habitu monachi adumbrata : et idcirco necesse erit subtili ea investigari discussione, et quasi admotis lucernis de tenebris in lucem prodi.

3. Possumus afferre aliquid et de psalmo ad confirmandum id quod dicitur de scrutanda Jerusalem. Ait namque sub persona Domini : *Cum accepero tempus, ego justitias iudicabo* (*Psal. LXXIV, 3*). Vias iustorum, ni fallor, et actus eorum discussurum se examinaturum dicit. Verendum valde cum ad hoc ventum fuerit, ne sub tam subtili examine multæ nostræ justitiæ, ut putantur, peccata appareant. Unum est tamen, si nosmetipsos dijudicaverimus, non utique iudicabimur (*I Cor. XI, 31*). Bonum iudicium, quod me illi districto divinoque iudicio sub-

A ducit et abscondit. Prorsus horreo incidere in manus Dei viventis; volo vultui iræ iudicatus præsentari, non iudicandus. *Spiritualis homo omnia dijudicat; et ipse a nemine iudicatur* (*I Cor. II, 15*). Iudicabo proinde mala mea, iudicabo et bona. Mala melioribus curabo corrigere actibus, diluere lacrymis, panire jejuniis, cæterisque sanctæ laboribus disciplinæ. In bonis de me humiliter sentiam, et, juxta præceptum Domini, servum me inutilem reputabo, qui quod facere debui, tantum feci (*Luc. XVII, 10*). Dabo operam nec lolia pro granis, nec paleas cum granis offerre. Scrutabor ego vias meas et studia mea, quo is qui scrutaturus est Jerusalem in lucernis, nihil inscrutum in me sive indiscussum inveniat. Neque enim iudicaturus est bis in idipsum.

B 4. Quis mihi det ita ad liquidum prosequi et persequi universa delicta mea, ut nullo oporteat vereri oculos capreae, in nullo ad lumen contingat erubescere lucernarum? Et nunc videor, sed non video : præsto est oculus cui omnia patent, etsi non patet ipse. Erit quando cognoscam, sicut et cognitus sum : at nunc quidem cognosco ex parte non tamen ex parte; cognitus, sed ex toto. Vereor aspectum exploratoris illius, qui post parietem stat. Hoc enim Scriptura addit de illo, quem pro acumine visus capreae assimilavit : *En ipse stat, inquit, post parietem, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos*. De quo suo loco videbimus. Hunc ergo vereor occultum occultorum exploratorem. Sponsa nihil veretur, quia nihil sibi conscia est. Quid donique vereatur, amica, columba, formosa? Nempe subinde habes : *En dilectus meus, inquit, loquitur mihi*. Nihil non loquitur; et ideo formido aspectum, quoniam non habeo testimonium. Tu quid audis de te, o sponsa? Quid tibi loquitur dilectus tuus? *Surge, 1457 inquit, propera, amica mea, columba mea, formosa mea* (*Cant. II, 9, 10*). Verum hoc quoque alteri servabo principio, nec brevitate arctabo ea quæ diligentiam desiderantia sunt; ne forte et de hoc reus inveniar, si quominus vos inveniamini in hac parte ædificati ad intelligentiam et amorem sponsi Ecclesiæ Jesu Christi Domini nostri, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LVL

D *Quod peccata et vitia sunt tanquam parietes, mediantes inter Deum et peccatorem.*

1. *En ipse stat post parietem, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos* (*Cant. 9*). Secundum litteram quidem videtur dicere, quia is qui cum saltibus adventare prospiciebatur, appropriasset usque ad contubernium sponsæ, et stans post parietem curiosius introspeceret per fenestras et rimas, et verecunde non præsumeret sese ingerere. Secundum spiritum autem appropriasse quidem nihilominus intelligitur, sed aliter, ita sane quemadmodum et a cœlesti sponso agi oportuit, et a Spiritu sancto dici. Nil quippe quod vel auctorem dedecet, vel narratorem, verus et spiritualis intellectus admittet. Ergo appropriavit parieti, cum adhæsit carni. Caro

paries est, et appropriatio Sponsi Verbi incarnatio. Porro cancellos et fenestras per quas respicere perhibetur sensus, ut opinor, carnis et humanos dicit affectus, per quos experimentum cepit omnium humanarum necessitatum. Denique languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit (*Isai. LIII, 4*). Humanis ergo affectionibus sensibusque corporeis pro foraminibus usus est et fenestris, ut miserias hominum homo factus experimento seiret, et misericors fieret. Sciebat et ante, sed aliter. Sciebat denique virtutem obediendi ipse Dominus virtutum, et tamen, teste Apostolo, *didicit ex his quæ passus est obedientiam (Hebr. v, 8)*. In hunc modum et misericordiam didicit, etsi misericordia Domini ab æterno. Docet hoc quoque idem gentium Doctor, ubi eum asserit *tentatum per omnia pro similitudine absque peccato, ut misericors fieret (Hebr. iv, 15)*. Videsne factum esse quod erat, et quod noverat didicisse, et sibi apud nos quæsisse rimas et fenestras, per quas calamitates nostras diligentius exploraret? Tot autem in nostro ruinoso et pleno rimarum pariete invenit foramina, quot nostræ infirmitatis et corruptionis in suo corpore sensit experimenta.

2. Sic itaque sponsus post parietem stans, et per fenestras et cancellos respiciens erat. Et bene stans, quia solus revera in carne stetit, qui carnis peccatum non sensit. Possumus et hoc fideliter sapere, quia stetit per divinitatis potentiam, qui per carnis infirmitatem occubuit, dicente ipso: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma (Matth. xxvi, 41)*. Ego autem puto etiam illud huic sententiæ suffragari, quod sanctus David in hoc mysterio, utpote propheta Domini et prophetans, de Domino loquebatur; et quidem Moysen loquens, sed Dominum intuens. Ipse enim verus est Moyses, qui vere per aquam venit, et non in aqua tantum, sed in aqua et sanguine. Ait itaque memoratus propheta: *Dixit ut disperderet eos (Patrem siquidem loquebatur), si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus, ut averteret iram ejus, ne disperderet eos (Psal. cv, 23)*. Quonam modo, quæso, Moyses stetit in confractione? quemadmodum, inquam, aut stetit, si confractus est: aut si stetit, quomodo confractus est? At ego tibi ostendo, si vis, qui vere stetit in confractione. Ego alium novi neminem qui hoc potuerit, nisi Dominum meum Jesum, qui certe in morte vivebat, qui corpore fractus in cruce, divinitate stabat cum Patre; in uno nobiscum supplicans, in altero cum Patre propitiatus. Et stabat post parietem, dum, quod jacebat in illo manifestum erat in carne, et quo stabat in ipso quasi post carnem latebat; sane unus idemque homo manifestus, et Deus absconditus.

1458 3. Sed et unicuique nostrum, qui desideramus adventum ipsius, puto illum nihilominus post parietem stare, dum corpus hoc nostrum, quod certe peccati est, abscondat interim nobis faciem ejus, et præsentiam intercludat. Denique: *Quandiu sumus*

A *in hoc corpore*, inquit, *peregrinamur a Domino (II Cor. v, 6)*. Non quia in corpore, sed quia in corpore hoc, quod utique de peccato est, et sine peccato non est. Et ut scias quoniam obstant non corpora, sed peccata, audi Scripturam: *Peccata nostra, inquit, separant inter nos et Deum (Isai. LIX, 2)*. Et utinam unus mihi tantum obstat paries corporis, solumque obicem patiar id quod est in carne peccatum, et non multæ intersint maceræ vitiorum. Vereor enim ne etiam præter illud quod in natura est, quam plurima de propria iniquitate adjecerim, quorum a me interjectu nimium elongaverim Sponsum; ita, ut, si verum dicere velim, post parietem magis mihi illum stare fatear, non post parietem.

B 4. Sed dico hoc planius. Sponsus quidem æqualiter atque indifferenter præsto ubique est, divinx utique præsentia majestatis, et magnitudine virtutis suæ. Gratix tamen exhibitione seu inhibitione quibusdam longe, quibusdam prope esse dicitur, angelorum duntaxat et hominum, id est rationalium creaturarum. Denique longe a peccatoribus salus (*Psal. cxviii, 155*). Et sanctus David nihilominus dicit: *Utquid, Domine, recessisti longe? (Psal. ix, 1)*. Cæterum a sanctis pia dispensatione ad tempus et non ex toto, sed juxta aliud aliquando longe se facit. Peccatoribus autem de quibus dicitur: *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper (Psal. lxxiii, 23)*; et item: *Inquinatæ sunt viæ illorum in omni tempore (Psal. ix, 5)*; semper, valdeque longe est, C atque in ira hoc, et non in misericordia. Quamobrem orat ad Deum sanctus, et ait: *Ne declines in ira a servo tuo (Psal. xxvi, 9)*; sciens quia et in misericordia potuerit declinare. Prope est ergo Dominus sanctis et electis suis, etiam cum longe esse videtur; et non æqualiter omnibus, sed aliis plus, aliis minus, pro meritum diversitate. Nam etsi prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate, et juxta est his qui tribulato sunt corde; non tamen omnibus forsitan, ita ut dicere possint quia *ipse stat post parietem*. Sponsæ vero quam prope est, qui uno tantum pariete dividitur. Propterea cupit dissolvi, et rupto medio pariete cum illo esse quem post parietem esse confidit.

D 5. Ego autem, quoniam peccator sum, dissolvi non cupio, sed formido, sciens quia mors peccatorum pessima (*Psal. xxxiii, 22*). Quomodo non pessima mors, ubi non subvenit Vita? Formido exire, et in ipso contremisco portus ingressu, dum non confido prope assistere qui excipiat exeuntem. Quid enim? securene exeo, si non Dominus custodiat exitum meum? Heu! ero ludibrio dæmonum intercipientium me: non assistente qui redimat, neque quæ salvum faciat. Nil tale verendum erat animæ Pauli, cui ab aspectu et amplexu Dilecti unus tantummodo paries obsistebat, videlicet lex peccati, quam inveniebat in membris suis. Ipsa est carnis concupiscentia, qua carere omnino non potuit, donec in carne fuit. Hoc sane uno interjecto pariete non longe r r

egrinabatur a Domino; unde et optabat clamans: *Audis utramque hanc approbare confessionem; sed scientibus ista loquor, et non estis superfluis onerandi, qui vix necessariis indagandis sufficitis. Tanta quippe sunt sacramenta epithalamii hujus, et laudem præconia, quæ in eo decantantur Ecclesiæ et sponso ejus Jesu Christo Domino nostro, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.*

6. Verum quis similis Paulo, qui non videlicet huic interdum consentiat concupiscentiæ ad obediendum peccato? Noverit proinde is qui peccato consenserit, et alterum sibi se opposuisse parietem, ipsum utique pravum illicitumque consensum: nec potest gloriari qui hujusmodi est, quia stet sibi post parietem Sponsus, quando jam parietes intersint, non paries. Multo minus si consensus pervenerit ad affectum, cum tertius quoque jam paries sponsi arceat impediaturque accessum, actus videlicet ipse peccati. Quid, si et consuetudo forte peccatum in usum, aut usus etiam in contemptum perduxerit? sicut scriptum est: *Impius cum venerit in profundum malorum, contemnit* (Prov. xviii, 3). Nonne si ita exieris, millies ante a rugientibus præparatis ad escam poteris devorari, quam pervenire ad Sponsum, non uno siquidem jam, sed tanta a te parietum numerositate interclusum? Primus, concupiscentia; secundus, consensus; tertius, actus; quartus, consuetudo; quintus, contemptus. Cura ergo concupiscentiæ priori totis resistere viribus, ut non pertrahat in consensum; et omnis deinceps malignitatis fabrica evanescat: nec est omnino quod Sponsum prohibeat appropinquare tibi, præter solum parietem corporis, quatenus gloriari possis et tu dicens de illo, quia *en ipse stat post parietem*.

7. Sed et hoc tibi tota vigilantia providendum, ut apertas semper inveniat fenestras et cancellos quosdam confessionum tuarum, per quos te intus benigne respiciat, quoniam respectus ejus profectus tuus. Aiunt cancellos angustiores esse fenestras, quales utique hi qui libros describunt, aptare sibi solent ad recipiendum lumen paginis. Unde et puto cancellarios eos appellari, qui chartis conscribendis ex officio deputantur. Cum ergo sint duo genera compunctionis, unum in mœrore pro nostris excessibus, alterum in exultatione pro divinis muneribus, quoties sane eam, quæ sine angustia cordis minime fit, peccatorum scilicet meorum facio confessionem; videor mihi cancellum, id est, angustiore aperire fenestram. Nec dubium quin libenter per istam respiciat is, qui stat post parietem pius explorator, quia cor contritum et humiliatum Deus non despiciet (Psal. l, 19). Denique et hortatur ad hoc ipsum: *Dic tu, inquit, iniquitates tuas prior, ut justificeris* (Isai. xlvi, 26). Quod si interdum corde dilatato in charitate, pro consideratione divinæ dignationis ac miserationis, libet animum laxare in vocem laudis, et gratiarum actionem, puto me non jam angustam, sed amplissimam stanti post parietem Sponso aperire fenestram, per quam, ni fallor, tanto libentius respicit, quanto amplius sacrificium

laudis honorificat eum. Ad manum est de Scripturis utramque hanc approbare confessionem; sed scientibus ista loquor, et non estis superfluis onerandi, qui vix necessariis indagandis sufficitis. Tanta quippe sunt sacramenta epithalamii hujus, et laudem præconia, quæ in eo decantantur Ecclesiæ et sponso ejus Jesu Christo Domino nostro, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LVII.

De visitationibus Domini observandis; quibus indicia vel signis eæ deprehendi possint.

1. *En dilectus meus loquitur mihi* (Cant. ii, 10). Videte processus gratiæ, et dignationis divinæ adverte gradus. Attendite sponsæ devotionem atque solertiam, quam vigili utique oculo sponsi observat adventum, et deinceps ipsius omnia diligentius in-tuetur. Venit ille, accelerat, appropiat, adest, respicit, alloquitur; et nihil horum momentorum sponsæ industriam effugit, anticipative notitiam. Venit in angelis, accelerat in patriarchis, appropiat in prophetis, adest in carne, respicit in miraculis, alloquitur in apostolis. Vel sic: Venit affectu et studio miserendi, accelerat subveniendi zelo, appropiat humiliando semetipsum, adest præsentibus, prospicit in futuros, loquitur docens et suadens de regno Dei. Sic ergo est adventus sponsi. Benedictiones et divitiæ salutis cum eo, et universa quæ de ipso sunt affluunt deliciis, redundantia certe jucundis ac salutaribus sacramentis. Porro quæ amat, vigilat et observat. Et beata, quam Dominus invenerit vigilantem. Non transibit illam, nec præteribit ab ea, sed stabit et loquetur ei, loqueturque amatoria: loquetur siquidem ut dilectus. Sic quippe habes: *En dilectus meus loquitur mihi*. Bene dilectus, qui venit amatoria locuturus, non autem increpatoria.

2. Neque enim de illis est, qui a Domino merito arguuntur, quod faciem cæli dijudicare, nossent, tempus **1460** vero adventus ejus minime cognovissent (Math. xvi, 4). Hæc namque tam solers, et prudens, ac bene vigilans, et venientem a longe prospexit, et salientem pro festinatione advertit, et transilientem superbos, ut humili sibi per humilitatem propinquaret, vigilantissime observavit; et demum cum jam staret, et occultaret se post parietem, nihilominus præsentem agnovit, sed et respicientem per fenestras cancellosque persensit; et nunc pro remuneratione tantæ devotionis et religiosæ sollicitudinis loquentem audit. Sane enim si respexisset, et minime locutus fuisset, suspectus poterat esse ille respectus, ne forte magis indignationis foret, quam dilectionis. Denique respexit Petrum, et non fecit ei verbum: et ideo fortassis flevit ille (Luc. xxii, 61, 62), quod respiciens se, tacuerit. Hæc autem, quoniam post aspectum meruit et affatum, non modo non flet, sed et gloriatur præ lætitia clamans, *En dilectus meus loquitur mihi*. Vides intuitum Domini, cum in se semper maneat idem, non tamen ejusdem semper efficacitæ esse; sed conformari mœritis singulorum quos respicit, et aliis quidem in-

tere metum, aliis vero magis consolationem et securitatem afferre. Denique respicit terram, et facit eam tremere, cum e regione respexerit Mariam, et infuderit gratiam. *Respexit, ait, humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes* (Luc. 11, 48). Non sunt hæc verba plorantis aut trepidantis, sed gaudentis. Respexit similiter hoc loco sponsam, et nec tremuit illa, nec flevit ad instar Petri, quia non sapiebat terram, sicut ille; dedit vero lætitiâ in corde ejus, afflatu testificans, quo eam respexerit affectu.

3. Denique verba quæ loquitur, audi quam non indignantis sint, sed amantis. Sequitur: *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea.* Felix conscientia, quæ de se ista meretur audire! Quis, putas, in nobis est adeo vigilans et observans tempus visitationis suæ, sponsumque adventantem ita per singula ejus momenta diligenter explorans, ut cum venerit et pulsaverit, confestim aperiat ei? Non enim sic ista de Ecclesia referuntur, ut non singuli nos, qui simul Ecclesia sumus, participare his ejus benedictionibus debeamus. Etenim in hoc generaliter omnes atque indifferenter vocati sumus, ut benedictiones hæreditate possideamus. Unde et audebat dicere ad Dominum quidem: *Hæreditate acquisivi testimonia tua in æternum, quia exsultatio cordis mei sunt* (Psal. cxviii, 111); illa, puto, hæreditate, qua se esse præsumebat filium patris sui, qui est in cælis. Porro si filium, et hæredem; hæredem Dei, cohæredem autem Christi. Magnam vero rem gloriatur se acquisivisse hæreditate ista, testimonia Domini. Utinam ego de me vel unum meruerim tenere testimonium Domini! quia is non in uno, sed in multis exsultat testimoniis. Denique ait iterum: *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis* (Psal. cxviii, 14). Et revera quid divitiæ salutis, quid deliciæ cordis, quid animæ vera et cauta securitas, nisi Domini attestations? *Non enim, inquit, qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat* (II Cor. x, 18).

4. Ut quid nos hactenus adhuc fraudamur commendationibus seu attestationibus his divinis, et paterna hæreditate privamur? Quasi minime et nos voluntarie genuerit verbo veritatis, sic in nullo nos meminimus ab illo taliter commendatos, nec ulla de nobis assecutos testimonia ejus. Ubi est quod Apostolus dicit, quia *in se Spiritus Dei testimonium perhibet spiritui nostro, quod filii Dei sumus* (Rom. viii, 16). Quomodo filii, si expertes hæreditatis? Arguit nos pro certo negligentia et incuria ipsa inopia nostra. Nam si quis nostrum integre et perfecte, juxta verbum Sapientis, cor suum tradat ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecetur (Eccli. xxxix, 6), simulque votis omnibus studeat secundum Isaiam prophetam parare vias Domini, rectas facere semitas Dei sui (Isai. xl, 3), cui cum Propheta sit dicere: *Oculi mei semper ad Dominum* (Psal. xxiv, 13); et quia *providebam Dominum in conspectu meo sem-*

per (Psal. xv, 8): nonne hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo **1461** salutari suo? (Psal. xxiii, 5.) Visitabitur profecto frequenter, nec unquam ignorabit tempus visitationis suæ, quantumlibet is qui in spiritu visitat, clandestinus veniat et furtivus, utpote verecundus amator. Adhuc ergo longe agentem bene vigilans anima sobria mente prospiciet, et deinceps universa comperiet, quæ in dilecti adventu sponsam tam solerter, quam signanter advertisse monstravimus. quia ipse ait: *Qui mane vigilaverint ad me, inventient me* (Prov. viii, 17). Nam et desiderium festinantis agnoscet: et quando prope, et quando præsto jam erit, continuo sentiet; sed et respicientis se oculum, quasi solis radium per fenestras et rimas parietis subeuntem, beato oculo cernet: et demum audiet voces exsultationis et amoris, appellata amica, columba, formosa.

5. Quis sapiens et intelliget hæc, ita ut ea etiam digne ab invicem distinguere, et designare singula queat, ac definire ad intelligentiam aliorum? Si a me illud speratur, ego ea mallem ab experto audire, et qui assuetus sit et exercitatus in talibus. At quoniam quisque qui hujusmodi est, verecunde magis silentio abscondere eligit quod silentio percipit, et servare secretum suum sibi, id sibi tutius arbitratur: dico ego, cui ex officio loqui est, nec tacere licet, quidquid illud est quod de hujusmodi vel proprio, vel alieno teneo experimento. et quod facile experiri plures queunt, sane aliorum relinquens apprehendere illa valentibus. Si igitur admonitus fuero, vel foris ab homine vel intus a Spiritu, de tuenda justitia et servanda æquitate; istiusmodi salutaris suasio erit mihi profecto præsentia imminentis adventus sponsi, et præparatio quædam ad digne suscipiendum supernum visitatorem, Propheta id mihi indicante, dicendo quia *justitia ante eum ambulabit* (Psal. lxxxiv, 14); et item loquitur Deo sic: *Justitia et judicium, inquit, præparatio sedis tuæ* (Psal. lxxxviii, 15). Nihilominus vero spes eadem arridebit, si sermo insonuerit de humilitate vel patientia, seu etiam de fraterna charitate et obedientia deferenda prælatis; maxime autem de sectanda sanctimonia et pace, et cordis puritate querenda, quoniam quidem Scriptura ait: *Domum Domini decet sanctitudo* (Psal. cxii, 5); et: *Factus est in pace locus ejus* (Psal. lxxv, 3); et: *Mundi corde Deum videbunt* (Matth. v, 8). Quidquid itaque sive de his, sive de aliis quibuslibet virtutibus suggestum animo fuerit, significatio, ut dixi, erit mihi, visitationem Domini virtutum imminere animæ meæ.

6. Sed et si corripuerit me justus in misericordia, et increpaverit me, id ipsum sentiam, sciens quia æmulatio justis et benevolentia iter faciunt ei qui ascendit super occasum (Psal. lxxvii, 5). Bonus occasus, cum ad correptionem justis stat homo, et corrumpit vitium, et Dominus ascendit super illud, conculcans hoc pedibus, et conterens ne resurgat. Non ergo contemnenda increpatio justis, quæ ruina peccati, cordis sanitas est, nec non et Dei via ad

animam. eu nec ullus omnino sermo, qui ædificet ad pietatem, ad virtutes, ad mores optimos, negligenter est audiendus; quoniam et illic iter quo ostenditur salutare Dei (*Psal.* XLIX, 23). Quod si sermo gratus venit et placitus [*alias*, placidus], quatenus pulso fastidio eum desiderio audiat, jam non modo venire Sponsus, sed et accelerare, id est eum desiderio venire, credendus est. Illius namque desiderium tuum creat; et quod tu ejus properas sermonem admittere, inde est quod ipse festinat intrare; non enim nos eum, sed *ipse*, inquit, *prior dilexit nos* (*I Joan.* IV, 10). Jam si etiam ignitum eloquium sentis, atque ex eo conscientiam uri in recordatione peccati; recordare tunc de quo Scriptura dicit, quia *ignis ante ipsum præcedet* (*Psal.* XCV, 3), et ipsum prope esse non dubites. Denique juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde (*Psal.* XXXIII, 19).

7. Si vero non solum compungeris in sermone illo, sed et converteris totus ad Dominum, jurans et statuens custodire judicia justitiæ ejus, etiam adesce ipsum jam noveris, præsertim si te inardescere sentias amore ejus. Etenim utrumque de illo legis, et ignem videlicet ante ipsum præcedere, et ipsum nihilominus ignem esse. Moyses siquidem de illo dicit quia *ignis consumens est* (*Deut.* IV, 24). Differunt autem, quod is qui præmittitur ignis ardorem habet, sed non amorem: coquens, **1462** sed non excoquens, movens, nec promovens. Tantum ad excitandum præmittitur et præparandum, simulque ad commonendum quid ex te sis, quo dulcius sapiat postmodum quod ex Deo mox eris. At vero ignis qui Deus est, consumit quidem, sed non affligit, ardet suaviter, desolatur feliciter. Est enim vere carbo desolatorius, sed qui sic in vita exerceat vim ignis, ut in anima vicem exhibeat unctionis. Ergo in virtute qua immutaris, et in amore quo inflammaris, Dominum præsentem intellige. Nam dextera Domini facit virtutem (*Psal.* CXVII, 16). Non autem sit hæc mutatio dexteræ Excelsi (*Psal.* LXXVI, 11), nisi in fervore spiritus, et in charitate non ficta, ita ut dicat qui hujusmodi est: *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescit ignis* (*Psal.* XXXVIII, 4).

8. Porro hoc igne consumpta omni labe peccati, et rubigine vitiorum, si jam emundata ac generata conscientia sequatur subita quædam atque insolita latitudo mentis, et infusio luminis illuminantis intellectum vel ad scientiam Scripturarum, vel ad mysteriorum notitiam, quorum alterum propter nos oblectandos, alterum propter ædificandos proximos reor dari; oculus respicientis procul dubio est iste, educens quasi lumen justitiam tuam, et judicium tuum tanquam meridiem, juxta illud prophetæ Isaïæ: *Orietur, inquit, tanquam sol lux tua* (*Isai.* LVIII, 10), etc. Sed sane non per ostia aperta, sed per angusta foramina is tantæ claritatis radius se infundet, stante adhuc duntaxat hoc ruinoso pariete corporis. Erras si aliter speras, ad quan-

A tamcunque cordis proficias puritatem, cum ille præcipuus contemplator dicat: *Videmus nunc per speculum et in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* (*I Cor.* XIII, 12).

9. Post hunc tantæ dignationis ac miserationis respectum, sequitur vox blande et leniter divini insinuans voluntatem, quæ non est aliud quam ipse amor, qui otiosus esse non potest, de his quæ Dei sunt sollicitans et suadens. Denique audit sponsa, ut surgat et properet, haud dubium quin ad animarum lucra. Hoc siquidem vera et casta contemplatio habet, ut mentem quam divino igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat zelo et desiderio acquirendi Deo qui eum similiter diligant, ut otium contemplationis pro studio prædicationis libentissime intermittat: et rursus potita votis, aliquatenus in hac parte tanto ardentius redeat in idipsum, quanto se fructuosius intermisisse meminerit; et item sumpto contemplationis gustu, valentius ad conquirenda lucra solita alacritate recurat. Cæterum inter has vicissitudines plerumque mens fluctuat, metuens, et vehementer exæstuans, ne forte alteri horam, dum suis affectionibus hinc inde distrahitur, plus justo inhæreat; et sic in utrolibet vel ad modicum a divina deviet voluntate. Et fortasse tale aliquid sanctus Job patiebatur, cum diceret: *Si dormiero, dico, quando consurgam? et rursus expectabo vesperam* (*Job* VII, 4): hoc est: Et quietus, neglecti operis; et occupatus, perturbatæ nihilominus quietis me arguo. Vides virum sanctum inter fructum operis, et somnum contemplationis graviter æstare: et in bonis licet semper versantem, semper tamen quasi de malis pœnitentiam agere, et Dei cum gemitu momentis singulis inquirere voluntatem. Unicum quippe in hujusmodi reinedium seu refugium oratio est, et frequens gemitus ad Deum; ut quid, quando, et quatenus nos facere velit, assidue nobis demonstrare dignetur. Habes, ut ego opinor, tria hæc, id est prædicationem, orationem, contemplationem, in tribus commendata et designata vocabulis. Etenim merito *amica* dicitur, quæ sponsi lucra studiose ac fideliter prædicando, consulendo, ministrando conquirat. Merito *columba*, quæ nihilominus pro suis delictis in oratione gemens et supplicans, divinam sibi non cessat conciliare misericordiam. Merito quoque *formosa*, quæ cœlesti desiderio fulgens, supernæ contemplationis decorem se induit, horis duntaxat, quibus commode et opportune id potest.

10. Sed et illud vide, si valeat coaptari huic triplici **1463** unius animæ bono; de tribus videlicet personis illis in domo una commanentibus, amicis utique Salvatoris, et admodum familiaribus ei. Martham loquor ministrantem, et Mariam vacantem, et Lazarum quasi gementem sub lapide, et resurrectionis gratiam flagitantem (*Luc.* X, 38-42; *Joan.* XI). Hæc dicta sunt pro eo quod sponsa describitur adeo solers et pervigil in observando semitas sponsi, ut minime eam latere possit, quando, et in quanta festinatione ad se veniat: sed et quando longe, et

quando prope, et quando præsens sit, nulla subita- A
tione præoccupari valeat ut ignoret : et quia proinde
meruerit, non solum respici misericorditer, sed et
dignanter lætificari amoris vocibus, et gaudere gau-
dio propter vocem sponsi.

11, Nos quoque ad hæc, quamvis audacter, adjeeci-
mus, quod quævis etiam de nobis anima, si similiter vi-
gilet, similiter et salutabitur ut amica, consolabitur ut
columba, amplexabitur ut formosa. Perfectus omnis
reputabitur, in cuius anima tria hæc congruenter
atque opportune concurrere videbuntur, ut et ge-
mere pro se, et exultare in Deo noverit, simul et
proximorum utilitatibus potens sit subvenire; pla-
cens Deo, cautus sibi, utilis suis. Sed ad hæc quis
idoneus? Utinam ipsa in universis nobis, etsi non
tota in singulis, saltem singula in diversis, sicut
hodie haberi videntur, longis reserventur temporibus!
Habemus siquidem Martham, tanquam Salva-
toris amicam, [in his qui exteriora fideliter admini-
strant. Habemus et Lazarum, tanquam columbam
gementem, novitios utique, qui nuper peccatis mor-
tui, pro recentibus adhuc plagis laborant in gemitu
suo sub timore iudicii, et sicut vulnerati dormien-
tes in sepulchris, quorum nemo est memor ampli-
us, sic se non putant reputari, donec ad Christi
jussionem sublato pondere timoris, tanquam pre-
mentis lapidis mole, respirare in spem veniæ pos-
sint. Habemus quoque Mariam contemplantem in
illis, qui processu longioris temporis, cooperante
gratia Dei, in aliquid melius et lætius proficere
potuerunt; quando jam de indulgentia præsumentes,
non tam versare intra se solliciti sunt tristem ima-
ginem peccatorum, quam certe in lege Dei meditari
die ac nocte insatiabiliter delectantur; interdum
etiam revelata facie gloriam sponsi cum ineffabili
gaudio speculantes, in eandem imaginem transfor-
mantur de claritate in claritatem, tanquam a Do-
mini Spiritu (II Cor. III, 18). Jam ad quid sponsam
surgere et properare hortetur is, qui paulo ante
defensare visus est eam, ne dormiens suscitaretur,
alio sermone videbimus. Adsit ipse, ut et hujus
nobis sacramenti rationem aperire dignetur, sponsus
Ecclesiæ Jesus Christus Dominus noster, qui est
super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LVIII.

Quomodo sponsus hortatur sponsam, id est viros per-
fectos, ad regimen imperfectorum. Item de puta-
tione vitiorum in eis faciendâ, ut virtutes suc-
crescant.

1. Surge, propera, amica mea, columba mea, for-
mosa mea, et veni (Cant. II, 10). Quis hoc dicit?
Absque dubio sponsus. Et nonne ipse est, qui paulo
ante suscitari dilectam tantopere prohibebat? Quo
pacto ergo nunc non solum ut surgat, sed ut et
acceleret jubet? Venit in mentem simile quid ex
Evangelio. Ea quippe nocte qua Dominus tradeba-
tur, cum fatigatos productioribus vigiliis discipulos

(218) Addunt editi recentiores surgere cogit :
quæ verba desunt in plerisque manuscriptis et pri-

qui secum erant, dormire demum ac requiescere
præcepisset, in ipsa hora (218): *Surgite, eamus,*
inquit, *ecce appropinquavit qui me tradet* (Math.
xxvi, 46). Nunc quoque similiter uno pene momento
et prohibet suscitari sponsam, et suscitatur: *Surge,*
inquiens, *et veni*. Quid sibi itaque vult tam subita
hæc mutatio voluntatis sive consilii? Putamusne
levitate usum sponsum, et aliquid voluisse prius,
1464 quod mox noluerit? Minime. Sed agnoscite
eas quas vobis supra, si meministis, commendavi,
et non semel, vicissitudines utique sanctæ quietis,
ac necessariæ actionis; et quia non sit in hac vita
copia contemplandi, nec diuturnitas otii, ubi officii
et operis cogentior urget instantiorque utilitas.
More igitur suo sponsus, ubi dilectam paululum in
B sinu proprio quievisse persentit, ad ea denuo quæ
utiliora visa sunt, trahere non cunctatur. Non ta-
men quasi invitam: nec enim quod fieri vetuit,
faceret ullatenus ipse; sed trahi sane a sponso
sponsæ, est ab ipso accipere desiderium quo traba-
tur, desiderium bonorum operum, desiderium fru-
ctificandi sponso; quippe cui vivere sponsus est, et
mori lucrum.

2. Et est desiderium vehemens, quod eam non tan-
tum surgere, sed et surgere festinanter sollicitat:
sic quippe habes: *Surge, propera, et veni*. Nec parum
confortat quod audit, *veni*, et non: *Vade*: per hoc
se intelligens non tam mitti quam duci, et secum
pariter sponsum esse venturum. Quid enim difficile
C sibi illo comite reputet? *Pone me*, inquit, *juxta te,*
et cujusvis manus pugnet contra me (Job XVII, 3);
item: *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non*
timebo mala, quoniam tu mecum es (Psal. XXII, 4).
Non itaque suscitatur præterquam velit, quando fit
prius ut velit: quod non est aliud, nisi sancti quæ-
stus immissa aviditas. Animatur etiam ad opus in-
junctum, et de temporis opportunitate redditur
alacrior. Tempus faciendi, inquit, o sponsa, quia
hiems transit, quando operari nemo poterat. Imber
quoque, qui inundatione facta operiebat terram,
culturas impediēbat, et vel sata necabat, vel seri
vetabat; is, inquam, imber excurrit, *abiit et recessit*;
flores apparuerunt in terra nostra vernalem pro-
fecto temperiem adesse signantes, operandi commo-
D ditatem, frugum vicinitatem ac fructuum. Deinde
subdit, ubi et quid primum operari oporteat: *Tempus,*
inquiens, *putationis advenit* (Cant. II, 11, 12).
Ad vineas ergo excolendas ducitur: quæ ut possit
uberioribus fructibus respondere colonis, ante omnia
necesse est sarmenta sterilia projici, succidi
noxia, putari superflua. Hæc juxta litteram.

3. Nunc jam videamus, quid istiusmodi quasi
historico schemate spiritualiter nobis innuat
intelligendum. Et vineas quidem animas esse vel
Ecclesias, simulque hujus rei rationem quænam
sit, dixi vobis jam, et audistis, nec opus habetis
iterato audire. Ad has itaque revisendas, corri-
mis editis. Et quidem sine ipsis lectio gratior et
expeditior.

gendas, instruendas, salvandas, anima perfectior invitatur, quæ tamen id ministerii sortita sit, non sua ambitione, sed vocata a Deo tanquam Aaron. Porro invitatio ipsa quid est, nisi intima quædam stimulatio charitatis pie nos sollicitantis æmulari fraternam salutem, æmulari decorem donus Domini, incrementa lucrorum ejus, incrementa frugum justitiæ ejus, laudem et gloriam nominis ejus? Istiusmodi itaque circa Deum religiosis affectibus quoties is qui animas regere, aut studio prædicationis ex officio intendere habet, hominem suum interiorem senserit permoveri; toties pro certo sponsum adesse intelligat, toties se ab illo ad vineas invitari. Ad quid, nisi ut evellat et destruat, et ædificet et plantet?

4. Verum quoniam operi huic, sicut et omni rei sub cælo, non omne tempus suppetit et aptum est, addit is qui invitat, tempus putationis advenisse. Adesse hoc noverat qui dicebat: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis; nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum* (II Cor. vi, 2, 3). Vitiosa sine dubio atque superflua, et omne denique quod offendiculum daret, et impedire fructum salutis possit, putare jam et reseccare monebat, sciens quia tempus putationis advennerit. Ideo et aiebat fideli cuidam cultori vinearum: *Argue, increpa, obsecra* (II Tim. iv, 2); in primo et secundo horum putationem vel extirpationem, in ultimo plantationem indicens. Et hæc quidem **1465** sponsum per os Pauli de tempore operandi. Sed audi quid per proprium os de temporum consideratione, sub alio quidem rerum schemate et nomine, cum nova sponsa sit locutus. *Nonne vos dicitis, inquit, quia quatuor menses sunt, et messis venit? Ecce dico vobis: Levate oculos vestros et videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem* (Joan. iv, 35); item: *Messis quidem multa, operarii pauci: rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam* (Matth. ix, 37-38). Sicut igitur ibi metendi animarum segetes tempus adesse monstrabat, ita et hic vineas æque intelligibiles, id est animas vel Ecclesias, tempus putandi advenisse denuntiat; id forsitan inter utrasque res volens vocabulorum diversitate distingui, ut messes plebes, vineas congregationes sanctorum cohabitantium intelligamus.

5. Porro hiemale tempus, quod præteritisse significat, illud mihi designare videtur, cum Dominus Jesus jam non palam ambularet apud Judæos, eo quod conspirassent adversus eum, volentes eum interficere. Unde et dicebat ad quosdam: *Tempus meum nondum advenit; tempus autem vestrum semper est paratum*; et rursus: *Ascendite vos ad diem festum hunc, ego non ascendam* (Joan. vii, 1-10). Ascendit tamen postea et ipse, non palam, sed quasi in occulto. Extunc ergo et deinceps usque ad adventum Spiritus sancti, quo recaluerunt torpentia fidelium corda, tanquam igne, quem Dominus ad hoc ipsum misit in terram (Luc. xii,

A 49), hiems fuit. Tunc negaveris luemem tunc fuisse, cum Petrus sederet ad primas, non minus gelido corde, quam corpore? Denique: *Erat frigus, inquit* (Joan. xviii, 18). Magnum revera frigus cor negantis constrinxerat. Nec mirum tamen, cum ignis ab eo ablatus esset. Nam paulo ante non parvo ferebat zelo, quippe adhuc igni proximus, qui evaginato gladio, ne ignem perderet, servi auriculam amputavit. Sed non erat tempus putationis: et ideo audit: *Converte gladium tuum in locum suum*. Erat enim hora et potestas tenebrarum: et quisque tunc discipulorum levaret gladium vel ferri, vel verbi, aut ferro truncandus erat, et neminem lucraretur, nec quidpiam fructus afferret; aut certe timoris gladio ad negandum cogendus; et sic magis ipse periret, juxta verbum Domini quod subjunxit mox, ita dicens: *Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit* (Matth. xxvi, 51, 52). Quis nempe cæterorum ante pavendam mortis imaginem impavidus staret, trepidante et cedente principe ipso, et qui voce confortatoria sui imperatoris fuerat præmunitus, et præmonitus alios confortare? (Luc. xii, 32.)

6. Cæterum nec is, nec illi sibi adhuc induerant virtutem ex alto; et ob hoc tutum non erat eis exire in vineas, exerere linguæ sarculum, et gladio Spiritus putare vites, purgare palmites, ut fructum plus afferrent. Denique ipse Dominus tacebat in passione, et in multis interrogatus non respondebat (Matth. xxvii, 12), *factus, juxta Prophetam, sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones* (Psal. xxxvii, 45). Dicebat autem: *Si vobis dixerero, non credetis mihi; si autem et interrogavero, non respondebitis mihi* (Luc. xxii, 67, 68): sciens tempus putationis nondum advenisse, nec responsuram prorsus vineam suam impensis laboribus, id est nec fidei, nec boni operis fructum aliquem relaturam. Quare? Quia hiems erat in cordibus perfidorum, et hiemales quidam malitiæ imbres occupaverant terram, jacta semina verbi suffocare, quam fovete paratiores; sed et cultui vinearum omnem nihilominus impendendam operam frustraturi.

7. Quos vos me nunc putatis dicere imbres? D istosne, quos videmus currentes per aera nubes turbulento spiritu spargere super terram? Non est ita. Sed quos de terra in aera sursum ferunt homines turbulenti spiritus, ponentes in cælum os suum, et lingua eorum transiens in terram, tanquam pluvia amarissima, terram ipsam palustrem ac sterilem facit, et tam plantis quam satis inutilem, non quidem his visibilibus atque corporeis ad nostros utique corporeos usus datis, de quibus nulla plane, sicut nec de bobus cura est Deo. Sed quibus? Profecto quæ **1466** sevit et plantavit Dei manus, et non hominis; quæ et vel germinare, vel radicare in fide et charitate poterant, et fructus parturire salutis, si bonis et temporaneis imbris rigarentur. Animæ denique sunt,

pro quibus Christus mortuus est. Væ nubibus pluen-
tibus istiusmodi imbres super eas, quæ lutum fa-
ciant, fructum non afferant! Nam sicut sunt et
bonæ, et malæ arbores, ferentes quæque fructus
pro sui dissimilitudine differentes, bonæ videlicet
bonos, et malæ malos: ita et arbitror nubes et
bonas, quæ bonos; et malas esse, quæ malos pluunt
imbres. Et vide ne forte innuerit nobis hanc nub-
ium, imbrumque differentiam, qui dicebat: *Man-
dabo nubibus meis, ne pluunt super eam* (haud du-
bium quin super vineam) *imbrem* (Isai. v, 6). Cur
putas adjunxisse signanter, *meis*, nisi quia sunt
et malæ nubes, quæ non sunt ejus? *Tolle, tolle,*
inquiunt, crucifige eum (Joan. xix. 15). O nubes
violentas et turbidas! O imbrem procellosum! o
torrentem iniquitatis, evertere magis, quam fe-
cundare idoneum! Nec minus malus minusve ama-
rus, minori licet impetu proruens, imber ille qui
subsecutus est: *Alios salvos fecit, se ipsum non po-
test salvum facere. Christus rex Israel descendat nunc
de cruce, et credimus ei* (Matth. xxvii, 42). Philo-
sophorum ventosa loquacitas non bonus imber est
qui sterilitatem magis intulit terris, quam ferti-
litate. Multo magis prava dogmata hæreticorum
mali imbres sunt, quæ pro fructibus spinas pro-
ducunt et tribulos. Mali imbres etiam traditiones
Pharisæorum, quas Salvator redarguit, et ipsi nubes
malæ. Et nisi existimes me injuriam facere
Moysi, nam bona nubes est illa, non omne quod
pluit vel ipsa, bonum tamen dicam ne illi con-
tradicam, qui ait: *Dedi illis, id est Judæis, præ-
cepta non bona* (haud dubium quin per Moysen) *et
justificationes, in quibus non vivunt in eis* (Ezech.
xx, 25). Litteralis illa, verbi causa, observatio
Sabbati, sonantis requiem, non donantis; indi-
ctus sacrificiorum ritus, interdictus porcine carnis
esus, nonnullorumque similitum, quæ immunda a
Moysæ censentur, pluvia est hoc totum ex illa nube
descendens, sed nolo in agrum vel hortum meum
quandoque descendat. Fuerit sane bona suo tem-
pore; post tempus si venerit, non bonam jam
censeo. Omnino etiam lenis et leniter descendens
pluvia, si sit intempestiva, molesta est.

8. Donec ergo istiusmodi aquæ pestilentes occu-
paverunt terram, et invaluerunt super eam; tempus
suum vineæ non habuerunt, nec fuit quod sponsa
invitaretur ad putandas vineas. Cæterum illis de-
currentibus terra apparuit arida, et flores apparue-
runt in ea, significantes tempus putationis adesse.
Quæris quando hoc fuit? quando putas, nisi cum
resloruit caro Christi in resurrectione? Et hic pri-
mus et maximus flos, qui apparuit in terra nostra.
Nam primitiæ dormientium Christus (I Cor. xv, 20).
Ipse, inquam, flos campi et lilium convallium Jesus
(Cant. ii, 1), ut putabatur filius Joseph a Nazareth
(Luc. iii, 23), quod interpretatur *flos*. Is ergo flos
apparuit primus, non solus. Nam et multa corpora

A sanctorum, qui dormierant, pariter surrexerunt,
qui veluti quidam lucidissimi flores simul apparue-
runt in terra nostra. Denique venerunt in sanctam
civitatem, et apparuerunt multis (Matth. xxvii, 52,
53). Flores etiam fuerunt qui primi crediderunt de
populo, primitiæ sanctorum. Flores eorum miracula,
instar florum producentia fructum fidei. Nam post-
quam ille infidelitatis imber aliquantulum, vel ex
parte, abiit et recessit, seruta mox est pluvia vo-
luntaria, quam segregavit Deus hæreditati suæ, et
flores apparere cœperunt. Dominus dedit benigni-
tatem, et terra nostra dedit flores suos, ita ut una
die tria millia, in alia quinque millia de populo cre-
derent (Act. ii, 41; iv, 4): adeo in brevi crevit
florum numerus, id est credentium multitudo. Et
non potuit gelu malitiæ prævalere adversus flores
qui apparebant, nec præterspere, ut assolet, fructum
vitæ, quem promittebant.

9. Nam cum omnes qui crediderant, induerentur
virtute ex alto, surrexerunt ex eis homines,
qui minas 1467 hominum contempserunt, sortes
in fide. Passi sunt quidem quamplurimos contra-
dictores; sed non cesserunt, neque subterfugerunt,
quominus et facerent, et annuntiarent opera Dei.
Nam juxta illud in psalmo spiritualiter quidem: *Et
seminaverunt agros, et plantaverunt vineas, et fece-
runt fructum natiuitatis* (Psal. cvi, 37). Processu
temporis tempestatæ sedata est, et pace reddita terris,
creverunt vineæ, et propagatæ, et dilatatæ sunt, et
multiplicatæ super numerum. Et tunc demum sponsa
ad vineas invitatur, non quidem ad plantandum,
sed ad putandum quod plantatum jam erat. Oppor-
tune quidem: nam id opus pacis tempus requirebat.
Quando etenim persecutionis tempore id liceret?
Alioquin sumere in manus gladios ancipites, facere
vindictam in nationibus, increpationes in populis;
alligare reges eorum in compedibus, et nobiles eo-
rum in manicis ferreis; et facere in eis iudicium
conscriptum (Psal. cxlix, 6-9) (hoc quippe putare
vineas est): hæc, inquam, omnia vix vel pacis tem-
pore acclitantur in pace. Et de his satis.

10. Poterat etiam finiri sermo, si prius quemque
vestrum juxta morem meum de sua vinea monuis-
sem. Quis enim ita ad unguem omnia a se superflua
D resecavit, ut nil se habere putet putatione dignum?
Credite mihi, et putata repullulant, et effugata re-
deunt, et reaccenduntur extincta, et sopita denuo
excitantur. Parum est ergo semel putasse; sæpe
putandum est, imo, si fieri possit, semper; quia
semper quod putari oporteat, si non dissimulas,
invenis. Quantumlibet in hoc corpore manens pro-
feceris, erras si vitia putas emortua, et non imago
suppressa. Velis, nolis, intra fines tuos habitat Je-
busæus (Judic. i, 21); subjugari potest, sed non ex-
terminari. Scio, inquit, quia non habitat in me
bonum. Parum est nisi et malum inesse fateatur.
Ait namque: *Non quod volo* (219), *hoc ago; sed quod*

(219) Sic primi editi et puriores manuscripti quinque: alii addunt *bonum*, ut in Vulgata.

odi, illud factu. Si autem quod odi, illud facio, jam A non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum (Rom. vii, 18-20). Aut te ergo, si audes, præfer Apostolo (nempe ipsius ista vox est); aut fatere cum illo te quoque vitii non carere. Medium denique [alias namque] vitiorum virtus tenet; ac proinde sedula egres non solum putatione, sed et circumcissione. Alioquin verendum, ne circumquaque a lambentibus, vel potius a rodentibus vitii illa, dum nescis, paulatim elanguet; aut, si supercreverint, suffocetur. Unum in tanto discrimine consilium est, observare diligenter, et mox ut renascentium capita apparebunt, prompta severitate succidere. Non potest virtus cum vitii pariter crescere. Ergo ut illa vigeat, ista crescere non sinantur. Tolle superflua, et salubria surgunt. Utilitati accedit, quidquid cupiditati demis. Demus operam putationi. Puletur cupiditas, ut virtus roboretur.

11. Nobis, fratres, putationis semper est tempus, sicut semper est opus. Confido enim quia nobis hiems jam transiit. Scitis quam hiemem dicam? Timorem illum, qui non est in charitate, qui cum omnes initiat ad sapientiam, neminem consummat; quoniam superveniens charitas extundit illum, tanquam hiemem æstas. Æstas enim charitas est: quæ si jam venit, imo quia venit, sicut justum est mihi sentire de vobis, siccaverit necesse est omnem hiemalem imbrem, omnem videlicet anxietatis lacrymam, quam amara recordatio peccati, et timor ante extorquet: at iudicii. Itaque (quod non dubius dico, etsi non de omnibus vobis, profecto de pluribus) hic jam imber abiit et recessit: nam et flores apparent indices pluvie suavioris. Habet et æstas pluvias suas suaves et uberes. Quid dulcius lacrymis charitatis? Flet quippe charitas, sed ex amore, non ex mœrore; flet ex desiderio, flet cum flentibus. Tali imbre non ambigo rigatos uberius actus obedientiæ vestræ, quos lætus intueor, non murmure tetros, non tristitia subobscuros, sed quodam spirituali gaudio jucundos et floridos. Sic sunt, ac si semper flores gestetis in manibus.

1468 12. Ergo si hiems transiit, imber abiit et recessit; si deinum flores apparuerunt in terra nostra, et subinde quædam spiritualis gratiæ vernalis temperies tempus putationis indicit: quid restat, nisi ut de cætero toti incumbamus huic operi tam sancto, tam necessario? *Scrutemur*, juxta prophetam, *vias nostras* (Thren. iii, 40) et studia nostra, et in eo se quisque judicet profecisse, non cum non inveniit quod reprehendat, sed cum, quod invenierit, reprehendet. Tunc te non frustra scrutatus es, si rursus opus esse scrutatio advertisti: et toties non te sefellit inquisitio tua, quoties iterandam putaveris. Si autem semper hoc, cum opus est, facis, semper facis. Semper ergo opus esse tibi meminere superni auxilii, et misericordiæ sponsi Ecclesiæ Jesu Christi Domini nostri, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LIX.

De genitibus animæ suspirantis ad cælestem patriam, et de commendatione castitatis et viduitatis.

1. Vox turturis audita est in terra nostra (Cant. ii, 12). Minime jam dissimulare queo, quod ecce secundo is, qui de cælo est, de terra loquitur: utique tam dignanter, tam socialiter, quasi unus e terra. Sponsus est iste: qui cum præmitteret flores apparuisse in terra, adjunxit *nostra*; et nunc nihilominus: *Vox*, inquit, *turturis audita est in terra nostra*. Ergone ratione carebit Deo quidem tam insueta, ne dicam indigna, locutio? Nusquam, ut opinor, de cælo sic locutum reperies, nusquam alibi de terra. Adverte igitur, quantæ suavitatis sit Deum cæli dicere, *in terra nostra*. Quique terrigenæ et filii hominum, audite; magnificavit Dominus facere nobiscum (Psal. cxxv, 3). Multum illi cum terra, multum cum sponsa, quam de terris sibi asciscere placuit. *In terra*, inquit, *nostra*. Non plane principatum sonat vox ista, sed consortium, sed familiaritatem. Tanquam sponsus hoc dicit, non tanquam Dominus. Quid? Conditor est, et consortem se reputat! Amor loquitur, qui dominum nescit. Carmen nimirum amoris est, nec aliis hoc quam amatoris fulciri oportuit. Amat et Deus, nec aliunde hoc habet, sed ipse est unde amat. Et ideo vehementius, quia non amorem tam habet, quam hoc est ipse. Verum quos amat, amicos habet, non servos. Denique amicus fit de magistro: nec enim amicos discipulos diceret, si non essent.

2. Vides amori cedere etiam majestatem? Ita est, fratres; neminem suspicit amor, sed ne despicit quidem. Omnes ex æquo intuetur, qui perfecte se amant, et in se ipso celsos humilesque contemperat; nec modo pares, sed unum eos facit. Tu Deum forsitan adhuc ab hac amoris regula excipi putas; sed qui adhæret Deo, unus spiritus est (I Cor. vi, 17). Quid miraris hoc? Ipse factus est tanquam unus ex nobis. Minus dixi: non tanquam unus, sed unus. Parum est parem esse hominibus: homo est. Inde terram nostram vindicat sibi, sed quasi patriam, non quasi possessionem. Quidni vindicet? Inde illi sponsa, inde substantia corporis; inde sponsus ipse; inde duo in carne una. Si caro una, cur non et patria una? *Cælum cæli Domino*, inquit, *terram autem dedit filiis hominum* (Psal. cxiii, 16). Ergo ut filius hominis hæreditat terram, ut dominus subjicit, ut conditor administrat, ut sponsus communicat. Dicendo nempe, *in terra nostra*, proprietatem profecto abnuit, societatem non respuit. Et hæc pro eo quod sponsus tam benigno usus est verbo, ut dignatus sit dicere *in terra nostra*. Nunc cætera videamus.

3. Vox turturis audita est in terra nostra. Et hoc indicium est transactæ hiemis, tempus nihilominus putationis adesse denuntians. Id juxta litteram. Alias turturis vox non dulce admodum sonat, sed signat dulcia. Ipsa avicula, si emis, non magni; si discutis, non parvi pretii est. Et vox quidem gementi,

quam **1469** canenti similior, peregrinationis nostræ nos admonet. Illius doctoris libenter audio vocem: qui non sibi plausum, sed mihi planctum moveat. Vere turturem exhibes, si gemere doceas: et si persuadere vis, gemendo id magis, quam declamando studeas oportebit. Exemplum sane tum in aliis multis, tum vel maxime hoc in negotio, verbo efficacius est. Dabis voci tuæ vocem virtutis, si quod suades, prius tibi illud cognosceris persuasisse. Validior operis, quam oris vox. Fac ut loqueris, et non solum me facilius emendas, sed te quoque non levi liberas probro. Non jam pertinebit ad te, si quis dicat: *Alligant onera gravia et importabilia, et imponunt ea in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere (Matth. xxiii, 4)*. Sed neque illud verearis oportet: *Tu qui alios doces, te ipsum non doces (Rom. ii, 21)*.

4. *Vox turturis audita est in terra nostra*. Donec homines pro Dei cultu mercedem tantum in terra, et tantum terram acceperunt, illam utique lacte et melle manantem, minime se cognoverunt peregrinos super terram, nec more turturis ingemuerunt veluti patriæ reminiscentes; magis autem pro patria exsilio abutentes, dederunt se comedere pingua, et bibere mulsum. Ita tandiu non est vox turturis audita in terra nostra. Ubi ergo regni cœlorum promissio facta est, tunc intellexerunt homines se non habere hic civitatem manentem, sed futuram inquirere tota aviditate cœperunt; et tunc primum manifeste sonuit in terra vox turturis. Nam dum sancta quæque jam anima Christi præsentiam suspicaret, regni dilationem moleste ferret, desideratam patriam gemitibus et suspiriis a longe salutarer: nonne tibi videtur vice fungi gemebundæ ac castissimæ turturis, quæcunque anima in terris ita fecisset? Extunc ergo et deinceps vox turturis audita est in terra nostra. Quidni moveat mihi crebras lacrymas et gemitus quotidianos Christi absentia! *Domine, ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus (Psal. xxxvii, 10)*. *Laboravi in gemitu meo, tu scis; sed beatus, qui dicere potuit: Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo (Psal. vi, 7)*. Non solum autem mihi, sed et omnibus qui diligunt adventum ejus, gemitus isti comperti sunt. Hoc quippe est quod ipse aiebat. *Nunquid possunt, inquit, filii sponsi lugere, quandiu cum illis est sponsus? Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, et tunc lugebunt (Matth. ix, 15)*; ac si diceret: Et tunc vox turturis audietur.

5. Ita est, Jesu bone, venerunt dies illi. Nam ipsa creatura ingemiscit et parturit usque adhuc, revelationem filiorum Dei expectans. Non solum autem illa, sed et nos ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri (*Rom. viii, 22, 25*): hoc scientes, quia quandiu sumus in corpore hoc, peregrinamur a Domino (*II Cor. v, 4-6*). Nec vacui gemitus, quibus e cœlo tam misericorditer respondetur: *Propter mi-*

A seriam inopum et gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus (Psal. xi, 6). Fuit et in tempore Patrum vox ista gementium; sed rara, et penes quemque suus gemitus. Unde et dicebat quis: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi (Isai. xxiv, 16)*. Sed et qui aiebat: *Gemitus meus a te non est absconditus*, profecto monstrabat absconditum esse, qui soli Deo non esset absconditus. Et ideo tunc dici non potuit: *Vox turturis audita est in terra nostra*; quoniam secretum adhuc paucorum jam tunc multitudinem non exivit. At ubi palam clamatum est: *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens (Coloss. iii, 1)*, ad omnes jam cœpit pertinere gemitus iste turtureus, et una omnibus esse gemendi ratio, quia omnes sciebant Dominum, secundum quod in Jeremia legitur: *Et cognoscent me omnes a minimo usque ad maximum, dicit Dominus (Jerem. xxxi, 34)*.

6. Cæterum si multi gementes, quid sibi vult unius expressio? *Vox turturis*, inquit. Quare non turturum? Forte Apostolus id solvit, ubi ait, quia ipse **1470** *Spiritus postulat pro sanctis gemitibus inenarrabilibus (Rom. viii, 26)*. Ita est. Ipse inducitur gemens, qui gementes facit. Et quamlibet multi sint, quos ita gemere audias, unius per omnium labia vox sonat. Quidni illius, qui ipsam in ore singulorum pro quorumque necessitatibus format? Denique unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem (*I Cor. xii, 7*). Sua vox quemque manifestum facit, et præsentem indicat. Et audi ex Evangelio, quod vocem habeat Spiritus sanctus. *Spiritus*, inquit, *ubi vult spirat, et vocem ejus audis; et nescis unde veniat, aut quo vadat (Joan. iii, 8)*. Fisi ille nesciebat, qui litteram occidentem docebat mortuos magister mortuus [*scilicet Nicodemus*]; nos sciamus, qui translatus de morte ad vitam per vivificantem Spiritum, certo et quotidiano experimento, ipso nos illuminante, probamus vota et gemitus nostros ab ipso venire, et ad eum ire, illicque invenire misericordiam in oculis Dei. Quando enim sui Spiritus vocem irritam faceret Deus? At ipse scit quid desideret Spiritus, quia secundum Deum postulat pro sanctis.

7. Nec soli commendant turturem gemitus; commendat et castitas. Hujus denique merito digna fuit dari hostia pro virgineo partu. Sic quippe habes: *Par turturum, aut duos pullos columbarum (Luc. ii, 24)*. Et licet alias quidem per columbam Spiritus sanctus soleat designari; quia tamen libidinosa avis est, non decuit offerri eam in sacrificium Domini, nisi ea sane ætate, qua nesciret libidinem. At turturis non designatur ætas, quoniam agnoscitur castitas in quacunque ætate. Denique compare uno contenta est; quo amisso alterum jam non admittit, numerositatem in hominibus nuptiarum redarguens. Nam etsi forsitan culpa propter incontinentiam venialis est, ipsa tamen tanta incontinentia turpis est. Pudet ad negotium honestatis rationem non posse in homine, quod natura possit in volucre. Cernete

enim est turturem tempore suæ viduitatis, sanctæ A viduitatis opus strenue atque infatigabiliter exsequentem. Videas ubique singularem, ubique gementem audias; nec unquam in viridi ramo residentem prospicies, ut tu ab eo discas voluptatum virentia virulenta vitare. Adde quod in jugis montium et in summitatibus arborum frequentior illi conversatio est: ut, quod vel maxime propositum pudicitia, decet, doceat nos terrena despiciere, et amare cœlestia.

8. Ex quibus colligitur, quod vox sit turturis etiam prædicatio castitatis. Neque enim a principio vox ista in terris audita fuit, sed magis illa: *Crescite, et multiplicamini, et replete terram* (Gen. 1, 28). Incassum profecto vox illa pudicitia sonisset, necdum propalata resurgentium patria: in qua longe D felicius homines neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli Dei in cœlis (Luc. xx, 35, 36). Tunc voci illi tempus fuisse tunc dicas, cum maledicto omnis subiacebat sterilis in Israel, cum Patriarchæ ipsi plures simul habebant uxores, cum frater fratris absque liberis defuncti semen suscitare ex lege compellebatur? At, ubi insonuit ex ore cœlestis turturis commendatio illa spadonum, qui se castraverunt propter regnum Dei (Matth. xix, 12); et item alterius ejusdem castissimæ turturis consilium de virginibus ubique invaluit (I Cor. vii, 25), tunc primum dici vera iter potuit, quia *vox turturis audita est in terra nostra*.

9. Ergo, si in terra nostra et flores apparuerunt, et vox turturis audita est; profecto et visu veritas C comperta est, et auditu. Vox quippe auditur, flos cernitur. Flos miraculum est, ut nostra superior interpretatio habet, quod voci accedens fructum parterit fidei. Etsi fides ex auditu, sed ex visu confirmatio est. Sonuit vox, splenduit flos, et veritas de terra orta est (Psal. lxxxiv, 12) per fidelium confessionem, verbo signoque pariter concurrentibus in testimonium fidei. Testimonia ista credibilia facta sunt nimis, dum flos voci, auri oculus attestatur. Audita visa confirmant, ut duorum testimonium (auris loquor et oculi) ratum sit. Propterea Dominus aiebat: *Ite, renuntiate Joanni 1471* (ejus nempe discipulis loquebatur) *quæ audistis et vidistis* (Luc. vii, 22). Nec brevius illis, nec planius intimari fidei D valuit certitudo. Eadem sane in brevi etiam universæ terræ persuasio facta est, et eodem argumenti compendio. *Quæ audistis, inquit, et vidistis*. O verbum abbreviatum, attamen vivum et efficax! Haud dubius profecto assero, quod auribus oculisque percepi. Intonat tuba salutaris, coruscant miracula, et mundus credit. Cito persuadetur quod dicitur, dum quod stupetur, ostenditur. Habes autem quia *perfecti apostoli prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis* (Marc. xvi, 20). Habes in monte stupenda claritate transfiguratum, et nihilominus superna testificatum voce (Matth. xvii, 2-5). Habes in Jordane similiter et columbam designantem, et vocem testificantem

(Matth. iii, 16, 17). Ita hæc duo ubique pariter, vox et signum, ad introducendam fidem ex divina largitate concurrunt: ut latus ad animam per utrasque fenestras ingressus pateat veritati.

10. Sequitur: *Ficus protulit grossos suos*. Non comedamus ex eis: nec enim esui habiles sunt ob immaturitatem sui. Bonarum ficum habent speciem, sed similitudinem, non saporem, forte hypocritas designantes. Non abjiciamus tamen, alias forsitan his opus habebimus. Alioquin satis per se ipsos leviter, et ante tempus cadent, sicut fenum tectorum, quod priusquam evellatur exaruit (Psal. cxxviii, 6): quod ego de hypocritis dictum reor. Non sine causa tamen in carmine nuptiali eorum mentio facta est. Erunt sine dubio, etsi non esui, usui qualicumque. D Multa in nuptiis præter dapes necessarie procurantur. Ego vero istud adeo minime prætereundum existimo, ut quidquid illud est, inter angustias extremitatum sermonis hujus discutere nolim; sed differo in diem alterum, et horam lberiore. An vero necessarie, vobis tunc experiri licebit: tantum mihi opportunitatem facultatemque obtineant vota vestra ad proferendum quod sentio, in vestram ipsorum ædificationem, in laudem et gloriam sponsi Ecclesiae Jesu Christi Domini qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LX.

De incredulitate Judæorum, qua compleverunt mensuram patrum suorum occidendo Christum.

1. *Ficus protulit grossos suos*. (Cantic. ii, 15). Ex C superioribus pendet præsens locus. Dixerat enim tempus putationis venisse, tam ex floribus qui jam apparebant, quam ex audita turturis voce hoc asserens. Id ipsum adhuc ex grossorum productione affirmat; quia non solum ex floribus et voce turturis experimentum capitur temporis; capitur et ex ficu. Non enim non est aer indulgentior tunc, cum ficus grossos suos protulerit. Ficus flores non habet, sed pro floribus grossos mittit tempore quo cæteræ arbores florent. Et quomodo flores apparent et transeunt, ad nihil utiles, nisi quod seruturi fructus quidam prænuntii sunt; ita et grossi. Oriuntur, sed immature cadunt, et dant locum maturandis, ipsi minime habiles ad vescendum. Et hinc ergo, ut dixi, D sumit sponsus experimentum temporis, et argumentum suasionis, ut non pigritetur pergere sponsa ad vineas, quia non perit opera, quæ tempestiva venit. Et littera quidem sic

2. Quid vero spiritus? ut plane hoc loco non ficum intueamur, sed populum: nempe de hominibus cura est Deo, non de arboribus. Vere ficus est populus, fragilis carne, parvulus sensu, animo humilis, cujus primi fructus, ut interim nomini alludamus, grossi utique et terreni. Nec enim popularis est studii primum querere regnum Dei et justitiam ejus (Matth. vi, 33); sed, ut ait Apostolus, cogitare quæ mundi sunt, quomodo placeant uxoribus, vel illæ viris. Tribulationem carnis habebunt hujusmodi (I Cor. vii, 33, 28); sed in novissimis non negamus

eos fructus fidei assecuturos, si bonam habuerint a novissimam confessionem, maximeque si carnis opera eleemosynis redemerint. Ergo primi **1472** plebium fructus nec fructus sunt, non magis quam ficum grossi. Denique si dignos postmodum fructus pœnitentiæ fecerint (non enim prius quod spirituale est, sed quod animale [I Cor. xv, 46] dicitur illis: *Quem fructum habuistis tunc in quibus nunc erubescitis?* (Rom. vi, 21.)

3. Ego tamen hoc loco non quemvis populum interpretari liberum puto: unus signanter exprimitur. Neque enim, Protulerunt, dixit, quasi de pluribus; sed quasi de una, protulit, inquit, ficus grossos suos; et, ut sentio ego, quæ est plebs Judæorum. Quanta in hanc Salvator parabolice in Evangelio loqui videtur? ut est illud: *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua* (Luc. xiii, 6) etc.; item: *Videte ficulneam et omnes arbores* (Luc. xxi, 29); et Nathanaeli dictum est: *Cum esses sub ficu, vidi te* (Joan. i, 48). Et rursus maledicit ficulneæ, pro eo quod non invenit in ea fructum (Marc. xi, 13, 14). Bene ficus, quæ bona licet patriarcharum radice prodierit, nunquam tamen in altum proficere, nunquam se humo attollere voluit, nunquam respondere radici proceritate ramorum, generositate florum, fecunditate fructuum. Male prorsus tibi cum tua radice convenit, arbor pusilla, tortuosa, nodosa. Radix enim sancta. Quid ea dignum tuis apparet in ramis? *Ficus, inquit, protulit grossos suos*. Non hos nobili a radice traxisti, semen nequam. Quod in ea est, de Spiritu sancto est; ne per hoc subtile totum ac suave. Tibi unde hi grossi? Et vere quid non grossum in gente illa? Nec actus profecto, nec affectus, nec intellectus, sed nec ritus, quem in colendo Deum habuit. Nam actus in bellis, affectus in lucris totus erat, intellectus in crassitudine litteræ, cultus in sanguine pecudum et armentorum.

4. At dicit aliquis: cum istiusmodi grossos non aliquando proferre genus illa cessaverit, ergo non aliquando tempus putationis non exstitit, quia unum utrique rei tempus existere perhibetur. Non ita est. Dicimus mulieres filios procreasse, non cum parturiunt, sed cum jam pepererunt. Dicimus et arbores edidisse flores suos, non cum cœperint florere, sed potius cum desierint. Ita hic quoque dictum est, quia *ficus protulit grossos suos*, non cum aliquos edidit, sed cum totos, id est, cum ad finem pervevit editio. Quæris quo tempore istiusmodi complementum illi populo accidit? Cum Christum occidit, tunc completa est malitia ejus, juxta quod ipse eis prædixerat: *Implete mensuram patrum vestrorum* (Matth. xxi, 32). Unde in patibulo traditurus jam spiritum: *Consummatum est, inquit* (Joan. xix, 30). O qualem consummationem dedit grossis suis ficus hæc maledicta, et subinde æterna ariditate damnata! O quam sunt novissimi pejores prioribus! Incipiens ab inutilibus, ad perniciosos pervenit et venenatos. O grossum vipereumque affectum, odire hominem, qui hominum et corpora sanat, et animas salvat! O nihil-

ominus intellectum grossum et certe bovinum, qui Deum non intellexerunt nec in operibus Dei!

5. Nimum me fortasse queratur in sui suggillatione Judæus, qui intellectum illius dico bovinum. Sed legat in Isaia, et plus quam bovinum audiet. *Cognovit, inquit, bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui: Israel non cognovit me; populus meus non intellexit* (Isai. i, 3). Vides me, Judæe, mitiorem tibi propheta tuo. Ego te comparavi jumentis, ille subjicit. Quamquam in sua persona propheta non dixit hoc, sed in Dei, qui Deum se et ipsis operibus clamat: *Etsi mihi, inquit, non creditis, operibus credite: etsi non facio opera Patris mei, nolite credere* (Joan. x, 38, 37); nec sic tamen vigilant ad intelligendum. Non fuga dæmonum, non obedientia elementorum, non vita mortuorum, bestialem hanc, et plus quam bestialem hebetudinem ab eis depellere quivit: de qua non minus mirabili quam miserabili cæcitate factum est, ut in illud tam horrendum, tamque enormiter grossum facinus proruerint, Domino majestatis injicientes manus sacrilegas. Extunc itaque dici potuit, quia *ficus protulit grossos suos*, cum jam videlicet legitima illius populi esse cœperunt quasi in exitu super summum: ut novis, juxta veterem prophetiam, supervenientibus, vetera **1473** projicerentur (Levit. xxvi, 10). Non aliter sane, quam quomodo grossi cadunt, et cedunt suborientibus sicibus bonis. Quandiu, inquit, non cessavit ficus producere grossos suos, non te vocavi, o sponsa, sciens non posse una prodire optimas ficus. Nunc autem productis qui prius prolucenti erant, non jam intempestive te invito, cum boni ac salutare fructus in proximo esse noscantur, inutilis expuncturi.

6. Nam vineæ, inquit, *florentes odorem dederunt*; quod nihilominus appropinquantis fructus indicium est. Illic odor serpentes fugat. Aiunt florescentibus vineis omne reptile venenatum cedere loco, nec ulatenus novorum ferre odorem florum. Quod volo attendant novitii nostri, et fiducialiter agant, cogitantes qualem spiritum acceperunt, cujus primitias dæmones non sustinent. Si sic novitius fervor, quid erit absoluta perfectio? Perpendatur ex flore fructus, et saporis virtus ex vi æstimetur odoris. *Vineæ florentes odorem dederunt*. Et in principio quidem sic fuit. Ad prædicationem novæ gratiæ secuta est novitas vitæ in his qui crediderant, qui conversationem suam inter gentes habentes bonam. Christi erant bonus odor in omni loco (II Cor. ii, 14, 15). Odor bonus, testimonium bonum. Illic de bono opere tanquam de flore odor procedit. Et quoniam tali flore et tali odore inter primordia nascentis fidei fideles animæ, veluti quædam spirituales vineæ, refertæ apparuerunt, habentes te testimonium bonum et ab his qui foris erant; non incongrue, ut opinor, de ipsis dictum sentimus, quia *vineæ florentes odorem dederunt*. Ad quid? ut eo sane provocati etiam qui necdum crediderant, ex bonis operibus illis considerantes, glorificarent et ipsi Deum, atque ita

eis odor vitæ ad vitam esse inciperet. Idcirco ergo A
dedit odorem non immerito referuntur, qui non
suam gloriam, sed aliorum de sua bona opinione
quæsiere salutem. Alioquin poterant more quorum-
dam quæstum æstimare pietatem, verbi gratia,
ostentationis, mercedis. At istud esset non dare
odorem, sed vendere. Nunc vero quia omnia sua in
charitate faciebant, non plane vendiderunt odorem,
sed dederunt.

7. Cæterum si vineæ animæ, flos opus, odor opi-
nio est : fructus quid? Martyrium. Et vere fructus
vitis, sanguis est martyrii. *Cum dederit, inquit, di-
lectis suis somnum, ecce hæreditas Domini filii,
merces fructus ventris (Psal. cxxvi, 2, 3).* Propemo-
dum dixissem, fructus vitis. Quidni sanguinem uvæ
dixerim meracissimum, sanguinem innocens, sanguinem B
Justi? Quidni mustum rubens, probatum,
pretiosum, plane de vinea Sorech [alias, Soreth.],
torculari passionis expressum? Denique pretiosa in
spectu Domini mors sanctorum ejus (Psal. cxv, 5).
Hæc pro eo quod dictum est, vineas florentes odo-
rem dedisse.

8. Ita si ad tempora gratiæ hunc locum respicere
malimus, aut si placet magis referri ad Patres (nam
vineæ Domini sabaoth domus Israel est (Isai. v, 7),
erit sensus : Christum in carne nasciturum et mori-
turum odoraverunt prophætæ et patriarchæ, sed non
dederunt tunc eundem odorem suum, quia non
exhibuerunt in carne, quem in spiritu præsen-
serunt. Non dederunt odorem suum, nec secretum suum
publicaverunt, exspectantes ut revelaretur in suo
tempore. Quis sane tunc caperet sapientiam in my-
sterio absconditam, in corpore non exhibitam? Ita
vineæ tunc quidem non dederunt odorem suum.
Dederunt autem postea, cum per successiones ge-
nerationum nascentem ex se Christum secundum
carnem partu virginico sæculis ediderunt. Tunc
plane, inquam, spirituales illæ vineæ dederunt odo-
rem suum, cum apparuit benignitas et humanitas
Salvatoris nostri Dei (Tit. iii, 4.); et cœpit præsen-
tem habere mundus, quem pauci adhuc absentem
præsen-
serant. Vir ille, verbi causa, qui Jacob tan-
gens, et Christum sentiens : *Ecce, inquit, odor filii
mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus
(Gen. xxvii, 27);* cum hoc dicebat, habebat delicias D
suas sibi, nec cuiquam illas communicabat. At ubi
venit plenitudo temporis, in quo 1474 misit Deus
Filium suum factum ex muliere, factum sub lege,
ut eos qui sub lege erant redimeret (Galat. iv, 4, 5);
tunc prorsus odor, qui in illo erat, sese ubique
sparsit, adeo ut a finibus terræ ipsum sentiens cla-
maret Ecclesia : *Oleum effusum nomen tuum : cur-
rentque adolescentulæ in odore olei hujus (Cant.
i, 2, 3).* Ita ista vinea dedit odorem suum, et eo
temporis dederunt et cæteræ, in quibus hic ipse odor
vitæ exstiterat. Quidni dederunt, e quibus Christus
secundum carnem? Dictum est itaque vineas dedisse
odorem, sive quia fideles animæ bonam de se ubi-

que opinionem spargunt; sive quod palam facta sunt
mundo oracula et revelationes Patrum, et in omnem
terram exivit odoratus eorum, dicente Apostolo :
*Manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod
manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu,
apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum
est mundo, assumptum est in gloria (I Tim. iii, 16).*

9. Mirum vero, si nec ficus, nec vineæ istæ ali-
quid habent quod mores ædificet. Ego hunc locum
arbitror esse et moralem. Dico autem per gratiam
Dei quæ in nobis est, et ficus nos habere,
et vineas. Ficus quidem, qui suavioris in mori-
bus sunt; vineas vero, qui spiritu ferventiores.
Omnis qui se inter nos communiter socialiter-
que agit, et non solum sine querela conversatur
inter fratres, sed et multa cum suavitate fruendum
se omnibus præbet in omni officio charitatis, quidni
illum vicem agere ficus convenientissime dicam?
Qui tamen grossos suos prius protulerit, projecerit-
que oportet, timorem utique judicii, quæ perfecta
charitas foras mittit; et amaritudinem peccatorum,
quæ veræ confessioni et infusioni gratiæ, crebrarum-
que profusioni lacrymarum cedat necesse est, cæ-
teraque talia, instar grossorum præeuntia fructuum
suavitatem : quæ vos quoque per vosmetipsos cogi-
tare potestis.

10. Ut tamen adhuc ego aliquid adjiciam de ejus-
modi quod occurrit, videte ne forte etiam hæc inter
grossos deputari possint, scientia, prophetia, lin-
guæ, similiaque. Etenim ista more grossorum defi-
cere habent, et cedere melioribus, dicente Apostolo,
quia et scientia destruetur, et prophetiæ evacuabun-
tur, et linguæ cessabunt. Fidem quoque ipsam intel-
lectus excludet, speique succedat visio necesse est.
Quod enim videt quis, quid sperat? Sola non exci-
dit charitas (Cor. xiii, 8), sed illa qua Deus toto
corde, tota anima, tota virtute diligitur (Luc. x, 27).
Ideo hanc minime grossis annumeraverim, ne ad-
ficum quidem dixerim pertinere, sed ad vineas. Jam
qui vineæ sunt, severiores nobis, quam suavioris se
exhibent, in spiritu vehementi agentes, zelantes
pro disciplina, vitia acerrime corripientes, aptantes
sibi congruentissime vocem illam : *Nonne qui ode-
runt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabesce-
bam? (Psal. cxxxviii, 21).* Item : *Zelus domus tuæ
comedit me (Psal. lxxviii, 10).* Et mihi quidem illi in
dilectione proximi, isti in dilectione Dei eminere vi-
dentur. Sed libet pausare sub hac vite et sub hac
ficu, ubi Dei proximique obumbrat dilectio. Utram-
que teneo cum te amo, Domine Jesu Christe, qui
meus proximus es, quoniam homo es, et fecisti me-
cum misericordiam; et nihilominus es super omnia
Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LXI.

*Quomodo Ecclesia reperit divitiæ divinæ misericordiæ
in foraminibus vulnerum Christi, et de fortitudine
martyrum quam a Christo receperunt.*

1. *Surge (220), amica mea, sponsa mea, et ve ni*

(220) In vulgatis additur *propera*, quod verbum deest manuscriptis et primis editis.

(Cant. II, 13). Commendat sponsus multam dilectionem suam iterando amoris voces. Nam iteratio affectionis expressio est: et quod rursum ad laborem vinearum sollicitat dilectam, ostendit quam sit de animarum salute sollicitus. Nam vineas animas esse jam audistis. Non immoremur supervacue in his quæ dicta sunt. Videte sequentia. Sponsam tamen nusquam, ut memini, **1475** in toto hoc opere aperte adhuc nominat, nisi modo cum ad vineas itur, cum vino charitatis appropinquatur. Quæ cum venerit et perfecta fuerit, faciet spirituale conjugium; et erunt duo, non in carne una, sed in uno spiritu, dicente Apostolo: *Qui adhæret Deo, unus spiritus est* (I Cor. VI, 17).

2. Sequitur: *Columba mea in foraminibus petræ, in cavernis maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis*. Amat et pergit amatoria loqui. Columbam denuo blandiendo vocat; suam dicit, et sibi asserit propriam: quodque ipse rogari obnixius ab illa solebat, ipsius nunc versa vice et conspectum postulat, et colloquium. Agit ut sponsus; sed ut verecundus, publicum erubescit, decernitque frui deliciis suis in loco sequestri, utique in foraminibus petræ, et in cavernis maceriæ. Puta ergo sic dicere sponsum: Ne timeas, amica, quasi hæc, ad quam te hortamur, opera vinearum negotium amoris impedire seu interrumpere habeat. Erit certe et aliquis usus in ea ad id quod pariter optamus. Vineæ saue macerias habent, et hæc diversoria grata verecundis. Hic literalis lus. Quidni dixerim lusum? Quid enim serium habet hæc litteræ series? Ne auditu quidem dignum quod foris sonat, si non intus adjuvet Spiritus infirmitatem intelligentiæ nostræ. Ne ergo remaneamus foris, ne et turpium, quod absit! amorum videamur lenocinia recensere, afferte pudicas anres ad sermonem qui in manibus est de amore; et cum ipsos cogitatis amantes, non virum et feminam, sed Verbum et animam sentiatis oportet. Et si Christum et Ecclesiam dixerò, idem est; nisi quod Ecclesiæ nomine non una anima, sed multarum unitas, vel potius unanimitas designatur. Nec sane foramina petræ, aut cavernas maceriæ, latebras putetis operantium iniquitatem, ne qua prorsus suspicio subeat de operibus tenebrarum.

3. Alius hunc locum ita exposuit, foramina petræ vulnera Christi interpretans. Recte omnino; nam petra Christus. Bona foramina, quæ fidem astruunt resurrectionis et Christi divinitatem. *Dominus meus, inquit, et Deus meus* (Joan. XX, 28). Unde hoc reportatum oraculum, nisi ex foraminibus petræ? In his passer invenit sibi domum, et turtur nidum, ubi reponat pullos suos (Psal. LXXXIII, 4); in his se columba tutatur, et circumvolitantem intrepida intuetur accipitrem. Et ideo ait: *Columba mea in fora-*

minibus petræ. Vox columbæ, *In petra exaltavit me* (Psal. XXVI, 6); et item: *Statuit, inquit, supra petram pedes meos* (Psal. XXXIX, 3). Vir sapiens ædificat domum suam supra petram, quod ibi nec ventorum formidet injurias, nec inundationum (Matth. VII, 24, 25). Quid non boni in petra? In petra exaltatus, in petra securus, in petra firmiter sto. Securus ab hoste, fortis a casu; et hoc quoniam exaltatus a terra. Anceps est enim et caducum, terrenum omne. Conversatio nostra in cœlis sit, et nec cadere, nec deici formidamus. In cœlis petra, in illa firmitas atque securitas est. Petra refugium herinacis (Psal. CIII, 18). Et revera ubi tuta firmaque infirmis securitas et requies, nisi in vulneribus Salvatoris? Tandem illic securior habito, quanto ille potentior est ad salvandum. Fremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur: non cado; fundatus enim sum supra firmam petram. Peceavi peccatum grande: turbabitur conscientia, sed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor. Nempe vulneratus est propter iniquitates nostras (Isai. LIII, 5). Quid tam ad mortem, quod non Christi morte solvatur? Si ergo in mentem venerit tam potens tamque efficax medicamentum, nulla jam possum morbi malignitate terreri.

4. Et ideo liquet errasse illum qui ait: *Majior est iniquitas mea, quam ut veniam merear* (Gen. IV, 13). Nisi quod non erat de membris Christi, nec pertinebat ad eum de Christi merito, ut suum præsumeret, suum diceret quod illius esset; tanquam rem capitis membrum (221). **1476** Ego vero fidenter quod ex me mihi deest usurpo mihi ex visceribus Domini, quoniam misericordia affluunt; nec desunt foramina, per quæ effluant. Foderunt manus ejus et pedes, latusque lancea foraverunt: et per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo; id est, gustare et videre quoniam suavis est Dominus. Cogitabat cogitationes pacis, et ego nesciebam. Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? At clavis reserans, clavus penetrans factus est mihi, ut videam voluntatem Domini. Quidni videam per foramen? Clamat clavus, clamat vulnus, quod vere Deus sit in Christo mundum reconcilians sibi. Ferrum pertransiit animam ejus, et appropinquavit cor illius, ut non jam non sciat compati infirmitatibus meis. Patet arcuum cordis per foramina corporis; patet magnum illud pietatis sacramentum, patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. Quidni viscera per vulnera pateant? In quo enim clarius quam in vulneribus tuis eluxisset, quod tu, Domine, suavis et mitis, et multæ misericordiæ? Majorem enim miserationem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro addictis morti et damnati.

(221) Ita constanter libri veteres cum antiquioribus editis. Horstio male, *rem capitis membrum*; Picardo, *veri capitis membrum*. Lectio nostra genuina

et facilis, si *membrum* in recto intelligas, supplendo *suam dicit* ex superiori commate: ut si sensus, *Sicut membrum rem capitis suam dicit*.

5. Meum proinde meritum, miseratio Domini. Non plane sum meriti inops, quando illi miseratio non fuerit. Quod si misericordiae Domini multae, multus nihilominus ego in meritis sum. Quid enim si multorum sim mihi conscius delictorum? Nempe tibi abundavit delictum, superabundavit et gratia (Rom. v, 26). Et si misericordiae Domini ab aeterno et usque in aeternum (Psal. cii, 17), ego quoque misericordias Domini in aeternum cantabo (Psal. lxxxviii, 2). Nunquid justitias meas? Domine, memorabor justitiae tuae solius (Psal. lxx, 16). Ipsa est enim et iustitia; nempe factus es mihi tu iustitia a Deo. Nunquid mihi verendum, ne non una ambobus sufficiat? Non est pallium breve, quod, secundum prophetam, non possit operire duos (Isai. xxviii, 20). Iustitia tua, iustitia in aeternum (Psal. cxviii, 142). Quid longius aeternitate? Et te pariter et me operiet largiter larga et aeterna iustitia. Et in me quidem operit multitudinem peccatorum; in te autem, Domine, quid nisi pietatis thesaurus, divitias bonitatis? Haec in foraminibus petrae repositae mihi. Quam magna multitudo dulcedinis tuae in illis, operatae quidem, sed in his qui pereunt! Ut quid enim sanctum detur canibus, vel margaritae porcis? Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum, etiam et apertis foraminibus introduxit in sancta. Quanta in his multitudo dulcedinis, plenitudo gratiae, perfectioque virtutum!

6. Ibo mihi ad illa sic referta cellaria, atque ad admonitionem prophetae relinquam civitates, et habitabo in petra (Jerem. xlviii, 28). Ero quasi columba nidificans in summo ore foraminis, ut cum Moysae positus in foramine petrae, transeunte Domino, merear saltem posteriora ejus prospicere (Exod. xxxiii, 22, 23). Nam faciem stantis, id est incommutabilis claritatem, quis videat, nisi qui introduci jam meruit, non in sancta, sed in sancta sanctorum? Nec vilis tamen aut contemnenda posteriorum contemplatio. Contemnat Herodes; ego tanto magis non contemno, quanto magis contemptibilem se ostendit Herodi. Habent etiam aliquid et posteriora Domini quod videre delectet. Quis scit si convertatur et ignoscat Deus, et relinquat post se benedictionem? Erit cum ostendat faciem suam, et salvi erimus. Sed interim praevenerit nos in benedictionibus dulcedinis, illis utique quas post se relinquere consuevit. Nunc dignationis suae posteriora demonstrat, alias in gloria dignitatis faciem suam demonstraturus. Sublimis in regno, sed suavis in cruce. In hac me visione praevenerit, in illa adimpleat. *Adimplebis me, ait, laetitia cum vultu tuo* (Psal. xv, 11). Utraque visio salutaris, utraque suavis; sed illa in sublimitate, ista in humilitate; illa in splendore, haec in pallore est.

1477 7. Denique inquit, *Et posteriora dorsi ejus in pallore auri* (Psal. lxxvii, 14). Quomodo non in morte pallescat? Sed melius pallens aurum quam fulgens aurichalcum, et quod stultum est Dei sapientius est hominibus. Aurum Verbum, aurum Sapientia

est. Hoc aurum semetipsum decoloravit, abscondens formam Dei, et formam servi praetendens. Decoloravit et Ecclesiam, quae ait: *Nolite me considerare quod fasca sim, quia decoloravit me sol* (Cantic. i, 5). Ergo et posteriora ipsius in pallore auri, quae fuscum non erubuit crucis, ustionem passionis non horruit, livorem vulnerum non refugit. Etiam complacet sibi in illis, et optat novissima sua fore horum similia. Idcirco denique audit: *Columba mea in foraminibus petrae*, quod in Christi vulneribus tota devotione versetur, et jugi meditatione demoretur in illis. Inde martyrii tolerantia, inde illi magna fiducia apud Deum altissimum. Non est quod vereatur martyr exsanguem lividamque levare ad eum faciem, cujus livore sanatus est, gloriosam representare similitudinem mortis ejus, utique in pallore auri. Quid vereatur cui etiam a Domino dicitur: *Ostende mihi faciem tuam?* Ad quid? Ut mihi videatur, se magis ostendere vult. Ita est: videri vult, non videre. Quid enim ille non videt? Non est ei opus ut quis se ostendat, a quo nil non videtur, nec si se abscondat. Vult ergo videri, vult benignus dux devoti militis vultum et oculos in sua sustolli vulnera, ut illius ex hoc animum erigat, et exemplo sui reddat ad tolerandum fortiorem.

8. Enimvero non sentiet sua, dum illius vulnera intuebitur. Stat martyr tripudians et triumphans, toto licet lacero corpore; et rimante latera ferro, non modo fortiter, sed et atacriter sacrum e carne sua circumspicit ebullire cruorem. Ubi ergo tunc anima martyris? Nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Jesu, vulneribus nimirum patentibus ad introeundum. Si in suis esset visceribus, scrutans ea ferrum profecto sentiret; dolorem non ferret, succumberet, et negaret. Nunc autem in petra habitans, quid mirum si in modum petrae duruerit? Sed neque hoc mirum, si exsul a corpore dolores non sentiat corporis. Neque hoc facit stupor, sed amor. Submittitur enim sensus, non amittitur. Nec deest dolor, sed superatur, sed contemnitur. Ergo ex petra martyris fortitudo, inde plane potens ad bibendum calicem Domini. Et calix hic inebrians quam praeclarus est! (Psal. xxii, 5.) Praeclarus, inquam, atque jucundus non minus imperatori spectanti, quam militi triumphanti. Gaudium etenim Domini, fortitudo nostra (II Esdr. viii, 10). Quidni gaudeat ad vocem fortissimae confessionis? Denique et requirit eam cum desiderio: *Sonet, inquit, vox tua in auribus meis*. Nec cunctabitur rependere vicem secundum suam promissionem: continuo ut se confessus fuerit coram hominibus, confitebitur et ipse eum coram Patre suo (Math. x, 32). Rumpamus sermonem, nec enim potest finire modo; ne sit sine modo, si cuncta quae adhuc ex proposito capitulo restant, uno isto velimus sermone complecti. Ergo quod superest servemus principio alteri, ut de nostro sane et verbo et modo gaudeat sponsus Ecclesiae Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen.

SERMO LXII.

Quid sit animam fidelem commorari « in foraminibus petra; » et quid « in cavernis maceræ. » De Dei voluntate potius, quam majestate scrutanda. Denique de puritate mentis necessaria ad prædicationem veritatis.

1. *Columba mea in foraminibus petrae, in cavernis maceræ (Cant. II, 14).* Non tantum in foraminibus petrae tutum reperit columba refugium; reperit et in cavernis maceræ. Quod si maceriam non congeriem lapidum, sed sanctorum communionem accipimus, videamus ne forte cavernas maceræ dixerit angelorum, qui ob superbiam lapsi sunt, loca quasi vacua **1478** derelicta: quippe quæ repleri ex hominibus habent, tanquam ruinæ de lapidibus vivis reficiendæ. Unde apostolus Petrus: *Accedentes, inquit, ad lapidem vivum, et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domos spirituales (I Petr. II, 4, 5).* Nec puto ab re esse, si intelligimus angelorum custodiam vicem exhibere maceræ in vinca Domini, quæ est Ecclesia prædicatorum, cum Paulus dicat: *Nonne omnes administratorii spiritus sunt, missi in ministerium propter eos qui hæreditatem capiunt salutis? (Hebr. I, 14.)* et Propheta: *Immittit angelus Domini in circuitu timentium eum (Psal. XXXIII, 8).* Et si ita sedet, erit sensus, quia Ecclesiam tempore et loco peregrinationis suæ duæ res consolentur; de præterito quidem, memoria passionis Christi; de futuro autem, quod se in sortem sanctorum cogitat et confidit recipendam. Ambo hæc, veluti ante et retro oculata, insatiabili desiderio contuetur; et uterque illi intuitus admodum gratus, uterque est illi refugium a tribulatione malorum et dolore. Integra consolatio, cum non solum quid expectandum, sed et unde id sit præsumendum noverit. Expectatio læta nec dubia, quæ Christi morte firmata est. Cur paveat ad præmii magnitudinem, quæ pretii dignitatem considerat? Quam libens mente invisit foramina, per quæ sibi sacrosancti sanguinis pretium fluxit! Quam libens cavernas perambulat, et diversoria, et mansiones, quæ sunt in domo Patris multæ atque diversæ, in quibus habet collocare filios suos pro quorumque diversitate meritum! Et nunc quidem, quod solum interim potest, sola in his memoria requiescit, cæleste habitaculum; quod desursum est, jam animo induens. Erit autem cum implebit ruinas, cum cavernas et corpore inhabitabit, et mente; cum vacua domicilia, quæ antiqui reliquerunt habitatores, ipsa suæ universitatis illustrabit præsentia, nec ulla ultra apparebit caverna penitus in cælesti maceræ, felici de cætero perfectione sui atque integritate gaudente.

2. Aut, si id magis probas, dicemus has cavernas a studiosis et piis mentibus non inveniri, sed fieri.

A Quonam modo, inquis? Cogitatione et aviditate. Cedit nempe in modum maceræ mollioris pia maceries desiderio animæ, cedit puræ contemplationi, cedit crebræ orationi. Denique oratio justi penetrat cælos (*Eccli. XXXV, 21*). Non utique aeris hujus corporei spatiosas altitudines, veluti quodam remigio alarum suarum instar volucris volantis scindet, aut quasi gladius acutus ipsius firmamenti solidum celsumque verticem perforabit: sed sunt cæli sancti, vivi, rationales, qui enarrant gloriam Dei, qui favorabili quadam pietate nostris se votis libenter inclinant, et sinuatis ad tactum nostræ devotionis affectibus in sua nos recipiunt viscera, quoties digna ad eos intentione pulsamus. Pulsanti enim aperietur. Licebit itaque unicuique nostrum, etiam hoc **B** tempore nostræ mortalitatis, cavare sibi, quacunque parte volet, cavernas supernæ maceræ; nunc quidem patriarchas revisere, nunc vero salutare prophetas, nunc senatui inimisci apostolorum, nunc martyrum inseri choris; sed et beatorum virtutum status et mansiones a minimo angelo usque ad cherubin et seraphin, tota mentis alacritate percurrere lustrare, prout quemque sua devotio feret. Apud quos magis afflicti, immittente sibi Spiritu prout vult; si steterit et pulsaverit, confestim aperietur ei, et facta quasi caverna in montibus, vel potius mentibus sanctis, dum se ultro inflectunt ad pietatem, requiescet vel paululum apud illos. Omnis animæ sic facientis et facies, et vox Deo grata existit: facies, propter puritatem; vox, **C** propter confessionem. Etenim confessio et pulchritudo in conspectu ejus (*Psal. XCV, 6*). Unde et dicitur illi qui ejusmodi est: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis.* Vox admiratio in animo contemplantis, vox gratiarum actio est. Delectatur admodum istiusmodi cavernis Deus, e quibus sibi vox resonat gratiarum actionis, vox admirationis et laudis.

3. Felix mens, quæ sibi in hac maceria frequenter **1479** cavare studuerit; sed quæ in petra, felicior. Licet quidem cavare et in petra; sed ad hoc puriore mentis acie opus est; et vehementiori omnino intentione, etiam et meritis potioribus sanctitatis [*alias fodiamus*] (**222**). Et ad hæc quis idoneus? Nempe ille qui dixit: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum (Joan. I, 1, 2).* Nonne tibi videtur ipsis se Verbi penetralibus immersisse; et de abditi pectoris ejus quamdam intimæ sapientiæ sacrosanctam eruisse medullam? Quid ille qui sapientiam loquebatur inter perfectos, sapientiam in mysterio absconditam, quam nemo principum mundi hujus cognovit? (*I Cor. II, 6, 8*). Nonne uno et altero cælo acuta, sed pia curiositate terebratis, e tertio tandem hanc pius scrutator evexit? At ipsam non siluit nobis, verbis quibus potuit

(222) Plerique codices omittunt *sanctitatis*, quam tamen vocem habent omnes. etiam primæ editiones.

fidelibus fructus inimans. Audivit autem verba ineffabilia, quæ non licuit illi loqui (II Cor. xii, 2, 4). Non utique homini, nam sibi illa loquebatur et Dec. Puta ergo Deum quasi sollicitam Pauli charitatem hoc modo consolari, et dicere: Quid anxiaris quod conceptum tuum auditus non capit humanus? *Sonet vox tua in auribus meis*; hoc est: Si quod sentis, non licet revelare mortalibus, consolare tamen, quod vox tua divinas queat mulcere aures. Vides sanctam animam, nunc quidem charitate sobriam nobis, nunc vero puritate excedentem Deo? (II Cor. v, 13.) Vide etiam de sancto David, ne forte ille sit ipse homo, de quo cum Deo, quasi de alio loquitur: *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, et reliquæ cogitationis diem festum agent tibi* (Psal. lxxv, 11). Ergo quod de cogitatione prophetica verbo et exemplo Prophetæ venire ad medium poterat, id Propheta in publicam mox laxabat confessionem, et ex eo confitebatur in populis Domino, reliquum sibi et Deo servans, unaque festivum ducens in letitia et exultatione. Hoc ergo est quod nobis intimare memorato versiculo voluit. Quidquid videlicet sua illa scrutabunda et avida cogitatione ex arcano sapientiæ eruere prævalebat, partem quam poterat in salutem populorum sollicita prædicatione impertiebat; reliquum quod capere plebes non poterant, festiva jubilatione in Dei laudibus expendebat. Vides sanctæ contemplationi deperire nihil, dam quod expendi in plebium ælificationem non potest, id vel maxime Deo sit jucunda decoraque laudatio.

4. Quæ cum ita sint, duo liquet contemplationis genera esse: unum, de statu et felicitate et gloria civitatis supernæ, quo vel actu, vel otio ingens illa cælestium civium occupata sit multitudo; alterum, de regis ipsius majestate, æternitate, divinitate. Illa in maceria, ista in petra. Sed hæc quanto difficilius cavatur, tanto suavius quod inde eruis sapit. Nec verearis illud quod Scriptura minatur scrutatoribus majestatis (Prov. xxv, 27). Tantum affer purum et simplicem oculum; non opprimeris a gloria, sed admitteris, nisi non Dei, sed tuam quæsieris gloriam. Alioquin sua quisque opprimitur, non Dei gloria, dum proclivis in istam, ad illam levare cervicem non sinitur, nimirum gravem cupiditate. Hac excussa, secunde scrutemur [*alias*, fodiamus] in Petra, in qua thesanri absconditi sapientiæ et scientiæ sunt (Coloss. iii, 3). Si adhuc dubitas, audi ipsam Petram: *Qui operantur, inquit, in me, non peccabunt* (Eccli. xxiv, 30). *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?* (Psal. liv, 7.) Ibi requiem invenit mansuetus et simplex, ubi dolosus opprimitur, vel elatus, et cupidus inanis gloriæ. Ecclesia columba est, et ideo requiescit. Columba, quia innocens, quia gemens. Columba, inquam, quia in mansuetudine suscipit insitum verbum. Et requiescit in Verbo, hoc est in petra: nam petra est Verbum. Ecclesia ergo in foraminibus petræ, per quam introspicit, et videt gloriam sponsi sui; nec opprimitur tamen a

A gloria, quoniam non sibi usurpat eam. Non opprimitur, quia non scrutatrix majestatis est, sed voluntatis. Nam quod majestati attinet, interdum quidem et in ipsam intendere audet, sed quasi admirans, non quasi scrutans. Sed 1480 et si quando per excessum rapi in illam contingat, digitus Dei est iste, dignanter levans hominem, non hominis temeritas insolenter Dei alta pervadens. Cum enim Apostolus raptum se memoret [*alias* commemoret] (II Cor. xii), ut ausum excuset; quisnam alter præsumat mortalium huic se diviniæ majestatis horrendo scrutinio propriis intricare conatibus, et importunus contemplator pavenda irrumpere in arcana? Scrutatores proinde majestatis, tanquam irruptores dici reor, non qui scilicet rapiuntur in eam, sed qui irruunt. Ipsi itaque opprimuntur a gloria.

5. Ergo formidolosa scrutatio majestatis: at voluntatis, tam tuta quam pia. Quidni tota diligentia scrutando instem sacramento gloriæ voluntatis, cui mihi parendum per omnia scio? Suavis gloria, quæ non aliunde, quam de ipsius suavitalis contemplatione procedit, quam de divitiarum bonitatis ac multæ miserationis intuitu. Denique vidimus gloriam hanc, gloriam quasi Unigeniti a Patre (Joan. i, 14). Totum nempe benignum et vere paternum, quod apparuit gloriæ in hac parte. Non me opprimeat gloria ista totis licet viribus intendentem in se: ego potius imprimar illi. Etenim revelata facie specularantes, in eandem imaginem transformamur de claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu (II Cor. iii, 18). Transformamur cum conformamur. Absit autem ut in majestatis gloria, et non magis in voluntatis modestia, Dei ab hominæ conformitas præsumatur! Gloria mea hæc est, si unquam de me audiero: Inveni hominem secundum eorum meum. Cor sponsi, cor patris sui. Ipsum quale? *Estote, ait, misericordes, sicut et Pater vester misericors est* (Luc. vi, 36). Hæc forma quam videre desiderat, cum Ecclesiæ dicit: *Ostende mihi faciem tuam*, forma pietatis et mansuetudinis. Hanc cum omni fiducia levat ad Petram; cui similis est: *Accedite, inquit, ad eum, et illuminamini, et facies vestræ non confundentur* (Psal. xxxiii, 6). Quo pacto humilis ab humili confundetur, a pio sancta, et a mansueto modeata? Non plane abhorrebit a puritate petræ pura facies sponsæ, non magis quam a virtute virtus, a lumine lumen.

6. Sed quia non ex omni interim parte adhuc ad petram forandam Ecclesia accedere potest (neque enim omnium est, qui in Ecclesia sunt, sacramenta diviniæ voluntatis inspicere, aut apprehendere per semetipsos profunda Dei); ideo non solum in foraminibus petræ, sed et in cavernis maceriæ habitare ostenditur. Ergo in perfectis quidem, qui rimari ac penetrare arcana sapientiæ et puritate conscientiæ audent, et intelligentiæ acumine possunt, habitat in foraminibus petræ. De reliquo in cavernis maceriæ: ut qui in petra per semetipsos fodere aut non

sufficiunt, aut non præsumunt; in maceria fodiant, contenti vel gloriam sanctorum mente intueri. Si cui ne hoc quidem possibile sit, huic sane proponet Jesum, et hunc crucifixum: ut et ipse absque suo labore habitet in foraminibus petræ, in quibus non laboravit. Judæi in his laboraverunt, et ipse in labores infidelium introibit, ut sit fidelis. Nec verendum quod patiatur repulsam, qui et vocatur ut intret. *Ingrederere, inquit, in petram, abscondere in fossa humo a facie timoris Domini, et a gloria majestatis ejus* (Isa. II, 40). Infirmæ adhuc et inertis animæ (quæ juxta quod in Evangelio quidam de semetipso constitetur, fodere non valet, et mendicare erubescit) (Luc. XVI, 5.) fossa ostenditur humus ubi lateat, donec convalescat et proficiat, ut possit et ipsa per se cavare sibi foramina in petra, per quæ intret ad interio: a Verbi, animi utique vigore et puritate.

7. Et si intelleximus fossam humum, illam quæ ait: *Foderunt manus meas, et pedes meos* (Psal. XXI, 17); non erit ambigendum de sanitate in ea citius adipiscenda animæ vulneratæ, quæ in ea demorabitur. Quid enim tam efficax ad curanda conscientie vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quam Christi vulnerum sedula meditatio? Verum donec purgata et sanata perfecte fuerit, non video qualiter illi aptari **1481** possit quod dicitur: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis*. Quomodo denique faciem suam ostendere audeat, vel levare vocem suam, cui et latere indicitur? *Abscondere, inquit, in fossa humo*. Quare? Quia non est pulchra facie, nec digna quæ videatur. Non erit digna videri, quandiu non erit videre idonea. Cum autem per inhabitationem fossæ humi in sanando oculo interiori tantum profecerit, ut revelata facie speculati gloriam Dei et ipsa possit; tunc demum quæ videbit, fiducia- liter jam loquetur, voce et facie placens. Placeat necesse est facies, quæ in Dei claritatem intendere potest. Neque enim id posset, nisi clara ipsa quoque esset et pura, utique transformata in eandem quam conspici. claritatis imaginem. Alioquin ipsa dissimilitudine resilliret, insolito reverberata fulgore. Ergo enim pura puram intueri potuerit veritatem, tunc faciem ipsius sponsus videre cupiet, consequenter et vocem ejus audire.

8. Nam quantum illi placeat eum puritate quidem mentis prædicatio veritatis, ostendit cum subinde infert: *Vox enim tua dulcis*. Quia enim non placeat vox si displiceat facies, demonstrat cum illico subdit: *Et facies tua decora*. Quid internæ decor faciei, nisi puritas? In pluribus hæc absque prædicationis voce complacuit; illi alique ista, in nemine. Impuris non se ostendit. Veritas, non se credit Sapientia. Quod ergo loquuntur quam non viderunt? *Quod scimus, inquit, loquimur, et quæ vidimus testamur* (Joan. III, 11). Ergo tu, et aude testari quod non vidisti, et loqui quod ignoras. Quæris quem dicam impurum? Qui laudes requirit humanas, qui non ponit sine sumptu Evangelium, qui evangelizat ut manducet, qui quæstum æstimat pietatem, qui non requirit

A fructum, sed datum. Impuri sunt tales; et cum non habeant unde videant veritatem propter impuritatem, habent tamen unde illam loquantur. *Quid præpropere agitis? cur lucem non exspectatis; cur opus lucis ante lucem præsumitis? Vanum est vobis ante lucem surgere. Lux est puritas, lux charitas, quæ non quærit quæ sua sunt* (I Cor. XIII, 5). Hæc præcedat, et pes linguæ in incerto non ponitur. Superbo oculo veritas non videtur, sincero patet. Non est quod se veritas deneget intuentam puro cordi, ac per hoc nec eloquendam. *Peccatori autem dicit Deus: Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?* (Psal. XLIX, 16.) Multi puritate neglecta, ante loqui quam videre conati sunt; et aut graviter erraverunt nescientes de quibus loquerentur, neque de quibus affirmarent; aut turpiter viluerunt, dum qui alios docerent, se ipsos non docuissent. A quo nos gemino malo semper custodiat exoratus a vobis Sponsus Ecclesiæ, Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LXIII.

De vinea viro pio et sapienti, id est sua cuique vita, seu mente et conscientia, serio colenda; et de duobus vulpium generibus, scilicet adulatoribus et detractoribus; et de tentationibus monachorum nocitorum.

1. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliantur vineas: nam vinea nostra floruit* (Cant. II, 15). Liqueat quod non otiose ad vineas itum sit, quando ibi inventæ sunt vulpes demolientes eas. Littera quidem istud. Spiritus autem quid? Ante omnia sane, ut communem et usitatum literæ sensum ab hac explanatione penitus respuamus, utpote ineptum et insulsum, indignumque plane, qui recipiatur in Scriptura tam sancta, tam authentica. Nisi quis forte ita vecors et animo stolidus sit, ut pro magno habeat didicisse ex ea, instar filiorum hujus sæculi, curam gerere terrenarum possessionum, custodire et defensare vineas ab incurstantibus bestiis, ne forte contingat amittere fructum vini, in quo est luxuria; simulque percat opera et impensa. Grande scilicet damnus, ut propterea librum **1482** sanctum tanto studio et tanta cum veneratione legamus, quod docemur in eo a vulpibus vineas custodire, ne in excollendis illis frustra marsupia vacuentur, si in custodiendis pigri fuerimus! Non estis tam rudes, neque adeo spiritualis gratiæ expertes, ut ita carnaliter sapiatis. Ergo in spiritu ista quæramus. Ibi sane invenimus, sano quidem intellectu, sensuque nihilominus digno, et vineas florentes, et vulpes demolientes, in quibus capiendis vel amovendis et honestius laboratur, et fructuosius. An vos dubitatis longe vigilantius insistendum mentibus servandis, quam frugibus; longe curiosius invigilandum cavendis propter illas spiritualibus nequitias, quam capiendis propter istas fraudulentis vulpeculis?

2. Sed jam a me demonstrandæ sunt spirituales istæ tam vites, quam vulpes. Vestra intererit, filii, suæ quemque vineæ providere, cum ne disputante

adverterit, in quibus sibi et a quibus maxime sit cavendum. Viro sapienti sua vita vinea est, sua mens, sua conscientia. Nil quippe incultum desertumve in se sapiens derelinquet. Stultus non ita. Cuncta apud eum neglecta invenies, cuncta jacentia, cuncta inculta et sordida. Non est vinea stulto. Quomodo vinea, ubi nil plantatum, nil elaboratum uspiam parat? Tota spinis silvescit et tribulis stulti vita: et vinea est? Etsi fuit, jam non est, redacta nimirum in solitudinem. Ubi vitis virtutis? ubi botrus boni operis? ubi vinum lætitiæ spiritualis? *Per agrum hominis pigri transivi*, inquit, *et per vineam viri stulti: et ecce totum repleverant urticae, et operuerant superficiem ejus spinæ, et maceria lapidum destructa erat* (*Prov. xxiv, 30, 31*). Audis sapientem irridentem stultum, quod bona naturæ et dona gratiæ, quæ forte per lavacrum regenerationis acceperat, tanquam illam, quam plantavit Deus et non homo, primam suam vineam, in non vineam, negligendo redegit. Denique non potest vinea esse, ubi vita non est. Nam stultus quod vivit, mortem potius, quam vitam esse censuerim. Quomodo vita cum sterilitate? Arbor arida et in sterilitatem versa, nonne mortua judicatur? Et fœrmenta mortua sunt. *Et occidit*, inquit, *in grandine vineas eorum* (*Psal. lxxvii, 47*); monstrans vita privatas, quæ sterilitate damnatæ sunt. Sic stultus eo ipso quod inutiliter vivit, vivens mortuus est.

3. Soli itaque convenit sapienti habere, vel potius esse vineam, qui vitam habet. Est lignum fructiferum in domo Dei, ac per hoc lignum vivens. Si quidem et ipsa sapientia, qua sapiens dicitur et est, lignum vitæ est apprehendentibus eam (*Prov. iii, 18*). Quidni vivat apprehensor ejus? Vivit, sed ex fide. Justus nempe est sapiens, et justus ex fide vivit (*Hebr. x, 38*). Et si anima justis sedes est sapientiæ, sicut est; profecto is sapiens, qui justus. Is ergo sive justum nomines, sive sapientem, nunquam absque vinea vivet, quia nunquam non vivet. Hoc quippe est illi vinea quod vita. Et bona vinea justis, imo bona vinea justus, cui virtus vitis, cui actio palmes, cui vinum testimonium conscientiæ, cui lingua torcular expressionis. Denique: *Gloria nostra hæc est*, inquit, *testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor. i, 12*). Vides apud sapientem vacare nihil? Sermo, cogitatio, conversatio, et si quid aliud est ex eo, quidni totum Dei agricultura, Dei ædificatio est, et vinea Domini sabaoth? Quid denique illi de se perire possit, quando et folium ejus non defluet?

4. Cæterum, tali vineæ nunquam infestationes, nunquam insidiæ deerunt. Nempe ubi multæ opes, multi sunt et qui comedunt eas (*Eccle. v, 10*). Sapiens erit sollicitus servare vineam suam non minus quam excolere, nec sinet eam vorari a vulpibus. Pessima vulpes occultus detractor, sed non minus æquam adulator blandus. Cavebit sapiens ab his. Dabit operam, sane quod in ipso est, capere illos

qui talia agunt; sed capere beneficiis atque obsequiis, monitisque salutaribus, et orationibus pro eis ad Deum. Non cessabit istiusmodi carbones ignis congerere super caput maledici (*Rom. xii, 20*), et item super adulatoris, quousque, si fieri potest, et illi invidiam, et isti simulationem de corde tollat, faciens **1483** mandatum sponsi dicentis: *Capite nobis vulpes parvulas quæ demoliuntur vineas*. An non tibi captus ille videtur, qui suffusus ora rubore, quippe proprium erubescens judicium, ipse suæ confusionis et pœnitundinis testis est; sive quod oderit hominem amore dignissimum; sive quod dilexerit tantum verbo et lingua eum, a quo se diligi opere et veritate vel sero expertus est? Captus plane, et captus Domino, secundum quod nominatim ipse expressit: *Capite*, inquit, *nobis*. Utinam ego omnes adversantes mihi sine causa ita capere possim, ut Christo eos vel restituam, vel acquiram! Sic, sic confundantur et reveantur qui quærent animam meam, avertantur retrorsum et erubescant, qui volunt mihi mala: quatenus inveniar et ipse obediens sponso, ut capiam et ipse vulpes, non mihi, sed ipsi (223). Sed reflectatur sermo ad sui principium, ut suo ordine series explanationis procedat.

5. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas*. Locus moralis est; et juxta morum disciplinam nos jam ostendimus, spirituales has vineas non nisi spirituales viros esse, quorum cum omnia interiora culla sint, omniaque germinantia, omnia fructificantia et parturientia spiritum salutis, quomodo de regno Dei dictum est; ita de his vineis Domini sabaoth æque dicere possumus, quoniam intra nos sunt (*Luc. xvii, 21*). Denique, in Evangelio legitur, datum iri gentibus regnum Dei facientibus fructus ejus (*Matth. xxi, 43*). Hi sunt quos Paulus enumerat, dicens: *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas* (*Galat. v, 22, 23*). Fructus isti, profectus nostri. Hi accepti sponso, quia ipsi cura est de nobis. Num de virgultis cura est Deo? Homines, non arbores amat Homo Deus, et nostros profectus suos fructus reputat. Tempus horum diligenter observat, arridet apparentibus, et sollicitus satagit ne pereant nobis, cum apparuerint; imo vero ne pereant sibi: se enim reputat tanquam nos. Ideoque providens capi sibi jubet insidiantes vulpeculas, ne novellos fructus ipsæ præripiant. *Capite*, inquit, *nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas*. Et quasi quis dicat: Præpropere times, nondum venit fructuum tempus: Non est ita, inquit: *nam vinea nostra floruit*. Post flores non est fructuum mora; adhuc illis cadentibus isti erumpunt illico, illico incipiunt apparere.

6. Parabola ista instantis est temporis. Videtis istos novitios? Nuper venerunt, nuper conversi sunt.

(223) Sic tres manuscripti: at duo alii cum editis, *non modo in capiendo vulpes sed et in capiendo ipsi*.

Non possumus de ipsis dicere, quia vinea nostra A
 floruit: floret enim. Interim, quod in eis apparere
 videtis, flos est: fructuum tempus nondum advenit.
 Flos novella conversatio est, flos formula recens
 vitæ emendationis est. Induerunt sibi faciem disci-
 plinatam, et bonam totius corporis compositionem.
 Placent, fateor, quæ in facie sunt: negligentior
 utique is qui foris apparet corporum cultus est
 vestium, sermo rarior, vultus hilarior, aspectus ve-
 recundior, incessus maturior. Verum quia hæc, no-
 viter cœpere, ipsa sui novitate flores censenda sunt,
 et spes fructuum, magis quam fructus. Vobis, fi-
 lioli, non timemus a fraude vulpium, quæ fructibus
 magis, quam floribus invidere noscuntur. Vestrum
 aliunde periculum est. Ustionem certe metuo flo-
 ribus; non subreptionem, sed ustionem a frigore. B
 Aquilo mihi suspectus est, et frigora matutina, quæ
 interpositivos flores solent perdere, fructus præri-
 pere. Itaque ab aquilone panditur vestrum malum.
 A facie frigoris ejus quis sustinebit? (*Psal. cxlvii*,
 17.) Hoc frigus si semel animam (animæ quidem,
 ut assolet, incuria spiritu dormitante) pervaserit, ac
 nemine deinde, quod absit! inhibente ad interiora
 ejus pervenerit, descenderit in viscera cordis et
 sinum mentis, concusserit affectiones, occupaverit
 consilii semitas, perturbaverit judicii lumen, libertatem
 1484 addixerit spiritus: mox, ut in corpore
 solet evenire febricitantibus, subit quidam animi
 rigor, et vigor lentescit, languor fingitur virium,
 horror austeritatis intenditur, timor sollicitat pau-
 pertatis, contrahitur animus, subtrahitur gratia,
 protrahitur longitudo vitæ, sopitur ratio, spiritus
 extinguitur, defervescit novitius fervor, ingravescit
 tepor fastidiosus, refrigescit fraterna charitas, blan-
 ditur voluptas, fallit securitas, revocat consuetudo.
 Quid plura? Dissimulatur lex, abdicatur jus [*alias*,
 adjudicatur jus], fas proscribitur derelinquitur timor
 Domini. Dantur postremo impudentiæ manus; præ-
 sumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpissi-
 mus, plenus ille ignominia et confusione saltus de
 excelso in abyssum, de pavimento in sterquilinum,
 de solio in cloacam, de cœlo in cœnum, de claustro
 in sæculum, de paradiso in infernum. Principium et
 originem hujus pestis, et vel qua arte vitetur, vel qua
 superetur virtute, non est hujus temporis demon-
 strare: alias erit hoc; nunc cœpta prosequamur.

7. Ad provectiones et firmiores sermo est retor-
 quendus, ad vineam quæ jam floruit, cui quidem
 etsi non est quod floribus formidet a frigore,
 sed non fructus securi sunt a vulpibus. Dicendum
 apertius quid sint spiritualiter hæc vulpes, cur
 pusillæ dicantur, cur jubeantur potissimum capi, et
 non abigi, vel occidi: etiam introducenda diversa gene-
 ra harum bestiarum ad majorem audientium notitiam
 et cautelam; non sane sermone isto, ut bestidio
 consulamus, et nostræ devotionis alacritas perpetuetur
 in gratia et confessione gloriæ magni Ecclesiæ
 Sponsi Domini nostri Jesu Christi, qui est super
 omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO EXIV

*De tentationibus monachorum provectorum, quas pa-
 tiantur vulpes, seu tentationes magis sibi infestas.
 Item de hæreticis, vulpibus Ecclesiæ, capiendis.*

1. Adsum promissioni meæ. *Capite nobis vulpes
 parvulas, quæ demoliantur vineas: nam vinea nostra
 floruit* (*Cant. ii, 15*). Vulpes, tentationes sunt. Ne-
 cesse est ut veniant tentationes. Quis enim corona-
 bitur, nisi qui legitime certaverit? (*II Tim. ii, 3*.) aut
 quomodo certabit, si desit qui impugnet? Tu ergo
 accedens ad servitum Dei, sta in timore, et præ-
 para animam tuam ad tentationem (*Eccli. ii, 1*), cer-
 tus omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecu-
 tionem passuros (*II Tim. iii, 12*). Porro tentationes
 diversæ sunt, pro temporum diversitate. Et in illis
 quidem nostris, tanquam novellarum teneris flori-
 bus plantationum, in evidenti vis algoris incumbit,
 cujus meminimus in sermone altero, et incipientes
 ab hac peste cantos reddidimus (*Supra*, serm. 65,
 n. 6). Jam vero proficientium sanctoribus studiis
 minime quidem sese opponere contrariæ virtutes
 aperte audent, sed solent in occulto insidiari, quasi
 quædam fraudulentæ vulpeculæ; specie quidem vir-
 tutes, re autem vitia. Quantos, verbi gratia, ingres-
 sos vias vitæ, progressos ad meliora, super semitas
 justitiæ bene secureque proficiscentes et proficientes.
 fraude, pro pudor! vulpium harum turpiter sup-
 plantatos expertus sum, et sero in se virtutum suffo-
 catos plangere fructus!

C 2. Vidi ego hominem currentem bene; et ecce
 cogitatio: quidni vulpecula fuit? Quantis, inquit,
 bonum, quo solus fruor, si essem in patria, possem
 utique impertiri fratribus et cognatis, notis et ami-
 cis? Amant me, et facile acquiescerent suadenti.
 Utquid perditio hæc? Vado illuc, et salvo multos
 ex illis, et me pariter. Nec verendum in loci muta-
 tione. Etenim, dum benefaciam, quid interest ubi?
 nisi quod illic procul dubio satius, ubi fructuosius
 degam. Quid plura? It, et perit miser, non tam
 exsul ad patriam, quam carnis reversus ad vomitum.
 Et se perdidit infelix, 1485 et suorum acqui-
 sivit neminem. En una vulpecula, ista videlicet fru-
 stratoria spes, quam habuit in acquisitione suorum.
 Potes tu quoque per te ipsum in te ipso alias atque
 D alias similes huic invenire seu advertere, si non
 negligas.

3. Vis tamen ut unam adhuc ego ostendam tibi?
 Facio etiam et tertiam, et quartam quoque demon-
 strabo, si te ad capiendas eas, quas forte ex his in
 tua adverteris vinea, invenero vigilantem. Interdum
 bene proficientis cujuspiam, cum sibi profusius
 aliquid supernæ gratiæ senserit irrorari, subit ani-
 mum desiderium prædicandi, non quidem ad pa-
 rentes et propinquos, juxta illud: *Continuo non ac-
 quievi, carni et sanguini* (*Galat. i, 16*); sed quasi
 purius, fructuosius, fortiusque, passim ad extraneos
 et ad omnes. Cautè omnino. Sane timet propheta-
 cum incurrere maledictum, si quæ in abscondito
 accepit frumenta, abscondat in populis (*Prov. ii,*

26) : et contra Evangelium facere, nisi quæ in aure A
 audivit, prædicaverit super tecta (*Matth. x, 27*).
 Vulpes est, atque illa priore eo nocivior, quo occul-
 tior veniens. Sed capio tibi eam. Primus Moyses
 dicit : *Non arabis in primogenito bovis (Deut. xv,*
19). Hoc Paulus interpretans : *Non neophytum,*
inquit, ne in superbiam elatus, incidat in iudicium
diaboli (I Tim. iii, 6) : et rursus, *Nec quisquam,*
inquit, sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo
tanquam Aaron (Hebr. v, 4) ; item ipse : *Quomodo*
prædicabunt, ait, nisi mittantur? (Rom. x, 15). Et
 scimus monachi officium esse non docere, sed lu-
 gere. Ex his similibusque collectis mihi texo rete, et
 capio vulpem, ne demoliatur vineam. Ex his nempo
 claret et certum est, quod publice prædicare nec
 monacho convenit, nec novitio expedit, nec non
 misso licet. Porro contra hæc tria venire, quanta
 conscientiæ demolitio est? Ergo quidquid tale
 animo suggeratur, sive sit illud tua cogitatio, sive
 immissio per angelum malum, dolosam agnosce
 vulpeculam, id est malum sub specie boni.

4. Sed aspice aliam. Quantos ex monasteriis
 spiritu ferventes eremi solitudo suscepit, et aut
 tepefactos evomuit, aut tenuit contra eremi legem,
 non modo remissos, sed etiam dissolutos? Sicque
 apparuit vulpeculam adfuisse, ubi tanta facta est
 vastatio vineæ, id est vitæ et conscientiæ hominis
 detrimentum. Cogitabat, si solus degeret, multo se
 copiosiores fructus spiritus percepturum, quippe
 qui in communi vita tantum spiritualis gratiæ fuisset
 expertus. Et bona visa est sua cogitatio sibi ; sed rei
 exitus indicavit, magis eandem illi cogitationem
 vulpem demolientem fuisse.

5. Quid illud quod nos quoque toties in domo
 ista, et tam graviter inquietat, notabilem loquor
 quorundam, qui inter nos sunt, superstitionisamque
 abstinentiam ex qua se omnibus, sibi que omnes
 molestos reddunt? Quomodo non hæc ipsa discordia
 tam generalis, et suæ ipsius conscientiæ dissipatio
 est, et, quod in ipso est, et grandis vineæ hujus,
 quam plantavit dextera Domini, vestræ scilicet
 omnium unanimiatis, demolitio? Væ homini per
 quem scandalum venit! (*Matth. xviii, 7*). *Qui scan-*
dalizaverit, inquit, unum de his pusillis (Marc. ix,
41) : durum est quod sequitur. Quanto duriora me-
 retur, qui tantam, et tam sanctam multitudinem
 scandalizat? Iudicium prorsus durissimum portabit
 quicumque est ille. Sed hæc alias.

6. Nunc vero intendamus his, quæ a Sponso di-
 cuntur super pusillis et astutis his animalibus de-
 molientibus vineas. Pusillis dixerim, non malitia,
 sed subtilitate. Astutum siquidem natura hoc genus
 est animantis, promptumque admodum ad nocen-
 dum in occulto : et videtur mihi congruentissima
 designare subtilissima quædam vitia specie palliata
 virtutum, qualium utique formam præmissis ad
 notitiam exemplis, paucis licet, jam aliquantisper

(224) Ita et Augustinus, epist. 100, ad Donatum
 proconsulem Africæ, num. 1 : « Corrige eos » (Do-

si. Nec enim aliter nocere queunt, nisi quod
 se virtutes virtutum 1486 quodam similitudine
 mentiuntur. Sunt autem aut cogitationes hominum
 vanæ, aut factæ immissiones per angelos malos,
 angelos Satanæ, qui se transfigurant in angelos
 lucis (*II Cor. ii, 14*), parantes sagittas suas in pha-
 retra, hoc est in occulto, ut sagittent in obscuro
 rectos corde (*Psal. x, 2*). Unde et pusillas eas pro-
 pter hoc reor dici, quod cum cætera vitia quodam
 quasi corpulentia sui manifesta se præbeant, hoc
 genus pro sui subtilitate haud facile agnosci, et ideo
 nec caveri possit, nisi duntaxat a perfectis et exer-
 citatis, et qui habeant illuminatos oculos cordis ad
 discretionem boni et mali, maximeque ad discretio-
 nem spirituum, qui cum Apostolo possint dicere,
 quia non ignoramus astutias Satanæ, neque cogita-
 tiones ejus (*II Cor. ii, 11*). Et vide ne forte ob hoc
 a sponso jubeantur, non quidem exterminari, vei
 abigi, vel occidi, sed capi : quod videlicet hujusmodi
 spirituales, dolosasque bestiolas omni vigilantia et
 cautela observari oporteat et examinari, et sic capi,
 id est comprehendi, in astutia sua. Ergo, cum pro-
 ditur dolus, cum fraus aperitur, cum convincitur
 falsitas ; rectissime tunc dicitur capta vulpes pusilla,
 quæ demoliebatur vineam. Denique, dicimus homi-
 nem in sermone capi, sicut habes in Evangelio,
 quia *convenerunt Pharisei in unum, ut caperent*
Jesus in sermone (Matth. xxii, 15).

7. Ita ergo sponsus capi jubet vulpes pusillas,
 quæ demoliantur vineas, id est deprehendi, con-
 vinci, prodi. Solum hoc malignitatis genus id pro-
 prium habet, ut agnitum jam minime noceat, ita ut
 agnosci, sit illi expugnari. Quis enim, nisi demens,
 comperta decipula sciens et prudens pedem mittit
 in illam? Sufficit proinde si capiantur quæ ejusmodi
 sunt, hoc est, si prodas et deducas ad medium ;
 quippe quibus apparere, perire est. Non sic cætera
 vitia. Nempe manifeste veniunt, manifeste nocent ;
 scientes captivant, superant reluctantes, utpote vi,
 non dolo agentia. Ergo contra hujusmodi aperte
 sævientes bestias non investigatione opus est, sed
 refrenatione. Solas has vulpes parvulas, dissimula-
 trices maximas, quia proditæ jam non nocent, suffi-
 cit educi in lucem, et capi in calliditate sua. Nam
 foveas habent. Tali itaque ex causa vulpes istæ
 et capi jubentur, et parvulæ describuntur. Vel ideo
 parvulæ, ut nascentia vitia in ipso ortu, donec
 utique parvula sunt, vigilanter observans illico com-
 prehendas, ne crescentia plus noceant et difficilius
 capiantur.

8. Et si juxta allegoriam Ecclesias vineas, vul-
 pes hæreses, vel potius hæreticos ipsos intelligamus :
 simplex est sensus, ut hæretici capiantur potius,
 quam effugentur. Capiantur, dico, non armis, sed
 argumentis, quibus refellantur errores eorum ; ipsi
 vero, si fieri potest, reconcilientur catholicæ, re-
 vocentur ad veram fidem (224). Hæc est enim vo-
 lun-tas) e cupimus, non necari ; nec disciplinam
 circa eos negligi volumus, nec supplicis quibus di-

luntas ejus qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire (1 Tim. II. 4) Hoc denique velle se perhibet, qui non simpliciter, *capite vulpes*, sed, *capite*, inquit, *nobis vulpes*. Sibi ergo et sponsæ suæ, id est catholicæ, jubet acquiri has vulpes, cum ait, *Capite eas nobis*. Itaque homo de Ecclesia exercitatus et doctus, si cum hæretico homine disputare aggreditur, illo intentionem suam dirigere debet, quatenus ita errantem convincat, ut et convertat, cogitans illud apostoli Jacobi: *Quia qui reverti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operit multitudinem peccatorum* (Jac. v, 20). Quod si reverti voluerit, nec convictus post primam jam et secundam admonitionem, utpote qui omnino subversus est; erit secundum Apostolum devotandus (Tit. III, 10). Ex hoc jam melius, ut quidem ego arbitror, effugatur, aut etiam religatur (225), quam simul vineas demoliri.

9. Nec propterea sane nihil se egisse putet qui hæreticum vicit et convicit, hæreses confutavit, verisimilia 1487 a vero clare aperteque distinxit; prava dogmata, plana et irrefragabili ratione prava esse monstravit; pravum denique intellectum, extolentem se adversus scientiam Dei; in captivitatem redegit. Nempe cepit nihilominus, qui talia operatus est, vulpem, etsi non ad salutem illi; et cepit eam sponso et sponsæ, quamvis aliter. Nam, etsi hæreticus non surrexit de fece, Ecclesia tamen confirmatur in fide: et quidem de profectibus sponsæ sponsus sine dubio gratulatur. Gaudium etenim Domini est fortitudo nostra (II Esdr. VIII, 10). Denique non putat a se aliena lucra nostra, qui se nobis tam dignanter associat, dum jubet capi vulpes, non sibi, sed nobis secum. *Capite*, inquit, *nobis*. Advertere est enim quod ait, *nobis*. Quid hac voce socialius? An non tibi videtur hoc dicere, quasi

qui sunt exerceri. Sic igitur eorum peccata compescit, ut sint quos peccasse pœniteat, etc. Idem epist. 133, 134 et 139, hortatur Marcellinum et Apringium præfectos, ut hæreticos puniant, citra supplicium capitis, memores christianæ mansuetudinis. Verum epist. 43, ad Vincentium, multis ostendit, terrore et legum rigore salubriter hæreticos constringi ad fidem catholicam. Se quidem ejus aliquando sententiæ fuisse, nulla vi cum hæreticis, sed sola prædicatione agendum: nunc aliorum sententis et exemplis inductum mutasse sententiam, atque arbitrari, leges et arma principum recte implorari adversus hæreticos, modo id fiat animo corrigendi. Utitur ad hoc peridoneo simili, de phrenetico in præceps currente, cui manus et vincula injicere beneficium censeri debet. Confirmat exemplo Circumcellionum, quorum multos jam habebat Ecclesia catholicos: « Qui tamen, » inquit num. 2, « ad hanc sanitatem non perducerentur, nisi legum istarum quæ tibi » (Vincentio Rogatiano) « displicent, vinculis tanquam phreneticis ligarentur. » Unde post multa subdit, num. 17: « His ergo exemplis a collegis meis tibi propositis cessi. Nam mea primitus sententia non erat, nisi neminem ad unitatem Christi esset cogendum; verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noveramus. Sed hæc opinio mea, non contradicentium

quidam paterfamilias, qui per se nihil habeat, sed omnia communia cum uxore et filiis atque domesticis? Et qui loquitur Deus est: minime tamen ut Deus id loquitur, sed ut sponsus.

10. *Capite nobis vulpes*. Vides quam socialiter loquitur, qui socium non habet? Poterat dicere: *Mihi*, sed maluit, *nobis*, consortio delectatus. O suavitatem! o gratiam! o amoris vim! Itane summus omnium unus factus est omnium? Quis hoc fecit? Amor, dignitatis nescius, dignatione dives, affectu potens, suasu efficac. Quid violentius? Triumphat de Deo amor. Quid tamen tam non violentum? Amor est. Quæ est ista vis, quæso, tam violenta ad vicioriam, tam victa ad violentiam? Denique semetipsum exinanivit (Philipp. II, 7), ut scias amoris fuisse, quod plenitudo effusa est, quod altitudo adæquata est, quod singularitas associata est. Cum quonam tibi, o admirande sponse, tam familiare consortium? *Nobis*, inquit, *capite*. Cui tecum? an Ecclesiæ de gentibus? De mortalibus et peccatoribus collecta est. Illam scimus quæ sit. Sed tu quis es, Æthiopiæ hujus tam devotus, tam ambitiosus amator? Sane non aliter Moyses, sed plus quam Moyses (Num. XII, 1). Num tu ille es speciosus forma præ filiis hominum? (Psal. XLIV, 3.) Parum dixi; candor es vitæ æternæ, splendor et figura substantiæ Dei (Hebr. I, 3); postremo super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen (Rom. IX, 5).

ADMONITIO IN DUOS SERMONES SEQUENTES.

C *Epistolæ Evervini, hucusque inter sermones hic editæ, locum opportuniorem assignavimus inter epistolas diversorum ad Bernardum. Vide Opp. tom. I col. 676. Edit.*

SERMO LXV.

De clandestinis hæreticis, quorum præposteram religionem et studium occultandi mysteria sua, nec non scandalosum seminarum contubernium perstringit.

1. Duos vobis super uno capitulo disputavi ser-

verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis. Nam primo mihi opponebatur civitas mea, quæ cum tota esset in parte Donati, ad unitatem catholicam timore legum imperialium conversa est: quam nunc videmus ita hujus vestrae animositatis perniciem detestari, ut in ea nunquam fuisse credatur, etc. Rationem, cur præter doctrinam, vim et terrorem adhibere oporteat, eadem epistola paucis indicat. « Nam si docerentur, » inquit num. 3, « et non tererentur; vetustate consuetudinis obdurati ad capepessendam viam salutis pigrius moverentur. » Ita Augustinus, a cujus vestigiis non solet discedere Bernardus. Unde et serm. 66 in Cant. num. 12, ita ait: « Fides suadenda est, non imponenda. Quamquam melius procul dubio gladio coercerentur, illius videlicet, qui non sine causa gladium portat, quam in summo errore multos trajicere permittantur. » Hinc patet facilis modus conciliandi diversas in hac questione sententias: nempe, de quorum facili conversione spes est, tractentur mitius, et doceantur potius quam cogantur. At qui virus perfidiæ in plebe diffundere moliantur, legum severitate premantur. Confer epist. 365.

(225) Quid sic hæreticum religari apud Bernardum, intelligitur ex sequentis sermonis num. 4, ubi hæreticus dicitur « foris religatus condemnata impietate et impio foras misso. »

mones : tertium paro [*alias*, edere paro], si audire non tædeat. Et necessarium reor. Nam quod ad nostram quidem spectat domesticam vineam, quæ vos estis, satis me arbitror in duobus fecisse sermonibus pro munimento illi adversus insidias tripartiti generis vulpium, qui sunt adulatores, detractores, ac seductorii quidam spiritus, gnari et assueti mala sub specie boni inducere. Verum dominicæ vineæ non ita. Illam loquor, quæ implevit terram, cujus et nos portio sumus : vineam grandem nimis, Domini plantatam manu, redemptam sanguine, rigatam verbo, propagatam gratia, secundatam spiritu. Ergo plus proprii curam gerens, in commune minus profui. Movet me autem pro ipsa multitudo demolientium eam, defensantium paucitas, difficultas defensionis. Difficultatem occultatio facit. Nam cum Ecclesia semper ab initio sui vulpes habuerit, cito omnes compertæ et captæ sunt. Confligebat hæreticus palam (nam inde hæreticus maxime, quod palam vincere cupiebat), et succumbebat. Ita ergo facile illæ capiebantur vulpes. Quid enim si posita in lucem veritate hæreticus in suæ pertinaciæ tenebris remanens, solus foris religatus arcesceret?

1488-1491 Nihilominus capta reputabatur vulpes, condemnata impietate, et impio foras misso, ostentui utique jam victuro, non fructui. Ex hoc, juxta prophetam, erant illi ubera arientia, et venter sterilis (*Ose. ix, 14*); quia non repullulat error publicæ confutatus, et falsitas aperta non germinat.

2. Quid faciemus his malignissimis vulpibus, ut capi queant, quæ nocere quam vincere malunt, et ne apparere quidem volunt, sed serpere? Omnibus una intentio hæreticis semper fuit captare gloriam de singularitate scientiæ. Sola ista malignior cæteris versutiorque hæresibus, damnis pascitur alienis, propriæ gloriæ negligens. Docta, credo, exemplis veterum, quæ proditiæ evadere non valebant, sed confestim capiebantur, cauta est novo maleficii genere operari mysterium iniquitatis, eo licentius quo latentius. Denique indixere, ut dicitur, latebras sibi, firmaverunt sibi sermonem nequam. Jura, perjura; secretum prodere noli. Enimvero alias ne tenuiter quidem jurare ullatenus acquiescunt, propter illud de Evangelio : *Non jurare, neque per cælum, neque per terram* (*Matth. v, 34, 35*), etc. Ostulti et tardi corde, repleti plane Pharisæico spiritu liquantes culicem, et camelum glutientes! (*Matth. xxiii, 24*). Jurare non licet, et pejerare licet? An

A in hoc solo utrumque licet? De quonam mihi Evangeliorum loco productis istam exceptionem, qui ne iota quidem, ut falso gloriamini, præteritis? Patet vos et superstitiose observare de juramento, et flagitiose præsumere de perjurio. O perversitatem! Quod ad cautelam consultum est, videlicet, *non jurare*; hoc isti mandati vice tam contentiose observant: et quod immobili jure sancitum est, non pejerandum scilicet, hoc tanquam indifferens pro sua voluntate dispensant. Non, inquit, sed ne mysterium publicemus. Quasi gloria Dei non sit revelare sermonem. An Dei invident gloriæ? Sed magis credo quod candere erubescant, scientes inglorium. Nam nefanda et obscena dicuntur agere in secreto, siquidem et vulpium posteriora fetent.

B 3. Sed taceo quæ negarent: ad manifesta respondeant. An juxta Evangelium cavent sanctum dare canibus, et margaritas porcis (*Matth. vii, 6*)? At istud aperte fateri est, se non esse de Ecclesia, qui omnes qui de Ecclesia sunt, canes censent et porcos. Sine exceptione enim omnibus qui de sua secta non sunt, suum illud, quidquid est, subtrahendum existimant. Cæterum hoc etsi sentiant, non respondebunt, ne manifesti fiant, nempe quod omni modo fugiunt, sed non effugient. Responde mihi, o homo, qui plus quam oportet sapis, et plus quam dici potest desipis. Dei est, an non, mysterium quod occultas? Si est, cur non ad ejus gloriam pandis? Nam gloria Dei, revelare sermonem. Si non, cur fidem habes in eo quod non est Dei, nisi quia hæreticus es? Aut igitur Dei secretum ad Dei gloriam prodant; aut Dei negent mysterium, et minime se hæreticos negent; aut certe nihilominus manifestos se fateantur inimicos gloriæ Dei; qui nolunt manifestum fieri, quod ei norunt fore ad gloriam. Stat nempe Scripturæ veritas: *Gloria regum celare verbum, gloria Dei revelare sermonem* (*Prov. xxv, 2*) (226). Non vis tu revelare? Non ergo vis Deum glorificare. Sed forte non recipis Scripturam hanc. Ita est: solius Evangelii se profitentur æmulatores, et solos. Respondeant proinde Evangelio. *Quod dico, ait, in tenebris, dicite in lumine; et quod in aure auditis, prædicate super tecta* (*Matth. x, 27*). Jam non licet silere. Usquequo occultum tenetur, quod palam Deus fieri jubet? Usquequo opertum est Evangelium vestrum? Suspico; vestrum non est Pauli: nam ille suum fatetur opertum non esse. *Etsi, inquit, opertum est Evangelium meum, in his opertum est qui*

(226) In similem sensum hæc verba Scripturæ accepit S. Gregorius Magnus, lib. 4 in Ezeci. hom. 6, init. Cum tamen hodie sensu plane contrario legantur in editione Vulgata, hoc modo: *Gloria Dei est celare verbum, et gloria regum investigare sermonem*. Unde monet Cornelius a Lapide in hunc locum, crassum mendum esse in Gregorio: et non tantum verba Scripturæ corrigi, sed et Gregorii verba, contra ejus mentem et institutum, nisi fallor, immutari. Nam mens Gregorii est eo loco: Prophetica quidem mysteria obscura esse; attamen quia ad Dei gloriam spectat, in steria sermonis ejus aperire, in hoc nobis incumbendum, etc. Eodem plane sensu

his verbis utitur Bernardus hoc sermone. Hæc non ad culpandum genuinam lectionem, sed ad ostendendum quomodo Patres legerint, prout eorum lectio passim plurimis in locis a nostra Vulgata dissidet. Quis autem putet singulis locis ad normam Vulgatæ corrigendos? Illud hic obiter monemus, sententiæ Salomonis, juxta lectionem Patrum, apprime congruere illam angeli Raphaelis ad utrumque Tobiam: *Etenim sacramentum regis abscondere bonum est: opera autem Dei revelare, honorificum*. Tob. cap. xii, v. 7. Alioquin de conciliatione hujus sententiæ cum gnoma Salomonis viderint interpretes. Vulgatæ favet græcum LXX.

pereunt (II Cor. iv, 3). Videte ne vos diceret, apud quos Evangelium invenitur opertum. Quid apertius quod pereatis? An forte nec Paulum **1492** recipitis? De quibusdam ita audiui. Non enim inter vos omnes per omnia concordatis, etsi a nobis omnes dissentiat.

4. At vero eorum verba, et scripta, et traditiones, qui corporaliter cum Salvatore fuerunt, pari auctoritate Evangelii cuncti, ni fallor, indifferenter recipitis. Nunquid illi opertum tenere Evangelium suum? Nunquid in Deo carnis infirma, mortis horrida, crucis ignominiam tacere? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum (*Psal.* xviii, 5). Ubi apostolica forma et vita, quam jactatis? Illi clamant, vos susurratis; illi in publico, vos in angulo; illi ut nubes volant (*Isai.* lx, 8), vos in tenebris ac subterraneis domibus delitescitis. Quid simile illis in vobis ostenditis? An quod vobiscum mulierculas non utique circumducitis, sed includitis? Non æque comitatio, ut cohabitatio, suspitioni patet. Verum quisnam de illis sinistrum quidpiam suspicaretur, qui mortuos suscitabant? Fac tu similiter, et una recubantem putabo feminam virum. Alioquin temere tibi usurpas illorum dispensationem, quorum sanctitatem non habes. Cum femina semper esse, et non cognoscere feminam, nonne plus est quam mortuum suscitare? Quod minus est non potes; et quod majus est vis credam tibi? Quotidie latus tuum ad latus juvenulæ est in mensa; lectus tuus ad lectum ejus in camera, oculi tui ad illius oculos in colloquio, manus tuæ ad manus ipsius in opere: et continens vis putari? Esto ut sis: sed ego suspicione non careo. Scandalo mihi es: tolle scandalum causam, quo te probes verum, ut jactitas, Evangelii æmulatorem. Qui scandalizaverit unum de Ecclesia, nonne Evangelium condemnat illum? Tu Ecclesiam scandalizas. Vulpes es demoliens vineam. Juvate me, socii, ut capiatur; vel potius capite vos nobis eam, o angeli sancti. Versuta est valde, operta est iniquitate et impietate sua. Plane tam pusilla atque subtilis, ut facile quidem humanos fustretur obtutus. Nunquid et vestros? Propterea vox illa ad vos, utpote sodales sponsi: *Capite nobis vulpes parvulas* (*Cant.* ii, 15). Ergo facite quod jubemini; capite nobis hanc tam versipellem vulpeculam, quam ecce jamdiu frustra insequimur. Docete et suggerite, qualiter fraus deprehendatur. Hoc enim est cepisse vulpem; quia longe plus nocet falsus catholicus, quam si verus appareret hæreticus (227). Non est autem hominis scire quid sit in homine, nisi quis forte ad hoc ipsum fuerit vel illuminatus Spiritu Dei, vel angelica informatus industria. Quod signum dabit, ut palam fiat pessima hæresis hæc, docta mentiri non lingua tantum, sed vita?

5. Et quidem recens vastatio vineæ vulpem indicat adfuisse: sed nescio qua arte fingendi ita sua

(227) Quidam codices simpliciorum lectionem habent, quam versus hæreticus. Editi primi nostram præferunt cum aliis scriptis.

A confundit vestigia callidissimum animal, ut qua vel intret, vel exeat, haud facile queat ab homine deprehendi. Cumque pateat opus, non apparet auctor; ita per ea quæ in facie sunt, cuncta dissimulat. Denique si fidem interrogas, nihil christianius; si conversationem, nihil irreprehensibilis: et quæ loquitur, factis probat. Videas hominem in testimonium suæ fidei frequentare ecclesiam, honorare presbyteros, offerre munus suum, confessionem facere, sacramentis communicare. Quid fidelius? Jam quod ad vitam moresque spectat, neminem circumvenit, neminem supergreditur, neminem concutit. Pallent insuper ora jejuniis, panem non comedit otiosus, operatur manibus unde vitam sustentat. Ubi jam vulpes? Tenebamus eam: quomodo elapsa est e manibus? Quomodo tam repente disparuit? Instemus, investigemus: a fructibus ejus cognoscemus eam. Et certe vinearum demolitio testatur vulpem. Mulieres, relictis viris, et item viri, dimissis uxoribus, ad istos se conferunt. Clerici et sacerdotes, populis ecclesiisque relictis, intonsi et barbati apud eos inter textores et tetricas **1493** plerumque inventi sunt. An non gravis demolitio ista? an non opera vulpium hæc?

6. Verum non apud omnes forte ista tam manifesta deprehenduntur: et si sint, non est unde probentur. Quoniam modo capimus illos? Revertamur ad consortium et contubernium feminarum hoc enim inter eos nemo qui carcat. Interrogo unum quempiam horum. Heus tu, bone vir! quænam hæc mulier, et unde hæc tibi? Uxor ne tua? Non, inquit, nam voto meo istud non convenit. Filia ergo? Non. Quid igitur? Non soror, non neptis, non aliquo saltem propinquitatis vel affinitatis gradu avinens tibi? Nullo prorsus. Et quomodo tuta tibi cum ista continentia tua? Sane nec licet tibi istud. Cohabitationem, si nescis, virorum et feminarum in iis qui vivere continentiam, Ecclesia vetat (228). Si non vis scandalizare Ecclesiam, ejice feminam. Alioquin ex hoc uno cætera, quæ non adeo manifesta sunt, procul dubio credibilia fiunt.

7. Sed quo mihi, inquit, Evangelii loco monstras prohibitum istud? Evangelium appellasti; ad Evangelium ibis. Si obedias Evangelio, non facies scandalum: prohibet enim plane Evangelium scandalum fieri. Facis autem tu, istam non amovendo juxta constitutum Ecclesiæ. Suspectus eras, at nunc manifeste censebere et contemptor Evangelii, et Ecclesiæ adversator. Quid judicatis, fratres? Si pertinax fuerit ut nec obediat Evangelio, nec Ecclesiæ acquiescat, quid jam tergiversari potest? Nonne aperte vobis videtur deprehensa fraus, et comprehensa vulpes? Si non amovei feminam, non amovet scandalum; si non amovei scandalum cum amovere possit, transgressor tenetur Evangelii. Quid factura Ecclesia est, nisi ut amoveat illum qui non vult

(228) Cap. A nobis de Cohabit. cler. Synod. Nicæna, c. p. 3. r. f. cap. Interdixit, dist. 37, etc.

amovero scandalum, ne sit similis illi inobediens? A Nam mandatum habet ex hoc in Evangelio, non parere oculo scandalizanti se, non manui, non pedi; se erueri illum, abscindere ista, et projicere a se. Si, inquit, *Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (Matth. xviii, 6-9, 17).

8. Fecimusne aliquid? Puto quia fecimus. Cepimus vulpein, quia fraudem percepimus. Manifesti sunt qui latebant falsi Catholici, veri deprædatores catholicæ. Etenim dum mecum dulces capiebas cibos (corpus dico et sanguinem Christi), dum in domo Dei ambulavimus cum consensu, fuit suadendi locus, imo opportunitas seducendi, juxta illud Sapientiæ: *Simulator ore decipit amicum suum* (Prov. xi, 9). Nunc autem facile, secundum sapientiam Pauli, *post unam [alias, primam] et secundam admonitionem hæreticum hominem devitabo, sciens quia subversus est qui ejusmodi est* (Tit. iii, 10, 11); ac proinde cautus providere, ne jam sit et subversor. Itaque nonnihil est, juxta verbum Sapientis, in insidiis suis captos esse iniquos (Prov. xi, 6), illos præsertim iniquos, qui insidiis pro armis uti cauti sunt. Nam conflictus omnino ab his et defensio perii. Vile nempe hoc genus est et rusticanum, ac sine litteris, et prorsus imbelles. Denique vulpes sunt, et pusillæ; sed neque illa, in quibus male eentire dicuntur, defensibilia sunt; nec tam subtilia, quam suasibilia, idque duntaxat mulierculis rusticis et idiotis, et quales utique omnes sunt, quotquot adhuc de secta hac esse expertus sum. Nec enim in cunctis assertionibus eorum, nam multæ sunt, novum quid aut inauditum audisse me recolo, sed quod tritum est, et diu ventilatum inter antiquos hæreticos, a nostris autem contritum et eventilatum. Dicendum tamen, et dicam, quænam illæ ineptiæ sint; partim quas sciscitantibus se Catholicis minus caute respondentes ipsi confessi sunt partim **1494** quas divisi ab invicem litigantes de invicem prodiderunt, partim quoque quas nonnulli eorum redeuntes ad Ecclesiam detexerunt: non quod ad omnes respondeam, nec enim necesse est, sed tantum ut innotescant. At istud alterius erit opus sermonis, ad laudem et gloriam nominis sponsi Ecclesiæ Jesu Christi Domini nostri, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LXVI.

De erroribus hæreticorum circa nuptias, baptismum parvulorum, purgatorum, orationes pro defunctis et invocationem sanctorum.

1. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoluntur vineas* (Cant. ii, 15). Ecce ego ad vulpes istas. Ipsæ sunt quæ prætergrediuntur viam, et vindemiant vineam. Non sunt contentæ deserere viam, nisi et desertare vineam possint, addentes prævaricatio-

(229) Nescio an id dicturus fuisset Bernardus, si Colonienses isti Henricum, a quo Henriciani hæretici, auctorem habuissent. Quanquam similia utroque dogmata erant, ut patet conferenti epist.

nem. Non sufficit hæreticos esse, nisi et hypocritæ sint, ut sit supra modum peccans peccatum. Ii sunt qui veniunt in vestimentis ovium ad nudandas oves et spoliandos arictes. An non tibi utraque res impleta videtur, ubi et fide plebes, et plebibus sacerdotes deprædati inveniuntur? Quinam isti prædones? Ii oves sunt habitu, astu vulpes, actu et crudelitate lupi. Ii sunt qui boni videri, non esse; mali non videri, sed esse volunt. Mali sunt, et boni videri volunt, ne soli sint mali; mali videri timent, ne parum sint mali. Etenim minus semper malitia palam nocuit, nec unquam bonus, nisi Loni simulatione deceptus est. Ita ergo in malum bonorum boni apparere student; mali nolunt, ut plus liceat malignari. Neque enim est apud eos virtutes colere, sed vitia colorare quodam quasi virtutum minio. Denique superstitionis impietatem nomine religionis intulunt. Innocentiam definiunt, tantum in aperto non lædere, innocentiam proinde solum sibi vindicantes colorem. In operimentum turpitudinis, continentiam se insigniere voto. Porro turpitudinem in solis existimant reputandam uxoribus: cum vel scita sit ea, quæ cum uxore est, causa, quæ turpitudinem excusat in coitu. Rusticani homines sunt et idiotæ, et prorsus contemptibiles: sed non est, dico vobis, cum eis negligenter agendum. Multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo eorum ut cancer serpit (II Tim. ii, 16, 17).

2. Denique non neglexit Spiritus sanctus, qui de his quondam tam manifeste vaticinatus est, dicente C Apostolo: *Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione* (I Tim. iv, 13). Istos prorsus, istos dicebat. Hi nubere prohibent, hi a cibis abstinent quos Deus creavit, de quibus postea videbimus. Nunc autem videte, si non proprie dæmonum, et non hominum ludificatio hæc, secundum quod prædixerat Spiritus. Quæ ab illis suæ sectæ auctorem; neminem dabunt. Quæ hæresis non ex hominibus habuit proprium hæresiarcham? Manichæi Manem habuere principem et præceptorem, Sabelliani Sabellium, Ariani Arium, Eunomiani Eunomium, Nestoriani Nestorium. Ita omnes cæteræ hujusmodi pestes, singulæ singulos magistros, homines habuisse noscuntur, a quibus originem simul duxerunt et nomen. Quo nomine istos titulove censebis? Nullo (229); quoniam non est ab homine illorum hæresis, neque per hominem illam acceperunt. Absit tamen ut per revelationem Jesus Christi, sed magis et absque dubio, uti Spiritus sanctus prædixit, per immissionem **1495** et fraudem demo-

240. Coloniensium duas classes notat Evervinus, quas Bernardus, nonnisi obscure. distinguit in suo sermone 63.

niorum, in hypocrisi loquentium mendacium, proli-
kientium nubere!

3. In hypocrisi plane hoc et vulpina dolositate loquuntur, fingentes se amore id dicere castitatis, quod magis causa turpitudinis fovendæ et multiplicandæ adinvenierunt. Res tamen tam in aperto est, ut mirer quomodo unquam homini Christiano persuaderi potuerit, nisi quod hi adeo aut bestiales sunt, ut non advertant, qualiter omni immunditiæ laxat habenas, qui nuptias damnat; aut certe ita pleni nequitia, et diabolica malignitate absorpti, ut advertentes dissimulent, et lætentur in perditione hominum. Tolle de Ecclesia honorabile connubium et torum immaculatum (*Hebr. xiii, 4*); nonne repleas eam concubinariis, incestuosis, seminifluis, mollibus, masculorum concubitoribus, et omni denique genere immundorum? Elige ergo utrumlibet, aut salvari universa monstra hæc hominum, aut numerum salvandorum ad continentium redigi paucitatem. Quam parcus in uno! quam largus in altero! Neutrum horum competit Salvatore. Quid? coronabitur turpitude? Nihil minus decet honestatis auctorem. Damnabitur universitas præter paucos continentes? Non est hoc esse Salvatorem. Rara in terris continentia, neque pro tantillo questu ad terras plenitudo illa semetipsam exinanivit. Et quomodo de illa omnes accepimus, si solis indulsit continentibus participium sui? Non est quod ad hoc respondeant. Sed neque ad illud credo. Si honestati in cælis est locus, non sit autem honesto et turpi consortium, sicut non est societas luci ad tenebras: profecto neminem immundorum locus in loco salutis manet. Si quis aliter sapit, arguet illum apostolica vox, absque omni ambiguo asserens: *Quoniam, qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt* (*Galat. v, 21*). Qua jam exiet de caverna hæc insidiosa vulpula? Puto in fovea deprehensam, in qua sibi duo quasi foramina fecerit, unum quo intret, alterum quo exeat. Nam consuevit ita. Vide ergo quomodo utrobique illi interclusus sit exitus. Si solos in caelestibus collocat continentes, perit ex maxima parte salus; si omnem spurcitiam pariter cum continentibus collocat, perit honestum. Sed justius perit ipsa, neque hæc exitura, neque illac, reclusa perpetuo, et capta in fovea quam fecit.

4. Quidam tamen dissentientes ab aliis, inter solos virgines matrimonium contrahi posse fatentur. Verum quid in hac distinctione rationis afferre possint, non video: nisi quod pro libitu quisque suo sacramenta Ecclesiæ, tanquam matris viscera, deinde vipereæ certatim inter se dilacerare contendunt. Nam quod dicuntur prætere de primis conjugibus, quia virgines erant; quid istud, quæso, matrimonii præjudicat libertati, quominus et inter non virgines contrahi liceat? Sed nescio quid se in Evangelio invenisse susurrant, quod suæ ineptiæ frustra existimant suffragari. Illud credo, quod Dominus cum præmisset testimonium de Genesi: *Et creavit hominem Deus ad imaginem et similitudinem suam, masculum et feminam creavit illos; postea intulit:*

Ergo quod Deus conjunxit, homo non separet (*Gen. i, 27; Matth. xix, 4, 6*). Hos, inquit, conjunxit Deus, quia virgines ambo erant, et jam non licuit separari: non erit autem ex Deo copulatio secus præsumpta. Quis tibi dixit propterea a Deo conjunctos, quia virgines erant? Nam Scriptura hoc non loquitur. An non virgines erant, inquit? Erant; sed non est id ipsum, copulatos virgines, et copulatos quia virgines. Quanquam ne hoc quidem nominatim dictum reperies, quod virgines essent, quamvis essent. Sexuum sane expressa diversitas est, non virginitas, cum dictum est: *Masculum et feminam creavit illos*. Merito quidem. Non enim maritalis copula corporum requirit integritatem, sed sexuum aptitudinem. Bene proinde ipsam instituens Spiritus sanctus, sexum expressit, **1496** et virginitatem tacuit, nec dedit occasionem venandi verbum insidiosis vulpeculis. Quod utique libenter fecissent; quamvis id quoque frustra. Quid enim si dixisset: Virgines creavit illos? Num propterea continuo obtinuisses, solos virgines licere conjugi? Et tamen quomodo exsultasses ex sola verbi occasione? quomodo insultasses secundas et tertias nuptias? quomodo insultasses catholicæ, scorta lenonesque ad invicem tanto libentius conjungenti, quanto proinde eos de turpi ad honestum transire non dubitat? Fortassis et reprehenderes Deum prophetæ præcipientem fornicariam ducere (*Ose. i, 2*): nunc autem et occasio deest, et libet gratis hæreticum esse. Nam testimonium quod usurpasti ad astruendum errorem tuum, plus ad destruendum valere inventum est; pro te facere nihil, contra te plurimum.

5. Nunc autem audi, quod te ex toto aut confundit, aut corrigit, et hæresim tuam prorsus conterit et comminuit. *Mulier quanto tempore vir ejus virit, alligata est viro; si autem dormierit vir ejus, soluta est a lege viri; cui vult nubat, tantum in Domino* (*I Cor. vi, 39*). Paulus est qui concedit viduæ, ut cui vult nubat: et tu e contra præcipis: Nulla præter virginem nubat, et hoc non nisi virgini, ut non cui vult, nubat vel ipsa. Quid manum Dei abrevias? quid largam benedictionem nuptiarum restringis? quid proprium vindicas virgini, quod indultum est sexui? Non concederet hoc Paulus, nisi liceret. At parum dico, concedit: vult quoque. *Volo, inquit, adolescentiores nubere* (*I Tim. v, 14*): nec dubium quin viduas dicat. Quid manifestius? Ergo quod concedit, quia licet; etiam vult, quia expedit. Quod licet et expedit, hæreticus prohibet? Nihil ex hac prohibitionem persuadent, nisi quod hæreticus est.

6. Superest ut et de residuo apostolicæ prophetiæ istos aliquantulum exagitemus. Abstinent namque hi, ut prædixit ille, a cibis, quos creavit Deus ad percipiendum cum gratiarum actione (*I Tim. iv, 5*): hinc quoque hæreticos se probantes, non sane quia abstinent, sed quia hæretice abstinent. Nam et ego interdum abstineo; sed abstinentia mea satisfactio est pro peccatis, non superstilitio pro impietate. Num redarguimus Paulum, quod castigat corpus suum, et in servitutum redigit? (*I Cor. ix, 27*). Abs-

tinebo a vino, quia in vino luxuriæ est (Ephes. v, A 18); aut si infirmus sum, modico utar, juxta consilium Pauli (I Tim. v, 23). Abstinebo a carnibus, ne dum nimis nutriunt carnem, simul et carnis nutriant vitia. Panem ipsum cum mensura studebo sumere, ne onerato ventre stare ad orandum lædeat, et ne impropere etiam mihi propheta, quia panem meum comederim in saturitate, (Ezech. xvi, 49). Sed ne simplici quidem aqua ingurgitare me assuecam, ne distensio sane ventris usque ad titillationem pertingat libidinis, hæreticus aliter. Nempe horret lac, et quidquid ex eo conficitur: postremo omne quod ex coitu concreatur. Recte et Christiane, si non idcirco quia ex coitu, sed ne ad coitum provocent.

7. Cæterum quid sibi vult, quod ita generaliter omne quod ex coitu generatur, vitatur? Suspicio- B nem generat mihi observatio ista ciborum tam signanter expressa. Verumtamen si de regula medicorum hoc profers nobis, non reprehendimus curam carnis, quam nemo unquam odio habuit, si tamen non nimia fuerit. Si de disciplina abstinentium, id est spiritualium medicorum schola; etiam virtutem approbamus, qua carnem domas, frenas libidinem. At si de insania Manichæi (230) præscribis beneficiæ Dei, ut quod ille creavit et donavit ad percipiendum cum gratiarum actione, tu non modo ingratus, sed et censor temerarius immundum decernas, et tanquam a malo abstineas; non plane abstinentiam collaudabo, sed exsecrabor blasphemiam: te magis immundum dixerim, qui immundum quid putas. Omnia munda mundis, ait ille rerum optimus æstimator; et nihil 1497 immundum, nisi ei qui immundum quid putat: Immundis autem, et infidelibus nihil est mundum, sed polluta est eorum mens et conscientia (Tit. 1, 15). Væ qui respuitis cibos, quos Deus creavit, judicantes immundos et indignos, quos trajiciatis in corpora vestra: cum propterea vos corpus Christi, quod est Ecclesia, tanquam pollutos et immundos expuerit.

8. Non ignoro, quod se et solos corpus Christi esse glorientur: sed sibi hoc persuadeant qui illud

(230) Omnes, aut fere omnes illorum temporum hæretici Manichæorum delirius demerati erant, ut in Præfatione generali dictum est. Nec mirum proinde, si tantopere veritatem corporis Christi in Eucharistia avertabantur, qui verum in Christo corpus fuisse negabant.

(231) Bernardus hoc in loco quibusdam fortasse videbitur hæreticis denegare potestatem consecrandi: quod quidem ad eam accedit heterodoxorum sententiam, quorum patroni fuere Donatistæ, qui a malis pollui Sacramenta, eorumque effectum impediendi dicebant, ut quidquid ab iis, præsertim hæreticis, attentatum esset, tanquam infectum, atque iterandum esse docerent. Hunc errorem valide retundit S. Augustinus variis in locis, prolata contra eos antiqua Ecclesiæ consuetudine Baptismi hæreticorum non iterandi, adhibitisque perspicuis tum rationibus, tum etiam Scripturæ sacræ testimoniis. Quare merito contra eum errorem editus est hic canon 12 sess. 7, in Tridentino concilio: « Si quis dixerit ministrum, in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia quæ ad Sacramentum faciendum aut conferendum pertinent, servaverit,

A quoque persuasum habent, potestatem se habere quotidie in mensa sua corpus Christi et sanguinem consecrandi (231) ad nutriendum se in corpus Christi et membra. Nempe jactant se esse successores apostolorum, et apostolicos nominant, nullum tamen apostolatus sui signum valentes ostendere. Quousque lucerna sub modio? Vos estis lux mundi, dictum est apostolis: et ideo apostoli super candelabrum, ut toto luceant mundo. Pudcat successores apostolorum lucem non esse mundi, sed modii, mundi autem tenebras. Dicamus eis: Vos estis tenebræ mundi: et transeamus ad alia. Se dicunt Ecclesiam. Sed contradicunt ei qui dicit: Non potest civitas abscondi supra montem composita (Matth. v, 14-16). Itane lapidem de monte abscissum sine manibus, montem factum, et implementem mundum (Dan. 11, 34, 35), vestris creditis inclusum antris? Et ne hic quidem immorandum. Ipsa opinio refugit publicari sua contenta susurrio. Habet, et semper habebit integram Christus hæreditatem suam, et possessionem suam terminos terræ. Se potius subtrahunt huic magnæ hæreditati, qui Christo illam conantur detrahere.

9. Videte detractores, videte canes. Irrident nos, quod baptizamus infantes; quod oramus pro mortuis; quod sanctorum suffragia postulamus. In omni genere hominum atque in utroque sexu festinant proscribere Christum, in adultis et parvulis, in vivis et mortuis; hinc quidem Infantibus ex impossibilitate naturæ, inde vero adultis ex difficultate continentis præscribentes. Porro mortuos viventium fraudantes auxiliis, viventes nihilominus sanctorum, qui decesserunt, suffragiis spoliantes. Absit! Non relinquet Dominus plebem suam, quæ est sicut arena maris, nec contentus erit paucitate hæreticorum, qui omnes redemit. Neque enim parva, sed plane copiosa apud eum redemptio. Quantus vero numerus istorum ad magnitudinem pretii? Se magis pretio fraudant, qui ipsum evacuare conantur. Quid enim si infans pro se loqui non potest, pro quo vox sanguinis fratris sui, et talis fratris, clamat ad

non conficere aut conferre Sacramentum, anathema sit. » Quæ canonis doctrina, inquit Estius in lib. iv Sent. dist. 1, par. 25, « cum sit generalis, generaliter accipienda est de ministro quocumque, in quocumque mortali existente, sive sit occulte malus, sive manifeste; et sive adhuc catholicus sit, sive hæreticus, aut quacumque ratione. » Unde paragrapho sequenti ad hanc ex Bernardo objectionem sic respondet: « Bernardus, » inquit, « de iis loquitur, qui cum se apostolicos nominant, et Apostolorum successores dicerent, non tamen a veris Apostolorum successoribus missi vel ordinati erant, ideoque nec veri sacerdotes. » Et certe quam sanctus Doctor ab hoc errore longe recesserit, manifestum est ex consequentibus, ubi hæreticos exagitat, quod peccatores nec dandis, nec recipendis idoneos Sacramentis esse assererent. Aliunde nulla modo hoc in loco difficultas restat, collata superiori epistola Evervini, qui ait, hos hæreticos in eo fuisse errore, « quemlibet (sicut inter eos baptizatum dicunt) electum habere potestatem corpus Christi et sanguinem consecrandi. » Quod non immerito rejicit Bernardus.

Deum de terra? Astat et clamat nihiliominus mater A Ecclesia. Quid tamen infans? Nonne et ipse videtur tibi inhiare quodam modo fontibus Salvatoris, vociferari ad Deum (232), suisque vagitibus clamitare: *Domine, vim patior, responde pro me?* (Isa. xxxviii, 14.) Flagitat auxilium gratiæ, quia vim patitur a natura [alias, ab origine; alias, a peccato]. Clamat innocentia miseri, clamat ignorantia parvuli, clamat addicti infirmitas. Ita ergo clamant hæc omnia, sanguis fratris, fides matris, destitutio miseri, et miseria destituti: et clamatur ad Patrem. Porro Pater se ipsum negare non potest: pater enim est.

10. Nemo mihi dicat quia non habet fidem, cui mater impertit suam, involvens illi in Sacramento, quousque idoneus fiat proprio, non tantum sensu, sed et assensu, evolutam puramque percipere. Nunquid breve pallium est, ut non possit ambos cooperire? Magna est Ecclesiæ fides. Nunquid minor fide Chananzæ mulieris, quam constat et Iliæ sufficere potuisse, et sibi? Ideo audivit: *O mulier, magna est fides tua! fiat tibi sicut petisti* (Matth. xv, 28). Nunquid minor fide illorum, qui paralyticum per tegulas demittentes, animæ illi simul et corporis obtinere salutem? Denique habes: *Quorum fidem ut vidit, ait paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata*; et paulo post: *Tolle grabatum tuum, et ambula* (Matth. ix, 2, 5, 6). Qui hæc credit, facile huic persuadebitur merito Ecclesiam præsumere, non solum parvulis baptizatis in sua fide salutem, sed etiam interfectis pro Christo infantibus coronam martyrii. Quæ cum ita sint, nullum præiudicium sustinebunt regenerati de eo quod dictum est: *Sine fide impossibile est placere Deo* (Hebr. xi, 6), cum sipe fide non sint, qui in testimonium fidei baptismi gratiam perceperunt. Sed neque de eo quod item dictum est: *Qui vero non crediderit, condemnabitur* (Marc. xvi, 16). Quid enim credere est, nisi fidem habere? Itaque et mulier salvabitur per generationem filiorum, si permanserit in fide cum lenitate (233) (I Tim. ii, 15); et infantibus per lavacri regenerationem succurreretur; et adulti qui continere non poterunt, conjugii tricesimo fructu se rediment; viventium quoque preces et hostias mortui, qui opus habebunt, et digni erunt, mediantibus percipient angelis; et eorum qui jam pervenerunt, viventibus adhuc nequaquam solatia deerunt per Deum qui ubique est, et in Deo nusquam affectu charitatis absentium. Nam et Christus propter hoc mortuus est et resurrexit, ut vivorum dominaretur et mortuorum (Rom. xiv, 9). Propter hoc quoque et infans natus est, et per singulos ætatum gradus profecit in virum, ut nulli deesset ætati.

(232) Quidam codices cum primis editis, omisso inhiare, legunt, tibi quodammodo de fontibus Salvatoris vociferari ad Deum.

(233) Varia lectio huius loci. Gemeticensis codex habet cum Vulgata, in fide et dilectione cum sanctificatione et sobrietate: Colbertinus, in fide cum sobrietate: S. Germani nostram præfert cum primis editis.

11. Non credunt ignem purgatorium restare post mortem; sed statim animam solutam a corpore, vel ad requiem transire, vel ad damnationem. Quærant ergo ab eo, qui dixit quoddam peccatum esse, quod neque in hoc sæculo, neque in futuro remitteretur (Matth. xii, 32), cur hoc dixerit, si nulla manet in futuro remissio purgatione peccati. Jam vero qui Ecclesiam non agnoscunt, non est mirum si ordinibus Ecclesiæ detrahunt, si instituta non recipiunt, si Sacramenta contempnunt, si mandatis non obediunt. Peccatores, inquit, sunt apostolici, archiepiscopi, episcopi, presbyteri: ac per hoc nec dandis, nec accipiendis idonei sacramentis. Nunquam duo ista convenient, episcopum esse et peccatorem? Falsum est. Episcopus erat Caiphas: et tamen quantus peccator, qui in Dominum mortis dictabat sententiam? Si negas episcopum, arguet te testimonium Joannis, qui eum in testimonium sui pontificatus etiam prophetasse refert (Joan. xi, 51). Apostolus erat Judas: et licet avarus et sceleratus, electus tamen a Domino. An tu de illius apostolatu dubitas, quem Dominus elegit? Nonne ego, inquit, vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est? (Joan. vi, 71.) Audis eundem electum apostolum, et exstitisse diabolum; et negas posse esse episcopum, qui peccator est? Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisei, et qui non obelierunt eis tanquam episcopis, inobedientiæ rei fuerunt, etiam in ipsum Dominum præcipientem, et dicentem: *Quæ dicunt facite* (Matth. xxiii, 2, 3). Patet ergo, quamvis Scribæ, quamvis Pharisei, quamvis videlicet maximi peccatores; propter cathedram tamen Moysi, ad eos quoque nihilominus pertinere quod item dixit: *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit* (Luc. x, 16).

12. Multa quidem et alia huic populo stulto et insipienti a spiritibus erroris, in hypocrisi loquentibus mendacium, mala persuasa sunt: sed non est respondere ad omnia. Quis enim omnia novit? Deinde labor infinitus esset, minime necessarius. Nam quantum ad istos, nec rationibus convincuntur, quia non intelligunt; nec autoritatibus corriguntur, quia non recipiunt; nec flectuntur suasionibus, quia subversi sunt. Probatum est: mori magis eligunt, quam converti. Horum finis interitus, horum novissima incendium manet. Horum siquidem in facto Samsos ex succensis vulpium caudis figura præcessit (Judic. xv, 4, 5). 1499 Plerumque fideles injectis manibus aliquos ex eis ad medium traxerunt. Quæsitū fidem, cum de quibus suspecti videbantur, omnia prorsus suo more negarent; examinati iudicio aquæ, mendaces inventi sunt (234). Cumque jam negare non

(234) Variæ olim purgationes in usu fuerunt in testimonium innocentie, vel ad diluendum objecta crimina, veluti per sacram Eucharistiam, ignem, ferrum candens, aquam frigidam, aquam ferventem, monomachiam, etc. Sed omnes canonibus, conciliis, et Pontificum decretis prohibiti ac damnati. Non defuerunt tamen, qui hanc, cujus hic Bernardus meminit, nempe purgationem aquæ, probandam

possent, quippe deprehensi, aqua eos non recipient; A arrepto, ut dicitur, freno dentibus, tam misere quam libere impietatem non confessi, sed professi sunt, palam pietatem astruentes, et pro ea mortem subire parati. Nec minus parati inferre qui astabant. Itaque irruens in eos populus, novos hæreticis suæ ipsorum perfidiæ martyres dedit. Approbamus zelum, sed factum non suademus; quia fides suadenda est, non imponenda. Quanquam melius procul dubio gladio coercentur, illius videlicet qui non sine causa gladium portat, quam in suum errorem multos trajicere permittantur (235). Dei enim minister ille est, vindex in iram ei qui male agit (Rom. xiii, 4).

13. Mirantur aliqui, quod non modo patienter, sed et læti, ut videbatur, ducerentur ad mortem; sed qui minus advertunt, quanta sit potestas diaboli, non modo in corpora hominum, sed etiam in corda, quæ semel permissus possederit. Nonne plus est sibi met hominem injicere manus quam id libenter ab alio sustinere? Hoc autem in multis potuisse diabolum frequenter experti sumus, qui se ipsos aut submerserunt, aut suspenderunt. Denique Judas suspendit se ipsum (Math. xxvii, 5), diabolo sine dubio immittente. Ego tamen majus existimo, magisque admiror, quod potuit immisisse in cor ejus ut traderet Dominum (Joan. xiii, 2), quam ut semetipsum suspenderet. Nihil ergo simile habent constantia martyrum, et pertinacia horum; quia mortis contemptum in illis pietas, in istis cordis duritia operatur (236). Et ideo Propheta martyris forsitan voce dicebat: *Coagulatum est sicut lac cor eorum, ego vero legem tuam meditatus sum* (Psal. cxiii, 70): pro eo videlicet quod etsi pœna eadem videretur, longe diversa esset intentio; illo utique durante cor contra Dominum, isto in lege Domini meditante.

14. Quæ cum ita sint, non est opus, ut dixi, frustra multa adversus homines stultissimos atque obstinatissimos dicere: sufficit innotuisse illos ut vitentur. Quamobrem ut deprehendantur, cogendi sunt vel abjicere feminas, vel exire de Ecclesia, utpote scandalizantes Ecclesiam in convictu et contubernio feminarum. Dolendum valde, quod non solum laici principes, sed et quidam, ut dicitur, de clero, necnon de ordine episcoporum qui magis eos

contenderent: imo qui in hanc sententiam Bernardi quoque auctoritate niterentur, idque ex loco præsentis. Verum male illos interpretari verba Bernardi, ostendit Delrio, lib. iv, Disq. Vag. cap. 4, q. 5, sect. 2. Nimirum non probat Bernardus, quasi rite legitimeque factum sit, sed quod vulgo gestum est, narrat; quando adhuc in causa hæresis vivebat hic modus examinis seu probationis, dissimulantibus magistratibus, nec ad canonum observantiam satis propensis. — Huc usque Horstius. Mabillonius hæc addit: — Judicium aquæ adeo non improbant veteres, ut illud singulari epistola probaverit Hincmarus Remorum antistes ad Hildegarium Meldensem. Probationis hujus formam habes in tomo I Analactorum nostrorum, ubi ab Eugenio II instituta dicitur.

(235) Nullo modo sibi contrarius est Bernardus in superiori sermone 64, num. 8, ubi ait hæreticos

persequi debuerant, propter quæstum sustineant, accipientes ab eis munera (257). Et quomodo, inquit, damnabimus nec convictos, nec confessos? Frivola satis, non ratio, sed occasio. Hoc solo, etiamsi aliud non esset, facile deprehendis, si, ut dixi, viros et feminas, qui se continentem dicunt, ab invicem se pares: et feminas quidem cum aliis sui et sexus et voti degere cogas; viros æque cum ejusdem propositi viris. Per hoc enim consultum erit utrorumque voto simul et famæ, cum continentia suæ et testes habuerint et custodes. Quod si non sustinent, justissime eliminabuntur de Ecclesia, quam scandalizant, non solum notabili, sed etiam illicita cohabitatione. Ergo ista sufficiant pro deprehendis harum vulpium dolis, ad dandam scientiam et cautelam dilectæ et gloriosæ sponsæ Domini nostri Jesu Christi, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

1500 SERMO LXVII.

De mirabili affectu dilectionis sponsæ, quem eructat propter amorem Christi sponsi.

1. *Dilectus meus mihi, et ego illi* (Cant. ii, 16). Hactenus verba sponsi. Adsit ipse, ut digne ad gloriam ipsius et nostram ipsorum salutem, sponsæ ejus possimus investigare sermones. Neque enim tales sunt, qui a nobis considerari et discuti, prout dignum fuerit, valeant, nisi ipse fuerit dux verbi. Sunt enim quam suaves ad gratiam, tam secundi ad sensus, tam etiam profundi ad mysteria. Cui sim labo eos? Cui interim alicui epularum, quæ triplici quadam emineat gratia; deliciosa ad saporem, solida ad nutrimentum, efficax ad medicinam. Sic, inquam, sic singulus quisque sponsæ sermo, et ex eo quod suaviter sonat, affectum mulcet; et de sensuum ubertate mentem impingnat et nutrit; et de altitudine mysteriorum, dum intellectum quo plus exercet, plus terret, miro modo tumorem sanat infantis scientiæ. Etenim si unus quispiam ex his forte, qui sibi scioli videntur, curiosius sese dederit scrutinio horum, cum viderit ingenii sui succumbere res, et redigi in captivitatem omnem intellectum persenserit, nonne humiliatus ad illam vocem compelletur, ut dicat: *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, et non potero ad eam* (Psal. cxxxviii, 6.)

capicndos esse, « non armis, sed argumentis; » Id est, si se contineant, nec alios subvertere moliantur. Alias « melius procul dubio gladio coercentur, quam in suum errorem multos trajicere permittantur, » ut hoc loco.

(236) Similis est Augustini sententia in lib. I Operis imperfecti contra Julianum, et lib. de Patientia, cap. 17, et ex eo concilii Arausicani secundi can. 17: « Fortitudinem Gentilium mundana cupiditas facit, fortitudinem Christianorum Dei charitas facit. »

(237) Ex eorum numero nescio an fuerit Henricus Trulli Leucorum episcopus, cui Hugo Metellus epistolam ineditam scribens, ait latere in ejus episcopatu « pestilentes homines, qui conjugium detestantur, Baptismum abominantur, Sacramenta Ecclesiæ derident. »

Et nunc quidem principium verborum ejus quantæ suavitatis insigne præfert? Nam vide quale principium dedit. *Dilectus*, inquit, *meus mihi, et ego illi*. Simplex vox videtur, quoniam suaviter sonat; sed de hoc videbitur postea.

2. Nunc vero a dilectione incipit, de dilecto prosequitur, nihil aliud se scire indicans nisi dilectum. Patet de quo sermo: cum quo non ita. Non enim ut cum ipso eodem fuerit sentire permittitur, cum ipse jam non adfuerit. Neque id dubium: nempe mox eum revocare videtur, et quasi post tergum clamare: *Revertere*, inquit, *dilecte mi*. Unde adducimur non aliud sane conjicere, nisi quod finitis verbis suis ille iterum suo more se absentaverit, et illa remanserit nihilominus de eo loquens, qui nunquam absens est sibi. Ita est: in ore retinuit, qui non recedebat a corde, nec quando recedebat. Quod de ore exit, de corde venit et ex abundantia cordis os loquitur (*Luc. vi, 45*). Ergo loquitur de dilecto, ut vere dilecta et vere diligenda, quoniam diligit multum. Quærimus cum quo: nam de quo, novimus. Et non occurrit, nisi forte cum adolescentulis, quæ a matre abesse non possunt, ubi discesserit sponsus. Sed melius, ut opinor, sentimus secum potius, et non cum altero sic locutam, præsertim quod trunca et minus continens inveniatur ipsa locutio, insufficientis plane ad dandam intelligentiam auditori, ob quam vel maxime invicem loquimur. *Dilectus meus mihi*, inquit, *et ego illi*. Non plus? Pendet oratio; imo non pendet, sed deficit. Suspenditur auditor, nec eruditur, sed erigitur.

3. Quid est hoc quod dicit, ille *mihi, et ego illi*? Nescimus quid loquitur, quia non sentimus quod sentit. O sancta anima, quid tuus ille tibi, quid tu illi? Quænam, quæso, hæc inter vos tam familiariter favorabiliterque discurrens exhibitio, et redhibitio? Tibi ille, tuque vicissim illi. Sed quid? Id ipsum est tu, quod tibi ille, an aliud? Si nobis, si ad nostram loqueris intelligentiam, evidenter quod sentis edicito, Quosque animas nostras tollis? An secundum prophetam secretum tuum tibi? (*Isa. xxiv, 16*.) Ita est: affectus locutus est, non intellectus, et ideo non ad intellectum. Ad quid ergo? Ad **1501** nihil, nisi quod mirabiliter delectata, et affecta vehementer ad desideratos affatus, finem illo faciente nec tacere omnino quivit, nec tamen quod sensit exprimere. Neque enim ut exprimeret sic locuta est, sed ne taceret. Ex abundantia cordis os locutum est, sed non pro abundantia. Habent suas voces affectus, per quas se, etiam cum nolunt, produunt: timor, verbi causa, meticulousas, dolor gemebundas, amor jucundas. Nunquid dolentium planctus, mœrentiumve singultus vel gemitus, percussorum, itemque paventium subitas et efferatas clamitationes, seu etiam saturatorum ructus, aut usus creat, aut ratio excitat, aut deliberatio ordinat, aut præmeditatio format? Ejusmodi certum est, non vultu prodire animi, sed erumpere motu. Sic flagrans ac vehemens amor, præsertim divinus, cum se intra se cohibere non valet, non at'endit, quo ordine, qua lege, quave serie seu pau-

cite verborum ebulliat, dummodo ex hoc nullum sui sentiat detrimentum. Interdum nec verba requirit, interdum nec voces omnino ullas, solis ad hoc contentus suspiriis. Inde est quod sponsa saneto amore flagrans, idque incredibili modo, sane pro captanda quantalacunque evaporatione ardoris quem patitur, non considerat quid, qualiter eloquatur: sed quidquid in buccam venerit, amore urgente non enuntiat, sed eructat. Quidni eructet sic relecta, et sic repleta?

4. Revolve textum epithalamii hujus ab ipso exordio usque huc, et vide si tanta uspiam illi, quanta hac vice in cunctis visitationibus et allocutionibus sponsi copia ejus indulta fuerit; et si unquam ex ore ipsius, non modo tam multos, sed et tam jucundos sermones accepit. Quæ ergo repleverat in bonis desiderium suum, quid mirum si ructum potius quam verbum fecit? Et si verbum fecisse tibi videtur, eructatum puta et non subornatum [*alias male, subordinatum*] aut præordinatum. Nec enim sponsa rapinam arbitratur sibi aptare Prophetæ dictum: *Eructavit cor meum verbum* (*Psal. xlv, 2*), quippe eodem repleta spiritu. *Dilectus meus mihi, et ego illi*. Nihil consequentiæ habet, deest orationi. Quid inde? Ructus est. Quid tu in ructu quæris orationum juncturas, solemnia dictionum? Quas tu tuo ructui leges imponis vel regulas? Non recipit tuam moderationem, non a te compositionem exspectat, non commoditatem, non opportunitatem requirit. Per se ex intimis, non modo cum non vis, sed et cum nescis, erumpit, evulsus potius quam emissus. Tamen odorem portat ructus, quandoque bonum, quandoque malum, pro vasorum, e quibus ascendit, contrariis qualitatibus. Denique bonus homo de bono thesauro suo profert bonum, et malus malum (*Math. xii, 35*). Bonum vas sponsa Domini mei, et bonus mihi odor ex illa.

5. Gratias ago tibi, Domine Jesu, qui me dignatus es admittere saltem ad odorandum. Ita, Domine, nam et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum (*Math. xv, 27*). Mihi, fateor, bene redolet ructus dilectæ tuæ, et de plenitudine ejus, quamvis modicum quid, gratanter accipio. Memoriam abundantie suavitatis tuæ eructat mihi, et nescio quid ineffabile tuæ dignationis et amoris odoratus sum in voce ista: *Dilectus meus mihi, et ego illi*. Ipsa, ut dignum est, epuletur et exsulet in conspectu tuo, et delectetur in lætitia: verumtamen sic tibi excedat, ut sobria sit nobis. Ipsa ergo repletur in bonis domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potetur: sed, quæso, perveniat ad me pauperem vel tenuis odor eructante illa, cum satiata fuerit. Bene mihi eructavit Moyses, et bonus odor in ructu ejus, creantis potentie: *In principio*, inquit, *creavit Deus cælum et terram* (*Gen. i, 1*). Bene Isaias: nam suavissimum redimentis misericordie odorem dedit, ita eructans: *Tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est, et ipse peccata multorum tui, et pro transgressoribus rogatus* (*Isa. liii, 12*), ut non perirent. Quid æque misericordiam reddere? Bonus

quoque ex ore Jeremiæ ructus; bonus ex David, A qui ait: *Eructavit cor meum verbum bonum*. Repleti sunt omnes Spiritu sancto, et eructantes omnia impleverunt **1502** bonitate. Ructum Jeremiæ requiritis? Non sum oblitus, jam parabam illum. *Bonum est præstolari cum silentio salutare Domini* (*Thren. III, 26*). Ejus est, non fallor; admovete naribus; balsamum vincit suavitas remunerantis justitiæ, quam importat. Patientem pro justitiâ vult me expectare mercedem in posterum, non recipere in præsentem, quod justitiæ merces, salutare, non sæculi, sed Domini sit. *Si moram fecit, inquit, expecta eum* (*Habac. II, 3*); et ne murmuraveris, quoniam bonum est cum silentio expectare. Ergo faciam quod hortatur; expectabo Dominum Salvatorem meum.

6. Sed peccator sum, et adhuc mihi grandis restat via, quia longe a peccatoribus salus. Non murmurabo tamen: in odore (**238**) interim consolabor me. Lætabitur justus in Domino, gustu experiens quod ego sentio odoratu. Quem spectat justus, peccator expectat; et expectatio odoratio est. *Nam expectatio, ait, creaturæ revelationem filiorum Dei expectat* (*Rom. VIII, 19*). Porro spectare gustare est, et videre quoniam suavis est Dominus. An potius justus qui expectat et qui jam tenet, beatus? Denique expectatio justorum lætitiâ (*Prov. X, 28*). Nam peccator nihil expectat. Et inde peccator, quod bonis præsentibus non modo detentus, sed et contentus, nihil in futurum expectat, surdus ad vocem illam: *Expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum* (*Sophon. III, 8*). C Et ideo justus erat Simeon, quia expectabat et odorabat jam Christum in spiritu, quem necdum in carne adorabat. Et beatus in expectatione sua, quia per odorem expectationis pervenit ad gustum contemplationis. Denique ait: *Et viderunt oculi mei salutare tuum* (*Luc. II, 25*). Justus quoque Abraham, qui et ipse expectavit ut videret diem Domini, et non est confusus ab expectatione sua; nam vidit et gavisus est (*Joan. VIII, 56*). Justi apostoli cum audiebant: *Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum* (*Luc. XII, 36, 30*).

7. Quidni justus et David, quando aiebat: *Expectans expectavi Dominum?* (*Psal. XXXIX, 2*.) Ipse est quartus de numero prænominatorum ructatorum D meorum, quem pene præterieram. Non expedit quidem. Iste os suum aperuit et atraxit spiritum (*Psal. CXVIII, 131*), et saturatus non modo eructavit, sed et cantavit. Jesu bone! quantam meis naribus et auribus iste infudit suavitatem in ructu et cantu suo de oleo lætitiæ quo unxit te Deus, Deus tuus, præ consortibus tuis: ex myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filii regum in honore tuo! (*Psal. XLIV, 8-10*.) Utinam me digneris occursum tanti vatis et amici tui in die solemnitatis et lætitiæ, quando egredietur de thalamo tuo, epithalamium suum canens in psalterio jucundo eum cithara, affluens deliciis,

(**238**) Horstius addit *vel dolore*; sed deest manuscriptis et primis editis.

respersus et respergens universa Istiusmodi pulvere pigmentario! In illa die, vel potius in illa hora: nam hora est si quando est, et fortassis ne hora quidem, sed horæ dimidium, juxta illud Scripturæ: *Factum est silentium in cælo quasi media hora* (*Apoc. VIII, 1*): ergo in illa hora replebitur gaudio os meum, et lingua mea exsultatione, dum singulos, non dico psalmos, sed versus singulos sentiam ructus, et quidem odoriferos super omnia aromata. Quid Joannis ructu fragrantius, qui Verbi mihi redolet æternitatem, generationem, divinitatem? Quid de Pauli ructibus loquar, quanta orbem suavitate repleverint? Denique Christi bonus odor erat in omni loco (*II Cor. II, 14, 15*). Verba certe ineffabilia etsi non profert ut audiam, offert tamen ut cupiam, et libeat odorare quæ audire non licet (*II Cor. XII, 4*). Nescio enim quo pacto quo plus latent, plus placent, et avidius inhiamus negatis. Sed jam adverte apud sponsam similem rem: quomodo instat Pauli, in præsentem capitulo, et secretum non aperit, nec præterit tamen intactum, aliquid quasi olfactui nostro indulgens, quod gustui forte interim non competere judicavit, sive propter indignitatem nostram, sive propter incapacitatem.

8. *Dilectus meus mihi, et ego illi*. Quod non est dubium, duorum quidem hoc loco amor mutus flagrat; sed in amore summa unius profecto felicitas, alterius **1503** mira dignatio. Neque enim inter pares est consensus seu complexio hæc. Cæterum quid ista ex hac prærogativa amoris gloriatur impensum sibi repensumque vicissim a se, quis se liquido nosse præsumat, nisi qui præcipua puritate mentis et corporis sanctitate, in semetipso meruerit tale aliquid experiri? Res est in affectibus; nec ratione ad eam pertingitur, sed conformitate. Quam pauci vero qui dicant: *Nos autem revelata facie speculantes gloriam Domini, in eandem imaginem transformamur de claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu* (*II Cor. III, 18*).

9. Verum ut sub aliqua qualiennque intelligentiâ forma quod legitur, redigatur: salvo quidem sponsæ suo singulari secreto, ad quod interim non datur accedere, præsertim talibus quales nos sumus; apponendum sane aliquid nobis, eo accomodatius ad communem sensum, quo usitatus, quod et verbis consequentiam et intellectum det parvulis. Et mihi quidem videtur satis esse ad nostram grossam et quodammodo popularem intelligentiam, si dicendo: *Dilectus meus mihi*, subaudiamus: Intendit; ut sit sensus: Dilectus meus intendit mihi, et ego illi. Quanquam tamen nec solus ego id senserim, nec primus, cum Propheta ante me dixerit: *Expectans expectavi Dominum, et intendit mihi*. Habes aperte intentionem Domini ad Prophetam: habes et Prophetæ ad Dominum in eo quod ait: *Expectans expectavi*. Nam qui expectat intendit, et expectare intendere est. Idem omnino sensus, eadem pene verba apud Prophetam quæ apud sponsam; sed a Propheta transposita.

Prius siquidem is quod illa posterius posuit, et e A in converso.

10. Cæterum sponsa rectius locuta est, et non præteritum meritum, sed præmittens beneficium, et se præventam dilecti gratia confitens. Recte omnino. Nam quis prior dedit illi, et retribuetur ei? (Rom. xi, 35.) Denique audi Joannem, quid in Epistola sua super hoc senserit. *In hoc est charitas, inquit, non quasi nos dilexerimus Deum, sed ipse prior dilexit nos (I Joan. iv, 10).* Propheta tamen gratiæ præventionem etsi tacuit, non negavit subsecutionem: plane non tacuit. Sed accipe et alio loco certio rem de re ista ipsius confessionem. *Et misericordia tua, inquit (Domino loquebatur), subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ (Psal. xxii, 6).* Audi et de præventionem identidem ipsius non minus certam manifestamve scientiam. *Deus meus, inquit, misericordia ejus præveniet me (Psal. lvm, 11);* item ad Dominum: *Cito, ait, anticipent nos misericordiae tuæ, quia pauperes facti sumus nimis (Psal. lxxviii, 8).* Pulchre sponsa posterius, ni fallor, hæc eadem verba non eodem ordine ponit, sed sequitur et ipsa Prophete ordinem, loquens hoc modo: *Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi.* Cur ita? Nempe ut tunc magis gratia plenam se probet, cum totum gratiæ decerit, et primas scilicet illi partes ascribens, et ultimas. Alioquin quomodo gratia plena, si quid habuerit, quod non sit ex gratia? Non est quo gratia intret, ubi jam meritum occupavit (239). Ergo jam plena confessio gratiæ, ipsius gratiæ plenitudinem signat in anima contentis. Nam si quid de proprio inest, in quantum est, gratiam cedere illi necesse est. Deest gratiæ, quidquid meritis deputas. Nolo meritum, quod gratiam excludat. Horreo quidquid de meo est, ut sim meus, nisi quod illud magis forsitan meum est, quod me meum facit. Gratia reddit me mihi justificatum gratis, et sic liberatum a servitute peccati. Denique ubi spiritus, ibi libertas.

11. O fatuam sponsam Synagogam, quæ contemnens Dei justitiam, id est gratiam sponsi sui, et suam volens constituere, justitiæ Dei non est subjecta! Ob hoc misera repudiata est, et jam non est sponsa, sed Ecclesia, cui dicitur: *Desponsavi te mihi in fide; desponsavi te mihi in judicio et justitia; desponsavi te mihi in misericordia et miserationibus (Osæ ii, 19, 20).* Nec tu me elegisti, sed ego elegi te; nec ut te eligerem, tua inveni merita, sed præveni. Ita ergo in fide desponsavi te mihi, et **1504** non in operibus legis; desponsavique in justitia, sed justitia quæ est ex fide, non ex lege. Restat ut judices judicium rectum inter me et te, judicium in quo te desponsavi, ubi constat intervenisse non tuum meritum, sed meum placitum. Hoc est autem judicium ut tua merita non extollas, non præferas opera legis, non jactes pondus diei et æstus, quæ magis

(239) Nempe quod non sit ex gratia, supra; quod gratiam excludat, infra. Confer sermonem sequentem, num. 6: et apud Augustinum, epist. 105; lib. de Gratia et Libero Arbitrio, cap. 6-8; lib. ix Confessionum, cap. 15; Enchiridion, cap. 107;

in fide et in justitia quæ est ex fide, nec non in misericordia et miserationibus nosceris desponsata.

12. Quæ vere sponsa est, agnoscit ista, et utramque gratiam constituetur: primo quidem, eam quæ prima est, qua et præventa est; postea vero, et subsequentem. Ait itaque nunc: *Dilectus meus mihi, et ego illi;* principium directo tribuens. In consequentibus: *Ego, inquit, dilecto meo, et dilectus meus mihi;* consummationem illi æque concedens. Nunc jam videamus quid dicat: *Dilectus meus mihi.* Si enim hoc recipitur ut subaudiamus, intendit, sicut jam diximus, et sicut Propheta ait: *Expectans expectavi Dominum, et intendit mihi;* ego in verbo isto sentio nescio quid non plane exiguum, nec mediocris prærogativæ. Sed non est ingerenda fatigatis auribus et mentibus res omni alacritate digna. Si non gravat, differatur, et non in longum; crastinus inde incipiat sermo. Tantum orate, ut ab irruentibus occupationibus interim custodiat nos gratia et misericordia sponsi Ecclesiæ Jesu Christi Domini nostri, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LXVIII.

Quomodo sponsus Christus intendit sponsæ Ecclesiæ, et hæc illi; et de cura, quam habet Deus de electis. Item de merito et fiducia Ecclesiæ.

1. Audite jam quod heri distulimus, audite gaudium meum quod sensi. Et vestrum est: audite gaudentes. In uno verbo sponsæ sensi hoc, et quasi odoratus abscondi, eo vobis hodie festivius exhibendum, quo tempestivius. Sponsa locuta est, et dixit sponsum intendere sibi. Quæ est sponsa, et quis est sponsus? Hic Deus noster est: et illa, si audeo dicere, nos sumus, cum reliqua quidem multitudine captivorum, quos ipse novit. Gaudeamus: gloria nostra hæc est (240); nos sumus in quos intendit Deus. Quanta tamen disparitas. Quid terrigenæ et filii hominum coram illo? Secundum prophetam, *sic sunt, quasi non sint, et quasi nihilum et inane reputati sunt ei (Isa. xl, 17).* Quid sibi ergo vult ista inter tam dispa res comparatio? Aut illa in immensum gloriatur, aut is in immensum amat. Quam admirabile est, quod illius intentionem ista sibi quasi propriam vindicat, dicens: *Dilectus meus mihi?* Nec eo contenta tamen, pergit amplius gloriari, respondere se illi quasi ex æquo, morem gerere, rependere vicem. Sequitur enim: *Et ego illi (Cant. ii, 16).* Insolens verbum, et ego illi. Nec minus insolens, *dilectus meus mihi:* nisi quod utroque insolentius utrumque simul.

2. O quid audet cor purum, et conscientia bona, et fides non ficta! Mihi, inquit, intendit. Itane huic intenta est illa majestas, cui gubernatio pariter et administratio universitatis incumbit; et cura sæculorum ad sola transfertur negotia, imo otia amoris

Enarrat. in Psal. LXVIII, et CXVIII, serm. 2, et in Psal. CXLIX.

(240) Sic manuscriptorum. Horstius addit *testimonium conscientie nostræ, quæ nihil ad hunc locum.*

et desiderii hujus? Ita plane. Ipsa est Ecclesia electorum, de quibus Apostolus: *Omnia*, inquit, *propter electos* (II Tim. II, 10). Et cui dubium, quod gratia et misericordia Dei sit in sanctos ejus, et respectus in electos illius? (Sap. IV, 15.) Ergo providentiam cæteris creaturis non negamus: curam sponsa vindicat sibi. *Nunquid de bobus* [manuscripti, *bubus*] *cura est Deo?* (I Cor. IX, 9.) Nec dubium quin idem possimus dicere de equis, de camelis, de elephantis, et de cunctis bestiis terræ: similiter et de piscibus maris, et volatilibus cœli; postremo de omni re quæ est super terram, solis sane exceptis, quibus dicitur: *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis* (I Petr. V, 7). **1505** Annon tibi videtur veluti his verbis dictum, Intendite illi, quia ipse intendit vobis? Et observa apostolum Petrum (ejus enim verba sunt) si non et ipse verborum sponsæ observaverit ordinem. Nempe non ait: *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum*, ut sit ipsi cura de vobis; sed, *quia ipsi cura est de vobis*: aperte proinde monstrans, Ecclesia sanctorum non modo quam dilecta, sed et quod prius dilecta fuerit.

3. Constat ad eam non pertinere de verbo, quod de bobus dixit Apostolus: nam curam illius habet qui dilexit illam, et semetipsum dedit pro illa. Nonne hæc est ovis illa errans, cujus cura etiam supernorum curæ gregum prælata est? Denique illis expositis, pastor descendit ad istam, quæsit diligenter, inventam non reduxit, sed revexit: nova cum illa et de illa intulit cœlis festa gaudiorum, populis angelorum invitatis ad solemnitatem (Luc. XV, 4-7, 10). Quid ergo? propriis humeris dignatus est eam reportare; et curam illius non habebit? Ideo non confunditur dicere: *Dominus sollicitus est mei* (Psal. XXXIX, 18). Nec se existimat errare, cum item dicit: *Dominus retribuet pro me* (Psal. CXXXVII, 8); et si quid est aliud, quod curam Dei circa ipsam significare videatur. Inde est quod Dominum sabaoth dilectum suum dicit, et eum qui eam tranquillitate judicat omnia (Sap. XII, 18), sibi intendere gloriatur. Quidni gloriatur? Audivit illum dicentem sibi: *Nunquid mater potest oblivisci, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui* (Isa. XLIX, 15). Denique oculi Domini super justos (Psal. XXXIII, 16). Et quid sponsa, nisi congregatio justorum? Quid ipsa, nisi generatio quærentium Dominum, quærentium faciem sponsi? Non enim ille intendit huic, et non ista illi. Propterea utrumque ponit, dicens: *Ille mihi, et ego illi. Ille mihi*, quia benignus et misericors est; *ego illi*, quia non sum ingrata. Ille mihi gratiam ex gratia, ego illi gratiam pro gratia; ille meæ liberationi, ego illius honori; ille salutem meæ, ego illius voluntati; ille mihi, et non alteri, quoniam una sum columba ejus; ego illi, et non alteri: nec enim audio vocem alienorum; nec enim acquiesco dicentibus mihi: *Ecce hic est Christus*; aut: *Ecce illic est* (Marc. XIII, 21). Hæc Ecclesia.

4. Quid singulus quisque nostrum? putamusne in nobis quempiam esse, cui aptari queat quod dicitur? Quid dixi, in nobis? Ego autem et de quovis intra Ecclesiam constituto si quis hoc quærat, non omnino reprehendendum censuerim. Nec enim una unius ratio est, atque multorum. Denique non propter animam unam, sed propter multas in unam Ecclesiam colligendas, in unicam astringendas sponsam, Deus tam multa et fecit et pertulit, cum operatus est salutem in medio terræ. Charissima illa est una uni, non adhærens alteri sponso, non cedens alteri sponsæ. Quid ista non audeat apud tam ambitiosum amatorem? Quid non ab illo speret, qui se quæsit o cœlo, vocavit a finibus terræ? Nec modo quæsit, sed acquisivit. Adde et de modo acquisitionis in sanguine acquisitoris. Alias vero, ut assolet, propterea magis præsumit, quoniam prospiciens in futurum non ignorat quod Dominus se opus habet. Quæris ad quid? *Ad videndum in bonitate electorum suorum, ad lætandum in lætitia gentis suæ, ut laudetur cum hæreditate sua* (Psal. CV, 5). Nec parum hoc opus existimes: nullum, dico tibi, remanebit opus perfectum, si hoc nutarit. Nonne de statu et consummatione Ecclesiæ finis omnium pendet? Tolle hanc, et frustra inferior ista creatura revelationem filiorum Dei exspectat. Tolle hanc, et neque patriarchæ, neque prophætæ aliqui consummabuntur, cum Paulus asserat, Deum ita providisse pro nobis, *ne sine nobis consummarentur* (Hebr. XI, 40). Tolle hanc et ipsa sanctorum angelorum pro imperfectione sui numeri gloria claudicabit, nec Dei civitas de sui integritate gaudebit.

5. Unde ergo implebitur propositum Dei, et mysterium voluntatis ejus, magnumque illud pietatis sacramentum? Unde postremo dabis mihi infantes et lactentes, quorum, ex ore laudem suam perficiat Deus? (Psal. VII, 3.) Cœlum non habet infantes, habet Ecclesia, quibus et **1506** dicit: *Lac vobis potum dedi, non escam* (I Cor. III, 2). Et hi ad laudem quasi complendam a Propheta invitantur, dicente: *Laudate, pueri, Dominum* (Psal. CXII, 4). Tu putas Deum nostrum totam habiturum suæ gloriæ laudem, donec veniant qui in conspectu angelorum psallant sibi: *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala?* (Psal. LXXXIX, 15.) Hoc genus lætitiæ cœli nescierunt, nisi per Ecclesiæ filios; hoc nemo unquam lætatur, qui nunquam non lætatur. Opportune post tristitiam gaudium subit, post laborem quies, post naufragium portus. Placet cunctis securitas, sed ei magis qui timuit. Jucunda omnibus lux, sed evadenti de potestate tenebrarum jucundior. Transisse de morte ad vitam, vitæ gratiam duplicat. Pars mea hæc in cœlesti convivio, et seorsum ab ipsis spiritibus beatis. Audeo dicere expertem meæ beatitudinis ipsam beatam vitam, nisi si dignetur fateri, quod per charitatem ea in me fruitur, et per me. Aliquid sane videtur etiam perfectioni illi accessisse ex me, neque hoc parum. Denique gaudent angeli ad poeni-

tentiam peccatoris. Quod si delicia angelorum lacrymæ meæ, quid delicia? Omne opus ipsorum laudare Deum : sed deest laudi, si desint qui dicant: *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium (Psal. lxxv, 42).*

6. Felix proinde in sua universitate Ecclesia, cujus omnis gloriatio impar est causæ, non pro his tantum quæ illi jam facta sunt, sed pro his quoque quæ de illa adhuc oportet fieri. Nam et de meritis quid sollicita sit, cui de proposito Dei firmior suppetit securiorque gloriandi ratio? Non potest se ipsum negare Deus, neque non facere quæ jam fecit, ut scriptum est, qui fecit quæ futura sunt (*Isa. xlv, 10*). Faciet, faciet, nec deerit suo proposito Deus. Sic non est quod jam quæras, quibus meritis speremus bona, præsertim cum audias apud prophetam: *Non propter vos, sed propter me ego faciam, dicit Dominus (Ezech. xxxvi, 22)*. Sufficit ad meritum scire, quod non sufficiant merita. Sed, ut ad meritum satis est de meritis non præsumere, sic carere meritis satis ad iudicium est. Porro infantium renatorum neminem carere meritis, sed Christi habere merita. Quibus se tamen indignos reddunt, si sua jungere non nequiverint, sed neglexerint. Quod quidem periculum jam adultæ ætatis est. Merita proinde habere cures; habita, data noveris; fructum speraveris, Dei misericordiam: et omne periculum evasisti paupertatis, ingratitude, præsumptionis. Perniciosa paupertas, penuria meritorum; præsumptio autem spiritus, fallaces divitiæ. Et ideo *divitias et paupertas ne dederis mihi, Domine, ait Sapiens (Prov. xxx, 8)*. Felix Ecclesia, cui nec merita sine præsumptione, nec præsumptio absque meritis deest. Habet unde præsumat, sed non merita: habet merita, sed ad promerendum, non ad præsumendum. Ipsum non præsumere, nonne promereri est? Ergo eo præsumit securius, quo non præsumit: et non est quod confundatur in verbo gloriæ, cui multa materies gloriandi. Misericordiæ Domini multæ, et veritas ejus manens in ætænum.

7. Quidni gloriatur secunda, in cujus testimonium gloriæ, misericordia et veritas obviaverunt sibi? (*Psal. lxxxiv, 11*). Sive dicat: *Dilectus meus mihi*; sive igitur dicat *Expectans expectavi Dominum, et intendit mihi*; sive etiam: *Dominus sollicitus est mei (Psal. xxxix, 2, 18)*; vel si quæ sunt ejusmodi voces aliæ atque aliæ, quæ divinum quemdam affectum ac singularem favorem erga aliquid similiter exprimere videantur: nihil horum a se alienum putabit, cui ratio præsumendi Domini constitutio est, præsertim cum non alteram videat sponsam, alteramve Ecclesiam, cui possint fieri quæ non possunt non fieri. Ergo de Ecclesia patet, quod in nullo illa omnia sibi aptare verebitur. De una anima quæritur etiam, si sit spiritualis et sancta, liceatne illi ullo modo audere in talibus. Neque enim prærogativas omnes unius illius catholicæ multitudinis, ob quam omnia sunt, una de multitudine arrogabit sibi, quantalibet emineat sanctitate. Et ideo diffi-

lius, ut sentio ego, invenietur **1507**, si tamen invenietur, quomodo possit licere. Unde necessarium reor, alio istud sermone tentari, nec modo ingredi vias scrupulosæ disputationis, quarum adhuc exitum ignoramus, nisi prius super verbo abscondito oratum fuerit ad eum, qui aperit, et nemo claudit, sponsum Ecclesiæ Jesum Christum Dominum nostrum, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LXIX.

Qualiter omnis altitudo se extollens adversus scientiam Dei, dejicitur. De adventu et mansione Patris et Verbi apud animam diligentem, et de familiaritate quæ inde inter Deum et animam contrahitur.

1. *Dilectus meus mihi, et ego illi (Cant. ii, 16).*

Hanc vocem universali Ecclesiæ sermo superior assignavit, propter factas sibi a Deo promissiones vitæ ejus, quæ nunc est, pariter et futura, de anima proposita quæstio est; quia non potest sibi arrogare una, quod universitas audeat, nec aliquo modo ad se trahere illam. Si non licet, referamus proinde oportet ita ad Ecclesiam, ut nullatenus ad personam; nec modo hanc, sed et reliquas voces similes huic, loquentes grandia, verbi gratia: *Expectans expectavi Dominum, et intendit mihi (Psal. xxxix, 2)*; et si quas alias sermo superior perstrinxit. Quod si quis licere putat, ego non abnuo; sed interest, cui: non enim cuicumque. Prorsus habet Ecclesia Dei spirituales suos, qui non inodo fideliter, sed et fiducialiter agant in eo, cum Deo quasi cum amico loquentes, testimonium illis perhibente conscientia gloriæ ejus. Quinam illi sint, id quidem penes Deum; tu vero audi, qualem te esse oporteat, si talis vis esse. Quod tamen dixerim, non quasi expertus, sed quasi experiri cupiens. Da mihi animam nihil amantem præter Deum, et quod propter Deum amandum est; cui vivere Christus non tantum sit, sed et diu jam fuerit; cui studii et otii sit providere Dominum in conspectu suo semper; cui sollicite ambulare cum Domino Deo suo, non dico magna, sed una voluntas sit et facultas non desit: da, inquam, talem animam, et ego non nego dignam sponsi cura, majestatis respectu, dominantis favore, sollicitudine gubernantis: et si voluerit gloriari, non erit insipicus; tantum ut qui gloriatur, in Domino gloriatur. Ita in quo multi audent, audet et unus, sed alia ratione.

2. Nempe sanctam multitudinem causæ supradictæ fidentem faciunt, sanctam animam duplex quædam ratio. Primo quidem quod habeat in natura simplicissima sponsi divinitas quasi unum respicere multos, et quasi multos unum. Nec ad multitudinem multus erit, nec ad paucitatem rarus; nec ad diversitatem divisus, nec restrictus ad unum; nec anxius ad curas, nec perturbatus seu turbulenter ad sollicitudines. Sic sane uni intentus, ut non detentus; sic pluribus, ut non distentus. Deinde, quod ut probare suavissimum, ita rarissimum [*alias mendose, charissimum*] probasse est; tanta est dignatio Verbi, tanta benevolentia Patris Verbi erga bene affectam et bene compositam animam (quod quidem

ipsum Patris munus, et Verbi opus est), ut quam sua tali benedictione prævererint et præparaverint sibi, sua quoque dignentur præsentia, et ita, ut non modo ad eam veniant, sed etiam mansionem apud eam faciant (*Joan. xiv 23*). Non enim sufficit exhiberi, nisi et copiam sui præbeant. Quid est venire ad animam Verbum? Erudire in sapientia. Quid est Patrem venire? Afficere ad amorem sapientiæ, ut dicere possit, quia amatrix facta sum formæ illius (*Sap. viii, 2*). Patris diligere est: et ideo Patris adventus ex infusa dilectione probatur. Quid faceret eruditio absque dilectione? Inflaret. Quid, absque eruditione dilectio? Erraret. Denique errabant, de quibus dicebatur: *Testimonium illis perhibeo quod zelum Dei habent, sed non secundum scientiam* (*Rom. x, 2*). Non decet sponsam Verbi esse stultam: porro elatam Pater non sustinet. Pater enim **1508** diligit Filium, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Verbi, semper in promptu habet dejicere atque destruere, sive immittendo zelum, sive intendendo: quorum alterum misericordiæ, alterum iudicii est. Utinam in me omnem extollentiam comprimat, imo dejiciat, et ad nihilum redigat, non accensus furor, sed infusus amor! Utinam discam non superbire, sed unctione potius, quam ultione magistra! *Domine, ne in furore tuo arguas me, sicut angelum extollentem se in cælo: neque in ira tua corripas me, sicut hominem in paradiso.* Anbo iniquitatem meditati sunt, altitudinem affectantes; ille, potentiæ; iste, scientiæ. Denique credidit insipiens mulier pollicenti, sed seducenti: *Eritis sicut dii, scientes bonum et malum* (*Gen. iii, 5*). Jam sese ante seduxerat, cui persuaserat similem fore Altissimo? (*Isa. xiv, 14.*) Nam qui se putat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit (*Galat. vi, 3*).

3. Verum utraque altitudo dejecta est, sed in homine mitius, judicante ita illo qui omnia facit in pondere et mensura. Nam angelo in furore punito, imo damnato, homo iram tantum sensit, et non furor. Nempe cum iratus fuit, misericordiæ recordatus est. Propter hoc semen ejus filii iræ, et non furoris, usque in hodiernum diem. Si non nascerer filius iræ, non opus esset renasci; si furoris filius nascerer, aut non contigisset, aut non profuisset renasci. Vis videre furoris filium? Si vidisti Satanam tanquam fulgur cadentem de cælo, quod est in impetu furoris præcipitatum; et cognovisti de furore Dei. Denique non est recordatus misericordiæ suæ; quia cum iratus fuerit, misericordiæ recordabitur, non cum jam usque ad furorem exarserit. Væ filiis diffidentibus! his quoque qui ex Adam sunt, quii nati iræ filii, ipsi sibi iram in furorem, virgam in baculum, imo in malleum diabolica obstinatione convertunt. Denique thesaurizant sibi iram in die iræ (*Rom. ii, 5*). Ira autem accumulata quid nisi furor? Peccaverunt

A peccatum diaboli, et diaboli sententia percelluntur. Væ etiam, quamvis mitius, quibusdam filiis iræ, qui nati in ira, non exspectaverunt renasci in gratia! Nempe mortui in quo et nati, iræ filii permanent. Iræ dixerim, non furoris; quia ut piissime creditur, et humanissime genitur, mitissimæ sunt pœnæ totum quo addicti sunt aliunde trahentium (241).

4. Ergo in furore diabolus judicatus est, quia inventa est iniquitas ejus ad odium; hominis autem ad iram, et ideo in ira corripitur. Ita omnis altitudo contrita est, et quæ inflat, et quæ præcipitat, Patre nimirum zelante pro Filio. Utrobique siquidem injuria Filii est, et de usurpata potentia adversus virtutem Dei, quæ ipse est; et de præsumpta scientia aliunde quam a sapientia Dei, quæ nihilominus ipse est. Domine, quis similis tibi? Quis nisi splendor et figura substantiæ tuæ? quis, nisi imago tua? Solus in forma tua, solus non rapinam arbitratus est esse se æqualem tibi altissimus Altissimi Filius (*Philipp. ii, 6*). Quomodo non æqualis? Etiam unum estis ipse et tu. Sedes illi a dextris tuis, non sub pedibus. Quo pacto audet quis pervadere locum Unigeniti tui? præcipitetur. Ponit sibi sedem in excelso; subvertatur cathedra pestilentiæ. Item quis docet hominem scientiam? Nonne tu, o clavis David, aperiens cui vis, et cui vis claudens? Et quomodo sine clave ad thesauros sapientiæ et scientiæ introitus, imo irruptio tentabatur? Qui non intrat per ostium, ille fur est et latro. Petrus ergo intrabit, qui claves accepit. Non tamen solus: nam et me, si voluerit, introducet, aliumque excludet quem forte voluerit, in scientia et potestate sibi data desuper.

5. Et hæc claves quæ? Potestas aperiendi, et claudendi, atque inter excludendos et admittendos discretio. Et non in serpente thesauri, sed in Christo. Et ideo non potuit dare scientiam serpens, quam non habuit; sed qui habuit, dedit. Nec enim ipse potuit habere **1509** potestatem, quam non accepit; sed qui accepit, habuit. Dedit Christus (*Math. xvi, 19*), accepit Petrus, nec inflatus de scientia, nec præcipitandus de potentia. Quare? Quia in neutra extollit se adversus scientiam Dei, qui nihil horum præter Dei scientiam affectavit, sicut ille qui dolose egit in conspectu ejus, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium (*Psal. xxxv, 3*). Quomodo denique præter scientiam Dei, qui se scribit apostolum Jesu Christi secundum præscientiam Dei Patris? (*I Petr. i, 1, 2.*) Et hæc dicta sint pro eo quod incidit de zelo Dei, quem intendit in prævaricantes angelum hominemque (nam in ambobus reperit pravitatem); qualiter videlicet in ira et in furore suo destruxerit omnem altitudinem, extollentem se adversus scientiam Dei.

6. Nunc jam recurrendum ad zelum misericordiæ, id est qui non intenditur, sed qui immittitur:

(241) Eadem est doctrina Augustini in lib. de peccatorum Meritis, cap. 16, ubi et parvulos, sine Baptismo de corpore exeuntes, in damnatione omnium mitissima futuros scribit. Idem in lib. v

contra Julianum, cap. 12. Item Fulgentius in lib. de Veritate prædestinationis, cap. 14; et de Incarnatione, cap. 30. His adde Faricii abbatis Habendonensis epistolam, Spicilegii tome III, pag. 157.

quoniam qui intenditur, ut jam diximus, iudicii est, et satis nos terruit ex memoratis exemplis tam raverit punitorum. Propterea ibo ego mihi ad locum refugii a facie furoris Domini, ad illum utique pietatis zelum suaviter ardentem, efficaciter expiantem. Nunquid non expiat charitas? Et potenter. Legi quod operiat multitudinem peccatorum (1 Petr. iv, 8). Sed dico: Nunquid non idonea est seu sufficiens ad deiciendam, humiliandamque omnem extollentiam oculorum et cordis? Et maxime: nam non extollitur, non inflatur. Si ergo Dominus Jesus dignetur venire ad me, vel potius in me, non in zelo furoris, et ne in ira quidem, sed in charitate et spiritu mansuetudinis, æmulans me Dei æmulatione: quid enim ita Dei, ut charitas? Nempe et Deus est: si, inquam, in ista venerit, in hoc cognoscam, quod non sit solus, sed venerit etiam Pater suus cum eo. Nam quid æque paternum? Propter hoc nempe, non Pater Verbi tantum, sed et Pater misericordiarum est appellatus (II Cor. i, 3), quod innatum habeat misereri semper et parcere. Si sensero aperiri mihi sensum, ut intelligam Scripturas, aut sermonem sapientiæ quasi ebullire ex intimis, aut infuso lumine desuper revelari mysteria, aut certe expandi mihi quasi quoddam largissimum cæli gremium; et ulteriores desursum influere animo meditationum imbres; non ambigo sponsum adesse. Verbi siquidem hæc copię sunt, et de plenitudine ejus ista accipimus. Quod si se pariter infuderit humilis quædam, sed pinguis intimæ aspersionis devotio, ut amor agnitæ veritatis necessarium quoddam odium vanitatis in me generet et contemptum, ne forte aut scientia inflat, aut frequentia visitationum extollat me: tunc prorsus paterne sentio agi mecum, et Patrem adesse non dubito. Si autem persevera-vero huic dignationi dignis semper, quod in me est, affectibus et actibus respondere, et grætia Dei apud me vacua non fuerit: etiam mansionem apud me faciet tam Pater enutriens, quam Verbum erudiens.

7. Quanta putas ex hac mansionem inter animam et Verbum familiaritatis gratia oriatur, quanta de familiaritate sequatur fiducia? Non est, ut opinor, quod jam talis anima dicere vereatur: *Dilectus meus mihi*; quæ ex eo quod se diligere, et vehementer diligere sentit, etiam diligere nihilominus vehementer non ambigit, ac de sua singulari intentione sollicitudine, cura, opera diligentia, studioque, quo incessanter et ardentem invigilat, quemadmodum placeat Deo æque hæc omnia in ipso indubitanter agnoscit, recordans promissionis ejus: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis* (Math. vii, 2); nisi quod redhibitionem gratiæ prudens sponsa ad suam magis cauta est trahere partem, sciens se potius præventam a dilecto. Inde est quod illius operam præfert: *Dilectus*, inquam, *meus mihi, et ego illi*. Ergo ex propriis quæ sunt penes Deum agnoscit; nec dubitat se amari quæ amat. Ita est. Amor Dei amorem animæ parit, et illius præcurrans intentio intentam animam facit, sollicitudoque sollicitam.

Nescio enim qua vicinitate naturæ, cum semel revelata facie gloriæ Dei speculari anima poterit, mox illi se conformari necesse est, atque in eandem imaginem transformari. Igitur qualem te paraveris Deo, talis oportet appareat tibi Deus. Cum sancto sanctus erit, et cum viro innocente innocens erit (Psal. xvii, 26). Quidni æque et cum amante amans, et cum vacante vacans, et cum intento intentus, et sollicitus cum sollicito?

8. Denique ait: *Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilaverint ad me, invenient me* (Prov. viii, 17). Vides quomodo non solum de amore suo certum te reddat, si quidem tu ames illum: sed etiam de sua sollicitudine, quam pro te gerit, si te senserit sollicitum sui. Vigilas tu? vigilat et ipse. Consurge in nocte in principio vigiliarum tuarum, accelera quantumvis etiam ipsas anticipare vigiliis; invenies eum, non prævenies. Temere in tali negotio vel prius aliquid tribuis tibi, vel plus; et magis amat, et ante. Si hæc anima scit, imo quia scit, miraris quod illam majestatem, quasi cætera non curantem, soli sibi intendere gloriatur, cui soli ipsa, postpositis curis omnibus, tota se devotione custodit? Sermo finem desiderat; sed unum dico spiritualibus qui in vobis sunt, mirum quidem, sed verum animam Deum videntem haud secus videre, quam si sola videatur a Deo. Ea ergo fiducia dicit illum intendere sibi, seque illi, nihil præter se et ipsum videns. Bonus es, Domine, animæ quærenti te occurris, amplecteris, sponsum te exhibes, qui Dominus es, imo qui es super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LXX.

Unde sponsus dilectus dicitur; et de veritate, mansuetudine et justitia, cæterisque virtutibus, quæ sunt lilia, inter quæ pascitur.

1. *Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia* (Cant. ii, 16). Quis huic jam imputet præsumptioni vel insolentiæ, si se dicat iniisse societatem cum illo, qui pascitur inter lilia? Etiam si inter sidera pasceret, eo solo quod pasceret, nescio quid magnum videri possit cum ejusmodi amicitias seu familiaritatem habere. Aliquid prorsus ignobile et humile sonat, pasci. Nunc vero cum et pasci inter lilia perhibetur, dejectionis adjectio longius amovet et propulsat temeritatis notam. Quid enim sunt lilia? Juxta verbum Domini, *fenum, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur* (Math. vi, 28-30). Quantus est iste qui feno pascitur, quasi unus agnorum aut vitulorum? Et agnus plane, et vitulus saginatus. Sed tu forte vigilantius advertisti, non pabulum hoc loco designari, sed locum: nec enim dictum est, liliis eum pasci; sed, *inter lilia*. Esto. Non fenum comedit ut bos; in feno tamen versari, et super fenum discumbere instar unius de turba, quid eminentiæ habere potest? Quid vero gloriæ huic, habere dilectum illum qui hoc egerit? Et secundum litteram quidem sponsæ verecundia et cautela prudentiæ ejus in loquendo satis apparet, utique

disponentis sermones suos in iudicio, et rerum gloriam verborum modestia temperantis.

2. Alias autem non ignorat unum esse, et qui pascitur, et qui pascit; inter lilia commemorantem, et regnantem super sidera. At libentius humilia dilecti memorat, propter humilitatem quidem, ut dixi; magis autem quod exinde cœpit esse dilectus, ex quo et pasci. Nec modo exinde, sed inde. Nam qui in altissimis est Dominus, in imis est dilectus; super sidera regnans, et inter lilia amans. Amabat et super sidera, quia nusquam et nunquam potuit non amare, quia amor est; sed donec ad lilia descendit, et pasci inter lilia compertus est, nec amatus est, nec factus dilectus. Quid? non est amatus a patriarchis et prophetis? Est: sed non priusquam visus est et ab ipsis inter lilia pasci. Neque enim non viderunt, quem præviderunt; nisi ita quis absque spiritu sit, ut videntem in spiritu, putet videre nihil. Unde ergo videntes, nam sic prophetæ appellati sunt (*I Reg. ix, 9*), si nihil viderunt? Inde est, quod voluerunt videre, quem non viderunt. Nec enim **1511** poterant velle videre in corpore, quem in spiritu non vidissent. Sed dico: Nunquid omnes prophetæ? Quasi omnes videre voluerint, aut fuerit omnium fides. Sed enim qui viderunt, aut prophetæ fuerunt, aut prophetis acquiescentes. Et credidisse enim, vidisse est. Non modo namque qui per prophetiæ spiritum, sed et qui per fidem videt, si quis ipsum quoque dicat videre in spiritu, mihi non videtur errare.

3. Ita ergo quod ad lilia descendere, et inter lilia pasci dignatus est is qui omnes pascit, dilectum fecit illum, quia non potuit ante diligi, quam agnosci. Ac per hoc cum de dilecto facta est mentio, pulchre et illud memoratum est, quod dilectionis et agnitionis existit causa. Quærenda in spiritu relectio hæc inter lilia: nam corpoream cogitare ridiculum est. Quin ipsa lilia spiritualia, si quidem potuerimus, demonstranda a nobis erunt. Puto, hoc quoque dicere nos oportebit, unde inter lilia pascatur dilectus, liliisne ipsis, an aliis inter lilia reconditis herbis vel floribus? Et in his illud mihi difficilius apparet, quod pasci, non pascere perhibetur. Nam quia pascat dubium non est, nec enim indignum ei: at pasci, indigentiam sonat, et ne spiritualiter quidem sine injuria majestatis facile illi posse assignari videtur. Nec ego sane recordor usque modo advertisse me in hoc cantico pastum usquam perhiberi, cum pascentem, puto, recorderemini et vos mecum. Denique postulavit sibi aliquando demonstrari, ubi in meridie pasceret et cubaret (*Cant. i, 6*). Et nunc quidem, quod necdum dixerat, perhibet pasci, sed non similiter postulat locum indicari sibi; sed ipsa indicat, assignans, inter lilia. Novit hoc, illud non novit; quia æque præsto esse non potest quod sublimet et in sublimi est, et quod humile et super terram. Sublime opus, sublimis et locus: nec accessus ad eum usque adhuc vel ipsi sponsæ.

4. Et ideo semetipsum exinanivit usque ad hoc, ut pasceretur ipse omnium pastor; et inventus est inter lilia, et visus ab Ecclesia, ad amatum est ab inope pauper, factus dilectus propter similitudinem. Non solum autem, sed et propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: quod per eum scilicet promissiones adimpletæ sunt, quod iniquitates remissæ sunt, quod superbi dæmones una cum principe suo judicati sunt. Talis ergo apparuit qui merito amaretur, verax pro se, mitis hominibus, justus pro hominibus. O vere amandum et totis medullis cordis amplectendum sponsum! Quid jam cunctetur. Ecclesia totam se tota devotione committere tam fido redditori, tam pio indulgiori, tam justo propugnatori? Porro præmiserat Propheta, dicens: *Specie tua et pulchritudine tua intende prospere*. Unde species hæc et pulchritudo? Puto, ex liliis. Quid lilio speciosius? Sic nihil formosius sponso. Quæ sunt ergo illa lilia, quibus species decoris ejus? *Procede*, inquit, *et regna propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam* (*Psal. xlv, 5*). Lilia sunt, lilia, inquam, orta de terra, nitentia super terram, eminentia in floribus terræ, fragrantia super odorem aromatum. Ergo inter hæc lilia sponsum, et omnino ex his speciosus et pulcher. Alias enim (quod quidem ad carnis infirma spectat) non erat ei species neque decor (*Isa. liii, 2*).

5. Bonum autem lilius veritas, candore conspicuum, odore præcipuum; denique candor est lucis æternæ, splendor et figura substantiæ Dei (*Sap. vii, 26*). Lilius plane, quod ad novam benedictionem terra nostra produxit, et paravit ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium populorum, lumen ad revelationem gentium (*Luc. ii, 31, 32*). Donec sub maledicto fuit terra, spinas et tribulos genuerunt. At nunc Veritas de terra orta est Domino benedicente (*Psal. lxxxiv, 12, 13, 2*), speciosus omnino quidam flos campi, et lilius convallium. Agnosce lilius ex candore, qui: mox in ipso exortu floris pastoribus de nocte emicuit, dicente Evangelio quia *angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos* (*Luc. ii, 9*). Bene Dei, quia non angeli, sed lilius candor. Ille aderat, sed illud micabat ab usque Bethleem. Agnosce lilius et ex odore, quo et longe positus innotuit magis. Et quidem stella apparuit; sed **1512** eam minime viri graves secuti fuissent, nisi intima quadam suaveolentia orti lilius traherentur. Et vere lilius veritas, cujus odor animat fidem, splendor intellectum illuminat. Leva etiam oculos nunc in ipsam personam Domini, qui in Evangelio loquitur: *Ego sum veritas* (*Joan. xiv, 6*). Et vide quam competenter veritas lilio comparetur. Si non advertisti, adverte de medio floris hujus quasi virgulas aureas prodeuntes, et cinctas candidissimo flore, pulchra ac decenter disposito in coronam: et agnosce auream in Christo divinitatem, humanæ coronatam puritate naturæ, id est Christum in diademate, quo coronavit eum mater sua. Nam in quo

coronavit eum Pater suus, lucem habitat inaccessibilem, nec posses in ea illum interim adhuc videre. Sed de hoc alias.

6. Nunc vero liliū veritas est; est et mansuetudo. Et bene liliū mansuetudo, habens innocentiae candorem, et odorem sp̄i, *quoniam sunt reliquiae*, inquit, *homini pacifico* (*Psal.* xxxvi, 37). Bonae sp̄i vir mansuetus, nec minus etiam in praesenti lucidum quoddam vitae est socialis exemplar. Annon liliū, quae lucet officio, redolet sp̄e? Adde quod sicut veritas de terra orta est, ita et mansuetudo. Nisi quis dubitet ortum de terra Agnum dominatorem terrae (*Isa.* xvi, 1), illum agnum, qui ad occisionem ductus est, et non aperuit os suum (*Isa.* liii, 7). Nec tantum mansuetudo seu veritas de terra orta est, sed et iustitia, propheta dicente: *Rorate, caeli, desuper, et nubes pluanti iustum; aperiantur terra, et germinet Salvatorem, et iustitia oriatur simul* (*Isa.* xlv, 8). Quod autem iustitia liliū sit, recordamini de Scriptura, quia iustus *germinabit sicut liliū, et florebit in aeternum ante Dominum* (*Osee* xiv, 6). Nequaquam liliū hoc hodie est, et cras in elibanum mittitur, quia in aeternum florebit. Et florebit ante Dominum, cuius in memoria aeterna erit iustus, et ab auditione mala non timebit (*Psal.* cxl, 7), illa scilicet auditione, qua in elibanum ignis peccatores ire iubentur. Porro huius liliī candor cui non splendet, nisi cui non placet? Denique sol est, sed non ille qui oritur super bonos et malos. Neque enim qui dicturi sunt: *Sol iustitiae non ortus est nobis* (*Sap.* v, 6), lucem illius quandoque viderunt. Viderunt autem quotquot audiverunt: *Vobis qui timetis Deum, oriatur sol iustitiae* (*Malach.* iv, 2). Ergo candor huius liliī apud justos; fragrantia etiam usque ad iniquos diffunditur, etsi non in bonum ipsis. Denique audivimus justos dicentes quia *Christi bonus odor sumus in omni loco; sed aliis quidem odor vitae in vitam, aliis odor mortis in mortem* (*II Cor.* ii, 15, 16). Quis, vel sceleratissimus, iusti non probet opinionem, quamvis non amet opus? Et beatus, si se non iudicat in eo quod probat. Iudicat autem, probans bonum, et non amans: ideoque non beatus plane, sed miser, proprio condemnatus iudicio. Quid eo miserius, cui odor vitae, non vitae, sed mortis nuntius est? Imo nec nuntius quidem, sed bajulus.

7. Sunt multa apud sponsum et alia lilia praeter haec, quae ex Propheta inciderunt nobis; veritatem loquor, et mansuetudinem, et iustitiam; nec erit difficile jam cuiuslibet vestrum similia reperire per semetipsum in horto tam delicosi sponsi. Abundat et superabundat talibus: quis illa enumeret? Nempe quot virtutes, tot lilia. Quis finis virtutum apud Dominum virtutum? Quod si plenitudo virtutum in Christo; et liliorum. Et fortassis propterea ipse se liliū appellavit, quod totus versetur in liliis, et omnia quae ipsius sunt, lilia sint; conceptio, ortus, conversatio, eloquia, miracula, sacramenta, passio, mors, resurrectio, ascensio. Quid horum non can-

didum, et non suavissime redolens? Tanta denique in conceptione refulsit superni luminis claritas de supervenientis abundantia Spiritus, ut ne ipsa quidem Virgo sancta sustinisset, si non sibi obumbratum foret a virtute Altissimi. Porro ortum candidavit incorrupta virginitas matris; conversationem, innocentia vitae; eloquia, veritas; miracula, puritas cordis; sacramenta, pietatis arcanum; passionem, patiendi voluntas; mortem, libertas non moriendi; resurrectionem, martyrum fortitudo; ascensionem, exhibitio promissionum. Quam bonus fidei odor in his singulis, **1513** nostra quidem, qui candorem non vidimus, tempora et viscera replens! Et beati qui non viderunt, et crediderunt (*Joan.* xx, 29). Pars mea in his odor vitae, qui procedit ex ipsis. Is infusus naribus meis apto quodam fidei instrumento, et quidem copiosius pro multitudine liliorum, sane et exilium levat, et patriae desiderium assidue innovat in visceribus meis.

8. Habent lilia et aliqui sodalium sponsi, sed non copiam. Omnes enim ad mensuram Spiritum acceperunt, ad mensuram virtutes et dona; solus ille non habet modum (*Joan.* iii, 34), qui habet totum. Aliud est lilia habere, aliud nonnisi lilia habere. Quem dabis mihi de illis captivitatibus adeo innocentem et sanctum, qui totam terram suam floribus occupare potuerit, et istiusmodi floribus? Nec infans certe unius diei sine aorde est super terram (*Job* xiv, 4, 5, juxta LXX). Magnus est qui tria vel quatuor lilia aedificare potuerit in terra sua, in tanta densitate spinarum et tribulorum, quae sunt germina inveterata maledictionis antiquae. Mecum vero, qui pauper sum, bene agitur, si unquam ab hac pessima segete, iniquitatum videlicet atque vitiolorum, tantillum terrae meae vindicare exstirpando et excolendo sufficiam, unde unum saltem producere liliū possim, si forte et penes me pasci interdum dignetur is, qui pascitur inter lilia.

9. At parum dixi, unum: de penuria cordis mei os meum locutum est. Unum prorsus non sufficit; duo ad minus necessaria sunt. Dico autem continentiam, et innocentiam: quarum una sine altera nec salvabit. Frustra denique ad unam quamlibet barum invitabo sponsum, qui non ad liliū, sed inter lilia pasci perhibetur. Dabo proinde operam habere lilia, ne de singularitate causetur liliū, qui non vult nisi inter lilia pasci, et sic declinet in ira a servo suo. Pono itaque primam omnium innocentiam: et si huic jungere continentiam quivero, divitem me puto in possessione illiorum. Rex sum autem, si tertiam his adjungere potero patientiam. Et quidem possunt sufficere illae; sed quia et deficere in tentationibus possunt, siquidem tentatio est vita hominis super terram (*Job* vii, 4): opus profecto patientia est, quae utriusque sit quasi tutrix [alias, nutrix] quaedam et custos. Puto, si venerit amator ille liliorum, et ita invenerit, quod non dedignabitur jam pasci apud nos, et apud nos facere pascha:

ubi illi et multa suavitas in duabus, et magna erit A securitas propter tertiam. Verum quo pacto dicatur pasci qui pascit omnia, postea videbitur. Nunc vero apparet sponsus non modo apparere inter lilia, sed minime omnino extra lilia posse aliquando inveniri, cum omne quod de eo est, et ipse sit lilium, sponsus Ecclesiae Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen.

SERMO LXXI.

De liliis spiritualibus, id est operibus bonis, quorum odor recta conscientia, color fama: et quomodo sponsus et pascit nos, et pascitur a nobis. Item de unitate Dei Patris cum Filio, et animae sanctae cum Deo.

1. Finis praecedentis sermonis, principium hujus. Est ergo lilium sponsus, sed non lilium inter spinas, quoniam non habet spinas qui peccatum non fecit. Denique sponsam protestatus est *lilium inter spinas*; quoniam si dixerit vel ipsa, quia spinas non habeat, se ipsam seducit, et veritas in ea non est. Se vero florem quidem et lilium professus est, non tamen inter spinas. Magis autem: *Ego, inquit, flos campi et lilium convallium (Cant. II, 2, 4)*. Et non est spinarum mentio, quod solus sit hominum qui opus non habeat dicere: *Conversus sum in arumna mea, dum configitur spina (Psal. xxxi, 4)*. Ergo absque liliis nunquam est, qui absque vitiiis semper est; quia totus et semper est candidus, speciosus forma praefiliis hominum (*Psal. xlv, 3*). Tu ergo qui haec audis vel legis, cura habere lilia penes te, si vis habere hunc habitorem liliorum habitantem in te. Opus tuum, studium tuum, desiderium tuum: lilia esse protestetur **1514** moralis quidam rerum ipsarum candor, atque odor. Habent et mores colores suos, habent et odores. Neque enim in spiritibus id ipsum est color et odor, non magis quam in corporibus. Ergo de colore conscientia consultetur, de odore fama. *Fetere fecistis odorem nostrum coram Pharaone et servis ejus, aiunt illi (Exod. v, 21)*, dicentes de opinione. Porro colorem operi tuo dat cordis intentio, et iudicium conscientiae. Nigra sunt vitia, virtus candida est. Inter hanc atque illa, conscientia consulta discernit. Stat sententia Domini de oculo nequam et lucido (*Matth. vi, 22, 23*), quia inter candidum et nigrum certos D fixit limites, et divisit lucem a tenebris. Quod ergo de corde puro et conscientia bona egreditur candidum est, et est virtus; si autem et bona fama secuta fuerit, et lilium est, quippe cui nec candor illi desit, nec odor.

2. Porro virtus, etsi non propterea major, pulchrior tamen illustriorque efficitur. Quod si in conscientia naevus fuerit, nec quod ex ea prodierit, carebit naevo. Nam si radix in vitio, et ramus. Ac per hoc quidquid illud sit quod radix vitiata non absque traduce vitii ex se producat, verbi gratia, sermo, actio, oratio, etiamsi fama applaudere videatur, non est quod debeat lilium dici; quia etsi odor convivere videtur, sed non color. Quo pacto

A enim lilium cum impunitatis naevo? Nec sane fama valebit vindicare virtuti, quod esse vitium convicerit conscientia. Erit quidem virtus contenta candore conscientiae, ubi sequi non poterit odor famae: ceterum odor famae nec excusare sufficit vitium conscientiae decoloris. Providebit tamen semper, quod in se est, homo virtutis bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus (*Rom. xii, 17*), ut vere sit lilium.

3. Sed est etiam candor animae indulgentia Dei, ipso dicente per prophetam: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabitur, et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt (Isa. I, 18)*. Et est candor, quem sibi induit is qui miseretur in hilaritate. Etenim si intuearis illum, quem Propheta depingit jucundum hominem, qui miseretur et commodat (*Psal. cxii, 5*), nonne is tibi videbitur de ipsa animi jucunditate in lidisse candorem quemdam pietatis vultui pariter, et operi suo? Sicut e regione si ex tristitia et velut ex necessitate quis tribuat, non candidum plane, sed letrum praefert manu et fronte colorem. Et ideo hilarem datorem diligit Deus (*II Cor. ix, 7*). Nunquid et tristem? Profecto qui respexit ad Abel ob alacritatis candorem, avertit faciem a Cain, quia conciderat vultus [*a'ias, facies*] ejus (*Gen. iv, 4, 5*), utique a tristitia et livore. Adverte qualis color tristitiae seu invidiae sit, qui Dei a se avertit aspectum. Pulchre et eleganter in colorando beneficio candor jucunditatis laudatus est voce illa poetae: « Super omnia vultus accessere boni (*Ovid. Meta. lib. viii*). » Nec modo hilaris dator, sed et qui tribuit in simplicitate (*Rom. xii, 8*), diligitur a Deo. Et simplicitas candor est. Probanus a contrario: nam naevus duplicitas. Parum dixi, macula est. Quid duplicitas nisi dolus. Sed enim qui dolose egit in conspectu Dei, inventa est iniquitas ejus ad odium. (*Psal. xxxv, 3*). Et ideo beatus cui non imputabit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus (*Psal. xxxi, 2*). Pulchre Dominus paucis utramque notavit maculam, dolum, tristitiamque: *Nolite, inquiens, feri, sicut hypocritae, vistes (Matth. vi, 16)*. Sponsus itaque et cum sit virtus, in virtutibus complacet sibi; et cum sit lilium, libenter inter lilia commemoratur; et cum sit candor, delectatur candidis.

4. Et fortassis hoc est quod dicitur pasci inter lilia, candore et odore virtutum delectari. Et quidem pascetur olim corporaliter apud Mariam et Martham, recumbens etiam corpore inter lilia (illas loquor, nam lilia erant), nihilominus spiritum refocebat devotione et virtutibus nutritum. Quod si illa hora intrasset propheta, aut angelus, seu alius quivis spiritualis, tantum non ignorans quae majestas recumberet; nonne stupens dignationem et familiaritatem, quam illi esse conspiceret cum puris animis pudicisque corporibus, tamen terrenis et sexus infirmioris; **1515** merito testaretur: Quia vidi illum non modo commemorantem, sed et nascentem inter lilia? Ita ergo secundum utrumque, caruem

dico et spiritum, pasci inter lilia sponsus inventus est. Puto autem quod et ipse vicissim pasceret, sed in spiritu. Hoc ipso quod pascebatur, quomodo pascebat? Quomodo, inquam, confortabat timiditatem feminarum, jucundabat humilitatem, impinguebat devotionem? Sed si vidisti, quod pasci illi sit pasceere; vide etiam nunc, ne forte et e converso pasceere sit ei pasci. *Domine, qui pascis me a juvenile meae*; ait sanctus patriarcha Jacob (*Gen. XLVIII, 15*). Bonus paterfamilias, qui suorum domesticorum curam gerit, maxime in diebus malis, ut alat eos in fame, cibans illos pane vitæ et intellectus, et sic nutriens ad vitam æternam. At pasceus, ita puto, nihilominus pasceatur ipse, et quidem escis quibus libenter vescitur, profectibus nostris. Etenim gaudium Domini, fortitudo nostra.

5. Ita ergo et cum pasceat pasceatur, et cum pasceatur pasceat, simul nos suo gaudio spiritali reficiens, et de nostro æque spiritali profecta gaudens. Cibus ejus penitentia mea, cibus ejus salus mea, cibus ejus ego ipse. Annon cinerem tanquam panem manducat? Ego autem quia peccator sum, cinis sum; ut manducet ab eo. Mandor cum arguor, glutior cum institutor, decoquor cum immutor, digeror cum transformor; unior cum conformor. Nolite mirari hoc: manducat nos, et manducatur a nobis, quo arctius illi astringamur. Non sane alias perfecte unimur illi. Nam si manduco et non manducor, videbitur in me esse ille, sed nondum in illo ego. Quod si manducor quidem, nec manduco; me in se habere ille, sed non etiam in me esse videbitur; nec erit perfecta unio in uno quovis horum. Sed enim manducet me, ut habeat me in se; et a me vicissim manducetur ut sit in me: quatenus integra firmaque sit connexio (242), cum ego in eo et nihilominus in me ipse erit.

6. Vis tibi per simile ostendam quod dicitur? Attolle oculos nunc in quamdam sublimiorem quidem convenientiam, similem tamen huic. Si ipse sponsus in Patre ita esset, ut non tamen in ipso Pater; aut ita Pater in ipso esset, ut non esset ipse in Patre: audeo dicere, et ipsorum citra perfectum unitas remoneret, si tamen jam unitas esset. Nunc vero cum et ipse in Patre, et Pater in ipso sit; non est quo claudicet unitas, sed vere perfecteque unum sunt ipse et Pater. Sic igitur anima, cui adhærere Deo bonum est (*Psal. LXXII, 28*), non ante se existimet ipsi perfecte unitam, nisi cum et illum in se, et se in illo manentem persenserit. Non quia vel tunc unum dicatur cum Deo, sicut unum sunt Pater et Filius: quamvis *qui adhæreret Deo, unus spiritus est* (*I Cor. VI, 17*). Legi hoc, sed illud non legi. Non dico de me, qui nihil sum, sed plane nemo, nisi demens, sive de terra, sive de cælo usurpabit sibi illam Unigeniti vocem: *Ego et Pater unum sumus* (*Joan. X, 30*). Et tamen ego, licet pulvis et cinis, fretus

(242) Ita primi editi cum pluribus manuscriptis. Quidam habent, *Erit perinde firma connexio et complexio integra*.

quidem Scripturæ auctoritate, minime istud dicere verear, quia unus cum Deo spiritus sum: si unquam tamen certis fuero persuasus experimentis, Deo me adhærere ad instar unius illorum, qui in charitate manent, ac per hoc in Deo manent, et Deus in eis, manducantes (243) Deum, et manducati a Deo. Nam de tali adhæione puto dictum: *Qui adhæreret Deo, unus spiritus est*. Quid ergo? Dicit Filius: *Ego in Patre, et Pater in me est* (*Joan. XIV, 11*), et *unus sumus* (*Joan. X, 30*); dicit homo: *Ego in Deo, et Deus in me est, et unus spiritus sumus*.

7. Sed nunquid Pater et Filius ut sint in invicem, ac proinde unum, invicem se manducant, sicut Deus et homo mutua se quadam in sese manducatione trajiciunt, **1516** utique per hoc, etsi non unum, unus certe spiritus existentes? [*alias, sint.*] Absit! nec enim uno modo insunt sibi hi atque illi, sed neque una unitas utrorumque. [Denique innuitur tibi unitatum diversitas per *unus et unum*; quoniam nec Patri et Filio *unus*, nec homini et Deo *unum* poterit convenire. Tu, si sapis, occasione accepta eris sapientior, prudenter advertens, illic quidem per *unum* unitatem substantiæ vel naturæ; hic vero per *unus* æque unitatem, sed ideo longe alteram, quia inter substantias et naturas, homini nempe et Deo, sua cuique et natura, et substantia est, cum Patris Filique constet penitus esse unam. Vides illam nec unitatem esse, siquidem huic singulari summæque unitati comparetur. Nam quomodo unitas, ubi numerus naturarum, substantiarum diversitas? Et tamen unus spiritus dicitur, et est cum Deo, anima adhærens Deo; nec præjudicat rerum pluralitas unitati huic, quam facit non confusio naturarum, sed voluntatum consensio. Propter hanc quoque multa corda unum, et multæ animæ una dicuntur, sicut scriptum est: *Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una* (*Act. IV, 32*). Et hæc ergo unitas.

8. Cæterum quid ad illam, quæ non unitate constat, sed exstat æternitate? Non plane illam quædam, instar hujus, mutua manducatio facit, quia nec fit. Est enim. Sed nec conjunctio, vel quasi compositio, vel tale aliquid, quod unius non est. Est autem Patri Filioque natura, essentia, voluntas non modo una, sed unum. Hoc nempe est illis esse, quod naturam esse; hoc velle, quod esse, vel naturam esse. Non est itaque quod unitas, qua unum sunt Pater et Filius, dicatur fieri de naturis vel essentiis, vel voluntatibus, quia non sunt: non est quod dicatur vel fieri, quia est. Nec enim factitia est, sed nativa (244)]. Sunt in sese Pater et Filius, non solum ineffabili, sed etiam incomprehensibili modo sui ipsorum capabiles pariter et capaces: sed sane ita capabiles, ut non partibiles; ita capaces ut non participes [*alias, participibiles*]. Nam ut in hymno Ecclesia canit: « In Patre totus Filius, et

(243) Unus codex addit *quodam modo*; sed deest aliis, et quidem primis editis.

(244) Annullis inclusa desunt in codicibus Cister-

totus in Verbo Pater (*Hymn. pro feria secunda 2 ad A Matut.*). Est Pater in Filio, in quo sibi semper bene complacuit; et est Filius in Patre, a quo ut nunquam non natus, ita nunquam est separatus. Porro per charitatem homo in Deo, et Deus in homine est, dicente Joanne, *quia qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo* (1 Joan. iv, 16). Consensio quædam hæc, ut sint duo in uno spiritu, in eo unus, spiritus sint. Vidēsne diversitatem? Non est idem profecto consubstantiale, et consentibile. Quamquam, si advertisti, satis tibi per *unus* et *unum*, ipsarum quoque innuitur differentia unitatum; quoniam quidem nec Patri et Filio *unus*, nec homini et Deo *unum* poterit convenire. Non possunt dici *unus* Pater et Filius, quia ille Pater, et ille Filius est: *unum* tamen dicuntur et sunt, quod una omnino illis, et non cuique sua substantia est. Quo contra homo et Deus, quia unius non sunt substantiæ vel naturæ; unum quidem dici non possunt, unus tamen spiritus certa et absoluta veritate dicuntur, si sibi glutino amoris inhæreant. Quam quidem unitatem non tam essentialium coherencia facit, quam connixentia voluntatum.

9. Patet, ni fallor, satis non modo diversitas, sed et disparitas unitatum, una in una, altera in diversis existente essentiis. Quid tam distans a se, quam unitas plurium et unius? Ita inter unitates, et dixi, disternat unus et unum, quod per *unum* quidem in Patre et Filio essentiæ unitas, per *unus* vero inter Deum et hominem non hæc, sed consentanea quadam affectionum pietas designatur. Cum adiectione tamen etiam Pater et Filius sanissime dicuntur **1517** unus; verbi causa, unus Deus, unus Dominus, et quidquid aliud est, quod ad se quisque, et non ad alterum [*alias*, alterutrum] dicitur. Siquidem non est illis diversa divinitas sive majestas, non magis quam substantia, vel essentia, vel natura. Nempe hæc ipsa omnia, si pie consideres, non diversa seu divisa in illis, sed unum sunt. Minus dixi: unum sunt et cum illis. Quid illa unitas, qua multa corda unum, et multæ animæ una leguntur? Nec censenda, ut reor, nominæ unitatis, comparata huic, quæ non multa unit, sed unum singulariter signat. Ergo singularis ac summa illa est unitas, quæ non unitione constat, sed **D** existat æternitate. Nec sane hanc spiritualis illa præfata manducatio facit, quia nec fit. Est enim. Multo minus eam facere putanda est essentialium qualiscunque conjunctio, seu consensio voluntatum, quia non sunt. Una enim illis, ut dictum est, et essentia, et voluntas; uni vero non est consensus, non compositio, non copulatio, aut tale aliquid. Duas esse oportet ad minus voluntates, ut sit consensus; duas æque essentias, ut sit conjunctio sive

ciensi, S. Germani, et Gemeticensi: sed habentur in aliis, et in primis editis. At secunda parenthesis seu additio prolixior, quæ est a dimidio num. 8 ad dimidium num. 10, in illis prioribus codicibus non existat: sic vero in posterioribus. Et quidem alteru-

unitio per consensum. Horum nihil in Patre et Filio, quippe nec essentias duas, nec duas habentibus voluntates. Una est utraque res illis; vel potius, ut præfatum me memini, unum duo ista in illis, unum et cum illis sunt; ac per hoc ipsi sicut incomprehensibiliter, ita incommutabiliter [*alias*, incomparabiliter] invicem in se manentes, vere et singulariter unum sunt. Si quis tamen inter Patrem et Filium dicat esse consensum, non contendo, dummodo non voluntatum unionem, sed unitatem intelligat voluntatis.

10. Atqui Deum et hominem, quia propriis exstant ac distant et voluntatibus et substantiis, longe aliter in se alterutrum manere sentimus, id est, non substantiis confusos, sed voluntatibus **B** consentaneos. Et hæc unio ipsis communio voluntatum, et consensus in charitate. Felix unio, si experiaris; nulla, si comparaveris. Vox experti: *Mihi autem adherere Deo bonum est* (Psal. lxxii, 28). Bonum plane, si omni ex parte adhæseris. Quis est qui perfecte adhæret Deo, nisi qui in Deo manens, tanquam dilectus a Deo, Deum nihilominus in se traxit vicissim diligendo? Ergo cum undique inhærent sibi homo et Deus (inhærent autem undique intima mutuaque dilectione inviscerati alterutrum sibi), per hoc Deum in homine, et hominem in Deo esse haud dubie dixerim. Sed homo quidem ab æterno in Deo, tanquam ab æterno dilectus, si tamen ex illis sit qui dicunt quoniam *dilexit et gratificavit nos in dilecto Filio suo ante mundi constitutionem* (Ephes. 1, 6, 4); Deus vero in homine, ex quo dilectus ab homine est. Et si ita est, homo quidem in Deo est et quando in homine Deus non est; Deus autem in homine non est qui non sit in Deo. Manere enim in dilectione non potest, etsi forsitan ad tempus diligit non dilectus; potest autem nondum diligere etiam dilectus. Alioquin quomodo stabit, quoniam ipse prior dilexit nos? (1 Joan. iv, 10.) Porro cum jam etiam diligit qui ante diligebatur, et homo in Deo, et Deus in homine est. Qui autem nunquam diligit, constat quod nunquam dilectus est; ac per hoc nec ipse in Deo, nec Deus in eo est. Hæc dicta sint ad dandam differentiam inter illam connexionem, qua Pater et Filius unum sunt, et illam qua adhærens Deo anima, unus spiritus est, ne forte quia legitur de homine manente in charitate, quia in Deo manet, et Deus in eo; et item de Filio, quod nihilominus in Patre sit, et Pater in ipso; par prærogativa adoptati putaretur, et Unici.

11. His ergo absolutis, recurrendum nobis ad illum qui pascitur inter lilia, quia inde excursus hic factus est usque huc: utrumnam non otiose, vos judicabit. Et jam quidem, loci ipsius duos intelle-

tra superflua est. Hæc diversitas ex eo contigit, quod Bernardus hunc locum retractavit, ita ut prima parenthesis prioris editionis, altera posterioris esse videatur. Prior tantum in primis editis reperitur, non posterior. Lectori judicium relinquimus.

etus posueram, sive quod virtutibus pascitur candidatorum, qui virtus et candor est; sive quod peccatores recipit ad pœnitentiam in corpore suo, quod est Ecclesia, pro quibus sibi incorporandis se ipsum fecit peccatum, qui peccatum non fecit, ut destrueretur corpus peccati, cui aliquando complantati fuere peccantes, essentque **1518** iustitia in ipso justificati gratis.

12. Tertiam adhuc pono sententiam quæ occurrit [*in aliis*, Tertium addo qui occurrit]; et satis fore reor non modo pro loci explanatione, sed et pro fine sermonis. Sermo Dei veritas est, et ipse sponsus. Nostis hoc; audite cætera. Is cum auditur, et minime obeditur illi, vacuus interim et jejunos quodam modo remanet, omnino tristis et querulus, quod prolatus in vacuum sit. Si autem obeditum fuerit, nonne tibi verbum videbitur in quamdam excrevisse corpulentiam, quia verbo opus accessit, utpote refectum quibusdam fructibus obedientiæ, iustitiæ frugibus? Inde est quod in Apocalypsi loquitur: *Ecce sto ad ostium, et pulso: si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, introibo ad illum, et cenabo cum eo, et ipse mecum (Apoc. III, 20)*. Videtur approbati hic sensus et apud prophetam sententia Domini, ubi dicit quod verbum suum non revertetur ad se vacuum, sed prosperabitur, et faciet ad quæ misit illud (*Isa. LV, 12*). *Non revertetur, inquit, ad me vacuum vel jejunos, sed quasi prospere in omnibus agens, saturabitur bonis actibus eorum, qui in dilectione acquiescent illi. Denique usu loquendi sermo impletus tunc dicitur, cum fuerit manipatus effectus: quod videlicet tandiu inanis et macer, ac quodam modo famelicus sit, donec opere compleatur.*

13. Sed audi ipsum quo se dicat cibo ali. *Meus, inquit, cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei (Joan. IV, 34)*. Verbum Verbi est aperte indicantis, esse suum cibum factum, bonum; si tamen invenerit illud inter lilia, hoc est, inter virtutes. Alioquin si extra repererit, etsi bonus, quod in se est, videtur cibus, non tanget illum is, qui pascitur inter lilia. Verbi causa, non recipit eleemosynam de manu raptoris seu feneratoris; sed nec de hypocritæ quidem, qui cum facit eleemosynam, facit tuba cani ante se, ut glorificetur ab hominibus. Sed nec illius orationem aliquo modo exaudiet, qui amat orare in angulis platearum, ut ab hominibus videatur (*Matth. VI, 2, 5*). Nempe oratio peccatoris execrabilis erit (*Prov. XXVIII, 9*). Frustra quoque offerat munus suum ad altare, qui conscius est sibi quod frater suus habet aliquid adversum se (*Matth. V, 23, 24*). Denique non respexit ad Cain munera (*Gen. IV, 5*), eo quod non recte ambularet cum fratre suo. Teste sancto propheta, etiam abominabatur sabbata, et neomenias, et sacrificia Judæorum, ita ut manifeste protestaretur odisse ea animam suam, et dicebat: *Cum veniretis ante conspectum meum, quis quæsiit ea de manibus vestris?* Credo, non redolebant lilia manus illæ et propterea

A respuebat munus ex illis qui pasci inter lilia consuevit, et non inter spinas. Quidni spinosas habebant manus, quibus aiebat: *Manus vestra sanguine plenæ sunt (Isa. I, 13-15)*. Et manus Esau pilosæ erant, spinosis similes; ideoque non sunt admissæ, ut ministrarent Saucto.

14. Vereor ne et inter nos aliqui sint, quorum non acceptet munera sponsus, eo quod non redoleant lilia. Etenim si in die jejunii mei inventatur voluntas mea, non tale jejunium elegit sponsus, nec sapit illi jejunium meum, quod non liliis obedientiæ, sed vitium propriæ voluntatis sapit. Ego autem non solum de jejunio, sed de silentio, de vigiliis, de oratione, de lectione, de opere manuum, postremo de omni observantia monachi, ubi invenitur voluntas sua in ea, et non obedientia magistri sui, id ipsum sentio. Minime prorsus observantias illas, etsi bonas in se, tamen inter lilia, id est inter virtutes, censuerim deputandas; sed audiet a propheta, qui ejusmodi est: Nunquid tale est obsequium quod elegi, dicit Dominus? et addet: In die bonorum tuorum inveniuntur voluntates tuæ (*Isa. LVIII, 3-5*). Grande malum propria voluntas, qua fit ut bona tua tibi bona non sint. Oportet proinde lilia fiant, quæ hujusmodi sunt, quia nihil omnino, quod propria inquinatum sit voluntate, gustabit is qui pascitur inter lilia. Sapientia est ubique attingens propter munditiam suam, et nil inquinatum in eam incurrit (*Sap. VII, 24, 25*). Ita ergo inter lilia pasci amat sponsus, id est apud munda et nitida corda. Sed quousque? *Donec aspiret dies, et inclinentur umbræ. 1519* Umbrosus locus est hic et condensus: non intramus silvam hanc profundis sacramenti, nisi clara luce dici. Jam enim disputante me longius, inclinata est dies, dum inviti abstrahimur ab his liliis. Nec sum victus prolixitate [*alias, veritus prolixitatem*], cui fastidium omne detraheret odor florum. Modicum quid restare videtur de præsentis capitulo. At istud modicum reconditum nimis, sicut et cætera universa carminis hujus. Sed qui revelat mysteria aderit, ut confido, cum pulsare cœperimus: et non claudet ora loquentium se, cui familiare magis est reserare clausa, sponsus Ecclesiæ Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LXXII.

Dies aspirans, et umbræ inclinatæ quæ sint. Deinde varii hominum dies exponuntur. Et quod justos, utpote in luce viventes, maneat clarior dies; impios vero in operibus tenebrarum versantes, æterna nox.

1. *Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia: donec aspiret dies, et inclinentur umbræ (Cant. II, 16, 17)*. Novissima tantum capituli hujus tractanda pars est, et dubito in ipso ingressu, cuiusnam potissimum eam jungam duarum præcedentium: nam possum indifferentem utrique. Sive enim dicas: *Dilectus meus mihi, et ego illi donec aspiret dies, et inclinentur umbræ*, interposito tantum, qui pascitur inter lilia; sive pro litteræ seric, qui pascitur inter

lilia, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ: non inconvenerit utrovis assignas. Hoc sane refert, quod *donec* si primo junxeris, inclusivum oportet intelligas; si medio, exclusivum sentias necesse est. Esto nempe quod designat sponso pasci jam inter lilia, ubi aspiraverit dies: nunquid similiter cessabit etiam sponsæ intendere, aut ipsa illi? Absit! In æternum perseverabunt sibi, nisi quod tunc felicius, cum vehementius; tunc vehementius, cum expeditius. Sit ergo tale hoc *donec*, quale est illud apud Mathæum, ubi narratur non cognovisse Mariam Jbseph, *donec peperit Filium suum primogenitum* (Matth. 1, 25): non enim post cognovit. Vel certe quale est illud in psalmo: *Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri* (Psal. cxxii, 2): non enim averterent, cum cœperit misereri. Vel quale item illud Domini ad apóstolos: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (Matth. xxviii, 20): non enim post non erit cum illis. Verum hoc ita, si *donec* referas ad *dilectus meus mihi, et ego illi*. Sin autem ad *qui pascitur inter lilia* respicere malis, erit alio sensu accipiendum. Porro operosius ostendetur quomodo tunc dilectus pasci desinat, cum aspiraverit dies. Etenim si dies resurrectionis is est, quidni multo magis pasci ibi inter lilia juvet, ubi horum major admodum copiâ erit? Et pro aptanda quidem litteræ consequentia hæc dicta sint.

2. Nunc jam adverte mecum, toto licet liliis fulgentibus regno, sponsoque medio existente et delirante, non tamen esse quod dicatur et pasci, juxta illud quidem quod ante consueverat. Ubi namque jam peccatores, quos sibi incorporet Christus, mansos morsosque quasi quibusdam dentibus disciplinæ austerioris, afflictione scilicet carnis, et cordis contritione? Sed neque cibum sibi jam exigit Verbum sponso ex aliquibus factis seu operibus obedientiæ, ubi omne negotium otium, soloque in intuitu et affectu res erit. Et quidem cibus ejus ut faciat voluntatem Patris sui; sed hic, non ibi. Quid enim faciat factam? Et perfectam tunc esse constat. Denique probare jam tunc est omnibus sanctis, quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta. Et certe post perfectum, faciendum superest nihil. Frui de cætero restat, non fieri; experiri, non operari; ea vivere, non exerceri in ea. Nonne ipsa est, quam instantissima prece docti quidem a Domino, sicut in cælo, ita et in terra perfecti postulamus (Matth. vi, 10), quo ejus jam delectet fructus, aclus non fatiget? Non erit itaque sponso Verbo operis cibus, quia cesset necesse est omne opus, ubi plenius

1520 ab universis percipitur sapientia. Nam qui minorantur actu, percipiunt eam (Eccli. xxxviii, 25).

3. Sed videamus nunc, si quod dicimus stare possit, et secundum illam sententiam, qua pasci inter lilia, candidatu virtutum oblectari, quidam interpretantur; nam et nos ipsam inter cæteras non præterivimus. Dicemusne, aut non fore, aut sponso minime sapere tunc virtutes? Et quidem sentire

PATROL. CLXXXIII.

A alterutrum, dementia est. Sed vide ne forte alias illis delectetur; nam constat delectari, sed forsitan potu magis quam pastu. Sane in tempore et corpore isto, nulla nostra virtus ita ad purum defæcata erit, nulla ita suavis et mera, ut sponso habilis sit ad potandum. Sed qui vult omnes homines salvos fieri, dissimulat multa, et quam non potest potandi interim facilitate glutire, curat ex ea vel quidpiam elicere sapidum, quasi arte quadam et quodam labore mandendi. Erit cum erit virtus colabilis, nec premetur dente, nec fatigabitur a mandente, vel potius non fatigabit mandentem, quæ bibentem absque opera delectabit, tanquam utique potus, non esca. Denique habes spondentem in Evangelio, quia non bibam de hoc genimine vitis, inquit, *donec bibam illud novum vobiscum in regno Patris mei* (Matth. xxvi, 29). Et de cibo nulla mentio est. Sed apud Prophetam quoque legitur: *Tanquam potens crapulatus a vino* (Psal. lxxvii, 65); de cibo autem nihil ibi penitus invenitur. Sponsa ergo consciâ mysterii hujus, cum dilectum pasci inter lilia comperisset ac perhibuisset, constituit terminum quoad id dignaretur, imo constitutum agnovit et perhibuit, dicens: *Donec aspiret dies, et inclinentur umbræ*: Sciebat enim virtutibus eum postea potandum potius quam pascendum. Convivere [*altas*, convenire] videtur et consuetudo, qua post cibum potus sumi de more solet. Ergo qui hic manducat, illic bibit; eo tunc suavius quo securius, glutiturus et ea ipsa, quæ scrupulosius modo, et quodam modo laboriosius quasi mandendo liquat.

4. Nunc jam intendamus considerare de die illo et illius umbris, qui ille, quæ istæ: ille qua ratione aspirans, hæc in qua potestate habeant inclinari. Signanter omnino dictum est, *donec aspiret dies*, imo singulariter. Solo quippe hoc loco, nisi fallor, diem aspirantem comperies. Auræ nempe, non tempora spirare dicuntur. Spirat homo; spirant animalia cætera, quibus inlesinenter reciprocat aer vitam continuat. Et quid hoc, nisi ventus? Spirat et Spiritus sanctus, et inde spiritus. Quo pacto ergo dies spirans, qui nec ventus, nec spiritus, nec animal est? Quanquam nec spirans quidem, sed, quod signantius sonat, aspirans dictus sit. Nec minus præter solitum dictum, *et inclinentur umbræ*. Denique ad exortum hujus corporei visibilisque luminis umbræ non inclinantur, sed annullantur. Extra proinde corpora quærendæ hæc res. Et si quidem spirituales invenimus diem et umbras, tunc forsitan et inclinatio harum, et illius aspiratio facilius elucebit. Qui illum diem, de quo Propheta dicit: *Melior est dies una in atris tuis super millia* (Psal. lxxxiii, 11), corporeum opinatur, nescio quid jam non corporeum opinetur. Est et in mala significatione dies, cui maledixere prophætæ (Job iii, 3; Jerem. xx, 14). Absit autem, ut ex visibilibus his, quos fecit Dominus! Itaque spiritualis est.

5. Jam umbram quis ambigat spiritualem, qua Mariæ obumbratum est concipienti (Luc. 1, 35); et

item eam, quæ in propheta sic memoratur : *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus, sub umbra ejus vivemus inter gentes* (*Thren. iv, 20*)? Ego tamen umbrarum nomine hoc loco magis arbitror designatas contrarias potestates, quæ non modo umbræ, vel tenebræ, sed et *principes tenebrarum harum* ab Apostolo perhibentur (*Ephes. vi, 12*), simulque inhærentes illis ex genere nostro, filios utique noctis, et non lucis, neque diei. Hæ siquidem umbræ, non plane cum aspiraverit dies, in nihilum revertentur, sicut a facie hujus corporeæ lucis umbras corporeas non disparere tantum, sed et penitus deperire videmus. Itaque erunt minime quidem extremius nihilo, miserius tamen. **1521** Erunt, sed inclinatæ et subditæ. Denique : *Inclinabit se*, inquit, *et cadet* (haud dubium quin princeps umbrarum), *cum dominatus fuerit pauperum* (*Psal. ix, 10*). Ergo non natura delebitur, sed potentia subtrahetur; non peribit substantia, sed transibit hora et potestas tenebrarum. Tolluntur, ne videant gloriam Dei; non annullantur, ut semper urantur. Quidni inclinabuntur umbræ, cum deponentur potentes de sede, ponenturque scabellum pedum? (*Rom. xiii, 12*). Quod utique oportet fieri cito. Novissima hora est; nox præcessit, dies autem appropinquavit. Aspirabit dies, et exspirabit nox. Nox diabolus est, nox angelus Satanæ, etsi se transfiguret in angelum lucis. Nox etiam Antichristus, quem Dominus interficiet spiritu oris sui et destruet illustratione adventus sui (*II Thess. ii, 8*). Nunquid non Dominus dies est? Dies plane illustrans et spirans, qui spiritu oris sui fugat umbras, et destruit larvas illustratione adventus sui. Aut si magis placet verbum inclinationis simpliciter accipere, nihilque aliud inclinari quam annihilari esse putandum: ne huic quoque desimus sensui, dicimus umbras figuræ et ænigmata Scripturarum, nec non et sophisticas locutiones, cavillationesque verborum et implicita argumentorum, quæ omnia veritatis interim lumen obumbrant. Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus. Verum aspirante die, inclinabuntur umbræ, quia occupante omnia luminis plenitudine, nulla pars superesse poterit tenebrarum. Denique cum venerit quod perfectum est, tunc evanescit quod ex parte est (*I Cor. xiii, 9, 10*).

6. Hactenus de his sufficere poterat, si spirans dies illa, et non aspirans dicta fuisset. Nunc vero pro tantillo licet additamento adhuc aliquid addendum existimo, nimirum pro investiganda hujus diversitatis ratione. Ego enim, ut verum fatear, jam olim mihi persuasi, in sacri pretiosique eloquii textu nec modicam vacare particulam. Solemus autem hac voce uti, cum vehementer aliquid desideramus; ut, verbi gratia, cum dicimus: Ille ad illum honorem, vel illam dignitatem aspirat. Designatur itaque per hoc verbum mira adfutura affluentia, vehementiaque spiritus die illo, cum non solum corda, sed et corpora suo quidem in genere spiritualia erunt; et qui digni inveniuntur, inebriabuntur ab

A ubertate domus Domini, et torrente voluntatis illius potabuntur.

7. Vel aliter. Jam sanctis angelis dies sanctificatus illuxit, spirans illis jugi impetu perpetuis meatus melliflua sempiternæ divinitatis arcana. Denique : *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei* (*Psal. xlv, 5*); sed civitatem, cui dicitur : *Sicut lætantium omnium habitatio est in te* (*Psal. lxxxvi, 7*). Cum autem et nobis qui terram inhabitamus, spirare adjecerit, erit non modo spirans, sed et aspirans, quod dilatato sinu admittat et nos. Vel (ut paulo altius repetamus, et disseramus latius) plasmato homine de limo terræ, plasmator, sicut verax narrat historia, *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ* (*Gen. ii, 7*), factus proinde illi dies inspirans: et ecce invida nox callide impigit in diem hanc, luce utique simulata. Nam dum quasi splendidius lumen scientiæ pollicetur, inopinatas novæ luci offudit pravi tenebras consilii, et primordiis originis nostræ tetram damnosæ prævaricationis innoxit caliginem. Væ, væ! nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulantes nescientes, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras. Denique comedit de ligno mulier, quod sibi dederat serpens, vetuerat Deus: deditque viro suo, et cœpit illis quasi de novo disscere. Nam illico aperti sunt oculi amborum, et factus est dies conspirans, inspirantem extendens, et substituens exspirantem. Conspiraverunt siquidem et convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus, serpentis astutia, mulieris blanditiæ, viri mollietis. Unde et loquebantur multo, Dominus scilicet et Christus ejus : *Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis* (*Gen. iii*), quod ad utriusque injuriam lactantibus se peccatoribus acquievisset.

8. In hac die nascimur universi. Pertamus denique omnes impressum nobis cauterium conspirationis antiquæ; **1522** Eva utique vivente in carne nostra, cujus per hæreditariam concupiscentiam serpens nostrum sæe factioni sedula satagit sollicitudine vindicare consensum. Propterea, ut dixi, huic diei maledixere sancti, brevem optantes, et cito verti in tenebras (*Job iii, 3*; *Jerem. xi, 14*), quod sit contentio et contradictionis dies, dum non cesset in ea caro concupiscere adversus spiritum, legique mentis membrorum contraria lex rebellione infatigabili assidue contradicat. Itaque dies exspirans factus est. Extunc enim et deinceps, quis est homo qui vivet, et non videbit mortem? (*Psal. lxxxviii, 49*). Dicat pro ira quis: Ego non minus pro misericordia putem, ne electos scilicet, propter quos omnia fiunt, diu defatiget molesta contradictio, qua captivi ducuntur et ipsi in lege peccati, quæ est in membris ipsorum. Horrent nimirum, ægerrimeque ferunt turpem captivitatem, et tristem contentionem.

9. Festinemus proinde respirare a conspiratione antiqua et iniqua, quoniam breves dies hominis sunt (*Job xiv, 5*). Ante sane excipiat nos dies respirans, quam nox suspirans absorbeat, æternæ caliginis te-

nebris exterioribus involvendos. Quæris in quo respiratio ista? In eo, si incipiat spiritus vicissim concupiscere adversus carnem. Huic si repugnas, respiras; si spiritu facta carnis mortificas, respirasti; si hanc cum vitis et concupiscentiis suis crucifigis, respirasti. *Castigo, inquit, corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar (I Cor. ix, 27). Vox est respirantis, imo qui jam respirarat. Vade, et tu fac similiter (Luc. x, 57), ut te respirasse probes, ut diem denuo inspirantem tibi noveris illuxisse. Nec nox mortis prævalebit adversus redivivum hunc diem; magis autem in tenebris lucet, et tenebræ eum non comprehenderunt. In tantum non reor nec vita decedente cedere lumen vitæ, ut homini congruentius, quam sic mortuo assignandam censeam vocem illam: *Et nox illuminatio mea in deliciis meis (Psal. cxxxviii, 11). Quidni clarius videat, nube, vel potius læce corporis evolutus? Erit sine dubio vinculis solutus corporeis inter mortuos liber, et inter cæcos videns. Nam quemadmodum olim, omni oculo caligante per universam Ægyptum, solus in mediis tenebris clare videbat populus videns Deum, id est populus Israel, dicente Scriptura quia *ubicunque Israel erat, lux erat (Exod. x, 23): sic inter filios tenebrarum, in tetra mortis caligine fulgebunt justii, et videbunt, eo utique clarius, quo exuti corporum umbris. Nam et hi qui ante non respiraverunt: nec enim quæsierunt inspirantis diei lumen, et sol justitiæ non ortus est eis: hi, inquam, ibunt de tenebris in tenebras densiores, ut qui in tenebris sunt, tenebrescant adhuc; et qui vident, videant magis.***

10. Ubi non inconvenienter forsitan adducetur etiam sermo Domini, quem dixit, quia *habenti dabitur, et abundabit; ei autem qui non habet, et quod videtur habere auferetur ab eo (Luc. xix, 26). Ita est: et additur in morte videntibus, et non videntibus demitur. Quo enim hi minus et minus, eo illi magis magisque vident, donec et hos excipiat spirans nox, et illos aspirans dies; quæ sunt novissima utrorumque, extrema videlicet cæcitas, et suprema claritas. Ex hoc jam non est quod dematur omnino vacuis, non est quod addatur plenis, nisi quod hi nescio quid pleno amplius se accepturos præsumunt secundum promissionem ad se factam. Et promissionis quidem verbum tale est: *Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et superfluentem dabunt in sinum vestram (Luc. vi, 38). An non plus pleno quodam modo tibi esse videtur quod superfluit? Porro placide audies plenum et plenius, si te legisse memineris: *In æternum et ultra (Exod. xv, 18). Ergo is cumulus aspirantis erit diei. Ipsa, inquam, adjiciet ad mensuram inspiratæ plenitudinis, ad inspirantis diei copiam, supra modum in sublime pondus gloriæ operans, ita ut redundet in corpora superfluentem clarificationis adjectio. Hac de causa enim non spirans, sed aspirans dicta est, quod addat ad inspirantem, hoc significante Spiritu sancto per adjectam, ad, præpositionem; quia quos illa***

A intus illuminat, nos ista adornat foris, et stola gloriæ induit eos.

1523 11. Atque id satis pro danda ratione vocabuli, quod est Aspirans. Et si vultis scire, dies aspirans ipse est Salvator quem exspectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ (*Philipp. iii, 20, 21*). Nam et inspirans nihilominus idem ipse est, secundum operationem qua nos respirare prius facit in lumine quod inspirat, ut simus et nos dies spirans in ipso, secundum quod interior noster homo renovatur de die in diem, et renovatur in spiritu mentis suæ ad imaginem ejus qui se creavit, factus proinde dies ex die, et lumen ex lumine. Cum igitur duo in nobis præcedant dies, unus quidem inspirans pro corporis vita, alter vero respirans in sanctificationis gratia, porro tertius supersit aspirans in resurrectionis gloria: claret profecto aliquando adimpletum iri in corpore quod præcessit in capite, magnum utique pietatis sacramentum, et prophetæ testimonium, qui ait: *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, et rivemus in conspectu ejus; sciemus, sequemurque, ut cognoscamus Dominum (Osee vi, 5). Ipse est in quem angeli prospicere concupiscunt, sponsus Ecclesiæ, Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.*

SERMO LXXIII.

Qualiter Christus ad judicandum veniet in forma humana, ut suavis apparent electis; et quomodo minor angelis, iisdemque sublimior.

1. Revertere; similis esto, dilecte mi, capræ hinnuloque cervorum (*Cant. ii, 17*). Quid? modo it, modo revocas? Quid subitum in tam brevi emersit? Oblitane aliquid? Etiam oblita totum quod non ille est, se quoque ipsam. Denique cum sit rationis non expers, non tamen modo, ut videtur, rationis est compos. Sed nec in sensu illi ullatenus apparet verecundia esse, quam forte habet in moribus. Amor intemperans facit hoc. Nempe is est qui omnem in se triumphans captivansque pudoris sensum, convenientiæ modum, deliberationis consilium, totius modestiæ et opportunitatis neglectum quemdam et quamdam incuriam parit. Nam vide nunc quomodo illum, pene adhuc incipientem ire, jam tamen redire flagitat. Etiam accelerare rogat, et quidem currere iustar unius alicujus feræ silvarum velociter currentis, verbi gratia, capræ, hinnulive cervorum. Hic litteræ tenor, et hæc Judæorum portio.

2. Ego vero, quemadmodum accepi a Domino, in profundo sacri eloquii gremio spiritum mihi scrutabor et vitam; et pars mea hæc, qui in Christum credo. Quidni eruiam dulces ac salutares epulum spiritus de sterili et insipida littera, tanquam granum de palea, de testa nucleum, de osse medullam? Nihil mihi et litteræ huic, quæ gustata carnem sapit, gluta mortem affert; sed enim quod in ea tectum est, de Spiritu sancto est. *Spiritus autem loquitur mysteria, teste Apostolo (I Cor. xiv, 2); sed Israel pro*

velato mysterio ipsum mysterii velamen tenet. A Quare, nisi quia adhuc velamen est positum super cor ejus? Ita quod sonat littera, illius est: quod signat [*Alias, designat*], meum est; ac per hoc illi ministratio mortis in littera, mihi vita in spiritu. Nam spiritus est qui vivificat (*Joan. vi, 64*): dat quippe intellectum. An non vita intellectus? *Intellectum da mihi, et vivam*, ait Propheta Domino. Intellectus non remanet extra, non hæret in superficie, non instar cæci palpat forinseca; sed profunda rinatur, pretiosissimas solitus exinde veritatis exuvias tota aviditate diripere ac tollere sibi, et cum Propheta dicere Domino: *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa* (*Psal. cxviii, 144, 162*). Nempe ita regnum veritatis vim patitur, et violenti rapiunt illud (*Matth. xi, 12*). Verum ille senior frater, qui de agro veniens formam tenuit populi veteris et terreni, qui pro terrena hæreditate doctus diligere trituram, attrita fronte gemit anxius sub gravi jugo legis, portatque pondus diei et æstus. Is, inquam, quia intellectum non habuit, foris stat **1524** etiam nunc, et non vult nec invitatus a patre intrare domum convivii, semetipsum fraudans usque adhuc participio symphonizæ, et chori, et vituli saginati (*Luc. xv, 25-30*). Miser qui renuit experiri, quam bonum sit et quam jucundum habitare fratres in unum. Et hæc dicta sint pro distinctione partis Ecclesiz, partisque Synagogæ, quo et cæcitas hujus ex illius prudentia manifestior fiat, et felicitas illius ex hujus miseranda fatuitate præmineat.

3. Nunc jam scrutemur verba sponsæ, et sic conemur castos exprimere sancti amoris affectus, ut nil in sacro eloquio ratione carens, nil indecorum importunumve resedisse omnino appareat. Et si in mentem venerit hora illa, cum Dominus Jesus (is enim sponsus est) transiret ex hoc mundo ad Patrem (*Joan. xiii, 1*), simulque quid tunc animi gereset sua illa domestica Ecclesia, nova utique nupta, cum se deseri cerneret quasi viduam desolatam unica spe sua: apostolos loquor, qui relictis omnibus secuti fuerant eum, atque cum ipso permanserant in tentationibus suis; si hæc, inquam, cogitaverimus, non immerito neque incongrue, puto, videbitur quantum de abscessu tristis, tantum sollicita existisse de reditu, præsertim sic affecta, et sic relicta. Itaque diligentem et indigentem hæc ipsa duplex ratio erat commonendi dilectum, ut, quandoquidem persuaderi non poterat quin iret et ascenderet ubi erat prius, saltem promissum denuo maturaret adventum. Quod enim optat et postulat similem fore feris, et ejusmodi feris, quæ cursu agiliores esse videntur; cupientis animi indicium est, cui nihil satis festinatum. Nonne hoc quotidie postulat, cum dicit in oratione: *Adveniat regnum tuum* (*Matth. vi, 10*)?

4. Ego tamen præter agilitatem, existimo non minus signanter exprimi etiam infirmitatem, et quidem sexus in caprea, ætatis in hinnulo. Vult itaque eum, ut mihi videtur, etsi cum potestate venire, non tamen in forma Dei in judicio apparere; sed sane in

ea, qua non modo natus, sed et parvulus natus est nobis, idque solo de infirmiori femineo sexu. Cur hoc? Nempe ut ex utroque admoneretur infirmo mitescere in die iræ, meminere quoque in judicio misericordiam superexaltare judicio. Etenim si iniquitates observaverit, etiam electorum, quis sustinebit? (*Psal. cxxxix, 3*.) Astra non sunt munda in conspectu ejus, et in angelis suis reperit pravitatem (*Job iv, 18*). Audi denique sanctum, et electum quid dicat Deo: *Tu, inquit, remisisti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno* (*Psal. xxxi, 5, 6*). Opus itaque habent et sancti pro peccatis exorare, ut de misericordia salvi fiant, proprie justitiæ non sidentes. Omnes enim peccaverunt, et egent omnes misericordia [*Alias additur, Dei*]. Ut ergo cum iratus fuerit, misericordiæ recordetur, rogatur ab ista apparere in misericordiæ habitu, illo, de quo Apostolus: *Et habitu, inquit, inventus ut homo* (*Philipp. ii, 7*).

5. Necessarie quidem. Si enim: cum hoc quoque temperamento tanta erit in judicio æquitas, in iudice feritas, in majestate sublimitas, novitas in facie ipsa rerum, ut secundum prophetam non possit cogitari dies adventus ejus (*Malaek. iii, 2*): quid, putas, foret, si ignis ille consumens (Deum loquor omnipotentem) in illa suæ divinitatis magnitudine, fortitudinis, puritate venisset, contra felium quod vento rapitur ostensurus potentiam suam, et stipulam siccam persecuturus? (*Job xiii, 25*). Et homo est, inquit, et quis videbit eum? *Et quis stabit ad videndum eum* (*Malaek. iii, 2*). Quanto magis Deum nobis absque homine exhibentem nemo hominum ferret, utpote claritate inaccessibilem, celsitudine inattingibilem, incomprehensibilem majestate? Nunc vero cum exarserit in brevi ira ejus (*Psal. ii, 15*), quam grata propter filios gratiæ apparebit blanda quadam visio hominis, sane firmitermentum fidei, spei robor, fiducia augmentum: quod scilicet gratia et misericordia sit in sanctos ejus, et respectus in electos illius (*Sap. iv, 15*). Denique ipse Pater Deus dedit Filio iudicii potestatem, et non quia suus, sed quia Filius hominis est (*Joan. v, 27*). O vere Patrem misericordiarum! **1525** vult per hominem homines judicari, quo in tanta trepidatione et perturbatione malorum, electis fiduciam præstet nature similitudo. Prædixerat hoc quondam sanctus David, orans pariter et prophetans: *Deus, inquit, iudicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis* (*Psal. lxxxi, 2*). Sed neque huic dissonat promissio facta per angelos, qui eo assumpto ita ad apostolos loquebantur: *Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum v. distis eum euntem in cælum* (*Act. i, 11*), hoc est, in hac ipsa corporis forma atque substantia.

6. Liqueat ex his omnibus sponsam in se divinum habere consilium, et mysterium supernæ voluntatis minime ignorare, quæ sub umbra imbellium imbecilliumque animantium naturam infirmiore, vel potius inferiorem, quia jam infirma non erit, in

judicio exhibendam, et orantis affectu, et spiritu prophetantis enuntiat; quatenus qui cœlam terramque movebit in virtute sua, accinctus potentia contra insensatos, et suavis nihilominus et mitis, et quasi omnino inermis appareat propter electos. Ubi hoc quoque addi potest, quia ad discernendum alterutros a se, opus erit quodam modo illi, cum hinnuli quidem saltibus, luminibus capræ; quatenus videre et discernere in tanta multitudine et in tanta turbatione possit, in quosnam salire, et quos transilire oporteat, ne forte contingat justum pro impio conculcari, cum in ira populos confringat. Nam quantum ad impios, necesse est ut impleatur propheta David, imo sermo Domini loquentis per os ejus, quia *comminnavam eos ut pulverem ante faciem venti, ut lutum platearum delebo eos* (Psal. xvii, 43); et item alius sermo, quem per alium prophetam prædixerat, impletus nihilominus tunc cognoscetur, cum ad angelos rediens dicit: *Calcavi eos in furore meo, et conculcavi eos in ira mea* (Isa. lxiii, 3).

7. Si cui autem magis ita intelligendum videtur, ut malos potius transilire, atque in bonos salire hinnulus noster debeat, non contendo: tantum cogitet salus dispositum iri in discriminationem bonorum, malorumque. Nam et a me, si bene memini, ita dictum est in sermone altero, ubi capitulum idem alibi supra et ab auctore positum, et a me expositum nihilominus reperitur (Supra serm. 54). Verum ibi secundum dispensationem quidem gratiæ, quæ in præsentī vita aliis datur, aliis non datur, justo quidem Dei judicio, sed occulto, salire, et transilire is hinnulus dictus est; hic autem, secundum ultimam ac variam retributionem meritofum. Et forte sensui huic videatur astipulari extremum capituli hujus, quod quidem pene oblitus fueram. Dicens namque: *Similis esto, dilecte mi, capræ hinnuloque cervorum, addit, super montes Bethel*. Nec enim in domo Dei, quod sonat Bethel, mali montes sunt. Quamobrem saliens in eos hinnulus non conculcat, sed lætificat, ut Scriptura impleatur quæ dicit: *Montes et colles cantabunt coram Deo laudes* (Isa. lv, 12). Et quidem sunt montes, quos secundum Evangelium tollit fides comparata sinapi (Matth. xvii, 19), sed non sunt montes Bethel. Etenim quicumque sunt Bethel, minime eos tollit fides, sed colit.

8. Quod si principatus et potestates, nec non et cætera nihilominus beatorum Spirituum agmina, cœlorumque virtutes montes sunt Bethel, ut de his intelligamus dictum: *Fundamenta ejus in montibus sanctis* (Psal. lxxxvi, 1), non sane is hinnulus vilis ac contemnendus, qui supra tam excellentes montes visus est apparere, tanto angelis melior effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit (Hebr. i, 4). Quid enim, si in psalmo legimus minoratum ab angelis? (Psal. viii, 6). Neque enim ideo non melior, quia minor; nec contraria sunt locuti Apo-

stolus et Propheta, quippe habentes eundem Spiritum. Nam si dignationis fuit quod minoratus est, non necessitatis; nihil plane in hoc bonitati præscribitur, sed ascribitur. Denique minoratum Propheta perhibuit, non minorem, attollens gratiam, et pro, elens injuriam. Nam et minoritatem natura recusat, et minorationem excusat causa. Nempe minoratus est, quia ipse **1526** voluit: minoratus est sua voluntate, et nostra necessitate. Sic minorari, misereri fuit. Quænam perditio hæc? Profecto accessit pietati, quidquid majestati visum est deperiisse. Quamquam nec Apostolus tacuit hoc magnum magnæ pietatis arcuum, sed ait: *Eum autem qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Jesum, propter passionem mortis gloria et honore coronatum* (Hebr. ii, 9).

9. Et hæc dixerimus pro nominæ et similitudinæ hinnuli, quatenus sponso eam, juxta sermonem sponsæ, absque majestatis injuria aptaremus. Quid dico, absque majestatis injuria, quando nec infirmitas inhonorata remansit? Hinnulus est, parvulus est; capræ quoque similis perhibetur, tanquam factus ex muliere: attamen *super montes Bethel*, attamen *excelsior cælis factus* (Hebr. vii, 26). Non dicit: *Excelsior cælis factus*: ne quis putet de illa natura dictum, in qua est qui est. Sed et ubi præfertur angelis, melior nihilominus perhibetur effectus, et non dicitur manens vel existens melior. Ex quibus apparet, quod non modo in eo quod ab æterno est, sed etiam in eo quod in tempore factus est, omnem sibi eminentiam vindicet supra omnem principatum et potestatem, supra omnem denique creaturam, utpote primogenitus omnis creaturæ. Itaque *quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus* (I Cor. i, 25). Hoc quidem Apostolus. Mihi autem non videtur errare, si quis etiam sapientiæ et fortitudini angelorum præferendum dicat identidem stultum infirmumque Dei. Ita ergo præsens locus convenienter aptabitur universali Ecclesiæ.

10. Jam vero quod ad unam singulariter animam spectat (nam et una, si Deum dulciter, sapienter, vehementer amat, sponsa est), quisque spiritualis in semetipso advertere potest, quid sibi inde proprium respondeat experimentum. Ego vero quidquid illud est, quod in me de hujusmodi experiri donatum est, coram eloqui non verebor. Nam etsi vile forsitan cum fuerit auditum, et despicabile videatur, non mea refert; quia qui spiritualis est, non me despiciet; qui minus, non me intelliget. Attamen si in alium istud sermonem servavero, forte non decerunt qui ædificantur in iis, quæ exoratus interim Dominus inspirabit, sponsus Ecclesiæ, Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

Illic tamen paulo post etiam in manuscriptis legitur *manens vel existens*.

(214) In scriptis omnibus et editis primis hic legitur *ens*; apud Horstium et alios, *manens*. Ita *ens* habes sermone 75, num. 11; pro quo editi, *sedens*.

SERMO LXXIV.

De visitationibus Verbi sponsi, quam occulte fiant ad animam sanctam, idque Bernardus sui ipsius exemplo ad ædificationem suorum demisse ac verecunde declarat.

1. *Revertere*, inquit (*Cant. II, 17*). Liqueat non adesse quem revocat; adfuisse tamen, idque non longe ante: quippe qui dum adhuc abiret, revocari videtur. Intempestiva revocatio, magni unius amoris, magnæ alterius amabilitatis indicium est. Qui sunt isti charitatis cultores, amatorique tam indefessi sectatores negotii, quorum alterum prosequitur, alteram urget tam inquietus amor? Et mihi quidem, ut memini meæ promissionis, incumbit assignare hunc locum Verbo et animæ; sed ad hoc ut digne vel aliquantisper fiat, ipsius adjutorio Verbi egere me fateor. Et certe sermo iste decuerat magis expertum, magisque consciunt sancti et arcani amoris; sed non possum officio decesse meo, non vestris omnino votis. Periculum meum video, et non caveo; vos me cogitis. Prorsus cogitis ambulare in magnis et in mirabilibus super me. Heu! quam vereor ne subinde audiam: Quare tu enarras delicias meas, et assumis sacramentum meum per os tuum? Audite me tamen hominem qui loqui trepidat, et tacere non potest. Excusabit forsitan ausum trepidatio ipsa mea; magis autem vestra, si provenerit, ædificatio. Et forte hæc lacrymæ pariter videbuntur. *Revertere*, ait. Bene. Abibat, revocatur. Quis mihi reseret hujus mutabilitatis sacramentum? Quis mihi digne explicet ire, et **1527** redire Verbi? Nunquid levitate utitur sponsus? Unde, quo venire seu denuo ire queat, qui totum implet? Quem denique motum habere localem possit qui spiritus est? Aut quem postremo vel cujuscunque generis motum das illi qui Deus est? Est quippe omnino incommutabilis.

2. Verum hæc qui potest capere, capiat. Nos autem in expositione sacri mysticique eloquii caute et simpliciter ambulantes, geramus morem Scripturæ, quæ nostris verbis sapientiam in mysterio absconditam loquitur; nostris affectibus Deum, dum figurat, insinuat; notis rerum sensibilibus similitudinibus, tanquam quibusdam villoris materiæ poculis, ea quæ pretiosa sunt, ignota et invisibilia Dei, mentibus propinat humanis. Sequamur proinde et nos eloquii casti consuetudinem, dicamusque Verbum Dei Deum sponsum animæ, prout vult et venire ad animam, et iterum dimittere eam: tantum ut sensu animæ, non Verbi motu, ista fieri sentiamus. Verbi causa, cum sentit gratiam, agnoscit præsentiam: cum non, absentiam queritur, et rursus præsentiam querit, dicens cum Propheta: *Exquisivit te facies mea; faciem tuam, Domine, requiram* (*Psal. xxvi, 8*). Quidni requirat? Neque enim, subducto sibi tam dulci sponso, interim aliquid aliud non dico desiderare, sed nec cogitare libebit. Restat igitur ut absentem studiose requirat, revocet abundantem. Ita ergo revocatur Verbum, et revocatur desiderio animæ, sed ejus animæ cui semel indulserit suavitatem sui. Nunquid non desiderium vox? Et

A valida. Denique: *Desiderium pauperum*, inquit, *exaudivit Dominus* (*Psal. ix, 17*). Verbo igitur abundante, una interim et continua animæ vox, continuum desiderium ejus, tanquam unum continuumque *Revertere*, donec veniat.

3. Et nunc da mihi animam, quam frequenter Verbum sponsus invisere soleat, cui familiaritas ausum, cui gustus famem, cui contemptus omnium otium dederit: et ego huic incunctanter assigno vocem pariter et nomen sponsæ; nec ab ea penitus locum, qui in manibus est, censuerim alienum. Talis nempe inducitur hic loquens. Quem enim revocat, ejus absque dubio probat se meruisse præsentiam, etsi non copiam. Alioquin non revocasset illum, sed vocasset. Porro revocationis verbum *revertere* est. Et forte ideo subtraxit se, quo avidius revocaretur, teneretur fortius. Nam et aliquando simulabat se longius ire, non quia hoc volebat, sed volebat audire: *Mane nobiscum, Domine, quoniam advesperascit* (*Luc. xxiv, 28, 29*). Et rursus alia vice super mare ambulans, cum apostoli navigarent et laborarent in remigando, quasi volens præterire eos, nec tunc quidem istud volebat, sed magis probare fidem, et elicere precem. Denique, sicut ait evangelista: *Turbati sunt, et clamaverunt, putantes phantasma esse* (*Marc. vi, 48, 49*). Ergo istiusmodi piæ simulationem, imo salutarem dispensationem, quam tunc corporaliter Verbum corpus interdum exhibuit, non cessat identidem Verbum spiritus, modo suo spirituali, cum devota sibi anima sedula acitare. Præteriens teneri vult, abiens revocari. Neque enim hoc irrevocabile verbum. It, et redit pro beneplacito suo, quasi visitans diluculo, et subito probans. Et ire quidem illi quodam modo dispensatorium; redire vero semper voluntarium est: utrumque autem plenum iudicii. At penes ipsum horum ratio.

4. Nunc vero constat in anima fieri hujusmodi vicissitudines euntis et redeuntis Verbi, sicut ait: *Vado, et venio ad vos* (*Joan. xiv, 28*); item: *Modicum, et non videbitis me; et iterum modicum, et videbitis me* (*Joan. xvi, 17*). O modicum et modicum! o modicum longum! Pie Domine, modicum dicis, quod non videbimus te? Salvum sit verbum Domini mei: longum est, et multum valde nimis. Verumtamen utrumque verum: et modicum meritis, et longum votis [*alias, non modicum votis*]. Habes utrumque in propheta: *Si moram fecerit, inquit, expecta eum, quia veniens veniet, et non tardabit* (*Habac. II, 3*). Quomodo non tardabit, si moram fecerit, nisi quia quod ad meritum satis est, non est satis ad votum? Porro anima amans votis fertur, **1528** trahitur desiderii, dissimulat merita, majestati oculis claudit, aperit voluptati, ponens in salutari, et fiducialiter agens in eo. Intrepida denique et inveteranda revocat Verbum, et cum fiducia repetit delicias suas, solita libertate vocans, non Dominum, sed dilectum: *Revertere, dilecte mi*: et addit: *Similis cato capræ, hinnuloque cervorum super mœnes Bethel*. At istud postea.

5. Nunc vero sustinete modicum quid insipientiæ meæ. Volo dicere, nam et hoc pactus sum, quomodo necum agitur in ejusmodi. Non expedit quidem. Sed prolar sane ut prosim : et, si profeceritis vos, meam insipientiam consolabor; si non, meam insipientiam confitebor. Fateor et mihi adventasse Verbum, in insipientia dico, et pluries. Cumque sæpius intraverit ad me, non sensi aliquoties cum intravit. Adesse sensi, adfuisse recorder, interdum et præsentire potui introitum ejus, sentire nunquam, sed ne exitum quidem. Nam unde in animam meam venerit, quoque abierit denuo eam dimittens; sed et qua vel introierit vel exierit; etiam nunc ignorare me fateor, secundum illud : *Nescis unde veniat, aut quo vadat* (Joan. 11, 8). Nec mirum tamen, quia ipse est, cui dictum est : *Et vestigia tua non cognoscuntur* (Psal. LXXVI, 20). Sane per oculos non intravit, quia non est coloratum; sed neque per aures, quia non sonuit; sed neque per nares, quia non aeri miscetur, sed menti; nec infecit aerem, sed fecit; neque vero per fauces, quia non est mansum vel haustum; nec tactu comperi illud, quia palpabile non est. Qua igitur introivit? An forte nec introivit quidem, quia non deforis venit? Neque enim est unum aliquid ex iis quæ foris sunt. Porro nec de intra me venit quoniam bonum est, et scio quoniam non est in me bonum. Ascendi etiam superius meum : et ecce supra hoc Verbum eminens. Ad inferius quoque meum curiosus explorator descendi; et nihilominus infra inventum est. Si foras aspexi, extra omne exterius meum comperi illud esse; si vero intus, et ipsum interius erat. Et cognovi verum quidem esse quod legeram, quia *in ipso vivimus, movemur et sumus* (Act. XVII, 28) : sed ille beatus est, in quo est ipsum, qui illi vivit, qui eo movetur.

6. Queris igitur, cum ita sint omnino investigabiles viæ ejus, unde adesse norim? Vivum et efflicax est : moxque ut intus venit, expergefecit dormitantem animam meam; movit, et mollivit, et vulneravit cor meum, quoniam durum lapideumque erat, et male sanum. Cœpit quoque evellere et destruere, ædificare et plantare, rigare arida, tenebrosa illuminare, clausa reserare, frigida inflammare, nec non et mittere prava in directa, et aspera in vias planas; ita ut benediceret anima mea Domino, et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus. Ita igitur intrans ad me aliquoties Verbum sponsum, nullis unquam introitum suum indicis innotescere fecit, non voce, non specie, non incessu. Nullis denique suis motibus compertum est mihi, nullis meis sensibus illapsum penetralibus meis : tantum ex motu cordis, sicut præfatus sum, intellexi præsentiam ejus; et ex fuga vitiorum, carnaliumque compressione affectuum adverti potentiam virtutis ejus; et ex discussione sive redargutione occultorum meorum admiratus sum profunditatem sapientiæ ejus; et ex quantumlacunque emendatione morum meorum expertus sum bonitatem mansuetudinis ejus; et ex renovatione ac reformatione spiritus mentis meæ, id

est interioris hominis mei, percepti utcumque speciem decoris ejus; et ex contuitu horum omnium simul expavi multitudinem magnitudinis ejus.

7. Verum quia hæc omnia, ubi abscesserit Verbum, perinde ac si ollæ bullienti subtraxeris ignem, quodam illico languore torpentia et frigida jacere incipiunt; atque hoc mihi signum abscessionis ejus: tristis sit necesse est anima mea, donec iterum revertatur, et solito recalescat cor meum intra me; itque sit reversionis indicium. Tale sane experimentum de Verbo **1529** habens, quid mirum si et ego usurpo mihi vocem sponsæ in revocando illud, cum se absentaverit, qui etsi non pari, simili tamen vel ex parte desiderio feror? Familiare mihi erit, quoad vixero, pro Verbi revocatione revocationis verbum, quod utique revertere est. Et quoties elaboratur, toties repetetur a me; nec cessabo clamitare quasi post tergum abeuntis ardenti desiderio cordis ut redeat, et reddat mihi lætitiā salutaris sui, reddat mihi se ipsum. Fateor vobis [*alias, dico vobis*], filii, nil aliud interim libet, dum non præsto est quod solum libet. Et hoc oro, ut non vacuum veniat, sed plenum gratiæ et veritatis (Joan. 1, 14) : more utique suo, sicut heri et nudiustertius. In quo mihi similitudinem capræ et hinnuli exhibitum iri posse videtur, cum veritas capræ oculos habeat, gratia hinnuli hilaritatem.

8. Utraque res necessaria mihi : et veritas quidem, cui abscondi non possim; gratia autem, cui nolim. Alioquin sine alterutra visitatio plena non erit, cum et illius severitas absque hac onerosa, et hujus hilaritas absque illa dissoluta possit videri. Amara est veritas sine condimento gratiæ; sicut absque veritatis freno levis et nesciens modum, plerumque et insolens ipsa devotio. Quam nullis non profuit gratiam percepisse, pro eo quod temperamentum de veritate pariter non acceperunt? Ex hoc enim plus quam oportuit complacere sibi in ea, dum veriti non sunt veritatis obtutus, dum non respexerunt ad capræ maturitatem, magis autem se totos hinnuli levitati hilaritatisque dederunt. Inde factum est, ut in qua privatim exsultare voluerant, gratia privarentur, quibus vel sero dici potuerit : *Euntes ergo discite quid sit : Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore* (Psal. 11, 11). Dixerat denique sancta anima quædam in abundantia sua : *Non movebor in æternum* : cum subito sensit aversam a se faciem Verbi, seque non modo motam, sed etiam conturbatam (Psal. XXIX, 7, 8); et sic in tristitia didicit opus fuisse sibi, cum munere quidem devotionis, etiam pondere veritatis. Ergo non in sola gratia plenitudo gratiæ est, sed ne in sola quidem veritate. Quid prodest scire quid te oporteat facere, si non detur et velle facere? Quid, si velis quidem, sed minime possis? Quantos expertus sum agnita veritate tristere, et ideo magis, quod jam confugere ad ignorantiam excusationem non liceret, scientes, et non facientes quod Veritas hortaretur?

9. Quæ cum ita se habeant, neutrum sine altero

sufficit. Parum dixi : non expedit quoque. Unde id scimus? *Scienti*, inquit, *bonum, et non facienti, peccatum est illi* (Jac. iv, 17); item : *Servus sciens voluntatem domini sui, et non faciens digna vapulabit multis* (Luc. xii, 47). At istud pro parte veritatis. Pro gratiæ quid? Scriptum est : *Et post buccellam introivit in eum Satanas* (Joan. xiiii, 27). Judam loquitur, qui accepto munere gratiæ, quia in veritate non ambulabat cum veritatis Magistro, vel potius cum magistra Veritate, locum in se diabolo dedit. Audi adhuc : *Cibavit illos ex adipi frumenti, et de petra melle saturavit eos*. Quos? *Inimici Domini mentiti sunt ei* (Psal. lxxx, 17, 16). Quos melle cibavit et adipe, hi mentiti sunt ei facti inimici; quia veritatem gratiæ non junxerunt. De quibus a'ibi habes : *Filii alieni mentiti sunt mihi; filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis* (Psal. xvii, 46). Quidni claudicarent, uno pede gratiæ contenti, et non apponentes veritatem? *Erit igitur tempus eorum in sæcula* (Psal. lxxx, 16), sicut et principis ipsorum, qui et ipse in veritate non stetit, sed fuit mendax ab initio (Joan. viii, 44), ideoque audivit : *Perdidisti in decore tuo sapientiam* (Ezech. xxviii, 17). Nolo decorem, qui mihi sapientiam tollat.

10. Quæris quis ille tam noxius, tamque perniciosus decor? Tuus. Adhuc forte sine intellectu es? Planius audi. Privatus, proprius. Non culpamus donum, sed usum. Denique si advertisti, non in decore, sed in suo decore dictus est ille perdidisse sapientiam. Et, ni fallor, unus angeli animæque decor ipsa est. Quid enim vel hæc vel ille absque sapientia, nisi rudis deformisque materia est? Ea ergo ille non modo formatus, **1530** sed et formosus fuit. Sed perdidit eam, cum fecit suam : ut non sit aliud in decore suo quam in sua sapientia perdidisse sapientiam. Proprietas in causa est. Quod sibi sapiens fuit, quod non dedit gloriam Deo, quod non retulit gratiam pro gratia, quod non secundum veritatem ambulavit in ea, sed ad suam eam retorsit voluntatem : istud est cur eam perdidit; imo istud est quod eam perdidit. Etenim sic habere, perdere est. *Et si Abraham*, inquit, *ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum* (Rom. iv, 2). Et ego : non ego [*alias, ergo*] in tuto, inquam. Perdidit quidquid habeo non apud Deum. Nam quid tam perditum, quam quod extrâ Deum exsulat? Quid mors, nisi privatio vitæ? Ita nihil perditio, nisi alienatio a Deo est. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes! (*Isai. v, 21.*) de vobis dicitur : *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo* (I Cor. i, 19). Perdidit sapientiam, quia sua sapientia perdidit eos. Quid non perdidit, qui et ipsi perditii sunt? An vero non perditii, quos nescit Deus?

11. Porro autem virgines fatuæ, quas quidem non aliunde fatuas puto, nisi quia dicentes se esse sapientes, stultæ factæ sunt; hæc, inquam, a Deo audire habent : *Nescio vos* (Matth. xxv, 12). Et item illi, qui gratiam miraculorum ad suam usurpaverunt

gloriam, nihilominus audituri sunt, quia *non novi vos* (Matth. vii, 23) : ut liquido ex his clarescat, gratiam non prodesse, ubi veritas non est in intentione; sed obesse magis. Et quidem penes sponsum utraque res. Denique : *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est*, ait Joannes Baptista (Joan. i, 17). Ergo cum una quavis harum sine altera pulsaverit ad ostium meum Dominus Jesus Christus (ipse est enim Dei Verbum, animæ sponsus), intrabit sane non tanquam sponsus, sed tanquam iudex. Absit, nequaquam fiat hoc! Non intret in iudicium cum servo suo. Intret pacificus, intret jucundus et hilaris : maturus tamen et serius intret, qui severiori quodam veritatis vultu in me, dum insolentiam reprimit, purget lætitiâ. Intret quasi hinnulus saliens, quasi caprea circumspectus, qui culpam dissimulando transiliat, pœnam miserando respiciat. Intret quasi descendens de montibus Bethel, festus et splendidus, et quasi procedens a Patre, suavis et mitis, qui non dedignetur dici et fieri sponsus animæ quærentis se, cum sit super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LXXV

Deus quærendus est debito tempore, modo, et loco. Et quod nunc sit acceptabile tempus, in quo quisque per bona opera potest sibi invenire Deum, ac suam operari salutem.

1. In lectulo meo quæsi vi per noctes quem diligit anima mea (Cant. iii, 1). Non est reversus sponsus ad vocem et votum revocantis. Quare? Ut desiderium crescat, ut probetur affectus, ut exerceatur amoris negotium. Sane ergo dissimulatio est, non indignatio. Sed superest, ut quæretur, si forte reperiat quæsitus, qui vocatus non venit, dicente Domino : *Omni qui quæris, invenit* (Matth. vii, 8). Porro verbum revocationis tale est : *Revertere; assimulare, dilecte mi, capream hinnuloque cervorum* (Cant. ii, 17). Ad quam vocem dum non est reversus, utique ob illas causas quæ dictæ sunt : hinc ista quæ amat facta cupidior, mox sese ad requirendum tota aviditate dedit. Et primo quidem quærit illum in lectulo, sed minime invenit. Surgit inde, circum civitatem, it et redit per plateas et vicus, et non occurrit, neque apparet. Interrogantur quique forte occurrerint, nihilque certi reportatur. Neque vicis unius, aut unius noctis quæsitus hæc, et hæc frustratio, cum dicat ista, quia *quæsi vi per noctes*. Quid hoc desiderii est et ardoris, ut surgens de nocte publicum non erubescat, percurrat civitatem, percunctetur palam et passim de dilecto, atque a vestigandis semitis ejus nulla valeat ratione averti, nulla præpediri difficultate, non tempestivæ retineri amore quietis, non sponsæ verecundia, non vel timore nocturno? Et tamen in his omnibus **1531** frustrata est usque adhuc a desiderio suo. Quære, quid sibi vult pertinax hæc et diuturna fraudatio, tardiorum nutrix, suspitionum fomes, impatientiæ fax, noverca amoris, mater desperationis? Si adhuc dissimulatio est, nimis est molesta.

2. Esto quod pie utiliterque interim fuerit dissimulatum, donec in solâ adhuc vocatione seu revocatione res erat. Nunc vero cum requiritur, et ita requiritur, quid jam conferre poterit dissimulatio? Si de carnalibus sponsis et pudendis amoribus quæstio est, sicut literalis super facies prælusisse videtur; et si inter illos talia contingere queant, mea non interest, ipsi viderint. Quod si animarum quærentium Dominum mentibus et affectibus pro quantumcumque posse meo respondere et satisfacere me oportet, eruendum sano est de Scriptura sancta, in qua se vitam habere confidunt, eo vitale aliquid, quo spirituale; ut edant pauperes et saturentur, et vivant corda eorum. Et quid tam cordium vita, quam Dominus meus Jesus Christus, de quo agebat qui eo vivebat, quia cum Christus apparuerit v.ſa v.ſtra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria? (Coloss. iii, 4.) Ipse ergo ad medium veniat, quo et nobis veraciter dici possit: *Mediis autem vestrum stat, quem vos nescitis* (Joan. i, 26). Quanquam nescio quomodo non sciatur a spiritualibus sponsus Spiritus, qui tamen ita in spiritu profecerunt, ut possint dicere cum propheta: *Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus* (Thren. iv, 20); et cum Apostolo: *Et si cognovimus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus* (II Cor. v, 16). Nonne is est, quem sponsa quærebat? Is vere est sponsus, et amans, et amabilis. Is, inquam, vere sponsus; sicut caro ejus vere est cibus, et sanguis ejus vere est potus (Joan. vi, 56): et totum quod de ipso est, vere est, quando ipse est non aliud sane, quam ipsa Veritas.

3. Verum is sponsus quid est quod non invenitur quæsitus, cum requiratur tam studiose et impigre, nunc quidem in lectulo, nunc vero in civitate, aut etiam in plateis vel vicis; ipse autem dicat: *Quærite, et invenietis*; et: *Qui quærit, invenit* (Matth. vii, 7, 8.). Propheta quoque loquatur ad eum: *Bonus es, Domine, animæ quærenti te* (Thren. iii, 25); et item sanctus Isaias: *Quærite Dominum, dum inveniri potest*? (Isai. lv, 6.) Quomodo ergo implebuntur Scripturæ? Neque enim quæ hic inducitur quærens, una est ex his quibus ipse ait: *Quæretis me, et non invenietis* (Joan. vii, 34). Sed attendite tres esse causas, quæ interim occurrunt, et quærentes frustrari solent: cum aut videlicet non in tempore quærunť, aut non sicut oportet, aut non ubi oportet. Si enim omne tempus aptum est ad quærendum, cur ergo dicit propheta, quod jam memoravi: *Quærite Dominum, dum inveniri potest*? Erit absque dubio cum inveniri non poterit; et ideo addit, ut

(245-46) Origenem hic notare videtur, aut certe errorem ipsi tributum, quemadmodum alios notat in sermone 34 de Diversis, et sermone 54 in Cantica, num. 3. Confer Ambrosium Autpertum, libro x in Apocalypsin, ad hunc versum, *Nec intrabit in eam aliquid coinquinatum*, ubi hunc errorem confutat.

(247) Ita scripti et primi editi; nisi quod quidam codices habent *pietatis pro charitatis*: Horstius cum aliis, *vacarent opera*. Porro hoc in loco Bernardus non in ea fuit sententia (quod Horstio visum est in

A invocetur dum prope est; quia futurum est jam non prope futurum. A quo enim tunc non requiretur? *Mihi*, inquit, *currabitur omne genu* (Isai. xlv, 24), etc. Neq̄ tamen invenietur ab impiis, quos ultores angeli arcebynt profecto, et tollent ne videant gloriam Dei. Frustra inclamabunt et fatuæ virgines; minime prorsus jam ad eas exit, clausa janua (Matth. xxv, 10). Sibi proinde dictum putent illæ: *Quæretis me, et non invenietis*.

4. Cæterum nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis sunt (II Cor. vi, 2); tempus plane et quærendi, et invocandi, quando plerumque, et antequam invocetur, adesse sentitur. Audi denique quid pollicetur. *Antequam me invocetis*, inquit, *dicam: Ecce adsum* (Isai. lxxv, 24). Nec latuit benignitas hæc et B facilitas temporis quod nunc est, illum qui in psalmo loquitur: *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua* (Psal. ix, 17). Quod 1532 si per bona opera quæritur Deus, ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes (Galat. vi, 10): præsertim quia Dominus aperte prænuñtiat venire noctem, quando nemo potest operari (Joan. ix, 4). Tunc aliud ad quærendum Deum, ad operandum quod bonum est, reperturus es tibi tempus in seculis venturis, præter hoc, quod constituit tibi Deus, in quo recorder tur tui? Et ideo dies salutis, quia in his ipse Deus, rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ (Psal. lxxiii, 12).

C 5. I ergo tu, et in medio gehennæ expectato salutem, quæ jam facta est in medio terræ (245-46). Quam tibi somnias proventuram inter ardores sempiternæ facultatem veniam promerendi, cum jam transit tempus miserendi? Non relinquitur tibi hostia pro peccatis, mortuo in peccatis. Non crucifigitur iterum Filius Dei; mortuus est semel, jam non moritur (Rom. vi, 9). Non descendit ad inferos sanguis, qui effusus est super terram. Biberunt omnes peccatores terræ: non est quod sibi ex eo vindicent demones ad restringendos focos suos; sed neque homines socii demonitorum. Semel illud descendit, non sanguis, sed anima; et hæc portio eorum qui in carcere erant: Una illa visitatio, quæ tunc facta est per præsentiam animæ, cum corpus penderet exanimè D super terram. Sanguis aridam rigavit, sanguis infudit terram, et inebriavit eam; sanguis quæ in terra, et quæ in cælis sunt pacificavit, non autem et quæ apud inferos: nisi quod semel illo, ut dixi, anima ejus excurrit, et fecit ex parte redemptionem, non vel eo momenti vacaret opera charitatis (247); sed

fusioribus Notis), ex damnatis quosdam ab inferis per Christum liberatos fuisse: sed tantum Patres eductos e limbo, quem in ipso inferno sanctus Doctor collocat, tum sermone 4 in die Paschæ, num. 5, ubi « carcerem gehennalem » vocat: tum maxime sermone 4 in festo Omnium Sanctorum, num. 4, ubi sinum Abrahæ explicans ait ante Christi adventum nulli omnino sanctorum ad cælum patuisse accessum, sed Deum eis providisse « in inferno ipso locum quietis et refrigerii, » ita tamen ut magnum chaos esset inter illos et animas impiorum.

ultra non adjiciet. Ergo nunc tempus acceptabile et aptum ad quærendum in quo plane qui quærit invenit : si tamen ubi, et uti oportet, quærit. Et hæc una causa, quæ impedire potest, ne inveniatur sponsus a quærentibus se, cum non quærent in tempore opportuno. At non ea impedit sponsam, nempe invocantem et quærentem in tempore opportuno. Sed ne illa quidem eum tepide aut negligenter seu perfunctorie quærit : nam corde ardenti et omnino infatigabiliter quærit, plane ut decet.

6. Restat ut de tertia videamus, ne videlicet ubi non decet quærat. *In lectulo meo quæsi quem diligit anima mea.* An forte non in lectulo quærendus erat, sed in lecto ; quippe cui orbis angustus est ? Sed non horreo lectulum, qui novi parvulum. Parvulus denique nobis natus est (*Isa. ix, 6*). Exsulta tu et lauda, habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel (*Isa. xii, 6*). At idem Dominus in Sion magnus, apud nos parvulus, apud nos infirmus repertus est ; ex uno jacere, ex altero et in lectulo jacere habens. An non lectulus tumulus ? an non lectulus præsepium ? an non lectulus uterus Virginis ? Neque enim magni Patris uterus lectulus est, sed lectus magnus, de quo ad Filium : *Ex utero*, inquit, *ante luciferum genui te* (*Psal. cix, 3*). Quanquam ne lectus quidem forsitan digne censendus sit uterus ille, qui regentis potius, quam jacentis est locus. Manens enim in Patre regit cum Patre universa. Denique non jacere, sed sedere ad dexteram Patris Filium indes indubitata habet ; et ipse cælum sibi sedem esse, non lectum perhibet (*Isa. lxvi, 1*) : ut scias illum in suis, id est in superis, nequaquam solatia habere infirmitatis, sed potestatis insignia.

7. Merito proinde sponsa ponens lectulum, dicit suum, quia omne quod infirmum est Dei, non de proprio inesse illi manifestum est, sed de nostro. Ex nobis assumpsit quæ pro nobis sustinuit, nasci, lactari, mori, sepeliri. Mea est mortalitas nati, mea infirmitas parvuli, mea exspiratio crucifixi, mea sepulti dormitio. Quæ priora transierunt, et ecce nova sunt omnia. *In lectulo 1533 meo quæsi per noctes quem diligit anima mea.* Quid ? in tuo quærebas,

« Quamvis enim, » inquit, « utraq̃ue in tenebris essent, non utraq̃ue erant in pœnis... In hunc ergo locum Salvator descendens, contrivit portas æreas, et vertes ferreos confregit, eductosque vinctos de domo carceris, » etc. quæ mire hunc locum illustrant. — Ita M. billonius : quam vero commemorat Horstii notam in hunc locum, hæc est : — Quibus verbis sentire videtur Christum semel in suo ad inferos descensu aliquem ex damnatis eruisse. Item insinuat Cyprianus (imo Arnoldus abbas Bonæ-Vallis.) serm. de Ascens. Domini, ubi sic habet : « Non miserebitur ultra Deus, » (nempe semel damnatis ad inferos) « neque tunc audiet pœnitentes. Sera erit illa confessio : et cum clausa fuerit janua, frustra carentes oleo acclamabunt exclusi. Nullum ibi refrigerium, nullum remedium. Semel Christus descendit ad inferos : ulterius non descendet. Non ultra videbunt Deum in tenebris sigillati : irregressibilis erit illa sententia, et immutabile judicium, » etc. Videtur et hinc sententia favere Gregorius Nazianz. orat. 42, et absolute affirmat Clemens Alex. lib. vi

qui se jam in sua receperat ? Non videras Filium hominis ascendentem ubi erat prius ? Jam cælum tumulo commutavit et stabulo, et tu illum in tuo adhuc lectulo quæris ? Surrexit, non est hic. Quid quæris in lectulo fortem, in lectulo magnum, clarificatum in stabulo ? Introivit in potentias Domini, decorem induit et fortitudinem : et ecce sedet super cherubim, qui sub lapide jacuit. Ex hoc jam non jacet, sed sedet : et tu tanquam jacenti subsidia paræ ? Sive, ut absolutior veritas sit, aut sedet judicans, aut stat adjuvans.

8. Sic vos, o bonæ mulieres, cuiam, quæso, excubias exhibetis ? cui aromata comparatis, paratis unguenta ? Si sciretis quantus is sit, quamque sit inter mortuos liber mortuus iste quem ungere pergitis, vos forsitan petissetis ab eo potius ungi. Nonne iste est, quem unxit Deus suus oleo lætitiæ præconsortibus suis ? (*Psal. xlv, 8*.) Beati eritis vos, si gloriari poteritis reterentes, et dicere, quia de plenitudine ejus et nos accepimus (*Joan. i, 16*). Enimvero factum est ita. Nam revera unctæ remcant, quæ uncturæ venerant. Quidni unctæ tam læto nuntio novæ odoriferæque resurrectionis ? *Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bonæ!* (*Rom. x, 15*.) Missæ ab angelo opus faciunt evangelistæ ; factæque apostolæ apostolorum, dum festinant ad annuntiandum mane misericordiam Domini, dicunt : In odore unguentorum tuorum currimus. Ex tunc ergo et deinceps frustra in lectulo quæsitus est sponsus ; quia etsi cognoverat eum Ecclesia secundum carnem, id est secundum carnis infirmitatem, sed nunc jam non novit. Denique quæsitus est postmodum a Petro et Joanne identidem in sepulcro, sed minime inventus. Vide tu, utrumne apte et competenter quisque horum tunc dicere quiverit : *In lectulo meo quæsi quem diligit anima mea ; quæsi, et non inveni.* Nempe itura ad Patrem caro quæ non erat ex Patre, prius per gloriam resurrectionis omne infirmum se exiit, accinxit potentia, induit lumine sicut vestimento : in quali nimirum gloria et ornatu decuit eam paternis aspectibus præsentari.

9. Pulchre vero sponsa : Non quem diligo ego, Stromat.

Sciendum vero, etsi certum sit de fide pœnas damnatorum æternas esse, ut Theologi in qua Sent. dist. 44 latius docent : tamen non esse de fide certum, utrum in hac lege Dei ordinaria dispenseetur, necne. Patres illi itaque non loquuntur de lege, sed de privilegio : imo ne de hoc quidem absolute, sed hypothetice, in hunc sensum : si quando quis fuerit ab inferis liberatus, tunc id factum oportuisse, quando Christus ipse ad inferos descendit. Quæ propositio rationi videtur satis consentanea : cum qua tamen stat, neminem ab inferis erutum fuisse, quod neminem unquam erui oportuerit. Clementem Alexandr. ab errore Marcionis non liberamus.

De anima Trajanii precibus S. Gregorii Magni ab inferis liberata variant scriptores. Alii commentitiam aiunt esse narratorem : alii quoque modo interpretantur. Vide Baron. tomo VIII, an. 604 ; Bellarm. de Purgat. lib. ii, cap. 8 ; Suarez, tomo II, in parte, disp. 43, sect. 3 ; Mendoz. in lib. I Reg. vi, cap. 2, nom. 6.

sed quem diligit anima mea, inquit : quod vere et proprie ad solam pertineat animam illa dilectio, qua aliquid spiritualiter diligit, verbi gratia, Deum, angelum, animam. Sed et diligere iustitiam, veritatem, pietatem, sapientiam, virtutesque alias, ejusmodi est. Nam cum secundum carnem quidpiam diligit, vel potius appetit anima, verbi gratia cibum, vestimentum, dominium, et quæ istiusmodi sunt corporalia sive terrena, carnis potius, quam animæ amandicendus est. Et hoc pro eo quod sponsa minus usitate, sed non minus proprie, animam eam sponsum diligere dicit, monstrans proinde spiritum esse sponsum, at a se non carnali, sed spirituali amore diligit. Et bene *per noctes* se quæsisse eum ait. Nam si juxta Paulum, qui dormiunt, nocte dormiunt, et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt (1 Thess. v, 7) : ita non absurde, ut opinor, dici potest, quod qui ignorant, nocte ignorant; ac per hoc qui quærunt, nocte quærunt. Quis enim quærat, quod palam habet? Porro dies palam facit, quod nox abscondit, ut reperias in die, quod in nocte quæsieras. Nox est itaque donec quæritur sponsus; quoniam si dies esset, de medio fieret, et minime quæreretur. Et de hoc satis : nisi forte numerositas hæc noctium aliquid adhuc quærendum signet [alias insinuet], quia non noctem, sed noctes posuit.

10. Et mihi videtur, si tu melius non habes, talis posse ratio reddi. Habet mundus iste noctes suas, et non paucas. Quid dico, quia noctes habet mundus, cum pene totus ipse sit nox, et totus semper versetur in tenebris? Nox est Judaica perfidia, nox ignorantia paganorum, nox hæretica pravitas, nox etiam Catholicorum carnalis, animalisve conversatio. An non nox, ubi non percipiuntur ea quæ sunt Spiritus Dei? Sed et apud hæreticos vel schismaticos quot sectæ, tot noctes. Frustra per has noctes justitiæ solem et lumen quæritis veritatis, id est sponsam; quia nulla societas luci ad tenebras. Sed dicit aliquis, quod non sit tam stulta, tamve **1534** cæca sponsa, ut quærat lumen in tenebris, quærat dilectum apud ignorantes, et qui non diligunt eum. Quasi vero se per noctes nunc quærere dicat, et non potius quæsisse, non ait : Quæro; sed, *quæsi per noctes, quem diligit anima mea*. Et est sensus, quia cum esset parvula, sapiebat ut parvula, cogitabat et parvula, et quærebat veritatem ubi non erat, errans, et non inveniens, juxta illud in psalmo : *Erravi sicut ovis quæ periit* (Psal. cxviii, 176). Denique in lectulo se memorat tunc adhuc esse, tanquam ætate imbecillem ac parvulam sensu.

11. Si tamen ita construas : *In lectulo meo*, subaudis, existens vel jacens, *quæsi quem diligit anima mea*; non quæsi in lectulo, sed ens (248) in lectulo quæsi, hoc est : Cum adhuc infirma et invalida forem, et omnino minus idonea sequi sponsum quocunque iret, sequi ad ardua et excelsa sublimitatis illius, incidi in multos, qui cognoscentes desiderium meum, dicebant mihi : *Ecce hic est Chri-*

stus, ecce illic est (Marc. xiii, 21) : et neque hic, neque illic erat. Incidi autem, et non ad insipientiam mihi. Nam quo propius accessi, et exploravi diligentius, eo citius certiusque cognovi, veritatem apud eos minime esse. Quæsi enim, et non inveni; et deprehendi noctes, qui se dies mentiebantur.

12. Et dixi : *Surgam, et circuibo civitatem*; per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea. Intuere vel nunc, quia jacet quæ dicit : *Surgam*. Pulchre omnino. Quidni surgeret, cognito de resurrectione dilecti? Cæterum, o beata, si consurrexisti cum Christo, quæ sursum sunt sapias oportet; neque deorsum, sed sursum quæras Christum necesse est, ubi sedet in dextera Patris (Coloss. iii, 1, 2). Sed *circuibo*, ais, *civitatem*. Ad quid? In circuitu impii ambulant. Judæis istud relinquito, quibus proprius eorum propheta hoc vaticinatus est, quia *famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem* (Psal. lvi, 7). Et si introieris in civitatem, secundum prophetam alium, *ecce attenuati fame* (Jerem. xiv, 18) : quod utique non esset, si in ea fuisset panis vitæ. Surrexit de corde terræ, sed super terrain non remansit. Ascendit autem ubi erat prius. Nam qui descendit, ipse est et qui ascendit, panis vivus qui de cælo descendit, idem ipse sponsus Ecclesiæ, Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LXXVI.

De claritate sponsi, in qua cœqualis Patri sede a dextris gloriæ ejus : et qualiter boni pastores debent esse solliciti, vigiles et discreti circa pascendas animas sibi commissas.

1. *Per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea* (Cant. iii, 2). Adhuc ut parvula sapit. Puto, arbitrata est egressum de tumulo publicum mox petiisse, ut solito doceret populos, ac sanaret infirmos, et ut manifestaret gloriam suam in Israel, si forte reciperent resurgentem de morte, qui se recepturos promittebant descendentem de cruce. Verum ille perfecerat opus, quod sibi dederat Pater ut faceret : quod sane ista intellexisse debuerat vel ex voce pendens, illa scilicet, qua illico exspiraturus ait : *Consummatum est* (Joan. xix, 30). Non erat jam quod se denuo crederet turbis, quæ nec sic forsitan erant in eum credituræ. Et festinabat ad Patrem, qui sibi diceret : *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (Psal. cix, 4). Fortius nempe atque divinius, cum exaltatus fuerit a terra, omnia trahet ad se ipsum. Hæc autem per vicos et plateas quærendum putavit, fruendi avida, sed ignara mysterii. Iterum ergo frustrata repetit dicens : *Quæsi illum, et non inveni*; ut sermo impleretur quem dixit : *Quia vado ad Patrem, et jam non videbitis me* (Joan. xvi, 16).

2. Dicat forsitan ista : Quomodo ergo credent in eum, quem non videbunt? Quasi fides ex visu sit, et non potius ex auditu. Quid magni est credere quod

(248) Sic manuscripti; non, *sedens*.

videris? et tuis non negare oculis fidem quid laudis meretur? Sed si quod non videmus speramus, per patientiam expectamus; et patientia meritum est. Beati denique qui non viderunt, et crediderunt (Joan. xx, 29). Proinde ut non evacuetur meritum fidei, subducatur se visui, dans virtuti locum. Etiam et tempus est ut jam in summum sese recipiat **1535**. Quæris, in quem suum? In dexteram Patris. Neque enim rapinam arbitrabitur esse se æqualem Deo, cum sit in forma Dei (Philipp. ii, 6). Ergo is sit Unigeniti locus; in quo omnis ejus injuria propulsata videatur. Sedeat sane juxta, non infra, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. In hoc apparebit majestas æqualitas, si nec inferiorem Patre, nec posteriorem suscepseris. At ista interim nihil horum advertit: sed quasi ebria præ amore hac illaque discurrens, quærit oculis, quem jam oculus non contingit, sed fides. Non enim existimat Christum aliter oportere intrare in gloriam suam, nisi prius resurrectionis gloria palam mundo innotescente confutetur impietas, exsultent fideles, gloriantur discipuli, populi convertantur, demumque ab universis glorificetur ipse, cum ex præsentia resurrectionis cunctis claruerit veritas prædicentis. Falleris, o sponsa. Oportet quidem hæc fieri, sed in tempore.

5. Nunc vero interim vide, ne forte id dignum magis et supernæ consentaneum justitiæ sit, si non detur sanctum canibus, et margaritæ porcis: si potius, secundum Scripturam, tollatur impius, ne videat gloriam Dei (Isai. xxvi, 10); si non fraudetur fides merito, quæ tunc sane probatior esse dignoscitur, cum creditur quod non videtur; si penes ipsam servetur dignis, quod occultatur indignis, ut qui in sordibus sunt sordescant adhuc, et justii justificentur magis (Apoc. xxi, 14), si non dormitent præ tædio, Cæli et cæli cælorum tabescant et confundantur ab expectatione sua, si non ipse Pater omnipotens diutius jam frustretur a desiderio cordis sui; si non demum Unigenitus ultra ab introitu gloriæ suæ, quod vel solum indignissimum est, aliquatenus retardetur. Quanti putas æstimanda sit gloria quantumcumque mortalium, ut ab ea, quæ a Patre suo ab æterno parata est, debeat eum vel ad modicum retinere? Adde quod nulla ratione in longius protrahi decet ipsius Filii petitionem. Quam dicam petitionem quæris? Nempe illam, qua dicit: *Pater, clarifica Filium tuum*. Quod tamen cum petiisse senserim, non ut supplicem, sed ut præscium. Libere petitur, quod in potestate petentis accipere est. Ergo dispensatoria est Filii petitio, non necessaria. quippe donantis cum Patre, quidquid a Patre acceperit.

4. Ubi et hoc dicendum, quia non solum Pater clarificat Filium, sed et Filius clarificat Patrem: ne quis dicat Filium minorem Patre, quasi qui a Patre clarificetur, cum et ipse clarificet Patrem, dicente Filio: *Pater, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te*. Sed forte adhuc submitendum putas Filium, quod quasi inglorius videatur a Patre recipere claritatem, quam demum Patri refundat. Audi

quia non est ita: *Clarifica me*, inquit, *Pater, claritate quam habui, priusquam mundus fieret, apud te* (Joan. xvii, 1, 5). Si ergo claritas Filii posterior non est, utpote quæ ab æterno est, ex æquo se clarificant Pater et Filius. Et si ita est, ubi Patris primatus? Æqualitas profecto est, ubi coæternitas est. Et usque adeo æqualitas, ut una sit claritas amborum, sicut ipsi unum sunt. Unde mihi videtur dicendo rursus: *Pater, clarifica nomen tuum*, non sane aliud petere, quam se clarificari, in quo, et per quem nomen Patris procul dubio clarificaretur: et responsum accepit a Patre: *Et clarificavi, et iterum clarificabo* (Joan. xii, 28). Quæ quidem ipsa Patris responsio non parva Filii glorificatio fuit. Cæterum abundantius ad fluentia Jordanis, augustiusque clarificatus dignoscitur, et Joannis testimonio, et columbæ designatione, et voce Patris dicentis: *Hic est Filius meus dilectus* (Matth. iii, 14, 16, 17). Sed et in monte coram tribus discipulis nihilominus magnificentissime clarificatus est, tum voce eadem denuo ad se cælitus delapsa, tum mira illa eximique transfiguratione corporis sui, tum etiam prophetarum attestatione duorum, qui ibidem apparuerunt cum eo loquentes (Matth. xvii, 2, 5).

5. Superest ergo ut juxta promissum Patris semel adhuc clarificetur, eaque erit plenitudo gloriæ, cui non queat amplius addi. Sed ubi illa dabitur benedictio? Non enim, ut ista suspicata est, in plateis vel vicis, **1536** nisi forte in illis, de quibus dicitur: *Plateæ tuæ, Jerusalem, sternentur auro mundo, et per omnes vicos tuos alleluia cantabitur* (Tob. xiii, 22). In his revera illam recepit a Patre Filius claritatem, cui non poterit similis inveniri, ne in cælestibus quidem. Cui enim *aliquorum angelorum dictum est: Sede a dextris meis* (Hebr. i, 13.) Non modo autem de numero angelorum, sed nec de superioribus quidem reliquis beatorum ordinibus omnino quis repertus idoneus est ad capessendam superexcellenter hanc gloriam. Ad neminem prorsus illorum facta est vox illa gloriæ singularis, nemini vocis in se efficientiam experiri datum. Sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, profecto desiderant in eum prospicere, non se illi comparare præsumunt. Igitur Domino meo singulariter a Domino et dictum, et datum est, sedere a dextris gloriæ ipsius, utpote in gloria cœquali, in essentia consubstantiali, pro generatione consimili, majestate non dispari, æternitate non posteriori. Ibi, ibi illum qui quæret inveniet, et videbit gloriam ejus: non gloriam quasi unius cæterorum, sed plane gloriam quasi Unigeniti a Patre (Joan. i, 14).

6. Quid facies, o sponsa? Putas, potes sequi eum illic? aut te irgerere audes vel vales huic tam sancto arcano, tamque arcano sanctuario, ut Filium in Patre, et Patrem intuearis in Filio? Non utique. Ubi est ille, tu non potes venire modo, venies autem postea. Age tamen, sequere, quære; nec te inaccessibilis illa claritas vel sublimitas a quærendo deterreat, ab inveniendo desperare faciat. Si potes cre-

dere, omnia possibilis sunt credenti (*Marc. ix, 22*). Prope est, inquit, verbum in ore tuo, et in corde tuo (*Rom. x, 8*). Crede, et invenisti. Nam credere invenisse est. Norunt fideles inhabitare Christum per fidem in cordibus suis (*Ephes. iii, 17*). Quid propius est? Quære ergo secunda, quære devota. Bonus est Dominus animæ querenti se (*Thren. iii, 25*). Quære votis, sequere actibus, fide inveni. Quid non inveniat fides? Attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit novissima; ipsam denique æternitatem suo illo vastissimo sinu quodam modo circumcludit. Fidenter dixerim, æternam beatamque Trinitatem, quam non intelligo, credo; et fide tenco, quam non capio mente.

7. Sed dicit aliquis: Quomodo credet sine prædicante, cum fides ex auditu sit, auditus per verbum prædicationis? (*Rom. x, 14, 17*). Deus hoc providebit. Et ecce jam præsto sunt qui novam sponsam, cælesti nupturam sponso, de quibus oportet, instruant et informant, fidem doceant, formam pietatis ac religionis tradant. Audi namque quid adjiciat: *Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem*. Qui enim vigiles hi? Nempe illi quos Salvator in Evangelio beatos pronuntiat, si, cum venerit, invenerit vigilantes (*Luc. xii, 37*). Quam boni vigiles, qui nobis dormientibus ipsi pervigilant, quasi rationem reddituri pro animabus nostris! Quam boni custodes, qui vigilantes animo, atque in orationibus pernoctantes, hostium insidias sagaciter explorant, anticipant consilia malignantium, deprehendunt laqueos, eludunt tendiculas, retiacula dissipant, machinamenta frustrantur? Hi sunt fratrum amatores et populi Christiani, qui multum orant pro populo et universa sancta civitate. Hi sunt, qui multum solliciti pro sibi commissis Dominicis ovibus, cor suum tradunt ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illos, et in conspectu Altissimi deprecantur. Et vigilant, et deprecantur, scientes suam insufficientiam in custodienda civitate, et quia nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam (*Psal. cxxxvi, 1*).

8. Porro cum Dominus ita præcipiat: *Vigilate, et orate, ne intretis in tentationem* (*Marc. xvi, 38*); liquet quod absque duplici hoc exercitio fidelium, studioque custodum, non potest esse secunda civitas, non sponsa, non oves. Horum differentiam quæris? Unum sunt. Civitas propter collectionem, sponsa propter dilectionem, oves propter mansuetudinem. Vis scire hoc sponsam, quod civitatem esse? *Vidi*, inquit, *civitatem sanctam Jerusalem novam descendentem de cælo a Deo, paratam tanquam sponsam ornatum viro suo* (*Apoc. xxi, 2*). Identidem tibi hoc et de ovibus liquido apparebit, si recorderis, primus ille custos **1537** (Petrum loquor), cum sibi primo oves committerentur, quam attentè simul de amore communitus sit. Quod utique tanta cura sapiens creditor non fecisset, nisi se sentiret sponsum, id sibi utique ex intimo respondente conscientia. Audite hæc, amici sponsi, si tamen amici. At parum

A dixi, amici: amicissimi sint oportet, qui privilegio tantæ familiaritatis donantur. Non otiose toties repetitum est: *Petre, amas me?* (*Joan. xxi, 15, 17*) in commissione ovium. Et ego quidem id significum perinde puto, ac si illi dixisset Jesus: Nisi testimonium tibi perhibente conscientia quod me ames, et valde perfecteque ames, hoc est, plus quam tua, plus quam tuos, plus quam etiam te, ut hujus repetitionis nec numerus impleatur, nequaquam suscipias curam hanc, nec te intromittas de ovibus meis, pro quibus sanguis utique meus effusus est. Terribilis sermo, et qui possit etiam impavida quorumvis tyrannorum corda concutere.

9. Propterea attendite vobis quicumque opus ministerii hujus sortiti estis; attendite, inquam, vobis, et pretioso deposito quod volis creditum est. Civitas est: vigilate ad custodiam, concordiamque. Sponsa est: studete ornatum. Oves sunt: intendite pastui. Et hæc tria ad illam Domini trinitatem scisitationem forte non incongrue pertinere dicuntur. Porro custodia civitatis ut sit sufficiens, trifaria erit; a vi tyrannorum, a fraude hæreticorum, a tentationibus dæmonum. Sponsæ vero ornatus in bonis operibus, et moribus, et ordinibus. At pastus ovium communiter quidem in pascuis Scripturarum, tanquam in hæreditate Domini; sed est distinctio in illis. Nam sunt mandata, quæ duris atque carnalibus animis imponuntur ex lege vitæ et disciplinæ: et sunt olera dispensationum, quæ infirmis et pusillis corde de respectu misericordiæ apponuntur: et sunt consiliorum solida fortiaque, quæ ex inimicis sapientiæ proponuntur sanis, et qui exercitatos habent sensus ad discretionem boni et mali. Parvulus namque, tanquam agniculis, adhortationis læ potus datur, non esca. Ad hæc boni sollicitique pastores impinguare pecus non cessant bonis lætis que exemplis, et suis magis quam alienis. Nam si alienis et non suis; ignominia est illis, et pecus ita non proficit. Si enim, verbi causa, ego qui videor inter vos pastoris gerere curam, vobis apposuero Moysi mansuetudinam, patientiam Job, misericordiam Samuelis, David sanctitatem, et si qua sunt ejusmodi exempla bonorum, immitis ipse et impatiens, atque immisericors et minime sanctus: sermo, ut vereor, minus sapiente eveniet, et vos minus avidè capietis. Verum hoc supernæ pietati relinquo, ut quod minus vobis ex nobis est, ipsa suppleat; et quod perperam, ipsa corrigat. Nunc vero bonus pastor hoc quoque curabit, ut secundum Evangelium inveniat habere sal in semetipso (*Marc. ix, 49*); sciens quia sermo sale conditus quantum placuerit ad gratiam, tantum proderit ad salutem. Hæc interim de custodia civitatis, atque ornatum sponsæ, nec non et pastus ovium dicta sint.

10. Volo tamen adhuc eadem paulo expressius designare propter eos, qui dum avidè nimis honoribus inhiant, minus provide gravibus se supponunt oneribus, exponunt periculis: ut sciant ad quid venerint, sicut scriptum est: *Amice, ad*

quid venisti? (*Math.* xxvi, 50.) Ni fallor, ad so-
tam civitatis custodiam, ut quantum satis est
procuretur, opus est viro forti, spirituali, fideli:
forti ad propulsandas injurias, spirituali ad depre-
hendendas insidias, fideli qui non quæ sua sunt
quærat. Porro autem ad mores honestandos vel
corrigendos, quod utique ad decorem pertinet spon-
sæ, quis non liquido agnoscat pernecessariam fore
cum multa quidem diligentia disciplinæ censuram?
Ea propter omnis, cui hoc opus incumbit, oportet
ferveat zelo illo, quo accensus præcipuus ille æmu-
lator sponsæ Domini aiebat: *Æmulor vos Dei æmu-
latione; despondi enim vos uni viro virginem* **1538**
castam exhibere Christo (*II Cor.* xi, 2). Jam quo-
modo in pascua divinorum educet eloquiorum gre-
ges Dominicos pastor idiota? Sed et si doctus qui-
dem fuerit, non sit autem bonus, verendum ne non
tam nutriat doctrina uberi, quam sterili vita noceat.
Temere itaque et in hac parte hoc onus subitur abs-
que scientia pariter, vitæque laudabili. Sed ecce,
quod non laudamus, finis indicitur, ubi non erat fi-
nis. Evocamur in materiam alteram, et cui hanc
cedere indignum (249). Angor undique, et quod
ægrius feram ignoro, avelli ab ista, an distendi in
illa: nisi quod utrolibet simul utrumque molestius.
O servitatem! o necessitatem! non quod volo hoc
ago, sed quod odi illud facio. Notate tamen ubi de-
sinimus, ut quam cito in id redire liberum erit, inde
mox ordiamur, in nomine sponsi Ecclesiæ Jesu
Christi Domini nostri, qui est super omnia Deus be-
nedictus in sæcula. Amen.

SERMO LXXVII.

*De malis pastoribus Ecclesiæ; item quomodo beati in
cælo simul cum angelis adiutorio sunt electis adhuc
peregrinantibus.*

1. Eia expediti sumus! Diximus hesterno ser-
mone, quales in via hac qua ambulamus, vellemus
habere duces, non quales habemus. Longe dissimi-
les experimus. Non omnes sunt amici sponsi, quos
hodie sponsæ hinc inde assistere certis, et qui, ut
vulgo aiunt, eam quasi addextrare videntur. Pauci
admodum sunt, qui non quæ sua sunt quærant, ex
omnibus charis ejus. Diligent munera, nec possunt
pariter diligere Christum; quia manus dederunt
mammonæ. Intuere quomodo incedunt nitidi et or-
nati, circumamicti varietatibus, tanquam sponsa
procedens de thalamo suo. Nonne si quempiam ta-
lium repente eminus procedentem aspexeris, spon-
sam potius putabis, quam sponsæ custodem? Unde
vero hanc illis exuberare existimas rerum affluen-
tiam, vestium splendorem, mensurarum luxuriam,
congeriem vasorum argenteorum et aureorum, nisi
de bonis sponsæ? Inde est quod illa pauper, et inops,
et nuda relinquitur, facie miseranda, inculta, hi-
spida, exsanguis. Propter hoc non est hoc tempore
ornare sponsam, sed spoliare; non est custodire,

(249) His verbis innuit Bernardus sermonem ali-
qua necessitate fuisse interruptum; ejusque finem
aliquo signo indicatum: sive id fuerit signum com-

sed perdere; non est defendere, sed exponere; non
est instituere, sed prostituere; non est pascere
gregem, sed mactare et devorare, dicente de illis
Domino: *Qui devorant plebem meam, ut cibum
panis* (*Psal.* xlii, 4; lxi, 5); et: *Qui comederunt
Jacob, et locum ejus desolaverunt* (*Psal.* lxxviii,
7); et in alio propheta: *Peccata populi mei come-
dent* (*Osee* iv, 8); quasi dicat: Peccatorum pretia
exigunt, et peccantibus debitam sollicitudinem non
impendant. Quem dabis mihi de numero præposito-
rum, qui non plus invigilet subditorum vacuandis
marsupiis, quam vitis extirpandis? ubi qui orando
flectat iram; qui prædicet annum placibilem Domi-
no? Leviora loquimur; graviora gravius manet ju-
diciū.

2. Sine causa tamen vel his, vel illis immoramur,
quia non audiunt nos. Sed etsi litteris forsitan ma-
udentur ista quæ dicimus, dedignabuntur legere; aut
si forte legerint, mihi indignabuntur, quamvis re-
ctius sibi hoc facerent. Propterea relinquamus istos,
non inventores sponsæ, sed venditores; et inquam
potius illos, a quibus sponsa se inventam loquitur.
Et quidem illorum isti sortiti sunt ministerii locum,
sed non zelum. Successores omnes cupiunt esse,
imitatores pauci. O utinam tam vigiles reperirentur
ad curam, quam alacres currunt ad cathedram!
Vigilarent utique, sollicitè servantes ab illis inven-
tam, sibi creditam. Imo vero evigilarent pro semet-
ipsis, nec sinerent de se dici: *Amici mei et proximi
mei adversum me appropinquaverunt et steterunt*
(*Psal.* xxxvii, 12). Justa omnino querimonia, nec ad
ullam justius, quam ad **1539** nostram referenda
ætatē. Parum est nostris vigilibus quod non ser-
vant nos, nisi et perdant. Alto quippe demersi
oblivionis somno, ad nullum Dominicæ comminatio-
nis tonitruum expergiscuntur, ut vel suum ipsorum
periculum expavescant. Inde est ut non parcant
suis, qui non parcent sibi, perimentes pariter et
pereuntes.

3. Sed enim quinam illi sunt vigiles, a quibus se
inventam perhibet sponsa? Nempe apostoli, atque
apostolici viri. Vere hi sunt qui custodiunt civitatem,
id est eam ipsam quam invenerunt Ecclesiam, eoque
vigilantius, quo nunc temporis gravius periclitantem
conspiciunt, a malo utique domestico et intestino,
sicut scriptum est: *Et inimici hominis domestici ejus*
(*Mich.* vii, 6). Neque enim pro qua usque ad san-
guinem restiterunt, suo derelinquunt patrocinio desi-
tutam, sed protegent et custodiant eam die ac nocte,
hoc est, in vita et in morte sua. Et si pretiosa est in
conspectu Domini mors sanctorum ejus (*Psal.* cxv,
15), non ambigo ego quin etiam tanto in morte po-
tentius id agant, quanto in ipsa amplius confortatus
est principatus eorum (*Psal.* cxxxviii, 17).

4. Sic ista asseris, ait quis, ac si oculis tuis videris
ea; sunt autem ab humanis seclusa conspectibus.

munis mensæ, sive aliud quodvis negotium, cui hanc
materiam cedere indignum ducit. Negotium potius
indicant sequentis sermonis prima verba.

Cui ego : Si tu tuorum oculorum testimonium fidele putas, testimonium Dei majus est. Ait vero : *Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes : tota die et tota nocte, in perpetuum non tacebunt* (Isa. LXII, 6). Sed de angelis, inquis, id dictum est. Non ab uno : omnes sunt administratorii spiritus (Hebr. 1, 14). At quis me prohibeat itidem et de istis sentire, qui potentia quidem minime jam ipsis angelis impares sunt, affectu autem et misericordia eo nobis forsitan germaniores existunt, quo natura conjunctiores? Junge et tolerantiam earum : em passionum et miseriarum, in quibus nos pro tempore adhuc versamur. Nihilne amplius miserationis pro nobis vel sollicitudinis operabitur in mentibus sanctis, quod et se transisse per eas procul dubio meminertunt? Nonne illa ipsorum vox est : *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium?* (Psal. LXV, 12.) Quid? ipsi transierunt, et nos in mediis ignibus vel fluctibus derelinquent, nec saltem manum porrigere dignabuntur periclitantibus filiis? Non est ita. Bene tecum agitur, o mater Ecclesia, bene tecum agitur in loco peregrinationis tuæ : de cælo et de terra venit auxilium tibi. Qui custodiunt te, non dormitant, neque dormiunt. Custodes tui angeli sancti, vigiles tui spiritus et animæ justorum. Non errant qui te ab utrisque inventam spiritibus senserint, ab utrisque pariter custodiri. Et est hujus sollicitudinis ratio quibusque sua : his quidem, quod sine te non consummentur ; illis vero, quod nisi de te ad sui plenitudinem minime restaurentur. Nam quis nesciat, Satana cadente de cælo et ejus complicibus, numerum supernæ multitudinis parte non modica imminutum? De te itaque omnes consummationem expectant, alii numeri, alii desiderii sui. Agnosce proinde vocem in psalmo : *Me expectant justi, donec retribuas mihi* (Psal. CXXI, 8).

5. Et advertendum, quod non ista illos, sed illi istam potius invenisse referuntur, utque ego suspicor ad hoc ipsum studio destinati. Nam quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Denique habes loquentem in Evangeliiis : *Ite, ecce ego mitto vos* (Luc. x, 3) ; et : *Ite, prædicate Evangelium omni creaturæ* (Marc. XVI, 15). Ita est. Illa quærebat sponsum, et sponsum non latebat. Nempe qui in hoc ipsum excitaverat eam ut se quæreret, et dederat illi cor ad præcepta, et legem vitæ et disciplinæ, dummodo esset qui instrueret et doceret viam prudentiæ. Et misit in occursum ejus plantatores et rigatores, qui eam enutrent, et confirmarent in omni certitudine veritatis, hoc est, indicarent illi certamque redderent de dilecto ; quia veritas est quam quærit, et quam vere diligit anima ejus. Et revera quis fidus versusve animæ amor, nisi utique is, quo veritas adamatur? Rationis sum compos, veritatis sum capax ; sed utinam non forem, si amor veri defuerit. Horum quippe ramorum is fructus est, et ego radix. Non sum securus a securi, si absque eo inveniar. In illo nimirum **1540** naturæ munere illud divinæ imaginis emittere insigne haud dubium est, ex quo cæteris præstet animantibus.

A Inde est quod audet anima mea ad dulces castosque assurgere veritatis amplexus, et sic in amore ipsius tota securitate ac suavitate quiescere, si tamen inveniatur gratiam in oculis tanti sponsi, ut dignam reputet, quæ ad hanc pertingat gloriam ; imo ipse eam sibi exhibeat non habentem maculam aut rugam, aut aliquid ejusmodi. Quanti putas esse discriminis, quæve dignum pœna, tantum Dei donum otiosum tenere? Verum hoc alias.

6. Nunc vero sponsa quem quærebat, minime reperit ; et quos non quærebat, reperta est ab ipsis. Audiant hoc, qui sine duce et præceptore vias vitæ ingredi non formidant ; ipsi sibi in arte spirituali existentes et discipuli pariter et magistri. Non sufficit hoc : etiam coarcevant discipulos sibi, cæci duces cæcorum. Quam multi ex hoc a recto tramite periculosissime aberrasse comperti sunt ! Nimirum ignorantes astutias Satanae et cogitationes ipsius, factum est ut qui spiritu cæperant, carne consummarentur, abducti turpiter, lapsi damnabiliter. Videant proinde qui ejusmodi sunt, quomodo caute ambulent, et de sponsa exemplum sumant, quæ non prius ad eum, quem desiderabat, ullo modo valuit pervenire, quam sibi occurreret, quorum magisterio uteretur ad cognoscendum de dilecto, certe ad descendendum timorem Domini. Seducitori dat manum, qui dare dissimulat præceptorum. Et qui dimittit oves in pascua absque custode, pastor est non ovium, sed luporum.

C 7. Nunc jam videamus de sponsa, quomodo se dicat inventam. Mihi enim insuete satis verbum inventionis posuisse videtur. Nam ita hoc dicit, ac si uno de loco Ecclesia venerit. Venit autem ab Oriente et Occidente, juxta verbum Domini (Matth. VII, 11), et a cunctis finibus terræ. Sed neque aliquando congregata est in unum locum, ubi ab apostolis seu ab angelis inveniretur deducenda vel dirigenda ad eum, quem diligit anima sua. Fueritne prius inventa quam collecta? Non ; quia nec erat. Quamobrem si collectam, si congregatam, si certe, quod magis vocabulo Ecclesiæ competit, convocatam a prædicatoribus se dixisset, transissem simpliciter, minime in aliquo cunctabundus. Coadjutores enim Dei sunt, quem et audire loquentem : *Qui non colligit mecum, dispergit* (Matth. XII, 30). Sed neque hoc mihi ab re videbitur, si dixerit quis ab eis fundatam sive ædificatam. Siquidem hoc fecerunt una cum illo, qui in Evangeliiis loquitur : *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (Matth. XVI, 18) ; et : *Quia fundata est supra firmam petram* (Matth. VII, 25). Nunc vero nihil horum loquens, sed præter solitum quidem perhibens se inventam, cunctari aliquantum nos facit, atque in suspensionem adducit latere loco, quod sit diligentius intuentium.

8. Volebam, fateor, præterire, meque subducere huic scrutinio, cui sufficere non sentiebam. Cæterum reminiscens in quantis æque dubiis et obscuris, vobis quidem sursum corda levantibus, etiam supra spem meam adjutum me senserim, pudet diffidentie : et

reprehendens timorem meum, adior non quidem temere, quod timide fugiebam. Aderit, ut confido, solitum adiutorium: quod si minus, apud benevolos tamen auditores non erit otiosum quod volui. Verum hoc habebit sequens sermo principium; nam præsentem hic claudimus. Ipse autem det vobis ea quæ dicuntur non solum tenere memoriter, sed et ardentem diligere, et efficaciter adimplere sponsus Ecclesiæ Jesus Christus, Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LXXVIII.

Quod sponsa, id est Ecclesia electorum, prædestinata est a Deo ante sæcula, et præventa ab eo ut quaerret eum, et converteretur.

1. Ad verbum inventionis, si bene memini, illic stetimus et hæsimus, scrupulosius videlicet **1541** B audientes quod sponsa a prædicatoribus suis se inventam dixerit. Porro causæ nostræ cunctationis et dubitationis a nobis expressæ sunt, et visum est aliquid esse quærendum; sed non in calce sermonis, quo jam arctabamur, quod quæsitum est, potuit explicari. Quid restat, nisi ut debitum jam solvamus? In explicatione sacramenti magni: illud loquor, quod Doctor gentium interpretatus est, in Christo et in Ecclesia, sanctum castumque connubium (*Ephes. v. 32*); ipsum est opus nostræ salutis: in eo, inquam, tres sibi invicem cooperantur; Deus, angelus, homo. Et Deus quidem quidni operetur, et curam gerat nuptiarum dilecti Filii sui? Ipse vero (**250**), ac tota voluntate. Et utique per se ipse sufficeret, et absque adminiculo horum; hi autem sine ipso posunt facere nihil. Ergo quod ex illis ascivit in opus ministerii hujus, non sibi solatium, sed profectum quæsitivis illis. Nam hominibus quidem merita locavit in opere, secundum illud: *Dignus est operarius mercede sua* (*Luc. x. 7*): et quia *unusquisque secundum proprium laborem accipiet* (*I Cor. iii. 8*), sive qui in fide plantat, sive qui rigat quod plantatum fuerit. Angelorum autem cum ad salutem humani generis ministerio utitur, nonne facit ut ab hominibus angeli diligantur? Nam quia ab angelis homines diligantur, inde vel maxime adverti potest, quod antiqua suæ civitatis damna ex hominibus resarcitum iri angeli non ignorant. Nec aliis profecto legibus regnum charitatis regi decebat, quam piis ipsorum qui pariter regnaturi sunt, mutisque amoribus, et puris affectionibus in invicem, et in Deum.

2. Est autem in modo operandi differentia nulla, pro cuiusque nimirum operarii dignitate. Deus nempe facit quod vult sola ipsa facilitate volendi, sine æstu, sine motu, sine præiudicio loci vel temporis, vel causæ, vel personæ. Est enim Dominus sabaoth, qui cum tranquillitate iudicat omnia (*Sap. xii. 18*). Est et Sapientia disponens omnia suaviter (*Sap. viii. 1*). Porro angelus non absque motu operatur, tam

(250) Supple ex superiori commate, *curam gerit.*

(251) In codice S. Germaui, *quam corporali*. Sed præfero, *temporali*, ut in Cisterciensi, ut respondeat superiori periodo, ubi Deus dicitur agere, sine præ-

locali, quam temporali (**251**), sine æstu tamen. Homo autem nec ab æstu animi, nec a motu corporis animique liber est in operando. Denique cum timore et tremore suam ipsius iubetur operari salutem (*Philipp. ii. 12*), atque in sudore vultus sui comedere panem suum (*Gen. iii. 19*).

3. His ita explicitis, intuere nunc mecum in hoc tam magifico opere nostræ salutis tria esse quædam, quæ sibi vindicat auctor Deus, prævenitque in illis omnes auxiliares et cooperatores suos; prædestinationem, creationem, inspirationem. Quarum prædestinatio, non dico ab exortu Ecclesiæ, sed ne a mundi principio quidem principium habuit, non denique [*alias*, sane] a tempore illo vel illo: ante tempora est. Porro creatio cum tempore; inspiratio iam in tempore fit, ubi et quando vult Deus. Sane secundum prædestinationem nunquam Ecclesia electorum penes Deum non fuit. Si miratur hoc infidelis, audiat quod magis miretur; nunquam non grata exstitit, nunquam non dilecta. Quidni audacter loquar arcanum, quod mihi de corde Dei promptus ille supernorum delator consiliorum aperuit? Paulum dico, qui, ut multa alia, ita hoc quoque de divitiis bonitatis ejus non est veritus divulgare secretum: *Benedixit nos*, inquit, *in omni benedictione spirituali, in cælestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate; et addit: Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipso, secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo* (*Ephes. i. 3-6*). Nec dubium quin voce omnium electorum ista dicantur: et ipsi Ecclesia sunt. In illo igitur tam profundo æternitatis sinu, antequam in lucem opusque prodiret (**252**) hujus creationis, quis illam vel beatorum spirituum invenire aliquo modo valuerit, nisi si cui ipsa æternitas Deus voluerit revelare?

1542 4. Sed et cum jam ad nutum creantis visa est emersisse in species formasque has facultas atque visibiles, non continuo tamen inventa est a quoquam hominum vel angelorum, eo quod non agnosceretur, imagine terrestris hominis adumbrata, et operta mortis caligine. Sine quo profecto generalis velamine confusionis nemo filiorum hominum intravit hanc vitam, uno sane excepto, qui ingreditur sine macula. Emmanuel is est, qui tamen et ipse ex nobis, pro nobis nostri se induit maledicti, nostrique peccati similitudinem, non veritatem. Sic enim habes, quia apparuit *in similitudine carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in carne* (*Rom. viii. 3*). De cætero unus omnibus per omnia introitus est, electis dico et reprobis. Non enim est distinctio. Omnes peccaverunt, et omnes capitum [*alias*, pileum] suæ verecundiæ portant. Propter hoc

judicio loci vel temporis.

(252) In aliis editis, *opus prodiret*, in recto: at rectius scripti, *opusque in quinto casu*, ut Ecclesia referatur ad prodiret.

itaque, etsi in rebus conditis jam creata existens A Ecclesia, nec sic tamen a creatura ulla inveniri poterat vel agnosci, miro utroque modo interim latens et intra gremium beatæ prædestinationis, et intra massam miseræ damnationis.

5. Cæterum quam celaverat ab æterno prædestinans Sapientia, et item creans Potentia mihi prodierat ab initio (253); visitans profecto gratia suo in tempore revelavit, secundum operationem, quam ideo inspirationem supra nominavi, quod de sponsi spiritu humanis infusus spiritibus quidpiam fuerit in præparationem Evangelii pacis, id est parare viam Domino, atque Evangelio gloriæ ejus ad corda omnium, quotquot erant prædestinati ad vitam. Frustra vigilantes laborassent in prædicando, si non hæc gratia præcessisset. Nunc vero videntes B velociter currere verbum, et populos nationum ad Dominum in omni facilitate converti, concurrere in unitatem fidei tribus et linguas, atque in unam colligi matrem catholicam terminos terræ; cognoverunt de divitiis gratiæ, quæ a sæculis absconditæ tenebantur in abdito prædestinationis æternæ, et gavisi sunt eam se invenisse, quam ante sæcula Dominus elegerat in sponsam sibi.

6. Ex quo, ut opinor, clarum fit non otiosum esse, quod se inventam ab his sponsa testata est; sed propterea quod se ab ipsis collectam agnosceret, non electam; compertam, non conversam. Ei nempe ascribenda cujusque conversio est, cui dicere necesse habent universi illud de psalmo: *Convertite nos, Deus, salutaris noster (Psal. LXXXIV, 5)*. Sed non æque illi fortassis inventionis vocem competenter aptarim, sicut conversionis. Imo vero sic est. Non est invenire Domino, sed prævenire, et inventionem præventio excludit. Denique quid inveniat, qui nihil unquam non novit? *Novit Dominus qui sunt ejus*, ait quidam (II Tim. II, 19). Ipse vero quid? *Ego scio*, ait, *quos elegerim a principio (Joan. XIII, 18)*. Plane quam ab æterno præscivit, quam elegit, quam dilexit, quam condidit, rationis non erat ab eodem perhiberi inventam. Præparatam tamen ab ipso ut inveniretur, fidenter dixerim. Nam, qui vidit, testimonium perhibuit: et scimus quia verum est testimonium ejus (Joan. XIX, 35). *Vidi, inquit, civitatem sanctam Jerusalem novam descendentem de cælo, a Deo paratam tanquam sponsam ornata viro suo (Apoc. XXI, 2)*: isque et vigilibus unus, qui custodiunt civitatem. Sed audi ipsam ejus præparatorem, veluti digito eam demonstrantem vigilibus, sed sub tropo altero. *Levate oculos vestros*, ait, *et videte regiones, quia albæ sunt jam*, id est præparatæ, *ad messem (Joan. IV, 35)*. Ex hoc paterfamilias operarios invitat ad opus, quando jam senserit sic omnia præparata, ut absque multo suo ipsorum labore gloriarı et dicere queant, quoniam *coadjutores Dei sumus (I Cor. III, 9)*. Quid enim facturi sunt? Nempe sponsam quæsituri, inventæque indicaturi de

dilecto. Non enim suam quærent, sed sponsi gloriam, quoniam sponsi amici sunt. Et pro hac non multum apud illam laborabunt: adest, jamque illum tota devotione requirit; 1543 in tantum præparata est voluntas ejus a Domino.

7. Denique necdum illis [alias additur vigilibus] quidquam loquentibus interrogat de dilecto, et prævenit prædicatores suos præventa ipsa, percunctans et dicens: *Num quem diligit anima mea vidistis? (Cant. III, 3)*. Bene proinde se inventam perhibuit ab his qui custodiunt civitatem, quæ a Domino civitatis præcognitam jam se noterat et præventam, quatenus illi talem eam invenirent, non facerent. Sic a Petro Cornelius, et Paulus ab Anania inventi sunt, nam ambo præventi a Domino erant et præparati. Quid Saulo paratius, qui supplici jam et mente et voce clamaverat: *Domine, quid me vis facere? (Act. IX, 6)*. Nec minus Cornelius, qui elemosynis et orationibus suis, Domino quidem eas sibi inspirante, promeruit pervenire ad fidem (Act. X, 4). Invenit quoque Philippus Nathanaelem; sed prius Dominus illum, cum esset sub ficu, jam viderat: quæ Domini visio, nunquid non præparatio fuit? Et Andreas Simonem fratrem suum nihilominus invenisse refertur, sed prævisum æque a Domino atque præscitum, ut vocaretur Cephas, quasi fortis in fide (Joan. I, 45, 48, 41, 42).

8. Legimus de Maria quod inventa fuerit in utero habens de Spiritu sancto (Matth. I, 18). Existimo autem simile quiddam habere in hac parte sponsam C Domini matri ipsius. Nisi enim et ipsa inventa esset habens de Spiritu sancto, nequaquam ab inventori- bus suis tam familiariter requisisset de eo, cujus Spiritus est ille. Non sustinuit ut illi effarentur ad quid venissent; ipsa locuta est, et quidem ex abundantia cordis: *Num quem diligit anima mea vidistis?* Sciebat quia beati oculi qui vidissent, et admirans eos qui viderant, aiebat: *Num vos estis, quibus videre donatum est, quem tot reges et prophete voluerunt videre, et non viderunt? Num vos estis qui meruistis in carne aspicere Sapientiam, in corpore Veritatem, in homine Deum? Multi dicunt, Ecce hic est, et ecce illic: sed ego tutius mihi arbitror fidem accommodare vobis, qui manducastis et bibistis cum eo, postquam resurrexit a mortuis.* D Et hoc dictum sit de eo, quod sponsa sciscitata est a vigilibus. Si quo minus, supplebitur sermone alio. Nunc autem ex hoc vel maxime liquet præventam fuisse a Spiritu sancto; ab his vero qui custodiunt civitatem inventam compertamque, quod vere ipsa sit quam præscivit et prædestinavit ante sæcula Deus, præparavitque dilecto Filio suo delicias sempiternas in sæculis æternis, ut sit sancta et immaculata in conspectu ejus, germinans sicut lilium, et florens in æternum ante Dominum Patrem Domini mei Jesu Christi, sponsi Ecclesiæ, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

(933) In codice Germanensi: nec creans Potentia satis in manifesto eduxerat. Item sensus.

SERMO LXXIX.

De amore tenaci et indissolubili, quo anima tenet sponsum : item de reditu sponsi in fine sæculi ad Synagogam Judæorum salvandam.

1. *Num quem diligit anima mea vidistis?* (Cant. III, 5.) O amor præceps, vehemens, flagrans, impetuose, qui præter te aliud cogitare non sinit, fastidis cætera, contemnis omnia præter te, te contentus! Confundis ordines, dissimulas usum, modum ignoras; totum quod opportunitatis, quod rationis, quod pudoris, quod consilii judicive esse videtur, triumphas in temetipso, et redigis in captivitatem. En omne quod cogitat ista, et quod loquitur, te sonat, tæredolet, et aliud nihil : ita tibi ipsius et cor vindicasti, et linguam. Ait : *Num quem diligit anima mea vidistis?* Quasi vero hi sciant quid cogitet ipsa. Quem diligit anima tua, de ipso sciscitaris? Et non habet nomen? Quænam verò tu, et ille quis? Et hæc ita dixerim propter singularitatem eloquii, et insignem vorhorum incuriam, qua præsens scriptura cæteris dissimilis satis apparet. Unde in epithalamio hoc non verba pensanda sunt, sed affectus. Cur ita, nisi quod amor sanctus, quem totius hujus voluminis unam constat esse materiam, non verbo sit æstimandus, aut lingua, sed opere et veritate? **1544** Amor ubique loquitur : et si quis horum quæ leguntur cepit adipisci notitiam, amet. Alioquin frustra ad audiendum legendumve amoris carmen, qui non amat, accedit : quoniam omnino non potest capere ignitum eloquium frigidum pectus. Quomodo enim Græce loquentem non intelligit qui Græcum non novit, nec Latine loquentem, qui Latinus non est, et ita de cæteris; sic lingua amoris ei qui non amat, barbara erit, eritque sicut æs sonans, aut cymbalum tuniens (*I Cor. XIII, 1*). Isti vero (vigiles loquor) quoniam de Spiritu et ipsi acceperunt ut ament, sciunt quid loquitur Spiritus, et amoris vocibus optime compertis sibi, in promptu habent respondere in simili lingua, id est studiis amoris pietatisque officii.

2. Denique, ita in brevi edoctam emittunt de eo quod querit, ut dicat : *Paululum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.* Bene paululum, quia verbum abbreviatum fecerunt ei, Symbolum fidei tradentes. Et quod sequitur, tale est. Oportebat quidem sponsam transire per eos, per quos cognosceret veritatem; sed tamen et pertransire. Nisi enim pertransisset et ipsos, non invenisset quem quærebat. Atque hoc ipsum suam (254) ab illis non ambigas. Non enim prædicabant semetipsos, sed Dominum suum Jesum, qui absque dubio et supra ipsos est, et ultra. Unde et ait : *Transite ad me, omnes qui concupiscitis me* (*Ecclesi. XXIV, 26*). Nec sufficiebat transire, sed et pertransire docetur. Siquidem pertransierat is quem vestigabat. Non modo enim de morte ad vitam transierat, sed pertransierat ad gloriam. Quidni etiam hanc oportuit pariter pertransire? Alioquin non poterat apprehendere, quem non

(254) Ita manuscripti Ed. i, suasum.

A per eadem vestigia sequeretur quocunque ierat.

3. Et ut quod dico clarius sit, si Dominus meus Jesus surrexisset quidem a mortuis, sed ad cælos minime ascendisset, non poterat dici de eo, quod pertransierit, sed tantum transierit; ac per hoc sponsam illum quærentem transire solummodo oporteret, non pertransire. Nunc vero, quoniam jam resurgendo transierat, et adjecerat pertransire, utique ascendendo; merito se etiam ista non transisse, sed pertransisse perhibuit, quæ hunc quidem fide et devotione ad cælos usque secuta est. Igitur credere resurrectionem transire est, credere etiam ascensionem pertransire. Et fortasse (quod undecim dixerim me memini cum tractarem [*Serm. 4* in festo Paschæ]) noverat illam, istam non noverat. Ergo, quod sibi deerat instructa ab illis, quia scilicet qui surrexerat, etiam ascendisset; ascendit et ipsa pariter, hoc est pertransiit, et invenit. Quidni invenit pertingens mente [*alias, fide*], ubi ille corpore est? *Paululum cum pertransissem eos.* Et bene eos: nam tam ipsos, quam cætera membra sua, quæ sunt super terram, caput nostrum punctis præcessit duobus atque transcendit, resurrectione, ut jam diximus, et ascensione. Etenim primitivæ Christus. Quod si ille præcessit; et fides nostra. Ubi enim illa eum non sequeretur? Si ascenderit in cælum, ipsa illic est; si descenderit in infernum, adest; et si sumpserit pennas suas diluculo, et habitaverit in extremis maris, *illuc, ait, manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua* (*Psal. CXXXVIII, 8-10*). Nonne denique secundum hanc omnipotens et summe bonus Pater sponsi consuscitavit, et consedere nos fecit in dextera sua [*alias additur in cælestibus*]? Atque hoc pro eo quod dixit Ecclesia, quia *pertransivi eos*; quoniam et semet pertransiit, fide stans, quo necdum se ipsa pervenit. Arbitror et illud planum, cur se pertransisse potius, quam transisse dicere maluit. Et nos transeamus ad ea quæ sequuntur.

4. *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ.* Ita est, ex tunc et deinceps non deficit genus Christianum, nec fides de terra, nec charitas de Ecclesia. Venerunt flumina, flaverunt venti, et impeerunt in eam, et non cecidit, eo quod fundata esset supra petram (*Matth. VII, 25*). Petra autem est Christus. Itaque nec verborum philosophorum, nec cavillationibus hæreticorum, nec gladiis persecutorum potuit ista, aut poterit aliquando separari a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu (*Rom. VIII, 39*): adeo fortiter **1545** tenui quem diligit anima sua, adeo illi adhærere Deo bonum est. *Glutino bonum est, ait Isaias* (*Isa. XLII, 7*). Quid hoc tenacius glutino, quod nec aquis eluitur, nec ventis dissolvitur, nec scinditur gladiis? Denique, aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem (*Cant. VIII, 7*). *Tenui eum, nec dimittam.* Et sanctus patriarcha : *Non te, inquit, dimittam, nisi benedixeris mihi* (*Gen. XXXII, 26*). Ita ista non vult eum dimittere, et forte

magis quam patriarcha id non vult, quia nec pro benedictione quidem : siquidem ille benedictione accepta dimisit eum, hæc autem non sic. Nolo, inquit, benedictionem tuam, sed te. *Quid enim mihi est in cælo, et a te quid volui super terram* (Psal. lxxii, 25). Non dimittam te, nec si benedixeris mihi.

5. *Tenui eum, nec dimittam.* Nec minus forsitan ille teneri vult, cum perhibeat dicens : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum* (Prov. viii, 31) : quodque pollicens ait : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (Math. xxviii, 20). Quid hæc copula fortius, quæ una duorum tam vehementi voluntate firmata est? *Tenui eum*, inquit. Sed nihilominus ipsa vicissim tenetur ab eo quem tenet, cui aibi dicit : *Tenuisti manum dexteram meam* (Psal. lxxii, 24). Quæ tenetur et tenet, quomodo jam cadere potest? Tenet fidei firmitate, tenet devotionis affectu. At nequaquam diu teneret, si non teneretur. Tenetur autem potentia et misericordia Domini. *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ.* Magna Ecclesiæ charitas, quæ ne æmulæ quidem Synagogæ suas delicias invidet. Quid benignius, quam ut, quem diligit anima sua, ipsum communicare parata sit et inimicæ? Nec mirum tamen, quia salus ex Judæis est (Joan. iv, 22). Ad locum unde exierat, revertatur Salvator, ut reliquiæ Israel salvæ fiant. Non rami radici, non matri filii ingrati sint. Non rami radici invideant quod ex ea sumpserunt : non filii matri, quod de ejus suxere uberibus. Teneat itaque Ecclesia firmiter salutem, quam Judæa perdidit, ipsa apprehendit, donec plenitudo gentium introeat, et sic omnis Israel salvus fiat. Velit in commune communem venire salutem, quæ sic ab omnibus capitur, ut nil singulis minuatur. Utiq; hoc facit, et plus. Quid plus? Quod et nomen sponsæ illi optat, et gratiam. Prorsus super salutem hoc.

6. Incredibilis charitas, si non sermo quem locuta est ipsa, fecisset fidem. Dixit enim, si advertisti, velle se introducere quem tenebat, non modo in domum matris, sed et in cubiculum quoque, quod est prærogativæ indicium. Sufficiebat ad salutem, si domum intraret : at secretum cubiculi signat gratiam. *Hodie, ait, huic domui salus facta est* (Luc. xix, 9). Quidni sit domesticis salus, Salvatore ingresso domum? Sed quæ in cubiculum meretur recipere, secretum habet secretum suum sibi. Salus domui fit ; thalamo deliciæ reconduntur. *In domum matris meæ introducam eum*, inquit. In quam domum, nisi de qua olim præventur Judæis : *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta?* (Luc. xiii, 35.) Fecit quod dixit, sicut habes et de hoc testimonium ejus in propheta : *Reliqui, ait, donum meam, dimisi hæreditatem meam* (Jerem. xii, 7) : et nunc ista pollicetur reducere illum, et donum matris suæ perditam salutem restituere. Et si hoc parum videtur, audi quid boni

adjiciat : *Et in cubiculum genitricis meæ.* Qui ingreditur thalamum, sponsus est. Magna amoris potentia ! Salvator indignabundus exierat de domo et hæreditate sua : et nunc ad hujus gratiam mitigatus inflectitur ita, ut redeat non modo Salvator, sed et sponsus. *Benedicta tu a Domino filia, quæ et indignationem compecis, et hæreditatem restituitis.* *Benedicta tu matri tuæ, cujus beneficio avertitur ira, revertitur salus, revertitur qui dicat illi : Salus tua ego sum* (Psal. lxxiv, 3). Non sufficit hoc ; addat et dicat : *Desponsabo te mihi in fide, desponsabo te mihi in judicio et justitia, desponsabo te mihi in misericordia et miserationibus* (Ose. ii, 19, 20). Sed nemento quia, quæ has conciliat amicitias, sponsa est. Quomodo ergo sponsum, et huic sponsum alteri cedit, ne dicam cupit? Non est ita. Cupit quidem illum matri filia bona, non tamen ut cedat illi, sed ut communicet. Sufficit unus diabus, nisi quod jam non erant duæ, sed una 1546 in ipso. Ipse est enim pax nostra, qui facit utramque unam, ut sit una sponsa, et sponsus unus Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LXXX (25).

De imagine sive Verbo Dei, et anima quæ ad imaginem est, subtilis disputatio : et de errore Gilleberti Pictaviensis episcopi.

1. Quidam vestrum, ut comperi, minus æquo animo ferunt, quod ecce jam per aliquot dies, dum stupori et admirationi sacramentorum inhærere delectat, sermo quem ministramus, aut nullo fuerit, aut exiguo admodum moralium sale conditus. Id quidem præter solitum. Sed num quæ dicta sunt, revisere licet? Non procedo, nisi prius revolvam omnia. Eia, dicite, si recordamini, a quonam Scripturæ loco cœperit defraudatio hæc, ut rursus inde adoriar. Meum est resarcire damna, imo Domini, de quo totum præsumimus. Quo itaque repetendum principio? An inde : *In lectulo meo quæsi per noctes quem diligit anima mea?* (Cant. iii, 1.) Ni fallor, inde. Abhinc tantum et deinceps cura una fuit mihi, harum allegoariarum densa discussa caligine, ponere in lucem Christi et Ecclesiæ secretas delicias. Igitur redeamus ad indaganda moralia. Nec enim mihi poterit esse pigrum, quod vobis commodum fuerit. Atque hoc ita congrue fiet, si quæ dicta sunt in Christo et in Ecclesia, Verbo animæque eadem nihilominus assignemus.

2. Sed dicit mihi aliquis : Quid tu duo ista conjungis? quid enim animæ et Verbo? Multum per omnem modum. Primo quidem, quod naturarum tanta cognatio est, ut hoc imago, illa ad imaginem sit. Deinde, quod cognationem similitudo testetur. Neque non ad imaginem tantum, sed ad similitudinem facta est. In quo similis sit quæris? Audi de imagine prius. Verbum esse veritas, est sapientia, est justitia : et hæc imago. Cujus? Justitiæ, sapientiæ et veritatis. Est enim imago hæc justitia de jus-

(255) Halitus post concilium Remense anni 1118, in quo damnatus Gillebertus.

stilita, sapientia de sapientia, veritas de veritate, A quasi de lumine lumen, de Deo Deus. Harum rerum nihil est anima, quoniam non est imago. Est tamen earundem capax, appetensque et inde fortassis ad imaginem. Celsa creatura, in capacitate quidem majestatis, in appetentia autem rectitudinis insigne præferens. Legimus quia Deus hominem rectum fecit (*Eccle. vii, 50*), quod et magnum capacitas, ut dictum est, probat. Oportet namque id quod ad imaginem est, cum imagine convenire, et non in vacuum participare nomen imaginis, quemadmodum nec imago ipsa solò vel vacuo nomine vocatur imago. Habes vero de eo qui imago est, quia *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo* (*Philipp. ii, 6*). Ubi tibi utique ejus et in forma Dei innuitur rectitudo, et in æqualitate B majestas: ut dum rectitudini rectitudo, et magnitudo magnitudini comparatur, consonanter sibi extrinsecus respondere appareat quod ad imaginem est, et imaginem; sicut imago quoque nihilominus in utroque respondet illi cujus imago est. Nempe ipse est, de quo sanctum David audistis in psalmis canentem, nunc quidem: *Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus* (*Psal. cxlvi, 5*); nunc vero: *Rectus Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo* (*Psal. xci, 16*). Ab isto recto et magno Deo habet imago ejus, ut et ipsa recta, et magna sit: habet anima, quæ ad imaginem est.

3. Sed dico: Nihilne ergo amplius habet imago ab anima quæ ad imaginem est, quia et huic magnum rectumque assignamus? Et plurimum. Hæc C ad mensuram accepit, illa ad æqualitatem. An non plus hoc? Adverte et aliud. Huic utrumque aut creatio, aut dignatio contulit; illi generatio. Atque id magnificentius esse non dubium est. Sed ne hoc quidem eminentius esse quis abnuat, quod cum a Deo huic, illi et de Deo utrumque sit, id est de Dei substantia. Est enim consubstantialis Deo imago sua, et omne quod eidem 1547 suæ imagini impertiri videtur, ambobus est substantiale, non accidentale. Adhuc unum attende, in quo imago non parum eminet. Magnum et rectum (ista duo natura a sese discrepare quis nesciat?) in imagine unum sunt. Neque hoc solum: unum sunt et cum imagine. Imagini enim non modo id rectum est esse, quod D magnum esse, sed etiam id magnum rectumque esse, quod esse. Animæ non ita. Et magnitudo ejus, et rectitudo ipsius diversæ ab ea, diversæ ab invicem sunt. Si enim, ut supra docui, eo anima magna est, quo capax æternorum; eo recta, quo appetens supernorum: quæ non quærit nec sapit quæ sursum sunt, sed quæ super terram, non plane est recta, sed curva, cum tamen pro hujusmodi magna esse non desinat, manens utique etiam sic æternitatis capax. Neque enim illius aliquando non capax erit, etiamsi nunquam capiens fuerit, ut sit quomodo scriptum est: *Veruntamen in imagine pertransit homo* (*Psal. xxxviii, 7*); ex parte tamen, ut eminentia Verbi appareat de ipsa integritate. Quo enim

a magno rectove Verbum cadat, quod sic ea utique habet, ut sit quæ habet? Vel ideo ex parte, ne si toto privaretur, non superesset spes salutis. Nam si desinat magna esse, et capax. Quippe de capacitate, ut dixi, æstimatur animæ magnitudo. Quid vero sperare posset, cujus capax non foret.

4. Itaque per magnitudinem, quam retentat etiam perdita rectitudine, in imagine pertransit homo, uno quasi claudicans pede, et factus filius alienus. De talibus enim reor dictum: *Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis* (*Psal. xvii, 48*). Pulchre appellati sunt filii alieni: nam filii, propter retentam magnitudinem; alieni, propter amissam rectitudinem. Nec dixisset, *claudicaverunt*, sed: *Corruerunt*, aut quidpiam simile, si ex toto homines [alias hominis] imaginem exuissent. Nunc vero secundum magnitudinem quidem in imagine pertransit homo; quantum vero ad rectitudinem, veluti claudicans, conturbatur et deturbatur ab imagine, Scriptura ita dicente: *Veruntamen in imagine pertransit homo; sed et frustra conturbatur*. Frustra omnino: nam sequitur: *Thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea* (*Psal. xxxviii, 7*). Cur ignorat, nisi quia inclinans se ad hæc infima et terrena, thesaurizat sibi terram? Prorsus ignorat de his quæ terræ committit, cui congregabit ea, tunc demolienti, an furi effodienti; hosti diripienti, an igni devoranti. Et inde misero homini incurvanti se, et incubanti his quæ in terra sunt, flebilis vox illa de psalmo: *Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem; tota die contristatus ingrediebar* (*Psal. xxxvii, 7*). In semetipso siquidem experitur veritatem illius sententiæ Sapientis: *Deus rectum hominem fecit, ipse autem se implicuit doloribus multis* (*Eccle. vii, 50*). Et continuo vox ludibrii ad eum: *Incurvare ut transeamus* (*Isa. li, 23*).

5. Sed unde venimus huc? Nempe inde, cum docere vellemus, rectum magnumque (quo gemino bono definieramus imaginem) nec in anima esse unum, nec cum anima, quemadmodum in Verbo et eum Verbo ea unum esse fideli æque assertione docuimus. Et de rectitudine quidem ex his quæ dicta sunt, liquet quod diversa et ab anima sit, et ab animæ magnitudine: quandoquidem ea etiam non existente, et anima manet, et magna. Verum magnitudinis animæque diversitas unde docebitur? Non enim inde potest, unde rectitudinis animæque monstrata est, cum non sicut rectitudine, ita et magnitudine sua privari anima possit. Non est tamen sua magnitudo anima. Nam etsi anima non invenitur absque magnitudine sua, ipsa tamen et extra animam reperitur. Quæris ubi? In angelis. Inde quippe magni sunt angeli, unde animæ magnitudo comprobatur, ex captu videlicet æternitatis. Quod si eo constitit animam discrepare a rectitudine sua, quod ea carere possit: quidni æque liqueat esse diversam et a sua magnitudine, quam sibi propriam vindicare non possit? Cum itaque nec illa in omni

nec ista in sola sit anima, **1548** patet utramque A esse negas (256)? Non, sed eandem divinitatem, qua est, Deum nihilominus assero, ne Deo excellentius aliquid esse assentiar. Nam et magnitudine dico magnum, sed quæ ipse est, ne majus aliquid Deo penam; et bonitate fateor bonum, sed non alia quam ipse est, ne melius ipso aliquid mihi videar invenisse; et de cæteris in hunc modum. Securus et libens pergo inoffenso, ut aiunt, pede in ejus sententiam qui dicebat: « Deus non nisi ea magnitudine magnus est quæ est quod ipse. Alioquin illa erit major magnitudo quam Deus. » Augustinus hic est, validissimus malleus hæreticorum (257). Si quid itaque de Deo proprie dici possit, rectius congruentiusque dicetur: Deus est magnitudo, bonitas, justitia, sapientia, quam: Deus est magnus, bonus, justus aut sapiens.

B
8. Unde non immerito nuper in concilio quod papa Eugenius Remis celebravit, tam ipsi quam cæteris episcopis perversa visa est et omnino suspecta expositio illa in libro Gilleberti epis. opi Pictaviensis quo super verba Boetii de Trinitate, sanissima quidem atque catholica, commentabatur hoc modo: **1549** « Pater est veritas, id est verus; Filius est veritas, id est verus; Spiritus sanctus est veritas, id est verus. Et hi tres simul non tres veritates, sed una veritas, id est unus verus. » O obscuram perversamque explanationem! Quam verius saniusque per contrarium ita dixisset: Pater est verus, id est veritas; Filius est verus, id est veritas; Spiritus sanctus est verus, id est veritas. Et hi tres unus verus, id est una veritas. Quod quidem fecisset, si sanctum dignaretur Fulgentium imitari, qui ait: « Una quippe veritas unius Dei, imo una veritas unus Deus non patitur servitium atque culturam creatoris creaturæque conjungi (258). » Bonus corrector, qui veracissime de veritate loqueretur, qui pie catholiceque sentiret de vera et mera divinæ simplicitate substantiæ, in qua nihil esse possit, quod ipsa non sit, et ipsa Deus. Quanquam manifestius in nonnullis locis aliis a rectitudine fidei liber ille præfati episcopi visus est discrepare; quorum, verbi causa, adhuc unum pono. Nam dicente auctore, « Cum dicitur, Deus, Deus, Deus, pertinet ad substantiam; » noster commentator intulit, « Non quæ est, sed qua est. » Quod absit, ut assentiat catholica Ecclesia, esse videlicet substantiam, vel aliquam omnino rem qua Deus sit, et quæ non sit Deus!

[**6.** Recedant a nobis, charissimi, recedant novelli, non dialectici, sed hæretici, qui magnitudinem, qua magnus est Deus, et item, bonitatem, qua bonus, sed et sapientiam, qua sapiens et justitiam, qua justus, postremo divinitatem, qua Deus est, Deum non esse impiissime disputant. Divinitate, inquam, Deus est, sed divinitas non est Deus. Forsitan non dignatur Deus esse, quæ tanta est ut faciat Deum. Sed si Deus non est, quid est? Aut enim Deus est, aut aliquid quod non est Deus, aut nihil. Equidem non das Deum esse, sed ne nihilum quidem, ut opinor, dabis, quam usque adeo necessariam Deo esso lateris, ut non modo absque ea Deus esse non possit, sed ea sit. Quod si aliquid est quod non est Deus: aut minor erit Deo, aut major, aut par. At quomodo minor, qua Deus est? Restat ut aut majorem fatearis, aut parem. Sed si major, ipsa est summum bonum, non Deus; si par, duo sunt summa bona, non unum: quod utrumque catholicus refugit sensus. Jam de magnitudine, bonitate, justitia, sapientiaque, idem per omnia, quod de divinitate, sentimus: unum in Deo sunt, et cum Deo. Nec enim aliunde bonus quam unde magnus, nec aliunde justus aut sapiens quam unde magnus et bonus, nec aliunde ceterique simul hæc omnia est quam unde Deus, et hoc quoque non nisi se ipso.

7. Sed dicit hæreticus: Quid? Deum divinitate

(256) Hic variant scripti codices. Cisterciensis habet *divinitatem*; Germanensis, *divinitate esse non negas*. At sincera est lectio nostra, cui similis est in lib. v de Consideratione, num. 15, ubi ideam argu-

mentum tractatur.

(257) De Trinitate lib. v, c. 10, n. 11.

(258) Lib. de Fide orth. ad Donat, cap. 5.

steates sequi episcopum, in quo ipse non stetit, et A
 erroris quam correctionis magistrum habere malentes. Non solum autem sed et propter vos, occasione
 accepta de differentia imaginis et animæ, quæ ad
 imaginem facta est, operæ pretium credidi excur-
 sum hunc facere : ut si qui forte ex aquis furtivis,
 quæ dulciores videntur (*Prov. ix, 17*), aliquando
 aliquid biberint, sumpto antidoto, evomant illud, et
 purgato mentis stomacho, ad id quod secundum
 promissionem nostram dicendum de similitudine super-
 preest accedentes, puriora jam in gaudio non de
 nostris hauriant, sed de fontibus Salvatoris, sponsi
 Ecclesiæ Jesu Christi Domini nostri, qui est super
 omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LXXXI.

*De convenientia et similitudine animæ cum Verbo se-
 cundum identitatem essentiæ, et vitæ immortalita-
 tem, et arbitrii libertatem.*

1. Quæsitum est ante de affinitate animæ ad Ver-
 bum, atque id quidem necessaric. Quæ ei in conventio
 tantæ majestati et tantæ pauperati, ut more et amore
 sponsorum, veluti ex æquo, sese complecti referan-
 tur sublimitas illa, et illa humilitas? Nam si vere id
 dicimus, valde læta fiducia est; si falso, valde pu-
 nienda audacia. Propterea ergo de convenientia
 horum quærendum fuit: quæ quidem jam multa in-
 venta est, sed non omnis. Quis enim, vel nimis
 hebes, non videat quam se e vicino respiciant imago
 et quod ad imaginem est? Quorum utique unum uni, C
 et alterum alteri sermo, si recolis, assignavit
 besternus. Nec de imagine tantum, sed etiam de
 similitudine demonstrata ibidem propinquitas est,
 nisi quod ipsa similitudo in quo vel in quibus pot-
 tissimum constet necdum a nobis est declaratum.
 Age, jam intendamus declarationi huic, ut quo anima
 plenius suam agnoscat originem, eo amplius eru-
 bescat vitam habere degenerem; imo vero quod
 peccato vitium deprehenderit in natura, studeat
 reformare industria; ut digne suo genere, Dei qui-
 dem munere, sese regens, ad amplexus Verbi fiden-
 ter accedat.

2. Advertat igitur ex hac divinæ ingenuitate simi-
 litudinis inesse sibi illam suæ substantiæ naturalem
 simplicitatem, qua hoc est illi esse quod vivere, D
 etsi 1550 non quod bene, quodve beate vivere, ut
 sit similitudo, non æqualitas. Gradus propinquus,
 gradus tamen. Neque enim unius excellentiæ parise
 fastigii sunt, hoc habere esse quod vivere, et item
 habere hoc esse quod beate vivere. Ergo si Verbi
 est illud propter sublimitatem, hoc animæ propter
 similitudinem, salva quidem eminentia Verbi, palam
 est affinitas naturarum, palam animæ prerogativa.
 Et ut quod dicitur planius fiat, soli Deo id est esse,
 quod beatum esse: atque hoc primum et purissimum
 simplex. Secundum autem simile est huic, id vide-
 licet habere esse quod vivere; atque hoc animæ

est. Ex hoc, etsi inferiori gradu, ascendi pote t, non
 modo ad bene, sed etiam ad beate vivendum: non
 quia vel tunc sit hoc esse, quod beatum esse illi qui
 eo pervenerit; quatenus ita gloriatur pro similitu-
 dine, ut tamen pro disparitate habeat semper, unde
 omnia ossa ejus dicant: *Domine, quis similis tibi?*
 (*Psal. xxxiv, 40.*) Bonus tamen animæ gradus, ex
 quo, et solo, ad beatam ascenditur vitam.

3. Sunt namque viventia, et horum genera duo,
 quæ sentiunt, et quæ non sentiunt. Porro insensi-
 bilibus sensibilia præferuntur, atque utrisque vita,
 qua vivitur et sentitur. Non stabunt pariter in gradu
 uno vita et vivens; multo minus vita, et quæ sunt
 sine vita. Vita anima est vivens quidem, sed non
 aliunde quam se ipsa; ac per hoc non tam vivens,
 B quam vita, ut proprie de ea loquamur. Inde est
 quod infusa corpori vivificat illud, ut sit corpus de
 vitæ præsentia, non vita, sed vivens. Unde liquet,
 ne vivo quidem corpori id vivere esse, quod esse,
 cum esse et minime vivere possit. Multo minus quæ
 vitæ expertia sunt, ad hunc gradum assurgent. Sed
 nec omne quod vita dicitur, vel est, continuo vale-
 bit pertingere huc. Est pecorum, est et arborum
 vita, sensu altera vicens, altera carens. At ventri
 tamen idem esse quod vivere est: cum, ut quidem
 multorum opinio est (259), ante in elementis, quam
 vel illa in membris, vel ista in ramis extiterint.
 At secundum hoc cum desinunt vivificare, simul
 vivere cessant, sed non et esse. Solvuntur pariter
 et dissolvuntur, tanquam non alligatæ tantum, sed
 et colligatæ. Neque enim unum simplex est quæque
 harum; sed ex pluribus constans. Et propterea non
 redigitur in nihilum, sed dissilit in partes, ut et ad
 suum quodque recurat principium; verbi causa,
 aer ad acrem, ignis ad ignem, et reliqua in hunc
 modum. Nequaquam igitur tali vitæ idem esse et
 vivere est, quæ est et quando non vivit.

4. Porro nihil horum, quibus non hoc esse quod
 vivere sit, ad bene beateque vivendum quandoque
 proficiet vel emerget: quippe quod neque ad hunc
 inferiorem gradum potuit pervenire. Sola, quæ in
 ipso stare cognoscitur anima hominis, in eo
 dignitatis creata est, vita a vita, simplex a simplici,
 immortalis ab immortalis, ut non sit longe a summo
 gradu, ubi scilicet id esse quod beate vivere est, in
 quo solus stat beatus, et solus potens, Rex regum,
 et Dominus dominantium. Accipit [*alias, accipit*]
 itaque in sui conditione anima, etsi non esse, posse
 tamen esse beata; summo proinde gradu, quan-
 tum licet, appropians, non pertingens tamen. Neque
 enim vel ipsi, ut supra diximus, hoc erit aliquando
 esse quod beatam esse, nec quando beata erit. Fa-
 temur similitudinem, æqualitatem renuimus. Verbi
 causa, vita Deus, vita et anima est; similis quidem,
 sed dispar. Porro similis, quod vita, quod se ipsa
 vivens, quod non tantum vivens, sed et vivificans,
 sicut et ille hæc omnia est. Dispar vero, quantum

a creante creata. Dispar, quod, ut nisi creata ab illo non esset, sic nisi ab ipso vivificata non viveret. Non viveret dico, sed spirituali vita, non naturali. Nam naturali quidem, etiam quæ non spiritualiter vivit, immortaliter vivat necesse est. At qualis vita, in qua satius foret non nasci, quam non ab ea mori! Mors potius est: et ideo gravior, quia peccati, non naturæ. Denique mors peccatorum pessima (*Psal. xxxiii. 22*). Ita ergo quæ secundum carnem vivit anima, **1551** vivens mortua est; quippe cui bonum erat omnino non vivere, quam sic vivere. A qua nimirum vitali quadam morte minime unquam resurget, nisi per verbum vitæ, imo per Verbum vitam, viventem utique et vivificantem.

5. Alias autem immortalis est anima, et in hoc nihilominus Verbo similis quidem, sed non æqualis. Nam in tantum superexcellit immortalitas Deitatis, ut Apostolus dicat de Deo: *Qui solus habet immortalitatem* (*1 Tim. vi, 16*). Quod ego reor pro eo dictum, quod solus sit natura incommutabilis Deus, qui ait: *Ego Dominus, et non mutor* (*Malach. iii, 6*). Vera namque et integra immortalitas tam non recipit mutationem, quam nec finem, quod omnis mutatio quædam mortis imitatio sit. Omne etenim quod mutatur, dum de uno ad aliud transit esse, quodam modo necesse est moriatur quod est, ut esse incipiat quod non est. Quod si tot mortes quot mutationes, ubi immortalitas? Et huic vanitati subiecta est ipsa creatura non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe (*Rom. viii, 20*). Attamen immortalis anima est; quoniam cum ipsa sibi vita sit; sicut non est quo cadat a se, sic non est quo cadat a vita. Verum cum constet suis affectibus mutari eam; agnoscat ita se Deo in immortalitate similem, ut sciat sibi deesse non modicam immortalitatis partem, soli cedens absolutam perfectamque immortalitatem, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Non mediocriter tamen animæ dignitas presentis disputatione comperta est, quæ gemina quadam vicinitate naturæ Verbo appropriare videtur, simplicitate essentiae, et perpetuitate vitæ.

6. Sed enim adhuc unum occurrit, quod minime præteribo: nec enim minus insignem similemve minus Verbo animam facit, et forte etiam plus. Arbitrii libertas hæc est, plane divinum quiddam præf. Igens in anima, tanquam gemma in auro. Ex hac nempe inest illi inter bonum quidem et malum, nec non inter vitam et mortem, sed et nihilominus inter lucem et tenebras, et cognitio iudicii, et optio eligendi; et si qua sunt alia, quæ similiter circa animi habitum sese e regione respicere videantur. Nihilominus inter ipsa censorius quidam arbiter (is animæ oculus) dijudicat et discernit, sicut arbiter in discernendo, ita in eligendo liber. Unde et liberum nominatur arbitrium, quod liceat versari in his pro arbitrio voluntatis. Inde homo ad promerendum potis. Omne etenim quod feceris bonum malumve, quod

A quidem non facere liberum fuit, merito ad meritum reputatur. Et, ut merito laudatur, non is tantum qui potuit facere mala, et non fecit, sed et qui potuit non facere bona, et fecit; ita malo non caret merito tam is qui potuit non facere mala, et fecit, quam is qui potuit facere bona, et non fecit. Ubi autem non est libertas, nec meritum. Propterea quæ sunt carentia ratione animalia, nihil merentur; quia sicut delibere ratione, ita et libertate carent. Sensu aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu. Neque enim iudicium habent, quo se dijudicent sive regant, sed ne instrumentum quidem iudicii, id est rationem. Inde est quod non iudicantur, quia non iudicant. Quanam quippe ratione ab his exigatur ratio, quam non acceperunt?

B 7. Hanc vim a natura solus homo non patitur, et ideo solus inter animantia liber. Et tamen interveniente peccato patitur quædam vim et ipse, sed a voluntate, non a natura, ut ne sic quidem ingenta libertate privetur. Quod enim voluntarium, et liberum. Et quidem peccato factum est ut corpus quod corrumpitur, aggravet animam; sed amore, non mole. Nam quod surgere anima per se jam non potest quæ per se cadere potuit, voluntas in causa est, quæ corrupti corporis vitiatum ac vitiosum amore languescens et jacens, amorem pariter justitiæ non admittit. Ita nescio quomodo et miro modo ipsa sibi voluntas, peccato quidem in deterius mutata, necessitatem facit: ut nec necessitas, cum voluntaria sit, excusare valeat voluntatem; **1552** nec voluntas cum sit illecta, excludere necessitatem. Est enim necessitas hæc quodammodo voluntaria. Est favorabilis vis quædam, premeudo blandiens, et blandiendo premeudo: unde sese rea voluntas, ubi semel peccato consenserit, nec excutere jam per se, nec excusare tamen ullatenus de ratione queat. Iuda querula illa vox veluti gementis sub onere necessitatis hujus: *Domine, inquit, vim patior, responde pro me*. Sed rursus sciens quod non juste causaretur adversus Dominum, cum voluntas sua ipsius potius in causa foret, attende quid secutus intulerit: *Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerim?* (*260*) (*Isa. xxxviii, 14, 15*). Premebatur jugo, non alio tamen, quam voluntariæ ejusdem servitutis; et erat pro servitute quidem miserabilis, sed pro voluntate inexcusabilis. Voluntas enim est, quæ se, cum esset libera, servam fecit peccati, peccato assentiendo: voluntas nihilominus est, quæ se sub peccato tenet, voluntarie serviendo.

D 8. Vide quid dicas, ait aliquis mihi. Tunc voluntarium dicis, quod jam necessarium constat esse? Verum quidem est, quod voluntas se ipsam adhiberit: sed non ipsa se retinet; magis retinetur et nolens. Bene hoc saltem das, quia retinetur. Sed vigilantanter retine voluntatem esse, quam retineri lateris. Itaque voluntatem nolentem dicis? Non utique voluntas retinetur non volens. Voluntas enim volenti

(260) In Vulgata, *fecerit*. Utamque lectionem exhibet Bernardus in serm. 3 de Diversis, n. 6.

est, non nolentis. Quod si volens retinetur, ipsa se retinet. Quid ergo dicit, aut quid respondebit ei, cum ipsa fecerit? Quid fecit? Servam se fecit: unde dicitur: *Qui facit peccatum servus est peccati* (Joan. viii, 34). Propterea, cum peccavit (peccavit autem cum peccato obedire decrevit), servam se fecit. Sed sit libera, si non adhuc facit. Facit autem, in eadem servitute se retinens. Neque enim non volens voluntas tenetur: voluntas enim est. Ergo quia volens, servam se ipsam non modo fecit, sed et facit. Merito proinde quod sæpe memorandum est, quid respondebit illi, cum ipsa fecerit, ipsa et faciat.

9. Sed non me, inquis, decredere facies necessitatem quam patior, quam in memetipso experior, contra quam et assidue luctor. Ubinam, quæso, habeo necessitatem sentis? Nonne in voluntate? Non ergo parum firmiter vis, quod et necessario vis. Multum vis quod nolle nequeas, nec multum oblutans. Porro ubi voluntas, et libertas. Quod tamen dico de naturali, non de spirituali, qua libertate, ut dicit Apostolus, *Christus nos liberavit* (Galat. iv, 31). Nam de illa idem ipse dicit: *Ubi spiritus Domini, ibi libertas* (II Cor. iii, 17). Ita anima miro quodam et malo modo sub hac voluntaria quadam ac male libera necessitate, et ancilla tenetur, et libera: ancilla, propter necessitatem; libera, propter voluntatem: et quod magis mirum, magisque miserum est, eo rea quo libera, eoque ancilla quo rea, ac per hoc eo ancilla quo libera. Miser ego homo, quis me liberabit a calumnia hujus pudendæ servitutis? Miser, sed liber. Liber, quia homo; miser, quia servus. Liber, quia similis Deo; miser, quia contrarius Deo. *O custos hominum, quare posuisti me contrarium tibi?* Posuisti enim, cum non prohibuisti. Alioquin ipse me posui, et factus sum mihi-victus (Job vii, 20). Justissime quidem, ut hostis tuus hostis sit et meus; et qui tibi repugnat, repugnet et mihi. Ego vero qui tibi, ego qui mihi-met contrarius factus sum, atque in membris meis invenio quod contradicat, et menti meæ, et legi tuæ; quis me liberabit de manibus meis? Non enim quod volo, hoc ago, sed me, non alio prohibente, et quod odi, illud facio (Rom. vii, 15), sed me, non alio compellente. Atque utinam prohibitio hæc, et hæc compulsio, ita esset violenta, ut non esset voluntaria; forsitan enim sic possem excusari: aut certe ita esset voluntaria, ut non violenta; profecto enim sic possem corrigi. Nunc vero nusquam exitus miserero patet, quem et voluntas, ut dixi, inexcusabilem, et incorrigibilem necessitas facit. **1553** Quis me eripiet de manu peccatoris, et de manu contra legem agentis et iniqui? (Psal. lxx, 4.)

10. Quærit quis, de quo querar? De me. Ego ille peccator, ille exlex, ille iniquus. Peccator, quia peccavi; exlex, quia voluntate persisto agere contra legem. Nam mea voluntas ipsa est lex in membris meis, legi divinæ recalcitrans. Et quoniam lex Domini lex mentis meæ, sicut scriptum est: *Lex Dei ejus in corde ipsius* (Psal. xxxvi, 31); per hoc et

A mihi ipsi mea ipsius voluntas contraria invenitur, quæ est iniquitas maxima. Cui enim non iniquus, qui mihi sum? *Qui sibi nequam*, ait, *cui bonus?* (Ecccl. xiv, 5) Fateor, non sum bonus, quia non est in me bonum. Consolabor me tamen, quia et sanctorum vox ista est: *Scio quia non est in me bonum*, inquit. Discernit tamen quod dicit: *In se*. In carne sua interpretans, propter contradictoriam legem, quæ in ea est. Nam habet legem et in mente, eaque melior. Annon lex Dei bona? Quod si malus propter legem malam, quomodo non propter bonam bonus? An mala sua est quæ est in carne sua, et ideo de mala malus; et minime bonus de bona? Non est ita. Lex Dei ejus in mente ipsius, atque ita in mente, ut sit et mentis. Testis est ipse qui ait: **B** *Invenio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ*. Nunquid suum quod carnis suæ est, et non suum quod mentis suæ est? Ego dico et plus. Quidni dicam, quod idem ipse magister dicit? Nam mente quidem serviens legi Dei, carne autem legi peccati; quid magis suum fateatur evidenter ostendit, cum malum quod in carne est, ita a se alienum censet, ut dicat: *Itaque jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*. Et ideo fortassis signanter aliam dixerit legem inventam in membris suis, quod alienam hanc, et quasi adventitiam reputaret. Unde et adhuc ego aliquid audeo amplius, haud temere quidem: Paulum videlicet non jam malum, propter malum quod in carne habet; magis autem bonum, propter bonum quod in mente habet. Annon bonus, qui consentit legi Dei, quoniam bona est? Nam, etsi se itidem fateatur servire legi peccati, carne hoc facit, non mente. Cum autem mente quidem serviat legi Dei, carne autem legi peccati; quidnam potissimum horum Paulo imputandum putes, tu videris. Nam mihi fateor facile persuasum, quod mentis quam quod carnis est, plurius esse, non solum mihi, sed et ipsi Paulo, ut jam dictum est, qui ait: *Si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum* (Rom. vii, 18, 25, 25, 20).

11. Sed de libertate ista sufficient. In libello, quem de Gratia et Libero Arbitrio scripsi, diversa fortassis de imagine et similitudine disputata leguntur; sed, ut arbitror, non adversa. Legistis illa, ista audistis; quænam magis probetis [alias probanda], vestro judicio derelinquo; vel si quid melius utrisque sapitis, in hoc gaudeo et gaudebo. At quoquo modo illa se habeant, tria quædam impræsentiarum præcipua commendata tenetis; simplicitatem, immortalitatem, libertatem. Et hoc vobis liguido apparere jam arbitror, animam pro ingenua atque ingenua similitudine, quæ in his tam eximie claret, non parvam cum Verbo habere affinitatem, sponso Ecclesie Jesu Christo Domino nostro, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LXXXII.

Qualiter anima similis Deo manens, per peccatum tamen dissimilis facta est in simplicitate, immortalitate et libertate.

1. Quid vobis videtur? possumusne jam regredi ad exponendi ordinem unde digressi sumus; quia patet propinquitias Verbi et animæ, pro qua utique demonstranda digressio ipsa facta est? Possemus, ut mihi videtur, nisi parum quid dubietatis in his, quæ dicta sunt, adhuc residere sentirem. Nil furari volo. Non libenter **1554** prætereo quod vobis utile putem. Et quomodo id audeam, de his præsertim quæ vobis accipio? Scio hominem aliquid aliquando inter loquendum ex his quæ suggererat Spiritus, etsi non infideli, minus tamen fidenti animo retentantem et reservantem sibi, ut haberet quod diceret denuo tractaturus; et ecce vox ad eum, ut quidem ei visum est: « Donec istud tenebis, aliud non accipies (261). » Quid si retinisset, non providendo suæ inopiæ, sed fraternis profectibus invidendo? nonne merito et hoc ipsum, quod videbatur habere, auferretur ab eo? Quod quidem longe a servo vestro semper faciat Deus, sicut et semper fecit. Sic mihi jugiter abundare dignetur fons ille indeficiens sapientiæ salutaris, quomodo sine invidia vobis communicavi, et refudi quiddam mihi infundere hæcenus dignatus est ipse. Si ego vos fraudo, a quo jam non verear ipse fraudari? Ne a Deo quidem.

2. Est itaque in his quæ dicta sunt aliquid, quod, ut vereor ego, offendiculum dare queat, si non complanctur. Et, ni fallor, sunt de hic stantibus, quibus scrupulum movit quod dicere volo. Tria illa Verbi similitudo, quam animæ assignavimus, imo qua insignitam advertimus, recolisne quod etiam inseparabiliter inesse illi visa fuerit nobis? Id quidem videatur aliquibus Scripturarum testimoniis obviare, ut verbi gratia, est illud in psalmis: *Homo, cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis (Psal. xlviii, 13, 21)*; et item illud: *Mutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fenum (Psal. cv, 20)*, sed et quod aperte dictum est in persona Dei: *Existimasti inique, quod ero tui similis (Psal. xlix, 21)*: et pleraque alia, quæ similitudinem Dei in homine post peccatum deletam concorditer asseverare videntur. Quid ergo dicemus ad hæc? Tria illa in Deo minime esse, et sic alia querenda, in quibus similitudinem assignemus? aut esse quidem in Deo, sed non in anima, et ne sic quidem in his similitudinem inveniri? aut esse et in anima, sed posse etiam non inesse, ac per hoc non inseparabilia esse? Absit! Et in Deo, et in anima sunt, et semper insunt; nec est quod

(261) Bernardus se ipse intelligit more Pauli Apostoli, idque testatur Cæsarius Heisterbacensis sermone in Octava Nativitatis. « Cum tempore quodam, » inquit, « nescio quid dictaret, et testimonium haberet in promptu, quod præsentis loco congruebat, velletque reservare in sinu, timentis ibi

A nos aliquid horum dixisse pœniteat, ita totum subnixum est indubitata et absolutissima veritate. Sed quod Scriptura loquitur de dissimilitudine facta, non quia similitudo ista deleta sit loquitur, sed quia alia superducta. Non plane anima nativam se exiit formam, sed superinduit peregrinam. Illa addita, non ista perdita est: et quæ supervenit, obscurare ingenitam potuit, sed non exterminare. Denique: *Obscuratum est insipiens cor illorum*, ait Apostolus (Rom. 1, 21); et propheta: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? (Thren. iv, 1.)* Obscuratum aurum plangit, sed aurum tamen; mutatum colorem optimum, sed non fundamentum coloris evulsum. Manet in fundamento prorsus inconcussa simplicitas, sed minime apparet duplicitate operta humanæ dolositatis, simulationis, hypocrisis.

3. Quam incongrue simplicitati duplicitas admiscetur! quam indigne tali fundamento talis structura committitur! Hujusmodi sibi versutiam serpens induerat, cum se, ut deciperet, consiliarium exhibebat, simulabat amicum. Hujusmodi quoque seducti ab eo paradisi incolæ induerant sibi, cum pudendam jam nuditatem tegere conarentur, et umbra frondosi ligni, et frondium succinctoriis, et verbis excusatoriis (Gen. iii). Quam late extunc et deinceps omnem posteritatem hæreditarium hypocrisis virus infecit! Quem dabis de filiis Adam qui quod est, non dico velit, sed vel patiatuŕ videri? Sed perseverat nihilominus in omni anima cum originali duplicitate generalis simplicitas, ut de collatione confusio augeatur: perseverat æque immortalitas, sed fusca et tetra, irruente tenebrosa corporeæ mortis caligine. Nam, etsi non privatur vita, vitæ tamen beneficium suo corpori jam non sufficit vindicare. **1555** Quid, quod ne suam quidem spirituales duntaxat vitam retinet sibi? Anima nempe quæ peccaverit, ipsa morietur (Ezech. xviii, 4). Nonne morte ista duplici incursante, illa qualiscunque immortalitas, quam retentat, tenebrosa satis redditur, et misella? Adde quod appetentia terrenorum, quæ quidem omnia ad interitum sunt, densat tenebras, ita ut in anima sic vivente nil a parte aliqua nisi pallida facies et imago quædam mortis apparere cernatur. Cur non enim quæ immortalis est, similia sibi immortalia appetit et æterna, ut quod est appareat, et quod facta est vivat? Cæterum, contraria sapit et quærit, et mortalitas sese degeneri conversatione conformans, immortalitatis candorem quodam mortiferæ consuetudinis piceo colore denigrat. Quidni mortalium appetitus immortalem mortali similem, immortalis dissimilem faciet? *Qui tangit picem*, ait Sapiens, *inquinabitur ab ea (Eccli. xiii, 1)*. Fruendo morta-

defectum, audivit de cælo dicentem vocem: Si istud reservaveris, aliud non dabitur tibi. Adco non ipse erat qui loquebatur, ait Manricus, sed Deus in co. Vide quæ de eodem argumento habet serm. 18 in Caut. n. 2.

libus mortalitatem se induit, et vestem immortalitatis incidente mortis similitudine decoloravit, non exiit.

4. Evam attende, quomodo ejus anima immortalis, immortalitatis suæ gloriæ fucum mortalitatis inexit, mortalia utique affectando. Utquid enim, cum immortalis esset, mortalia non contempsit et transitoria, contenta sibi similibus, immortalibus et æternis? *Vidit, inquit, lignum quod esset pulchrum oculis, et aspectu delectabile, ac suave ad vescendum* (Gen. iii, 6). Non est tua, o mulier, ista suavitas, ista delectatio, istaque pulchritudo: et si tua pro parte luti, non tua solius, sed communis cunctis animantibus terræ. Tua, quæ vere tua est, aliunde, et alia est: nam æternitas est de æternitate. Quid tu animæ tuæ aliam formam, imo deformitatem imprimis alienam? Enimvero quod delectat habere, id etiam perdere timet: et timor color est. Is libertatem dum tingit, tegit, et eam nihilominus sibimet reddit dissimilem. Quam dignius sua origine nihil cuperet, ubi nihil metueret, ac per hoc a servili timore isto ingentiam sibi defenderet libertatem, manentem in vigore et decore suo! Heu! non ita est! mutatus est color optimus. Fugitas, et latitas: audis vocem Domini Dei, et abscondis te. Cur hoc, nisi quia quem amabas times, et libertatis speciem fo:ma servilis exclusit?

5. Sed et voluntaria illa necessitas, et contraria lex inflicta membris, de qua proximo sermone disserui, eidem incubat libertati, et liberam natura creaturam per propriam ipsius voluntatem, dum allicit, subjicit servituti, implens faciem ejus ignominia, ita ut vel carne serviat legi peccati, et non volens. Quia ergo naturæ ingenuitatem motum prohibere defensare neglexit; justo auctoris judicio factum est, non quidem ut libertate propria nudaretur; sed tamen superindueretur, *sicut diploide, confusione sua* (Psal. cviii, 29). Et bene *sicut diploide*, ubi veste veluti duplicata, manente libertate propter voluntatem, servilis nihilominus conversatio necessitatem probat. Hoc de simplicitate, hoc de immortalitate animæ advertere est: et nil tibi in ea, si bene consideres, apparebit, quod non sit istiusmodi similitudinis pariter et dissimilitudinis diploide adoptum. Annon diplois, ubi non innata, sed affixa, et quadam quasi acu peccati assuta est simplicitati fraus, immortalitati mors, necessitas libertati? Neque enim essentiæ simplicitati præscribit duplicitas cordis; non naturæ immortalitati mors, aut voluntaria peccati, aut necessaria corporis; non arbitrii libertati necessitas voluntariæ servitutis. Ita bonis naturæ mala adventitia, dum non succedunt, sed accedunt, turpant utique ea, non exterminant; conturbant, non deturbant. Inde anima dissimilis Deo, inde dissimilis est et sibi; inde comparata jumentis insipientibus, et similis facta est illis; inde quod legitur commutasse gloriâ suam in similitudinem vituli comedentis fenum; inde homines, tanquam vulpes, duplicitatis et fraudis foveas habent,

A et quia pares vulpibus se fecerunt, partes vulpium erunt; inde, juxta Salomonem, *unus exitus homini, et jumento* (Eccl. iii, 19). Quidni **1556** similiter exeat, qui similiter vixit? More bestiali incubuit terrenis, morte bestiali excedet terris. Audi aliud. Quid mirum si similem sortimur exitum, qui et similem habemus introitum? Unde enim hominibus, nisi de similitudine bestiali, ille tam intemperans ardor in coitu, tam immoderatus dolor in partu? Ita homo in conceptu et ortu, in vita et morte comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis.

B 6. Quid, quod libera creatura sibi subditum appetitum non regit ut domina, sed sequitur et obsequitur ut ancilla? Nonne et in hoc se assimilât et annumerat cæteris animantibus, quæ natura non in libertatem vocavit, sed condidit in servitum servire suo ventri, appetitui obedire? Nonne tali merito confunditur perhiberi vel existimari similis Deus? Ideoque ait: *Existimasti inique, quod ero tui similis*; et infert: *Arguam te, et statuam contra faciem tuam* (Psal. xlix, 21). Non est sese videntis animæ, Deum existimare similem sibi, animæ duntaxat, qualis mea est, peccatricis et iniquæ. Ejusmodi namque arguitur: *Existimasti inique*, ait; et non dicit: Existimasti, anima; vel, existimasti, homo, *quod ero tui similis*. Sed, si statuatur iniquus ante faciem suam, et contra vultum quemdam morbidum putidumque interioris hominis sui sistatur, ut dissimulare aut declinare non queat impuritatem conscientiæ suæ, sed videat vel invitus sordes peccatorum suorum, vitiorum inspicat deformitatem; nequaquam jam poterit existimare Deum fore similem sibi, sed quasi diffidens pro tanta dissimilitudine quam videbit, puto exclamabit, et dicet: *Domine, quis similis tibi?* (Psal. xxxiv, 10.) quod quidem dictum pro voluntaria illa et novitia dissimilitudine. Nam manet prima similitudo: et ideo illa plus displicet, quod ista manet. O quantum bonum ista, quantumque malum illa! Ex mutua tamen collatione utraque res in genere suo plus eminet.

C 7. Cum ergo anima tantam in se una rerum distantiam cernit, quidni clamat, inter spem et desperationem utique posita: *Domine, quis similis tui?* D Trahitur in desperationem pro tanto malo; sed revocatur in spem a tanto bono. Inde est ut quo sibi plus displicet in malo quod in se videt, eo se ardentius ad bonum, quod æque in se conspicit, trahat, cupiatque fieri ad quod facta est, simplex et recta, et timens Deum, ac recedens a malo. Quidni recedere possit, ad quod accedere potuit? quidni accedere, a quo recedere potuit? Quod tamen utrumque dixerim de gratia præsumendum, non de natura, sed ne de industria quidem. Nempe sapientia vincit malitiam (Sap. vii, 30), non industria, vel natura. Nec deest occasio præsumendi: ad Verbum est conversio ejus. Non est apud Verbum otiosa animæ generosa cognatio, de qua triduo jam tractamus, et cogitationis testis similitudo perseverans. Dignantur

admittit in societatem Spiritus similem in natura. A Et certe de ratione naturæ, similis similem quærit. Vox requirentis : *Revertere, Sunamitis; revertere, ut intueamur te (Cant. vi, 12)*. Intuebitur similem, qui dissimilem non videbat; sed et se intuendum præstabit. Scimus quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est (*I Joan. iii, 2*). Puta ergo de difficultate iragis, quam de impossibilitate venire illam percunctationem : *Domine, quis similis tibi?*

8. Aut, si hoc magis probas, vox est admirantis. Admiranda prorsus et stupenda illa similitudo, quam Dei visio comitatur, imo quæ Dei visio est; ego autem dico in charitate. Charitas illa visio, illa similitudo est. Quis non stupeat charitatem Dei sprete et revocantis? Merito iniquus arguitur ille, qui supra inductus est, Dei similitudinem usurpans sibi, cum diligendo iniquitatem, neque possit se diligere, neque Deum : sic enim habes : *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam (Psal. x, 6)*. Facta igitur de medio iniquitate, quæ eam quæ ex parte est dissimilitudinem facit, erit unio spiritus, erit mutua visio, mutuaque dilectio. Siquidem veniente quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est; eritque ad alterutrum casta et consummata **1557** dilectio, agnitio plena, visio manifesta, conjunctio firma, societas individua, similitudo perfecta. Tunc cognosceat anima, sicut cognita est (*I Cor. xiii, 10, 12*); tunc amabit, sicut amata est; et gaudebit sponsus super sponsam, cognoscens et cognitus, diligens et dilectus, Jesus Christus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LXXXIII.

Qualiter anima, quantumcunque vitiis corrupta, adhuc per amorem castum et sanctum potest redire ad similitudinem sponsi, id est Christi.

1. Quantum quidem regularis hora permisit, quam nobis constituimus ad loquendum, triduum [*alias*, biduum] hoc in demonstranda Verbi animæque affinitate expensum est. Quæ utilitas in omni labore isto? Nempe hæc. Docuimus omnem animam, licet oneratam peccatis, vitiis irretitam, captam illecebris, exsilio captivam, corpore carceratam, luto hærentem, infixam limo, affixam membris, confixam curis, distentam negotiis, contractam timoribus, afflictam doloribus, erroribus vagam, sollicitudinibus anxiam, suspicionibus inquietam, et postremo advenam in terra inimicorum, juxta prophætæ vocem, coinquinatam cum mortuis, deputatam cum his qui in inferno sunt (*Baruch. iii, 11*); licet, inquam, sic damnatam, et sic desperatam, docuimus tamen hæc in sese posse advertere, non modo unde respirare in spem venire, in spem misericordiæ queat; sed etiam unde audeat aspirare ad nuptias Verbi, cum Deo inire fœdus societatis non trepidet, suave amoris jugum cum Rege ducere angelorum non vereatur. Quid enim non tute audeat apud eum, cujus se insignem cernit imagine, illustrem similitudine

novit? quid, inquam, vereatur de majestate, cui de origine fiducia datur? Tantum est ut curet naturæ ingenuitatem vitæ honestate servare, imo celeste decus, quod sibi originaliter inest, dignis quibusdam studeat morum affectuumque venustare et decorare coloribus.

2. Utquid enim dormitet industria? Grande profecto in nobis donum naturæ ipsa est : quæ si minus suas exsequatur partes, nonne quod reliquum habet natura in nobis, totum turbabitur, totum quasi quædam vetustatis operietur rubigine? Id quidem injuria auctori. Et utique ad hoc auctor ipse Deus divinæ insigne generositatis perpetuo voluit in anima conservari, ut semper hæc in sese ex Verbo habeat, quo admoneatur semper, aut stare cum Verbo, aut redire, si mota fuerit. Non mota quasi locis migrans, aut pedibus gradens, sed mota (sicut substantiæ utique spirituali moveri est cum suis affectibus, imo defectibus, a se quodam modo in pejus vadit, cum se sibi vitæ et morum pravitate dissimilem facit, reddidit degenerem : quæ tamen dissimilitudo non naturæ abolitio, sed vitium est, bonum ipsum naturæ quantum sui comparatione attollens, tantum fœdans conjunctione. Jam vero animæ reditus, conversio ejus ad Verbum, reformandæ per ipsum, conformandæ ipsi. In quo? In charitate. Ait enim : *Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi; et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit vos (Ephes. v, 1, 2)*.

3. Talis conformitas maritat animam Verbo, cum cui videlicet similis est per naturam, similem nihilominus ipsi se exhibet per voluntatem, diligens sicut dilecta est. Ergo, si perfecte diligit, nupsit. Quid hac conformitate jucundius? quid optabilius charitate, qua fit ut humano magisterio non contenta, per temet, o anima, fiducialiter accedas ad Verbum, Verbo constanter inhæreas, Verbum familiariter percuncteris, consultesque de omni re, quantum intellectu capax, tantum audax desiderio? Vere spiritualis, sanctique connubii contractus est iste. Parum dixi, contractus : complexus est. Complexus plane, ubi idem velle, et nolle idem, unum facit spiritum de duobus. Nec verendum ne disparitas personarum claudicare in aliquo **1558** faciat convenientiam [*alias*, conniventiam] voluntatum, quia amor reverentiam nescit. Ab amando quippe amor, non ab honorando denominatur. Honoret sane qui horret, qui stupet, qui metuit, qui miratur : vacant hæc omnia penes amantem. Amor sibi abundat, amor ubi venerit, cæteros in se omnes traducit et captivat affectus. Propterea quæ amat, amat, et aliud novit nihil. Ipse qui honori merito, merito supiori et miraculo est : amari tamen plus amat. Sponsus et sponsa sunt. Quam quæris aliam inter sponso necessitudinem vel connexionem, præter amari, et amare? Illic nexus vincit etiam quod natura arctius vinxit, vinculum parentum ad filios. Denique, propter hoc, ait, *relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhærebit sponsæ (Matth. xix, 5)*. Vides iste

affectus quam sit in sponsis, non cæteris tantum affectibus, sed etiam se ipso potentior.

4. Adde quod iste sponsus non modo amans, sed amor est. Nunquid honor? Contendat quis esse: ego non legi. Legi autem quia *Deus charitas est* (1 Joan. iv, 16); et non quia honor est, vel dignitas, legi. Non quia honorem non vult Deus, qui ait: *Si ego pater, ubi est honor meus?* Verum id Pater. Sed, si sponsum exhibeat, puto quia mutabit vocem, et dicet: *Si ego sponsus, ubi est amor meus?* Nam et ante ita locutus est: *Si ego Dominus, ubi est timor meus?* (Malach. i, 6.) Exigit ergo Deus timeri ut Dominus, honorari ut pater, et ut sponsus amari. Quid in his præstat, quid eminet? Nempe amor. Absque hoc et timor pœnam habet, et honor non habet gratiam. Servilis est timor, quandiu ab amore non inanumittitur. Et qui de amore non venit honor, non honor, sed adulatio est. Et quidem soli Deo honor et gloria: sed horum neutrum acceptabit Deus, si melle amoris cordiâ non fuerint. Is per se sufficit, is per se placet, et propter se. Ipse meritum, ipse præmium est sibi. Amor præter se non requirit causam, non fructum. Fructus ejus, usus ejus. Amo, quia amo; amo, ut amem. Magna res amor, si tamen ad suum recurrat principium, si suæ origini redditus, si refusus suo fonti semper ex eo sumat, unde jugiter fluat. Solus est amor ex omnibus animæ motibus, sensibus atque affectibus, in quo potest creatura, etsi non ex æquo, respondere auctori, vel de simili mutuam rependere vicem. Verbi gratia, si mihi irascatur Deus, num illi ego similiter irascar? Non utique, sed pavebo, sed contremiscam, sed veniam deprecabor. Ita si me arguat, non redarguetur a me, sed ex me potius justificabitur. Nec, si me judicabit, judicabo ego eum, sed adorabo: et salvans me non quærit a me ipse salvari, nec vicissim eget ab aliquo liberari, qui liberat omnes. Si dominatur, me oportet servire; si imperat, me oportet parere, et non vicissim a Domino vel servitium exigere, vel obsequium. Nunc jam videas de amore quam aliter sit. Nam, cum amat Deus, non aliud vult quam amari: quippe non ad aliud amat nisi ut ametur, sciens ipso amore beatos qui se amaverint.

5. Magna res amor; sed sunt in eo gradus. Sponsa in summo stat. Amant enim et filii, sed de hæreditate cogitant: quam dum verentur quoquo modo amittere, ipsum a quo expectatur hæreditas, plus reverentur, minus amant. Suspectus est mihi amor cui aliud quid adipiscendi spes suffragari videtur. Infirmus est, qui forte spe subtracta, aut exstinguitur, aut minuitur. Impurus est, qui et aliud cupit. Purus amor mercenarius non est. Purus amor de spe vires non sumit, nec tamen diffidentia damna sentit. Sponsæ hic est, quia hoc sponsa est quæcunque est. Sponsæ res et spes unus est amor. Hoc sponsa abundat, hoc contentus et sponsus. Nec is aliud quærit, nec illa aliud habet. Hinc ille sponsus, et sponsa illa est. Is sponsis proprius est, quem alter nemo attingat, nec filius quidem. Denique ad filios clamat:

Ubi est honor meus? et non, *Ubi est amor meus,* dicit; servans sponsæ prærogativam. Sed et jubetur homo honorare patrem suum et matrem suam (*Deut.* v, 16), et de amore tacetur: non quia non amandi sint parentes a **1559** filiis, sed quia multi filiorum honorare parentes magis quam amare affecti sunt. Esto quod honor-regis iudicium diligit: sed sponsi amor, imo sponsus Amor solam amoris vicem requirit et fidem. Liceat pro inde reamare dilectam. Quidni amet sponsa, et sponsa Amoris? Quidni ametur Amor?

6. Merito cunctis renuntians affectionibus aliis, soli et tota incumbit amori, quæ ipsi respondere ænori habet in redhibendo amore. Nam et cum se totam effuderit in amorem, quantum est hoc ad illius fontis perenne profluvium? Non plane pari ubertate fluunt amans et Amor, anima et Verbum, sponsa et sponsus, Creator et creatura, non magis quam sitiens et fons. Quid ergo? peribit propter hoc, et ex toto evacuabitur nupturæ votum, desiderium suspirantis, amantis ardor, præsumptis fiducia, quia non valet ex æquo currere cum gigante, dulcedine cum melle contendere; lenitate cum agno, candore cum lilio, claritate cum sole, charitate cum eo qui charitas est? Non. Nam, etsi minus diligit creatura, quoniam minor est; tamen si ex tota se diligit, nihil deest ubi totum est. Propterea, ut dixi, sic amare, nupsisse est: quoniam non potest sic diligere, et parum dilecta esse, ut in consensu duorum integrum stet perfectumque connubium. Nisi quis dubitet, animam a Verbo et prius amari, et plus, C Prorsus et prævenitur amando, et vincitur. Felix, quæ meruit præveniri in tantæ benedictione dulcedinis! Felix, cui tantæ suavitatis complexum experiri donatum est! Quod non est aliud, quam amor sanctus et castus, amor suavis ei dulcis; amor tantæ serenitatis, quantæ et sinceritatis; amor mutus, intimus, validusque, qui non in carne una, sed uno plane in spiritu duos jungat, duos faciat jam non duos, sed unum, Paulo ita dicente: *Qui adhæret Deo, unus spiritus est* (1 Cor. vi, 17). Et nunc potius eam super his audiamus, quam facile magistram de omnibus fecit et magistra unctio, et frequens experientia. Nisi forte id melius servamus in aliud sermonis principium, ne rem bonam coarctemus inter angustias hujus jam propemodum finiendi. Et si probatis, facio finem etiam ante finem, ut famelici tempestive conveniamus cras ad delicias sanctæ animæ, quibus beata meretur frui cum Verbo, et de Verbo, sponso utique suo, Jesu Christo Domino nostro, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LXXXIV.

Quod anima querens Deum, prævenia est ab eo: et quid sit illa quæsitio, in qua jam ab eo prævenia est.

1. *In lectulo meo per noctes quæsi vi quem diliget anima mea* (Cant. iii, 4). Magnum bonum querere Deum. Ego hoc nulli in bonis animæ secundum existimo. Primum in donis, ultimum in profectibus est.

Virtutum nulli accedit, cedit nulli. Cui accedat, A quam nulla præcedit? cui cedat, quæ omnium magis consummatio est? Quæ enim virtus ascribi possit non quærenti Deum, aut quis terminus quærenti [alias, quærendi] Deum? *Quærite*, inquit, *faciem ejus semper* (Psal. civ, 4). Existimo quia nec cum inventus fuerit, cessabitur a quærendo. Non pedum passibus, sed desiderii quæritur Deus. Et utique non extendit desiderium sanctum felix inventio, sed extendit. Nunquid consummatio gaudii, desiderii consumptio est? Oleum magis est illi: nam ipsum flamma. Sic est. Adimplebitur lætitia; sed desiderii non erit finis, ac per hoc nec quærendi. Tu vero cogita, si potes, quæritandi hoc studium sine indigentia, et desiderium sine anxietate. Alterum profecto præsentia, alterum copia excludit.

2. Nunc jam videte cur ista præmiserim. Nimirum, ut omnis inter vos anima quærens Deum, ne magnum bonum in magnum sibi detorqueat malum, noverit se præventam in illo, et ante quæsitam quam quærentem. Sic enim de magnis bonis mala oriri non minima solent, cum facti eximil de bonis Domini, utimur **1560** donis tanquam non datis, non damus gloriam Deo. Ita profecto qui maximi videbantur pro accepta gratia, pro non redhibita minimi reputantur apud Deum. Ego autem parco vobis. Usus sum modestioribus vocibus, maximo, minimoque; sed quod sentio non expressi. Discrimen involvi, ipse nudabo: optimum, pessimumque dixisse debueram. Nam vere et absque dubio, eo quisque pessimus, quo optimus est, si hoc ipsum quo est optimus, ascribat sibi. Nempe pessimum hoc. Quod si dicat quis: Absit! agnosco, gratia Dei sum id quod sum; studeat autem captare gloriolam pro gratia quam accepit; nonne fur est et latro? Audiatur qui ejusmodi est: *Ex ore tuo te judico, serve nequam* (Luc. xix, 22). Quid nequius servo usurpante sibi gloriam domini sui?

3. *In lectulo meo per noctes quæsi vi quem diligit anima mea.* Quærit anima Verbum, sed quæ a Verbo prius quæsitæ sit. Alioquin semel a facie Verbi egressa vel ejecta, non revertetur oculus ejus ut videat bona, si non requiratur a Verbo. Quasi vero aliud anima nostra sit, quam spiritus vadens et non rediens, si sibi fuerit derelicta. Audi profugam et deviam, quid doleat, et quid petat. *Erravi, ait, sicut ovis quæ perii: quære servum tuum* (Psal. cxviii, 176). O homo, redire vis? Sed si in voluntate res est, quid opem flagitas? quid aliunde mendicæ, in quo abundas tu tibi? Palam est, quia vult, et non potest: sed spiritus est vadens et non rediens, etsi is sit longius agens, qui nec vult. Quanquam non omnino illam animam expositam dixerim vel relictam, quæ reverti cupit, et requiri petit. Unde enim voluntas hæc illi? Inde, ni fallor, quod a Verbo visitata jam sit et quæsitæ. Nec otiosa quæsitio, quæ operata est voluntatem, sine qua reditus esse non poterat. Sed non sufficit semel quæri: tantus est animæ languor, tantaque in reditu difficultas. Qui

enim si vult? Jacet voluntas, ubi facultas non suppetit. Nam: *Velle adjacet mihi*, inquit, *perficere autem bonum non invenio* (Rom. vii, 18). Quid ergo ille, quem de psalmo induximus, quærit? Non plane aliud, quam quæri: quod non quæreret, nisi quæsitus fuisset; et rursus non quæreret, si quæsitus satis fuisset. Quod et postulat: *Quære*, inquit, *servum tuum*; ut qui dedit velle, det et perficere pro bona voluntate.

4. Mihi tamen non videtur istius modi animæ posse competere locus præsens, quæ secundam gratiam necdum percepit, volens quidem, sed non valens adire quem diligit anima sua. Nam quomodo potest illi convenire quod ibi sequitur, surgere et circuire civitatem, sed et per vicos et plateas quærere dilectum (Cant. iii, 2), quæ eget ipsa quæri? Faciat hoc quæ potest: tantum se meminerit quæsitam prius, sicut et prius dilectam; atque inde esse, et quod quærit, et quod diligit. Oremus et nos, charissimi, ut cito anticipent nos misericordiæ istæ, quia pauperes facti sumus nimis: quod non de omnibus vobis dico. Scio enim quamplurimos vestrum ambulantes in dilectione, qua Christus dilexit nos, et in simplicitate cordis quærentes illum. Sed unus aliqui, quod tristis dico, qui nullum nobis adhuc in se dedere indicium hujus tam salutaris anticipationis, ac per hoc nec suæ salutis: homines se ipsos amantes, non Dominum; et quærentes quæ sua sunt, non quæ Domini.

5. *Quæsi vi, ait illa, quem diligit anima mea.* Nempe huc te provocat anticipantis benignitas illius, qui te et prior quæsi vit, et prior dilexit. Minime prorsus nisi prius quæsitæ quæreret, sicut nec diligeres nisi dilecta prius. Non in una tantum benedictione, sed in duabus præventa es, dilectione et quæsitio. Dilectio causa quæsitio nis; quæsitio fructus dilectionis est et certitudo. Dilecta es, ne ad supplicium potius quæsitam suspiceris; quæsitæ es, ne frustra dilectam conqueraris. Utraque tam amica comperta suavitas et ausum dedit, et verecundiam depulit, et reditum persuasit, et movit affectum. Hinc zelus, hinc ardor iste quærendi quem diligit anima tua; quia profecto necnon quæsitæ quærere poterat, necnon quærere quæsitæ nunc potes.

1561 6. Sed noli oblivisci unde huc veneris. Et ut in me potius transfigurem quæ dicuntur, id enim tutius, tunc es, o anima mea, quæ relicto viro tuo priore, cum quo tibi bene fuerat, primam fidem irritam fecisti, iens post amatores tuos? Et nunc quoad libuit fornicata cum illis, forte et contempta ab illis, audes impudens et frontosa velle reverti ad illum, quem superba contempsisti? Quid? digna latebris quæris lucem, et curris ad sponsum, dignior plagis, quam oculis? Mirum si non pro sponso judicem offendas. Felix, qui ad hæc animam suam respondentem audierit: Non timeo, quia amo; quod non amata omnino non facerem. Itaque etiam amor. Nihil dilectæ timendum. Paveant quæ non amant. Quidam assidue inimicitias suspicentur? Ego vero

amans, amari me dubitare non possum, non plus quam amare. Nec possum vereri vultum, cuius sensu affectum. In quo? In eo quod talem non modo quæsit, sed et affecti, fecitque certam proinde de quæsit. Quidni respondeam in quæsit, cui in affectu respondeo? Nunquid irascetur quæsitus, qui etiam contemptus dissimulavit? Quinimo non repellat requirentem, qui et contemnentem requirit. Benignus est spiritus Verbi, et benigna nuntiat mihi, intimans et suadens de Verbi zelo desiderioque, quod utique sibi non potest esse absconditum. Scrutatur alta Dei, conscius earum, quas cogitat cogitationes pacis, et non afflictionis. Quidni animer ad quærendum, experta clementiam, et persuasa de pace?

7. Fratres, hoc suaderi, a Verbo quæri est; persuaderi, inveniri est. Sed non omnes capiunt hoc verbum. Quid faciemus parvulis nostris, illos loquor, qui adhuc inter nos incipientes sunt, non tamen insipientes, cum teneant initium sapientiæ, subjecti invicem in timore Christi? Unde illis, inquam, facimus fidem, quod hæc ita se habeant penes sponsam, cum ipsi talia agi secum necdum persenserint? Sed mitto eos ego ad talem, cui decedere non debeant. Legant in libro, quod in corde altero quia non cernunt, non credunt. Est scriptum in prophetis: *Si dimiserit vir uxorem suam, et illa recedens duxerit virum alium, nunquid revertetur ad eam ultra? nunquid non polluta et contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: et tamen revertere ad me, dicit Dominus, et ego suscipiam te* (Jerem. iii, 1). Verba Domini sunt: non est fas suspendere fidem. Crebant quod non experiuntur, ut fructum quandoque experientie fidei merito consequantur. Satis arbitror declaratum, quid sit quæri a Verbo, et quæ hæc sit necessitas non Verbo, sed animæ, nisi quod quæ experta est, et plenius ista novit, et feliciter. Restat ut sequenti tractatu doceamus sitientes animas quærere a quo quæsitæ sunt, vel potius id discamus ab illa, quæ hoc loco inducitur quærens ipsum, quem diligit anima sua, sponsum animæ Jesum Christum Dominum nostrum, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LXXXV.

De septem necessitatibus, propter quas anima quærit Verbum: quæ tandem reformata accedit ad ejus dulcedinem contemplandam atque perfruendam.

1. In lectulo meo quæsi vi quem diligit anima mea (Cant. iii, 1). Ad quid? Dictum est, et iterare superfluum: propter quosdam tamen, qui non intertulerunt cum tractaretur, dico aliquid breviter, et quod fortasse ne hos quidem qui interfuerunt, audire pigebit. Nec enim totum dici tunc potuit. Quærit anima Verbum, cui consentiat ad correptionem, quo illuminetur ad cognitionem, cui innitatur ad virtutem, quo reformetur ad sapientiam, cui conformetur ad decorem, cui maritetur ad fecunditatem, quo fruatur ad jucunditatem. Propter has omnes causas quærit anima Verbum. Non ambigo

A esse quamplures et alias: sed hæc interim occurrunt. Poterit autem, si cui cordi fuerit, facile alias atque alias advertere in semetipso. Siquidem 1562 multæ sunt aversiones nostræ, multæ et inutilitæ animæ necessitates, et anxietatum non est numerus. At Verbum ditius pleniusque superabundat in bonis, utpote Sapientia vincens malitiam, vincens in bonis mala. Et nunc harum, quas posui, accipite rationem. Et primo, quod primum est, videte quemadmodum consentiat ad correptionem. Legimus Verbum in Evangeliiis loquens: *Esto consentiens, inquit, adversario tuo, dum es cum illo in via, ne forte tradat te judici, et iudex tortori* (Math. v, 25). Quid consentius? Verbi consilium est, ni fallor, se adversarius protestantis, quod adversetur carnalibus desideriis nostris dum dicit: *Semper hi errant corde* (Psal. xcvi, 10). Tu ergo qui hæc audis, si pavens ræperis velle fugere a ventura ira, credo sollicitus eris, quomodo huic consentias adversario, qui tibi illam tam terribiliter intentare videtur. At istud impossibile, nisi dissentias tecum, nisi tibi met adverseris, nisi gravi et vigili lucta tu ipse contra te ipsum infatigabiliter præleris; postremo, nisi valefacias inveteratæ consuetudini, innatæque affectioni. Id quidem durum. Si tuis attentaveris viribus, tale erit, ac si in uno digitorum tuorum torrentis impetum sistere, aut ipsum denuo concris Jordanem convertere retrorsum. Quid facies? Quære verbum cui consentias, ipso faciente ut consentias. Fuge ad illum qui adversatur, per quem talis fias cui jam non adversatur, ut blandiatur qui minabatur, et sit ad immutandum efficacior infusa gratia, quam intensa ira.

2. Hæc prima, ut opinor, necessitas, ob quam anima incipit quærere verbum. Sed si ignoras quid ille velit cui jam voluntate consentis, nonne et de te dicitur quia zelum Dei habes, sed non secundum scientiam? (Rom. x, 2). Et ne hoc leve existimes, memineris scriptum, quia *ignorans ignorabitur* (I Cor. xiv, 38). Scire vis quid consulam et in hac necessitate? Quod in prima. Meo consilio nunc quoque ibis ad Verbum, et docebit te vias suas, ne volendo quidem, sed ignorando bonum, dum curris, contingat excurrere, et errare in invio, et non in via. Lux est enim verbum. *Declaratio denique sermonum illuminat, et intellectum dat parvulis*. Beatus es, si dicas et tu: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis* (Psal. cxviii, 150, 105). Nec parum profecit anima tua, cujus immutata voluntas, cujus illuminata ratio est, ut bonum et velit, et noverit. In altero vitam, in altero visum recepit. Nam et malum volendo mortua erat, et bonum ignorando cæca.

3. Jam vivit, jam videt, jam stat in bono, sed ope et opere Verbi. Stat manu Verbi levata veluti super pedes duos, devotionem et agnitionem. Stat, inquam, sed sibi putet dictum: *Qui se existimat stare, videat ne cadat* (I Cor. x 12). Putasne stare per se possit, quæ surgere per se non potuit? Non opinor. Quid

enim? Verbo Domini cœli firmati sunt (*Psal.* xxxii, 6), et terra stabit sine Verbo? Cur ergo si stare per se poterat, orabat homo de terra: *Confirma me, inquit, in verbis tuis?* (*Psal.* cxviii, 28). Denique et probat. Ejus ipsius illa vox fuit: *Impulsus evertus sum ut caderem, et Dominus suscepit me* (*Psal.* cxvii, 15). Quæris quis ille impulsor? Non est unus. Impulsor diabolus est, impulsor mundus, impulsor homo. Quis iste homo sit quæris? Quisque sui. Noli mirari. Usque adeo homo impulsor sibi est, et suimet præcipitator, ut non sit quod ab alio impulsore formides, si ipse a te proprias contineas manus. *Quis enim, inquit, vobis nocere poterit, si boni æmulatores fueritis?* (*I Petr.* iii, 13). Manus tua, consensus tuus. Si diabolo suggerente, vel sæculo suadente quod non oportet, assensum tuum teneris, et non dederis membra tua arma iniquitati, nec permiseris regnare peccatum in tuo mortali corpore; bonum te æmulatorem probasti, cui malitia omnino nil nocuit: vide ne magis profuerit. Scriptum est enim: *Bonum fac, et habebis laudem ex illa* (*Rom.* xiii, 5). Confusi sunt qui quærebant animam tuam, tu vero cantabis: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero* (*Psal.* xviii, 14). Boni plane æmulatoris insigne dedisti, si consilio Sapientis misereris animæ tuæ (*Eccli.* xxx, 24), si omni custodia servas cor tuum (*Prov.* iv, 23), si juxta Apostolum te ipsum castum custodis (*I Tim.* v, 22). Alioquin, etsi universum mundum **1563** lucreris, animæ autem tuæ detrimentum patiaris, non plane bonum te censemus æmulatorem, quoniam quidem nec Salvator (*Matth.* xvi, 26).

4. Cum igitur tres sint stanti imminentes (262); horum diabolus livore malitiæ, mundus vento vanitatis, homo semetipsum pondere suæ corruptionis impellit. Impellit diabolus, sed non evertit, si quidem tuum auxilium, tuum illi negaveris vel assensum. Denique habes: *Resistite diabolo, et fugiet a vobis* (*Jac.* iv, 7). Iste est qui stantes in paradiso impulit invidus et evertit, sed consentientes, non resistentes. Iste est qui se ipsum de cœlo superbus nullo impellente præcipitavit: ut scias multo magis hominem suo ipsius casui imminere, quem propriæ substantiæ pondus gravat. Est et mundus impulsor, quia in maligno positus est. Impellit omnes, sed solos evertit amicos suos, id est consentaneos sibi. Nolo esse amicus mundi, ne cadam. Nam qui vult esse hujus mundi amicus, inimicus Dei constituitur (*Jac.* iv, 7), quo utique nullus gravior casus. Ex quibus satis claret, quam sit homo præcipuus impulsor sui, qui suo sine alieno impulsu cadere potest, alieno absque suo cadere non potest. Cuiusnam horum præcipue resistendum? Nempe huic, qui molestior, quo interior, solus dejicere sufficit, cum sine ipso alii possint facere nihil. Non sine causa Sapiens expugnatori prætulit urbium, virum qui animo do-

minatur (*Prov.* xvi, 32). Multum hoc ad te: Opus virtute habes, et non quacunque, se: qua induaris ex alto. Ipsa enim, si perfecta sit, facile facit animum victorem sui, et sic invictum reddit ad omnia. Est quippe vigor animi cedere nescius pro tuenda ratione. Aut, si magis probas, vigor animi immobiliter stantis cum ratione vel pro ratione. Vel sic: Vigor animi, quod in se est, omnia ad rationem cogens vel dirigens.

5. Quis ascendit in montem Domini? Injus ad verticem montis, id est ad virtutis perfectionem, quisque contendere [*alias, conscendere*] adoriatur, sciet profecto quam sit ascensus arduus, et cassus conatus (263) absque Verbi adjutorio. Felix anima, quæ angelis spectantibus præbuit gaudium pariter et miraculum sui, ut audiret de se loquentes: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* (*Cant.* viii, 5). Alioquin frustra nititur, si non innititur. Sane etiam contra se innitens invalescet, et facta se ipsa validior coget pro ratione universa: iram, metum, cupiditatem, et gaudium, veluti quemdam animi currum, bonus auriga reget; et in captivitatem rediget omnem carnalem affectum, et carnis sensum ad nutum rationis in obsequium virtutis. Quidni omnia possibilis sint innitenti super eum, qui omnia potest? Quantæ fiducia vox: *Omnia possum in eo qui me confortat!* (*Philipp.* ix, 13.) Nil omnipotentiam Verbi clariorem reddit, quam quod omnipotentes facit omnes qui in se sperant. Denique omnia possibilis sunt credenti (*Marc.* ix, 22). Annona Omnipotens, cui omnia possibilis sunt? Ita animus, si non presumat de se, sed si confortetur a Verbo, poterit utique dominari sui, ut non dominetur ei omnis injustitia. Ita, inquam, Verbo innixum, et indutum virtute ex alto, nulla vis, nulla fraus, nulla jam illecebra poterit vel stantem dejicere, vel subjicere dominantem.

6. Vis non timere impulsorem? Non veniat tibi pes superbiæ, et manus impellentis non movebit te. *Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem* (*Psal.* xxxv, 13). Ibi diabolus et angeli ejus corruerunt, qui licet non impulsu extrinsecus, expulsi sunt tamen, nec potuerunt stare. Denique in veritate non stetit, qui non innixus est Verbo, qui in sua virtute confisus est. Et ideo fortassis sedere voluit, quia stare non valuit. Dicebat enim: *Sedebam in monte testamenti* (*Isa.* xiv, 15). Cæterum, Deo aliter judicante, nec stetit, nec sedit, sed cecidit, dicente Domino: *Videbam Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem* (*Luc.* x, 18). Ergo qui stat, si non vult cadere, non fidat sibi, sed nitatur Verbo. Verbum loquitur: *Sine me nihil potestis facere* (*Johann.* xv, 5). Ita est: Nec surgere ad bonum, nec stare in bono possumus sine **1564** Verbo. Tu ergo qui stas, da gloriam Verbo, [*alias, Deo*], et dic: *Statuit supra petram pedes meos,*

(262) Editi recentiores addunt *stratores*, quod deest primis ac plerisque manuscriptis, et quidem haud necessarium videtur.

(263) In editis, *casus concitus*: at in scriptis nostris, *casus conatus*; et rectius ex consequentibus, Alioquin frustra nititur, si non innititur. ▶

et direxit gressus meos (Psal. xxxix, 3). Cujus manu A
erigeris, ipsius necesse est virtute teneris. Hæc pro
eo quod dixi, opus nos habere Verbo, cui iunimur
ad virtutem.

7. Nunc jam videndum est de eo quod item me-
moravi, per Verbum scilicet nihilominus nos refor-
mari ad sapientiam. Verbum virtus, Verbum sapientia est. Sumat ergo anima de virtute virtutem,
ac de sapientia sapientiam, et uni Verbo munus
utrumque ascribat. Alioquin si aliunde aut utramque,
aut alterutram arroget sibi; neget etiam simul vel
de fonte rivum, vel de vile vinum, vel lumen oriri
de Imine. Fidelis sermo: Si quis, inquit, indiget sa-
pientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et
non improperat; et dabitur ei (Jac. 1, 5). Hæc ille.
Ego vero haud secus de virtute senserim. Cognata B
virtus sapientiæ est. Domum Dei virtus est, depu-
tanda in donis [alias, datis] optimis, descendens et
ipsa desursum a Patre Verbi. Et si quis existimet id
per omnia eam quod sapientiam esse, non inficior,
sed in Verbo, non in anima. Quæ enim in Verbo pro-
ejus singulari divinæ naturæ simplicitate unum sunt,
unum tamen effectum in anima non habent, sed ad
illius varias et diversas necessitates, veluti diversa,
sepe participanda accommodant. Juxta quam ratio-
nem profecto aliud est animo virtute agi, et aliud
sapientia regi; aliud dominari in virtute, aliud in
suavitate deliciari. Licet namque et sapientia potens,
et virtus suavis existat; ut tamen proprias quibusque
reddamus vocabulis significantias, vigor virtu-
tem, sapientiam placiditas animi cum spirituali qua-
dam suavitate demonstrat. Hanc puto ab Apostolo
designatam, ubi post multa hortamenta pertinentia
ad virtutem, adjecit quod sapientiæ est: In suavi-
tate, in Spiritu sancto (II Cor. vi, 6). Igitur stare,
resistere, vim vi repellere, quæ utique in partibus vir-
tutis deputantur, honor quidem, sed labor est. Non
est enim id ipsum honorem tuum laboriose de-
fendere, et quiete possidere. Non est idem virtute
agi, et virtute frui. Quidquid virtus elaborat, sa-
pientia fruitur; et quod sapientia ordinat, delibe-
rat, moderatur; virtus exsequitur.

8. Sapientiam scribe in otio, ait Sapienter (Eccli.
xxxviii, 25). Ergo sapientiæ otia negotia sunt, et
quo otiosior sapientia, eo exercitior in genere suo. D
E regione virtus exercitata clarior est, eoque proba-
tior, quo officiosior. Et [si quis sapientiam virtutis
amorem definiat, non mihi a vero Leviare videtur.
Ubi autem amor est, labor non est, sed sapor.] Et
forte sapientia a sapore denominatur, quod virtuti
accedens, quoddam veluti condimentum, sapidam
reddat, quæ per se insulsa quodam modo et aspera
sentiebatur. Nec duxerim reprehendendum, si quis
sapientiam saporem boni definiat. Hunc saporem
perdidimus ab ipso pene exortu generis nostri. Ex
quo cordis palatum sensu carnis prævalente infecit
virus serpentis antiqui, cœpit animæ non sapere
bonum, ac sapor noxius subintrare. Denique proni
sunt sensus hominis et cogitationes in malum ab ado-

lescentia (Gen. viii, 21), hoc est, ab insipientia
primæ mulieris. Ita insipientia mulieris saporem boni
excludit, quia serpentis malitia mulieris insipientiam circumvenit. Sed unde malitia visa est vicisse
ad tempus, inde se victam dolet in æternum. Nam
ecce denuo sapientia mulieris cor et corpus implevit,
ut qui per feminam deformati in insipientiam sumus,
per feminam reformemur ad sapientiam. Et nunc
assidue sapientia vincit malitiam in mentibus ad
quas intraverit, saporem mali, quem illa invexit,
sapore exterminans meliori. Intrans sapientia, dum
sensum carnis infatuat, purificat intellectum, cordis
palatum sanat et reparat. Sano palato sapit jam bo-
num, sapit ipsa [sapientia] quæ in bonis nullum mel-
lius.

9. Quam multa sunt bona, et non sapiunt facien-
tibus! siquidem non sapore boni ad illa, sed aut
ratione, aut qualicumque occasione, seu necessitate
impelluntur: 1565 et contrario multis, quæ fa-
ciunt, non sapiunt mala, sed ad hæc inducuntur,
aut metu, aut cupiditate rei cuiuspiam potius, quam
sapore mali. Qui autem transierunt in affectum cor-
dis, aut sapientes sunt, et ipso delectantur sapore
boni; aut maligni sunt, et in ipsa complacent sibi
malitia, etiam nulla spe alterius commodi blandiente.
Malitia vero quid, nisi sapor est mali? Beata mens,
quam sibi totam vindicavit sapor boni, et odium
mali. Hoc reformari ad sapientiam est, hoc sapientia
victoriam feliciter experiri. Nam in quo eviden-
tius sapientia vincere malitiam comprobatur, quam
cum excluso sapore mali, qui non aliud quam ipsa
malitia est, boni quidam intimus sapor mentis in-
tima occupare tota suavitate sentitur? Itaque ad
virtutem spectat tribulationes fortiter sustinere: ad
sapientiam, gaudere in tribulationibus. Confortare
cor tuum, et sustinere Dominum, virtutis est; gu-
stare et videre quoniam suavis est Dominus, sapientia
est. Et ut magis ex propriæ bonæ naturæ bonum
utrumque clarescat; modesta animi probat sapientem,
constantiam virum virtutis ostendit. Et hæc
post virtutem sapientia; quod virtus sit quoddam
quasi stabile fundamentum, super quod sapientia
ædificet sibi domum. Oportuit autem præcedere no-
titiam boni; quia non est societas luci sapientiæ, et
tenebris ignorantia. Oportuit et bonam voluntatem;
quia in malevolam animam non introibit sapientia
(Sap. 1, 4).

10. Jam, si in voluntatis mutatione reddita inno-
tuit animæ vita, in eruditione sanitas, in virtute
stabilitas, in sapientia postremo maturitas; superest
ut decorem illi inveniamus, sine quo specioso foras
præ filiis hominum placere non potest. Denique au-
dit quia concupiscet rex decorem tuum (Psal. xlii,
3, 12). Quanta enumeravimus animæ bona, dona
Verbi, voluntatem bonam, scientiam, virtutem, sa-
pientiam, et nihil horum Verbum rex concupiscere
legitur, sed tantum: Concupiscet, inquit, rex deco-
rem tuum. Ait Propheta: Dominus regnavit, decorem
induit (Psal. xcii, 4). Quidni imagini suæ pariter et

sponsæ simile cupiat indumentum? Tanto profecto sibi charior illa, quanto similior erit sibi. In quo ergo animæ decor? An forte in eo quod honestum dicitur? Hoc interim sentiamus, si melius non occurrit. De honesto autem exterior interrogetur conversatio; non quod ex ea honestum prodeat, sed per eam. Nam in conscientia et habitatio ejus, et origo. Si quidem claritas ejus, testimonium conscientie. Nihil hac luce clarius, nihil hoc gloriosius testimonio, cum veritas in mente fulget, et mens in veritate se videt. Sed qualem? Pudicam, verecundam, pavidam, circumspectam, nihil penitus admittentem quod evacuet gloriam conscientie attestantis: in nullo consciam sibi, quo erubescat presentiam veritatis, quo cogatur avertere faciem quasi confusam et repressam a lumine Dei. Hoc plane, hoc illud decorum est, quod super omnia bona animæ divinus oblectat aspectus; et nos nominamus ac definimus honestum.

11. Cum autem decoris hujus charitas abundantius intima cordis repleverit, prodeat foras necesse est, tanquam lucerna latens sub modio, imo lux in tenebris lucens, latere nescia. Porro effulgentem, et veluti quibusdam suis radiis erumpentem, mentis simulacrum corpus excipit, et diffusit per membra et sensus, quatenus omnis inde reluceat actio, sermo, aspectus, incessus, risus (si tamen risus) mistus gravitate, et plenus honesti. Horum et aliorum profecto artuum sensuumque motus, gestus et usus, cum apparuerit serius, purus, modestus, totius expers insolentiae atque lasciviae, tum levitatis, tum ignaviae alienus, æquitati autem accommodus, pietati officiosus; pulchritudo animæ palam erit, si tamen non sit in spiritu ejus dolus. Potest enim fieri ut simulentur omnia hæc, et non ex abundantia cordis taliter moveantur. Et ut magis eluceat is animæ decor, ipsum, si placet, honestum, in quo hunc locandum censuimus, definiatur: Mentis ingenuitas, sollicita servare cum conscientia bona famæ integritatem. Vel, juxta Apostolum: *Providere bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus* (II Cor. viii, 21). Beata 1566 mens, quæ hoc se induit castimonie decus, et quemdam veluti cælestis innocentie candidatum, per quem sibi vindicet gloriosam conformitatem, non mundi, sed Verbi, de quo legitur, quod sit *candor vitæ æternæ* (Sap. vii, 26); *splendor et figura substantiæ Dei* (Hebr. i, 3).

12. Ex hoc jam gradu audet quæ hujusmodi est, cogitare de nuptiis. Quidni audeat, eo se nubilem, quo similem cernens? Non terret celsitudo, quam sociat similitudo, amor conciliat, professio maritalis. Professionis forma hæc est: *Juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ* (Psal. cxviii, 106). Hanc secuti apostoli aiebant: *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te* (Matth. xix, 27). Simile est illud quod in carnali quidem connubio dictum, Christi et Ecclesiæ connubium spirituale signavit: *Propter hoc relinquet homo patrem suum, et matrem suam, et*

adhærebit uxori suæ; et erunt duo in carne una (Ephes. v, 31, 32): et apud Prophetam gloriatio maritalitatis, *Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam* (Psal. lxxii, 28). Ergo quam videris animam relictis omnibus Verbo votis omnibus adhærere, Verbo vivere, Verbo se regere, de Verbo concipere quod pariat Verbo; quæ possit dicere: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum* (Philipp. i, 21): puta conjugem, Verboque maritalitatis. Confidit in ea cor viri sui, sciens fidelem, quæ præ se omnia spreverit, omnia arbitretur ut stercora, ut sibi ipsum lucrifaciat. Talem noverat, de quo dicebat: *Vas electionis est mihi isti* (Act. ix, 15). Prorsus pia mater et fidelem viro suo anima Pauli, cum diceret: *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis* (Galat. iv, 19).

13. Sed attende in spirituali matrimonio duo esse genera pariendi, et ex hoc etiam diversas soboles, sed non adversas: cum sanctæ matres aut prædicando animas, aut meditando intelligentias pariunt spirituales. In hoc ultimo genere interdum exciditur, et seceditur etiam a corporis sensibus, ut sese non sentiat quæ Verbum sentit. Hoc fit, cum mens ineffabilis Verbi illecta dulcedine, quodam modo se sibi furatur, imo rapitur atque elabitur a seipsa, ut Verbo fruatur. Aliter sane afficitur mens fructificans Verbo, aliter fruens Verbo. Illic sollicitat necessitas proximi, hic invitat suavitas Verbi. Et quidem læta in prole mater; sed in amplexibus sponsa lætior. Chara pignora filiorum; sed oscula plus delectant. Bonum est salvare multos; excedere autem et cum Verbo esse, multo jucundius. At quando hoc, aut quandiu hoc? Dulce commercium; sed breve momentum, et experimentum rarum. Hoc est quod supra post alia memini me dixisse, quærere utique animam Verbum, quo fruatur ad jucunditatem.

14. Pergat quis forsitan quærere a me etiam, Verbo frui quid sit? Respondeo: Quærat potius expertum a quo id quærat. Aut si et mihi experiri daretur, putas me posse eloqui quod ineffabile est? Audi expertum: *Sive, inquit, mente excedimus, Deo; sive sobrii sumus vobis* (II Cor. v, 13). Hoc est: Aliud mihi cum Deo, solo arbitro Deo; aliud vobiscum mihi. Illud licuit experiri, sed minime loqui: in hoc ita condescendo vobis, ut et ego dicere, et vos capere valeatis. O quisquis curiosus es scire quid sit hoc, Verbo frui; para illi non aurem, sed mentem. Non docet hoc lingua, sed docet gratia. Absconditur a sapientibus et prudentibus, et revelatur parvulis. Magna, fratres, magna et sublimis virtus humilitas, quæ promeretur quod non docetur, digna adipisci quod non valet addisci, digna a Verbo, et de Verbo concipere, quod suis ipsa verbis explicare non potest. Cur hoc? Non quia sic meritum, sed quia sic placitum coram Patre Verbi sponsi animæ, Jesu Christi Domini nostri, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

SERMO LXXXVI.

*De cautela et verecundia sponsæ quærentis Verbum ;
et de commendatione verecundiæ.*

1. Non est quod a me jam quærat, cur quærat anima Verbum : satis superque id intimatum **1567** supra. Age, prosequamur reliqua præsentis capituli, duntaxat quæ ad mores spectant. Ubi primam nunc adverte sponsæ verecundiam, qua nescio an quidquam gratius adverti in moribus hominum queat. Hanc primo omnium libet quodam modo in manibus sumere, et quasi speciosum quemdam florem decerpere loco, nostrisque apponere adolescentibus. Non quia non sit et in proveciori ætate omni studio retinenda, quæ est certe omnium ornatus ætatum ; sed quod teneræ gratia verecundiæ in teneriori ætate amplius, pulchriusque eniteat. Quid amabilius verecundo adolescente? Quam pulchra hæc, et quam splendida gemma morum in vita et vultu adolescentis! quam vera et minime dubia bonæ nuntia spei, bonæ indolis index! Virga disciplinæ est illi, quæ pudendis affectibus imminens, lubricæ ætatis motus, actusque leves coerceat, comprimat insolentes. Quid ita turpiloquii, et omnis deinceps turpitudinis fugitans? Soror continentiæ est. Nullum æque manifestum iudicium columbinæ simplicitatis : et ideo etiam testis innocentæ. Lampas est pudicæ mentis jugiter læens, ut nil in ea turpe vel indecorum residere attentet, quod non illa illico prodatur. Ita expunctrix malorum, et propugnatrix puritatis innatæ, specialis gloria conscientiæ est, samæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, et insigne totius honesti. Rubor ipse genarum, quem forte invexerit pudor, quantum gratiæ et decoris suffuso asferre vultui solet?

Usque adeo genuinum animi bonum verecundiæ est, ut et qui male agere non verentur, videri tamen verecundentur, dicente Domino : *Omnis qui male agit, odit lucem (Joan. III, 20)*. Sed et qui dormiunt, nocte dormiunt; et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt (*I Thess. v, 7*) : opera nimirum tenebrarum, et digna latebris, tenebris occultantes. Interest tamen, quod occulta dedecoris, quæ verecundia horum non habere, sed prodere erubescit, sponsæ verecundiæ omnino non operit, sed expuit, sed propellit. Idcirco ait Sapiens : *Est pudor adducens peccatum, et est pudor adducens gloriam (Eccli. IV, 25)*. Quærit sponsa Verbum verecunde quidem, quia in lectulo, quia per noctes; sed hæc verecundia habet gloriam, non peccatum. Quærit hoc ad purificationem conscientiæ, quærit ad testimonium, ut possit dicere : *Gloria mea hæc est, testimonium conscientiæ meæ (II Cor. I, 12)*. In lectulo meo per noctes quæsi vi quem diligit anima mea (*Cant. III, 1*). Verecundia sibi, si advertis, et loco signatur, et tempore. Quid tam amicum verecundo animo quam secretum? Porro secretum et nox, et lectulus habet. Denique orare volentes jubemur intrare cubiculum (*Matth. VI, 6*), utique secreti gratia. Id quidem ad cautelam, ne coram orantibus laus humana orationis furetur fructum,

A frustretur effectum. Sed doceris nihilominus verecundiam sententia hac. Quid tam proprium verecundiæ, quam proprias vitare laudes, vitare jactantiam? Patet quod signanter et ad verecundiam orantibus petere secretum indixerit pudoris filius et magister [*alias, minister*]. Quid tam indecorum, maxime adolescenti, quam ostentatio sanctitatis? Cum tamen ab hac potissimum ætate aptum profecto capiatur temporaneumque religionis exordium, Jeremia dicente : *Bonum est homini, si portaverit jugum ab adolescentia sua (Thren. III, 27)*. Bona commendatio securæ orationis, si præmittas **1568** verecundiam, dicens : *Adolescentulus sum ego et contemptus, justificationes tuas non sum oblitus (Psal. CXVIII, 141)*.

B 3. Nec modo locum, sed et tempus observare oportet eum, qui sibi orare voluerit. Tempus seriatum commodius aptiusque; maxime autem cum profundum nocturnus sopor indicit silentium, tunc plane liberior exit puriorque oratio. *Consurge in nocte, inquit, in principio vigiliarum tuarum, et effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini Dei tui (Thren. II, 19)*. Quam segura ascendit de nocte oratio, solo arbitro Deo, sanctoque angelo, qui illam superno altari suscipit præsentandam! Quam grata et lucida, verecundo colorata rubore! Quam serena et placida, nullo interturbata clamore vel strepitu! Quam denique munda atque sincera, nullo respersa pulvere terrenæ sollicitudinis, nulla aspicientis laude seu adulatione tentata! Propter hoc ergo sponsa non minus verecunde, quam caute, et lectuli secretum petebat et noctis, orare, hoc est Verbum quærere volens. Unum est enim. Alioquin non recte oras, si orando præter Verbum aliquid quæras, aut quod propter Verbum non quæras, quoniam in ipso sunt omnia. Ibi remedia vulnerum, ibi subsidia necessitatum, ibi resarcitus defectuum, ibi profectuum copiæ, ibi denique quidquid accipere, vel habere hominibus expedit, quidquid decet, quidquid oportet. Sine causa ergo aliud a Verbo petitur, cum ipsum sit omnia. Nam et si ista temporalia, cum necesse est, postulare videmur, si Verbum in causa est, ut quidem dignum est, non utique illa, sed hoc potius quærimus, propter quod alia postulamus. Norunt hoc, qui omnem usum harum rerum ad promerendum Verbum dirigere consueverunt.

D 4. Non pigeat tamen scrutari adhuc secreta lectuli hujus et temporis, si forte in his aliquid lateat spirituale, quod venire ad medium prosit. Et si placet sentire lectuli quidem nomine humanam figurari infirmitatem, nocturnis autem tenebris ignorantiam æque humanam; consequens est et congruum satis, ut Dei virtus et Dei sapientia Verbum contra utrumque originale malum instantius requiratur. Nempe quid convenientius, quam ut infirmitati virtus, ignorantæ sapientia opponatur? Et ne quid simpliciorum cordibus de hac interpretatione resideat dubium, audiant quid super hoc sanctus Propheta dicat :

Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus, universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus (Psal. xl, 4). Atque id quidem de lectulo. Jam de ignorantiae nocte quid manifestius, quam quod in alio identidem loquitur psalmo: Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant? (Psal. lxxxii, 5) pro certo exprimens ipsam, in qua nati sunt, totius

(264) Hucusque sanctus Bernardus: cætera morte præventus absolvere non potuit, imo ne ultimum quidem hunc sermonem, utpote cæteris breviorum,

humani generis ignorantiam. Ipsa est, ut opinor, cui se beatus Apostolus et fatetur natum, et gloria- tur ereptum, dicens: *Qui eruit nos de potestate tenebrarum (Coloss. i, 13). Unde et dicebat: Non sumus filii noctis neque tenebrarum (I Thess. v, 5); item ad omnes electos: Ut filii, inquit, lucis ambulate (Ephes. v, 8) (264).*

nec usitata clausula circumscriptum. Vide continuationem Gilleberti de Hoilandia initio tomi v, sequentis.

FLORES SEU SENTENTIÆ

EX S. BERNARDI OPERIBUS DEPROMPTÆ.

1569 Periclitatur castitas in deliciis, humilitas B in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in hoc nequam sæculo. *De convers. ad cler., num. 37.*

Nihil pretiosius tempore: sed, heu! nihil hodie vilius æstimatur. *Tr. de cont. mun. ad cler., n. 55.*

Transeunt dies salutis, et nemo recogitat: nemo sibi non reditura momenta perisse causatur. *Ibid.*

Nil tam durum, quod duriori non cedat. *iv, De consid., c. 3. Hinc consuetudo consuetudine vincitur.*

Tibi imputa, quidquid pateris ab eo, qui sine te potest nihil. *iv De cons. n. 9.*

Scorpioni non est in facie quod formides, sed pungit a cauda. *Ibid.*

Quid juvat sapientem esse, si tibi non fueris? *ii, De consid. 2.*

Omnia illi desunt, qui nihil sibi decesse putat. *Lib. ii, De consid. cap. 7.*

Simia in tecto, rex fatuus in solio sedens. *Ibid.*

Tene medium, si non vis perdere modum. *ii, De consid. cap. 10.*

Prosperitas hoc est incautis, quod ignis ad ceram, solis radius ad nivem. *ii, De consid. cap. 12.*

Non magnum est esse humilem in abjectione; rara virtus, humilitas honorata. *Hom. 4 sup. miss.*

Nulla verior miseria, quam falsa lætitia. *De lib. arb., n. 14.*

Velle plane convincimur, quod non fieret si nollemus. *Ibid.*

Effusus animus damna interiora non sentit. *De conv. ad cler., cap. 4, n. 5.*

Fugere persecutionem, non est culpa fugientis, sed persequentis. *Epist. 1.*

Voluntas pro facto habetur, ubi factum excludit necessitas. *Tract. ad Hugon., n. 9.*

Nemo magis iram meretur, quam amicum simulans inimicus. *De conv. n. 33.*

Non est cur fures timeant, qui sibi in cælo thesaurizant. *De conv. ad cler., n. 41.*

Non placat, qui ipse non placet. *Ibid., 35.*

Insolentiae clericorum mater est negligentia episcoporum. *Epist. 152.*

Amicis oportet gerere morem, sed non in suam mortem. *Epist. 215.*

Fluminis aqua si stare cœperit, computrescit. *Serm. 1 de Quadrag.*

Omnia quæ in mundo sunt, finem habent; finis autem eorum, non erit finis. *Serm. 9 in Cant.*

Dabis voci tuæ vocem virtutis, si quod suades, prius tibi ipsi persuaseris. *Serm. 6 in Cant., n. 3.*

Illius doctoris libenter audio vocem, qui non sibi plausum, sed mihi planctum moveat. *Ibid.*

Turturis vox non dulce sonat, sed dulcia signat. *Nempe amorem comparis. Ibid.*

Velis, nolis, intra fines tuos habitat Jebusæus: subjugari potest, sed non exterminari. *Serm. 57 in Cant., num. 10.*

Parum est semel putasse; sæpe putandum est, imo semper. *Ibid. Nam via identidem repullulant.*

Non potest virtus cum vitiis pariter crescere; putetur cupiditas, ut virtus roboretur. *Ibid.*

Tolle superflua, et salubria surgunt. Utilitati accedit, quidquid cupiditatis demis. *Ibid.*

D Pastor doctus, sed non bonus, non tam uberi doctrina nutrit, quam sterili vita nocet. *Serm. 76 in Cant., num. 10.*

Minus quandoque nocet potita ambitio, quam frustrata. *Epist. 126: Num ad violenta media convertitur.*

1570 Ad audiendum, legendumve amoris car-

men frustra qui non amat accedit. *Serm. 79 in Cant., A n. 1.*

Non potest capere ignitum eloquium frigidum pectus. *Ibid. Sicut Græce loquentem non intelligit qui Græcum non novit.*

Fama non valet vindicare virtuti, quod esse vitium convincit conscientia. *Serm. 71 in Cant., n. 2.*

Virtus est contenta candore conscientiae, etsi non sequatur odor famæ. *Ibid.*

Multa quæ respicis otiosus, post laborem sumes cum desiderio. *Epist. 1, n. 11. Nam optimum cibi condimentum fames.*

Hostis audacius insisit a tergo, quam resistat in faciem. *Ibid., n. 12.*

Facere malum, quolibet etiam iubente, non obedientia, sed inobedientia est. *Epist. 7. n. 3. Nempe erga Deum.*

Quod quisque præ cæteris colit, id sibi Deum constituisse probatur. *Tract. de contempt. mund. ad cler., cap. 5, num. 17.*

Mulli non tanta alacritate currerent ad honores, si esse sentirent et onera. *Tract. de off. episc., cap. 7.*

Utinam relinquunt nobis moderni Noe, unde a nobis possint operiri. *Ibid., n. 29, cap. 8. Adeo jam pulam et sine pudore peccatur.*

In alto positum, non altum sapere, difficile. *Ibid.*

Si altiozem quam meliorem esse delectet, non præmium, sed præcipitium exspecta. *Epist. 27 ad Ardu.*

Stultum, ibi thesaurum recondere, unde non valeas resumere, cum volueris. *Tract. de off. episc., cap. 5.*

Qualis sit cujusque fides, tribulatio probat. *Ibid., c. 4.*

Qui ad sui mensuram proximum iubetur diligere, prius seipsum diligere norit. *Ibid., cap. 4, n. 13.*

Bonam reddunt conscientiam pœnitere de malis, et abstinere a malis. *Ibid., cap. 4.*

Eodem utuntur medici ferro secandis regibus, quo et popularibus hominibus. *Ibid., cap. 2.*

Boni pastoris est non quærere quæ sua sunt, sed impendere. *iv, De consid., cap. 2.*

Dispensatio sine necessitate et utilitate, non fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. *iii, De consid., cap. 4.*

Cum omnes te habeant, esto etiam tu unus ex habentibus. *Lib. 1 De consid., cap. 5, n. 6.*

Amans quandoque videtur amens, sed ei qui non amat. *Præfat. in lib. De consid.*

Modus diligendi Deum, est diligere sine modo. *Tract. de dilig. Deo, cap. 1 et 6.*

Non probo multa scientem, si sciendi modum nescierit. *Serm. 36 in Cant., n. 3.*

Sunt qui scire volunt tantum ut sciant; et curiositas est.

Sunt qui scire volunt ut sciatur ipsi; et vanitas est.

Sunt qui scire volunt, ut scientiam vendant; et turpis quæstus est.

Sunt qui scire volunt, ut ædificentur; et prudentia est. *Serm. 36 in Cant., n. 3.*

Sumentibus cibum, et non digerenti, perniciosum est ei. *Ibid., n. 4.*

Sine lumine discretionis incurrit qui currit. *Serm. in Circumcis.*

Non potest non esse bonus, qui placet bonis, vel displicet malis. *Epist. 148.*

Non est tutum vicino serpente somnum capere. *Ep. 241.*

Habet vero amicitia nonnunquam objurgationem, adulationem nunquam. *Epist. 242.*

Melius est, ut pereat unus quam unitas. *Epist. B 102. Ejiciendus qui turbat concordiam.*

1571 Sola causa, qua non liceat obedire parentibus, Deus est. *Epist. 111.*

Gustato spiritu, necesse est desipere carnem. *Ibid.*

Non plus satiatur cor hominis auro, quam corpus aura. *De conv. ad cler.*

Argumentum superbiae, privatio est gratiae. *Serm. 54 in Cant.*

Præsto est oculus, cui omnia patent, etsi non patet ipse. *Serm. 55 in Cant.*

Bonus nunquam, nisi simulatione boni, deceptus est. *Serm. 66 in Cant.*

Hæretici capiuntur non armis, sed argumentis. *Serm. 61 in Cant. — Vid. notas, ibid.*

Jucunda homini lux, sed magis emergenti de tenebris. *Serm. 68 in Cant.*

Eruditio absque dilectione inflat, dilectio absque eruditione errat. *Serm. 69 in Cant.*

Dies palam facit, quod nox abscondit. *Serm. 75 in Cant.*

Melius est ut scandalum oriatur, quam veritas reliquatur. *Epist. 78.*

Qui se sibi magistrum constituit, stulto discipulum subdit. *Epist. 87.*

In similibus factis causa dissimilis simile recusat iudicium. *Epist. 84.*

Nil tam inglorium, quam gloriæ cupidum deprehendi. *Epist. 106.*

Speranti grandia, modica minus grata venire solent. *Epist. 153.*

Currentem non apprehendit, qui et ipse non currit. *Epist. 254, n. 4.*

Nolle proficere, est deficere. *Ibid.*

Nemo invitus bene facit, etsi bonum est quod facit. *Epist. 258.*

Magus, qui incidens in adversa, non excidit a sapientia. *ii. De consid., cap. 12.*

Canis fenum, quod non comedit, defendit. *Epist. 311, num. 1.*

Si sapis, concham te exhibebis, non canalem. *Serm. 18 in Cant., num. 3, id est, Non prius effundes, quam ipsemet abundes.*

Pastores a mercenariis persecutio discernit. *De conv. ad cler., cap. 22.*

Grata ignominia crucis ei, qui Crucifixo ingratus A non est. *Serm. 25 in Cant., n. 8.*

Cum femina semper esse, et non peccare cum femina, plus est quam mortuum suscitare. *Serm. 65 in Cant., n. 4.*

Familiaris dominus fatuum nutrit servum. *Serm. cont. vit. ingrat.*

Divinæ clementiæ est denegare ingratis quæ postulant. *Ibid. Nempe ne majoris ingratitudinis rei fiant.*

Suaviter natat, cujus alter sustinet mentum. *Serm. 12 in Cant., num. 8.*

Onerat nos Deus, cum exonerat; onerat beneficio, cum exonerat peccato. *Serm. 15 in psal. : Qui habitat, num. 1.*

Contendamus placere omnibus per omnia, sed ei maxime qui est maximus super omnia. *Ibid., n. 4.*

Inanis excusatio de humana obedientia, ubi in Deum convincitur facta transgressio. *Epist. 7, n. 8.*

Quis credat parieti, si se dicat parturire radium, quem suscepit per fenestram. *Serm. 3 in Cant., n. 5.*

Non est laus calami laudabilis pictura, sive scriptura. *Ibid., n. 6, Serm. 18 de div.*

Sapiens est, cui quæque res sapiunt, prout sunt. Nullus tam gravis pruritus oculi, quam invidia est. *Serm. 5 de verb. Isa., n. 10.*

In terra orimur, in terra morimur, revertentes in eam unde sumus assumpti. *Serm. de S. Mart., n. 1.*

Res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegio crimen esse dignoscitur. *Tract. de cont. mun. ad cler., n. 21.*

Altiozem sortitus es locum, sed non tutiozem. *Epist. 237.*

Sicut non omne quod libet licet, sic non omne quod licet expedit. *Epist. 25.*

Cujus vita despicitur restat ut et prædicatio contemnatur. *Serm. 1, Pasch., n. 10.*

1572 Non satis cecidisse piget hominem, qui adhuc manet in lubrico. *Serm. 1 in Pasch., n. 16.*

Indicium veræ compunctionis est, subtractio occasionis. *Ibid.*

Perniciosa paupertas, penuria meritorum; præsumptio autem, fallaces divitiæ. *Serm. 68 in Cant., n. 6.*

Ignorantia non potest excusare eum, qui se magistrum infantium profitetur. *Tract. de cont. mun. ad cler., cap. 5, n. 15.*

Indignus lacte et lana convincitur, qui non pascit oves. *Ibid., 20.*

Væ tibi, clerice! mors in ollis carniū, mors in deliciis. *Ibid., n. 20. Nam peccata populi comedis.*

Væ, qui viventes in carne Deo placere non possunt, et placare præsumunt. *De conv. ad cler.*

Zelus absque scientia dum prodesse festinat, invenitur obesse. *Ibid., n. 38.*

Animam Dei capacem, quidquid Deo minus est, non implebit. *De cont. mun., n. 33.*

Saliens antequam videat, casurus antequam debeat. *Ibid., 26.*

Æger sese non sentiens periculosius laborat. 1, *De cons., c. 1.*

Homo si laborem refugit, non facit ad quod natus est. *De contemp. ad cler., n. 29.*

Sapientibus contingit, in rebus dubiis plus alieno se quam proprio credere iudicio. *Epist. 82, n. 1.*

Libenter carebo quantolibet spirituali quæstu, qui non possit acquiri nisi cum scandalo. *Epist. 82.*

Pulcher et salubris ordo, ut onus quod portandum imponis, tu portes prior. *Epist. 221, n. 3.*

Vocis virtus est opus, sed et operi, et voci gratiam efficaciamque promeretur oratio. *Ibid.*

Plus nocet falsus Catholicus, quam verus hæreticus. *Serm. 65 in Cant., n. 4.*

Non inutilis commutatio, pro eo, qui super omnia est, omnia reliquisse. *Tract. de cont. mun. ad cler., c. 1.*

Plus concupiscentia mundi, quam substantia nocet. *Ibid.*

Fugiendarum causa divitiarum est, quod aut vix, aut nunquam sine amore valeant possideri. *Ibid.*

Facile cor humanum omnibus quæ frequentat adhæret. *Ibid.*

Qui relinquere universa disponit, se quoque inter relinquenda numerare meminerit. *Ibid., n. 2.*

Verus amor habet præmium, sed id quod amatur. *Tract. de dilig. Deo, n. 17.*

Si quis de populo deviat, solus perit; principis error multos involvit. *Epist. 117.*

Verum gaudium est, quod non de creatura, sed Creatore concipitur. *Epist. 114.*

Vitiosus conscientias vitiosorum non refugit. 1, *De consid., cap. 10.*

Ubi omnes sordent, unius fctor non sentitur. *Ibid.*

Meditantibus honores blandiuntur, pensantibus onera formidini sunt. *Tract. de off. et mor. episc., cap. 7.*

Vera charitas vacua mercede non est, nec tamen mercenaria est. *Tract. de dilig. Deo, n. 17.*

Bonum servat castellum, qui custodit corpus suum. *Serm. 2 de Assumpt., num. 2. Proverb. vulgare.*

Sola miseria caret invidia. *Serm. 5 de verb. Isa.*

Maledictus qui partem suam facit deteriozem. *Lib. 1 De consid. cap. 5, et serm. de septem panib.*

Seductori dat manum, qui dare dissimulat præceptor. *Serm. 77 in Cant.*

Qui absque custode dimittit oves in pascua, pastor est non ovium, sed luporum. *Ibid., num. 6.*

Pauperum vita in plateis divitum seminatur. *iv, De cons., cap. 2.*

Ambitio ambientium erux, omnes torquens omnibus placet. *iii, De consid., cap. 1.*

Nugæ in ore sæcularis, nugæ; in ore sacerdotis blasphemix. *Lib. 11, De consid., cap. 15.*

Vanum cor vanitatis notam ingerit corpori. *Apol. ad Guil., cap. 9.*

Mollia indumenta animi molliem indicant. *Ibid.*

Fulget Ecclesia in parietibus, et in pauperibus al- A
get. *Apol. ad Guil., cap. 11.*

1573 De sumptibus egenorum servitur oculis
divitum. *Ibid.*

Lupi dentes plus timeo, quam virgam pastoris.
Tract. de vita et off. episc., n. 35.

Hippocrates docet animas salvas facere in hoc
mundo, Christus perdere. *Serm. 35 in Cant.*

Voluptas gutturis, quæ tanti hodie æstimatur, vix
duorum obtinet latitudinem digitorum. *De conv. ad
cler., n. 13.*

Divitiarum amor insatiabilis longe amplius tor-
quet desiderio, quam refrigeret usu. *Ibid., 14.*

Divitiarum usus aliis fere; divitibus solum nomen
et sollicitudo cedit. *Ibid.*

Dæmon soli perseverantiæ potissimum insidiatur, B
quam solam virtutum novit coronari. *Epist. 24.*

Utilis semper custodia oris, quæ tamen affabilita-
tis gratiam non excludat. *iv, De consid., cap. 6,
n. 25.*

Ubique frenanda lingua præceps, maxime autem
in convivio. *Ibid.*

Ille convenientior habitus, si actu quidem severus
s; vultu serenus, verbo serius. *Ibid.*

Nil scalis opus tenenti jam solium. *v, De consid.,
n. 1.*

Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum
damnabilius sit, non facile dixerim. *ii, De consid.,
n. 22.*

Deliberans providentia suspendit iudicium. *Serm. C
de S. Magdal., n. 1, nunc tomo V.*

Religiosa tristitia, aut alienum luget peccatum,
aut proprium. *Ibid., n. 2.*

Quanti te fecit Deus, ex his, quæ pro te factus est,
agnosce. *Serm. 1 de Epiph.*

1574 Extremæ dementiæ est, quod ad obscena
inverecundi sumus, et pœnitentiam erubescimus:
male proni in vulnera, in remedia verecundi. *Serm.
in Circumc.*

Conservandæ humilitatis gratia, sic divina solet
ordinare pietas, ut quo quis plus proficit, eo minus
se reputet profecisse. *Serm. 15 de div., n. 4.*

Placet utrumque Deo, et peccator compunctus, et
justus devotus; displicet vero tam ingratus justus,
quam peccator securus. *Serm. de div., 4.*

Nescit sanus, quid sentiat aeger; aut plenus, quid
patiatur jejunos. *Tract. de grad. hum., n. 6.*

Gloriosa res humilitas, qua ipsa quoque superbia
palliare se appetit, ne vilescat. *Ibid., n. 47.*

Infelix victoria, qua superans hominem, succum-
bis vitio. *Exhor. ad mil., n. 2.*

In circuitu impii ambulans; naturaliter appetentes
unde siniant appetitum, et insipienter respuentes,
unde appropinquant fini. *De dilig. Deo, n. 19.*

Deum amans anima aliud præter Deum sui amoris
præmium non requirit; aut si aliud requirit, illud,
non Deum diligit. *Ibid., n. 17.*

Naturali desiderio summum quivis appetit bo-
num. Vis pervenire? incipe transilire. *Tract. de
cont. mun. ad cler., n. 33. Nam si impliceris infimis,
non pervenies.*

Anfractuosa via est, et inambulabilis; facilius
pervenies spretis omnibus, quam adeptis. *Ibid., 33.*

Misera, et extremæ plena dementiæ commutatio,
humanum declinare laborem, et cum diabolo stri-
dorem eligere sempiternum. *Ibid., 27.*

INDEX RERUM ET VERBORUM

VOLUMINIS PRIMI.

Revocatur Lector ad numerales notas crassioris characteris. Littera n. notas designat.

A

ABELARDUS, Guillelmi de Campellis discipulus, dein
adversarius, 14 n. Ejus temeritas, scripta, et errores, 181.
Libri ejus, etc. *V. Petrus Abælardus.*

Abbas beatitudinis titulo compellatus, 261. Item sancti-
tatis, 211, 212, 340, 346. Reverentiæ, 292. Serenitatis,
346. Magnitudinis, 211. Coronæ, 213. Abbas electus pro-
fessiones monachorum accipiebat, 238. Abbatis promotio
est filii emancipatio, 92. Is tamen non desinit esse mona-
chus, 475. Et Regulæ subjectus, 24, 503, 504. Debet esse
tanquam unus e monachis, 475. Professionis suæ non sit
inmemor, 1156. Non tam propter bonos, quam propter
vitiosos institutus, 75. Sit mandatorum cultor, et ultor vi-
tiorum, 505. Abbatem monachis virtute inferiorem esse
A. rpe est, 592. Doctrina ei necessaria, 287. Humilitatem

et obedientiam exemplo docere debet, 475. In Regulæ
dispensatione quid ipsi liceat, 503 et seq. Abbatum luxus
et superfluitates notantur, 538 et seq. Item exemptionibus
prepostere studentes, 475 et seq. Item qui pontificalia in-
signia ambiunt, 476. Abbas an cum hospitibus cibum su-
mere debeat, 218. Id in Cisterciensi abbate improbat, 391.
Abbas auditus in Capitulo fratrum sententiis, eorum
consensum non tenetur expectare, 536. In Deum sit præ-
varicatio, quoties abbas jussio præteritur, 512. Abbas
Cistercii ex omnibus abbatibus et monachis ordinis eiigi
potest, 519. Abbates ord. Cisterc. peregrinationes aggregari
non possunt citra permissum abbatis Cistercii, et sui epi-
scopi, 19, 20. Abbatis officium sibi impositum luget abbas
de Spina, 335. Abbati dignitate sua exortatio pium con-
siliium, 92. *Vide Pastor, Prelatus.*

Abjectionem anxie ferre nævus in pulchro corpore, 217.

ABRAHÆ prima de Incarnatione Verbi promissio facta, 1035. Abrahæ sinus seu limbus Patrum in inferno, 1035. Abrahæ sinus an possit dici prærens sanctorum requies, 1036.

Abrenuntiatio in baptismo, 1107.

ABSAŁON, archiepiscopus Lundensis, 349 n.

Abscondere magis utile est, quam ostendere quid boni habemus, 727. Absentes ab invicem pro locorum distantia non censentur boni, 148. Secus mali etiam cohabitantes, 149.

Absentia amici ut ferenda, 74. Absentiæ et præsentia Sponsi vicissitudo, 1384. Absentia sponsi quomodo modicum et non modicum duret, 1527.

Abstinencia superstitiosa et indiscreta damnatur, 1485. Novitia cuiusdam rigida et mirabilis abstinentia, 392. Abstinentia catholicorum et hæreticorum discrimen, 1496. Abstinentia superstitiosa Manichæorum a certis cibis, 1496.

Abusus passim sic invalescunt, ut pro ordine teneantur, 535. Triplici motivo servantur, 535. Abusus in potu apud monachos præstringuntur, 536. Abusus rerum Ecclesie quantum peccatum, 395. Abusus honorum et bonorum Ecclesie notatur, 1253. Abusibus et vitiiis frustra obtenditur consuetudo, 436.

Academici dubitant de omnibus, 650.

Acceptio personarum pontifici vitanda, 426. Acceptio divitum præstringitur, 437.

Accidentia in Eucharistia, 637.

Actio contemplationi præmittenda, 1527 *et seq.* Ab actione salutis initium, 1000. Actionis et contemplationis vicissitudo, 1441, 1462, 1464. Actioni totum non dandum, 411. Actiones et passionis nostræ ut ordinandæ, 889. Actiones variant causæ impulsivæ, 505.

Activa vita magis necessaria contemplatione, 1290. Activæ, vitæ cultoribus utile monitum, 1002. Alii activæ, alii contemplativæ vitæ magis idonei, 1210.

ADALBERO, episcopus Mettensis, 43 n.

ADALBERTO, episcopus Viridunensis, 63 n., 173 n.

ADAMI status ante peccatum, 813. Adæ conditio in statu naturæ integræ, 1089. Sopor, raptus ecstasticus, 813. Adam in paradiso an triplici libertate præditus, 611 *et seq.* Plus debebat Conditori, quam uxori, 1196. Adæ casus per quos gradus, 1224. Ei deficit vera iustitiæ esuries, 1027. Adæ et dæmonis peccatum in Filium, 1508. Adami inobedientia unde tam culpabilis, 511. Adæ inhumanitas erga uxorem, 1028. Adami hereditas labor et dolor, 888. Adæ et Evæ solatium per Mariam, 757. V. Eva. Adæ imitatores quanam, 1027.

ADAM, Abbas S. Dionysii, 78 n.

ADAM, monachus Casiacensis ad Claræ-Vallenses transit, 280 n.

ADAM monachus Cellensis, 714.

ADAM monachus Morimundi, 14 n., 15, 17. Conversationis initia in Majori-Monasterio, dein Fusniaci consecrat, 16.

ADAMARUS, novitius Fusniacensis eieetus a Priore, 365. Pro ejus receptione intercedit Bernardus, 364, 365 *et seqq.*

ADELA, Guillelmi Conquæstoris filia, mater Theobaldi comitis, 52 n.

ADELA, Ludovici junioris mater, 209 n.

ADELAIS, ducissa Lotharingiæ a Bernardo conversa, sanctorum in parthenone Tartensi, 125 n. Erga Bernardum benefica, 126, 127.

ADEMARUS episcopus Rutenensis, 503 n.

Adhærendo ei qui semper et beate est, semper esse et beate esse poteramus, 36. Adhærendum Christo capiti, 814 *et seqq.*

Adjutorii divini expers triplex hominum genus, 828 *et seqq.* Quinam habitent in adjutorio Altissimi, 529.

Adolescentes decet verecundia, 1567. Adolescentibus Ecclesie dignitates non concedendæ, 454.

Adoptio Christianorum, 905.

ADRIANUS IV papa, 398, 399.

Adventus nomen toti mundo notum, sed ratio nominis non ita, 717. Adventus Christi necessarius, 751 *et seqq.* Ejus circumstantiæ, 717, 725. Venit ad homines, venit propter homines, venit homo, 725. Adventus Christi triplex, in carne et infirmitate, in spiritu et virtute, in gloria et majestate, 728. Item triplex, ad homines, in homines, contra homines, 724. Duplex, 726. Primi et secundi discrimen, 913. Secundus severus, 805. Hunc Ecclesia desiderat, 1524. Et gloriosior, 751. Primus ad animam, secundus spectat ad corpus, 750. Christus venit ut adjuvaret et doceret nos, 1187. Non solum instructionis, sed et liberationis causa, 636 *et seqq.* Ut nos celestes faceret, 1563. Ut nos doceret ascendere, 918. Adventus Dei ad nos spiritualis, 720

Adversarius bonus, correptor, 1575.

ADVERSITAS in Scripturis nocte designata, 856. In prosperitate et adversitate tota hominum vita versatur, 882. Vita præsens versatur inter spiritus et aculeos, 1452. Adversitatis et prosperitatis vicissitudo utilis, 143. Adversis non lædi difficile nisi Deo protegente, 1432. Magnus qui incidens in adversis non excidit vel parum a sapientia, 425. Prosperitas plures dejicit quam adversitas, 1045. In adversis propriis et alienis ut se gerendum, 424. Nulla nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas, 496, 843, 866.

Adulatores cavendi, 179. Vulpes sunt demolentes vineas, 1482. Eorum oleum venenosum, 80. Hi ab ecclesiæ dignitatibus excludendi, 459. Non omnis laus adulatio, 81.

Advocatum abusus præstringuntur, 414 *et seqq.*

ÆGAS proconsul, 1039.

Ægyptii monachi diu abstinere a piscibus, 6.

Ægyptus interpretatur tenebræ, 1012. Ægyptus per Gham Pharaonis designata, 907.

Æmulatio pia virtutis alienæ, 1453.

Æquali debemus consilium et auxilium, et quomodo utrumque exhibendum a monachis, 725.

Æqualitas animi ut servanda, 1352. Æqualitas perfecta in personis Trinitatis, 646.

Aer, dæmonum sedes, 573.

Ætas charitas, hiems timor servilis, 1467.

Æterna meretur fastidiosa terrena, 877.

Æternitatis imago perseverantia, 458. Opera hominis semina æternitatis, 485. Æternæ retributionis affluentia, 1522.

Affabilitas in episcopo, 444.

Affectiones animæ per pedes designatæ, 892. Affectiones diversæ, 1282. Totum cor est in quatuor affectionibus, amore et timore, gaudio et tristitia, 817. Monstra quatuor affectionibus quatuor incubantia, 870. Affectio triplex, carnis, rationis, sapientiæ, 1439. Affectiones quomodo purgandæ et ordinandæ, 817, 1184. Affectionum ordo sapientia, 1440. Affectiones ordinatæ sunt virtutes; inordinatæ, perturbationes, 1184. Affectiones quatuor in Christo ordinatæ ab utero, 1184. Affectiones Verbi et animæ sponsi et sponsæ nomina aptissime expriment, 1282. Affectiones humanæ in patria in divinas commutantur, 602.

HENRICUS episcopus cardinalis, 711.

HENRICUS episcopus Trecentis, 585. Abbatiam de Balencuria canonicorum regularium Cisterciensi ordini donat, 585 n.

HENRICUS episcopus Tullensis, 175 n., 1500 n.

HENRICUS episcopus Viridunensis, 65 n., 64 n. Postea Catalaunensis, 55, 56 n. Consilio Bernardi dignitate cessit, 56. Ab excommunicatione absolutus, 161 n.

HENRICUS IV imperator, 202 n., 295 n., 295 n.

HENRICUS V imperator, 202 n., 295 n., 295 n.

HENRICUS monachus Morimundi, 25.

HENRICUS rex Anglorum, 98, 295 n. Innocentium agnoscit in conventu Carnotensi, 145 n. Theobaldi comitis avunculus, 51 n. Ab eo Bernardus suppetias petit pro Innocentio, 144.

HENRICUS II rex Angliæ, 295 n., 318 n.

HENRICUS, filius Davidis regis Scotiæ, 674.

HENRICUS hæreticus de tota Francia effugatus, 258. A multis auditur, 257. Impia ejus dogmata, 257. Ejus descriptio, 258 et seq.

Henriciani parvulus a baptismo excluderant, 427 n., 879 n. Uti et Colonenses, 427 n.

HERBERTUS primus abbas S. Stephani Divionensis, 62 n. 166, 229.

HERBERTUS canonicus regularis, 581.

HERCHENRAUS episcopus Catalaunensis, 260 n.

HERIBERTUS II, Campanie comes, 225 n.

HERMANNUS de Arbona episcopus Constantiensis, 188 n.

HERODIS et Pharaonis comparatio, 907.

HERVEUS vir nobilis, 64 n.

HESCLINUS canonicus Insulanus, 102 n.

Hibernia in plura regna divisa, 665. Monasteriorum ferax, 664, 674. Hiberniæ primum oratorium ex lapide, 684. Hibernensium monachorum mores minus disciplinati, 525.

Hiems, timor, ætas, charitas, 1467. Hiemale tempus mystice, 1465.

Hierarchie subordinatio, 455.

HIERONYMUS (S.) eloquentiæ et sapientiæ dotibus approbatus, 1122. Interpres noster, 949.

Hilaritas commendat opera misericordiæ, 1514. Hilaritas duplex, 1061.

HILARIUS (S.) episcopus Pictaviensis, 155. Clericos ecclesie S. Hilarii de civitate expellit Guillelmus dux Aquitanie, 158.

HILDEBERTUS episcopus Cenomanensis, 13 n. Archiepiscopus dein Turonensis, 127 n., 154 n. Quoad utrobique sederit, 127 n. Ecclesie columna, 130. Ejus propositum secedendi Cluniacum, 128 n. Epistolae ejus laudatae, 128. Bernardi familiaritatem expetit, 128 *et seq.* Ejus elogium, 129 *et seq.* Eum hortatur Bernardus. ut Innocentium agnoscat, 130.

HILDEBRANUS episcopus Pistoriensis, 135.

HILDEPONSUS sive Hildonsus comes S. Aegidii et Tolosae, 237 n.

HILDEGARDIS (S.) divinis revelationibus celebris, 351 n. Eas petit Joannes Saresberiensis, 351 n. Ejus ad Bernardum epistolae, 351 n. Eugenio papae est acceptissima, 351 n.

HILDEGARIUS abbas Flaviacensis, 68 n.

HILDEGARIUS archiepiscopus Terraconensis, 135.

HILDUINUS comes, 61 n.

HIPPOCRATES docet animam salvam facere, Christus perdere, 1378

Hispaniae reges imperatoris titulum sibi attribuunt, 283 n. Hispani in funere ut se gerunt, 222. Hispani nigri uti in funere, 222

Historia sacra creationem, reconciliationem et reparationem continet, 1340. Historiae sanctorum ad quid utiles, 637.

Hodie vitam praesentem, *cras* futuram designat, 770.

Homicidium in sui defensionem illicitum, 543 n. Pagani an occidendi, 546.

Homo animal rationale, mortale, 418. Ejus dignitas in creatione, 108, 1245. Inter creaturas quae sub caelo, Deo propinquior, 1105. Hominis dignitatem demonstrant et prerogativa naturae, et potentia dominatus, 585. Recto corpore cur rationalis, 1050, 1348. In eo vis vitalis, sensibilis et rationalis, 765. Imago et similitudo Dei in homine quid, 614. Insigne divinae imaginis quorsum in homine, 1357. Homo natus, sed non creatus ad laborem, 1164. Ejus appetitus in summum bonum, 391 *et seq.* Hominis in gratiae statu felix conditio, 1109. Ei cur datum est posse peccare 612. Homo in hoc mundo tanquam puer natus et nutritus in carcere, 1109. Homini utilia animantia, etiam quae videntur noxia, 1278. Homo duplex, ex corpore et anima, 262. Hominum quatuor status, 1123. Hominum quinque status sub Deo, 1101, 1103 *et seq.* Triplex sub diabolo, 1102. Hominum quatuor genera, ex quibus unum duntaxat bonum, 1201. Hominis quatuor status ante conversionem, 1101.

Homo sibi ipsi relictus tendit in nihilum, 972. Homo in instanti ipso suae creationis quatuor virtutibus instructus, 975. His per peccatum spoliatus, et quomodo, 974 *et seq.* Suo sine alieno impulsu cadere potest, alieno abaque suo non potest, 1383. Ejus casus ex superbia, 1508. Lapsus iste describitur, 1245. Hominis per peccatum tristis mutatio, 1397 *et seq.* Homo a Deo misericorditer punitus, 1049. Angelo mitius, 1508. Hominis post lapsum miseria, 423, 814, 896, 1041, 1176, 1400, 1352. Miseria duplex, 786. Triplex, 732, 960. Homo totus miser et nihil, 1079. Si Deum ignorat, 36. Ejus degeneratio a nobilitate sua in vilitatem jumentorum, 1109, 1396. Ex ignoratione suae dignitatis, 585. Homo ratione vicens, et non utens, bestiis bestialior, 1398. Deo quam dissimilis, 1356. Sibi ipsi legem posuit gravem nimis et onerosam, 599. Post lapsum ex voluntate resurgere non potest, 612. Homines formicae similes, 277. Homo mortalibus inhians merito mortalis, 1335. In ortu, vita et morte bestiis similis, 1336. Homo bestia venationi obnoxia, 831. Ejus hostes. *V.* Hostis. Hominum varii affectus, 1080 *et seq.*

Homo a Deo quanti aestimatus, 796. Hominis redempti a Deo dignitas, 720. Homo quid a peccato, quid habeat a gratia, 364. Homo tunc nascitur, quando ad amorem penitentiae et odium peccati animus excitatur, 795. Miserrimam suam non agnoscentem, divinae expers miserationis, 1081. Hominis lapsus et reparatio, 909. Reformatio quomodo perlicetur, 36. Cur per Filium, 615 *et seq.* Homo eadem die redemptus, quia creatus, 895. Cur redemptus, non angelus, 719. Quomodo in Deo, et Deus in homine, 1317.

Homo crux Christi, 767. Sit jumento similis in ferendo Christi onere, 839. Homo solo Deo satiator, 593. Homines sunt angeli, 917. Quanta hominum gloria filios Dei esse et heredes, 1358. Hominis beatitudo quoad corpus in quatuor, 1037, *V.* Anima. Beatitudo. Homini quomodo donata omnia, 1085. Homo quomodo trahat omnia ad seipsum, 1332. Homo post Christi mortem cur non statim immortalis et sine peccato, 355.

Honestum, animae decor, 1365. Ejus definitio, 1365. Effectus exteriores, 1365.

Honor soli Deo debitus, non excludit honorem sanctorum, 863. Honor episcopi est honor Ecclesiae, 444 n. Ho-

norem et quietem metent, qui laborem et vilitatem seminaverunt, 970. Honoris cupidi, et laboris inimici similes diabolo, 971. Honores sunt onera, 471, 476. Quibus obnoxii laboribus, 1176. Eis proximum periculum, 23. Alii blandiuntur, alii sunt formidini, 471. *V.* Dignitates.

HONORIUS II papa 54. Fidus Ecclesiae custos, 57. Ejus aequitas, 33, 54. Solvit interdictum in Francia, 54, 56.

Hortus topologicæ sensus historicus, 1340. Horti historici satio seu plantatio, creatio; germinatio, reconciliatio; fructus, reparatio, 1340.

Hospitali sub Bernardiacensi abbatissa deservunt monachi, 349.

Hospitalitas commendatur, 259

Hospitium susceptio, 1275. Eorum frequentia apud Clare-Vallensium, 348, 1447. An omnibus pedes lavandi, 218. Abbas cum hospitibus an cum fratribus reticere debeat, 218. Mensa abbatii in domo hospitum improbatur in quodam abbate ord. Cisterc., 391.

Hostes hominis tres, diabolus, mundus, et homo, 1362. Item caro, mundus et diabolus, 943. Homo sui ipsius precipuus hostis, 1362. Hos divina virtute vincimus, 943. Hostium duo genera nobis adversa; peccatum et poena, 1165. Hostes domestici, periculosiores, 505. Hostes Ecclesiae prosunt nolentes, 1375.

HUBAUDUS archiepiscopus Lugdunensis. *V.* Humbaldus

HUGO abbas Bonis-Vallis Viennensis, 299.

HUGO (S.) abbas Cluniacensis, 556. Disciplinam restituit in monasterio S. Bertini, 133 n.

HUGO abbas S. Joannis in Valleia Carnotensi, 495.

HUGO abbas Pontinnacensis, 46, 54, 57, 353. Episcopus Jein Autissiodorensis, 199, 206, 243, 244, 268, 308, 431. Apud Ferrarias consecratus, 177, n. 460. Concordia ejus cum Willemo comite, 375 *et seq.* Sanctus a Bernardo dictus, 269 n. Irreligiosus n. ejus testamentum, 269.

HUGO abbas Praemonstratensis, 47 n. S. Norberti successor, 249 n.

HUGO abbas Trium-Fontium, Bernardi intimus amicus, 268. Ab Eugenio creatus cardinalis, 267 n. Ejus absentiam aegre fert Bernardus, 268.

HUGO archidiaconus Eb racensis, 389.

HUGO archidiaconus Favennacensis, 189 n.

HUGO archidiaconus Tullensis, 172. Ejus elogium, 175

HUGO archiepiscopus Coloniensis, 26 n.

HUGO archiepiscopus Lugdunensis Cisterciense institutum approbat, 391.

HUGO archiepiscopus Rothomagensis ex abbate Radinensi, 41, 42 n. Ad ejus electionem petitus regis Angliae et episcopi Saresberiensis consensus, 42 n. Elogium ejus, 636.

HUGO archiepiscopus Senonensis ex abbate Pontinnacensi, 177 n., 193 n. Aliis praecentor, 460.

HUGO archiepiscopus Turonensis, 131 n., 711.

HUGO de Besua, 127 n.

HUGO Carnotensis magister, 48 n.

HUGO de Castrocurii presbyter, 377

HUGO camerarius Cluniacensis, 152.

HUGO comes Campaniae, miles Templi, 45, 541. Monasterii Clare-Vallensis benefactor, 45. Ejus absentiam graviter fert S. Bernardus, 45.

HUGO decanus Aurelianensis, electus episcopus, trucidatus, 157 n.

HUGO decanus Eboracensis, 389.

HUGO decanus Meldensis, 377.

HUGO I, dux Burgundiae, 127 n., 162 n. Guillelmi Aquitaniae ducis propinquus, 157.

HUGO episcopus Gratianopolitanus, 153, 300 n.

HUGO episcopus Ostiensis, 276, 278, 281, 286, 288. Epistola ejus ad Capitulum Cisterc. de obitu Eugenii papae, 384.

HUGO Farsitus abbas, 48, 624.

HUGO Farsitus (canonicus regularis S. Joannis de Vineis, 47 n.

HUGO Farsitus monachus Belvacensis, 47 n.

HUGO Farsitus monachus Latiacensis, 47 n.

HUGO de Lausanna, 46. Eum dehortatur S. Bernardus in transitu ad aliud monasterium, 46.

HUGO de Leugis praepositus ecclesiae Carnotensis, 495.

HUGO Metellus canonicus regularis S. Leonis Tollesis, 14 n., 48 n. Epistolae ejusdem, 380 *et seq.*

HUGO de Mercorio, 180 n.

HUGO militiae Templi magister, 45 n.

HUGO monachus Divionensis, abbas S. Petri Catalaunensis, 61.

HUGO de PAGANIS magister militiae Templi, 541, 543.

HUGO frater Gaufridi, presbyter, 269.

HUGO de Tilio miles, 377.

Hugo de Tociaco, presbyter, 377. Hugo a S. Victore, 101 n. Duo ejusdem nominis, 624.
 Humanitas Dei fidem instruit, spem roborat, accendit charitatem, 796.
 HUMBALDUS archiepiscopus Lugdunensis et Legatus, 39. Aliis *Humbaldus*, 62 n.
 HUMBALDUS pistor, 377.
 HUMBALDUS Tortus miles, 377.
 HUMBERTUS abbas Ignaicensis, 251 n., 1063 n. Elogium ejus, 1066 *et seq.* Obitus, 146 n., 1069 n.
 HUMBERTUS archiepiscopus Bisuntinus, 248 n.
 HUMBERTUS II comes Maurianensis, 209 n.
 HUMBERTUS de S. Germano, miles, 377.
 HUMBERTUS monachus Claræ-Vallensis, 1063 n.
 HUMBERTUS præpositus, 226.
 HUMBERTUS ob duellum excæcatus, 51. Ex divite pauper 50. Injuste damnatus, 49. Pro eo Bernardus scribit, 47, 48, 49.
 Humiliatio a Deo signum gratiæ propinquantis, 1393. Est via ad humilitatem, 93. Humiliatio et humilitas quid differant, 1394. Multi humiliati, sed pauci humiles, 1123. Humiliatio veritatis, quæ, 1123. Ex testimonio conscientiæ, 421. Nihil facilius volenti, quam humilior seipsum, 817. Id fit adhærendo humiliantæ se veritati, 1128. Seu humilitationi subjiciendo suam voluntatem, 1138. Humilis vere est, qui humilitationem convertit in humilitatem, 1334. Humilitationis et exaltationis mira connexio, 1125. Humiliantur alii cum rancore, alii patienter, alii libenter, 1394.
 Humiles exaltandi, superbi humiliandi, 236. Humiles visitat Dominus, præterit superbos, 1433. Humilibus solis datur frui Verbo, 1566. Humiliatio ab homine ut accipienda, 1394. Humilibus nesciens diabolus fabricat coronas, 1519. Humilibus quid in se considerandum, quid in aliis, 1139. Humiles singularia Dei beneficia celare student, 1461. Humilis verus vilis vult reputari, non humilis prædicari, 1315. Et oculos campi, et aures silvarum suspectas habet, 469. Ama nesciri; laudet te os alienum, non tuum, 782. Hæc est magna virtus et summa securitas, quando et pie vivis, et tamen plus attendis quæ desunt tibi, quam quæ obtinuisse videris, 1315. In alto non altum sentire, sed humilibus consentire, nihil Deo carius, nihil apud homines rarius, 129. Humilis securus ascendere potest, quia non habet unde cadat; contra superbis, 532. Humiliter sentire de se oportet nitentem ad altiora, 1393. Contra vanam gloriam ut se præmuniat humilis, 469.
 Humilitas designata per auroram, 1212. Per nardum, 1003, 1415. Per hyssopum, 1423. Ejus symbolum columba, 1424. Pulchra ejus idea, 1403. Ejusdem summa, 1138. Humilitas est contemptus propriæ excellentiæ, 468. Humilitas est virtus, qua homo vellestima sui cognitione sibi ipsi vilescit, 560. Ejus excellentia, 375. Commendatio, 47, 237, 961. Humilitas virtutum stabile fundamentum, 438. Custosque, 776. Aliarum virtutum propugnaculum, 468. Alias virtutes accipit, acceptas servat, servatas consummat, 468. Insuper est qui in aliis meritis, quam in sola humilitate confidit, 1137. Justitiæ virtus specialiter in ea consistit, 870. Humilitas justitiæ consummatio, 1394. Securior a ruina, 968 *et seq.* Via ad veritatem, 559 *et seq.* Via sola ad sublimitatem, 914. Via ad Deum, 817. Humilitas Deo quam grata, 1417. Humilitatis familiaris appropinquare solet divinitas, 471. Magna humilitatis virtus. cui deitatis majestas tam facile se inclinât, 1418. Humilitum gloria Deus, 435.
 Humilitate nihil efficacius ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, 1434. Humilitate quid ditius, quid pretiosius, qua regnum colorum emittit, et divina gratia acquiritur, 767. Bona via humilitatis, qua veritas inquiritur, charitas acquiritur, generationes sapientiæ participantur, 561. Humilitas gratiæ nos reddit, 982. Divinæ gratiæ solet esse familiaris, 753. Conversio nostra ad Deum per humilitatem, 817. Humilitas gratiam invenit in iudicio coram Deo, 471. Est propria virtus divinæ exhibenda majestati, 784.
 Humilitatis necessitas, 943, 1123, 1403. Est scutum vanæ gloriæ opponendum, 837. Nec pusillanimes facit, ut nec magnanimitas arrogantes, 1011. Humilitas innocentie conjuncta, duplex animæ decor, 1425. Humilitatis et virginitalis pulchra connexio, 734. Virginitalis laudabilis, sed magis necessaria humilitas, 734, 1182. Illa supplenda per humilitatem, 736. Ut castitas et charitas detur, humilitas meretur, 468. Humilitas et mansuetudo cognatæ virtutes, 1011. Sola virtus humilitatis est læssæ reparatio charitatis, 781. Humiles tantum martyrii idonei, 1431. Humilitas si non habet unde pomiteat, habet ut peniteat, 1425. Quod minus habet imperfectio conversationis, suppleat humilitas confessionis, 739. Humilitatis plenitudo,

in quo, 1139. Humilitas prælati magis necessaria, 471. Humilitatis in prælati et magnatibus commendatio, 421. Episcopis commendatur, 473. Humiles prælati pauci, 1342. Humilitas in peccatore amabilis, sed non admirabilis, 1423. Humilitas duplex, cognitiois, et affectionis, 721, 1415 *et seq.* Humilitas cognitiois sola imperfecta, 1417. Humilitas triplex, sufficiens, abundans, et superabundans, 801, 1245. In ore, in corde, in actu, 535. Duodecim gradus humilitatis, 559 *et seq.* Duo primi gradus in sæculo debent ascendere, 578. Humilitas cordis sola parit sui diffidentiam, et in Deo fiduciam, 771. Humilitas etiam in pares et inferiores exercenda, 1417. Rara avis in terris, aut sanctitatem non perdit, aut humilitatem sanctimonia non excludi, 1425. Item humilitas cum sublimitate, 334. Seu humilitas honorata, 735. In alto posito non altum sapere quanto inusitatus, tanto gloriosius, 474. Recta facere, et inutilem se reputare, apud paucos invenitur, 147. Magna et rara virtus, manifestam omnibus tu m te solum latere sanctitatem, 1503.

Humilitatis præmio quis dignus, 1594. Humilitas exaltanda quæ, 1394. Quæ præter veritatem non laudabilis, 192. Humilitas ambientium subdola, 459, 578. Humilitas falsa inducens superbiam, 91. Humilitatis motiva, 1400. Omne humile inter palatinos probro ducitur: ut facilius qui esse, quam qui apparere velit humilis, invenias, 437. Christi exemplum ad hoc longe efficacius, 735, 776, 789, 793, 799, 805, 833, 970. Humilitatis duo pedes, consideratio divinæ potentiæ, et propriæ infirmitatis, 332. Humilitas vera non tam a veritate, quam a charitate nascitur, 1416. Humilitas proficientium aliter sensu et experientia imperfectum, 1135. Humilitatis causa cognitio sui, 1400, 1401. Humilitas ex consideratione perfectionis et virtutis aliorum nutrienda, 1139. Humilitas, quantumvis profunda, non nocet; elatio, vel minima, noxia est, 1403. Humilitatis et arrogantie effectus, 93. Humilitatis subversio est, de humilitate laudem appetere, 1315. Qui quasi ex humilitate gratiam Dei in se nolunt scire, duplex incurrit periculum, 334. Humilitas in divitiis periculatur, 493. Humilitatis epulæ, panis doloris, vinum compunctionis, 561. Humilitas virtus Christi, 799. V. Christus. Humilitas Mariæ commendatur, 735. V. Maria. Humilitatem fratris inculcare solet S. Bernardus, 768.

Hydris in Cana vino impletæ tropologicè explicatæ, 806, 809, 1187, 1455, 1487 *et seq.*
 Hypocrisis ex ambitione descendit, 1392. Est virus Adami filii hæreditarium, 1354.

Hypocrita non potest gloriari conscientie testimonio, 469. Hypocritæ religiosæ descriptio, 125. Hypocritæ arboribus fructum non suum ferentibus comparati, 908. Arguuntur, 815 *et seq.*

Hyssopus herba humilis pectoris purgativa, 1071. Humilitatem significans, 1423.

I

Ibracense monasterium Hiberniæ, 667.

IDA comitissa Nivernensis, 337.

IDEATUS novitius dyscolus, 301.

Idiomatum communicatio in Christo, 454.

Idiotismi diversi in Galliarum provinciis, 707.

IGNARUS ex monacho Cluniacensi S. Martini a Campis, Prior Charitatis, dein abbas monasterii novi apud Pietavos, ac tandem cardinalis Tusculanus episcopus, 201 n., 202, 223, 228 n.

IGNATIUS martyr reliquæ apud Claram-Vallem, 839. Epistolæ ejus ad quamdam Mariam, 839 n.

IGNAVIA religiosorum imperfectorum notatur, 1057 *et seq.* V. Pigritia, Tepiditas.

Igniacense monasterium ord. Cist., 251 n.

Ignis Dei duplex, 1461.

Ignis qui Deus est, se exercet vim ignis in vitæ, ut in anima vicem exhibeat unctionis, 1462. Ignis benedictus, ignis malignus, quis, 961.

Ignis novi benedictio in festo Purificationis, 961.

Ignorantia nox, 1568. Quam damnosa, 1597 *et seq.*

Reddit hominem bestis inferiorum, 1597. Hæc cavenda, sed magis arrogancia, 583. Ignorantiæ duæ filię, falsitas et dubietas, 1318. Ignorantiæ peccata aliqua esse, 632 *et seq.* Non omnis tamen damnabilis, 1399. Triplex culpabilis, 628. Ignorantia baptismi excusabilis ante prædicationem, 626. Ignorantia affectata non excusat, 567. Ignorantia duplex, Dei et sui; utraque damnabilis, 1596. Quam fugienda, 1403. Ignorantia sui superbiam; Dei desperationem parit, 1403. Ignorans Deum nihil est, 56. Ignorare Deum non possunt religiosi, 724. Conversionem nolle, Deum est ignorare, 1404. Ignorare puriorem de moribus Scripturæ doctrinam pene hæreticum, 295.

Illapsus in animam, 1582. Soli Deo competit, 1279.

- Illusionis nocturnæ causa an vestes lavandæ, 522. Eam passus diaconus ministrare non debet, 686.
- Illustris nomen episcopo tributum, 99. Illustrissimi titulus regibus, 141.
- Imago et similitudo Dei in homine quid, 611. Remanet in damnatis, 974. Imaginis et animæ discrimen, 1546. Imaginis seu Verbi magnitudinem et rectitudinem suo modo refert anima, 1546.
- IMARIUS S. Malachiæ magister, 661, 663, 665.
- Imbres boni et temporanei, plantis spiritualibus utiles, 1486. Imbres noxii plantis spiritualibus, 1463, 1466.
- Imitanda quedam in sanctis, quedam miranda, 903, 1033. Imitandi sancti in moribus, non in miraculis, 934.
- Imitatio Christi necessaria, 728, 889. Hanc etiam sanctis debemus, 1116.
- Immortalis anima spiritaliter potest mori, 1550. V. Anima.
- Immortalitas animæ et fides resurrectionis, 846. Immortalitas vera quæ, 1551. Immortalitas hominis qualis post peccatum, 1554.
- Immutabilitas Dei, 1380. V. Deus. Hanc denotat statio Seraphim, 948.
- Impatientia animæ perditio est, 1089.
- Imperatoris officium est Ecclesiam defendere, 215. Et *sublimitatis* titulus tributus, 374.
- Imperfectio conversationis quod minus habet, suppleat humilitas confessionis, 739. Cum imperfectis ut se gerendum, 87. Humilitas proficientium aliter sensu et experientia imperfectionum, 1135.
- Imperio nec libertas Ecclesiæ, nec Ecclesiæ nocet imperii prosperitas, 212.
- Impietas quid, 1187.
- Impiis etiam desideratus pietatis fructus, 840. Eorum circuitus in res creatas, 592.
- Impenitentia sola damnabilis, 512.
- Impositio psalmodiarum et antiphonarum monacho indisciplinato prohibita, 378.
- Imponitas quot malorum mater, 451. Ausum parit, 444.
- Incarnatio Verbi, osculum oris Dei, 1272. Prima de Incarnatione promissio Abrahæ facta, 1035. Trinitatis operatio in Incarnatione, 1190. Incarnationis summa, 977. Oeconomia, 974 *et seq.* Et causa, 720. Ejusdem paradoxa, 739. In Incarnatione tres mixturæ seu uniones admirabiles, 763. In Incarnatione uno Verbi et hominis expenditur et commendatur, 765 *et seq.* In hoc mysterio novum, antiquum, æternum, 451. Incarnationem quænam virtutes promoverint, 575. In eo triplex divinæ potentiæ effectus, 454, 780. Etsi in eo non tam potentiam et sapientiam manifestavit Deus, quam benignitatem, 1146. Et misericordiam, 776. In Incarnatione tria consideranda, 656, 1233. Incarnationis finis præcipuus, 1528. Cur Deus visibilis apparere voluerit, 1280 *et seq.* Deus incomprehensibilis per Incarnationem voluit comprehendendi, 1016. Filius cur potius incarnatus quam Pater et Spiritus sanctus, 717 *et seq.* 977. Incarnati Verbi odore et suavitate tracta deum Ecclesia, 1535. Incarnationis mysterium inscrutabile, 977. Dæmonium occultum, 741, 888. Angelis quomodo ignotum, 631. Ejus modus etiam Gabrieli archangelo ignotus, 635. Incarnationis mysteria omnia antiquis Patribus omnibus nota non fuisse, 650 *et seq.* Incarnationis et passionis Christi meditatio incitamentum dulcis auribus, 1145 *et seq.* Patrum desideria ad Christi Incarnationem nostrum arguunt torporem, 1270 *et seq.*
- Inclusi leges et conditiones, 360.
- Inconstantia vitanda, 939.
- Incontinentes clerici notantur, 495.
- Incorrigibiles monachi et sanctimoniales an ejiciendi, an incarcerandi, 103 n. Non rescindendi, non ejiciendi, 106.
- Increpationes æquo animo ferendæ, 911, 991. Earum utilitas, 1461. Eis efficacior gratia, 1290. Increpationibus tenerius sibi fratres astringit S. Bernardus, 1373. V. Corruptio, Indignatio, Ira.
- Indulgentia Dei erga peccatores in tribus, 942. Indulgentiæ pro cruce signatis, 528, 373.
- Indurati ad Dei beneficia notantur, 932. V. Cor durum.
- Ineptiæ dictæ graves hæreses, 309 n.
- Infantes quomodo coherant Christo per fidem, 1115. Infantium sine baptismis decedentium qualis pena, 1505 n. V. Baptismus.
- Infernus, lacus et mors quibus competat, 1093. Inferni descriptio, 1177 *et seq.* Verbum asperum, 852. Ejus timor, 1515. Consideratio laborem omnem emollit, 852. In inferno locus quietis et refrigerii ad requiem sanctorum ante Christi adventum, 102, 103, 104, 1053. Eo descendens Christus quid egerit, 1036. In inferis exsulat libertas utraque consilii et complaciti, 615 *et seq.*
- Infidelis Deum diligere debet, 585, 586. Non diligens est inexcusabilis, 586.
- Infidelitas cum charitate esse non potest, 467.
- Infirmi majoris meriti materia, 75. Infirmi apud Cluniacenses baculum deferebant, 536. Infirmis de communi Regulæ rigore aliquid relaxandum, 1158. Eis in refectorio præter communes cibos aliquid procuratum, 1068 n.
- Infirmas humana lectulus, 1568. Infirmas carnis spiritui vires subministrat, et contra, 1574. Infirmis alienæ compatiendum, 1198. Infirmas prorsus utilis, quæ medici manum requirit, 493.
- Insulæ quid, 407 n.
- INGORANNUS pater Eliæ monachi Clara-Vallensis, 119.
- Ingrati Deo prælati admonentur, 868. Ingratis misericordiam negare, misericordiam res est, 1141. Ingratus beneficio redemptionis non dormit, sed mortuus est, 867.
- Ingratitudo, grave peccatum, 940. Ingratitudo erga Dei beneficia, vitanda, 354. Maxime Deum quærenti, 1559. Et religiosi, 1141. Claudis manum benefactoris, 1142. Perversi cordis est occasionis ingratitude vestigare, 867. Ingratitudinis vitium dissipare debet modus redemptionis nostræ, 1297. Quanta confusio Dei Filium ingratis oculis cernere morientem, 114.
- Inimicus quomodo aut quare diligendus, 1440. V. Amor, Charitas.
- Injuris quomodo vincendæ, 45. In acceptis injuriis ut se gerendum, 1373. Injuria proximi nulla levis, 1372, 1575. Injuria servorum ut ulciscenda, 84.
- Injustam voluntatem duo comprobant, vel cum peccata, vel cum impune peccasse libet, 615.
- INNOCENTES in fide Ecclesiæ martyrii coronam percipiunt, 1498. Versus esse martyres, 787. Idque apud Deum, 788. Eorum festivitas, 103.
- Innocentia et humilitas, duplex animæ decor, 1423. Innocentia portio est justitiæ, 1594. Innocentiam servare facilius, quam congruam agere penitentiam, 1129.
- INNOCENTIUS papa II, 158, 159, 164, 165, 166, 168, 172, 174, 178, 182, 181, 186, 189, 190, 197, 198, 199, 200, 229, 230, 291, 296, 300, 304, 308, 311, 312, 314, 316, 317, 318, 319, 645, 674, 687. Ejus electio et promotio purior, et ratione probabilior, et tempore prior, 157. Item innocens vita, fama integra, electio canonica, 158. Hunc confirmant electio meliorum, approbatio plurium, et attestatio morum, 150, 151. Ejus vita et fama æmulum non timet, 157. Virilis ejus animus, 198. Ejus fuga eum probat virum apostolicum, 129. Positus in ruinam et resurrectionem multorum, 129. Oppressorum solatium, præsumptorum vindex, 137. Ab universo orbe suscipitur, 150, 151, 155 *et seq.* A Regibus agnoscitur singularis episcopus animarum suarum, 150, 156. Reges ei adhærentes, 150, 151, 156. Agnoscitur ab Henrico Anglorum rege, 145 n. Suppetias ab eo petit Bernardus pro Innocentio, 144. Quomodo a Cluniacensibus exceptus Innocentius, 155 n. Ecclesiam Cluniacensem consecrat, 155. Investituras negat imperatori Lothario, 154 n. Willelmo Eboracensi intruso resistit, 237. Ludovico Juniore inungit, 256 n. Alia ejusdem pontificis præclara facta, 154. Privilegium S. Bernardo concessum, 319. Bernardi abbatis Itali querela ad eum, 314 *et seq.*
- Innovatio. V. Renovatio.
- Inobedientia primorum parentum unde tam culpabilis, 511. Est causa mortis, 1089. Inobedientiæ indicium, 794. Inobedientia. V. Obedientia.
- Inquietos sæpe compescit vitæ restrictio, 87.
- Inspiciens quis, 1200. Nullum genus insipientiæ infidelitate insipientius, 426.
- Inspirationes divinæ quam sollicite observandæ, 1152. V. Gratia.
- Intellectus colli nomine designatur, 1411. Intellectus et affectus noster purgandus, 915. Rari, quibus utrumque competat, 916. Intellectus noster in visione beata totus in Deum fertur sine discursu, 456. Intellectus est rei cuiuscumque invisibilis certa et manifesta notitia, 447.
- Intentio mentis est facies animæ, 1409. Color operis, 1514. Discernit culpas et meritum, 70, 621. Valet etiam in opere non bono, 516. Intentionis puritas, 765. Duo requirit, rem et causam, 1409. Intentio recta et viliosa exemplo declarata, 1410. Intendere in Deum non propter Deum, hypocrisis est, 1410. Propter Deum dicere nihil jurat, nisi ex pura mentis intentione, 850. Intentio natua sponsi et sponsæ, 1503.
- Intercessio sanctorum, 1069 1151, 1153, 1257, 1260. V. Sancti.
- Interdictum in terram Regis pro infestatione episcoporum, 51 n. Hoc solvit Honorius II, 54, 56.
- Interulas non gerunt Cistercienses, 6 n.
- Investitura gratiæ, 890. Investitura regalium, 165 n. Investitura diversæ, 890. Investituras ecclesiarum representanti Lothario imperatori obsistit Innocentius II, 151 n.

In idere nihil nisi malum videre est, 865. Rara virtus de aliena virtute gaudere, et non invidere, 1457. Invidi tormentum gloria aliena, 954.
 Invidia, oculus venenatus, 865. Basilisco similis, 865. Mors animæ, 25. Calix dæmniorem, 12. Invidiæ obnoxii justii, 291. Invidiam non quædam miseria declinare potest, 55.
 Invitus nemo bene facit, 259.
 Invocatio sanctorum. V. Intercessio.
 Iporia civitas Italiæ, 673.
 Ira facit ut propriæ salutis non advertatur periculum, 236. Ira excæcat hominem, 424. Ira bona et mala quæ, 70. Ira affectio naturalis hominum est, sed abutentibus bono nature gravis perditio est, 866. Ira accumulata fit furor, 1508. Ira ut usus sit S. Malachias, 1047. Irascendum solis peccatis, 866. Si peccato irasceris, non peccas; sed quod peccaveras exterminas, 1414. Iræ Dei et furoris discrimen, 1508. Gravissima ira Dei, cum sinit impune peccare, 1415 et seq.
 Iracundia draconi comparata, 866.
 ISRAEL Propheta in Adventu lecta ad nocturnas vigiliæ, 718.
 ISRAEL idem ac Videns Deum, 1042.
 ISRAELITÆ causa famis in Ægyptum profecti, quid tropologicè, 1198. Israelitarum captivitas sub Pharaone typus captivitatis nostræ sub diabolo, 1252.
 ITERIUS abbas Saviniacensis, 168 n.
 IVETA mater Eliæ monachi Claræ-Vallensis, 119.
 IVETA sanctimonialis, 278 n.
 Ivo cardinalis, 185 n. Legatus, 201. Ivonis cardinalis testamentum, 201.
 Ivo canonicus S. Victoris, cardinalis, 150 n.
 Ivo Henrici Murdaci discipulus, 109 n., 110.
 Ivo frater Willelmi Claræ-Vallensis monachi, 107 n.
 Ivo Thomæ Beverlacensis præpositi familiaris, 365.

J

JACINTHUS Bobo cardinalis, 183 n.
 Jacob mystice quis, 750.
 Jacobus Jerosolymorum episcopus ut Christi fratris sui defuncti semen suscitaret, 422.
 Jactantia lepra, 905. Quartus superbie gradus, 576.
 Ejus proprietates et indicia, 576.
 Jauensis civitatis elogium, 159. Januensium erga Bernardum affectus, illiusque audiendi aviditas, 159.
 Jejunium, a Christianis exigitur exemplo Christi, 814. Eius utilitas, 1188. Est refectio cordis, 816. Medetur vulneribus, exasperatas conscientias lenit, 816. Orationi devotionem et fiduciam donat, 820. Impinguat, 816. Dux ejus alæ, oratio et justitia, 821. Item pax et sanctimonia, 821. Jejunii fructus et modus, 820. Jejunium singulis membris indicendum, 820. Jejunandum a vitis, 818. Jejunii et orationis copula, 820. Jejunii tempore lacrymis anima reficienda, 818. Jejunii majoribus sanctorum festis cur præmissa, 1038. Jejunium in vigilia S. Andrea, 1039. Jejunium sabbati Romæ observatum, non Mediolani, 215. Jejunium quadragesimale. V. Quadragesima. Jejunia regularia usque ad Nonam, 819. In authenticis festis remissa apud omnes pene religiosos, 218. Octo diebus Natalis Domini, Epiphaniæ, et Purificatione improbat, 218. Jejunii et abstinentiæ varia exempla, 392. Jejunium electioni episcopi præmittendum, 193. Jejunio dæmon insidiatur, 819. Jejunantium duplex vitium, vana gloria et impatientia, 818, 1255. Jejunium propriæ voluntatis Deo ingratum, 1518.
 JEREMÆ sanctificatio in utero, 169 et seq.
 Jerusalem, visio pacis, 758, 802. Elogium ejus, 519 et seq. Terra sancta, 351, 352. Quanta ei reverentia debeatur, 351. Est locus Passionis Christi a Prophetis prædictus, 654. Jerusalem duplex, 749.
 Jesu nomen super omne nomen, 791. Christo per excellentiam competit, 747, 789, 1512 et seq. Nomen amabile et consolatorium, 797 et seq. Lucet prædicatum, patet recogitatum, lenit invocatum, 1511. Est salus, unctio et gloria, 756. Animæ medicina, 1511 et seq. Mel in ore, in aure melos, in corde jubilus, 1511. Vita cordium, 1531. Olei proprietates nomini Jesu aptatæ, 1510. Jesus longe a patria et parentibus quærendus, 564. V. Christus. Jesu baculus, 689.
 JOANNES Bapt. lucerna ardens et lucens, 947. Fervor in eo trip' ex, 984. Joannes Baptista vere ardens fuit, 984. Christi non usurpavit gloriam, 947. Ejus festivitas, 105. Nativitas etiam apud infideles solemnis, 985. Cur celebrator morte, 105, 992. Joannis Bapt. prærogativæ, 984. Sanctificatio in utero, 169 et seq. Zelus in corripendis impiis, 986. Devotio erga Dominum, 986. Eius penitentia nos ad eam excitare debet, 985. Joanni Baptistæ Christus

mortem suam significavit, 104. Abusus in celebrando natali S. Joannis Baptistæ, 984.
 Joannis (S.) Bapt. Laudunense monasterium, 585 n. Agente Bernardo ad monachos trausit, 55, 56 n.
 JOANNES (S.) Evang. Martyr apud angelos, 788.
 JOANNES abbas S. Bertini, 143 n.
 JOANNES abbas de Busaio, 227.
 JOANNES abbas Casæ-Marii monasterium suum Cisterciensibus adunat, 544 n. S. Bernardum de infelici successu sacræ expeditionis consolatur, 344 et seq. Divinus revelationibus illustratur, 344.
 JOANNES archidiaconus Aurelianensis intrusus, 151 n.
 JOANNES archiepisc. Hispalensis, 624.
 JOANNES canonicus reg. S. Stephani Divionensis, 229 n.
 JOANNES Cornubiensis, 229 n.
 JOANNES Cremensis card., 161 n.
 JOANNES decanus Aurelianensis, 160 n. Ejus cædes, 160 n.
 JOANNES auctor necis Archembaldi subdiaconi Aurelianensis, 160 n.
 JOANNES episcopus Aletensis, 285 n.
 JOANNES episcopus Aurelianensis, 157 n.
 JOANNES episcopus Rotensis, 194 n.
 JOANNES episcopus Sagiensis, 216 n.
 JOANNES Salesberiensis, episcopus Carnutensis, 525 n.
 JOANNES episcopus Valentinus, 247 n.
 JOANNES Papyrio, legatus in Hiberniam, 279 n. Ejus elogium, 279.
 JOANNES presbyter cardinalis, 520.
 JOANNES Zirita seu Cirita, abbas in Hispania, 572.
 JOB pietas, 1298.
 Jocandi quis modus etiam inter pios, 211. V. Risus, Scurrilitas.
 Jocerannus episc. Lingon., 62 n.
 JONATHÆ salus dubia, 1539.
 JORANNUS abbas S. Nicasii Remensis, 45. Bernardo familiaris, 46.
 Jordanis, id est descensus, 905. Jordane nihil emittentis in fluminibus, 551.
 JORDANIS de Ursinis legati scelera, 279.
 JOSEPH augmentum significat, 742. Joseph patriarchæ lacrymæ, 1298. Præscius fuit exaltationis suæ, non humilitationis, 574.
 JOSEPH vir B. Virg. cur voluerit relinquere Mariam, 741 et seq. Au dubitaverit de ejus integritate, 742. Eius elogium, 742. Ab Angelo confortatus, 755. David filius, 742. Pietas ejus, 1298. Joseph integritatis Mariæ testis et custos, 764. Josephi cum Josepho filio Jacob comparatio et elogia, 742 et seq.
 JOSILENS episcopus Suesionensis, 86 n., 205, 207, 262, n., 515, 209, 210. Cognomen Rufus, 205 n.
 Jucundum quid et quotuplex, 1205.
 JUDA, id est confessio, 757. Seu laudans, vel confitens, 1284.
 Judæi per universum orbem dispersi, ut Christi passio sint testes, 328. Oleum habent in codicibus, sed non in cordibus, 1508. Non sunt e medio tollendi, 328, 330. Solo Christi odore contenti, non odore ipso ad gustum allecti, 550. Unde in tantum prolapsi, 1472. Eorum ruditas, 1472. Duritia, 818. Stupiditas, 1472. Consummata malitia in Christi morte, 1472. Judæorum servitute nulla gravior aut turpior, 410. Judæis justitia, gentibus misericordia obtigit, 1506.
 Judicia præcipitata non decent episcopum, 555. Judicare de dogmatibus ad episcopos pertinet, 183. Ad judicia non admittendi amici, 565. Judicia tria, humanum, proprium et divinum, 1149. Judicare nos quomodo debeamus, 1456. Non usurpandum de seipso iudicium, quod Deo soli reservatur, 471. Iudicium de proximo vitandum privatis, non prælatis, 1411. Qui ex hominum iudicio pendent, sunt instabiles, 985. Iudicium corruptum amor et odium, 565. Pertinaces in proprio iudicio præstringuntur, 904 et seq. Iudicii proprii sequaces præstringuntur, 1591. Iudicii timore temperanda consideratio misericordiæ, 551. Iudicium Dei, non hominum Paulus æstimat, 1154. Iudicium Dei quam terribile futurum, 849. Maxime timendum, 872. Præsertim peccatoribus, 1096. Iudicis spremit oculi illum timendi, 1456. Iudicium extremum, 425. Quomodo illum securi expectare possimus, 727. Proprio iudicio præveniendum, 850. Iudicii et gehennæ timor, 1515. In iudicio quantus pudor maneat negligentes, 1145. Iudicium futurum non sine misericordia erit, 859. In iudicio merita, non signa quærentur, 911. In iudicio non exhibebitur divinitas, sed humanitas, 1521. Deus iudicandi potestatem dedit Filio ut homini, et quare, 1524. Iudicium Christi quam timendum, 1456. Iudicii diem Christus ignoravit scientia experimentalis, 565. Iudicii ex-

tremi scientia est pæcorum, 762. Nobis est necessaria, 761. Tres illius gradus, dolor de peccatis, correctio, et sollicitudo, 762. In primo gradu accenditur, in secundo ardet, in tertio lucet, 762.

Judiciaria potestas non tam episcopis competit, quam principibus, 411 *et seq.*

Judicis conditiones, 504. Jurex, etiam in apertam culpam remens se vindicem exhibeat, 49. Judices datos declinare an liceat, 246. Appellare ab electis iudicibus non licet, 185.

Judicium seu probatio aquæ, 1446 n.

Jugum Christi suave, 1087, 1159. Quibus, 369. Nempe amanti, 50, 1418. Levat, non gravat, 343. Importabile nisi Christi spiritui, 509. Jugum charitatis suave, 50. Jugi et oneris commutatio, 870.

JULIANUS Augustus, 1054.

Jumentis sit homo similis in ferendo Christi onere, 859. Jumento comparatur duri et indevoti religiosi, 881.

Juramenta illicita non esse tenenda, 205. Hæreticorum error de juramento et perjurio, 1491. Francorum abusus in juramentis, 205.

Jurgia qui seminat, diaboli vices gerit, 159.

Justificatio præparatio ad futuram gloriam, 114. Resurrectioni Christi tribuitur, 972. Justificari cupientes a tribus abstinere, et tribus insistere debent, 1227. Prædestinatio, præparatio ad justificationem, 114.

Justitia, illium, 1512. Virtus generalis cui cæteræ subserviunt, 1199. Animæ vita, 114. Naturalis animæ cibus, 593. Panis, 757. Mellior quam pecunia, 40. Ejus semina, lacrymæ, 1402. Justitia virtus est quod summ est unicuique tribuens, 724, 821, 1124. Quid debeat superiori, quid inferiori, quid equali, 725. Deo, prælatis, et fratribus reddenda, 821. Justitiam Deo, pacem proximo debemus, 1124. Justitiæ zelus commendatur, 900. Aliud est tenere, aliud diligere justitiam, 429. Justitiam esurientes accipiunt ultra desiderium, 1027. Justitiæ duo necessaria, 1122. Consistit in duobus, 1187. Duæ ejus partes, non peccare, et peccatum per penitentiam damnare, 974. Justitia duplex, lata et stricta, 804. Ordinata quæ, 1199. Justitia præcipue in humilitate consistit, 870. Ejus perfectio in quo, 415, 1184, 1451. Absoluta ejus perfectio tantum in patria, 611. Nihil præter justitiam beatificare animam potest, 1037. Justitiæ laus et fructus, 805. Justitiæ cum aliis virtutibus connexio, 415. Justitia temperantiæ necessaria, 415. Justitiæ periculum triplex, 995. Justitiæ nostræ judicanda, 1456. Omnis justitia tepida, omnis transitoria, omnis vendita erit in oblivione coram Deo, 995. Justitiæ divinæ, humanæ, et angelicæ differentia, 953. Justitia hominis, indulgentia Dei est, 1544. Justitia Christi nostra est, 655. Justitia Judæis, misericordia gentibus obligit, 1506. Ex misericordiæ præsentis magnitudine colligenda est severitas futuræ justitiæ, 797. Dei bonitas mista cum justitia, 575.

Justus quis, 1258. Is quo modo vinea, 1482. Justus non est nisi qui amanti se Deo vicem rependit amoris, 114. Justorum gloria et divitiæ, 291. Justus quomodo non sit lex posita, 51, 600. Justus duo per justitiam habet: agere, et pati quod debet, 1225. Justus invidiæ obnoxii, 291. Justorum tres gradus, 1126. Justorum mors bona propter requiem, melior propter novitatem, optima propter securitatem, 110. Justo nunquam satis est, 253. Justorum opinio malis placet non opus, 1512. Justa causa a Deo deseri non potest, 324.

Juventus ad meliorem frugem leniter flectenda, 285.

Juvenum excessus patienter portandi, 285. In juvene quæ Bernardo probentur, 363. *V.* Adolescens.

L

Labor. Ad eum homo natus, 1087. Sed non ad ipsum creatus, 1164. Nemo hic sine labore et dolore, 1087. Anima appetit quietem, sed Christus incitat ad laborem, 1450. Laboriosus nihil, quod propter Deum fit et per ipsum, 850. Labores nostri cum præmio collati, 1086 *et seq.* Quomodo honestentur, 1127. Laboris remedium, alterius laboris est initium, 1109. Qui in labore hominum non sunt, in labore dæmonum erunt, 1544. Ejus detractio piis, miseratio crudelis, 827. Labores pro Ecclesia, non sine fructu etsi absque effectu, 524. Laboris materia prælato nunquam decrit, 419. Labores et crux, prælati hæreditas, 420. Exhortatio ad sollicitudinem et laborem, 420. Labor manuum commendatur testimonio et exemplo Apostoli, 1188. An dimitti possit, 218. Ex eo vivat inclusus, 360. Labores Cisterciensium, 396. Ex labore suo pauperes alunt Claræ-Vallenses, 835. Labore manuum vivunt sanctorum Cisterciensium Monasterii, 85 n.

Laborante corpore mens intenta sit ad causam laboris, 1164

Lacrymæ, semina justitiæ, 1402. Lacrymæ peniten-

tium, vinnm Angelorum, 1576. Lacrymæ charitatis, 1467. Lacrymæ et orationes, arma S. Bernardi, 228. Lacrymæ Christi quam dissimiles lacrymis aliorum infantium, 782.

Lacus, infernus et mors quibus competant, 1095.

Læta gratiora sunt expertis tristia, 1506. Lætis hic permista tristia, 890.

Lætitia vera unde nascatur, 1402. Lætitia inepta, tertius superbiæ gradus, 575. Ejus indicia, 575. Lætitia falsa origo et effectus, 575. Nulla verior miseria, quam falsa lætitia, 609. *V.* Gaudium, Voluptas.

Laici fratres illitterati, 707.

LAMBERTUS abbas S. Bertini monasterium suum Cluniacensibus subicit, 153 n.

LAMBERTUS episcopus Engolismensis a S. Bernardo laudatus, 265.

LAMBERTUS eremita, 171 n.

LAMBERTUS monachus, 106.

LANDRICUS presbyter, 377.

LANDULFUS episcopus Astensis, 153.

Languor animæ et ariditas ex superbia, 1453. Languor ad spiritualia in nobis unde, 1064. Languor amoris ex absentia dilecti, 1442.

LANTELMUS abbas Casæ-Dei, 476 n.

Laperasperi portus, 675.

Lapides quinque jaciendi in superbiæ vitium, 937.

Lapsus hominis et reparatio, 909. Lapsus primorum parentum ex instabilitate et defectu charitatis, 1065.

Laquearia domus spiritualis, gratiæ gratis datæ, 1428.

Laqueus vitiarum, 851.

Larzcurtis prioratus canonicorum Regul. S. Augustini cecit Patribus S. Joannis, 51 n.

Latebræ monachorum felices, 854.

Lateris dextri in Christo aperti mysterium, 814.

Latiniacense monasterium sanctitate et religione florens, 225 n., 226, 599. Ejus ecclesia celebris et famosa, 598.

Latro uno die pœnitens et beatus, 26. Ejus in cruce nides, 800. Crux et filii pons brevis ad transeundum de luto facis ad paradysum voluptatis, 26.

Latum, longum, altum et profundum cavendum, 425.

Laudatores veri ac ficti qui, 80.

Laudnesse S. Joannis monasterium transit ad monachos, 55, 56 n.

Laus omnis recte factorum Deo referenda, 1504. Laudandus est Creator in creatura, 554. Laus et gloria sanctorum unde, 1059 *et seq.* Laudantur secure sancti in cælis, 1050. Supernis addere velle laudibus, detrudere est, 557. Laudes humanæ quatenus admittendæ, 1204. Contemnendæ sunt, 469. Earum vanitas, 57. His credere securum non est, 14. Non ambianda, 1504. Eas cupere execranda perversitas, 1017. Laudatio nulla secuta, ubi nec ipsa vita secuta est, 1050. Laus a bonis et rectis sufficere debet, 1546. Non omnis laus est adulatio, 81. An quis laudandus in vita sua, 40. Laudet te os alienum, non tuum: ama nesciri, 782. *V.* Gloria. Laus perennis in Luxoviensi monasterio, 664. Laudantium Deum alacritas cælestis habitationis statum repræsentat, 1294.

Laxiorem vitam repetere illicitum, 295 *et seq.* Apostasia censetur, 295.

LAZARI et pœnitentis comparatio, 1005. Eiusdem sepulti tropologica consideratio, 1003. Eum repræsentant novitii, 1465.

Lectio non sapit, si Jesus in libro desit, 1511 n. Lectio sancta ab impuris mentibus indignè præsumitur, 1267, 1268. *V.* Libri. Lectio apud monachos in claustris, 539.

Lectulus humana infirmitas, 1568. Lectulus sponsi quis, 1552. Lectulus floridus sponsæ, claustra et monasteria, 1426. Item conscientia bonis referta operibus, 1429.

Lectum durum vigiliæ mollem efficiunt, 7. Lectus animæ, 1052.

Legalitas pro bona fide in exsequendis promissis, 128.

Legati apostolici quales esse debeant, 440 *et seq.*

Legatio archiepiscopi Remensis, 38.

LELBERTUS abbas S. Michaelis, 558.

Lenitas. Sine ea non plus hominibus placere possibile, quam Deo sine fide, 770. *V.* Mansuetudo.

Leo abbas S. Michaelis, 557 n.

LEO (S.) papa, 186 n.

LEONIS (S.) monasterium Tulli, 102 n.

Leonis ad rugitum nulla bestia stare potest, 866.

LEONIS abbas S. Bertini, vir religiosus et doctus, 540 n. S. Bernardi amicus, 541.

Lepra septuaginta moraliter expenditur, 903.

Lesciense seu Lætiense monasterium celebre, 558 n. Hujus nonnulli abbates, 558 n.

Lesmor civitas Mummonie, 662, 677, 682.

Levitas animi, secundus superbiæ gradus, 575. Describitur, 575.

Lex quomodo justis non sit posita, 31, 600. Lex Domini charitas, 30. Lex servi et mercenarii qualis, 30. Leges Dei praelatis plus curandæ quam Justiniani, 400.

Libertas soli competit voluntati, quæ ea privari non potest, 605. Necessaria est ad meritum, 1551. Ei non officit trahi a Deo, sed neque tentari, 617 *et seq.* An ipsi præjudicet velle habere bonam voluntatem, et non posse, 607. Hanc non tollit metus mortis, 618. Libertatem et meritum tollit necessitas, 603. Libertate arbitrii non abutendum, 615. Libertate triplici au præditus Adam in paradiso, 611 *et seq.* Libertas qualis homini post peccatum, 1555. Homo opus habet Christo reparatore duplicis libertatis, 615. Libertas nostra per Christum qualis, 606.

Libertas perfectissima erit in patria, 608. Libertas triplex secundum perfectionem, non est hujus vitæ, 611. Libertas triplex, a peccato, a miseria, a necessitate, 606. Earum dotes, 606. Christus illas habuit, sed secundam potentia tantum, non actu, 606. Libertas a peccato est liberum consilium, 607. Libertas a miseria, liberum complacitum, 607. Neutram hic habemus, 608. Libertas a necessitate Deo et creaturis omnibus æqualis, sed cum aliquo discrimine, 607 *et seq.* Libertas consilii et complaciti duplex, 612. Utramque amisit primus homo abutendo libertate arbitrii, 612. Qualis utraque hic speranda, 615. Ab inferis utraque exsulat, 615 *et seq.* Sine utraque libertas arbitrii est quasi captiva, 609. Libertas consilii inest ex parte in viris spiritualibus et mortificatis in hoc sæculo, 608: An etiam libertas complaciti, 608 *et seq.* Ea utcumque fruuntur contemplativi, 609. Non vero improbi, 609.

Libertas peccandi, undecimus superbiæ gradus, 579. Mala libertas, quæ excutit obedientiæ jugum, 476. Libertatis privilegium contumaci monacho dari improbat, 227. Libertas Christi in mæderandis actionibus corporis sui, 889.

Liberum est quod voluntarium, 1551. Libera simul et ancilla anima, 1552.

Liberum arbitrium quid, 604, 606. Unde dictum, 605, 616, 1551. Ex quo genere libertatis dicitur, 607. Medium est inter divinam voluntatem et carnis appetitum, 619. Non æqua inter bonum et malum potestate et facilitate versatur, 616. Sic præsit corpori, ut sapientia orbi, 616. Peccato non est amissum, 612. Sed remanet miserum, 615 *et seq.* Cur sui defectum non patitur, 614. In eo æternæ divinitatis substantiva quedam imago est expressa, 614. Per se cadere potest, resurgere non potest, 615, 616. Nec respirare de malo in bonum, sed nec proficere de bono in melius, 615. Liberi arbitrii et gratiæ individua operatio, 622. Gratiæ triplex operatio circa liberum arbitrium, 622. Ipsum excitat, sanat, roborat, et servat, 621. Liberum arbitrium cooperatur gratiæ, consentiendo, 604. Non liberi arbitrii, sed Domini est salus, 620.

Libri. Pietas non solum in iis habenda, sed in moribus, 1508. Silva et solitudo plus docent quam libri, 110. *V.* Lectio.

Libros suos transcribi non vult S. Bernardus, 94. Ligeurtis, 180.

Lilia tria nobis necessaria, continentia, innocentia, patientia, 1515. Lilia spiritualia quæ, et quomodo uniuicuique curanda, 1515. Lilia nostra panca et rata, 1515. Lilia sponsi quæ, 1511 *et seq.* Refectio inter lilia quid, 1511. Pasci inter lilia quid, 1514. Christus in gloria au pascitur inter lilia, 1519.

Lingonensis Ecclesiæ actio, 161 *et seq.* Lingonensi episcopo hominum debet Theobaldus comes pro casamento, 51.

Lingua ubique frenanda, maxime in convivio, 444. Ejus multiplex peccatum, 1118. Quanta mala, 1119. Lingua bonæ utilitas, 1120. Tria ejus aromata, 901. *V.* Loquacitas. Lingua Verbi, favor dignationis ejus; lingua animæ, fervor devotionis, 1425. Lingua dissimilis in eodem regno, 68. Lingua Romana pro vulgari, 706, 707.

Lis inter Luxovienses et Divionenses monachos, 54 n. Lites improbatæ, 555, 754. Brevi decidendæ, 415. Per arbitros dirimendæ, 284. Litiu strepitus pontifici vitandus, 409.

